


Pezzoni 67

DE PŒNIS ECCLESIASTICIS

PRAXIS ABSOLUTA ET UNIVERSALIS

AB ADM. R. P.

CAROLO ANTONIO THESAURO

SOCIETATIS JESU

JAM PRIMUM IN DUAS PARTES DISRTIBUTA

Nunc Notis, & Acceſſionibus earumdem Pœnarum ab Anno MDCLIII. ad uſque MDCCLX. inflictarum locupletata

AB ADM. R. P.

UBALDO GIRALDI A S. CAJETANO

CL. REG. SCHOLARUM PIARUM

APOSTOLICO ROMANI CLERI EXAMINATORE,

ET COLLEGII ECCLESIASTICI RECTORE.

Opus diligenter reviſum, emendatumque, ac Propoſitionibus ab Apoſtolica Sede proſcriptis auctum.

EDITIO PRIMA PATAVINA.



PATAVII, Typis Seminarii. MDCCLXI.

Apud Joannem Manfrè.


SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

Peyron 67



5 C
9

L E C T O R I.



ON ita præclare cum hominibus actum est, ut quæ evidenria primis illis tum inquirendarum, tum agendarum rerum principiis inest, eadem in iis etiam, quæ inde nectuntur, eorumque consequutiones faciunt, omnino appareat. Cum enim rerum idearumque multigenarum interpositu distent plurima ab iis, quæ universim sancita sunt, ac propter motus habitusque hominum varios, casusque multiplices qui mixtam humanæ vitæ scenam undique obsident, actiones oriantur æque magna in varietate positæ, lumen illud, quod ipsa Rationis Jura principio ostentant, longo tandem, & impedito intervallo contrahitur, & evanescit. Hinc illa Morum Scientia quæ arrepta est a plurimis, quod & in vita communi versetur, & præcipua in ea sit agendorum institutio, implicata passim vestigia habet, doctrinarumque seriem ex iisdem principiis varie deductam. Cum autem Sacri Canones multum suppeditent præsidii ad instruenda Naturæ Jura, id quidem incommodi magna ex parte sublatum est; at cum ea Decreta voluminibus numero tam multis, ac mole tam grandibus contineantur; cum novis ingruentibus moribus, immutati sæpe sint veteres, ac nova proinde figi instituta, refigi vetera sæpe debuerint, ea quoque difficilem scientiam habent, uberem, dissipatam. Quare eorum maxime probanda est industria, qui cum ipsos Sacri Juris fontes adierint, explicant apposite quæ in iis continentur, & nobis imperatoria quadam brevitate enunciant; verbisque pressi, ac rebus redundantes ea præcipue in unum colligunt, quæ in usum sæpissime veniunt, quæque non alio fieri modo possunt, quam quo ab ipso jure sancita sunt. Venit in hanc laudem P. Thesaurus ex eruditissima Societate Scriptor diligentissimus, cujus Opus *De Pœnis Ecclesiasticis* emendatum auctumque, & ad hæc usque tempora continuatum ab eo Viro, quem & domestica studia, & publica munia in hoc rerum genere jamdudum exercent, Typis nostris nunc primum prodit, qui Romanos excipiunt. Neque vero simplici quadam hujusmodi Pœnarum historia Opus hoc expletur; sed & illa proponit quæ necessariam ad eas præcursionem habent; & in ea passim doctrinarum capita excurrit, unde facile intelligas qua etiam alia occasione, ampliatione facta, pœnam aliquam quis incurrat, quando autem ab illa censeatur immunis. Claram ergo contractamque horum notitiam quam ipsa etiam hominum scelera necessariam inprimis faciunt, quæ limites ostendit ejus auctoritatis, quæ tribui vulgo iis solet qui Ecclesiæ serviunt, evulgato ad faciliorem usum hoc Opere nos exhibemus; quos cum arctiori vinculo eadem Ecclesia complectatur, maxime decet juvare ea studia quæ ipsi videntur utiliora; probante hoc Ejus voluntate, quem moderatorem ac parentem litteræ, ac res nostræ habent, quique nunc in tanta meritorum luce, & Eminentissima dignitate vivit.



NOI

NOI RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. Gio: Paolo Zapparella Inquisitor Generale del Santo Offizio di Venezia nel Libro intitolato: *De Pœnis Ecclesiasticis Praxis absoluta, & universalis a Carolo Antonio Thesauro in duas partes destributa, cum notis Ubaldi Giraldi a S. Cajetano*: non v' essere cosa alcua contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro i Principi, e buoni costumi, concediamo licenza a Giovanni Manfrè Stampatore di Venezia, che possa essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 15. Luglio 1760.

(

(Bernardo Nani Rif.

(Francesco Morosini II. Cav. Proc. Rif.

Registrato in lib. a cart. 54. al num. 7.

Giacomo Zuccato Segr.

Addi 17. detto

Registrato nel Magistrato Eccellentiss. degli Esecutori contro la Bestemmia.

Gio: Pietro Dolfin Secr.

DE PŒNIS ECCLESIASTICIS

PRAXIS ABSOLUTA, ET UNIVERSALIS

A U C T O R E

R. P. CAROLO ANTONIO THESAURO

SOCIETATIS JESU

POENITENTIARIO APOSTOLICO

P A R S   P R I M A

In qua de Pœnis Ecclesiasticis latæ sententiæ traditur doctrina generalis, quæ est præparatio ad intelligentiam Secundæ Partis necessaria.

C A P U T   P R I M U M

Quæ, & quotuplex sit Pœna Ecclesiastica, seu Canonica.



Ræmittendum est, quod omnis Pœna sive civilis, sive canonica in hoc consistit, ut sit aliqua privatio juris in re quæsiti in odium personæ delinquentis. Unde privatio juris ad rem non est proprie pœna, ut de communi sententia testatur *Rota part. 1. recent. decis. 693. n. 3.* cum allegatis. Similiter privatio juris in re, si inferatur non in odium personæ, sed ob favorem alterius, ut ei lucrum obveniat, vel ob publicam utilitatem, irritando actum gestum sine certa solemnitate, juxta regulas juris communis non est pœna. Ita *Rota ibi n. 4. & 5.* illa enim privatio tunc non infertur principaliter in odium personæ, quæ privatur, seu inhabilitatur, sed in consequentiam, ut *Rota ibi*.

Pœna ecclesiastica, seu canonica tripliciter accipi potest. Primo in genere, latiori significatione, ut significet omnem pœnam, quæ a jure canonico, seu ecclesiastico imponitur; sicut e contra legalis, seu civilis pœna dicitur, quæ a jure civili, seu seculari imponitur. *Gloss. in auth. Clericus quoque, Cod. de Episc. & Cler. ibi Bald. n. 7. Conrad. Brun. tract. de hæretic. lib. 5. cap. 3. num. 1. Angel. in Summ. verb. Pœna n. 2.* Unde sequitur illa distinctio criminum, & judiciorum: quia alia dicuntur mere ecclesiastica, seu canonica: alia mere civilia, seu secularia: & alia mixta, prout vel a solo jure canonico, vel civili, vel ab utroque pœna delicto imposita repetitur, *ut dict. auth. Clericus quoque, ibi DD. & Canonistæ in cap. Cum sit generale, de foro compet. Brun. loc. cit.* & in hac latiori acceptione a nobis sumitur nomen pœnæ ecclesiasticæ in præsenti Tractatu.

Secundo modo pœna ecclesiastica accipitur in specie subalternante, ut significet omnem pœnam canonicam spiritualem tantum, quæ scilicet a potestate ecclesiastica procedit, & principaliter animam punit, eam privans spiritualibus bonis; tametsi interdum in consequentiam privet etiam corporalibus: & hæc proprie, & ex natura sua est pœna ecclesiastica, ut sunt censuræ, irregularitates, privatio beneficiorum, aut officiorum, aut vocis activæ, vel passivæ, inhabilitates quoque &c. Et distinguitur a pœna ecclesiastica temporali, quæ procedit a potestate ecclesiastica, sed privat temporalibus bonis; & subdistinguitur in corporalem, vel pecuniariam; & ita docet *Suar. de religion. tract. ult. lib. 9. cap. 2. n. 46.* & tenent *Gloss. & Bald. loc. cit.*

Tertio modo sumitur pœna ecclesiastica magis stricte, & in specie infima, ut significet, & contineat aliquas tantum pœnas spirituales, sed non omnes; qua ratione accipitur in nonnullis Regularium privilegiis, quibus datur a Papa facultas absolvendi ab ecclesiasticis censuris, & pœnis a jure, vel ab homine, non tamen nominatim latis: quæ privilegia refert *Lezana qq. regular. tom. 1. cap. 18. n. 33. & 37.* sic etiam in *compen. privil. Societ. nostræ verb. Absolutio*, habetur privilegium concessum Confessariis approbatis absolvendi a quibuscunque sententiis, censuris, & pœnis ecclesiasticis. Item in Bullis jubilæi olim apponebatur clausula, concedens facultatem Confessario eligendo absolvendi a sententiis, censuris, & pœnis ecclesiasticis quomodolibet incursis, ut patet ex Bulla prima Sixti V. in Bullar. Fla. Cherub. ~~quæ clausula deinceps in Bullar. Fla. Cherub.~~ quæ clausula deinceps in Bullis Jubilæi non reperitur apposita. Sic etiam in Bullis Cruciatæ antiquis ante Pium V. apponebatur clausula absolvendi a pœnis, & censuris ecclesiasticis, *ut Gutier. lib. 1. can. qq. cap. 3. n. 1.* quæ in posterioribus Bullis Cruciatæ non est apposita, ut deceptionis tolleretur occasio, *Henriq. lib. 7. c. 13. n. 6. lit. X.* Nam aliqui nimium extendentes in dictis locis nomen pœnæ ecclesiasticæ, æstimant continere irregularitatem incursam ob violationem censurarum, *Gutier. loc. cit. cum Soto, & Corduba, Salas de legib. disp. 15. sect. 1. n. 16.* & probabilem, & in praxi tutam ait *Henriq. loc. cit.* & *Diana resol. 27. tract. 11. tom. 1.* ubi pro hac plures alios allegat. Item continere censuras improprie dictas, seu pœnas censuris similes, ut sunt suspensiones ad certum tempus, vel in perpetuum; nam & eas violans celebrando incurrit irregularitatem, *ut cap. 1. de sent. excom. in 6.* tenet *Layman lib. 5. tract. de pœnit. cap. 10. n. 18. & lib. 1. tract. de suspens. cap. 4. in fine*. Item continere inhabilitatem, & privationem officiorum, & vocis activæ, & passivæ (quæ sunt pœnæ ecclesiasticæ a censuris distinctæ *per cap. Quærenti de verb. Signific.*) tenet *Sanch. in decal. lib. 6. cap. 15. in fin.* & sequitur *Lezana tom. 1. cap. 18. n. 46. in fin.* Item continere pœnas pecuniarias latæ sententiæ, ut dupli &c. tenet *Eman. Sà, verb. Suspensio ipso jure lata n. 13. Henriq. loca cit. lit. D.*

Sed merito omnes istæ acceptiones rejiciuntur ab aliis Doctoribus. Unde non contineri irregularitatem de stylo Curiæ testatur *Navar. cap. 27. n. 254. & 194. vers. 4. Suar. de relig. tom. 4. tract. ultim. lib. 9. cap. 2. n. 43. & de cens. disp. 40. sect. 3. n. 3.* & plurimos allegat *Dian. loc. citat.* & est communis sententia, ut testatur *Henriq. loc. cit. in comment. lit. A.* Et quod talis facultas data a Papa absolvendi a censuris, & pœnis ecclesiasticis, non comprehendat irregularitatem, veram, & communissimam probat *Garzias par. 7. cap. 11. n. 57.* cum magna congerie DD.

Denique quod absolutus a censuris non censetur dispensatus super irregularitate ait *Rota decis. 44. num. 5. part. 2. recent.* Neque contineri suspensionem ad certum tempus, vel perpetuum ait *Suar. de relig. loc. cit. n. 46. & 49.* & idem *Suar. de cens. disp. 29. sect. 1. in fin.* ubi excipit nisi in dictis privilegiis detur facultas dispensandi: & consentit *Navar. loc. cit.* & tenet *Tannerus loco statim citando*. Neque con-

contineri inhabilitates, & privationes supradictas tenet *Suar. & Navar. ibi, & Tanaerus tom. 4. disp. 6. n.* 142. Neque contineri pœnas pecuniarias tenet *Navarr. ibi, & Suar. n.* 46. quod est certum, quia non est pœna proprie ecclesiastica, ut supra dixi. + (+secundo modo)

Quare *Navarr. ibi* potat solum contineri pœnas, quæ possunt impedire receptionem Sacramentorum. *Suar.* autem putat solum contineri pœnas arbitrarias, quæ de sui natura, ablata contumacia, absolvibiles sunt. *Tolet.* vero *lib. 1. cap. 89. in fin.* ait contineri tantum pœnas, quæ tolluntur per absolutionem, & non per dispensationem. Concludendum est igitur, verba illa, *a sententiis, censuris, & pœnis ecclesiasticis*, esse synonima, seu æquipollentia, & solas significare censuras, quæ habent hoc proprium, ut bonis spiritualibus privent, & solum per absolutionem tollantur, & non per dispensationem, ut dicam *infra cap.* 20. Vel nomine pœnarum ecclesiasticarum ibi exprimi diversas pœnas partiales, quæ intrinsece in ipsis censuris continentur; quia particula *Et*, sæpe ponitur expositive pro *idest*, nempe inter synonima, vel inter duo, quorum unum alteri inest, clarioris intelligentiæ causa, ut *lib. 1. ibi Gloss. in verb. Placitum, ff. de pact.* & *Bar. ibi, & in extr. ad reprimen. verb. Videbitur, & Gloss. in rub. Cod. de servit. & aqua. Rota apud Buratt. dec. 297. n. 11. & 16. Gutier. pract. quæst. 13. n. 61. lib. 3. Gonzal. in regul. Gloss. 3. n. 13.* Et in hoc sensu accipi debet quoties alioqui sequerentur absurda, vel contraria menti disponentis, ut ait *Bart. in leg. Gallus §. Etiamsi parente, n. 5. & 6. ff. de lib. & posth.* & ita in casu nostro sequerentur absurda, & contraria menti Pontificis, scilicet quod simplex Confessarius fere majorem haberet facultatem per illam clausulam, quam habet major Papæ Pœnitentiarius. Et quod hoc sit contra mentem Pontificis, constat ex eo, quod in recentioribus Bullis illa verba non apponuntur, ut auferatur erroris istius occasio, ut notat *Henriq. supra cit.* & ita videmus in praxi communiter hanc sententiam observari, quam etiam alii tenuerunt apud *Henriq. ibid.*

CAPUT II.

An Pœnitentia sit pœna Ecclesiastica.

POena ecclesiastica in genere est læsio, quæ punit, & vindicat, quod quisque commisit, inflicta a potestate ecclesiastica, ut colligitur ex *S. Aug.* relato *in cap. Pœnitentia, dist.* 3. & ideo continet pœnam, quæ pro foro externo, seu corporis infertur, quæ magis proprie, & in specie dicitur pœna. Item continet penam, quæ infertur pro foro interno, seu animæ, quæ dicitur proprie penitentia; quæ ut definit ibidem *S. Augustinus*, est dolentis vindicta puniens in se, quod dolet commisisse: quæ rursum est duplex: alia enim imponitur pro foro pœnitentiali, seu sacramentali: alia vero pro foro conscientiæ, seu quasi pœnitentiali, juxta tradita a Canonistis *ad tit. de pœnit. & remiss. Abbas in cap. De his, n. 3. de accus. Præposit. in cap. Præterea 2. de sponsal. Sanch. de matrim. lib. 8. disp. 34. n. 29. Menoch. de arbitr. casu 539. n. 32.* cum ibi allatis.

Differt autem pœna a pœnitentia. Primo quod pœnitentia imponitur, ut satisfiat Deo, & animæ; pœna autem, ut satisfiat Reipub. ideo pœnitentia non excusat a pœna, *ita Abb. in cap. De his, n. 3. de accus. Menoch. loc. cit.*

Secundo pœna infligitur invito, & independenter ab ejus voluntate: pœnitentia autem acceptatione indiget, & consensu penitentis; imo regulariter ab ipso delinquente accipit executionem, ut *S. August. loco cit.*

Potest tamen peccator cogi ad acceptandam penitentiam: & primo in foro sacramentali, etiam per denegationem absolutionis, quia habet Confessarios potestatem, non solum absolvendi, sed etiam ligandi, ut *Trident. sess. 14. cap. 8. in fin.* ex quo decreto communis DD. sententia asserit, penitentem teneri sub mortali peccato acceptare, & perficere penitentiam a Confessario injunctam rationabilem, nisi velit alium Confessarium adire, ut *Suar. disp. 38. sect. 7. n. 4.* qui contrariam sententiam temerariam ait. *Bellarm. de pœnit. lib. 4. cap. 13. Tolet. lib. 3. cap. 9. n. 3.* Et hanc conclusionem de fide definitam ex d. Trid. decreto ait *Vasq. 3. par. tom. 4. quæst. 9. art. 2. dub. 1. n. 5.* Unde non admitto, quod quidam Auctores putant, non obstante dicto decreto, non teneri sub peccato mortali penitentem penitentiam acceptare, sed sufficere si habeat propositum satisfaciendi Deo, hic, vel in Purgatorio; quod asserit *Navar. cap. 26. num. 20.* & alii recentiores apud *Dianam resolut. 52. Miscell. 1. tom. 1.*

☞ *Nota nedum teneri eam acceptare, sed etiam per se ipsum adimplere: cum ex propositione 15. inter alias ab Alex. VII. proscriptas, propria auctoritate substituere sibi alium non possit, qui loco sui eam adimpleat.* ☜

Addo quod secundum probabiliorem sententiam potest Confessarius cogere penitentem pro crimine publico, & scandaloso acceptare penitentiam publicam, *Covar. lib. 2. var. cap. 10. n. 3. Sylv. verb. Pœnitentia, quæst. 2. Vasq. loco cit. dub. 2. n. 2. Suar. de pœnit. disp. 33. sect. 7. n. 3. Coninch. de Sacr. disput. 10. n. 74.* & alii multi, & probatur ex Trid. *sess. 24. cap. 8. de reform.* quamvis contrarium aliqui teneant, quia putant hoc fore contra sigillum confessionis, ita *Navar. cap. 8. n. 10. Eman. Sà, verb. Satisfact. n. 12. Beya 3. part. casu 1. & alii.* Præterea cogi poterit delinquens pro crimine publico, & scandaloso ab Episcopo, seu Prælato per censuras ecclesiasticas ad acceptandam, & perficiendam penitentiam publicam, ut *Turrec. in cap. Pœnitentes, 50. dist.* & probatur ex Tridentin. *dict. cap. 8. sess. 24.* quod puto intelligendum de penitentia publica non solemni; nam solemnes penitentiæ hodie desuetudine abrogatæ sunt, ut *Bernard. Diaz. in prax. cap. 23. & ibi Salzedo, Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 6. n. 10.* & non potest quis ab Episcopo cogi ad eam suscipiendam, nisi fiat in ecclesia universalis reformatio, seu restitutio hujusmodi penitentiarum, ut sentit *Bern. Diaz.* ibi. Etenim continent rigorem nostris temporibus nimis gravem: nam solemniter penitens per manus Episcopi impositionem accipere debet, gestare cilicium, & habitum mutare, & statum penitentiæ profiteri, ut late *apud Tertullianum lib. de pœnitentia cum ibi notatis*. Unde & religiosa persona efficitur, & de foro ecclesiastico, ut *Simanchas de cath. inst. cap. 47. n. 21.* Sacra quoque Penitentiaria interdum cogit penitentes pro publicis, & scandalosis delictis acceptare publicam penitentiam non solemnem, etiam sub cautione præstiti juramenti de ea perficienda; quidquid in contrarium dicat *Navar. cons. 28. de pœnit. & remiss.* de qua re dixi *verb. Homicidium cap. 4.*

Clerici autem neque olim cogi poterant suscipere penitentiam solemnem, neque ea illis imponi poterat, ut *c. Confirmandum, cap. Illud, cap. Alia 50. dist. Bern. Diaz. in praxi cap. 23. & ibi Salzedo super verb. Solemnis pœnitentia.* Sed neque Sacra Penitentiaria Clericis injungit unquam publicam penitentiam ignominiosam, ut dixi *dict. cap. 4. verb. Homicid.* dicam etiam de hac re *infra cap. 33. §. Tertio pœnitentia.*

Tertia differentia, quæ sequitur ex præcedenti, est, quod nulla penitentia reperitur latæ sententiæ, seu quæ ipso facto incurratur, seu ad quam quis teneatur ante sententiam Prælati, seu Judicis fori animæ. Et quidem de penitentia solemni apparet, quia a solo Episcopo imponitur per illius manus impositionem, & non ab alio Sacerdote, nisi de illius mandato, *cap. Si vero, & cap. Pœnitentes, 50. dist. ibi Turrecr. n. 1. Præpos. n. 3. Bellarm. tom. 2. lib. 1. tit. de pœnitent. cap. 1. §. 5. pœnitentia.* Similiter penitentia publica non solemnis, licet in multis casibus imponatur a jure, non solum per antiquos Canones penitentiales, sed etiam Decretales; tamen non obligat in foro conscientiæ, nisi imposita fuerit ab Episcopo, vel proprio Sacerdote: imo Episcopus potest tales publicas penitentias a jure statutas commutare in secretas, quando sibi visum fuerit expedire, *Trid. sess. 24. cap. 8. de reform.* licet de jure communi antiquo non posset illas in privatas commutare, ut *Tiraquell. de pœnit. temp. in præf. n. 28. cum allegat.* & idem dicendum de aliis penitentiis a jure statutis, ut carenæ jejunii cum septem annis sequentibus, de qua *in cap. 2. de spon. duorum, & cap. Accusasti, de accusat.* nam etiam possunt a proprio Sacerdote pro foro conscientiæ moderari, ut *Barbos. in dict. cap. 2. n. 3.* Et generaliter quod omnes penitentiæ, etiam a jure canonico statutæ, hodie sint arbitrariæ, idest arbitrio Episcopi, vel Confessarii commissæ, ait communem *Clarus §. final. praxis quæst. 83. in fin.* Excipe tamen aliquos casus, in quibus absolutio est reservata Papæ, & statuitur in Canone, ut absolvantur rei cum cautione juratoria, de publica certa penitentia peragenda, *ut cap. Felicis de pœnis in 6.* vel quando a Sacra Penitentiaria imponitur sub simili cautione præstiti juramenti, ut supra dictum est: in istis enim casibus non poterunt ab inferiore, etiam Episcopo commutari.

An autem possit in aliis casibus Episcopus, vel Confessarius commutare penitentias a Papa, vel a Sacra Penitentiaria impositas pro casu reservato, communis sententia negat, quam tenent *Sylvest. verbo Confessio, quæst. 27. Suarez de pœni-*

nitentia, disp. 38. sect. 10. n. 14. Coninch. disp. 10. de Sac. Pœnitent. n. 100. Henriq. lib. 5. cap. 22. n. 5. & hanc sententiam servat stylus Curiæ. Unde Pœnitentiariis S. Petri specialiter concessum est pœnitentias hujusmodi alicui injunctas ab alio Pœnitentiario commutare; si tamen non fuerint determinatæ a majori Pœnitentiario, seu Regente. Quamvis Bonacina tract. de Sacr. Pœniten. quæst. 5. sect. 3. punct. 3. n. 6. cum aliis teneat posse commutari a quolibet Sacerdote, quia putant, ablata reservatione per absolutionem, pœnitentiam illam non manere reservatam. Illud concedendum est, pœnitentiam impositam a Papa in casu non reservato posse mutari ab inferiore, quia manus appositio Papæ in iis, quæ concernunt forum internum, non ligat manus Ordinariorum, ut Gonzal. super regul. gloss. 52. n. 60. cum ibi allatis.

De Pœnitentiis, quæ in Dataria injunguntur pro dispensationibus matrimonialibus concessis in forma commissaria, aliqui dicunt posse ab Episcopo commutari ex causa rationabili, ut Genuens. in praxi cap. 20. n. 2. ubi ait ita fuisse ab Urbe rescriptum: quod puto non procedere de pœnitentiis, quæ debent præcedere actum dispensationis, quia illæ sapiunt formam, & sunt loco compositionis, ita Corrad. in praxi dispens. lib. 8. cap. 6. n. 20. & seqq. qui etiam n. 18. & 19. bene notat irritam fore dispensationem, si quis pœnitentiæ opera ante dispensationem præstanda, pecunia redimat, aut per alium perficiat sine licentia Datarii, quia formam non adimplevit, & quia, ut dixi, pœnitentia hujusmodi est subrogata in locum compositionis, quæ ut DD. dicunt, est causa dispensandi saltem partialis.

De pœnitentiis injunctis per commutationem pro votis Papæ reservatis in materiam non reservatam, multi dicunt posse a quolibet Confessario commutari, ex ratione illa, quod materia non sit reservata; quos allegat, & sequitur Sanchez de matrimon. disp. 9. n. 20. lib. 8. & in decal. lib. 4. cap. 40. num. 46. & hæc sententia est frequentiori calculo recepta; sed contraria est tutior in praxi, quam tenent multi allegati a Sanch. loc. cit. de matrim. num. 20. quia subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur.

Cæterum cum pœnitentiæ, ut dictum est, nunquam sint impositæ per Canonem latæ sententiæ, non pertinent ad præsentem tractatum, ideo illas omittemus.

Hoc tantum libet subjungere, quod Episcopus potest in Ecclesia Cathedrali deputare alios Pœnitentiarios, præter Pœnitentiarium capitularem, seu Canonicum, etiam Regulares (sine illius præjudicio) ut Rota apud Rubeum decis. 222. per totam, qui tamen nullam administrationem habere possunt in eadem Ecclesia, ut Rota ibi per cap. Cum causam, ibi gloss. ver. Asino, de elect.

CAPUT III.

Quid sit pœna latæ sententiæ.

Respondeo primo, quod pœna latæ sententiæ est, quæ effectum suum sortitur, & afficit ex ipso jure, seu canone disponente, idest ex sola ipsius præcepti potestate, seu ipso facto, absque ministerio Judicis, idest absque alia sententia condemnatoria, vel executoria (quam requirit pœna sententiæ ferendæ) nam ipsa trahit secum executionem, ita Abb. in cap. 1. de re jud. Bart. in leg. 1. in final. ff. de compens. Felin. in cap. Rodulphus, n. 24. de rescript. Tiraquell. in leg. Si unquam, verb. Revertatur, n. 5. C. De rev. don. Sayr. in clavi regia, lib. 3. cap. 8. n. 24. & de cens. lib. 1. cap. 11. n. 4. Salas de legib. disp. 15. sect. 3. n. 41. Suarez lib. 5. cap. 7. n. 1. de legib. Rota decis. 8. part. 1. rec.

Cognoscitur autem pœna latæ sententiæ ex eo, quod profertur verbis directis; quæ scilicet non requirunt ex natura sua factum, seu opus hominis: pœna autem sententiæ ferendæ cognoscitur, quia profertur verbis obliquis, quæ requirunt manum hominis: & quamvis pœna latæ sententiæ interdum proferatur verbis obliquis, vel communibus, id contingit, quia ex aliis additis verba communia, vel obliqua determinantur ad sensum directum; hæc Tiraquell. loco cit. n. 36. & 37. Felin. n. 24. Quæ autem in particulari sint verba directa, quæve obliqua, vel communia, declarat Bart. in leg. Centurio, a n. 43. ff. de vulg. & pupill. Felin. loco cit. Tiraquell. a n. 21. Sayr. Salas, & Suar. ubi supra, nos autem de iis sigillatim part. 2. dicemus suis locis. Illud tamen hic prætereundum non est, quod verbum incurrere, etiamsi in infinitivo, vel futuro exprimatur, est verbum directum, quia ex natura sua excludit factum hominis, ut Rota Cassad. dec. 1.

+ p. 129 n. I.

n. 4. & 5. de simon. & de magis communi testatur Tiraquell. loco cit. n. 147. & est text. in extrav. 2. de simon. E contra illa verba sub pœna excommunic. &c. non sunt latæ sententiæ, sed ferendæ, idest comminatoriam continent, ut gloss. in cap. Non solum verb. Sub pœna excomm. de Reg. in 6. & in extrav. 1. §. eodem modo, verb. Sub excommun. pœna de verb. Signif. & communem ait Tiraquell. in dict. leg. Si unquam verb. Revertatur n. 255. & communem Theologorum, Juristarum, & Summistarum, ait Suar. de cens. disp. 3. sect. 3. n. 6. in fin. nisi addita esset particula ipso facto, vel ipso jure, vel incurrendæ, ut Suar. ibi n. 7. & 8. & alii proxime citati. Quando vero est dubium, an aliquod verbum, seu canon sit latæ sententiæ, vel ferendæ, ut contingit in verbis communibus, debet intelligi esse ferendæ, ut in partem benigniorem in pœnali materia fiat interpretatio, Rota dict. decis. 8. par. 1. recent. n. 2. Gloss. in cap. In pœnis de reg. jur. in 6. Abb. & Bntr. in cap. Si diligenti de for. comp. Felin. in dict. cap. Rodulphus super verbo, cadat, ubi ponit exemplum in verbo cadat; & nullum crimen privat ipso jure, nisi in casibus a jure expressis, Felin. in cap. 2. n. 3. de rescript. cum Innocen. Gemin. & aliis, & in cap. Querelam, numer. 2. de jurejurand.

Respondeo II. quod pœna latæ sententiæ formaliter est aliqua privatio moralis, & non physica: quia cum trahat secum executionem absque facto hominis, non potest sola efficere privationem physicam: lex enim per se non potest sola efficere actum physicum, sed moralem, ideoque non potest privare actu re corporea, seu illius possessione, sed re morali tantum, seu jure aliquo, verbi gratia dominio, habilitate, fama &c. ut Suar. de leg. lib. 5. cap. 7. n. 1. quamvis in consequentiam moralis privationis sequi etiam possit obligatio ad privationem physicam, ut dicam cap. 5.

CAPUT IV.

An præceptum sub pœna latæ sententiæ significet obligationem sub mortali ad rem præceptam.

Respondeo, præceptum ecclesiasticum sub pœna gravi, sive temporali, sive spirituali latæ sententiæ, censeri obligare sub peccato mortali ad rem præceptam, & continere materiam gravem, quia alias præceptum foret iniquum, imponendo pœnam gravem pro levi culpa, ita Sayr. lib. 3. Clavis Reg. cap. 7. n. 25. cum communi sententia, & Sanch. in decal. lib. 6. cap. 4. n. 64. Et quamvis aliqui, ut Cajet. Navar. Dried. & Valent. relati a Sayro ibi teneant, quod præceptum etiam sub gravi pœna comminatoria, seu ferendæ sententiæ non significet obligationem sub mortali ad rem præceptam; tamen etiam ipsi secus dicunt in pœnis latæ sententiæ.

CAPUT V.

An pœna latæ sententiæ habeat locum etiam pro actibus internis, vel externis occultis, vel ante declaratoriam.

Respondeo primo, quod quamvis Canonistæ communiter dicant pœnam latæ sententiæ inferri posse, & afficere etiam pro peccato omnino occulto, scilicet pro actu pure interno; pœnam autem ferendæ sententiæ solum pro actu externo inferri posse, ut constat ex allegatis a Sanch. lib. 2. in decal. cap. 8. n. 1. & tenet etiam Tiraquell. in leg. Si unquam verbo Revertatur, n. 295. tamen vera, & communis sententia Theologorum, & multorum etiam Canonistarum, quos allegat, & sequitur Sanch. ibi n. 2. Salas de legib. disp. 9. sect. 2. n. 3. & 6. tenet neque pœnam latæ sententiæ pro actu mere interno inferri posse, quia Ecclesia non judicat de omnino occultis, sed ea soli Deo reservantur, cap. Consuluisti, 2. quæst. 5. can. Erubescant, 32. dist. & ibi Glos.

Quis autem dicendus sit actus externus, declarant Sanchez. ibi n. 7. Suarez tom. 1. de relig. tract. 3. lib. 1. cap. 6. n. 11. & cap. 4. n. 2. & de fide disp. 21. sect. 2. n. 9. Layman. lib. 2. tract. de fide, cap. 14. & dicunt sufficere, & requiri, quod sit signum sensibile moraliter significativum in ordine ad alium actus interni; idest, ut sit intelligibile ab alio homine, si adesset, saltem in aliqua circumstantia loci, etiam si actu nullus adsit.

Respondeo II. quod lex humana, præsertim ecclesiastica, potest ferre pœnas ipso facto incurrendas pro actu interno, non

ut

ut interno, sed quatenus refertur ad externum, & cum eo componit unum in genere moris; seu quatenus actum externum informat, afficit, corrumpit, & depravat: & procedit etiam si actus externus alias esset bonus, vel indifferens ex objecto, & fine operis, seu ex objecto immediato, quia potest reddi malus ex objecto, & fine operantis, seu ex objecto remoto, seu ab actu imperante, seu intentione mala agentis, ut ait *S. Tho. par.* 2. *quæst.* 20. *art.* 2. & ibi Theologi communiter. Et procedit etiam si illa mala intentio, seu internus actus nullo modo prodeat exterius, nulloque signo se manifestet: & ideo hanc sententiam docent *Sayr. lib.* 3. *Clavis cap.* 6. *in fin. Salas de legib. disp.* 9. *sect.* 1. *n.* 7. 10. & 12. asserens esse probabiliorem, & tutiorem. *Azor. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 10. §. *In hac itaque*, dicens esse compertum, & certum, posse legem humanam prohibere, seu punire, ut supra, actum externum, ut ex aliqua mala intentione interna provenientem: & hanc esse communem sententiam Juristarum, & Theologorum constat ex iis, quæ dixi + *verbo*, *Curia*, *cap.* 10. *verbo*, *Beneficium*, *cap.* 4. *verbo*, *Incestus*, *cap.* 1. *num.* 6. *verbo*, *Inquisitor*, *cap.* 5. *verbo*, *Simonia*, *cap.* 5. in quibus locis habes exempla in jure pęnarum latæ sententiæ contra agentes aliquid cum prava intentione, etiam nullo externo signo manifestata; quamvis alii putent legem humanam etiam ecclesiasticam non posse punire actum externum ratione actus interni mali, nisi vel ille actus externus sit alias de se malus, aut nisi actus internus sit de substantia actus externi, ita ut sine illo actus externus mutet speciem; vel nisi actus internus, verbi gratia, mala intentio, prodeat exterius aliquo signo. Secus autem fore dicunt, si actus externus sit de se bonus, vel indifferens, licet malus fiat a malitia actus interni, quæ illi accidat, ut a circumstantia tantum extrinseca, & accidentaria, ut ab actu imperante, seu intentione mala, ut tenent *Navar. in cap. Mandato*, *n.* 20. *de simo. Vasq.* 1. 2. *disp.* 160. *Suar. de cens. disp.* 4. *sect.* 2. *num.* 19. & *seqq.* Illud vero certum est apud omnes, posse a lege puniri actum externum ratione malæ alicujus intentionis, aut ratione defectus actus interni, quando id fiat per modum legis, seu pęnæ conventionalis, scilicet, quia alias legislator non vult publica bona alicui conferri, nisi cesset, vel adsit talis intentio, ita *Azor. loc. cit.*

+ parte secunda

Respondeo III. quod pęna latæ sententiæ, quatenus est mere privativa, scilicet non requirens factum hominis, seu actum positivum physicum ad sui consummationem, seu executionem totalem, ut inhabilitas, vel privatio tituli, seu solius dominii civilis, privatio vocis activæ, vel passivæ &c. obligat in conscientia ipso facto, etiam in occultis, ante omnem declaratoriam sententiam, secundum magis communem sententiam, ut dicam infra *cap.* 29. *quæst.* 1. Quatenus autem non sit pure privativa, sed requirens ad sui consummationem actum positivum physicum, ut privatio bonorum corporalium, patrimonialium, vel beneficiorum, aut officiorum, aut pęna banni, licet non requirat sententiam condemnatoriam, regulariter tamen requirit sententiam declaratoriam, ita *Felin. in cap. Cum ab homine*, *n.* 10. *de Judiciis*, *Gemin. in cap. Felicis de pœn. in* 6. *n.* 8. & alii, quos allegat *Farinac. quæst.* 116. *n.* 20. & plurimi apud *Tiraquell.* qui testatur de magis communi, & veriori, *in leg. Si unquam*, *verb. Revertatur*, *num.* 400. & multi Theologi, quos refert *Sayr. in Clau. Regia*, *lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 25. & tenet *Suar. de legib. lib.* 5. *cap.* 8. *n.* 5. & communem ait *Layman. lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 15. *n.* 5.

Amplia I. quod etiam si lex dicat, pęnam amissionis bonorum, vel beneficii, seu rei possessæ incurrat ipso facto ante omnem sententiam declaratoriam, intelligi debet de declaratoria juris, & non facti, idest, ut non requiratur declaratoria pęnæ incursæ, sed tamen requiretur declaratoria criminis: ita *Eman. Sà verbo*, *Pœna n.* 1. *Sanch. lib.* 9. *de matrim. disp.* 30. *n.* 1. *Filiucc. tract.* 44. *cap.* 6. *Less. lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 63.

Amplia II. quod pęna privans delinquentem re sua corporali jam possessa, non obligat ad executionem, nisi post sententiam declaratoriam accedat executio facta a Judice: ita usu receptum ait *Less. lib.* 2. *cap.* 29. *n.* 63. *Suar. de fid. disp.* 22. *sect.* 3. *n.* 5. & tenet *Molin. tom.* 1. *disp.* 96. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 22. *n.* 8. *Azor. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *quæst.* 5. & *tom.* 3. *lib.* 4. *cap.* 16. *quæst.* 9.

Limita primo, quod satis probabilis est sententia, pęnas etiam pure privativas, si sint valde graves, privantes scilicet jure quæsito, vel naturali, vel civili, vel ecclesiastico, magni momenti, non obligare pro foro conscientiæ ante declaratoriam, ut pęna infamiæ, inhabilitas ad beneficia, vel officia, vel privatio vocis activæ, vel passivæ: ita *Navar. de dat. & prom. n.* 31. & 44. *Molin. disp.* 96. *Sanch. de matr. lib.* 9. *disp.* 30. *n.* 1. & *lib.* 2. *in decal. cap.* 39. *n. ult.* & *opusc. lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 52. *n.* 11. & 13. & *in decal. lib.* 6. *cap.* 15. *n.* 65. *Filiucc. tract.* 10. *n.* 264. *Tanner. tom.* 3. *disposit.* 5. *quæst.* 8. *n.* 97. *Sosa super Bulla Clem. VIII. de largit.* §. 9. *Castellin. de elect. can. prælud.* 1. §. 6. *n.* 20. *Malder. par.* 2. *quæst.* 96. *art.* 4. *memb.* 4. Alii tamen distinguunt, ut dicam infra ~~cap. 4.~~ *quæst.* 4. Cap. 28.

Sed hæc sententia nullo modo intelligitur procedere in censuris, & irregularitate, quia ex antiquissima Ecclesiæ universalis consuetudine semper obligarunt absque alia declaratoria, ut *Tiraquel. loco cit. n.* 401. *Sayr. n.* 30. *Salas de legib. disp.* 15. *sect.* 2. *in princ. Suar. de cens. disp.* 3. *sect.* 2. *Sanch. de matrim. lib.* 9. *disp.* 30. Item non procedit secundum aliquos, si reus fuit legitime interrogatus a Judice super delicto, & negavit; unde non potuit procedi ad declarationem: tunc enim dicunt obligari ad pęnam in foro conscientiæ; ita *Sot. lib.* 1. *de Just. quæst.* 6. *art.* 6. *col.* 1. *Cordub. lib.* 1. *quæst.* 35. & *quæst.* 36. *Roderic. qq. regul. tom.* 2. *quæst.* 57. *art.* 1. *in fin. Sanch. in opusc. loc. cit. dub.* 52. *n.* 14.

Similiter pęnæ conventionales privativæ Juris quæsiti commissæ ligant statim ante monitionem, *Rota part.* 1. *recent. decis.* 159. *n.* 1. & ante sententiam declaratoriam secundum probabilem sententiam, licet non ante exactionem: quamvis etiam probabile sit non deberi ante sententiam. *Sanch. lib.* 1. *de matr. dis.* 37. *Less. lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 135.

Pęnæ autem testamentariæ secundum communem DD. debentur, & ligant in foro conscientiæ ante omnem sententiam, quia sunt conditiones, non proprie pęnæ, *Sanch. lib.* 7. *de matr. disp.* 91. *n.* 2. & idem dicendum de conditionibus resolutivis conventionalibus, *Sanch. lib.* 1. *disp.* 37. *cit. n.* 2.

Limita II. quod etiam pęna requirens factum hominis, si sit moderata, & non valde gravis, potest ipso jure imponi cum obligatione, ut reus per se exequi debeat ante declaratoriam, ita *Sanchez*, & *Molin.* & alii supra citati, & alii, quos allegat, & sequitur *Garzias part.* 11. *cap.* 10. *n.* 19. & habes exemplum *verb. Electio n.* 3. & *verb. Visitator*, *cap.* 2.

CAPUT VI.

An pęna latæ sententiæ, secuta sententia declaratoria, retrotrahatur.

Respondeo, quod etiam in iis casibus, quibus dictum est pęnam latæ sententiæ non ligare ante sententiam declaratoriam, adhuc pro eo tempore intermedio pęna hujusmodi non caret effectu. Nam primo declaratoria sequens retrotrahitur ad diem pęnæ incursæ, seu commissi delicti, ita ut actus medio tempore gesti irriti censeantur; unde si declaretur aliquis hodie hæreticus, vel Majestatis læsæ reus, eo ipso cassantur alienationes factæ a die criminis commissi, & fructus ab ea die confiscantur; est certa, & communissima sententia, tam eorum, qui dicunt dominium a momento criminis transisse in Fiscum, quam eorum, qui dicunt transire solum a momento declaratoriæ, ut *Farinac. quæst.* 116. *n.* 20. 21. 22. & 66. cum multis aliis, & *Sanch. lib.* 2. *cap.* 22. *n.* 2. 3. 5. & 33. *in decal.*

Secundus effectus est, quia juxta magis communem sententiam statim pęna incursa, seu commissa amissionis dominii ante declaratoriam, alienationes a reo factæ sunt invalidæ, & illicitæ: quia licet non amiserit possessionem, atque ideo uti possit bonis ad suam sustentationem, tamen dominium amisit, ideo alienare non potest: ita tenent multi, quos allegat *Sanch. cap.* 22. *n.* 48. & tenet *Tiraquell. in leg. Si unquam verbo Revertatur*, *n.* 324. & communem ait *Farin. loco cit. n.* 72. & similiter incursa pęna privationis beneficii, resignatio secundum magis communem non tenet etiam ante declaratoriam, ut *Gonzalez gloss.* 15. *n.* 146. *Farin. de hæresi*, *quæst.* 189. *n.* 79. *in fin. Paris. de resign. lib.* 3. *quæst.* 1. *n.* 21. Quamvis contra, quod imo pro eo medio tempore possit etiam licite alienare bona, licet per declaratoriam alienatio sit rescindenda, dummodo non adsit præjudicium recipientis, ut si alienetur titulo oneroso; tenet *Sanch. loco cit. n.* 50. & 52. & alii apud *Farin. n.* 72. & tenet *Suar. de fide disp.* 22. *sect.* 4. *n.* 3. quia inquit, a momento criminis ante declaratoriam reum amisisse dominium directum, seu de subtilitate juris; non autem utile, vel de æquitate. Et similiter probabile est

va-

valere resignationem medio tempore factam, donec ex vi declaratoriæ cassetur, ut *Sanch. lib. 2. cap. 26. n. 9. Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 13. quæst.* 8.

Limita prædictum primum effectum, ut procedat in actibus privatæ potestatis, non autem in actibus publicis, seu jurisdictionis. Nam etsi quis inciderit in pęnam privationis officii publici, vel dignitatis, latæ sententiæ, quamdiu delictum maneat occultum, acta per eum sunt valida, neque cassantur per declaratoriam subsequutam, quia retinuit possessionem, & titulum coloratum: probatur *leg. Barbarius, ibi DD. ff. de offic. præf. Felin. in cap. Rodulphus, n. 43. post med. de rescript. cum Innoc. Abb. & aliis*, & multos allegat, & sequitur *Garz. part. 5. cap. 4. n. 328. 329. & seq. tract. de benef.* late *Sanch. de matr. lib. 3. disp. 22. n. 56. cum alleg.* Et hoc amplia procedere etiam de jurisdictione interni fori, ut *Sanch. ibi n. 56. in fin. cum citatis*. Item procedit in potestate conferendi beneficia, vel confirmandi, quia dicitur publicum officium potestate, & utilitate, & generaliter, quod titulus coloratus cum communi errore reddat validos omnes actus, qui ex tali officio publico geruntur, licet non sint actus jurisdictionis formaliter, ut assistentia parochi in matrimonio contrahendo, electiones, præsentationes, instrumenti publici confectiones, ita *Less. lib. 2. cap. 29. n. 67.* & idem dicendum de actu admittendi ad professionem, qui non est actus jurisdictionis, sed publici officii, *Sanch. in decal. lib. 5. cap. 4. n. 76. & 78.* & Sacra Congregatio Regularium declaravit in una Abdomarien. validam fuisse professionem Monialis admissam ab Abbatissa illegitima, vel vidua, quam Episcopus deputaverat, qui tamen super tali impedimento non poterat dispensare; sed ad eum pertinebat deputare Abbatissam. Quod autem dictum est de actu electionis, procedit, quando jus eligendi competit ratione publici officii, v. g. Episcopatus, non autem ratione Canoniæ, quia tunc competit jure officii privati quoad utilitatem.

Item limita, ut titulus coloratus cum communi errore non sustineat actum collationis &c. quando talis provisus concurrit cum proviso habente legitimam potestatem, ut dixi *part. 2. ver. Resignatio cap. 2. ampl. 3.* & ita *Innoc. in cap. Cum dilectus n. 5. de consuet. Abb. in cap. Si vere n. 9. de sent. excom. Felin. loco cit. Garz. loc. cit.*

Et amplia hoc dictum, ut valeant gesta ratione publicæ potestatis, quamvis crimen, propter quod ipso jure privatur quis officiis publicis, esset delatum ad forum, ut si Episcopus, vel Prælatus jam fuisset accusatus. Nam etsi ex accusatione resultet infamia facti, si nondum est causa finita, & sequuta absolutoria, *cap. Omnipotens, de accusat. DD. in leg. Qui a latronibus ff. de testam. Seraph. dec. 393. n. 2. Molina tract. 4. disp. 7. n. 6. in fin.* saltem concurrente communi populi, seu parœciæ, seu viciniæ opinione, *Genuen. in prax. cap. 27. n. 10. cum Abb. & aliis*; Tamen quamdiu toleratur, & factum non est notorium, remanet in possessione, & titulo colorato, & acta sunt valida, *Garzias ibi n. 333. cum alleg. contra Bal. Gabr. & Mascard.* Imo etiam si lata esset sententia privationis declaratoria privatim in cubiculo a Prælato, v. g. Episcopus in cubiculo intimavit alicui Sacerdoti eum incurrisse in suspensionem, vel irregularitatem, vel privationem beneficii, tamen si hoc non pervulgetur, remanet titulus coloratus, & tenent acta. *Bal. in leg. Barbarius n. 10. in fin. ff. de offic. præt.*

Amplia III. ut procedat etiam si lata esset declaratoria criminis, vel privationis, sed reus appellavit; pendente siquidem appellatione, remanet titulus coloratus: secus si non appellavit, vel alias sententia transivit in rem judicatam, *gloss. in cap. Sæpe, verb. Rata de appellat. & ibi Abb. n.* 15. restatur de communi, & *Garzias loco cit. n.* 338.

Limita, quod titulus coloratus cum communi errore non supplet, quando adest defectus in persona, qui sit divinus, vel naturalis, quia publica potestas talem defectum supplere, in eove dispensare non potest, *Cajet. verb. Confessionis iteratio*; *Reginal. lib. 1. n. 97. Bonac. de matrim. disp. 1. q. 2. pun. 6. n. 36.* & in simili de regula de triennali dicunt *Gomez ibi q. 26. §. Sed breviter. & Sanch. opusc. lib. 2. cap. 1. dub. 31. n. 20. in medio*, ut si mulieri, vel judæo beneficium collatum sit.

☞ *De titulo colorato cum communi errore quoad absolutionem sacramentalem, nota animadversionem additam ad cap. 11. verbo* Absolutio *post* §. Limita, ut sufficiat. ☜

CAPUT VII.

An pęna latæ sententiæ commissa etiam ante declaratoriam possit, vel debeat exequi ab iis, ad quos pertinet.

ADvertendum, quod hic non loquimur de Principibus supremis, seu jus supremi habentibus, seu exercentibus: hi namque quamdiu sunt in pacifica possessione, seu quamdiu de facto principatum retinent, subditi tenentur illis, eorumque officialibus parere, & ad eorum tribunalia recurrere possunt, ut *Hippol. de Marsiliis in rubr. de Constitut. n. 67. Layman. lib. 2. tract. 3. cap. 13. n. 7. §. ad alteram, & alii apud eos citati*. Ait tamen *Bar. in trac. de represal. quæst. 2. n. 12.* quod si Princeps bello occupat aliquam statum, si injustitia belli sit notoria, tunc acta non valent per eum gesta; secus si sit occulta, dum pacifice possidet. Sed etiam dimissa possessione subsistunt, saltem si sint acta jurisdictionis contentiosæ, & non voluntariæ, quia si sint dispensationes, vel confirmationes &c. aliqui putant revocanda esse, ut *Rot. decis. 773. n. 5. & 6.* Alii tamen verius dicunt non esse revocanda, sed valida remanere. *Crescent. decis. 1. de confirm. util.* quod est verum, si gratia sit consummata, ita ut sit mandata executioni *Rota dict. decis. 773. n. 6.*

☞ *Circa obedientiam præstandam Principi a subditis notanda est propositio proscripta ab Alex. VII. 24. Septem. 1665. sub pęnis in illam docentes &c. & ad praxim deducentes, prout in Additione ad Cap. I. Verbo* Missa, *quæ est in ordine la 28.: Populus non peccat, etiam si absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam:*. ☜

Ad quæsitum Respondeo I. quoad pęnam privationis jurium, & actionum varias esse DD. sententias. Prima asserit debitores ejusmodi rei non teneri illi solvere, quia putant hanc pęnam latæ sententiæ ligare statim etiam in foro conscientiæ ante declaratoriam, & quia hæc pęna non indiget facto hominis positivo ad sui consummationem, sed est pure privativa; quo casu obligat statim secundum magis communem, ut dixi supra *cap. 5.* & ita tenet *Innoc. in cap. final. de hæret. Tiraquell. in leg. Si unquam, verbo Revertatur, n. 365. Castro lib. 2. de just. hæret. punit. cap. 7. post princ. Farinac. quæst. 189. §. 5. n. 63.* & quod talis reus in foro conscientiæ non possit exigere, etiam stante delicto occulto, ait *Felin. in d. cap. fin. in princ. verb. & pondera, & Farinac. loc. cit. n. 67.* Alii vero dicunt non teneri debitores illi solvere, quando delictum est manifestum, seu tale, ut probari possit. Ita tenent Canonistæ communiter, *in dict. cap. fin. ut Abb. Socc. Butr. Cardin. & Summistæ* communiter, quos allegat, & sequitur *Farinac. n. 66.* & hæc est magis communis sententia. Alii denique dicunt non posse debitorem denegare debitum ante declaratoriam, ita tenet *Sanchez lib. 2. cap. 24. n. 8. Azor. part. 1. lib. 8. cap. 13. qu. 2. Anchar. in cap. Cum secundum de hæret. in 6. not. 2. Bursat. lib. 1. cons. 14. n. 18. Sanclarel. de hæres. cap. 37. n. 4.* Sed secunda sententia verior videtur, ut scilicet per exceptionem debitor repellere possit creditorem, si sit certus de delicto, & probare possit: & tunc etiam pro foro conscientiæ posset retinere, probaturus, si contra eum agatur.

Respondeo II. quod Fiscus, seu alius, cui bona per pęnam privationis ipso facto applicantur, non potest ea per se ante declaratoriam occupare: est communis sententia, tenet *Sayr. lib. 3. Clau. Regia. Cap. 9. n. 30. col. 1. in fin. Innoc. in dict. cap. final. de hæret. Sanch. lib. 2. in decal. cap. 22. n. 14. & seqq. & Farinac. quæst. 190. §. 1. n. 5.* ubi plurimos congerit; quamvis aliqui velint sufficere crimen esse notorium, *ut Navar. cons. 20. n. 4. de hæret.* & alii apud *Tiraquell. in leg. si unquam, verbo Revertatur, n. 401.* Et quod in casu privationis beneficii, vel officii, aut dignitatis ipso jure incursæ, si crimen sit notorium, aut inexcusabile, fieri possit executio, omissa declaratoria, probat *Marta de Jurisd. par. 3. cap. 21. n. 12.* Ait tamen *Tiraquell. n. 403.* quod si executio fiat etiam in non notoriis sine sententia declaratoria, valet, si nihil opponatur: quod etiam tenent alii apud Martam ibi.

Respondeo III. quoad pęnam privationis jurium superioritatis, diversæ sunt sententiæ. Prima asserit, quod si quis Prælatus, vel dominus incurrat pęnam privationis officiorum, seu dignitatis, possunt, & debent illico ante declaratoriam subditi ab ejus obedientia se subtrahere, ita *Anan. Lapus, & Bart.* quos allegat, & sequitur *Tiraquell. in leg. Si unquam verb. Revertatur, C. De rev. don. n. 366. & idem n.*

354. & 355. ubi ait, quod agens repelli potest exceptione exclusiva juris agentis etiam ante declaratoriam, & multos allegat. Alii vero generaliter dicunt requiri declaratoriam, ut generaliter de omni subjecto, & obligato docent *Azor.* & *Simancas* apud *Sanchez lib. 2. cap. 24. in decal. n. 6.* & 8. & tenet *Filiuc. tract. 22. n. 233.* & 234. & alii quos allegat *Farinac. quæst. 189. n. 61. col. 2.* & de Prælatis tenet *Jo. Valerus differ. utr. for. 20. n. 4. Diana resol. 67. tract. 3. Miscell. tom. 1.* & de omni subjecto, exceptis filiis, quando ipso jure emancipantur ex delicto patris, ait *Sanch. dicto n. 8.*

Sed tertia sententia, & concilians videtur tenenda, quod manente reo in possessione sui juris, seu bonorum cum titulo colorato, non possint subjecti jura denegare, vel obedientiam, nisi vel delictum, & commissio pœnæ sint notoria, vel si sint occulta, saltem probari possint, & ipse excipiens, & denegans jura, id faciat cum intentione recurrendi, & probandi coram Judice competente; quamvis si velint possint jura reddere usque ad declaratoriam: post declaratoriam autem non poterunt subditi parere, nisi quando ob nimiam potentiam Superioris cogerentur, non in contemptum clavium Ecclesiæ: & ita tenet *Sylvest. verb. Hæresis, 1. n. 14. vers. 11. Bannes, Valentia*, & alii, quos allegat *Farinac. loco cit. n. 66.* & faciunt quæ dixi *verb. Simonia cap. 7.* ubi habes exemplum.

An autem violento possessori possint denegari obsequia debita tali dignitati, vide *Innoc. cap. In litteris n. 3. & seq. de rest. spol.*

Respondeo IV. quoad censuras ecclesiasticas, si sint nominatim denunciatæ, quilibet tenetur reum vitare: si autem non sint denunciatæ, potest, sed non tenetur evitare, nisi in casu excommunicationis incursæ ob percussionem notoriam Clerici ob extrav. *Ad evitanda*, ut dixi *par. 2. cap. 4.*

Est tamen advertendum, quod si aliquis sit denunciatus, vel notorius Clerici percussor in uno loco, vel Diœcesi, sed in aliis locis res sit occulta, sed nos ibi existentes sciamus censuræ denunciationem, seu notorietatem percussionis, tunc secundum multorum sententiam tenemur eum ubique vitare private, & publice, etiam si probare non possimus censuram: ita *Innoc. in cap. Inquisitioni, n. 2. de sentent. excomm.* & de communi testatur *Covar. in cap. Alma par. 1. §. 3. n. 2.* & alii apud *Sayr. lib. 2. de censur. disp. 2. quæst. 2. punct. 6. §. 2. n. 48.* Secundum alios autem DD. non tenemur illum vitare publice, sed occulte in loco, ubi censura manet occulta: & ita tenet *Palud. Armilla*, & alii apud *Avilam p. 2. cap. 6. disp. 11. dub. 12.* & tenet *Eman. Sà verb. Excom. n. 34. Sanch. in decal. lib. 2. cap. 11. n. 20. Filiuc. tract. 13. n. 49. Layman lib. 1. tract. de excommun. cap. 4. n. 3.* & communem recentiorum ait *Avila loco cit.* Alii autem, quod si probare possimus, tenemur eum publice vitare ubique: alias solum occulte, ubi res est occulta, ita *Covar.* & alii, quos sequitur *Sayr. ibi*. Sunt omnes probabiles sententiæ.

CAPUT VIII.

An pœna lata sententiæ requirat actum consummatum: & an multiplicetur actuum, seu transgressionum multiplicatione.

Respondeo ad primam quæstionem requirere actum consummatum: & ampliatur hæc conclusio, quia etiamsi in atrocioribus sufficiat conatus delicto proximus ad pœnam sententiæ ferendæ, *leg. Si quis non dicam, ibi glos. & DD. C. de Episc. & Cler.* tamen ad incurrendam pœnam latæ sententiæ non sufficit, sed requiritur actus consummatus, *cap. Cum in cunctis, §. Clerici sane, de elect. cap. Perpetuæ, eod. tit. in 6. Marta de jurisd. par. 2. cap. 27. n. 4. cum aliis DD.* & communissimam esse opinionem ostendit *Tiraq. in leg. Si unquam, verb. Revertatur, n. 354. & Hippolyt. de Marsiliis in c. At si Clerici n. 56. de Judic.* Limitatur, nisi aliter sit in jure expressum, ut dixi *infra cap. 26. prope finem; & late tractat Cevallos contra commun. quæst. 540. a n. 15.* verbi gratia in crimine læsæ Majestatis omnis conatus punitur eadem pęna, ac si effectus esset consummatus, ut *Farinac. quæst. 116. num. 148.* ubi testatur de communi per *leg. 1. ff. ad Jul. majest. & leg. 3. C. eodem*. Alia exempla habes, *verb. Procuratio, infra part. 2.*

Respondeo ad secundam quæstionem, distinguendos esse quinque casus.

Primus casus est, quando sunt plura facta illicita a lege punita ejusdem contra eandem personam, ex intervallo: tunc certum est consurgere plura delicta, sive sint ejusdem, sive diversæ speciei, sive ad unum finem, sive ad plures ordinata, & sicut crimen multiplicatur, ita & pęna *leg. Nunquam plura ibi glos. ver. Occiderit, & Bar. n. 4. & 11. ff. de priv. deleg.* & de communi sententia *testatur Clar. §. final. quæst. 84. vers. Scias etiam, & vers. Alius est casus, Farin. quæst. 22. n. 1. & seq.* Unde si quis primo rasit litteras Apostolicas, & alio tempore in illis aliquid adscripsit, duplicem incurrit excommunicationem ex Bulla in Cęna Domini, quia duplex delictum falsificationis commisit, ut ait *Bal. in cap. Olim, n. 6. de Rescr.*

Secundus casus est, quando sunt plura facta, & delicta plura, sive ejusdem, sive diversæ speciei, sed incontinenti, & eodem impetu, ac intentione, seu fine facta, ordinata ad unum finalem effectum: tunc est differentia inter pęnas sententiæ latæ, vel ferendæ. Etenim quoad pęnas ferendæ sententiæ non fit cumulatio pęnarum, sed pęna solius principalis, scilicet gravioris delicti locum habet, *Farin. q. 22. n. 19.* quia delicta præambula in principali confunduntur. Ut si quis pluribus vulneribus aliquem occidat, unica erit actio, seu pęna de occiso, & non de vulneribus, *leg. Illud §. final. ff. ad leg. Aquil.* Sic delatio armorum, insultus, & vulnus ordinata ad homicidium incontinenti perpetratum, in ipso homicidii delicto confunduntur, *Bar. in dict. leg. Numquam, num. 5. & 6. Bal. in leg. Quicumque n. 5. Cod. De serv. fugit.* & communem ait *Clar. dict. quæst. 84. vers. Alius est casus*. Quod est intelligendum, si pro delicto principaliter intento gravior esset pęna statuta, alias secus, ut *Bar. ibi n. 6. Farin. ibi*: & intelligendum est extingui pęnam delicti præparatorii; ita tamen, ut augeatur pęna præparati, *Alter. tom. 1. lib. 5. dis. 10. cap. 4. dub. 4.*

Quoad pœnas autem latæ sententiæ distinguendum, quod si pro singulis illis factis præparatoriis, & præparato lata sit ab eodem legislatore, seu superiore eadem pœna, ut in Bulla Cœnæ Domini excommunicatio contra eum, qui venientem ad limina, seu ad Curiam Rom. percutit, spoliat, vulnerat, detinet, vel occidit, omnia hæc eodem impetu faciens, ut occidat, unam tantum pœnam, excommunicationem scilicet unam incurret, *Alter. ibi, Ugol. super cap. 9. Bullæ in Cœna Domini vers. Detinet, n. 4. Filiuc. tract. 16. n. 235. Covarr. lib. 2. variar. c. 10. n. 8. ver. 2. Illud.* Si autem pro diversis illis factis statutæ essent pœnæ diversæ rationis ab eodem Superiore, v. g. pro coadunatione armatorum pœna excommunicationis, confiscationis bonorum &c. pro homicidio autem pœna mortis, aut banni; facta coadunatione ad effectum homicidii incontinenti perpetrati, non videtur, quod habeant locum pœnæ latæ contra facientem coadunationem, sed contra homicidam, saltem si hæc pœna, scilicet homicidii, esset gravior, juxta ea, quæ dixi *par. 2. verb. Arma cap. 10.*

Limita, quando illæ actiones criminosæ essent factæ partim in uno territorio, partim in alio, tunc enim pœnæ latæ sententiæ incurruntur ratione delicti consummati, seu principalis, ad quod alia incontinenti ordinata sunt, si utrumque territorium delinquens præsentia sua attigit, ut dixi infra *cap. 26. §. Tertius casus est principalis*.

Tertius casus est, quando sunt plura facta ejusdem rationis ab eodem contra eumdem incontinenti, eodem impetu, ac intentione, non tamen ordinata ad unum finalem effectum; sed singula ad suum proprium tendentia objectum, ut finem, & in hoc quidem casu magna est DD. controversia.

Prima sententia asserit, censeri plura delicta, & consequenter pœnas multiplicari, si iterabiles sint: hæc sententia est *Dyni*, quem sequitur *Bart. in dict. leg. Nunquam plura, n. 4. & 11. ff. de priv. delict. Bal. in leg. Quicunque n. 7. Cod. De serv. fugit.* & communem ait *Clarus quæst. 84. vers. Scias etiam*, qui omnes ponunt exemplum in pluribus percussionibus, seu alapis, seu vulneribus eodem impetu alicui inflictis. Hinc etiam multi DD. dicunt, quod si adulter repetat copulam incontinenti cum eadem muliere extra figuram matrimonii adulterini, tot dicentur adulteria, & totidem pœnis iterabilibus puniendus erit reus, quot fuerint copulæ carnales; secus si copulæ fuerunt iteratæ sub prætextu, seu titulo matrimonii, scilicet adulterini: quia tunc cum sint omnes ordinatæ ad unum effectum, seu finem matrimonii, unum erit crimen, & una pœna, etiamsi ea iterabilis esset, ita *Bar. in leg. Vulgaris n. 1. ff. de furt. Salic. in leg. Adulter. n. 5. in fin. Cod. De adult. Anchar. cons. 4. n. 4. Alter. lib. 3. dis. 10. cap. 8. §. 2. Considerari tom. 1. Suar. de censur. dist. 5. sect. 3. n. 7.* Item sequitur ex eadem sententia, quod proferens plura verba contumeliosa, seu convicia diversarum significationum, et-

etiam eodem impetu in eumdem, dicitur reus plurium injuriarum; secus si idem convicium repeteret eodem impetu in eumdem, ita tenet *Bar. in dict. leg. Nunquam n. 11. & in leg. Item apud §. Ait prætor, ff. de injur. Angel. de malef. partic. verba Injuriosa n. 6.*

Secunda vero sententia asserit ex coacervatione, seu aggregato dictarum plurium actionum ejusdem rationis in continenti, eodemque impetu, unam censeri actionem moraliter, ideoque tanquam pro uno delicto reum puniendum esse; ita *gl. in dict. leg. Nunquam, ver. Occiderit. Jac. de Arena in dict. leg. Item apud, n. 1. & 3. ff. de injur.* & hanc sententiam communem dicunt *Florian. in l. 4. ff. ad leg. Aquil. Covar. lib. 2. var. cap. 10. num. 8. vers. Quartum, Alter. dict. lib. 3. dis. 10. cap. 8.* qui omnes exemplificant in pluribus percussionibus, seu alapis, vel vulneribus. Et similiter de copula adulterina, repetita etiam extra figuram matrimonii in continenti, eademque intentione, quod unum censeatur delictum, & unica pœna (etiamsi iterabilis sit) reus puniri debeat, ait *Bald. in dict. leg. Quicunque, n. 5. Cod. De serv. fug. Jas. in leg. Eum qui §. In popularibus n. 15. ff. de jurejur. Bar. sibi contrarius in cons. 222. in c. Antonius.* Imo & continuationem adulterii, seu concubinatum adulterinum unica pœna quantumvis iterabili puniendum, esse communem sententiam testatur *Covarr. dict. n. 8. in fin. & Clarus §. Adulterium vers. Sed pone.* Item quod proferens diversa convicia in aliquem eodem impetu, unius injuriæ sit reus, probari videtur *in dict. leg. Item apud §. Ait prætor,* & ita ibi notat *Jac. de Arena ff. de injur. Alber. de Rosate tract. De statut. par. 2. quæst. 39. Covar. dict. n. 8. vers. Quartum,* & hanc sententiam verissimam ait *August. in addit. ad Angel. de malef. super partic. verba Injuriosa, n. 6.* Et quod continuans lusum aleæ, scilicet repetendo in continenti, unam pœnam incurrat, scilicet ubi statuta sit contra aleis ludentes, tenet *Bal. & Angel. in leg. Inficiando §. Infans ff. de fur.* Et quod effractor ecclesiæ capiens inde diversa vasa successive, & continuate iteratis extractionibus, unam incurrat excommunicationem, ait *Suar. dict. dis. 5. sect. 3. n. 4. de cens. & Alter. lib. 3. dis. 10. cap. 3. §. 2. Considerari.*

Hæc secunda opinio quoad pœnas latæ sententiæ verior est, & communis; nam quod uno impetu pluribus percussionibus, aut vulneribus clericum afficiens, unam incurrat excommunicationem docent *Jo. And. in cap. Delictum n. ult. de reg. jur. in 6. Abb. in cap. Contingit 36. n. 8. de sent. exc. Cardin. in Clem. 1. §. Si qui, opp. 1. de privil. Sayr. lib. 1. cap. 10. n. 9.* & communem dicunt, & tenent *Covarr. dict. n. 8. vers. Quartum, Ugolin. de censur. tab. 1. cap. 16. §. 3. n. 4. Alter. lib. 3. dis. 10. cap. 8. in princ.* & probatur *cap. Cum pro causa 27. de sen. excom.*

Adverte tamen, quod attinet ad forum conscientiæ, in confessione sacramentali omnino explicandum esse numerum, quo carnales copulæ fuerint iteratæ, hoc est certum, ut ait *Felin. in cap. Sicut n. 3. de testib.* & docet *gl. in cap. Imitare 6. quæst. 1.* De multiplicatis autem conviciis diversæ significationis in eamdem personam eodem impetu, ac de pluribus blasphemiis ejusdem rationis uno impetu prolatis, explicandum esse numerum alii affirmant, alii negant; utraque sententia practice probabilis est, ut patet ex allegatis *a Diana resol. 28. tract. 7. par. 1.*

☞ *Sententia negantium non est tenenda; cum qualibet blasphemia sit actus completus: neque una dependeat ab alia.* ☜

De vulneribus denique multiplicibus eidem inflictis, verior, & magis communis sententia, & in praxi communiter recepta est, ut numerus vulnerum explicari debeat: imo & qualitas vulneris, si valde aggravet; quia hæ circumstantiæ ad ipsam substantiam peccati pertinent, & quia afferunt novum nocumentum, & aliter non potest Confessarius bene judicare, neque consulere, ita *Henriq. de pœnit. lib. 2. cap. 7. n. 6. Bonac. de pœnit. tract. de Confess. diffic. 3. n. 17. Laym. lib. 1. tract. 2. cap. 10. n. 3.* Imo etiam in foro externo in casibus præfatis separatim agi potest ratione nocumenti, *Bar. in dict. leg. Nunquam plura n. 3. ff. de priv. delic. Anchar. in Clem. 1. §. Quibus, n. 14. de privil.*

Quartus casus est, quando factum est unum, sed virtualiter, & æquipollenter est multiplex in ratione delicti: & tunc quia ex uno facto resultant plura delicta, sive ejusdem, sive diversæ speciei; consequenter pœnæ multiplices incurruntur. Hoc autem duobus modis contingere potest. Primus est, quando eadem actio terminatur ad plura objecta ejusdem speciei, v. g. quando uno facto plures personæ læduntur. Unde qui plures homines ad limina Apostolorum, seu ad Curiam Romanam venientes in personam offenderet unica sclopi explosione, plures excommunicationes incurreret, ut *Ugolin. super cap. 9. Bullæ vers. Detinent n. 4. Alter. to. 1. lib. 5. dis. 10. c. 4. dub. 4. vers. Item plures.* Similiter qui uno ictu plures Clericos percuteret, plures excommunicationes simul incurreret, est communis sententia, quam docent *Jo. Andr. in cap. Delictum, de reg. jur. in 6. Navarrus cap. 6. n. 18. Zerola de pœnit. cap. 12. n. 48. Henriq. lib. 5. cap. 10. n. 9. Ugolin. de cens. tab. 1. cap. 16. §. 3. n. 8. Sayr. de censur. lib. 1. cap. 10. n. 9. Vasch. de pœnit. quæst. 91. n. 1. dub. 4. Alter. tom. 1. lib. 3. dis. 10. cap. 8.* & hanc sententiam in praxi sequendam esse, quamvis contraria speculative defendi possit, ait *Suar. de censur. dis. 5. sect. 3. n. 12.* Sic etiam qui in plures personas simul unum convicium jactavit, pluribus actionibus tenetur tanquam de pluribus injuriis, *leg. 1. §. final. ff. de injur. Bonif. de Vitalin. tract. De malef. tit. De injur. n. 4.* De delinquente inter duo territoria dixi infra *c. 26.*

Secundus modus est, quando una actio terminatur ad unum objectum, seu terminum, sed in eo concurrunt diversæ circumstantiæ omnes lege pœnali damnatæ; nam factum est unum, & plura delicta, & plures pœnæ locum habent; v. g. si quis committat adulterium cum incestu, *cap. Litteris, ibi Abb. n. 2. Felin. n. 1. de præsumpt. leg. Si adulterium cum incestu, ibi Bar. n. 3. ff. ad leg. Jul. de adult.* Item sepeliens aliquem usurarium manifestum, eumdemque publice excommunicatum, ac nominatim interdictum, ac tempore interdicti, incurrit quatuor excommunicationes latas *ex Clem. 1. de sepult.* ut docent *Cardin. ibi n. 29. Ugol. de censur. tab. 1. cap. 16. §. 3. n. 4. Sayr. lib. 1. de censur. cap. 10. n. 10. Suar. de censur. dis. 5. sect. 3. n. 14.*

Quando vero in eodem objecto concurrunt diversæ circumstantiæ se habentes, ut genus, & species; tunc quoad pœnas ferendæ sententiæ genus confunditur in sua specie, & una tantum pœna, scilicet pro delicto specifico, locum habet, *leg. Senatus, ibi Bar. ff. de accus. Abb. & Felin. in dict. cap. Litteris de præsump.* Quare pœna homicidii in parricidio extinguitur, & sola parricidii pœna reus ponitur, ut *Bar. ibi.* Quoad pœnas autem latæ sententiæ distinguendum est; quia si sunt pœnæ ejusdem speciei, tunc non iterantur, sed confunduntur; ita ut una, & eadem censeatur imposita, unde excommunicatio lata *in Can. Si quis suadente diabolo 17. quæst. 4.* contra percutientes Clericum non censetur iterata *in Clem. 1. de pœnis,* contra percutientes Episcopum, sed una tantum incurritur, ut probatur *ex dict. Clem. 1. & ibi not. glos. verb. De prædictis, & Imola n. 13.* Si vero sint pœnæ diversæ speciei, non possunt confundi, sed ambæ concurrunt, ut excommunicatio lata *in extr. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alienan.* contra alienantes bona Ecclesiastica concurrit cum suspensione lata contra alienantes bona ecclesiastica Ecclesiæ regularis, ut dixi *par. 2. verb. Alienatio cap. 5.*

Quintus casus est, quando plures concurrunt ad idem delictum; & tunc si singuli concurrant, ut causæ partiales ad unum effectum, ut cum duo simul Clericum occidunt, tunc singuli in solidum tanquam principales puniuntur, tanquam de uno delicto; atque ita in exemplo proposito unam excommunicationem singuli incurrunt; & quamvis alteri in eo delicto auxilium præstaret, & sic simpliciter concurreret ad delictum, nempe ut causa principalis, & ut secundaria; tamen quia omnia tendunt ad unum effectum, idest ad idem homicidium, ideo unum dicitur delictum, & pœna una locum habet. Idem contingit in duobus furantibus trabem, aut rem aliam de loco sacro &c.

Si vero singuli concurrunt, ut causæ totales ad diversos effectus, v. g. unus vulnerat Clericum in capite, & alius eumdem in brachio; vel duo furantur res de Ecclesia, & unus unam rem aufert, & alius aliam; tunc quilibet ipsorum uno facto duo delicta commisit, & punietur, seu pœnas incurret, non solum ut principalis pro suo facto, sed etiam ut auxiliator in facto alterius; quia assistentia unius reddit alium animosiorem, & offensum timidiorem. Tota hæc doctrina est *Bar. in leg. Qui servo, §. Si duo, ff. de furt.* quam in praxi receptam, & communem dicunt *August. in addit. ad Angel. de malef. super vers. Dicto maleficio semper adstitit, & Farin. quæst. 131. n. 4.* Unde sequitur in istis duobus exemplis singulos istorum, scilicet simul vulnerantium Clericum, aut rapientium bona de Ecclesia duas incurrere excommunicationes.

At vero si unus cooperetur duobus simul committentibus unum delictum, v. g. illos associando, vel consilium, aut mandatum illis dando, unam tantum pœnam tanquam ex

uno

uno facto, & ex uno delicto committet, quia illi duo moraliter pro uno reputantur, ita *Bar. in leg. Si in rixa, n. 5. & 6. ff. ad leg. Cor. de sicar.*

Ex prædictis infertur ad praxim, quod quando quis ex uno facto, aut ex pluribus incidit in censuras plures ejusdem speciei, ad obtinendam absolutionem debet fieri mentio omnium illarum, seu omnium circumstantiarum, seu causarum, propter quas iteratæ sunt, aliter enim absolutus quoad unam causam, non remaneret absolutus a censura propter aliam incursam. Si autem fiat expressio omnium causarum, tunc una absolutione tolluntur omnes censuræ ejusdem speciei propter illas causas incursæ, dummodo absolutio pertineat ad eumdem superiorem absolventem; hæc docet *gl. in Clem. 1. verb. Subjacere, & ibi Vitalin. n. 69. de sepult. Alterius tom. 1. lib. 3. dis.* 10. *cap.* 8. §. *Ex his primo, tex. in cap. Cum pro causa, ibi DD. de sent. excomm.* Si vero ad diversos Judices pertineant, a singulis singulę absolventur, *cap. Officii de sen. excom. Alter. loco cit. §. Eodem modo.*

CAPUT IX.

An pœna lata sententiæ extendatur ex identitate rationis de casu ad casum.

RESpondeo, quod etsi pęna ferendæ sententiæ nonnunquam extendi possit, pęna tamen latæ sententiæ non extenditur, *Jo. Andr. in cap. Odia de reg. jur. in 6. Abb. in cap. ult. de jurepat. Dec. in cap. Translato, 1. lect. col. ult. de constit. Tiraquell. in leg. Si unquam, verbo revertatur, n.* 303. *Cod. de Revocan. donas.* qui *n.* 304. ampliat procedere etiam in exæquatis: *n.* 305. ampliat, ut nova constitutio juris antiqui declaratoria, addens novam pęnam latæ sententiæ non extendatur respectu pęnæ ad præterita; quidquid sit in pęna sententiæ ferendæ.

Et amplia, ut procedat etiam in pęnis testamentariis, in quibus in aliquo casu contraventionis vocatus privatur eo ipso hæreditate, vel legato: non enim fiet extensio ad alium casum, etiam ex identitate rationis, *Rota decis. 47. n. ult. par. 1. noviss. cum Felin. in cap. Causam quæ n. 27. de resc.*

CAPUT X.

An pęna latæ sententiæ contra committentem aliquod delictum extendatur contra cooperantes eidem.

RESpondeo, in hoc esse differentiam inter pęnas sententiæ latæ: quia pęnæ sententiæ ferendæ in jure statutæ contra facientem, seu committentem crimen, procedunt eodem modo contra cooperantes, seu causas minus principales, ut mediatores, auxilium dantes, consentientes, mandantes, aut aliter ope, vel auxilio juvantes: quotiescunque fuerunt causa proxima delicti, ut dicunt Juristæ, idest quando efficaciter in talem effectum influxerunt; tunc enim omnes dicunt puniri pęna ordinaria: si autem ipsorum concursus non influxit, seu non causavit effectum, sed remote tantum cooperati sunt, scilicet quando etiam sine illorum cooperatione eodem modo esset sequutus effectus, tunc dicunt, puniendos esse pęna minori, idest extraordinaria, ita *Salyc. in leg. 1. n. 24. Cod. De rapt. virg. Clarus quæst. 90. §. final.* ubi ait communem, & late *Farin. quæst.* 130. *n.* 4. ubi ait communem; *& n.* 42. ubi hæc declarat, & probatur hæc doctrina *leg. Nihil interest, ff. ad leg. Cornel. de sic. & cap. 1. & ibi DD. de offic. deleg.*

Sed quod attinet ad pęnas latæ sententiæ, seu ipso jure committendas, communis sententia tenet cooperantes, etiamsi proxime, seu efficaciter concurrant, & influant, non incurrere in pęnas latas contra facientem aliquid, nisi verbis legis tacite, vel expresse comprehendantur, *Cajet. ver. excom. cap. 47. not. 3. Sylv. excomm. 10. dub. 4. Tab. excom. 5. casu 49. Sanch. de matrim. dis. 48. n. 3. lib. 7. Bonif. de Vitalin. in Clem. 1. n. 34. de consang.* & communem ait *Navar. cap. 27. n. 51. Avila par. 2. de cens. cap. 5. dis. 3. dub.* 2. qui omnes loquuntur de pęna excommunicationis latæ sententiæ, in qua jura alias solent latiorem facere interpretationem pro majori conscientiæ securitate, ut *Card. in cap. Sacris de his, quæ vi*; sed & generaliter de omnibus aliis pęnis latæ sententiæ tenent *Navarr. cons. 98. n. 2. de simon. Ugolin. de simon. tab. 4. cap. 8. n. 4. Sanch. opusc. lib. 2. c. 3. n.* 104. Et quod dixi de pęna lata contra facientem, procedit etiam de pęna lata contra committentem aliquod crimen, ut *Suar. de censur, disput. 4. sect. 3. n. 5. Navar. cons. 98. n. 2. de simon.*

Amplia, quod etiamsi mediator, seu proxeneta quoad pęnas ferendæ sententiæ dicatur ipse facere, seu committere ad quod mediator existit, ut *cap. 1. de test.* ibi *Gemin. Franc. Anchar. n.* 1. tamen secus quoad pęnas latæ sententiæ, ut *Sanchez, & Navar. loco cit.* Ratio autem præfatæ differentiæ est, quia in pęnis latæ sententiæ fit strictissima interpretatio, ut non fiat extensio etiam ex identitate rationis, ut dixi supra *cap. 8. & 9.*

Limita 1. dictam conclusionem primo, ut non procedat, ut dixi, quando ex verbis legis penalis aliud colligitur: ut si quis causa fuerit, vel si quis directe, vel indirecte, mediate, vel immediate tale quid fecerit; vel si quis de tali delicto culpabilis extiterit, vel si quis auxilium, consilium, vel favorem præstiterit, ita *Avila loc. cit.* Idem si dictum sit, tale delictum procurantes, ut *in Extr. 2. de simon.* dixi *verb. Simonia, cap.* 2.

Limita 2. ut non procedat in excommunicatione ob percussionem Clerici, vel Monachi, quia jura expresse extenderunt, *Can. Si quis suadente*, ut patet *ex cap. Quanta 47. de sent. excom.* & aliis juribus, de quibus dixi infra *par. 2. verbo Injuria, cap.* 2. & ita *Avila loc. cit. post conclus. 2. vers. Ad secundum.* Est tamen verum, quod in actu absolutionis minor est pęnitentia injungenda causis secundariis proportionaliter juxta eorum concursum, ut *cap. Sicut dignum de homicid.* ubi agitur de complicibus necis, seu martyrio Sancti Thomæ Cantuariensis.

Limita 3. ut non procedat in pęna infamiæ juris resultante ex sententia condemnatoria, vel ex transactione in causa famosa, quia hæc est in consequentiam pęnæ ferendæ sententiæ; ideo procedit etiam contra causas minus principales, si fuerint condemnati, vel si pacti fuerint, ut dixi intra *cap. 27. §. Tertio modo.* Et in hoc sensu bene dixit *glos. & Baldi in leg. Imperator, ff. de postul.* quod infamia non est proprie pęna, sed est aliquid consecutivum ad pęnam.

Limita 4. ut non procedat in irregularitate ex homicidio, vel abortu: quia omnis quomodocunque cooperans, seu influens in illud, est irregularis, scilicet si sine illius auxilio principalis illud non fecisset, vel non tam facile, vel non tam cito, Canonistæ communiter *in dict. cap. Sicut dignum, §. Qui vero.* Unde *Covar. in Clem. Si furiosus, par. 2. §. 2. n. 2. vers. Quatenus*, ait: & si ad pęnam sententiæ ferendæ probabilis sit sententia, quod non puniatur pęna ordinaria, qui non concurrit ad actum proximum homicidii, tamen quoad irregularitatem sufficit, ut influxerit modo prædicto, scilicet in totum, vel ex parte. Et de communi omnium Canonistarum testatur *Farinac. qu.* 131. *n.* 10. & ita *Suar. de cens. disp. 4. sect. 3. n.* 8. ubi affert rationem diversitatis, quia, inquit, irregularitas ex homicidio non imponitur principaliter per modum pęnæ, sed per modum inhabilitatis, ob significationem, & indecentiam: ideo militat non solum in homicida, sed etiam in dante causam homicidio.

Sed adverte, quod etiam in casibus, quibus lex, seu canon pœnam latæ sententiæ extendit ad cooperantes, debet intelligi de vero cooperante, non autem ficte, idest de ratum habente. Unde ratihabitio homicidii non inducit irregularitatem, *Farinac. quæst.* 135. *n.* 67. *cum multis alleg. Suar. de cens. dis. 44. sect. 3. n.* 24. Neque inducit pœnam infamiæ juris in illis delictis, quibus cooperantes illam incurrunt, ut *Farinac. ibi n.* 77. nisi lex expresse extendat pęnam ad ratum habentem, ut *cap. Cum quis 23. de sent. excomm. in 6.* ubi est casus in percussione Clerici, vel Monachi.

CAPUT XI.

An pœna latæ sententiæ commissa ante declaratoriam transeat in hæredes passive, vel active.

RESpondeo 1. quod quamvis alias crimen extinguatur morte delinquentis, ita ut integro statu decedere censeatur, qui nondum condemnatus decessit, *leg. Is qui in reatu, ff. ad leg. Jul. majest. leg. 1. Cod. Ne ex delict. defunct. leg. 1. ff. de privat. delict. Simanc. de cathol. instit. c. 18. a n.* 2. tamen pœna bonorum ipso jure incursa transit contra hæredes defuncti, *Cyn. in leg. 2. Cod. Qui test. fac. poss. Bald. in rub. Cod. Si pend. appell. mors inter.* & communem dicit *Tiraquell. in leg. Si unquam, verbo Revertatur, n. 296. & 298. per dict. leg. Is, qui in reatu, & leg. Cajus, ff. ad Syllan. & leg. Commissa, ff. de pub. & vectigal.* ubi ratio assignatur, quia quod commissum est, statim desinit ejus esse, qui crimen commisit.

Limi-

Limita, ut non procedat in pœna, quæ non incurritur, nisi post declaratoriam partis, cujus interest, ut in caducitate emphyteusis ob non solutum canonem, de qua re *Clarus* §. *Emphyteusis*, *quæst.* 9. nam si non fuit declarata a domino directo non ignorante caducitatem in vita emphyteutæ, non poterit contra illius hæredes declarari; secus in caducitate ipso jure incursa, ut in casu alienatæ rei, & traditæ, domino irrequisito, vel incursa caducitate ipso facto vi pacti appositi: tunc enim pena caducitatis transit contra hæredes, *Rota Buratt. decis.* 617. *n.* 9. ubi plures allegat. Et idem dicendum de caducitate feudi: nam si incurratur ob felloniam, non poterit declarari contra hæredes defuncti, quia privatio non inducitur ipso facto, nisi post declarationem domini directi; secus ubi ipso jure inducitur, ut in casu alienati feudi, & traditi, vel ex pacto, *Clarus* §. *Feudum*, *quæst.* 65. ubi testatur de communi, *junct. quæst.* 62.

Respondeo II. quod pena indigens declaratione creditoris, non potest declarari ab hæredibus creditoris, qui sciens penam commissam non declaravit vivens; quia tunc præsumitur condonata, nisi ex conjecturis contrarium appareret de animo illius. Pœna autem ipso jure commissa non indigens declaratione creditoris, potest exigi per hæredes defuncti creditoris; ita de communi testatur *Clarus* §. *Feudum*, *quæst.* 64. cum allegatis, *& Gabriel. comm. concl. lib.* 3. *tit. De jure emphyt. cum Ruin. & aliis*; quidquid in contrarium velit *Tiraquell. loc. cit. n.* 300. 301. dicens protestandi jus ad hunc effectum ad hæredes transire. Et pro dicta communi sententia facit, quod hæres pensionarii non potest declarare, beneficiatum debitorem incurrisse excommunicationem ob non solutam pensionem, si pensionarius ipse vivens non declaravit, ut *Castropalao tom.* 2. *de relig. tract.* 13. *de benef. disp.* 1. *pun.* 7. *n.* 2. *cum Suar. contra Navarr.*

CAPUT XII.

An pœna latæ sententiæ legis antiquæ cesset per pœnam legis novæ, aut ambæ concurrant.

Regula prima est, quod pena legis novæ diversa tollit, & cessare facit penam legis antiquæ pro eodem delicto, si nondum erat commissum, *Ant. Gomez. lib.* 3. *variar. cap.* 1. *n.* 38. *Boss. tit. De offic. corrup. n.* 10. *Clarus lib.* 5. §. *fin. quæst.* 85. *vers. Debet etiam Judex*; ubi ait esse magis communem, & plurimos allegat, & ait, quod ita totus mundus observat. Et procedit etiam si utraque sit pœna latæ sententiæ, quia eadem ratio, ne quis duplici pœna puniatur, & quod pœnæ sunt potius restringendæ, quam exasperandæ, & augendæ; ita *Henriq. lib.* 13. *cap.* 38. *n.* 2. *Sayr. de cens. lib.* 3. *cap.* 15. *n.* 10. *Suar. de cens. disp.* 12. *sect.* 4. *n.* 13.

Quamvis alii Doctores contrarium probabiliter teneant, nempe quod licet pœna nova ferendæ sententiæ cessare faciat antiquam; secus tamen in pœnis latæ sententiæ: ita tenent *Anan. in cap. final. de collus. det. in fin. Navar. cons.* 1. *de pœnis*, *& cons.* 10. *de const. Sanch. de matrim. lib.* 3. *disp.* 48. *n.* 8. *Marius Alter. tom.* 2. *disput.* 11. *cap.* 5. *col.* 6. *&* 7. Alii dicunt, quod potest concurrere pœna latæ sententiæ a jure cum pena sententiæ ferendæ ab homine, *Bart. in leg. Nemo martyres*, *Cod. de Sacr. Eccl.* Et alii amplius universaliter dicunt, penam legis novæ non tollere penam legis antiquæ, quos allegat *Clarus loco cit. & Suarez comm. opin. ver. Pœna*, *n.* 152. & eam tenet, communemque testatur *Miran. Man. Prælat. par.* 2. *quæst.* 25. *art.* 26. *conclus.* 13.

Limita autem secundum omnes, quod regula supradicta procedit de penis ejusdem fori, non autem diversi: nam ubi pro uno crimine jus canonicum unam pœnam imponit, & jus civile aliam, delictum est mixtum, & utriusque fori, & ambæ pœnæ concurrunt, ut tamen sit locus præventioni, *Canonistæ in cap. Cum sit generale de for. compet. Carrer. in praxi*, *tit. De hæret.* §. *Nunc de receptatoribus n.* 16. Item pœna injuncta pro foro pœnitentiali, seu animæ, non tollit pœnam impositam pro foro externo, cum habeant diversos fines, & a diversa potestate proveniant, ut *Abb. in cap. De his*, *n.* 3. *de accusat. Menoch. de arbitr. casu* 539. *n.* 32. & dicam *cap. seq.* Item limita, ut non procedat, quando altera pœna esset in casu speciali, ut dixi *par.* 2. *verb. Alienatio*, *cap.* 5.

Regula secunda est, quod quando a diversis legibus fertur pro eodem delicto eadem pœna latæ sententiæ ex natura sua iterabilis, v. g. excommunicatio, si feratur utrobique ab habentibus eandem potestatem, ut a diversis Summis Pontificibus, non multiplicatur, etiamsi aliquando in secunda lege eadem pena aggravetur, ut reservatione absolutionis. Si autem a diversa potestate, ut a jure pontificio, & statutu Episcopi, tunc multiplicata censetur, *Barbosa in cap. Cum pro causa*, *de sent. excom. cum Navarr. Sayr. Ugolin. & Suar. dist.* 21. *sect.* 1.

CAPUT XIII.

An pœna latæ sententiæ commissæ, purgatione moræ, pœnitentia, spontanea confessione, vel deprecatione tollantur, vel minuantur.

Respondeo primo, in pœnis latæ sententiæ non admitti moræ purgationem, *leg. Si is, cui*, *ibi Bar. ff. de leg.* 2. late *Tiraquell. in leg. Si unquam*, *verbo*, *Revertatur*, *num.* 310. Et facit, quia pœna latæ sententiæ habet vim rei judicatæ, *gloss. & Bar. in leg. Furti*, §. 1. *ff. de his*, *qui not. infam. Franc. Aret. in leg. Qui a latronibus*, §. *Si quis in capitali*, *ff. de Testam. Riccius resol.* 243.

Limita, ut procedat solum, quando pœna ipso jure imposita est absolute, & incursa; secus si indigeat declaratione creditoris, ad cujus favorem est imposita, ut commissa censeatur: tunc enim ante factam declarationem admittitur purgatio moræ, *Gemin. in cap. Licet canon. vers. Is etiam*, *de elect. in* 6. *Tiraquell. num.* 311. & exemplum habes in emphyteuta Ecclesiæ; qui per non solutionem canonis tempore debito non incidit in commissum, nisi post declarationem domini directi; & antea admittitur purgatio moræ, *cap. Potuit*, *de locato. Rota Seraph. decis.* 793. *num.* 16. *Mant. de tac. & ambig. lib.* 22. *tit.* 27. *num.* 35. & idem est in pœna caducitatis ob felloniam vassalli, ut dixi *cap. præced. Clarus* §. *Feudum*, *quæst.* 62. *Imol. in cap. ult. col.* 7. *de donat.*

Et idem in pœna caducitatis propter alienationem rei fideicommisso subjectæ; quia non incurritur ante declarationem factam per substitutum: & ideo ante illam admittitur pœnitentia per alienationem, revocationem, seu contractus cassationem: saltem si fideicommissarius non sit effectus deterioris conditionis; quia in hoc casu non censetur læsa mens testatoris: hæc habet *Rota decis.* 51. *num.* 4. *par.* 1. *noviss.* ubi aliæ cumulantur decisiones.

Respondeo II. quod pœnitentia imposita, & peracta, sive in foro pœnitentiali, idest sacramentali, sive in foro conscientiæ, seu quasi pœnitentiali, etiamsi sit publica, non tollit, nec minuit penas latæ sententiæ, seu ipso jure commissas, ut *Menoch. de arbitr. casu* 539. *n.* 43. *&* 44. An autem pœnitentia tollat penam sententiæ ferendæ, quidam dicunt, quod si sit penitentia publica, eam tollit. Alii verius negant, ut *Abb. in cap. De his num.* 3. *de accus. Menoch. n.* 31. *&* 32. Sed si a Judice ecclesiastico imposita fuisset talis penitentia, qui illum pro foro contentioso punire poterat, tunc remissa censeretur in tutum pena sententiæ ferendæ; quia tunc penitentia, seu pena spiritualis censeretur subrogata in locum temporalis, *Menoch. ibi num.* 41. *cum Hostien. in cap. Tuæ*, *de procur. Butr. Imol. & Anan. in cap. De his*, *de accus. Marsil. sing.* 639. *verbo Absolutus.*

Respondeo III. quod spontanea confessio facta coram Judice non metu tormentorum, non excusat a penis latæ sententiæ, quamvis sit causa minuendi penas sententiæ ferendæ, *Tiraquell. de pœnis temper. causa* 30. *n.* 14. *cum ibi allegatis*, *Simancas de cathol. inst. cap.* 47. *n.* 1. *&* 2. Imo in foro sacræ Inquisitionis deprecatio, seu spontanea comparitio, & confessio criminis cum signis penitentiæ, excusat ab omni pena sententiæ ferendæ, ut *Simancas loco cit. n.* 4.

☞ *Ex constit. Benedicti XIV.* Divinarum 4. *nonas Augusti* 1757. *sincera confessio celebrationis missæ*, *& absolutionis sacramentalis præstita etiam pro prima vice a non promotis ad ordinem Presbyteratus facta judici*, *eum primum ab eo interrogati fuerint*, *an sciant qua de causa carceribus inclusi sint*, *non amplius eis suffragatur ad obtinendam promeritæ pœnæ minorationem*, *scilicet triremium*, *& carceris in perpetuum loco mortis*, *sed omnino tradi debent*, *servatis servandis*, *brachio seculari capitali pœna puniendi. Hoc tamen locum habet*, *quando rei hujus delicti deducti sunt ad Sac. Tribunalis forum per denuntiationem*, *non quando sunt spontanei comparentes.* ☜

CAPUT XIV.

An pœnam lata sententia incurrat ante finem termini, qui culpabiliter se arctavit, ut implere præceptum non possit intra terminum assignatum.

RExpondeo, quod pęna, quæ a jure est imposita non parenti intra certum tempus, non incurritur, nisi toto tempore, seu termino elapso, etiamsi ante finem illius sit certum, eum non posse adimplere etiam ex culpa sua. Secus autem est in pęna imposita ab homine, sive sit conventionalis, sive judicialis; nam hec committitur, quando certum est, non posse rem præceptam implere, scilicet ex ejus culpa, quia antea in tempore assignato implere potuit: quo casu pęnam quidem incurrit, sed executio, seu exactio pęnæ non habebit locum, nisi post tempus, seu terminum assignatum; nisi pœna a Judice imposita esset ipso facto incurrenda: ut si præceptum fuit sub pęna excommunicationis, seu alterius censuræ ipso facto incurrendæ, quia talis pęna trahit secum executionem eo ipso, & sic non expectatur finis termini: & hæc doctrina est *gloss. in leg. Cum stipulatus* 113. *verbo Commissa, ff. de verb. oblig. & ibi Bart. num. 4. Castr. n. 4. & 5. Jas. n. 7. & 8.* utrobique dicens esse communiter receptam, & *Alex. ibi n. 9.* & rationem afferunt, quia mitius agitur cum lege, quam cum homine. Quod autem dictum est de pęna a jure, seu legali, multo magis procedit, si pœna esset latæ sententiæ, quia non incurritur ante finem termini, etiamsi quis ex sua culpa se nimium arctaverit, ut implere non possit, quia pœna latæ sententiæ requirit actum consummatum: & ita *Bald. in leg. 1. quæst. ult. Cod. Si penden. appellat., mors int.* quem sequitur *Franc. Aret. in dict. leg. Cum stipulatus n. 3.* & tenet *gloss. in cap. Commissa, verbo Elapsus de elect. in 6.* & communem testatur *Paris. de resig. lib. 3. quæst. 2. a n. 8.* ubi plura allegat jura, & exempla. Limitatur tamen hoc dictum, ut non procedat, quando jus imponit pęnam latæ sententiæ delinquenti, nisi intra certum tempus se emendaverit, seu satisfecerit, quia tunc ex quo se nimium arctavit, ut non possit parere, eo ipso pęnas incurrit, ut dixi *infra part. 2. verb. Beneficium, cap. 4. in fin.*

☞ *Assertio Auctoris, quod nempe non incurratur pœna a jure lata contra non parentem intra certum tempus, etiamsi ante finem illius sit certum, eum non posse adimplere etiam ex culpa sua, limitanda est de incursione in peccatum, quoties ex culpabili impedimento quis vel prævidet, se non posse præceptum implere, vel in fraudem præcepti impedimentum ponit; quia præceptum jubens, aut prohibens aliquem actum pro certo tempore, virtualiter prohibet pro eodem tempore omnia incompatibilia cum illius impletione. Sic v. g. si die præcedente ad jejunium assumat quis non necessariam defatigationem cum mente aliquo modo reflexa, quod jejunare non poterit, peccat in causa non jejunando, cum præceptum jejunii sit moraliter præsens, & virtualiter obliget ad non ponenda impedimenta: & multo magis si defatigatio est assumpta eadem die præcepti, vel in fraudem illius. Ita ob eamdem rationem dicendum est de eo, qui sero die Sabbathi, vel aliquibus horis ante mediam noctem Dominicæ eat ad venandum, prævidens, se inde sacrum audire non posse; Azor. tom. 1. lib. 7. cap. 17. quæst. 9. Tamb. tom. 1. lib. 4. cap. 2. §. 3.* ☜

CAPUT XV.

An ignorantia juris, vel facti excuset a pœnis latæ sententiæ commitendis in totum, vel ex parte.

QUæstio I. An ignorantia juris excuset a pęnis latæ sententiæ. Advertendum est, quod hic loquimur de pęna proprie dicta juxta definitionem datam *sup. cap. 1. in princ.* Etenim si inferatur a lege, vel ab homine aliqua privatio juris quæsiti non in odium personæ, sed in favorem alterius, vel ob publicum bonum, secundum regulas juris ignorantia non excusat a tali privatione, ut *Rota par. 1. recent. decis. 693. n. 2. & 3.* ubi ponuntur exempla. His positis.

Respondeo I. Si ignorantia juris sit probabilis, scilicet penitus inculpata, certum est excusare ab omni pęna pro utroque foro; ut cum quis ignorat inculpabiliter legem prohibentem, & punientem actionem alias non damnatam, *Suar. de leg. lib. 5. cap. 12. n. 8. Sanch. de matrim. lib. 9. disp. 32. a n. 29. Layman. lib. 1. trac. de legib. cap. 20. n. 1. Ferdin. de Castrop. tom. 1. trac. 2. dis. 1. punct. 17. n. 1. Sayr. in clavi reg. lib. 2. cap. 9. n. 24. Salas de legib. disp. 15. sect. 9. n. 110. Nicol. Baldell. tom. 1. lib. 5. disp. 45. n. 2.* Canonistæ communiter *in cap. 2. de constit. & in c. 2. eodem tit. in 6.* per eosdem textus, *Rota decis. 51. n. ult. part. 1. noviss.* ubi excusatur hæres a caducitate, si alienavit rem fideicommisso subjectam, bona fide putans sibi licere, v. g. super ea re censum vendere, & constituere, *Rota Burat. decis. 182. a n. 1.* cum ibi adductis, ubi decisum, ignarum prohibitionis testatoris, si alienet, non incurrere pęnam privationis statutam a testatore: & *n. 3.* ait, emphyteutam, & vassallum non incurrere caducitatem, alienando sine consensu domini, si ignorent rem esse emphyteuticam, vel feudalem: & *n. 4.* ait esse generale in omnibus casibus, quibus quis in pęnam cadit a jure suo. Amplia, ut etiam dicatur ignorantia inculpata ignorantia actualis, seu incogitantia naturalis, vel actualis oblivio, etsi cum scientia habituali, *ut tenent Cajetan. Conrad. Sotus, & alii*, quos sequitur *Vasch. 1. 2. disp. 107. cap. 2. n. 6. & disp. 123. cap. 2. n. 6. §. Cæterum, Suar. de censur. dis. 4. sec. 8. n. 5. Sanch. in decal. lib. 1. cap. 16. n. 8.* quia etiam sic deficit omne principium necessarium ad consultandum, seu ad actum humanum, ut *Vasch. ibi* notat *cum allegatis*: & merito dicitur etiam hæc ignorantia invincibilis.

Respondeo II. Si ignorantia juris sit leviter tantum culpabilis, non ob imperfectionem actus, sed ex objecto, magis communis sententia tenet excusare ab omni pęna, excepta excommunicatione minori, quæ propter veniale peccatum communicationis in humanis incurritur: si autem sit venialis ob imperfectionem actus, tunc ab omni pęna etiam levi excusaret, *Suar. cap. 12. n. 16. Salas sect. 9. n. 110. Baldell. n. 4. Sanch. n. 29. & 30.* qui *n. 29.* ait procedere etiam quoad pęnam irregularitatis ex delicto, & suspensione: quamvis aliqui per eum citati dissentiant.

Respondeo III. Si quis delinquat sciens, seu reputans talem actionem esse graviter malam, seu prohibitam Jure naturali, vel divino, sed ignoret esse a lege humana specialiter prohibitam; nihilominus incurret in pęnas dictæ legis humanæ, sive ecclesiasticæ, sive civilis: quia hæc ignorantia juris habet admixtam gravem culpam; & lex intendit punire illam actionem, quatenus est de se mala: est magis communis sententia, & in praxi recepta, quam tenet *Clarus §. final. quæst. 60. vers. Quæro numquid*, & communem Legistarum ostendit *Gabriel. com. conclus. lib. 5. tit. De reg. jur. conclus. 6. n. 34.* ita decisum ait *Franch. dec. 521.* & magis communem Theologorum esse constat ex allegatis *a Sanch. loco cit. n. 7. & 16.* tenent *Salas n. 110. & 113. Suar. loco cit. n. 7. Azor. par. 1. lib. 1. cap. 15. quæst. 2. Baldell. n. 7. 8. & 9.* Quamvis contra hanc conclusionem teneant alii, quos allegat, & sequitur *Sanchez n. 17.* & communem testatur *Gratus consil. 49. n. 35. lib. 2.* & tenent multi Canonistæ *in dict. cap. 2. de const. in 6.*

Limita, quod non procedat nostra conclusio quoad censuras incurrendas, ut infra dicam.

Respondeo IV. Si quis sciat talem actionem a lege humana prohibitam esse, sed ignoret pęnam per illam legem inflictam, non excusatur a tali pęna, sive latæ, sive ferendæ sententiæ, regulariter loquendo. Probatur ex dictis pro tertia conclusione; & quia potest, & intendit Legislator delinquentem obligare ad pęnam etiam invitum: ergo a fortiori etiam ignorantem, per regulam *leg. Qui potest invitis, ff. de reg. jur.* & est verior, & communior opinio, & in praxi recepta, ut constat ex allegatis *a Gabr. loco cit.* & communem Theologorum testantur *Suar. ibi n. 9. 10. 12. & Layman dict. cap. 20. n. 6.* & probabiliorem ait *Sanch. n. 21.* & sequitur *Baldell. n. 11.*

Quamvis Canonistæ contrarium teneant *in dict. cap. 2. de const. in 6. Felin. in dict. cap. 2. extr. de const. n. 6. Gennen. pract. quæst. 766.* æstimantes, ignorantiam pęnæ excusare a pęna quacunque etiam scientem juris positivi prohibitionem: & idem tenent plures Theologi, quos allegat *Sanch. n. 21.* qui eam probabilem dicit. Alii vero distinguunt, dicentes ignorantiam solius pęnæ excusare a pęna latę sententiæ, sed non a pena sententiæ ferendæ, ita *Jo. de Ligna. in dict. cap. 2. de const.* eumque sequitur *Imol. ibi colum. 4. vers. Potes respondere*, & tenet *Castropalao loco cit. n. 5.* qui alios allegat. Illud est certum, etiam stando in hac sententia, quod non requiritur scientia distincta, & specifica pęnæ illius, sed sufficit, si quis ęstimet in confuso, & in genere adesse aliquam pęnam contra transgressorem talem, *Raginal. lib. 13. n. 275. per can. ultim. 37. dist.* quæ notitia nunquam deesse solet in delinquente.

Amplia I. præmissam quartam conclusionem, ut procedat etiam

etiam in dubitantem de juris positivi prohibitione, & nihilominus agentem cum conscientia dobia, quia tunc dicitur ignorantia crassa, seu supina, quæ noo excusat a pęnis, ut patet *ex dict. cap. 2. de const. in 6. & dict. Can. ult. 37. dist. Suar. cap.* 18. *n.* 8. *Baldell. loco cit. n.* 1. nisi quando lex pęnas statuit contra agentes aliquid scienter, vel andacter, seu ex præsumptione; quia tunc excusat juris ignorantia etiam crassa, & supina, non tamen affectata, vel crassissima, ita *Sanch. num. 36. & 37. Suar. n.* 14. & communem testatur *Layman n. 1. Baldell. num.* 3.

Amplia II. ut procedat etiam quoad pęnam irregularitatis ex delicto, ut ex violatione censurarum, quia etiam hæc secundum magis communem incurritur ab ignorante hanc pęnam impositam esse pro tali actione, si tamen norit actionem a jure graviter esse prohibitam. Et ratio est, quia vel irregularitas tunc est proprie pena, & sic locum habet conclusio præfata, vel secundum alios noo imponitur a jure proprie loquendo, & formaliter ut pęna, sed ut impedimeotum canonicum ob indecentiam, ideo incurritur facilius ab ignorante illam subesse; ita *Suar. de cens. disput. 40. sect. 5. n.* 10. *Salas de legib. disput.* 15. *sect. 9. n.* 13. *Filiuc. tract.* 11. *n.* 158. *Avila part. 2. cap. 5. disp. 5. dub. 10. concl. 2. Azor. tom. 1. lib. 1. cap. 15. q.* 7. & multi Canonistæ, & Theologi, quos allegat *Sanch. lib. 9. de matr. disp. 32. n. 16. &* 21. & sequitur *Baldell. cit. lib. 5. dis. 45. n.* 9. Quamvis contrarium teneat *Sanch. ibi n.* 20. & alii apud eum allegati, & tenet *Castropalao n. 6. 7. &* 8. satis probabilem ait *Diana resol. 67. tract. 5. Miscell. tom.* 2. qui alios allegat, qui putant ob violationem censurarum non incurri irregularitatem ab ignorante, hoc genus pęnæ subesse violationi.

Amplia III. & a fortiori, ut procedat in casus reservatione: nam si sit reservatio facta ob bonam gobernationem, ut edicto Ordinarii, non est pęna, sed est reservatio causæ, & jurisdictionis ademptio: unde ligat ignorantem reservationem, si tamen non sit immunis a casu, scilicet culpa gravi; quod etiam concedit *Sanch. disp. 32. num.* 18. Si autem reservatio fiat in consequentiam pęnæ latæ sententiæ, & excommunicationis &c. tunc certum est, quod si incurrit in censuram, incurrit etiam in reservationem absolutionis, quia hæc oon est pena, sed consecutivum ad pęnam. Et idem dicendum, quando, lex canonica vetat aliquem absolvi ante factam restitutiooem, quia hæc non est in pęnam, sed pro justitiæ reparatione; quamvis *Sanch. n. 18. cum Molina*, quos sequitur *Castropalao n.* 8. putent, quod ignorans talem legem prohibitivam etiam actus alias damnati, non incurrat in casus reservationem, quia supponunt, neque incurrere in pęnas talis legis: cujus contrarium supra asserui.

Limita autem dictam conclusionem, ut non procedat in censuris, secundum magis communem: quia cum sint pęnæ medicioales ad contumaciam amovendam, ooo incurruntur etiam a sciente legis prohibitionem, si nesciat invincibiliter talem annexam, *per cap. 2. de constit. in 6.* ita *Sanch. n.* 17. cum allegatis per eum, & *Castropalao n. 5. 6. 7. cum Suar. Coninch. Bonac. & Paris.* & sequitur *Baldell. n. 9. &* 11. Quamvis nonnulli contradicant, quos citat *Sanchez ibi n.* 16.

Quæstio II. An ignorantia facti excuset a pena latæ sententiæ. Respondeo, si sit inculpata quoad talem speciem facti, seu delicti, excusat ab omni illius pęna, etiam si alias quis daret operam rei illicitæ, seo facto alias damnato: ut si cogitans percutere Titium laicum, errans invincibiliter circa personam, percutiat Caium Clericum; non enim iocurret in pęnas percutientis Clericum; excepta tamen pęoa irregularitatis ez homicidio casuali; quia dans operam rei illicitæ, & periculose mortis inferendæ, etiam adhibita omni diligentia, fit irregularis, morte, vel mutilatione inde sequuta, *ex cap. final. de homic. in 6.* est communis sententia, ut apod *Sanch. de matrim. lib. 9. disput. 32. n. 22. 3. 4. &* 25. Si autem ignorantia facti sit culpabilis, scilicet crassa, vel supina circa illam speciem facti a lege punitam, non evadet pęnas juris, nisi quando lex punit operantes scienter, seu ex præsumptione, *cap. 2. de constit. in 6.* late *Sanch. loco cit. n. 31. 36. 37. &* 38. cum ibi allegatis.

Quæstio III. Ao in casibus, quibus dictum est ignorantiam non excusare a penis latæ sententiæ, saltem illas minuat, seu ab illis excuset ex parte. Respondeo, quod etsi circa pęnas ferendæ sententiæ probabilius sit esse justam caussam illas minuendi, cum ignorantia sit caosa intrinseca minuens culpam, ut *Sot. de Just. lib. 5. quæst. 1. art. 9. in fin. Suar. de legib. lib. 5. cap. 12. n. 16. Layman. lib. 1. tract. de legib. cap. 20. n. 3. Tiraquell. in proœm. de mitig. pœnis, n.* 24. tamen quoad pęnas latæ sententiæ certum est ipso jore non minuere: quia cum eas lex inserat ipso facto, & absolute, semper eodem modo locum habent; ita *Abbas cons. 22. n. 2. lib. 1. Suar. loco cit. n. 10. Salas de legib. dis. 5. sect. 9. n. 111. Tiraquell. dict. n.* 24. Adde quod probabilius est, neque esse in potestate Judicis pęnas latæ sententiæ commissas tuoc minuere, etiamsi requirat declaratoriam Judicis, vel executoriam: nam ez quo Judex declaravit crimen commissum, pęna illa adstringit iodependenter a sententia Judicis, neque potest ipse gratiam facere super pęna ipso jure commissa, sed Princeps. Et hanc sententiam tenet *Bald. in leg. final. n. 8. Cod. De probat. Molin. tract. 4. disp. 9. n. 20. cum Greg. Lopez*, & veriorem, & praxi receptam ait *Suar. dict. cap. 12. n.* 10. Quamvis contrarium alii teneant, scilicet quod si pęna iodigeat declaratoria, vel executoria, possit Judez illam minuere indirecte, vel utiliter, hoc est attemperando declarationem, seu executionem, propter ignorantiam, vel aliam similem causam minuentem culpam: & hanc tenet *Abb. in cap. Sacris n. 10. de his, qui vi, Salas dict. n. 111. Tiraquell. dict. n.* 24. Illud verum est in uno casu, quia Judez potest saltem indirecte remittere pęnam infamiæ juris, quando consurgit ez condemnatione io causa famosa: de qua re dixi intra *c. 31. §. Tertio modo.*

CAPUT XVI.

An in dubio juris, vel facti pœna latæ sententiæ obliget.

QUæritur primo, an dubitans se incidisse in pęnas latæ sententiæ, excusetur ab illarum observatione, si facta diligentia, dubium superare, & in veritatis cognitionem pervenire non possit. Adverte, quod hic non loquor de reatu, quoad culpam tantum, idest pro foro sacramentali, quia tam in dubio facti, quam juris, omnes conveniunt, quod dubitans teneatur peccatum mortale dubium confiteri sub dubio, seu conditione, ut *Suar. de pœnit. disp. 18. sect. 1. n. 12. & disp. 22. sess. 9.* & plures alii, quos allegat, & sequitur *Sanchez in decal. lib. 1. cap. 10. n. 66.*

Respoodeo I. Si dubium est juris, quia scilicet dubitat, an pro tali casu, seu culpa a se commissa, sit imposita a jure talis pęna, tunc in dubio pro sua libertate judicare potest, *per cap. Cum sunt partium 11. de reg. jur. in 6. Suar. de cens. disp. 40. sect. 5. n. 15. Sanch. lib. 2. de matrim. cap. 41. quæst.* 3. & alii multi, quos allegat, & sequitur *Garzias de benef. part. 7. cap. 1. n.* 14. & ita de dubio juris circa pęnam caducitatis, *Seraphin. decis. 1149. n.* 1. Et procedit etiam in dubio juris de irregularitate quacumque, *Suar. n. 4. & 18. ibi Sanch. in decal. lib. 1. cap. 10. n. 42. Sayr. lib. 6. cap. 2. n. 16. de cens.* & plurimi, quos allegant, & seqountur *Bonac. tract. de irregul. q. 1. pun. 5. n. 2. in fin. Garz. n.* 21. Et procedit etiam in dobio juris de excommunicatione, & aliis censuris quibuscunque: ut si quis dubitet, an lata sit excommunicatio ab ejus Episcopo contra ipsum, *Sanch. in decal. loco cit. n. 55. & 62. Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 19. quæst. 10. & 11. Sayr. in clavi regia, lib. 1. cap. 13. n. 23. &* 24. & alii, quos allegat, & sequitur *Bonac. tract. de excom. disp. 2. quæst. 2. pun. 6. §. 2. n. 49. & Diana resol. 35. tract. 3. tom. 3.* & tenet *Baldel. tract. de leg. lib. 4. disp. 9. n.* 12. & hodie est communior. Neque videtur subesse periculum animæ amplectentis haoc seotentiam, scilicet quod remaneat privatus ob ezcommunicationem suffragiis Ecclesiæ, quia Ecclesia ooo censetur eum velle privare in tali casu dubiæ ezcommunicationis, ut ait *Sanch. n.* 55. contra alios, quos allegat *Sanch. ibi n.* 50. & facit pro nostra conclusione quod dixi supra *cap. 3. in fin. §. Cognoscitur*. Verum est, quod in dubio juris de justitia, seu validitate censuræ, seu pęnæ latæ præsumendum est pro sententia, seo quod pęna locum habeat, *ut S. Thom. quodl. 4. art. 14. Sayr. lib. 4. de censur. cap. 1. n. 21. Baldell. de leg. lib. 4. dis. 9. n.* 14. & late dixi infra *cap. 22. in fin.*

Respondeo II. Si dubiom sit facti, tunc licet quoad pęnas sententiæ ferendæ in totum non ezcusetur, quia non punitur reus pęna ordinaria talis delicti, de quo dubitatur, sed extraordioaria, seu arbitraria, ut *Bal. in leg. final. n. 8. Cod. De probat. Capic. decis. 126. n. 14. & 15. Sanch. loco statim citando*; tameo quoad pęnas latæ sententiæ ezcusatur io totum, quia pęnæ istæ oon accipiunt augmentum, neque diminutionem, cum sint a lege limitatæ, *Bal. in dict. leg. final. n. 8. in fin. Carrer. in praxi super verbo Argumentis convictus n.* 4. Et pęna imposita tanquam pro delicto certo, non habet locum pro casu dubio: ita *Sanch. in decal. lib. 1. cap. 10. n.* 45. &

tenet

tenet *Rota Burat. decis.* 182. *n. ult. Alba cons.* 91. *n.* 41. *Honded. cons.* 58. *n.* 43. *lib.* 1. qui loquuntur de pena privationis ipso facto incurrenda.

Limitatur tamen, & fallit primo in irregularitate, quia in dubio facti de incursa irregularitate, sive ex homicidio, sive ex alio delicto, vel facto, censendus est irregularis, quia irregularitas non imponitur principaliter per modum penæ, sed inhabilitatis, & de communi testatur *Garzias par.* 7. *cap.* 1. *n.* 19. ubi plurimos allegat, & sequitur *Barbos. in cap. Petitio, de homicid. & cap. Illud, de cleric. excomm. per illos textus*.

Quamvis alii probabiliter teneant solum procedere hanc fallentiam in dubio facti de homicidio, ut *Sanch. ibi n.* 48. *cum Suarez, & Salas*, & alii, quos sequitur *Bonac. tract. de irreg. quæst.* 1. *punct.* 5. *n.* 3. qui ait hanc probabiliorem, & sequitur *Diana resol.* 72. *trac.* 5. *tom* 2. Imo aliqui ex iis dicunt, solum procedere de homicidio injusto, non autem de homicidio justo, scilicet quoad irregularitatem ex defectu lenitatis, ut *Sanch. ibi n.* 49. *in fin.* §. *Rursus quæres*, & alii apud ipsum, & alii, quos sequitur *Diana loco cit. Tannerus tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 10. *n.* 220.

Item aliqui, ut *Sanch. n.* 49. & quos allegant, & sequuntur *Bonac. & Diana ibi*, dicunt dictam fallentiam solum procedere in irregularitate ex homicidio, non ex mutilatione etiam injusta. Alii tamen contra tenent apud eosdem.

Limitatur, & fallit secundo dicta regula in excommunicatione, & aliis censuris; quia in dubio facti debet quis petere absolutionem, saltem sub conditione: quæ est communis sententia, ut patet per relatos *a Sanch. a n.* 50. *ad* 54. & hanc tenet *Suarez. disp.* 4. *de cens. sect.* 3. *n.* 8. quia inquit in dubio facti de censura incursa pro foro conscientiæ, eligenda est pars tutior, & sequitur *Barbos. loc. cit. per illos tex.* quamvis contrarium teneant *Sanch. n.* 55. *&* 62. *Bonacc. de excomm. q.* 2. *punct.* 6. §. 2. *n.* 49. *&* 51. *Baldell. loco cit. n.* 12.

Prædicta autem conclusio, & limitationes assignatæ de dubio facti, procedunt quando dubium est proprie dictum, scilicet cum æquali animi suspensione quia ob solam suspicionem nemo puniri potest, *leg. Absentem ff. de pœnis*, *Bal. in fin. n.* 8. *Cod. de prob.* Item non habent locum prædicta in dubio positivo, quando scilicet adsunt præsumptiones prævalentes pro alterutra parte; etenim primo in dubio facti de homicidio, vel abortu, si quis applicavit media fallibilia ad procurandum abortum, vel homicidium, v. gr. si solum mandavit, vel consuluit: vel si prægnanti fecit venæ sectione sanguinem emitti, & postea non potest certiorari, an res habuerit effectum; tunc in dubio non est censendus irregularis, quia non proceditur contra quemquam ad penas, nisi constet de corpore delicti, *leg.* 1. §. *Item illud sciendum*, *ff. ad Syllan. Osas. decis. Pedem* 42. *Menoch. de arbitr. casu* 452. *n.* 20. & procedit tam pro foro externo, quam interno, *Sanch. loco cit. in decal. cap.* 10. *n.* 44. *lib.* 1. *Navar. cons.* 47. *de homic. Quaranta, verbo Abortus*, §. *Nota per hanc*, *Barbos. alleg.* 51. *n.* 139. Unde consulens abortum ei, quam dubitat esse prægnantem, si non apparet de abortu, non est irregularis, *Navarr. cons.* 27. *de homic. Riccius decis.* 718. *Bariol. verbo Abortus n.* 2. Si autem applicata fuerunt media efficacia, & communiter effectum trahentia, debet judicari, & irregularitatem, & alias penas juris incurrisse, ut *Navarr. ibi*: quia licet facta in dubio non presumantur, fallit, quando sunt solita fieri, ut *leg. ult. Cod. de fid. instr. Mascard. concl.* 732. *n.* 5. *&* 7.

☞ *Quidquid sit de allatis opinionibus, in praxi consulerem peti semper debere dispensationem a promoto, vel promovendo ad ordines; cum consilium semper instaat etiam post retractationem, ad differentiam mandati, quo revocato, mandans ad nihil tenetur pro damno secuto: media vero existimata minus apta multoties effectum pariant: licet communior sententia doceat, non incurri irregularitatem, revocato consilio: ut videre est apud Gonzalez cap.* Petrus Diaconus 17. *de homic. volunt. & firmat etiam Gibalinus mox citandus consectario* 12. *Quod si homicidium, vel abortus secutus fuerit, & dubitetur, an secutus ex consilio, aut ex dictis mediis, certum est opus esse dispensatione, ut clare disponitur in cap.* Ad audientiam 12. *&* Significasti 18. *de homicid. volunt. & casual. quamvis Gibalinus de Irregularit. consectario* 11. *n.* 32. *contrarium sentiat contra Sanchez, si agatur de dubio secuti abortus ex consilio dumtaxat.* ☜

Secundo, si constat de corpore, seu materiali delicti, seu dubitat quis, an habuerit sufficientem advertentiam, tunc in dubio censeri debet penas juris incurrisse: quia licet in actibus internis facile præsumi possit subreptio, & inadvertentia; non autem in actibus externis graviter malis: quia actus externi ex natura sua cum sint valde sensibiles, & non momentanei, solent excitare mentem ad sui considerationem; & quia membra externa non moventur, nisi per rationem superiorem, ita *Less. lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 29. *Vasch. de rest. cap.* 3. *dub.* 6. *n.* 24. *Bonac. de matr. quæst.* 4. *pun.* 7. *n.* 4. *&* 6.

Tertio, si quis consilium, vel mandatum dedit ad delictum, ut ad homicidium, abortum, vel Clerici percussionem &c. & constat de corpore delicti, seu effectu secuto, sed dubitat, an ille motus sit a sua cooperatione, seu consilio, vel mandato, an vero alias id principalis esset facturus; tunc in dubio præsumptio est contra ipsum, & censetur penas incurrisse, *ut Sanchez lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 44. *prope fin. Farinac. quæst.* 129. *n.* 140. *Sayr. lib.* 7. *cap.* 3. *n.* 2. Imo etiamsi executor dicat, se alias fuisse facturum, non est ei facile credendum, ut *Farin. n.* 152. nisi adsint aliæ conjecturæ infrigentes talem præsumptionem; ut gravis inimicitia præcedens, vel si protestatus jam fuerat se facturum, aut se jam præparaverat ad illud, *Farinac. n.* 129. cum multis DD. & *n.* 143. *cum seqq.* Aliqui tamen dicunt stari posse dicto illius, si sit persona alioqui fide digna, & non adsint aliæ conjecturæ contrariæ, *Henriq. lib.* 14. *cap.* 16. *n.* 3. *Sayr. de cens. lib.* 7. *cap.* 3. *n.* 2. *Sanc. n.* 44. *in fin. Avil. par.* 7. *disp.* 6. *sect.* 2. *dub.* 3. *concl.* 5. Item conjectura bona erit credendi illi dicenti, se alias fuisse facturum, si longo post tempore id fecit, ut supra citati DD.

Non tamen censetur quis particeps delicti v. g. homicidii, neque irregularis tamquam ratione consilii, consensus, vel mandati, qui dicenti se velle tale delictum committere, v. g. Titium occidere, dixit, si vis occidere, occide; quia verba hæc sunt conditionaliter prolata, reponentia negotium in liberam voluntatem exequentis, dummodo non sint dicta animo incitandi executorem, seu consensum præstandi, sed solum se indifferentem retinendi, & se non immiscendi, *Farinac. quæst.* 129. *n.* 31. *& quæst.* 134. *n.* 34. *cum Rimin.*

Respondeo III. quod ex decreto Sac. Congregationis sub Clemente VIII. de quo dixi infra *verbo Absolutio cap.* 3. statutum est, ut nullus etiam privilegiatus absolvere possit a casibus clare, vel dubie in Bulla Cœnæ Domini contentis: quod est intelligendum de dubio juris proprie dicto, idest negativo, seu cum æquali suspensione pro utraque parte: non autem de dubio positivo, quando essent hinc inde probabiles sententiæ, ut *Grass. lib* 1. *de cas. reserv. n.* 51. v. gr. si dubitetur de interpretatione verborum Bullæ, an extendantur ad talem casum; quia ut supra dixi §. *resp.* 1. in dubio juris de excommunicatione, an lata sit, non tenetur quis se reputare excommunicatum.

☞ *Cum dubium positivum idem fere sit ac opinio, neque cum hoc posset Confessarius absolvere: quandoquidem ageretur de validitate jurisdictionis, quæ & ipsa in Sacramentorum administratione debet esse certa, & non probabilis, ut optime probat Cardenas, prout infra cum eodem notavi in Additione ad cap.* 2. *verb.* Absolutio *post* §. *Limita, ut sufficiat.* ☜

De dubio autem facti, ut si quis dubitet, se tale quid fecisse, propter quod est lata excommunicatio in Bulla Cenæ Domini, dicendum est non posse a Confessario absolutionem dari, per ea, quæ supra dixi §. *resp.* 2. & multo minus attento hoc decreto. Illud omnino tenendum æstimo, quod si casus non sit certus, sed tamen præsumptus, non poterit Confessarius absolvere propter hoc decretum, v. g. si quis scit se pronunciasse blasphemiam hæreticalem, sed nunc dubitat; an interior assensus intervenerit; stat enim præsumptio pro verbis, seu pro actu externo, ita *Sanchez. in decal. lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 74. *Alfon. de Leon. de potest. Confess. par.* 1. *recoll.* 15. *n.* 25. *Baldell. de leg. lib.* 4. *disp.* 9. *n.* 11. quidquid in contrarium teneat *Merolla*, cujus sententiam gratis ait probabilem *Diana resol.* 4. *tom.* 3. *tract.* 3. Neque enim probabilis esse potest, hoc decreto obsistente: & ita videmus in hujusmodi dubiis tam a viris, quam a mulieribus semper ad Sacram Congregationem S. Officii recursum haberi; vel etiam ad Sacram Pœnitentiariam, quando penitens non habet complicem, neque conscium talis enunciationis.

☞ *Hanc Auctoris sententiam, non obstante, quod in posteriori Decreto non repetita legantur illa verba* clare, vel dubie, *quod idem Auctor refert infra cap.* 3. *verbo* Absolutio, *plenis calculis semper amplexi sunt in praxi Apostolici Romani Cleri Examinatores Collegæ mei, contrariam eam Auctore reprobantes: quamvis eam cum Nido, & Diana secutus fuerit, præter alios, etiam modernus quidam Ecclesiasticus in Instructione pro novis Confessariis italice conscripta parte* 2. *n.* 350. *prout notavi infra in Additione ad cap. xxiv. hac ead. part.* 1. ☜

Res-

Respondeo IV. In dubio de casu reservato si dubium sit juris, ut de interpretatione verborum edicti episcopalis, vel si sit dubium facti, an penitens talem actum externum perfecerit, posse libere penitentem a suo Confessario absolvi, juxta communem sententiam, quam tenent *Sanch. lib. 1. cap.* 10. *n.* 74. *cum Suar. & Henriq.* & tenent *Eman. Sa*, *Ochagau.*, *Hurtado*, *Filiucc.*, *Homobon.* quos allegat, & sequitur *Diana resol.* 4. *tract.* 3. *tom.* 3. *Baldell. lib.* 4. *dis.* 9. *n.* 10. Secus tamen, quando actus externus est certo completus, sed penitens dubitat de perfectione actus interni, idest de plena advertentia, quia tunc recurrendum est ad reservantem, ut supra dixi §. *resp.* 3. *cum Sanchez*, *Alphon.*, *& Baldello*.

CAPUT XVII.

An pueri, vel minores excusentur a pœnis latæ sententiæ.

Respondeo primo, quod infantes, qui scilicet septennium non excesserunt, & impuberes infantiæ proximi, idest, qui decimum annum cum dimidio non excessere, non incurrunt pęnas juris, etiamsi sint doli capaces, quia præsumptione juris, & de jure non censentur delinquere, *Ant. Gomez var. lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 57. & plures allegat, & sequitur *Barbos. in cap.* 1. *n.* 2. *de delict. puerorum*, & tenet *Laym. lib.* 1. *tract. de legib. cap.* 10. *n.* 5.

Dixi autem infantes, qui septimum annum non excesserunt, quia hæc est communissima DD. sententia, quod infantia duret per totum annum septimum, ut de receptissima sententia testatur *Menoch. de arbitr. cas.* 57. *n.* 9. *cum ibi alleg.*

Limita primo, quod isti nihilominus, si sint doli capaces, & delinquant pro foro conscientiæ, ex delicto obligantur ad restitutionem, pro eo quod interest offensi, quia hæc non est pęna, sed æqualitas ex justitia commutativa: & probatur *leg. Impubes*, *ff. de furt.* & docet *Layman. loco cit.* In dubio autem, an infans sit doli capax, & malitia suppleat ætatem, censendum est non esse doli capacem, ut ait *Vitalin. in Clem. Si furiosus n.* 17. *de homic.* quia ad ea, quæ frequentius accidunt jus adaptatur, *leg. Nam ad ea*, *ff. de leg.*

Limita II. quod impubes infantiæ proximus, idest septimum annum egressus, & in octavo constitutus, *ut apud Menoch. loco cit.* doli capax irregularitatem incurrere potest ex delicto, ut homicidio, secundum communem sententiam, *ex Clem. Si furiosus*, *de homic. Sylv. ver. Homic.* 3. *quæst.* 2. *dist.* 3., *Ugol. de irregul. cap.* 27. *n.* 3., *Sanchez lib.* 1. *in decal. cap.* 11. *n.* 8., *Avila par.* 7. *disp.* 5. *sect.* 1. *dub.* 13., *Laym. cit. n.* 7. Et facit ratio, quod irregularitas formaliter non est pęna, ut dixi supra *cap.* 15. quidquid in contrarium dicat *Diana resol.* 88. *Miscell.* 6. *tom.* 2. Excipe solum irregularitates, quæ consequuntur ex infamia juris, quia impubes infantiæ proximus, infamiæ pœnam non incurrit ex regula supra posita (cum sit proprie pęna juris, ut dixi supra *cap.* 1. *vers. Infertur tertio.*) at infans, etsi doli capax existat, secundum veriorem sententiam excusatur ab irregularitate ex delicto nascente, ut *Layman ibi cum Henriq. & Avila*, & tenet *Barbos. in dict. Clem. Si furiosus n.* 5. *&* 6., *Sayr. lib.* 6. *de cens. cap.* 17. *n.* 30. & alii, quos allegat *Diana loco cit.* & hæc communis Theologorum: quamvis alii dicant non excusari infantem doli capacem, ut *Covarr. in dict. Clem. par.* 3. *n.* 5. *vers. De infante*, *Eman. Roderic. par.* 1. *summ. tract. de irregul. cap.* 176. *conclus.* 1. & hæc est vere sententia communis Canonistarum *in cap.* 1. *de delict. puer. & in dict. Clem. Si furiosus*, & patet ex allegatis *a Sayro ibi*.

Limita III. in excommunicatione, aliisque censuris ipso jure latis, vel ex edictis generalibus per modum juris pro futuris culpis: quia impubes infantiæ proximus eas potest incurrere, si doli sit capax, *Henriq. lib.* 8. *cap.* 41. *in fin. in commen. Navar. cap.* 27. *n.* 76., *Sanch. cit. n.* 8., *Suar. de cens. dis.* 5. *sect.* 1. *n.* 29., *Layman cit. n.* 5., *Sancius select. disp.* 26. *n.* 18. Interdictum autem generale ligat etiam infantes quoscunque, *ut Bonac. de censur. disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 4. *n.* 9. cum allegatis per eum.

Censuris vero specialibus, scilicet ab homine latis, vel etiam per edicta generalia pro præteritis culpis, impuberes quicunque nondum proximi pubertati, etiam majores septennio, juste quidem ligari non possunt, sed tamen valide ligantur, dummodo doli capaces existant, *Suar. de cens. disp.* 5. *sect.* 1. *n.* 19., *Coninch. disp.* 13. *n.* 45., *Roderic. quæst. regul.* 60. *ar.* 2. *tom.* 2., *Bonac. loco cit.*, *Sanchez loco cit. n.* 8. Verumtamen quod non censeantur impuberes, si non sint proximi pubertati, comprehensi in sententiis istis generalibus pro præteritis culpis, nisi exprimantur, tenent DD. quos allegat *Sanchez dict. cap.* 12. *n.* 7. & sequitur *Diana resol.* 110. *tract.* 4. *tom.* 2. *& resol.* 88. *supra cit.*, *Layman n.* 6.

Respondeo II. Minores 25. annis, puberes etiam proximos impubertati, & impuberes proximos pubertati, ex suo delicto, quamvis pęnis sententiæ ferendæ sint mitius puniendi, ut non teneantur pęna ordinaria ratione teneræ ætatis, tanquam ex causa minuente culpam, *Gomez dict. lib.* 3. *variar. cap.* 1. *n.* 58. 59. *&* 62., *Tiraquel. de mit. pœn. causa* 7. *n.* 1., *Sanch. loc. cit. n.* 7., *Covar. in dicta Clem. Si furiosus*, *par.* 3. *in princ. n.* 5. *Clar. in prax. quæst.* 60. *num.* 1., *Menoch. de arbitr. cas.* 329. *Thes. avus meus decis. Pedem.* 161. *per totam*, & habetur *cap.* 1. *de delict. puer.*

Unde minor 25. annis in delictis etiam atrocibus merentibus pœnam mortis, debet alia pœna corporali puniri mitiori, ut fustigationis, & banni, ut *Thes. avus meus in dict. decis. in fin.* Sed in atrocissimis delictis, ut læsæ majestatis, & parricidii, qualificatis per assassinium, vel veneficium &c. tunc minor pœna ordinaria punitur, *Thes. ibi*, & *Farinac. cons. crimin.* 187. *n.* 8. Item in terris Ecclesiæ Romanæ in quibusdam casibus minor 25. ann. major 20. vel 14. puniri potest, & debet pęna mortis.

☞ *Sic ex Constit. Bened. XIV.* Ab Augustissimo 5. *Martii* 1744. *surripientes, asportantes, aut apud se retinentes Hostias, vel Particulas consecratas, seculari curiæ tradendi sunt, prævia degradatione, si sint ecclesiastici, licet minores sint annis* 25. *dummodo vigesimum attigerint, & etiam pro prima vice hoc scelus perpetraverint, juxta Constit. Innoc. XI. quarto Id. Martii* 1676.

Item ex Constit. Urbani VIII. Apostolatus 28. *Mar.* 1628. *non promoti ad presbyteratum, si sacramentales confessiones audierint, & missam celebraverint.* ☜

Tamen illud certum est, minores 25. annis puberes pęnas latæ sententiæ ex ipso jure, regulariter loquendo, incurrere eodem modo, sicut majores, *gloss. in leg. pen. Cod. Ex quib. caus. infam. irrog.* ibi *Bald. & Salic. Abb. cons.* xx. *n.* 2. *vers. Non obstat minoritas lib.* 1., *Molin. tractat.* 4. *disp.* 9. *n.* 10. *cum Greg. Lopez*; unde minor incurrit pęnam infamiæ ipso jure latam pro tali delicto, etiamsi non puniatur aliis pęnis ordinariis illius delicti ferendæ sententiæ: intellige de infamia, quæ incurritur ipso facto, & non expectata sententia condemnatoria, ita *Abb. Molin. & Lopez ibi*. Sic etiam minor, qui incidit in commissum, & caducitatem, incurrit ex sua culpa, vel dolo; quamvis si dolus non intercessit, sit restituendus in integrum; ita habetur *in leg. Si ex causa*, §. *Si in commissum*, *ff. de min.*, *Seraph. decis.* 313. *n.* 6. Sic etiam minor impugnans voluntatem defuncti, ipso jure perdit relictum ab eodem defuncto; quamvis restituendus sit adversus lucri amissionem, si non dolo egit, *leg. Post legatum*, §. *Ætate*, *ff. de his*, *quibus*, *ut ind. Bart. in leg. Tutorem*, *ff. eod. gloss. in leg. Polla*, *Cod. eod.*, *Aret. cons.* 67. *n.* 9. *vers. Tertio pro ista*.

Excipe tamen primo, ut minor non incurrat pęnam infamiæ latam ipso jure contra exercentes artem ludicram, *leg. pen. Cod. Ex quib. caus. infam. irrog. ibi glos. Bald. & Salic.* & consequenter neque fit irregularis ex tali exercitio, *Bal. ibi*.

Excipe secundo, ut non incurrat pęnas ipso jure latas in venientes contra pacta jurata, *ex leg. Si quis major*, *Cod. de transf.* ut notat *Seraph. dec.* 313. *n.* 7.

Excipe tertio, ut non incurrat pęnam non petentis tutorem, *leg. fin. Cod. Si advers. delict.*

Alias etiam exceptiones habes apud *Angelum de malef. tit. de pœn. reor. n.* 30. Sed illam addo, quod minor impubes pubertati proximus non incurrit juris pęnas proprie dictas, si delinquat in omittendo, ut de communi testatur *Clar.* §. *final. quæst.* 60. *in princ.*

CAPUT XVIII.

An metu gravi, aut necessitate compulsus delictum committere, excusetur a pœnis latæ sententiæ.

Dico I. quod hic non est quæstio de vi absoluta, quæ scilicet tollit omnem libertatem: nam cum omnem culpam excludat, etiam a pœnis præservat pro utroque foro, sive sint latæ, sive ferendæ sententiæ, *leg. Fœdissimam*, ibi *gloss. & DD. communiter*, *Cod. ad leg. Jul. de adul. leg.* 1. §. *Removet*, *vers. Si quis tamen*, *ff. de postul. Farinac. quæst.* 148. cum ibi allatis, *Sanch. de matrim. disp.* 31. *n.* 1. *lib.* 9. *text. in cap. Discretionem*, *de eo*, *qui cognovit*.

Dico II. Circa metum gravem, seu cadentem in constantem virum, certum est, quod quoad pœnas sententiæ ferendæ, quoties metus non excludit omnem culpam, ut cum actio est intrinsece mala, non excusat ab omni pœna, sed minuit, ut non ordinariæ, sed arbitrariæ, seu extraordinariæ sit locus, ut *Sanch. loco cit. n. 4. Abb. in cap. Sacris n. 2. de his, quæ vi, & cons. 4. n. 4. lib. 1., Tiraquell. de pœn. mitig. causa 36. n. 3., Farin. quæst. 97. n. 23. Clar. §. final. quæst. 60. vers. Solet dubitari, Barbos. in cap. Sacris, de his, quæ vi.* ut si quis metu gravi coactus a viro potente aliquem innocentem occidat, ut *Clar. ibi.* vel si mulier gravi metu adulterium committat, ut *Abb. loco cit.*

Quoad pœnas autem latæ sententiæ, duæ sunt principales sententiæ. Prima asserit, quod etiamsi metus non excuset a culpa mortali, ut quia res erat intrinsece mala, si tamen excusabat in tali casu a præcepto, quatenus erat juris positivi (scilicet quia non agebatur de gravi publico damno, ut Principis, vel Patriæ, vel christianæ Reipub. vel Religionis christianæ, vel Ecclesiæ contemptu, pro quibus causis privatus homo vitam exponere teneatur) excusabit a censuris, & pęnis latæ sententiæ a jure impositis, alias secus: ita tenent *Navarr. in Man. cap. 27. n. 63. in fine Henr., lib. 13. cap. 21. n. 3. in fin. Avila par. 7. disp. 2. dub. 7. conclus. 5., Suarez de cens. disp. 5. sect. 3. n. 14., Coninch. de cens. disp. 13. n. 101. 102. 103. & 104.*

Secunda tamen sententia, quam probabiliorem, & tutiorem æstimo, asserit, quod ubi metus non excusat a culpa, ut quia actio erat intrinsece mala, & non de se indifferens, non excusat a pęnis latæ sententiæ illi culpæ proportionatis: ita tenent *Asten. Ricard. Rosell. Sylv. & Graff.* quos allegat, & sequitur *Sanch. lib. 9. de matr. disp. 31. n. 4.* & ibi dicti Auctores ponunt exemplum de pęna privationis juris petendi debitum ob incestum, seu copulam commissam ab uxore cum consanguineo viri metu gravi, & tenet *Durand. in 4. dist. 8. quæst. 5. ad 3., Cajet. 1. 2. quæst. 96. art. 4., Bonifac. in Clem. 1. n. 25. de consang. & aff.* qui loquuntur de pęna censuræ, ut incurratur, ubi non excusat metus a culpa; & de omni pęna latæ sententiæ, seu ipso jure inflictæ, quod metus non excuset, *Abb. in cap. Sacris, de his, quæ vi, n. 2.* per illum tex. ubi communicans cum excommunicato metu gravi in casibus, quibus non licet de jure communicare, non excusat totaliter a culpa; & ideo neque ab excommunicatione ob communicationem, vel participationem; & ita absolute hunc textum intelligunt communiter Canonistæ, ut testatur *Sanch. loc. cit.* Et præsertim procedit hæc sententia in pęnis latæ sententiæ individuis, ut censuris, inhabilitatibus, privationibus officiorum, infamia, & similibus, *Anan. in dict. cap. Sacris n. 1., Anchar. n. 3. not. 6.* qui putant, dividuas minui ex parte. Procedit hæc secunda sententia præsertim de jure canonico, & in pęnis latis a lege ecclesiastica, quæ potest punire omne peccatum mortale, & nullum peccatum permittit, *cap. Novit. de judic. cap. 1. de off. ordin., Navar. cons. 7. de off. ordin., & Abb. in dict. cap. Sacris n. 5.* ubi ait, quod metus gravis non excusat delinquentem a pęnis de jure canonico quia propter nullum metum quis potest peccare mortaliter.

Sed quæres, an stante secunda sententia, etsi non excusetur delinquens ob metum gravem a commissione pęnæ latæ sententiæ, saltem illi a judice sit minuenda. Respondet *Abb. in dict. cap. Sacris n. 2.* quod licet ipso jure talis pęna incurratur, tamen Judex debet habere respectum ad metum, & in executione pęnam minuere; scilicet quando est pęna indigens facto hominis ad illius executionem. In contrarium facit doctrina *Baldi in leg. final. n. 8. Cod. De probat.* communiter recepta, quod ubi est pœna certa, & determinata a jure, non potest Judex illam minuere. Sed de hac re dixi supra *cap. 15. in fin.*

An autem metus gravis excuset a reservatione casus facta ab Ordinario in ordine ad forum sacramentale, *Graff. de Casib. reservat. lib. 1. cap. 13. n. 33.* ait excusare etiam quando non excusat a culpa: sed contrarium puto verius. Primo quia non est pœna, sed provida reservatio jurisdictionis, ut dixi supra *cap. 15.* Secundo, quia ubi non excusatur quis ob metum a culpa, non excusatur a pœna proportionata delicto. Secus tamen puto de reservatione pœnali facta a Papa, verbi gratia, absolutionis censuræ, quia metu compulsus poterit absolvi ab inferiore, *Anan. in cap. Sacris n. 5. de his, quæ vi, ibi: Imol. n. 4. per cap. Sacris 38. de sent. excom. verb. Voluntarius*, & quoad hoc intrat doctrina *Reginaldi*, de qua statim dicam.

Limita, quod tunc metus gravis excusat a censura, vel pœna latæ sententiæ, quando lata est contra scienter, vel præsumptuose delinquentes, aut alias ubicunque dolus punitur, *ut gloss. in cap. Sacris, verb. Voluntarius, de sent. excom., Suar. de cens. disput. 4. sect. 3. n. 12.* est communis sententia. Putat vero *Reginal. lib. 9. n. 323.* ad incurrendas censuras Bullæ in Cœna Domini semper requiri præsumptionem ob gravitatem pœnæ, seu reservationis. Sed contrarium communiter tenetur, nisi ubi Bulla expresse agit contra præsumentes, ita *Suar. disp. 5. 21. sec. 2. n. 30. de cens.* doctrinam autem *Reginaldi* procedere puto quoad pęnam reservationis censuræ ex supradictis.

Dico III. impossibilitas physica, vel moralis adimplendi præceptum, excusat a pęnis latis contra transgressorem, etiamsi sint censuræ &c. ut *Sayr. de censur. lib. 1. cap. 18. n. 40., Bonac. de cens. in comm. quæst. 2. pun. 3. n. 1. cum allegatis.*

CAPUT XIX.

An furor, vel dementia excuset a pœnis latæ sententiæ.

Respondeo primo, quamvis furor superveniens post delictum commissum excuset a pęnis sententiæ ferendæ corporalibus, ut de veriori, & magis communi testatur *Menoch. de arbitr. cas. 325. n. 13.* & per ea, quæ ait *Cevallos commun. contra commun. quæst. 33. tom. 1.* tamen quoad pęnas latæ sententiæ jam commissas nunquam excusat, quia jam sententia accipit ipsa facta executionem; & quia sicut pęnæ sententiæ ferendæ inferri possunt contra eum, qui post delictum furiosus effectus est, si non sint pęnæ corporales, sed pecuniariæ, ut confiscatio bonorum, *Menoch. & Cevall. loco cit.* & censuræ *Sayr. de censur. lib. 1. cap. 8. n. 3., Suar. de cens. disp. 5. sect. 1. n. 20. & 21.* ita pęnæ latæ sententiæ ex ipso jure, cum nunquam sint corporales (ut dixi supra *cap. 3.*) semper locum habere possunt.

Respondeo secundo. Furor superveniens post causam culpabilem datam delicto, non excusat a pęna latæ sententiæ, si effectus fuerit consummatus in statu furoris, seu dementiæ, quia jam sufficienter deliquit in causa, & hic effectus quoad pęnas juris incurrendas componit moraliter cum illa causa, & sufficit influxus physicus ab illa causa peccaminosa, & tempore causæ datæ contrahitur obligatio ad pęnam sub conditione eventus, etiamsi culpa esset per pęnitentiam retractata medio tempore, ut *Less. lib. 2. cap. 13. n. 17.* & ita in terminis docent *Sayr. & Suar. loc. cit.* Addit tamen *Suar.* quod si furor censeretur futurus perpetuus, deberet furiosus absolvi a censuris incursis, quia cessaret finis censuræ, quæ est medicina ad resipiscendum.

Respondeo tertio, quod furiosus tempore furoris delictum materialiter committens, excusatur ab omni pęna tam latæ, quam ferendæ sententiæ. *Canonistæ* communiter *in Clem. 1. post glos. ibi verb. Furiosus, de homic., Clarus in praxi q. 60. n. 7., Farinac. quæst. 94. a n. 1.* unde neque irregularis efficitur ex homicidio, si aliquem occidat, *tex. in dict. Clem. 1.* Vide quæ dixi de hac re *infra par. 2. verb. Manus.*

Amplia quæ dicta sunt de furioso, ut procedant, etiamsi delictum committat eo tempore, quo videatur esse in umbra quietis, nam & eo tempore sanus mente non est: *ita gl. in dict. Clem.* Secus tamen si habet dilucida intervalla, sive magna, sive modica; quia eo tempore omnia agere potest, quæ sanis hominibus competunt, *leg. Cum aliis in fin. Cod. De curat. fur.* & ideo tunc pęnas incurrere potest, ut *glos. in dict. Clemen., & Angel. de Malef. verb. Scienter, & dolose n. 7.* Item secus dicendum de eo, qui non est totaliter furiosus, seu mente captus, sed circa unum tantum objectum, seu in una re: cum in aliis optime ratione utatur: in iis enim potest delinquere, & pęnas incurret; quia in iis habendus est non ut mente captus, sed tanquam sanæ mentis homo, ut late *Sanch. de matr. disp. 8. n. 23. lib. 1.*

Limita etiam supradicta, quod quamvis furiosus, seu mente captus, non censeatur posse delinquere, nec pęnas incurrere; tamen qui semel furiosus, aut mente captus habitualiter, non tantum accidentaliter extitit, etiamsi postea sanatus sit, semper remanet irregularis, ut ad ordines promoveri non possit, *cap. Maritum 33. dist. Majol. lib. 2. cap. 14., Navarr. cap. 27. num. 203., Suar. de censur. disp. 51. sec. 1. n. 4., Bonacin. de irregul. quæst. 2. pun. 2. n. 23., Filiuc. tract. 19. n. 187.*

Sed si jam erat promotus, tunc post unius anni sanitatem probatam, arbitrio Episcopi, poterit ministrare in susceptis, *cap. Communiter 33. dis. gl. in dict. cap. Maritum, verb. In*

fu-

furiam, *Suar. loco cit. n. 5.*, *Bonacin. dict. n. 23. in fin. cum ibi allegatis.*

CAPUT XX.

Dispensatio, & absolutio a pœnis Ecclesiasticis latæ sententiæ in quibus differant, vel conveniant.

DIfferentia prima, quod absolutio significat actum justitiæ, in quo causa aliqua, seu judicium terminatur in favorem rei, *Suar. de cens. disp. 41. sect. 1. n. 4.* dispensatio autem est actus gratiæ, seu misericordiæ, (ut inquit *gl. in cap. Ut constitueretur, verb. Detrahendum, 50. dist. & ibi, Archid. n. 2., Bal. in addit. ad Spec. tit. de dispens. vers. 1.*) qua aliquid relaxatur a communi lege in favorem alicujus, *Suar. loco cit.* Unde absolutio est secundum jus commune, dispensatio est præter jus, *glos. in cap. Cupientes, verb. Suspensos, de elect. in 6., Abb. in cap. Tam litteris n. 3. de test., Suar. tom. 4. de relig. lib. 9. cap. 2. n. 48. & de cens. disp. 29. sect. 1. n. 17.* & ideo bene advertit *Suar. tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 1. cap. 5. n. 16.* quod dispensatio tunc proprie cadit, quando lex in eo casu obligat, quia potest servari hic & nunc sine periculo gravis scandali, seu damni, & tamen adest justa, & rationabilis causa, seu proportionata solvendi subditum ab obligatione talis legis, vel præcepti: si enim servari non posset sine gravi damno, seu gravi scandalo, tunc non haberet proprie locum dispensatio, sed declaratoria, quod lex in eo casu non liget.

Differentia secunda, quod proprie loquendo absolutio non habet locum, nisi in pœnis medicinalibus, quæ scilicet ob contumaciam amovendam inferuntur, ut sunt omnes censuræ ecclesiasticæ: unde de sui natura non possunt esse perpetuæ. Dispensatio vero solum habet locum in pœnis de sui natura immobilibus, sive sint perpetuæ, sive ad certum tempus, *Felin. in cap. Apostolicæ, in princip. de except. S. Ant. 3. par. tit. 28. de susp. cap. 4., Sayr. lib. 4. de cens. cap. 17. n. 1., Suar. dict. n. 17. de cens. & dict. cap. 2. de relig. n. 46. 48. & 49.*

Differentia tertia, quod absolutio, ut concedatur, non indiget alia causa præter dispositionem, seu non repugnantiam ex parte absolvendi, ut scilicet cessaverit a contumacia: imo aliquando absolutio ab excommunicatione, vel interdicto datur invito, & impœnitenti ratione scandali evitandi, vel pro bono pacis, vel ne excommunicatus, vel interdictus deterior fiat, ut *Felin. in cap. Apostolicæ 9. de excep. n. 1. cum per eum adductis.* Dispensatio autem requirit aliquam causam justam, & rationabilem, ut inferior dispensare valeat super pœnis statutis a Superiore, *Suar. de relig. loc. cit. n. 49., Sanchez de matrimon. lib. 8. disput. 17. n. 3. & seq.* Et quanto casus est gravior, vel pœna magis rationabilis, & fundata in validiori jure, tanto gravior causa requiritur ad dispensandum: unde ex facultatibus, & stylo Sacræ Pœnitentiariæ potest dispensari super homicidio casuali, quando ex magna nobilitate personæ, & doctrina æstimatur magna utilitas Ecclesiæ consecutura. At vero super voluntario homicidio injusto, vel abortu dispensare non licet, nisi ex graviori causa, nempe ob necessitatem, ut scandali, vel necis gravi periculo subsistente, quia hæc irregularitas est statuta ex Canone Apostolico & imitatione juris divini, *Henriquez lib. 14. cap. 17. n. 5., Avil. par. 7. disp. 10. dub. 1.*

☞ *De facultate majoris Pœnitentiarii vide Constit. Bened. XIV.* Pastor Bonus §. 15. & 17. *infra in fine Operis.* ☜

Differentia quarta, quod absolutio a censuris, seu pœnis medicinalibus non potest sine injustitia reo pœnitenti, & petenti denegari, scilicet satisfactione præstita, vel si per eum non stet, quominus satisfaciat: est communis sententia Theologorum, & Canonistarum, & *text. in cap. Qua fronte, de appell. cap. Ex literis, de const.* dixi *par. 2. verb. Concilium cap. 2.* & tenet *Rot. decis. 247. n. 1. par. 1. noviss.* ubi etiam *n. 3.* ait, quod ad hunc effectum sufficit oblatio, etiam sine actuali solutione, vel deposito, ut dicatur paruisse. Dispensatio vero quantumvis disposito, & pœnitenti per se loquendo, citra injuriam negari potest. *Archid. in Can. Ut constitueretur n. 2., 50. distinct., Salas de legib. disp. 20. sect. 7. n. 70., cum Abb. & Rosella.* Unde inquit *Salas*, quod superior denegans dispensationem, non semper peccat, etiam existente causa ad dispensandum: peccat autem, quando dispensatio est debita ex charitate, vel ex justitia, ut quando adest gravis necessitas publica, vel privata, ut vitandæ mortis, vel scandali gravis, vel saltem quando dispensare longe utilius est Ecclesiæ, seu bono publico, *Salas n. 73. & 74.* vel quando Superior commisit alicui, ut dispenset, si vera sunt narrata, *Archid. loco cit., Salas n. 72.* Addit *Henriq. loco cit. cap. 17. n. 5.* dispensationes sobrie concedendas, etiam causa dispensandi subsistente, quia alias enervatur lex communis, & ecclesiastica disciplina.

Aliæ autem sunt causæ rationabiles ad dispensandum, non tamen necessitatem inducentes, ut intercessio Principum, Regum, aut Magnatuum, *cap. Latorem ibi, Turrecr. n. 16. 1. quæst. 1. & cap. Salonitanæ 63. dis. & cap. Veniam 35. quæst. 9., Salas sect. 8. n. 75.* qui alias etiam similes causas affert.

Differentia quinta, quod is, cui absolutio a censura denegatur injuste, potest adire superiorem mediatum, per viam querelæ, ut *Felin. cap. Pastoralis n. 6. de off. ordin.* late *Sanc. opusc. lib. 3. cap. Un. dub. 35. n. 8.* At vero si cui denegetur dispensatio a pœna latæ sententiæ incursa, non potest recurrere ad superiorem mediatum, *Sanchez opusc. lib. 7. cap. 1. dub. 55. n. 21. cum Bart. & Felin.* nisi in casibus, quibus, ut dictum est, dispensatio illi sit debita, & tunc poterit Judex, ad quem, dispensare, *Genuen. in prax. cap. 70. n. 4.*

Differentia sexta, quod Episcopus a pœnis canonum medicinalibus potest absolvere, quoties non reperitur prohibitum: dispensare autem non potest, nisi ubi reperitur ei concessum, ut dicam *cap. 23. & 24.*

Differentia septima, quod facultas absolvendi a censuris continetur in generali mandato jurisdictionis, *Guttier. lib. 1. can. qq. cap. 5. n. 1., Barbos. in c. Nuper n. 11. de sent. excom., Sbrozz. de offic. Vic. lib. 2. quæst. 179.* Non autem facultas dispensandi a pœnis, quia in mandato generali non veniunt, nisi ea, quæ sunt juris communis, seu justitiæ, non autem quæ sunt juris specialis, seu gratiæ, *Calderin. consil. 3. de offic. Vic., Felin. in cap. At si Clerici §. De adulter. n. 21. de Judic., Sanchez de matr. lib. 3. disp. 40. n. 12. & lib. 9. disp. 29. n. 14. & 18.* Imo neque ex speciali mandato ad dispensandum potest Vicarius generalis dispensare super pœnis latæ sententiæ, nisi fuerit in individuo expressum, quia hæc dispensatio est majoris momenti, *Sbrozz. lib. 2. quæst. 37. n. 10.*

Similiter absolutus a censuris, non ideo censetur dispensatus super irregularitate, *ut Rota decis. 44. n. ult. par. 2. recent., Navarr. cap. 14. §. 1. n. 26.* & per ea, quæ dixi supra *cap. 1.*

Differentia octava, quod absolutio semel valide absoluto concessa non potest revocari, quia vinculum est formaliter, & radicaliter sublatum: sed dispensatio semel concessa, secundum probabiliorem potest a Prælato, qui ex potestate ordinatia dispensavit, revocari, quia radicaliter in ipsa lege vinculum perseverat, *Sanchez lib. 8. de matrim. dispnt. 33. n. 12.*

Differentia nona, quod absolutio concessa propter aliquam causam absolute non cessat, cessante illa causa; ut si quis sit absolutus ab Episcupo ab excommunicatione Papæ reservata propter impedimentum perpetuum adeundi Sedem Apostolicam, ut ob cœcitatem, si miraculose curaretur a tali impedimento, non teneretur Romam ire, neque reincideret in censuram, ut *Sanch. in decal. lib. 2. cap. 13. n. 30.* At secus de dispensatione jam concessa, & applicata, cujus usus habet tractum successivum, qualis est dispensatio super irregularitate cum Sacerdote ad celebrandum: cessante enim causa finali, seu adæquata talis dispensationis, multi DD. dicunt dispensationem evanescere, & cessare, quos allegat, & sequitur *Sanchez lib. 8. de matr. disp. 30. n. 14.* quamvis contrariam teneant alii multi, quos allegat idem *Sanch. ibi n. 13.* & tenent *Pontius de matrim. lib. 8. cap. 20. n. 4., Salas de legib. disp. 20. sect. 5. n. 64., Granado in 1. 2. contr. 7. tract. 3. par. 2. disp. 17. sect. 4. n. 36., Guttier. de matrim. cap. 126. n. 2., Suar. de legib. lib. 6. cap. 20. n. 15.*

Differentia decima, quod Prælatus potest dispensare cum subjectis, subjectione proprie, & stricte sumpta tantum, idest ratione domicilii, non autem ratione quasi domicilii, vel originis, secundum probabiliorem, & communem sententiam, *Suar. de pœn. dis. 30. sect. 2. n. 3., Filiuc. tract. 20. n. 271., Barbos. alleg. 39. n. 5. & 6., Garz. de beneficiis par. 11. cap. 10. n. 139. in fin.* & alii apud eosdem, & ita declaravit Sacra Congregatio *apud Barbos. ibi*: quamvis *Sanch. lib. 3. de matrim. disp. 23. n. 12. in fin. cum Manuel. & Henriquez* teneant sufficere quasi domicilium. At vero absolutiones a censuris etiam pro foro externo, prout de Jure communi concedere potest subditis etiam ratione quasi domicilii, vel ratione vagationis, quia hoc sufficit ad sortiendum forum pastorale quoad omnia, excepto Sacramento Ordinis, *Sanch. loc. cit. §. Tertio probatur*: & ita in terminis docet *Suar. de cens. disp. 7. sect. 4. n. 7. & 8.* Quod etiam habet locum

cum quoad facultatem Episcopis concessam a *Tridentino sess. 24. cap. 6. reform.* absolvendi subditos suos a ceosoris Papæ reservatis in casibus occultis: nam *Saarez*, *Filiac.*, *Garz.*, *Barbos.*, *Eman. Sa*, *verbo Episcopus n. 36.* & alii communiter, *& Sac. Congreg. apud Garz.* dicunt sofficere subjectionem ratione qnasi domicilii, vel vagationis. Et idem est de absolutione a reservatis propter impedimentum adeundi Sedem Apostolicam, ot *Navarr. cons. 6. de sent. excomm.* Imo quoad absolutionem a censuris in ordine ad ministrandum Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, quæ scilicet impediunt illorum receptionem, ut sunt excommunicatio, vel interdictum personale, sufficiet subjectio ratione peregrinationis, ut *Suar. dict. disp. 30. loc. cit.*, *& Filiuc.*, *& Barbos. ibidem*, propter decretum Eugenii IV. quod est intelligendum, dummodo peregrinatio non sit assumpta in fraudem ad hunc effectum mutandi fori, ut *Suar. de pœn. disp. 25. sect. 2. n. 9. in fin.* Quod non procedit quoad eos, qui facultatem habent a Papa absolvendi a censuris quoscunque, sine restrictione ad sibi subditos, quia Papa est Ordinarius singulorum, *cap. Antiqua, de privileg. & ibi gloss. & cap. fin. ibi gloss. verbo Compelli*, *de foro compet.* & Papæ territorium in spiritualibus est universus Orbis, ut *Abb. in dict. cap. final. n. 45. per cap. Cuncta per mundum 9. quæst. 3.*, *& Leon. Thesaur. fori Eccles. par. 1. cap. 1. n. 4.*, *Bar. in extrav. ad reprimen. verb. Per edictum*, & est Episcopus universalis, *ex Concil. Chalc. at not. Grat. ad cap. Ecce 99. dist. Baron. ann. 595. n. 32. & 33.*

Differentia oodecima, quod dispensatio secunda vice obtenta, scilicet post reincidentiam io aliquod delictum, & pœnam illius, noo valer, si reticitum sit in supplicatione, quod alia vice fuerit super eodem crimine cum ipso delinquente dispensatum, *ex leg. 3. Cod. de Episc. aud.*, *& cap. 2. de fil. presb. in 6.*, *Covarr. lib. 1. variar. cap. 20. n. 8. in fin.*, *Clarus in praxi §. final. quæst. 59. n. 9.*, *Sanch. de matr. lib. 8. dis. 22. n. 20.*, *Bonacin. de leg. dis. 1. quæst. 2. pun. 8. n. t.*, *Laym. lib. 1. tract. 4. cap. 22. n. 19. §. Quinto si aliquis*. Quamvis aliqui teneaot contrarium verius esse, præsertim in foro conscientiæ, ut *Henriq. lib. 14. cap. 17. n. 5. vers. Qui ejusdem*, *Suar. de leg. lib. 6. c. 23. n. 9.*, *& tom. 2. de relig. tract. de voto lib. 6. cap. 27. n. 12.* At vero in absolutionibus obtinendis est certum non reqoiri, ut explicetur iteratio ejusdem delicti, & quod alia vice reus, seu penitens fuerit super simili delicto a censura absolutus, ot *Sanch. lib. 8. dis. 23. n. 1. & 10.*

Differentia duodecima, quod absolutio est favorabilis, dispensatio est stricti juris, & noo extenditor ultra expressa; unde dispensatus super irregularitate ad ordines etiam sacros, non censetur dispensatus ad beneficia curata, sed solum ad simplicia, *Sanchez lib. 8. dis. 1. n. 27. in fin.*, *Sayr. lib. 6. cap. 11. n. 23.*, *& lib. 7. cap. 14. n. 22.*, *Barbos. alleg. 45. n. 6.*

Dicendum II. dispensatiooem, & absolutionem a penis ecclesiasticis in multis convenire, seu multa habere commonia. Primum quod per se loqoendo sunt actus Jurisdictionis voluntariæ, & ideo exerceri possunt extra territorium exercentis io personas sibi subditas: suot autem jorisdictionis contentiosæ, quando adest legitimus contradictor; & tunc extra territorium ejusdem Judicis exerceri oon possunt: jurisdictio enim contentiosa est supra territorium, sicut nebula supra paludem ex allegatis *a Barbos. in cap. 2. de constit. in 6. n. 10.*, *Marta de jurisd. par. 1. cap. 47. a n. 1.* Ita de dispensatione docent *Innocen. in cap. Per venerabilem n. 3. qui fil. sint legitim.*, *Abb. n. 23.*, *Bart. in leg. Legitimos col. 1. vers. Quaro an istud, ff. de legit. tut.*, *Dec. cons. 207. n. 6. & 8.*, *Suar. de cens. disp. 41. sect. 2. n. 10.* Similiter de absolutione tractaot, & docent *gloss.* & *Innoc. in cap. Novit*, *de offic. leg. & ibi*, *Abb. 3.*, *Barb. ibi n. 6.*, *Sayr. lib. 1. de cens. cap. 14. n. 6.* Et amplia, ut procedat hæc doctrina non solum, si sit jurisdictio ordinaria, sed etiam si delegata: nam exerceri potest extra territorium delegantis in personas subditas deleganti, secundum magis communem, & probabiliorem, *ut Sanchez de matr. lib. 3. disput. 24. n. 2.*, *Garz. de benef. par. 5. cap. 8. a n. 129.*

☞ *Nota, quod si agatur de absolutione a censuris danda in Sacramentali confessione, hæc dari nequit a delegato, puta Episcopi, extra territorium delegantis sine approbatione Episcopi illius territorii, licet absolvendus sit ejusdem delegantis subditus, ut expressa declaravit Innoc. X. Constit.*: Superna: 11. *Kal. Jul. 1670. non obstantibus eorum privilegiis ibi §. Ad hæc*: Religiosos ab Episcopo ad confessiones secularinm in sua Diœcesi audieodas approbatos, oon posse in alia Diœcesi eas absque Episcopi Diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, a quo ipsi Religiosi jam fuerint approbati: *Quoad confessarios vero seculares, (in quibus multo magis hæc prohibitio locum habere debet, cum non fruantur privilegiis, quibus gaudent Regulares); idem declaravit S. Cong. Conc. ad dubium enim secundum ei propositum ab Episcopo suffraganeo, & administratore Ecclesiæ Posnanien. videlicet*: An Sacerdotes approbati ad confessiones audiendas in una Diœcesi vocati a Parochis alterius Diœcesis possint in ista audire confessiooes quorumlibet absque approbatione Episcopi loci? : *Die 3. Decembr. 1707. respondit*: Ad secundum negative: *at per extensam legi in Thesauro Resolut. ejusdem Cong. tom. 9. pag. 141. post foliam 7. Decembr. 1740. in Posnanien.* Dubium auditionis confessionum.

Secus tamen dicendum esse de parocho, si delegaretur a proprio Episcopo pro absolvendo a censuris extra territorium suo prochiano in sacramentali confessione: cum enim in eum habeat ordinariam jurisdictionem, illam exercere potest in alieno territorio, etiam sine licentia ipsius Ordinarii, atpote voluntaria est ex juribus cumulatis a Fagnan. in cap. Ne pro dilatione *de Pœnit.*, *& remiss. n. 30. quemadmodum omnes unanimes affirmant; potissimum cum habeatur expressa declaratio ejusdem Congreg. Conc. die, anno, libr. & pag. supracitat. nam ad dubium primum a dicto Episcopo Suffraganeo sibi propositum videlicet*: An Curati unius Diœcesis vocati a Parochis alienæ Diœcesis possint in ista audire confessiones tam suorum subditorum, quam alieoorum absque licentia Episcopi loci. *Respondit*: Ad primum affirmative quoad subditos, negative quoad reliquos.

☞ *Unde non sunt attendendi DD. contrarium sentientes, & præsertim Mattheuccius Officiali. Cur. cap. 6. quoad approbationem n. 16. ducti fortasse quod decretum a Fagnano indicatum re vera non existat, cum neque diem, neque annum illius emanationis retulerit, quod tamen decretum in dubium revocari nequit, cum emanatum fuerit 19. Jan. 1641. in Civitatis Plebis, prout legi lib. 16. decret. Congr. Conc. pag. 460.* ☜

An autem possit Episcopus, vel Prælatus dispensare, vel absolvere suum subditum in Curia Romana, Papa ibi præsente. Respondeo, quod Episcopi, & Prælati, de rigore quidem juris possunt exercere voluntariam jurisdictionem etiam in Curia, Papa præsente, secundum magis communem: tamen de stylo Curiæ multi dicunt non posse, sed debere urbe egredi, ut extra muros illam exerceant, quos allegat, & sequitur *Covar. var. lib. 3. cap. 20. n. 9. Gomez in reg. de non jud. jux. for. supp. quæst. 3.* Sed hoc non procedit, quando absolotio, vel dispensatio daretur pro foro conscieotiæ, quia sicut manus appositio Papæ non ligat manus Ordinariorum quoad forum conscientiæ, *Gonz. gloss. 52. n. 60.* ita neque ejus præsentia io Curia: & ita ex Sac. Congreg. declaratione relata *a Garz. de benef. par. 11. cap. 10. n. 139.* Sed & si non valeret data absolutio, vel dispensatio pro foro exteroo, æstimo eam pro foro interno profecturam ex regula, si non valet quod ago ut ago, valet ut valere potest, dum non est defectus in forma substantiali, & adest consensus partium, *at leg. Si stipuler 35. §. final. ff. de verb. Oblig. leg. Si tam angusti ff. de servit. & leg. Sancimus in fine*, *Cod. De donat. cap. Utile 37. de reg. jur. in 6.*, *ibi gloss.*, *Bart.*, *& DD. in leg. 1. §. penult. ff. de verb. Oblig.* præsertim cum adsit favor animarum, per ea, quæ *Jas. in leg. final. ff. de jurisd. n. 11.* qui ait absolute favore animarum posse concedi absolutionem a censuris extra territorium absolventis.

Secundum, in quo conveniunt dispensatio, & absolutio, est quod delegatus, cui commissa est facultas absolvendi a censuris &c. vel dispensandi cum irregularibus, & similibus, non potest subdelegare, quia censetur nudum ministerium, & electa industria personæ, *cap. final. §. Cæterum, de offic. deleg. & ibi Canonistæ*. Si tamen hæc committerentur non personæ, sed perpetuo dignitati, posset subdelegare, quia tunc censetur jurisdictio ordinaria, non delegata, ut *Sanc. de matr. lib. 2. dis. 40. n. 14.* cum communi DD. *Barbos. in dict. §. Cæteram n. 15.*

Tertio cooveniunt, quod actus gesti ex præsupposita dispensatione, vel absolutione sunt validi, etiamsi nondum gerenti dispensatio, vel absolutio fuerit notificata: si tamen vere jam eo tempore data erat dispensatio, vel absolutio, v. gr. per procuratorem obtenta, *Rota recent. par. 1. dec. 166. n. 10.* secus si litteræ solum commissionis erant expeditæ, *Rot. n. 11.*

CAPUT XXI.

Quando criminum, & pœnarum latæ sententiæ commissio dicenda publica, vel occulta quoad facultates absolvendi, & dispensandi.

HÆc inspectio utilis est pro iis, qui facultatem habent absolvendi, vel dispensandi solum in casibus occultis. Dicendum igitur I. Occultum dici, quod non est publicum, idest neque notorium facti, vel juris, neque famosum, etiamsi aliquibus notum sit, & etiamsi sit secundum se probabilis in judicio hæc qualitas occulti, quia requiri solet in absolutionibus, & dispensationibus, ut causa ad scandalum vitandum: hæc autem ratio militat quoties delictum non est publicum, etiamsi a nonnullis sciatur, & sit probabile in judicio; iterum dum non probatur, neque ad judicium defertur: ita *Navarr.*, *Suar.*, *Eman.*, *Sa*, *Sayr.*, *Mol.*, *Vivald.* quos allegat, & sequitur *Sanchez de matrim. lib.* 8. *disp.* 34. *n.* 55., *& in decal. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 19., *cum Azor.* & tenet *Tolet. lib.* 1. *cap.* 89. §. *Quod ad Concilii*, *Barbos. alleg.* 39. *n.* 21. ubi testatur communem, & probabiliorem etiam quoad facultatem concessam Episcopis a Concilio Tridentino. Quamvis alii distinguant dicentes, quoad facultates Sacræ Pœnitentiariæ supradictam sententiam veram esse, non autem quoad facultatem concessam a Concilio Tridentino *sess.* 24. *cap.* 6. Episcopis absolvendi, & dispensandi in casibus occultis, quia tunc dicunt occultum dici, quod non est probabile in judicio: & ita tenent aliqui allegati *a Sanchez cit. cap.* 11. *n.* 19. & tenet *Garz. par.* 7. *cap.* 11. *n.* 47. *de benef.* afferens declarationem Sacræ Congregationis. Itaque ex priori sententia etiamsi res sit nota duobus, vel tribus, res occulta dicitur, ut *leg. Eos*, §. *Si quis autem*, *Cod. de appellat.*, *Farinac. quæst.* 185. *n.* 85. Item si quinque, vel sex personis in aliquo oppido, vel septem, aut octo in civitate res nota sit, non dicitur publica, sed occulta, ut *Fagund. de præcept. tractat.* 2. *lib.* 8. *cap.* 8. *n.* 33. Verum quoad Sacram Pœnitentiariam licet non dicetem nullam dispensationem concessam in casu occulto, modo supra citato, tamen hoc jure utimur, ut dispensatio non concedatur, si ex circumstantiis appareat rem nunc quidem occultam, tamen facile publicandam.

Dicendum II. Notorium facti est, quod est publicum evidentia facti, ut nulla tergiversatione celari possit; *Innoc. in cap. Sicut*, *de cohabit. Cleric.* late *Mascard. conclus.* 1106. *n.* 4., *Seraph. decis.* 376. *n.* 2. idest quod sit, seu factum est in oculis omnium, vel majoris partis universitatis immediatæ, quæ sit saltem decem personarum, ut de communi testatur *Navarr. cap.* 25. *n.* 73., *Sanch. opusc. lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 3. *n.* 9. Unde simpliciter notorium dicitur, etiamsi non sit notum, seu notorium civitati, vel oppido, sed sufficit esse notorium respectu parochiæ, viciniæ, vel collegii, ut sciatur a majori illius parte, ut *Navar. loco cit.*, *Sanch. ibi n.* 12., *Avil. de cens. par.* 2. *cap.* 6. *disp.* 2. *dub.* 4., *Less. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 74., *Graff. lib.* 1. *de casib. reserv. cap.* 10. *n.* 18., *Menoch. de arbit. casu* 166. *in fin. per c. penult. de purga. can.* Imo multi probabilius dicunt, non requiri, quod res sit gesta coram majori parte populi, seu universitatis, seu collegii, seu parœciæ, seu viciniæ, sed sufficere si coram magna parte personarum illius, ut arbitrio prudentis inde facile, & brevi fama ad alias partes pervasura censeatur, attenta scilicet multitudine totius universitatis, & qualitate, & fide personarum præsentium, & distantia habitationum earumdem, ut si coram decem, aut quindecim principibus viris gestum sit, erit censendum notorium in civitate: sed factum Romæ in una ecclesia, vel palatio Papæ coram decem non censeretur notorium facti: & ita docent *Suarez de cens. disp.* 9. *sect.* 2. *n.* 11., *Avil. loco cit.*, *Bonac. de cens. disp.* 2. *quæst.* 2. *punct.* 1. §. 1. *n.* 5., *Layman. lib.* 3. *trac. de injusta læsione famæ cap.* 3. *n.* 8. §. *Porro*, *cum Abb. in cap. De vestra*, *num.* 16. *de cohab. Cleric. Menoch. de arbitr. cas.* 166. *n.* 7.

Notorium juris secundum veriorem sententiam est solum, quod constat, vel confessione rei spontanea in judicio facta, vel per sententiam difinitivam Judicis competentis, *tex. in cap. final. & ibi gloss. not. verb. Per sententiam*, *& ibi Canonistæ communiter*, *de cohab. Cleric. & mulier.* late *Mascard. verb. Notorium*, *conclus.* 1107. *per totam*, *Navarr. cap.* 25. *n.* 73., *Seraph. dec.* 73. *n.* 2. Unde sententia contumacialis non facit notorium, ut *Seraphin. decis.* 376. *n.* 8. neque sententia, quæ non transiverit in rem judicatam, ut *Navar. loco cit.* v. gr. sententia lata a Judice laico contra clericum, quia notorie nulla est, seu injusta, nec transit in rem judicatam, *Rota decis.* 316. *n.* 6. *par.* 1. *noviss.* neque sententia condemnationis ex præsumptivis, vel pœna extraordinaria, ut *Molin. tom.* 2. *disp.* 333. §. *Quod vero*, *cum Covar.* Item confessio facta vi tormentorum non facit notorium, ut *Mascard. loco cit. n.* 11. Item convictio, seu plena probatio per testes in judicio non sufficit, nisi sequatur sententia, ut dixi *verb. Usura c.* 7. quamvis multi DD. asserant sufficere ad notorium, ut *Tolet. lib.* 5. *cap.* 36. §. *Ille dicitur*, *Sylvest. verb. Notorium quæst.* 3., *Angel. verb. Notorium in princ.*, *Vivald. de suspen. n.* 50. & multi, quos allegat, *Mascard. loco cit. n.* 17. *& seq.* qui tamen *n.* 26. fatetur non procedere hanc sententiam, quando probationes impugnarentur saltem colorate, & plurimos allegat ita distinguentes: sed quando agitur de pœnis latæ sententiæ ex ipso jure, in casu notorii criminis, non est recedendum a priori sententia, quia est materia strictæ interpretationis; & ideo non continetur notorium ex actis, seu ex probationibus, ut *Mascard. ibi n.* 29., *cum Abb. in cap. Dudum* 1. *col.* 2. *de elect.*, *Dec. in cap. Ex insinuatione n.* 22. *de appellat.* Item sequitur, notorium in domo, seu familia non dici simpliciter notorium, de quo jura loquuntur, *Avil. & Graff. loco cit.*, *Filiuc. tract.* 32. *n.* 233., *Molin. tract.* 4. *disp.* 31. *n.* 3., *Less. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 75. sed dicitur notorium secundum quid, quia familia non est publica universitas, seu communitas politica, seu œconomica, & privata.

Publicum autem famosum est id, de quo existit fama, idest publica notitia, seu opinio communitatis immediatæ, in qua saltem sint decem personæ, orta indiciis probabilibus, ut colligitur ex *cap. Inquisitionis*, §. *Quæsivisti in fin.*, *& ibi gloss. verb. Dicta paucorum de accusat.*, *& ibi Canonistæ.* Unde requiritur, quod sit opinio, seu vox omnium, vel majoris partis civitatis, vel oppidi, vel viciniæ, vel parœciæ, vel collegii, ut *gloss. ibi. Bart. in leg.* 3. §. *Ejusdem quoque n.* 2., *& ibi Bald. ff. de test. Clarus* §. *final. quæst.* 6. & late *Mascard. verb. Fama*, *concl.* 749. *n.* 2., *Navar. cap.* 27. *n.* 255., *Sanch. opusc. lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 4. *n.* 2. non enim requiritur ad famam opinio totius civitatis, vel majoris ejus partis, sed sufficit, ut sit fama communitatis immediatæ, ut *Navar. loco cit.*, *Suar. de cens. disp.* 48. *sect.* 1. *n.* 20. *gloss. loco citato.* Item requiritur, ut talis opinio sit fundata, seu orta ex indiciis probabilibus, quæ possint facere semiplenam probationem; ut si ab uno teste fide digno, & non malevolo, vel ex aliis præsumptionibus illi æquipollentibus, ut *gloss. in cap. Manifesta* 2. *quæst.* 1. *& in cap. Vestra de cohab. cleric.*, *Navar. loco cit.*, *Suar. num.* 21., *Molina tract.* 4. *disp.* 7. *n.* 6., *Sanch. n.* 2. *&* 6., *Abb. in dict.* §. *Quæsivisti n.* 4., *Caval. dec.* 236. *n.* 1. *cum alleg.*, *Mascard. concl.* 749. *n.* 14., *&* 15., *Specul. lib.* 3. *tit. De abolit.* §. *Nunc de turbatione n.* 5. alias enim si non adsit fundamentum probabile, non dicitur fama, sed vana vox populi *leg. Decurionum Cod. De pœnis*, *Rot. par.* 1. *noviss. dec.* 706. *n.* 14. *cum alleg.* Hinc sequitur, publicum dici factum, seu famosum præsumi, quando est delatum ad forum exterius; sive per accusationem, sive per denunciationem, vel delationem, & nondum est secuta sententia absolutoria, etiamsi nondum sit crimen probatum, *cap. Omnipotens*, *de accus. DD. in leg. Qui a latronibus* §. 1. *ff. de testam.*, *& in leg. Turpia ff. de leg.* 1., *Seraph. decis.* 393. *n.* 2. sed dummodo delatio sit facta coram judice competenti, vel saltem prorogabili; secus si esset omnino incompetens jure resistente prorogationi; ut si clericus delatus sit ad curiam laicalem; talia enim acta neque infamiam facti causant, neque indicium faciunt coram judice ecclesiastico, *ut Marta de jurisd. par.* 4. *casu* 139. *n.* 13., *& casu* 169. *n.* 7., *&* 8. *tex. in cap. At si clerici*, *in princip. de judic.* Nisi tamen ex tali delatione fama clerici remaneret multum aggravata apud bonos, & graves viros; tunc enim induceretur infamia facti, a qua cogendus esset se purgare, *gloss. in dict. cap. At si clerici verbo Condemnari*, *ibi Butr. n.* 15., *Abb. n.* 10., *Anan. n.* 2., *Imola n.* 11., *Dec. n.* 70. *&* 71., *Berous n.* 123. *in fin.*, *Felin. n.* 3. *vers. Capio gloss. Ant. Burgos. n.* 79. quia cum hæc infamia sit facti, non juris, non attenditur juris competentia, nec modus agendi, ita *Butr. ibi.* Item limita, dummodo delatio sit parti intimata, & cœptum judicium per citationem, vel carcerationem: secus si apud Judicem retenta, *Sanchez lib.* 8. *de matrim. disp.* 34. *n.* 58., *cum Sayr.* & dummodo concurrat opinio communis, seu, quod idem est, ut fama delati remaneat interim aggravata: quia si communiter reputaretur innocens, non noceret delatio; vel si purgasset canonice indicia, seu delationem: ita

gloss. in cap. Accusatum, *verbo Solemnia de simon. ibi Abb. n.* 3., *Hostien. n.* 2., *Barbos. ibi*, *Genuen. in Prax. cap.* 27. *n.* 10. & alii Canonistæ supradicti dicunt, accusatum de crimine enormi, seu alias causante irregularitatem, pendente judicio, si fama ejus remaneat aggravata, non esse permittendum celebrare, donec feratur sententia absolutoria, vel donec se purgaverit. Quod si sequatur sententia absolutoria definitiva, in dubio fama, seu infamia facti censetur abolita, & casus redactus ad terminos occulti, *Sanchez de matrim. lib.* 2. *disp.* 37. *n.* 12., *& lib.* 8. *dec.* 34. *n.* 57., *Castropalao infra cit.*, *Sayr. de cen. lib.* 4. *cap.* 17. *n.* 22., *Barbos. alleg.* 39. *n.* 32.

Advertendum primo, quod si delictum sit deductum ad forum, & reus est sententiam passus, idest definitive damnatus, & pœnam luit, tunc communis sententia tenet casum esse publicum semper; quamvis *Sanch.*, *Henriq.*, *& alii* (*quos allegat Castropalao tom.* 1. *trac.* 3. *dis.* 6. *pun.* 15. §. 1. *n.* 12. qui ait probabile) dicant, tunc posse Episcopum vigore *Trident. sess.* 24. *cap.* 6. absolvere, & dispensare. Certe sacra Pœnitentiaria hoc non admittit, ut fatetur *Castropal. ibidem*. Sed si reus dimissus sit sub cautione de se repræsentando, interim casus dicitur publicus; ita communiter DD. quos allegat, & sequitur *Garz. par.* 7. *cap.* 11. *n.* 47. Si autem reus sit absolutus interlocutorie tantum, seu ab instantia, idest ab observatione judicii, reservato ulteriori processu super novis indiciis, tunc DD. dicunt rem interim esse occultam, seu redactam ad pristinum statum, ac si non esset deducta ad forum contentiosum, dummodo delictum neque semiplene sit probatum, & quod rei fama non maneat aggravata; ita *Suar. de cens. disp.* 41. *sect.* 2. *n.* 6. Alii autem amplius dicunt etiamsi sit semiplene probatum, *Castropalaa tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 6. *pun.* 15. §. 1. *n.* 11. etiamsi falsis testibus se defenderit, *Sanch. de matrim. disp.* 37. *n.* 12. *lib.* 2., *& lib.* 8. *disput.* 34. *n.* 57., *& in decal. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 21., *cum Avil.* & consentiunt omnes DD. supra relati: & quidem in Sacra Pœnitentiaria, nisi secuta sit sententia absolutoria definitiva, non conceditur dispensatio cum homicidis: quia semper præsumitur, quod fama remaneat aggravata ex indiciis probabilibus, ut ex dicto morientis. Certe si reus tortura purgavit indicia, & absolutus est definitive, perinde est, ac si nulla fuissent indicia, & sic ob fugam assumptam ante formatam inquisitionem indicium est ad torturam, *Clar. quæst.* 21. §. *Fuga*, tamen si una hora sustinuit, satis hoc unum indicium purgatum est, *Clar. quæst.* 64. §. *ult.* & melius in §. *Illata vero tortura*; & hanc magis communem, ut purget omnia indicia etiam indubitata, & violentas præsumptiones, ait *Farin. cons. crim.* 175. *n.* 19. multo magis dicendus esset casus occultus, quando post sententiam absolutoriam ab observatione judicii biennium effluxisset absque novis indiciis, quia jam esset perempta instantia, per *leg. Properandum Cod. De judic. leg. final. Cod. Ut infr. cert. temp. Boss. tit. de sent. n.* 108. unde reus definitive esset absolvendus, *Clar.* §. *final. quæst.* 51. *vers. Alia etiam*: & procedit etiam in foro ecclesiastico; *ut Clarus ibi cum communi*, *Castropal. loco cit. n.* 11. *&* 12. dummodo, ut dictum est, fama rei non remaneret aggravata; nam si communiter reputaretur culpabilis, casus esset publicus, non occultus. Si autem reus composuit cum Curia, seu absolutionem obtinuit admixta gratia, vel extra ordinem punitus, quia crimen non fuit plene probatum, tunc aliqui dicunt, quod si non remaneat fama rei aggravata, casus habetur ut occultus, seu non delatus ad forum: unde dicunt etiam Episcopum posse tunc absolvere, vel dispensare ex facultate Concilii Tridentini, ita tenet *Layman lib.* 1. *tract. de irregul. cap. ult. n.* 5. aliqui vero apud ipsum contrarium sentiunt, & merito, quia implicat esse casum delatum ad forum, & esse transactum cum Curia, vel non secutam sententiam absolutoriam liberam, & esse casum occultum, ut dixi infra *cap.* 33. §. *Tertio modo*. Secus tamen si crimen neque semiplene probatum sit, ut *Suar. loco cit.*, *& Laym. ibi*.

Advertendum secundo, quod publicum materialiter adhuc potest dici occultum quoad dispensationes, si formaliter sit occultum, scilicet in ratione talis delicti; ut si publicum est, quod Titius sit ingressus clausuram Monialium, sed publice æstimatur ingressus cum licentia: idem si homicidium est publicum, sed non ut voluntarium, cum credatur factum ob defensionem; vel publicum est, te celebrasse post excommunicationem contractam, sed crederis post absolutionem celebrasse, & ita tenet communis sententia DD. quos allegat, & sequitur *Sanchez de matrim. lib.* 8. *disp.* 34. *n.* 56. Imo aliqui audent ulterius, & dicunt etiamsi sit publicum ut delictum, si tamen sit occultum in ratione pœnæ annexæ a jure, posse dispensari, vel absolvi ab illa, tanquam in occultis: ita *Navarr.*, *Manual.*, *Eman.*, *& Sà*, quos allegat ibi *Sanchez*, qui id probabile asserit; tamen contrarium tenendum est; quia hæc est juris ignorantia, quæ non excusat ad hunc effectum: & hoc observat Sacra Pœnitentiaria.

Advertendum tertio, quod publicum famosum, vel notorium in uno loco, non censetur publicum, vel notorium in alio ad omnes effectus: & quidem non censetur publicum alibi quoad famam proximi lædendam per detractionem, est communis sententia, ut testatur *Layman lib.* 3. *tract. de injusta læsione honoris*, *& famæ cap.* 3. *n.* 8. contra alios, quorum sententia non caret probabilitate, quos in magno numero allegat, & sequitur *Bonacin. de just. dis.* 2. *quæst.* 4. *pun.* 6. *n.* 2. Quoad facultatem vero dispensandi, vel absolvendi in occultis idem dicunt aliqui DD. ut censeatur alibi casus occultus, non obstante, quod in hoc loco sit notorius, vel famosus: ita tenet *Avila*, quem sequitur *Sanchez in decal. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 20. sed contrarium merito tenet *Suar. de pœn. disp.* 30. *sect.* 2. *n.* 2., *Bonac. de censur. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 2. *n.* 3. & consentit *Corrad. de dispens. lib.* 7. *cap.* 7. *n.* 12. *&* 13. & ita observat Sacra Pœnitentiaria. Quoad obligationem autem vitandi excommunicatos, aut alia censura ligatos, dic, *ut supra cap.* 7.

Advertendum quarto, quod si data sit absolutio, vel dispensatio in casu tunc occulto, & postea casus fiat publicus, tunc multi dicunt, illam dispensationem, vel absolutionem esse validam pro foro conscientiæ, non autem pro foro externo; ideo tunc procurari debere novam provisionem ab eo, qui dare illam possit pro externo foro: ita *Tolet. lib.* 1. *cap.* 89. *n.* 5., *Garzias de Benef. par.* 7. *cap.* 11. *n.* 52.

Hæc doctrina procedit sine difficultate, quando ratio occulti esset conditio sine qua non absolvendi, vel dispensandi: quia ea postea evacuata, & cessante, non cessaret dispensatio, quæ jam fuit completa: sed difficultas est, quando causa dispensandi solum fuit fundata in ratione occulti, & tunc sunt opiniones, de quibus dixi supra *cap.* 20. *differentia nona*.

Advertendum quinto, quod aliquando accidit, ut quod etiam hodie de facto est publicum, vel etiam notorium, de jure reputetur occultum, ut si quis per decennium saltem permanserit in pacifica possessione rei usurpatæ, quam non poterat sine dispensatione obtinere; ut in matrimonio contracto cum impedimento irritante, vel in ordinum exercitio, aut beneficio obtentis in statu irregularitatis, concurrente communi opinione, quod cum eo fuerit dispensatum; quia lapsu decennii, cum illa pacifica possessione, de jure præsumitur dispensatum, *Menoch. præs.* 132. *n.* 46. *lib.* 3., *Caputaquen. decis.* 269. *n.* 2., *verbo Dispensatio*, *Corrad. de dispensat. lib.* 8. *cap.* 4. *n.* 47. *&* 65.

☞ *Circa facultatem absolvendi a censuris in casibus occultis tributam Episcopo a Trident. sess.* 24. *cap.* 6. *de refor. vide limitationem in Additione ad cap.* 8. *secundæ partis*, *verbo* Clausura. ☜

CAPUT XXII.

De differentia dispensationum, & absolutionum fori interni, & externi.

PRima differentia est, quod absolutio, & dispensatio concessa pro foro conscientiæ tantum non suffragatur pro foro externo, seu contentioso: unde poterit nihilominus Judex procedere contra reum ad pœnas, ac si dispensatus, vel absolutus non fuisset, *gloss. in cap. De his*, *in fi. de accus.*, *Navar. cons.* 23. *num.* 4. *de pœnit. & remiss.*, *& cons.* 51. *de sent. excomm.*, *Covarr. lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 3. *& in cap. Alma*, *par.* 1. §. 11. *n.* 16., *Menoch. de arbitr. casu* 539. *n.* 31., *Suar. de cens. disp.* 41. *sect.* 2. *n.* 11., *& tom.* 4. *de relig. tract. ult. lib.* 9. *cap.* 2. *n.* 35., *Sanch. in decal. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 13., *& de matr. lib.* 8. *disp.* 34. *n.* 29., *Genuen. in prax. cap.* 25. & est communis sententia, & vera. Unde sequitur, quod excommunicatus, si absolvatur pro foro conscientiæ tantum, poterit publice ab Ordinario declarari, & denunciari, ut *Covarr. & Genuen. ibi*: et si celebravit in censura taliter absolutus, pro foro externo declarari irregularitatem incurrisse, *Genuen. loco cit.*, *Avil. par.* 2. *cap.* 7. *disp.* 3. *dub.* 12. §. *Et dictis*, *Layman lib.* 1. *tract. de cens. in commu. cap.* 7. *n.* 7. quamvis coram Deo non sit irregularis, *Navarr. cons.* 82. *n.* 2. *de simo-*

monia. Item poterit declarari nulliter beneficium obtinuisse, ut *Salzedo ad Diaz. cap.* 33. §. *Excusabitur cum aliis DD.* quamvis coram Deo valida sit provisio, *Suarez de Relig. loco cit. n.* 37. etsi alii contra putent, quod si constet in foro externo de tali absolutione, data pro foro conscientiæ per schedulam, nempe confessarii, non possit Judex contra talem procedere, quos allegat *Diana resol.* 26. *tract.* 11. *tom.* 1. & alios allegat *Menoch. cit. casu* 539. In hoc omnes conveniunt, quod Ordinarius potest, si velit cum taliter absoluto benigne agere, & acceptare illam absolutionem, ut suffragetur pro foro etiam externo, & repellere Promotorem fiscalem, *Layman*, & *Avila loc. cit.*, *Navarr. consil.* 4. *n.* 4. *de fid. instr.* & *conf.* 51. *n.* 3. *de sent. excom.*, *Gennen. cap.* 25. *cit.* & probat *Rota decis.* 659. *par.* 2. *novis. seu posth. collec. Farinac.* ubi absolutus vigore Cruciatæ celebrans dicitur non effectus irregularis, etiamsi illa absolutio sit pro foro conscientiæ tantum. Imo, quod plus est, etiamsi absolutus sit, non satisfacta parte, si ipse eam obtulit, & veniam petiit ab offenso, sed ille noluit acceptare: ita *Rota ibi*. Est igitur certum, quod parte læsa rationabiliter reclamante, non est admittenda talis absolutio, nec illius ratio habenda: & dixi *infra par.* 2. *verb. Censura cap.* 4. Quod est intelligendum, quando non esset reus censura ligatus, seu declaratus in pœnas incidisse, Judice procedente ad instantiam partis, sed ex officio: quia non potest Judex acceptare absolutionem fori interni pro foro externo, parte legitime contradicente, ut *Navarr.*, & *Gennen. locis citat.* Neque quando agitur de aliquo gravi casu, & scandaloso, ita ut non possit dissimulari sine publico Ecclesiæ præjudicio, ut *Navarr. dict. conf.* 4. *n. ult.* Illud etiam est certum, quod Ordinarius non potest ratam habere dispensationem, ut puta super impedimento matrimonii, datam pro foro conscientiæ tantum, sed debet, constito de illo, cogere ad separationem, *Navar. conf.* 4. *de Judic. n.* 7., *Sanch. lib.* 3. *disp.* 15. *n.* 15. & 17., *Coninch de Sacram. disp.* 27. *n.* 6. donec obtineant dispensationem in Dataria. Inde etiam sequitur, quod dispensatio, & absolutio, quæ datur pro foro conscientiæ tantum, dari debet secrete, neque notario, neque testibus adhibitis, ut *Sanch. de matr. disp.* 34. *n.* 29. *in fin. lib.* 8. ne illi prosit pro foro externo. Sed neque convenit confessarium pœnitenti dare schedulam absolutionis, ut *Filincc. tract.* 11. *n.* 293. sed etiamsi illam det, nulla fides illi schedulæ adhibenda est in foro externo, ut *Calderin.*, & *Rebuff.* quos allegat, & sequitur *Salzedo ad Diaz. in prax. cap.* 33. §. *Excusabitur tamen.* Quamvis alii contra asserant, expedire talem schedulam dare pœnitenti absolutionis, ut possit se tueri pro foro externo, ut apud *Dianam dict. resol.* 26. Posset tamen confessarius testimonium prædictum absolutionis impartitæ dare litteris suis privatis clausis directis Ordinario, ut possit, si velit, illam acceptare: quemadmodum Major Pœnitentiarius dat litteras clausas absolutionum in forma pro Misso. Dispensationum autem testimonium nunquam concedendum est; quia hoc est contra mentem Pontificis, & alias fieret præjudicium Datariæ: & ita exacte observat Sacra Pœnitentiaria. Sequitur etiam ex dictis, non posse admitti id, quod ait *Marcus Paulus in formular. Sacræ Pœnitentiariæ*, quod quando Ordinario committitur a Sacra Pœnitentiaria absolutio excommunicati cum clausula in forma Ecclesiæ consueta, quod tunc debet eum publice absolvere cum virga, & coram notario, & testibus &c. quæ nullo modo subsistunt cum clausula subsequenti pro foro conscientiæ tantum, & cum Bulla reformationis Pii V. quæ restrinxit facultates majoris Pœnitentiarii ad solum conscientiæ forum.

Secunda differentia est, quod habens facultatem absolvendi, vel dispensandi pro foro conscientiæ tantum, non posset illam exequi extra Sacramentum confessionis, sed in ipso foro tantum pœnitentiali, seu sacramentali; præsertim quando committitur talis facultas confessariis: & hæc est verior sententia, & tutior, quam tenent multi, quos allegat *Diana resol.* 25. *tract.* 11. *n.* 1., & *resol.* 20. *tract.* 2. *tom.* 2., & *ref.* 63. *tract.* 4. *tom.* 2. & tenet *Garzias de benef. par.* 11. *cap.* 10. *n.* 139. *cum sequentibus*, referens declarationes Sacræ Congregationis; & maxime quando ponitur clausula, injuncta pœnitentia salutari, ut *Suar. de censur. disp.* 41. *sect.* 2. *n.* 10., *Bonac. de cens. disp.* 1. *quæst.* 3. *punc.* 6. *n.* 8. quamvis contrarium teneat *Sanch. in decal. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 13., & *de matrim. lib.* 8. *disput.* 34. *n.* 29. & plures allegat, & sequitur *Diana ibidem*: & quamvis hanc communem dicat *Garzias n.* 138. *loc. cit.* ubi multos allegat, qui dicunt, illam clausulam, *pro foro conscientiæ* intelligendam non esse de foro pœnitentiali, seu sacramentali, sed de foro quasi pœnitentiali, seu animæ, & hanc sententiam *Suar. de relig. tom.* 4. *tract. ult. lib.* 9. *cap.* 2. *n.* 28. ait practicari tute posse ex causa rationabili; ut si censura ligatus non sit tunc dispositus ad confessionem, vel si confessarius tunc non possit totam audire confessionem. Certe in commissionibus Sacræ Pœnitentiariæ non est recedendum a priori sententia, quia solet apponi clausula illa – in ipso actu sacramentali confessionis tantum, nec aliter, nec alio modo – nisi ubi Major Pœnitentiarius concedit extra Sacramentum expediri; habet enim Major Pœnitentiarius hanc facultatem, *Navar. conf.* 19. *de temp. ord.* & patet ex observantia subsecuta post reformationem Pii V. quæ est optima legum, & privilegiorum interpres, *leg. Si de interpretatione ff. de leg. Cavaler. dec.* 80. *n.* 5. & 7., *Buratt. decis.* 379. *n.* 3. præsertim Summo Pontifice sciente. Imo idem puto in facultate concessa Prælatis, ut Episcopis, *Triden. sess.* 24. *c.* 6. *de ref.* ut communiter *DD. apud Barbosam in notis ibi*, quia cum verba debeant intelligi secundum qualitatem personæ, ad quam referuntur, *leg. Plenum*, §. *Æquitii ff. De usu*, & *habit.* particula *in foro conscientiæ* pro iis, qui non solent audire confessiones sacramentales, non est restringenda ad forum sacramentale, seu pœnitentiale, sed generaliter ad forum animæ, seu pœnitentiale, idest sacramentale existat, sive quasi pœnitentiale, idest non sacramentale.

Tertia differentia consequens ex præcedenti, quod dispensatio a pœnis, & absolutio a censuris pro foro externo dari potest absenti, vel immediate per quodcunque signum expressivum actus absolutionis, vel mediate per litteras, vel nuncium, vel dando absolutionem procuratori habenti speciale mandatum: quamvis non conveniat sine causa rationabili absentem absolvere ab excommunicatione: & ita de communiori, & veriori sententia testatur *Sayr. lib.* 2. *de cens. cap.* 21. *n.* 12. & 13. Dispensatio autem, & absolutio pro foro conscientiæ non potest concedi absenti, sed præsenti, saltem mediante commissione facta per litteras ab eo, qui committere potest, juxta veriorem sententiam, per ea, quæ dixi supra in prima, & secunda differentia: & ita observat stylus Sacræ Pœnitentiariæ: quamvis multi DD. contra æstiment, eum, cui concessa est facultas absolvendi pro foro conscientiæ tantum, posse etiam absolvere absentem immediate, proferendo formam absolutionis in ordine ad absentem; vel saltem mediantibus litteris, vel nuncio, vel procuratore; quia putant illam particulam *pro foro conscientiæ* non limitare modum, sed effectum absolutionis: ita *Suar. de cens. disp.* 41. *sect.* 2. *n.* 11., *Manuel.*, *Ledes.*, & *Henriquez*, quos allegat, & sequitur *Sanchez in decal. lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 14. ubi testatur de communi: & idem a fortiori de dispensatione a pœnis dicunt, cum minorem habeat connexionem cum Sacramento Pœnitentiæ, quam absolutio a censuris: ita *Suarez ibi n.* 10. & de communi testatur *Layman lib.* 1. *tract. de excom. cap.* 6. *n.* 9. ubi plures allegat. Unde *Avila par.* 2. *cap.* 7. *disput.* 2. *dub.* 1., & *Layman ibi cum aliis* tradunt cautelam pro confessario, qui oblitus est absolvere pœnitentem a censura, ut scilicet eum absolvat absentem; vel si erat censura reservata, obtineat facultatem, & sic absentem absolvat: sed hæc praxis a Sacra Pœnitentiaria est penitus explosa.

Quarta differentia, quod in absolutionibus a censuris pro foro conscientiæ, non est necesse observare formam accidentalem, seu solemnitatem, quæ adhibetur pro foro externo: unde in absolutione ab excommunicatione pro foro conscientiæ non est necessaria flagellatio, neque Psalmus pœnitentialis, & oratio Dominica, aliæque orationes, de quibus *in cap. A nobis* 28. *in fin. de sent. excomm.*, & *apud Navar. cap.* 26. *n.* 8. ita *Avila par.* 2. *cap.* 7. *disp.* 3. *dub.* 3., *cum Polanco in directorio*, & tenet *Bonac. de cens. disp.* 1. *quæst.* 3. *punct. ult. prope fin.* ait tamen *Avila*, quod si confessarius absolveret in loco secreto, ubi posset commode observari ista solemnitas, expediret illam observare ad majorem terrorem pœnitentis. Certe ex privilegiis Religionum multis Religiosis concessum est absolvere, non servata dicta solemnitate, ut *Suar. de cens. disp.* 7. *sect.* 10. *n.* 4. *cum Navarro*.

An autem in absolutione ab excommunicatione pro foro conscientiæ debeat exigi juramentum de stando mandatis Ecclesiæ, idest de non contraveniendo de cetero, quod exigi solet, quando quis absolvitur in casu quocunque enormi, juxta *cap. Gravem*, *de sent. excomm.*, ut *Avila par.* 2. *cap.* 7. *disp.* 3. *dub.* 2. cum communi sententia; multi dicunt non esse necessarium, ita tenet *Marius Alter. tom.* 1. *lib.* 4. *disput.*

7. *cap.*

7. *cap.* 2, *& lib.* 5. *disp.* 22. *cap.* 4. *Bonacina de cens. disp.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 10. *n. ult.* & idem de juramento satisfaciendi parti læsæ tenet *Henriq. lib.* 7. *cap.* 13. *n.* 2. *lit. I. in comment. Jo. Valerus differ. utriusque fori, verb. Absol. differ.* 5. *n.* 3. *differ.* 11. *in fin.*, *Diana resol.* 44., *Miscell.* 2. *par.* 1. Et idem de juramento, quod exigitur, cum quis absolvitur a reservatis ad reincidentiam pro articulo mortis, vel alias ratione impedimenti, & etiam in casibus Bullæ in Cœna Domini, in quibus nemo potest etiam pro articulo mortis absolvi, nisi præstita cautione juratoria de stando mandatis Sedis Apostolicæ, & de satisfaciendo, ut in §. *Ceterum* ejusdem Bullæ ait *Marius Alter. dict. cap.* 2. Et favent formulæ S. Pœnitentiariæ, quæ non exigunt juramenta prædicta, nisi in casu presbytericidii publici. ☞ *Hodie neque in hoc casu expresse exigunt dicta juramenta.* Contrariam sententiam veriorem æstimo, nempe exigenda esse etiam pro foro conscientiæ prædicta juramenta, & peccare confessarium omittentem illa exigere, ita *Avila par.* 2. *cap.* 7. *disp.* 3. *dub.* 3., *Henriq. lib.* 13. *cap.* 28. *n.* 4., *Tanner. tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 10. *n.* 126., *Sanch. in decal. lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 24. *&* 26. & probatur *extrav.* 1. §. *Incendiarios in fine de privil.*, *& cap. Quamquam de usur.* S. Pœnitentiaria autem in suis formulis præcipit injungi de jure injungenda, inter quæ sunt dicta juramenta, & præcipit absolvi in forma Ecclesiæ consueta.

Quinta differentia, quod quando censuræ, vel pœnæ sententia est valida pro foro externo, sed invalida, & nulla pro foro conscientiæ, quia lata est ex justa causa apparente secundum acta, & probata, sed secundum se falsa; tunc ligatus tali sententia tenetur pro foro externo observare illam sententiam, vel petere absolutionem, seu dispensationem ratione scandali vitandi, quamvis in secreto non teneatur illam observare, *Navar. cap.* 27. *n.* 3., *Suarez de censur. disput.* 4. *sect.* 7. *n.* 8., *Sanchez de matrim. disp.* 39. *n.* 9. *lib.* 2. & communem Theologorum ait *Sayr. lib.* 1. *c.* 17. *n.* 8. 13. *&* 16. Quamvis Canonistæ communiter dicant, sententiam censuræ latam, ut supra, ex falsa causa, secundum tamen allegata, & probata apparenter vera, esse validam pro utroque foro, idest etiam pro foro conscientiæ, uti patet ex allegatis a *Sayro loco cit. n.* 7., *& Menoch. de arb. casu* 542. *n.* 10. Verum est secundum omnes, quod si in tali casu reus privetur, vel declaretur privatus beneficio, vel officio publico, & illud alteri conferatur, valida erit hæc secunda provisio pro utroque foro, quia sententia in se injusta, sed secundum allegata, & probata justa, valide privat bonis communibus, seu publicis, non autem privatis, *Coninch. disp.* 13. *n.* 118. *de censur.*, *Suar. disp.* 4. *sect.* 7. *n.* 27. *&* 29. quia sic expedit bono publico.

In hoc autem conveniunt omnes tam Theologi, quam Canonistæ, quod quando sententia censuræ est non solum injusta, sed etiam ipso jure nulla, tunc non est timenda, & licet si celebret quis contra talem sententiam, populo non certiorato de nullitate sententiæ, peccet ratione scandali; non tamen efficitur irregularis secundum veriorem sententiam, ut late probat *Menoch. de arbitr. cas.* 542. *n.* 33. 34. 35. Dicitur autem sententia censuræ nulla, vel ex defectu jurisdictionis, ut si non habeat jurisdictionem, vel quod sit suspensa per appellationem, vel inhibitionem præsentatam, *Tolet. lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 5. *in fin.*, *Layman. lib.* 1. *tract. de cens. in commun. cap.* 6. *n.* 2., *Ugolin. tab.* 2. *cap.* 11. §. 3. *n.* 3., *Vant. de nullit. defec. juris ordin. n.* 1. *&* 6. Item si sententia continet intolerabilem errorem in substantialibus circa causam, vel formam processus; itant neque secundum acta, & probata subsistat; *Menoch. n.* 6. 7. 8. *&* 9., *Tolet. n.* 4., *Laym.* 3., *Ugolin. de cens. tab.* 1. *cap.* 13. §. 3. *n.* 7. ubi ait communem, & *Bonac. de cens. dis.* 1. *quæst.* 1. *pun.* 10. *n.* 8. *& seqq.* & de utroque modo nullitatis probat *Borgas. de irregul. par.* 6. *tit. de excomm. ipso jure nulla*, *& tit. Quomodo intelligi illud Greg. pag.* 364. ☞ *Circa suspensionem a sententia censuræ per appellationem vide notata infra cap.* 25. *hac part.* 1. *post* §. *Advertendum autem.* ☜

Sed hic quæres, an reus, contra quem lata est sententia promulgatoria, vel declaratoria censuræ, si eam nullam esse prætendat, possit exadverso publicare causas nullitatis censuræ, & sine scandalo pusillorum ablato, non observare censuram. Respondent DD. communiter, quod si causa nullitatis sit evidens, potest hoc facere; alias non potest, stante saltem probabilitate de validitate censuræ, ita *Palud. in* 4. *dist.* 18. *q.* 1. §. *Quantum ad* 3. *concl.* 2. *S. Anton.* 4. *par. tit.* 24. *cap.* 73., *Navarr. in cap. Cum contingat, remed.* 3. *n.* 4. *de rescr.*, *Menoch. de arbitr. casu* 542. *n.* 15. *&* 33., *Marta de jurisd. par.* 3. *cap.* 18. *n.* 4. *cum aliis per eos allegatis*: in dubio enim de validitate censuræ tenetur reus parere, neque potest sequi opinionem suorum Advocatorum, seu Theologorum asserentium, censuram nullam esse, seu non incursam, *Sayr. lib.* 1. *de cens. cap.* 17. *n.* 14. *&* 15., *cum Sylv.*, *& Henriq.* quia in dubio pro sententia præsumendum est, *Menoch. de præsumpt. cap.* 67. *n.* 22. *& cap.* 68. *n.* 6. *lib.* 2. & quia in dubiis materiæ spiritualis laicus, aut alius subditus non potest discutere de validitate præcepti ecclesiastici, sed humiliter parere debet, *cap. Si Papa* 40. *dis.* etiamsi grave sit jugum, *cap. In memoriam* 19. *dis. Innoc. in cap. Inquisitioni n.* 3. *de sen. excom.*, *Sylv. verb. Obedientia n.* 2., *Marius Alterius de censur. tom.* 2. *tract. de interd. dis.* 8. *cap.* 6. §. *Sed est adverten.*, *Sayr. loco cit.* vel debet reus per viam appellationis, vel querelæ ad Superiores ecclesiasticos recurrere, *cap. Si quando*, ibi *Canonistæ de rescr.* Et hæc omnia docet *S. Greg. homil.* 26. *in Evang.* §. *Quorum remiseritis peccata*, *vers. Sed utrum juste*, *& text. in cap. Illud* §. *Licet, de sent. excomm.*, *Hostien. in summ. tit. de sen. excomm.* §. *Qualiter proferatur*, *vers. Unde in dubio*, *& Marta de jurisd. par.* 3. *cap.* 16. *a n.* 20., *& cap.* 18. *n.* 4.

Potest autem reus, qui prætendit excommunicationis, alteriusve censuræ sententiam nullam esse, aut se eam non incurrisse, quotiescunque saltem sit dubium probabile, sive dubium sit juris, sive facti, petere absolutionem ad cautelam, idest prævia protestatione, quod non putat se censura ligatum, seu quod putat sententiam nullam esse, *cap. Solet de sent. excomm. in* 6. §. *In secunda ibi*, *Anchar.*, *Gemin.*, *& Franc.*, *Navarr. man. cap.* 27. *n.* 277. *&* 278. & de communi testatur *Sayr. lib.* 2. *de cens. cap.* 17. *n.* 7. & magis communem, & veram ait *Ugolin. de cens. tab.* 1. *cap.* 22. §. 1. *n.* 9. & talis absolutio petenti cum dicta protestatione eo casu denegari non debet, cum & reo prodesse possit, & parti nocere non possit, ita *Innoc. in cap. Per tuas n.* 3. *vers. Ex adverso*, *Hostien. vers. Sed si error. de sen. excomm.*

Unde sequitur, quod hæc absolutio non sit danda petenti cum tali protestatione, nisi ipse saltem semiplene probaverit de sententiæ nullitate, *Sayr. ibi cap.* 17. *n.* 18. cum communi Canonistarum, *Ugolin. loco cit. n.* 13. *vers. Respectu autem habito*, *& vers. Excipitur quoque*: alias enim facile possent rei illudere Judicem ecclesiasticum, & censuram; ita *Ugolin. ibi.* Propterea hæc absolutio ad cautelam, scilicet petita cum protestatione prædicta, non est danda, quando reus est contumax, nolens parere Ordinario suo: jam enim ex hoc constat de manifesta offensa *per dict. cap. Solet de sen. excom. in* 6., *Innoc. quem sequitur Ugolin. loco cit. n.* 13. Item non censetur dubium probabile de nullitate, quando reus non appellavit, vel appellationem deseruit, quia sententia transivit in rem judicatam, scilicet ad effectum, ut non possit amplius dicere de nullitate, *Jo. Andr. in cap. Venerabilibus n.* 2. *de sent. excom. in* 6., *Felin. in cap. Testimonium n.* 26. *de testib. Canonistæ in cap. Ad reprimen. de offic. ordin.* Item non est dubium probabile, quando Ecclesia Romana, ad quam recursum est, judicavit pro validitate sententiæ, ut *ex S. Greg. & DD. supra citatis.*

CAPUT XXIII.

Quis, & ex quibus causis dispensare possit super irregularitatibus, & suspensionibus pœnalibus, & aliis pœnis Ecclesiasticis latæ sententiæ.

Dicendum I. quod regulariter loquendo nullus inferior dispensare potest antecedenter super pœnis statutis a lege Superioris ipso facto incurrendis, idest præservare ab illarum commissione, casu, quo tale delictum committatur; quia inferior non potest dispensare super lege, vel præcepto Superioris, nisi ubi id ei reperiatur concessum, *cap. Cum inferior de major. & obed.*, *cap. Dilecti de temp. ordinan.* ita *Sylvest. ver. Dispensatio n.* 14., *Mirand. tom.* 2. *quæst.* 30. *art.* 11. *concl.* 1. ubi testatur de communi sententia.

Dicendum II. circa pœnas latæ sententiæ ex ipso jure jam commissas, seu incursas, varias esse DD. sententias. Prima asserit, inferiorem Prælatum posse dispensare super pœnis hujusmodi, ubicunque non reperitur prohibitum, etiamsi sint latæ a jure pontificio, quia eo ipso censetur esse de genere permissorum. Multos DD. pro hac sententia allegat *Barb. allegat.* 33., *& Dian. resolut.* 82. *miscell.* 6. *tom.* 2. eamque tenet, & communem dicit *Mirand. loco cit.*

Secunda sententia probabilior asserit, Episcopum, seu Prælatum

latum non posse dispensare super pœnis latæ sententiæ, nisi ubi jus tacite, vel expresse illi dispensare concedit; ita *Archid. in cap. Licet canon, de elect. in 6.*, *Felin. in cap. At si Clerici §. De adulteriis n. 4. de Judic.* ubi testatur de communi, & *Tiraquell. in leg. Si unquam*, *verbo Revertatur n.* 370. *Cod. de rev. don.* & generaliter de omni pœna tenent multi, quos allegat *Barbos. loco cit. n.* 19. qui eam dicit magis communem recentiorum.

Dico III. quod dispensandi facultas super pœnis latæ sententiæ censetur concessa Episcopis, seu inferioribus Prælatis habentibus episcopalem jurisdictionem, quoties canon permittit dispensationem impersonaliter, ut per illa verba: *nisi cum illo fuerit misericorditer dispensatum*: ita *Abb. in dict. §. De adult. n. 6.*, *Alex. de Nevo n.* 11., *Dec. n.* 48., *Sanch. de matr. lib. 8. disp. 5. n.* a. quidquid in contrarium velint *Aretin.*, *& Butr. in dict. §. De adulteriis*, absque solido fundamento, ut ait *Sanch. ibi*. Et quamvis multi DD. dicant id non procedere, quando talis clausula haberetur in decreto, seu constitutione Concilii generalis, quia tunc censeretur solum insinuari, facilius a Papa concedi posse dispensationem; tamen verius videtur, etiam tunc posse Episcopum dispensare, dum verba non diriguntur ad officiales Sedis Apostolicæ tantum; & ita tenent plures, quos allegat, & sequitur *Sanch. ibi n.* 5. Illud tamen communiter admittitur, quod ubi verba Canonis diriguntur ad Episcopum, præcipiendo, ut faciat observari talem pœnam, nisi fuerit dispensatum, intelligitur, si fuerit a Papa, non autem ab Episcopo dispensatum, *Sanch. n. 3.*, *cum ibi allegatis*.

Dico IV. in pœnis latæ sententiæ ex ipso jure incursis ob crimina etiam publica minora, seu non majora adulterio, pœnitentia, vel illius parte peracta, concessum esse a jure Episcopo. seu Prælato habenti episcopalem jurisdictionem pro utroque foro dispensare; dummodo specialiter non reperiatur prohibitum: & sufficit si pœna sit lata ad tempus determinatum, quia hoc ipso est reservata dispensatio, ut dicam *capite sequenti Ampliat.* 5. & dummodo pœna illa non receperit executionem per factum hominis: unde poterit dispensare in iis casibus super pœna infamiæ, vel irregularitatis, vel inhabilitatis, vel depositionis verbalis, non autem super privatione beneficii, vel officii, vel bonorum privatione post executionem factam Judicis ministerio ex *dict. §. De adulteriis*, & ita tenet *Abb. ibi n. 6.*, *Dec. n.* 48., *Anchar. n.* 11. *vers. In majoribus*, *Hippolit. n.* 65. 68., *Roderic. quæst. regul.* 24. *art.* 17. *vers. Secundum argumentum tom.* 1. qui plures alios allegat, & sequitur *Suar. de cens. disp.* 29. *sect.* 1. *n.* 21. ubi ait communem: *Bonac. de clausura quæst. 1. pun. 5. n. 5.*, *Henriq. lib. 14. cap. 19. n. 2.*, *Sanch. in decal. lib. 6. cap. 15. n.* 77. ubi ait communem: & rationem assignat *Roderic. ibi*, quia cum sint ea minora crimina frequentiora, consulendum fuit, ne tam frequenter necessarius esset recursus ad Sedem Apostolicam: & hanc sententiam veriorem puto, quamvis *Archid. in cap. Licet canon de elect. in 6.*, *& Felin. in dict. §. De adulteriis n.* 4. contrarium teneant, nempe facultatem concessam ibi Prælatis dispensandi super minoribus criminibus non intelligi quoad pœnas latæ sententiæ, seu ipso jure incursas. Hinc sequitur, quod Episcopus potest dispensare super adulterio, furto, sacrilegio, perjurio, falso testimonio, non autem super hæresi, simonia, homicidio, & similibus, quia illa sunt minora crimina, hæc autem majora, *Abb. in cap. Cum te de sent.*, *& re judic.*, *Gemin. & Prap. in cap. Euphemium 2. quæst. 3.*, *Tolet. lib. 1. cap. 62. §. ult.*, *Sayr. lib. 7. de censur. cap. 11. n. 15. & cap. 12. n. 3. in fine*. Judicantur autem hic crimina gravia, vel levia non theologice, idest a virtute, cui opponuntur, sed a pœnæ gravitate, qua puniuntur, *Ant. in dict. §. De adult.*, *& ibi Abb. n. 7.*, *Anan. n. 13.*, *& alii DD. communiter*: alias enim sacrilegium est gravius adulterio secundum speciem, non tamen secundum pœnam, ideo Episcopus in illo dispensat, *cap. final. de furt.*

Dico V. Concessum est Episcopo dispensare super pœnis latæ sententiæ ex jure communi, & etiam ex conciliari constitutione, etiam Papæ reservatis, in casu gravis necessitatis, idest cum alias scandala, vel damna gravia sequerentur, & non potest haberi recursus opportunus ad Sedem Apostolicam, ut ob inopiam, vel temporis brevitatem: *Felin. in dict. cap. At si clerici*, *§. De adulteriis n. 3. de judic.* & late *Sanchez de matr. lib. 2. disp. 40. n. 3.* ubi plures allegat, *& lib. 8. disp. 6. n. 20.*, *& Salas de legibus disp. 20. sect. 3. n. 25.* ubi testatur de communi, & *Barbos. allegat. 33. n. 26.* & plurimi apud eosdem citati. Et facit doctrina *Bart. in trac. repræs. quæst. 2. n. 12.* ubi ait, quod quando non est copia superioris de jure, vel de facto, vel quia non expedit, eo quod expenderetur plus quam sit id, de quo agitur, vel eo quod sit pauper, tunc agendum ac si deesset superior. Ex hoc autem capite non videtur, quod possit dispensari, nisi in occultis per ea, quæ ait *Sanchez loco cit.*

Dico VI. Ex Trid. *sess. 24. cap. 6. de refor.* concessum esse Episcopis dispensare in foro conscientiæ in omnibus irregularitatibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus etiam Papæ reservatis, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & aliis deductis ad forum contentiosum. Et amplia, ut possit dispensare, vel dispensari mandare, seu subdelegare, etiamsi nec ipse, nec dispensandus sit tunc in Diœcesi sua, quia Tridentini decretum non ponit hanc restrictivam quoad dispensationes, & alias potest dispensare de jure communi cum suo subdito etiam existente extra Diœcesim, quia est actus jurisdictionis voluntariæ, si non datur dispensatio pro foro contentioso, seu in contradictorio judicio: ita hoc decretum exponunt *Suar.*, *Sanch.*, *& Bonac.* *quos allegat*, *& sequitur Barbos. alleg. 39. n. 7. de potest. Episc.*, *& Filiuc. tract. 20. n. 269.*

Requiritur tamen, ut dispensandus sit subditus ratione domicilii, non autem sufficit, si sit subditus ratione quasi domicilii, vel originis, *Suar. de cens. disp. 41. sect. 2. n.* 12., *Filiuc. loc. cit.*, *Barbos. n. 6.* An autem Religiosi exempti existentes intra Diœcesim possint se subjicere Episcopo ad hunc effectum, dixi *cap. seq. §. Sed quæres*.

☞ *Circa facultatem hic attributam Episcopo, placet per extensum transcribere præcisa verba Fagnani in cap.* Dilectus 15. *de tempor. ordinat. n. 30. & seqq.*, ibi – Sed numquid Episcopus facultate sibi tributa in *dict. cap. 6. sess.* 24. in casibus occultis post Concilium ex nova lege Sedi Apostolicæ reservatis, etiam cum clausula, *Non obstantibus*, absolvere possit? Sacra Congregatio censuit non posse. Et in specie cum dubitatum fuerit, an Episcopus, & Inquisitores possint hodie ex *dict. cap. 6. sess.* 24. absolvere lapsos in hæresim, non obstante Bulla Cœnæ Domini: censuit eam Bullam derogasse decreto *cap. 6.* Unde frustra nonnulli ex recentioribus Theologis hunc articulum in controversiam adducunt, cum habeamus claram determinationem Sacræ Congregationis. Præterea cum dubitasset Archiepiscopus Florentinus, an vigore *cap. 6. sess.* 24. posset absolvere quandam monialem, quæ occulte, & ad malum finem fregerat clausuram, non obstante Bulla S. Pii V. quæ videtur habere locum in casu publico, variatum est sententiis: nam ex decem Cardinalibus tres censuerunt, Bullam intelligendam esse etiam in occultis, quia illius verba sunt generalia, & est tantum exceptus casus, nisi in mortis articulo &c. & quia jam declaratum, bullam Cœnæ Domini, quæ prohibet ab aliis absolvi, habere locum etiam in occultis: Et quia cum Bulla sit confecta post Concilium, censetur derogasse Concilio. Quatuor censuerunt, eam Bullam non habere locum in casibus occultis. Reliqui autem tres dixerunt agendum cum Sanctissimo, qui declaravit, Bullam S. Pii V. habere locum etiam in occultis: tamen concessit facultatem Archiepiscopo absolvendi illam monialem. Unde postea Sac. Congreg. generaliter consulta, an si monialis alicujus monasterii jurisdictioni Regularium subjecti secreto deliquerit in materia clausuræ, in foro conscientiæ absolvi possit vigore ejusdem decreti ab Episcopo, cui tamquam delegato in iis, quæ ad clausuram pertinent, auctoritas tributa est decreto *cap. 5. sess. 25. de Regul.* stante prædicta Bulla S. Pii V. respondit: – non posse. –

Quia vero a Fagnano non indicatur quo anno primum hic a se citatum decretum emanaverit, ne in dubium revocetur ejus emanatio, diligenter a me pervolutis Regestis Sac. Congreg. Conc. illud reperi emanatum fuisse mense Jan. 1589. in responso ad postulatum xii. quod inter alia eidem Cong. fecit Gaspar Vicecomes Archiepiscopus Mediolanensis occasione visitationis ad sacra Limina: cum enim dictum postulatum xii. expresserit italico idiomate, quod in latinum versum sonat: Quia multoties accidit incurri censuras reservatas Sedi Apostolicæ contraveniendo Constit. papalibus emanatis post Concil. Trident. desiderat Archiepiscopus facultatem absolvendi contravenientes, qui aliquando remanent diutius censuris obstricti, cum non habeant modum obtinendi absolutionem a Romana Curia, potissimum circa clausuram Monialium, & Regularium virorum: prout reperitur lib. 5. decret. pag. 239. Sac. Cong. abstinuit a concessione postulati, sed dumtaxat tacite confirmavit, quod circa hujusmodi facultatem sentiebat ipsemet Archiepiscopus per hæc præcisa verba, prout reperiuntur cit. lib. 5. pag. 240.:

F Re-

Reservationes casuum de novo post Concilium non comprehenduntur in cap. 6. sess. 24. de refor., & præsertim super clausura Monialium. :

Ex quibus patet, qui sensus fuerit Episcoporum post quasi proximam Tridentini publicationem circa facultatem ipsis tributam a cit. cap. 6. ☜

Ampliant II. multi Doctores, quod ista facultas extenditur ad inhabilitates ad officia, & beneficia, ad privationes eorundem, quia est irregularitas partialis; & ita Henriq. lib. 13. cap. 56. n. 1., Sanch. in decal. lib. 6. cap. 15. n. 78., Bonacin. de clausura quæst. 1. pun. 5. n. 5., Manuel. tom. 2., Summ. cap. 66. n. 35., Ugolin. de Simon. tab. 4. cap. 6. §. 7. n. 2. Contraria tamen sententia, quod in hoc privilegio non contineantur inhabilitates, & privationes latæ sententiæ, communior est, & verior, & praxi recepta, ut testatur Less. lib. 2. c. 35. n. 140., Suar. de relig. tom. 1. tract. de simon. cap. 58. n. 11., & Bonac. tract. de simon. disp. 1. quæst. 7. pun. 2. diffic. 2. in fin. seipsum retractans: & ratio est, quia non sunt proprie irregularitates, neque suspensiones.

Ampliant III. multi, quod hæc facultas competat etiam aliis Prælatis habentibus episcopalem jurisdictionem in suos a Papa: ita tenent Henriq., Roderic., Flores, Sayr., Avila, & Sanchez, quos allegat Barbos. loco cit. n. 17. qui tamen magis communem probat contrariam sententiam cum Garz. par. 11. cap. 10. n. 13. & 17. Non competit hæc facultas Vicariis Generalibus, quia mandata generaliter jurisdictione, non venit facultas dispensandi, ut dixi supra cap. 20. Competit autem Vicario Generali, si hoc ei specialiter mandetur ab Episcopo, ut Sacra congregatio apud Barbos. super eo cap. 6. n. 6. & idem si a Capitulo mandetur Vicario Generali capitulari: nam & hanc facultatem competere Capitulo, sede vacante, tenet communis sententia DD. apud Barbos. ibi lit. & cum Genuen. in praxi 66. n. 22., Sanch. lib. 9. de matr. disp. 2. n. 10., Garz. par. 5. cap. 7. n. 41. cap. 11. n. 21., Suar. de pœnit. dis. 30. sect. 2. n. 4. Limita, quod non potest Episcopus per hæc dispensare super irregularitate vel pœna incursa ob alienum delictum, ut ob paternum, Sanchez lib. 2. in decal. cap. 28. n. 8. & 9.

☞ *Vide Additionem in cap. 8. verbo:* Clausuram. ☜

Dico VII. quod, ut cap. præcedenti tetigi, dispensatio facta ab inferiore, ut ab Episcopo, vel Prælato super pœnis latis ex lege superioris, idest Papæ, requirit causam rationabilem, seu proportionatam ad sui validitatem; alias enim dispensatio esset non solum injusta, sed & invalida; Canonistæ communiter in cap. Cum ad monasterium, de stat. Monach. quos sequitur Covar. in cap. 4. decretal. par. 2. cap. 6. §. 9. n. 11., Sylv. verb. Dispensatio quæst. 3., Angel. n. 3., Navar. cap. 25. n. 74., Turrecrem. can. 1. disp. 89. n. 14., Sanch. opusc. lib. 5. cap. 1. dub. 5. n. 23. & latius idem Sanch. de matrim. lib 8. disp. 17. n. 4.

Debet autem causa esse proportionata, & justa per comparationem ad obligationem pœnalem, & motivum legis pœnalis: nam si finis legis, & pœna est gravior, requiritur gravior causa; in levibus levis sufficiet, Suarez de legib. lib. 6. cap. 18. n. 15., Sanch. de matrim. lib. 8. disp. 18. n. 14. Causa vero justa dispensandi universalis, est bonum commune, vel directe, seu immediate, vel indirecte, seu mediate: alias enim dispensatio, nisi bonum commune aliquo modo respiciat, erit injusta, & invalida: S. Thom. par. 2. quæst. 97. art. 4., Sot. lib. 1. de just. quæst. 7. artic. 2. col. 4., Sanch. de matrim. disp. 19. n. 1. in fin. Sufficit autem causa boni privati, quatenus ex ea resultat bonum commune, ut Sanch. ibi late explicat.

In particulari igitur causæ justæ sunt, prima utilitas, vel necessitas Ecclesiæ, seu populi christiani, ut cap. Ut constitueretur 50. dist. ibi gloss. ver. Detrahendum, Rebuff. in prax. tit. De dispen. ad plura benef. n. 43. 48., & 49, Genuen. in prax. cap. 70. n. 4, Sanch. dis. 19. n. 5. Item secunda causa vitandi scandali, sive multorum, sive etiam unius; Archid. in dict. cap. Ut constitueretur, verbo Illius, Salas de leg. disp. 20. sect. 7. n. 74., Sanch. disput. 19. n. 9. ubi plures allegat. Tertia utilitas, vel necessitas privata spiritualis, vel temporalis, de qua re Sanch. dict. disp. 19. a n. 1. & seqq. est enim sufficiens ratio pietatis, seu misericordiæ, ut gloss. in dict. cap. Ut constitueretur, verb. Detrahendum. Quarta favor religionis, v. g. cum dispensatur ad effectum ingrediendi religionem, vel cum professo, cap. 2. de apost., Suar. de cens. disp. 41. sect. 1. n. 3., Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 86. n. 4. ubi plures allegat. Quinta est dignitas personæ petentis dispensationem, nam Principibus magnis jura deferunt, eisque sæpe specialia concedunt cap. final. de offic. deleg. in 6. cap. Ne aliqui, de privil. in 6. extrav. Execrabilis 1. de præben., Clem. Un. de pact. Trident. sess. 25. cap. 19. de reform., Gonzal. gloss. 24. n. 157. neque hoc dicitur peccatum acceptionis personarum, Sanchez disp. 19. n. 5. lib. 8. Item causa gratificandi alicui Regi, vel magno Principi, vel Prælato pro aliquo dispensando intercedenti, Salas disp. 20. sect. 8. n. 75., Gonzal. gloss. 9. §. 2. n. 35. text. in cap. Clerico jacente 50. dist. cap. Latorem 1. quæst. 1. & ibi gloss., verb. Per intercessorem, & Turrecr. ibi cap. Salonitanæ 63. dis. cap. Veniam 35. quæst. 9. ibi DD. Qui autem dicantur magni Principes, vide Cardin. Bonif. & Anchar. in Clem. Un. de Bapt. Item causa rationalis est ob benemerita de Ecclesia, Sanch. disp. 19. n. 32.

Dico octavo, quod Episcopus, seu Prælatus, in quibus casibus potest committere dispensationem super pœnis incursis, in ordine scilicet ad suum subditum, potest etiam illam committere in ordine ad se, ut ipse, v. g. a suo confessario dispensetur, sive ea facultas competat Episcopo jure ordinario, sive ex jure speciali, ut ex Triden. loco cit. ita Sanchez lib. 8. de matr. disp. 3. n. 3., Barb. allegat. 39. n. 5. An autem possit dispensare, vel dispensari mandare cum complice delicti, vide Navar. cons. 99. n. 12., vel cons. 61. n. 12. de sim., Sanch. in opusc. lib. 2. cap. 3. dub. 120. n. 15. Qualiter autem interpretanda sit facultas concessa dispensandi, fuse tractat Sanch. de matr. dis. 2. lib. 2.

CAPUT XXIV.

Quis absolvere possit a censuris Ecclesiasticis latæ sententiæ.

ADverte, quod censuræ ecclesiasticæ nomine solum continetur excommunicatio major, & minor, & suspensio, & interdictum, cap. Quærenti de verb. signif. & istæ solæ tolluntur jure ordinario per absolutionem, non per dispensationem, ut dixi cap. 20. supra.

Item adverte differentiam inter censuras latas a jure, seu per modum legis, & latas ab homine, seu per modum sententiæ; & ideo de utrisque hic separatim dicemus; & primum de censuris a jure latis.

Respondeo igitur primo. A censura excommunicationis latæ sententiæ a jure incursa, si a canone absolutio non est reservata, potest suos absolvere Episcopus, & quilibet Prælatus habens ordinariam jurisdictionem tam pro foro externo, quam interno, ex c. Nuper 29. §. In secundo vero, de sentent. excomm. ibi, *Quia tamen conditor canonis sibi specialiter non reservat, eo ipso concessisse videtur aliis facultatem relaxandi.*

Amplia, quod etiam parochus potest suos parochianos a censuris non reservatis absolvere, ex dict. cap. Nuper, & ita Navar. cap. 27. n. 39., Suar., de cens. dis. 7. sect. 4. n. 23. Barbos. in dict. cap. Nuper n. 12., Gutier. can. quæst. 1. lib. 1. cap. 6. n. 1. Quod tamen est intelligendum pro foro conscientiæ tantum, quia parochus non habet jurisdictionem fori externi, ideo non potest absolvere a censuris pro foro externo, ut gl. in cap. 2. de pœn. & remiss. in 6. verb. Reservantur, Canonistæ communiter, quos allegat, & sequitur Marta de jurisd. par. 3. cap. 19. n. 7. & seqq. Addo, posse parochum suos absolvere, etiam extra Sacramentum confessionis, & etiamsi Sacerdos adhuc non sit, ut Ugolin., Regin., & Sanchez, quos sequitur Barbos. in dict. cap. Nuper, n. 13.

☞ *Vide notata infra verb.:* Absolutio: c. 2. ☜

Amplia II. ut etiam Sacerdos confessarius approbatus possit absolvere a censuris non reservatis eos, quorum respectu est approbatus, ex dict. cap. Nuper, ita Barbos. loco cit. n. 13. in fin. Sed hoc intelligo in actu sacramentalis confessionis, cum solum supponamus eum habere jurisdictionem hanc in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ, ut Bonac. de censur. disp. 1. quæst. 3. pun. 6. n. 7. cum allegatis. Est tamen probabile, confessarios habentes privilegia a Sede Apostolica absolvendi quoscunque a censuris, & casibus &c. pro foro conscientiæ, posse absolvere etiam extra sacramentum in foro conscientiæ, ita tenet Suar. de relig. tom. 4., Tract. ult. lib. 9. cap. 2. n. 28., Sanch. de matrim. lib. 8. disp. 15. n. 25. & disp. 34. n. 29. cum aliis per eos allegatis: quamvis contraria sententia sit tutior, & in praxi receptior.

Ampliant III. multi, quod a censura excommunicationis minoris ipso jure incursa, secundum probabilem opinionem aliquorum potest absolvere etiam quilibet simplex Sacerdos, qui potest absolvere a peccatis venialibus, ad quod non requiritur ulla approbatio, cum ex ipsa sua ordinatione ab Ecclesia ad hoc accipere censeatur jurisdictionem, ut Navar.

cap.

cap. 27. *n.* 25. & 39., & *cap.* 4. *n.* 5., *Tolet. lib.* 1. *cap.* 17. *in fin.*, *Vivald. de excom. minori n.* 12., *in fin. cum S. Tom. in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 5. & *in addit. ad* 3. *p. quæst.* 23. *art.* 3. *Cordub. in summ. q.* 169., *Tabiena verb. Absolutio* 2. *n.* 5. *quæst.* 3., & probabilem ait *Bonac. de censf. disp.* 2. *quæst.* 3. *n.* 15. Contraria tamen, nempe quod solus Sacerdos, qui potest a mortalibus absolvere, possit a minori excommunicatione absolvere, scilicet parochus, vel confessarius approbatus ab Ordinario, est communis sententia, ut testatur *Covar. in cap. Alma par.* 1. §. 12. *n.* 6., *Avila par.* 2. *cap.* 7. *disp.* 1. *dub.* 1. & communem ostendit *Sayr. lib.* 2. *cap.* 22. *n.* 8. Hæc sententia satis probatur ex *dict. cap. Nuper*, & ideo in praxi servanda est.

☞ *Circa absolutionem a venialibus, quam hic asseritur dari posse a simplici Sacerdote, vide notata infra verbo:* Absolutio*: cap.* 2. ☜

Amplia IV. quod Episcopus, seu Prælatus, vel Vicarius pro utroque foro potest absolvere a censura suspensionis in jure lata, scilicet si lata sit ob contumaciam, si non sit reservata a Canone, ex *dict. cap. Nuper*, secundum communem sententiam apud *Sayr. lib.* 4. *c.* 17. *de censf. n.* 12., & *Sanch. de matrim. disp.* 52. *n.* 2. *lib.* 3., *Sbroz. de off. vic. quæst.* 184. *n.* 4. Addo probabilem esse opinionem, quod possit etiam ab illa censura absolvere parochus, vel alius confessarius approbatus: tenent *Vivald. tit. de suspens. n.* 31., *Bonacin. disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 1. *n.* 9., *Coninch. disp.* 13. *n.* 30. & probabilem ait *Filiucc. tract.* 17. *n.* 68. & 70. Sed contraria est communis, quia absolutio a suspensione non pertinet necessario ad forum sacramentale: excipe nisi aliunde habeant privilegia absolvendi a censuris quibuscunque; & ita *Suar. de censf. disp.* 29. *sect.* 2. *Sayr. lib.* 5. *cap.* 5. *n.* 22. *Layman. lib.* 1. *tract. de suspens. cap.* 4. *n.* 2. *Tanner. tom.* 4. *disp.* 6. *n.* 142. An autem Episcopus ex vi *cap. Nuper* possit absolvere a suspensione lata in jure non ob contumaciam, sed in pœnam indefinite, si a Canone non sit reservata, communis sententia affirmat, ut testatur *Suar. loc. cit. n.* 14. *vers. Secunda sententia*, *Abb. in cap. Tam litteris*, *n.* 3. *de testib.* & idem de Vicario Episcopi ait *Sbrozz. loco cit.* De suspensione autem lata vel in perpetuum, vel ad certum tempus, communis sententia docet, non posse Episcopum absolvere ex vi *cap. Nuper*, quia eo ipso est reservata, ex quo Canon tempus præfinivit durationis, ita *Sayr. n.* 10. & 18. *Sanch. loco cit.*

Amplia V. quod ex *dict. cap. Nuper*, similiter Episcopus, seu Vicarius, seu alius Prælatus potest absolvere a censura interdicti a jure lati ob contumaciam indefinite, si Canon non reservavit absolutionem, non autem si ad tempus: est communis sententia, ut apud *Sayr. de censur. lib.* 5. *cap.* 15. *n.* 14. Et procedit de interdicto tam locali, quam personali, sive particulari, sive generali, quia potest absolvere pro utroque foro, ut patet ex *dict. cap. Nuper*, *Avila part.* 5. *disp.* 4. *dub.* 1. *concl.* 8. *Layman lib.* 1. *tract. de interd. cap.* 5. *n.* 1. Et idem de Vicario generali Episcopi ait *Sbroz. de offic. Vic. quæst.* 185. *n.* 2. Advertunt autem *Avil.* & *Layman. ibi*, nullum interdictum locale in jure esse Papæ reservatum: excipe interdictum latum in Bulla Cœnæ *cap.* 2. contra appellantes a Papa ad futurum Concilium. Parochi autem, & alii confessarii approbati, secundum probabilem sententiam possunt absolvere ab interdicto personali particulari a jure lato, non reservato ex *cap. Nuper*, quia symbolizat cum excommunicatione, & ita tenet *Suar. disput.* 38. *sect.* 2. *n.* 8. *Coninch. disp.* 13. *dub.* 6. *concl.* 3. *Filiucc. tract.* 18. *n.* 126. *Bonac. disp.* 5. *punct. ult. n.* 6. *cum Reginal.* & *Alterio*. Contrarium tamen, nempe a nullo interdicto posse istos absolvere, tenent *Henriq. lib.* 13. *cap.* 35. *n.* 2. *Avila part.* 5. *disp.* 6. *quæst.* 10. *num.* 164. *tom.* 4. *Sayr. lib.* 5. *cap.* 15. *num.* 22.

Respondeo II. quod Episcopus potest absolvere ab excommunicatione Papæ reservata eum, qui impedimentum habet, vel perpetuum, vel temporale diuturnum, quominus Papam adire possit, nisi cum magna difficultate: ita tamen, quod si impedimentum non sit futurum perpetuum, absolvatur ad reincidentiam, idest cum cautione juratoria, ut cum primum potuerit, compareat coram Summo Pontifice, seu Sede Apostolica, mandatum apostolicum recepturus, non ut novam absolutionem obtineat, sed ut mandatum accipiat de satisfactione præstanda Ecclesiæ, & parti læsæ, vel ut cognoscatur, an sufficienter satisfecerit, ita *Navar. cap.* 26. *n.* 26. *Sanch. in decal. lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 27. *Sayr. lib.* 3. *cap.* 28. *num.* 36. *Layman de censf. cap.* 6. *n.* 4. Itaque si fuerit iste in partibus absolutus, ut supra, venire debebit ad Curiam; alias reincidet eo ipso: si autem perpetuum sit impedimentum, simpliciter, & absolute absolvet eumdem, *cap. De cætero*, *cap. Mulieres*, *cap. Ea noscitur*, *cap. De monialibus*, *de sent. excom. cap. Eos qui*, *eo. tit. in* 6. & dicitur impedimentum diuturnum arbitrio prudentis, præscindendo a reditu a Curia, ut *Navar. cap.* 27. *n.* 90. *Sayr. lib.* 3. *cap.* 28. *n.* 40.

Cave igitur ab eo, quod ait *Glossa in d. cap. de cætero, verb. Suscepturus*; videlicet semel absolutum non reincidere in excommunicationem, etiamsi sit in mora parendi mandatis, seu comparendi ut supra: nam contrarium (scilicet quod reincidat ipso jure) statutum est *in dic. cap. Eos qui*, ut observavit *Rota decis.* 704. alias 22. *de sent. excomm. in antiq. Sayr. loco cit. n.* 36. *Suar. de cen. dis.* 22. *sec.* 1. *n.* 62. *Sanch. in decal. lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 28. *Abb. in dict. cap. De cætero in fin.* qui bene dicunt, non fore hanc secundam excommunicationem eamdem numero physice, sed moraliter, idest similem, & æquipollentem, & idem ait *Franch. in dict. c. Eos qui, not. ult.* Opinio autem glossæ solum procedit in absolutione a sententia censuræ specialis ab homine data ab ipso latore sub aliqua conditione de futuro, *ut dixi infra cap.* 25.

Sed quæres, quæ dicantur impedimenta canonica perpetua, ut debeat absolvi excommunicatus in partibus ab Episcopo, vel a Commissario Sacræ Pœnitentiariæ sine dicta obligatione veniendi ad Curiam.

Respondeo primo, valetudinarii, idest perpetuo morbo impediti, & membrorum destitutione impediti, *cap. Ea noscitur*, *cap. Quamvis de sent. excom.* ut podagrici, *Silvius, vers. absolut.* 4. *casu* 9. *n.* 3. & notabiliter dirupti *Sayr. lib.* 3. *de censf. cap.* 28. *n.* 34. Item claudi, cæci, attracti, *Innoc. in cap. Quamvis*, *Sayr. n.* 32. & manci, seu manibus diminuti, nisi sint divites, ut famulos habere possint, *Innoc.* & *Card. in cap. Ea noscitur cit.*

Secundo senes, *dict. cap. Ea noscitur*, & *cap. Quamvis*, ubi *Innoc.* & *Cardin.* ampliant, etiamsi fortes videantur. Sed intelligendum de tanta senectute, ut talem laborem itineris subire non possint, *cap. Quod de his de sent. excom.* ideo procedit in septuagenario *Silv. loco cit. casu* 10. sicut ex tunc communi Theologorum excusatur a jejunio, *Bonac. in decal. disp. ult. pun. ult. n.* 4.

☞ *Quando senes excusentur a jejunio, placet hic referre tradita a Paulo Gabriele Antoine Societatis Jesu Tract. de Virtut. Moral. n.* 4. *edit. Romanæ* 1757. ibi: — Quoad senes, quamvis aliqui putent, eos a jejunio eximi circa annum septuagesimum; tamen ex communi sententia, teste Layman, aut saltem communiore, non est pro iis certum tempus constitutum, quo lege jejunii sint soluti, eo quod alii citius, alii tardius viribus deficiant: cum e contra communiter crescant, & firmentur homines usque ad annum 21. Quare senes non excusantur, nisi quando corporis vires deficiunt, itant pluribus modicis egeant refectionibus, alioqui grave nocumentum passuri. Senes si sint multum debiles, eo modo possunt excusari, sicut dictum est de infirmis. Ratione autem senectutis tantum non excusantur, si sint fortes ad ferendum jejunium: nec est determinata ætas ab aliquo usque ad quos annos quis teneatur ad jejunium, ait *S. Antoninus* 2. *part. tit.* 6. *cap.* 1. §. 5.:

Est autem notandum, quod contraria opinio nedum septuagenariis, sed etiam sexagenariis favens, magis invaluit ab anno dumtaxat 1597. *quam more pecudum magnus Casuistarum numerus secutus est ex duplici falso documento audacter evulgato a Hieronymo Lamas Hispano, Auctore cujusdam parvæ Summæ his verbis asserto part.* 3. *cap.* 5. §. 20. ibi: — Qui autem senes dicantur, & in qua ætate deobligentur, nemo dixit determinate hucusque, nec aliquo jure cautum video, nec taxatum. Tamen gratias Deo, quod deinceps regula tenebitur certa a summo Ecclesiæ Pastore decreta: Pius enim V., Pontifex Sanctissimus, anno 1570. viva voce, tum etiam Bulla Cruciatæ ab eodem concessa anno 1569. & anno 1570. decernit, homines sexagenarios ad jejunandum non teneri ex Ecclesiæ præcepto; excipit enim illos, etiamsi Regulares essent, ab abstinentia ovorum, & lacticiniorum in quadragesima, cum alios Regulares omnino extra privilegium, quoad hoc relinqueret, etiam accipientes Cruciatam: insuper interrogatus, viva voce asseruit: & certe satis juste: — *En ergo duo fundamenta, in quibus sui asserti intentionem fundat iste Summista. Sed primum, vivæ nempe vocis oraculum, falsitatis facile argui potest, cum istud nedum nemini tunc temporis Romæ degenti, & præsertim Martino Navarro gravissimo Auctori, & Pio V. perchero, umquam innotuerit, sed etiam quia nullum de eo documentum affert. Secun-*

cundum vero apertissime falsum est, cum in cit. Bulla Cruciata ne unum quidem verbum habeatur, quo hac exemptio declaretur, prout solide refellit duo ista somniata fundamenta Emanuel Concina in Animadversionibus critico-moralib. in Menda Pontasiana Animad. t. *relata initio Tom.* 1. *Diction. Casuum conscient. Jo. Pontas Venet. edit.* 1738. *& lib.* 2. *de Eccl. pracept. diss.* 2. *de Jejun. quæst.* 5. ☜

Tertio pauperes, seu inopes *d. cap. Quamvis*: sed contra est *tex. in cap. Ea noscitur cit.* concordant Canonistæ, ut paupertas excuset, quando quis non est solitus mendicare, & si veniret, cogeretur mendicare, vel & si sit solitus mendicare, tamen veniendo, non posset providere uxori, & liberis, sicut facit in patria, *Innoc. in cap. Quamvis. Abb. in cap. Ea noscitur n.* 5. & ibi *Cardin. Navar. cap.* 27. *n.* 88. *Silv. n.* 3. *cit.* §. *Septimus casus*, *Sayr. n.* 34.

Quarto impuberes casum censuræ reservatæ incurrentes, etiamsi puberes, seu majores effecti absolvi petant, *cap. fin. de sent. excomm.*

Quinto qui sub aliena potestate sunt, scilicet filii familias, & servi (non dico famuli) si pater, vel dominus damnum pateretur eorum discessu, dummodo excessus non sit valde enormis, & absolutio in partibus sine obligatione veniendi non sit scandalum paritura, *cap. Mulieres*, *cap. Relatum il pr. de sen. excomm.*

Sexto Religiosi, qui Religiosum percusserunt non enormiter, *cap. Cum illorum* §. *Qui si*, *cap. Canonica*, *cap. Monachi eod. tit.*

Septimo Mulieres cujuscunque conditionis, *cap. Mulieres*, *cap. Ea noscitur cit.* Ait tamen *Silv. not.* 3. §. *Tertius casus*, quod si casus sit enormis, & mulier fortis ad eundum, & ejus discessus nemini præjudicet, & non sit periculum circa pudicitiam illius, posset ab Ordinario cogi ad eundum Romam: & ita vidi sæpius practicatum, sed satis incaute; ideo non approbant DD. hanc praxim.

Octavo ii, quibus incumbit cura animarum, vel familiæ, vel status, & subditos sine suo, vel illorum periculo derelinquere non possunt, *Silv. casu* 15. *Sayr. n.* 35. *Avila part.* 2. *de cens. cap.* 7. *dub.* 1. *concl.* 3.

Nono Janitores, qui turbam arcentes, seu clericos repellentes percutiunt, *cap. Si vero il pr. de sent. excom.*

Decimo Clerici, qui clericos conviventes percutiunt non enormiter, *cap. Quoniam de vit. & honest. cler.*

Amplia I. quod quamvis fere semper jura loquantur de excommunicatione ob percussionem ecclesiasticæ personæ incursa, tamen DD. communiter dicunt procedere de omni excommunicatione, quia est eadem ratio, ne anima periclitetur, & ita de communi testatur *Sylvest. verb. Absolutio* 4. *n.* 7. tenet *Felin. in cap. Quamvis de sent. excom. Navar. cap.* 27. *num.* 89. *vers. Ad primum*, *Sayr. lib.* 3. *cap.* 28. *n.* 39., *Coninch. disp.* 14. *num.* 241., *Avil. part.* 2. *cap.* 7. *disp.* 1. *dub.* 6. & est *text. in dict. cap. Eos qui*. Non tamen procedit de aliis censuris, scilicet suspensionis, vel interdicti. Sed dubium forte de illis esse potest, a quibus in articulo mortis absolvi quis potest ad reincidentiam (videlicet quæ sacramentis recipiendis obstant, vel ecclesiasticæ sepulturæ, idest interdictum personale, & suspensio a receptione sacramentorum, & ab ecclesiastica sepultura) quia in *cap. Eos qui de sent. excom. in* 6. parificantur isti duo casus, scilicet pro articulo mortis, vel pro impedimento adeundi Papam: sed ab istis potest quis absolvi in articulo mortis ad reincidentiam, secundum probabiliorem, quam docet *Sanch. in decal. lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 12. *cum Zambrano*; ergo etiam in casu impedimenti prædicti. Tamen contrarium tenendum æstimo juxta communem sententiam: nam omnes DD. solum extendunt ad excommunicationes omnes reservatas: & ratio est differentiæ, quia interdictum, & suspensio non arcent absolute a sacramento Pœnitentiæ recipiendo: hæc autem concessio, de qua agimus, est facta, ne quis diu arceatur a pœnitentia, unde non est eadem ratio, & alia sacramenta non sunt christiano tam necessaria.

Amplia II. ut hæc facultas etiam competat aliis Prælatis habentibus episcopalem jurisdictionem in suos, ut tenet *Abb. in cap. Monachi n.* 3. *in fin.* Aliis autem Prælatis inferioribus Episcopo non competit, nisi ex aliquo alio privilegio speciali, ut *Gloss. in dicto cap. De catero*, *super verbo*, *Licet diœcesano Episcopo*, *& Abb. ibi n.* 1. *not.* 2., *Sylvest. absolu.* 4. *n.* 7. Unde neque Vicario generali competit hæc facultas, nisi ex mandato speciali Episcopi, ut *Sbrozz. de offic. Vic. lib.* 2. *quæst.* 108. *n.* 1. & facit *cap. fin. de offic. ordin.*, *gloss. in dict. cap. De catero loco cit.* Et ratio est, quia est concessio exorbitans, & materiæ arduæ, *Abb. in dict. cap. Monachi loco citato*. Adde quod est concessio limitata certis modis; ideo non venit in mandato generali: unde *Felin. in dict. cap. fin.* comparat hanc facultatem absolvendi facultati dispensandi.

Amplia III. secundum aliquos, ut hæc facultas competat Episcopo, etiamsi possit impeditus recurrere ad Sedem Apostolicam per nuncium, vel epistolam, quia non tenetur pœnitens sic recurrere: ita *Henriq. lib.* 6. *cap.* 9. *n.* 7., *Avila part.* 2. *cap.* 7. *disp.* 1. *dub.* 6. §. *Secundo nota*: idem tenet *Ugolin. & Duard. apud Bonac. allegati*, *& Barbos. alleg.* 41. *n.* 7., *Sanch. lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 14., sed contrarium puto verius *cum Bonacc. de censur. dis.* 1. *quæst.* 3. *pun.* 2. *n.* 4., *Zambran. de casib. artic. mor. cap.* 4. *dub.* 4. *n.* 15., *& dub.* 6. *n.* 4. & ita videmus practicari, ut recurratur ad Sacram Pœnitentiariam in similibus.

Amplia IV. ut procedat hæc facultas etiam quoad casus in Bulla Cœnæ Domini, secundum probabiliorem (excepto tamen casu hæresis) quia huic juri non censetur per clausulas Bullæ derogatum, ob magnam illius æquitatem, *ut Coninch. disp.* 14. *n.* 241., *Suar. de pœnit. disp.* 30. *sect.* 3. *n.* 9. *idem in tract. de fide disput.* 31. *sect.* 4. *n.* 26. *Sanch. lib.* 2. *in decal. cap.* 13. *n.* 37.

Respondeo III. quod ex *Trident. sess.* 24. *cap.* 6. *de refor.* concessum est Episcopis absolvere in quibuscunque casibus occultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis delinquentes quoscunque subditos in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputatum in foro conscientiæ gratis, imposita pœnitentia salutari. Excipiuntur tamen hodie omnes casus contenti in Bulla Cœnæ, ut *Sanch. lib.* 2. *in decal. cap.* 11. *n.* 26., & ita in praxi receptum ait *Suar. de cens. disp.* 21. *sect.* 1. *n.* 4. quia Bulla derogat etiam constitutionibus Concilii generalis cujuscunque. Excipitur etiam casus Simoniæ in Ordine ex Bulla Sixti V. ut dixi *par.* 2. *verb. Simon. cap.* 9.

☞ *Vide aliam limitationem in Additione ad cap.* 8. *Verbo*: Clausura:.

Vide etiam supra in Additione ad cap. 23. *post* §. *Dico VI.* ☜

Amplia, quod Episcopus etiam incurrens in excommunicationem reservatam occultam, potest subdelegare confessario suo facultatem, ut ipsum absolvat, ut dixi infra *part.* 2. *verb. Clausura*, *cap.* 6. & supra *cap. præcedenti in fin.*

Limita autem secundum probabiliorem, quod hæc facultas non competit Prælatis inferioribus etiam habentibus episcopalem jurisdictionem, *Garz. par.* 7. *cap.* 11. *n.* 18. *Barbos. alleg.* 39. *n.* 17. multi tamen contradicunt apud eos citati, apud quos alia vide in explicatione hujus facultatis. An autem hoc decreto, nomine Episcopi contineatur Vicarius generalis, ut absolvere possit a censuris quibuscunque, videtur affirmare *Sayr. lib.* 4. *de cens. cap.* 17. *n.* 19. *& Victorel. in not. ad Tolet. lib.* 1. *cap.* 46. dicentes, ita declaratum a Sacra Congregatione: sed non est verum, nisi specialiter ab Episcopo hæc facultas committatur, ut patet ex declaratione Sacræ Congregationis.

Sed quæres, an Religiosi exempti intra Diœcesim commorantes, possint absolutionem obtinere ab Episcopo tanquam ejus subditi. Respondeo diversas esse opiniones probabiles. Aliqui dicunt, eos posse se subjicere etiam sine licentia sui Prælati; quia in hoc censeri debent tanquam ejus subditi, ita *Suar. de cens. dis.* 41. *sect.* 2. *n.* 7. Alii dicunt, eos posse se subjicere Episcopo, cum licentia tamen sui Prælati: ita *Sayr. lib.* 7. *cap.* 7. *n.* 23. *de censur. Avila part.* 2. *cap.* 7. *dis.* 1. *dub.* 6. *conclus.* 2. *cum Feder. de Sen. & Herinq. Regin. lib.* 3n. *tract.* 2. *cap.* 29. *vers.* 5. & hæc videtur magis communis Theologorum, & verior de æquitate. Alii dicunt, neque de voluntate Prælati posse ad hoc se subjicere Episcopo, quia non possunt renunciare privilegio suæ exemptionis, ut *gloss. in Clem. Cum ex eo in fin. de sent. excom. ibi Canonistæ*, *Abb. Felin. & Borgas.* quos sequitur *Ugolin. de cens. tab.* 1. *cap.* 2. §. 17. *n.* 5., *Garzias de benef. part.* 7. *cap.* 11. *n.* 20. & hæc sententia est communis Canonistarum, & verior de rigore juris. Alii denique dicunt, Religiosos exemptos non posse in hoc se subjicere Episcopo sine licentia Prælati, nisi Prælatus deneget licentiam sine causa rationabili, ita *Molina tract.* 3. *dis.* 61. *n. ult. Pontius de matrim. lib.* 8. *cap.* 15. *n.* 14. quæ sententia cum sit media, & distinguens, multo magis probabilis est, *Cevall. comm. cont. comm. in præf. n.* 56.

Respondeo IV. In articulo mortis, idest cum certum est talem

talem jam mori, ſeu ſtatim moriturum, & etiam in periculo probabili mortis inſtaotis, poteſt quilibet abſolvi a quolibet Sacerdote a quibuſcunque culpis reſervatis abſolute, & ab omnibus excommunicationibus, & a ſuſpenſionibus, & interdictis, quibus a Sacramentorum receptione, & eccleſiaſtica ſepultura quis arcetur, quantumvis reſervatis, ſi prompte, ſeu commode haberi non poſſit alius, qui poſſit abſolvere a dictis reſervatis extra mortis articulum; ita tamen, ut a cenſuris reſervatis abſolvatur ad reincidentiam, ſi ceſſante periculo, cum primum potuerit, non compareat coram ſuperiore legitimo, ad quem alias pertineret abſolutio, mandata illius ſuſcepturus, ex *Trident. ſeſſ. 14. de pœnit. Sacram. cap. 7.*, *Suar. de pœuit. diſp. 26. ſect. 4. n. 3.*, *Sanchez in decal. lib. 2. cap. 13. a n. 1.*, *Barboſ. alleg. 25. n. 50.*, *Diau. reſol. 57. & 71. tract. 4. tom. 2.* & alii apud eoſdem, apud quos videri poterit plenior hujus rei explicatio.

☞ *Circa abſolutionem a caſibus contentis in Bulla Cœnæ in articulo mortis attende dicta ab Auctore ſupra pag. 19. §.* An antem. ☜

Reſpondeo V. Mortuo abſolutio dari non poteſt, niſi ab eo, qui pro foro externo poteſt abſolvere, *cap. A nobis 28. de ſent. excomm.*, *Suar. diſp. 12. de cenſur. ſect. 4. n. 3.*, *Bertacch. verbo Excommunicatus abſolvitur n. 44.*, *Marta de juriſd. par. 3. cap. 19. n. 26.* ubi ait, in tali abſolutione flagellandum eſſe ſepulchrum: & forma abſolutionis aſſignatur *in dict. cap. A nobis*. Quod ſi excommunicatio, ſeu cenſura erat occulta, vel ſaltem non denunciata, neque ob notoriam clerici percuſſionem, multi dicunt, quod non indiget mortuus abſolutione, quia abſolutio datur, non mortuo directe, cum ipſe ſit jam ſolutus vinculo cenſuræ quoad ſe, ſed tanquam licentia fidelibus vivis cum eo communicandi, quæ non requiritur, ſi non erat vitandus, juxta *extr. Martini V. Ad evitanda:* & ita *Navar. cap. 27. n. 271.* Tamen æſtimo etiam tunc utilem fore abſolutionem, & eſſe concedendam, ſi ſigna edidit contritionis, ut *Marta loco cit. & dict. cap. A nobis*; ita Sacra Pœnitentiaria ſolet committere abſolutionem mortuorum in excommunicatione pro foro conſcientiæ tantum.

☞ *S. Pœnitentiaria hodie non ſolet committere dictam abſolutionem, niſi ad effectum ſepeliendi cadaver in loco ſacro: & tunc quidem in forma publica.* ☜

Reſpondeo VI. Approbatos confeſſarios interdum habere privilegia abſolvendi a quibuſcunque cenſuris, exceptis in Bulla Cœnæ contentis, & exceptis iis, quas Ordinarii ſibi reſervarunt, & in Italia extra Urbem Romam, exceptis quinque caſibus, de quibus dixi *par. 2. verb. Abſolutio cap. 3.* Vigore igitur hujus privilegii poterit confeſſarius abſolvere non ſolum a cenſuris excommunicationis, & interdicti perſonalis, ſed etiam a cenſura ſuſpenſionis lata a jure ob contumaciam, ſeu indefinite, ſecundum communem ſententiam, quia hæc ſuſpenſio eſt proprie cenſura, quæ tollitur per abſolutionem, *cap. Quærenti de verb. ſignif.* ita *Avila tract. de ſuſpenſ. diſp. 6. dub. 2. in fin.*, *Marius Alter. t. 2. tract. de ſuſpenſ. diſp. 8. cap. 3. in fin.*, *Garzias de benef. par. 2. cap. 5. n. 50.*

An autem poſſit etiam abſolvere a ſuſpenſione incurſa lata ad certum tempus, vel in perpetuum; aliqui affirmant, poſito quod in privilegio adſit particula illa, *a cenſuris, & pœnis eccleſiaſticis*, quos allegavi ſupra *c. 1.* Alii eum dicunt poſſe abſolvere propter particulam, *a cenſuris quibuſcunque*, quia particula hæc videtur comprehendere cenſuras etiam improprie dictas, & quæ alias non continerentur nomine cenſuræ, propter hujus dictionis univerſalitatem, quæ extenditur etiam ad improprie dicta, ut DD. allegati *a Barboſ. de diction. ſuper dict. quibuſcunque, & Seraph. deciſ. 325. n. 7.* & quia dicunt, verbum *abſolvo*, referri etiam ad illas cenſuras improprias: & hanc ſententiam tenet *Filiuc. tract. 17. n. 68.*, *Layman lib. 1. trac. de ſuſpen. cap. 4. in fin.*, *Bonac. de cenſ. partic. diſp. 3. quæſt. 2. punct. 1. in fin.* qui allegat *Henriq.*, *Ledeſm.*, *& Garziam*. Sed contraria verior, & tutior eſt, quia ſuſpenſio ad certum tempus, vel in perpetuum lata tollitur per diſpenſationem, & non per abſolutionem: ita *Suar. de cenſ. diſp. 29. ſect. 1. in fin.*, *Tanner. tom. 4. diſp. 6. n. 142.* & alii, quos allegavi ſupra *cap. 1.*

De Legato a latere, dubitatur a DD. an poſſit abſolvere a cenſuris Papæ reſervatis. Quidam diſtinguunt, dicentes poſſe, ſi reſervatio ſit facta ſimpliciter, ſecus ſi cum dictione taxativa tantum, ſeu dumtaxat ſolum, aut ſolus &c. ita *Felin. in cap. Ad eminentiam n. 2. de ſent. excomm.*, *Barboſ. ibi n. 3. qui alios allegat*. Sed communis ſententia abſolute negat poſſe abſolvere, niſi in caſibus a jure expreſſis, ſcilicet in caſu can. *Si quis ſuadente*, per *dict. cap. Ad eminentiam, & per cap. Excommunicatis de offic. leg. ibi*, *Abb. notat n. 4.*, *Lapus in cap. Si Abbatem n. 1.*, *Gemin. n. 5. de elect. in 6.*, *Vitalin. in Clem. Gravis n. 52. de ſen. excommun.*, *Cuccus inſt. lib. 2. tit. 5. n. 81.*, *Ugolin. de cenſur. tab. 1. cap. 10. §. 3. n. 4.*, *cum Soccin.*, *Armill.*, *Sylv.* & tenet *Sayr. de cenſ. lib. 2. cap. 19. n. 10.*

Puto tamen, eum poſſe abſolvere a caſibus Papæ reſervatis conceſſis Epiſcopo a *Tridentin. ſeſſ. 24. cap. 6.* ſervata forma ibi præſcripta, quia Legatus concurrit cum quolibet Ordinario, & dicitur Ordinarius in tota ſua Provincia *cap. 1. de off. Leg.* & *cap. 2. eod. tit. in 6.* & habet omnem juriſdictionem, quam habet Epiſcopus, *Sanchez lib. 8. de matrim. diſ. 9. n. 25.*

Nunc tranſeamus ad cenſuras ab homine latas, ſeu per ſententias generales, vel ſpeciales. Qua in re

Dicendum I. quod a cenſura ſpeciali nominatim lata pure, ſeu de præſenti, non poteſt abſolvere, niſi is, qui eam promulgavit, ejuſve ſucceſſor, aut ſuperior, tanquam Judex in cauſa appellationis, quando cenſura fuit injuſta, aut delegatus ab illis, *Abb. in cap. Per tuas n. 13. de ſent. excom.*, *Imola in cap. Grave n. 14. de præb.*, *Navarr. cap. 27. n. 40.*, *Tolet. lib. 1. cap. 16. n. 5.*, *Suarez de cenſur. diſ. 7. ſec. 2. n. 10.* & de communi teſtatur *Avila par. 2. cap. 7. diſ. 1. dub. 9.* probatur *dict. cap. Per tuas, & cap. Sacro de ſent. excomm. cap. Qui vero 11. quæſt. 3.* & quod dixi de Judice in cauſa appellationis habetur *in cap. Venerabilibus §. Sane de ſent. excomm. in 6.* Et neque in Sacra Pœnitentiaria concedi poteſt abſolutio a tali cenſura, niſi ad effectum conſequendi indulgentias Urbis, ſi cenſura ſit lata in partibus, & non notoria in curia Romana, & niſi in quibuſdam aliis caſibus particularibus. Delegatus tamen ſolum intra annum a die definitivæ poteſt abſolvere, *cap. Quærenti, de off. De leg.*

☞ *Quod excommunicatus nequeat abſolvi, niſi ab eo, a quo ſpecialis excommunicatio lata eſt, ſtatuitur etiam a Conſtit. Leonis X.* : Dum intra : §. 7. *Clementis VIII.* : Quæcunque : §. 9., *& Clementis X.* : Superna : §. 7.

Nota, quod a regula ſupra firmata excipitur delegatus Papæ, qui ſi aliquem excommunicavit propter inobedientiam in ſe commiſſam, non poteſt eum abſolvere, ſed abſolvi debet a Papa, ut ex cap. Quærenti *voluit Innocentius de Offic. Judic. deleg. quam ſequitur Ludovic. de Ameno de delict., & pœn. tom. 3. tit. 4. §. 8. n. 65.* ☜

Dicendum II. quod a cenſura lata ab homine per præceptum ſpeciale de futuro, ſeu ſub conditione (v. g. ſi cum tali muliere fueris converſatus, vel ſi non intra tale tempus furtum reſtitueris &c.) incurſa, ſi fuerit declarata, vel delata ad Judicem ipſum, qui eam cenſuram protulit, non poteſt abſolvere, niſi is, qui illud præceptum fecit, aut ſucceſſor, aut ſuperior, aut illorum delegatus, ut ſupra; quia regula eſt, quod a ſententia ſpeciali ſolus lator abſolvit: & talis eſt hæc, & ita *Imola in cap. Grave n. 14. de præb.*, *Navarr. conſ. 52. n. 2. de ſent. excomm.* Neque Papa facile abſolutionem concedit a ſententia ſpeciali Ordinariorum, ut *Navarr. ibi n. 4.* Imo olim ante Pium V. neque Pœnitentiarii minores poterant ab hac cenſura incurſa abſolvere, *Cardin. in Clem. Ne Romani, verbo Eo ipſo, n. 5. de elect.* Hodie tamen in caſu noſtro, ſi tranſgreſſio ſit occulta, & non delata ad forum, poſſunt & Pœnitentiarius major, & Pœnitentiarii minores abſolvere ex *Breve ref. Pii V.* quia iſte non dicitur propterea nominatim excommunicatus, niſi ſequatur ſententia declaratoria de incurſu, *Suar. de cenſ. diſ. 9. ſect. 2. n. 10.* Item habentes privilegium amplum abſolvendi ab omnibus cenſuris, tam a jure, quam ab homine latis, poterunt abſolvere eodem modo in occultis, quia tunc non poteſt oriri ſcandalum, aut turbari Judicis juriſdictio abſolutionem dando: ita *Suar. de Relig. tom. 4. tract. ult. lib. 9. cap. 2. n. 21.*

☞ *Vide Conſtit.* : Paſtor bonus : *in fine hujus Operis.* ☜

Dicendum III. quod a cenſura lata per ſententiam generalem pro præcedente culpa (ut monitorio ad reſtituendum, vel revelandum contra incertos) non poteſt abſolvere, niſi lator, & alii ſupradicti de cenſura, ſeu ſententia ſpeciali; quia hæc ſententia licet ſecundum formam verborum ſit generalis, tamen in effectu ratione delicti eſt ſpecialis; quia perſonæ ſecundum ſe jam ſunt certæ, & determinatæ, quæ retinent, vel ſciunt id, de quo agitur; & hanc propoſitionem eſſe certam ait *Alter. tom. 1. de cenſ. lib. 4. diſ. 2. cap. 4. in princ.* & non habere difficultatem ait *Suar. de cenſur. diſ.*

 7. ſect.

7. sect. 2. n. 20., *Filiuc. trac. 11. n. 298.* & eam tenet *Felin. in cap. Pastoralis §. Præterea n. 9. vers. Fortius voluit in fin. de off. ord.* & tenet *Bonac. de cens. in comm. dis. 2. quæst. 6. punc. 1. n. 40.* qui tamen movetur alia ratione, quod in hujusmodi monitoriis solet reservari absolutio ferenti. Et confirmatur hæc nostra sententia, quia cum tales censuræ ut plurimum ferantur ad instantiam partis, lite mota, vel movenda per modum euangelicæ denunciationis, si absolutio ab alio dari posset, facile turbaretur jurisdictio ecclesiastica, & læderetur jus partis, & eluderetur præceptum superioris; ideo absolvens peccaret mortaliter contra justitiam, ut ait *Henriq. lib. 13. cap. 28. n. 2.*, *& n. 5. in fin.* Unde Sacra Pœnitentiaria valde circumspecte absolvit a tali censura, & ita etiam Privilegiati debent caute procedere, ut *Henriquez loco cit. 28. n. 2.*

Dicendum IV. quod a censura lata per sententiam generalem, seu per edictum, pro futuris culpis, seu delictis, si non sit reservata absolutio a ferente, secundum probabiliorem, & magis communem Recentiorum, absolvere potest quilibet, qui a censuris a jure latis non reservatis potest absolvere, juxta *cap. Nuper de sent. excomm.* ita tenent *Tolet. lib. 1. cap. 16. n. 4.*, *Sayr. lib. 2. cap. 19. n. 5.*, *Navarr. cap. 27. n. 44.*, *Imola in dict. cap. Grave n. 14. de prab.* & de communi testatur *Avila par. 2. cap. 7. dis. 1. dub. 8.* & probabiliorem ait *Layman de censur. in comm. cap. 7. n. 3.* Quamvis contraria sententia fuerit magis communis Canonistarum, ut ait *Felin. in dict. cap. Pastoralis*, *§. Præterea n. 9. vers. Fortius in princip.* propter regulam generalem DD. quod a censura ab homine, solus lator absolvit. Adde quod Major Pœnitentiarius potest ab hac absolvi mandare, etiamsi casus sit publicus, & notorius, *Navarr. cons. 2. in fin. de sent. excomm.*

Ex prædictis infertur resolutio quæstionis, an Superiores Religiosorum ferre possint sententias, seu censuras generales, aut speciales, sibique absolutionem reservare, extra casus expressos in decreto Clementis VIII. quo prohibetur Superioribus Regularium alios casus sibi reservare ultra ibi expressos, nisi fiat cum consensu Capituli provincialis reservatio pro tota domo, vel tota Provincia; vel cum consensu Capituli generalis pro tota Religione, quod decretum habes apud *Mirand. par. 2. quæst. 34. art. 7.*, *Suar. de Pœnit. disput. 29. sect. 3. n. 13.* Qua in re respondeo, quod si agatur de sententia speciali nominatim lata in aliquem, sive pure de præsenti, sive sub conditione de futuro, vel de sententia generali pro præterita culpa, certum mihi videtur, posse Superiorem hujusmodi sententias proferre, etiam expresse sibi absolutionem reservando; quia de jure communi potest Superior etiam localis Religiosorum exemptorum in suos subditos censurarum hujusmodi sententias ferre, cum habeat in illos jurisdictionem ordinariam, ut docent *Eman. Sa*, *verb. Excommunic. n. 13.*, *Roderic. quæst. regul. 60. art. 1. tom. 2.*, *Tolet. lib. 1. cap. 6. n. 2. & 3.*, *Henriq. lib. 13. cap. 24. n. 3.*, *Avila par. 2. cap. 3. dub. 1.* & prob. *in cap. Cum in Ecclesiis*, *ibi gloss. verb. Excommunic. de major. & ob.* & eo ipso de jure communi absolutio erit eidem reservata, ut supra dixi: expressio autem ejus, quod tacite inest, nihil operatur, *leg. Non recte*, *ibi Bal. Cod. de fideic.* neque vitiat actum alias validum, *Bal. in leg. 3. in gloss. 1. ff. de leg. 1.*, *Dec. in leg. Actus legitimi n. 10. de reg. jur.* Neque in illo decreto adimitur talis potestas Superioribus Religiosorum, & ita in terminis sentit *Sanchez in decal. lib. 6. cap. 1. n. 16. vers. Tandem quia.*

Si vero loquamur de sententia, seu censura generali pro futuris culpis, verior sententia asserit, Superiorem posse talem sententiam edere, sed non posse sibi censuræ absolutionem reservare, quia sic indirecte posset destruere illud decretum, & quia Sacra Congregatio ita expresse declaravit apud *Cokier. de juris. in exempt. par. 4. cap. 56. in fin.* & ita tenent *Lezana de privileg. regul. par. 1. cap. 17. n. 21.*, *Sanchez in decal. lib. 6. cap. 1. 16.*, *Diana resol. 13. tract. 2. de dub. Regular. tom. 2.* Quamvis contrarium teneant *Suar. de pœniten. disp. 29. sect. 3. n. 13.*, *Faustus*, *Villalob.*, *Coriolan.*, *& Fagund.* apud *Dianam ibidem*, existimantes, adhuc posse Superiores in hujusmodi edictis absolutionem censuræ sibi reservare, minime obstante decreto supradicto Clementis VIII. quod videatur loqui de reservatione culparum, & non censurarum. Sed hæc opinio, quamvis sit probabilis, non potest tamen commode practicari, quia stante probabilitate contrariæ sententiæ, possent subditi Regulares illam sequi absque animarum suarum præjudicio, ut dixi *par. 2. verb. Absolutio cap. 2.*, *Sanchez in decal. lib. 1. cap. 10. n. 53. & 55.*, *& n. 60.* & ita in casu nostro in dubio juris de reservatione censuræ, stante utraque opinione probabili, possent omnino absolvi a confessario suo ordinario, quia Ecclesia censetur in tali dubio conferre illi jurisdictionem, ut dixi *loco citato*; & ita in terminis de dubio probabili utrinque, an casus sit reservatus, quod confessarius quilibet suos possit absolvere, ut haberi possit pro non reservato, ait *Sanch. lin. 1. cap. 10. cit. n. 74.*, *cum Suar.*, *& Henriq.* Illud sine dubio esse videtur, posse Superiorem censuram, seu sententiam generalem promulgare de futuris culpis expressis in dicto decreto, & sibi absolutionem reservare, *ut Sanch. loco cit. n. 16. in fin.* quia hoc ibi non est vetitum. Posset etiam Capitulum generale, & provinciale statuere, & nominare certos casus, dando facultatem Superioribus localibus, quando eis videbitur expedire, in illis talia præcepta etiam sub censura, vel casu reservato faciendi, quia etiam actus legitimi, qui possunt fieri pure, regulariter loquendo, possunt fieri sub conditione, ut *Decius in cap. Actus legitimi n. 3. ff. de reg. jur.*, *Cardin. cons. 103. n. 8. vers. Ad secundum*: & dicto modo satisfactum esset decreto Clementis VIII. quia reservatio fieret cum consensu dictorum Capitulorum.

☞ *Casus reservabiles, non autem eo ipso reservati, expressi in cit. Clem. decr. edita 26. Maji 1593. sunt*

1. *Veneficia, incantationes, sortilegia.*

2. *Apostasia a Religione, sive habitu dimissa, sive retento, quando eo pervenerit, ut extra septa monasterii, seu conventus fiat egressio.*

3. *Nocturna, & furtiva e monasterio, seu conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.*

4. *Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.*

5. *Juramentum falsum in judicio regulari, seu legitimo.*

6. *Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto.*

7. *Falsificatio manus, aut sigilli officialium monasterii, aut conventus.*

8. *Furtum de rebus monasterii, seu conventus in ea quantitate, qua sit peccatum mortale.*

9. *Lapsus carnis opere consummatus.*

10. *Occisio, aut vulneratio, seu gravis percussio cujuscunque personæ.*

11. *Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum a Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.*

Hoc Decretum confirmatum fuit a Congreg. Conc. 21. Sept. 1624. jussu Urbani VIII, hac addita declaratione: Ut si hujusmodi Regularium confessariis casus alicujus reservati facultatem petentibus, Superior dare noluerit, possint nihilominus confessarii illa vice pœnitentes regulares, etiam non obtenta a Superiore facultate, absolvere: *ubi particula*: illa vice: *intelligenda est toties, quoties casus occurrerit, cum non apposita sit particula taxativa*: tantum: *unde locum habet, quoties confessarius facultatem petit, & Superior denegat, ut recte animadvertit Felix Potest. tom. 3. par. 1. c. 2. num. 282.*

Ne autem eluderetur mens Pontificis circa limitationem casuum, quos sibi Superiores regulares (Generales nempe, Provinciales, & Abbates quasi episcopalem jurisdictionem habentes, non Superiores locales) reservare possunt, Cong. Episcopor. & Regul. 7. Jul. 1617. declaravit, eos non posse alicui gravi peccato in Clementis decreto non expresso censuram annectere, quam sibi reservent.

A dictis casibus absolvere non possunt Superiores locales ex declaratione facta in Congregatione Prælatorum Visitationis Apostolicæ 13. Martii 1601. relata a Matthæuccio Offic. Cur. cap. 38. n. 40. sed Generales, & Provinciales, ac ab iis respective deputati dumtaxat: hoc insuper addito, ut decrevit Urbanus VIII. quod si Superiores etiam delegati confessario petenti denegaverint facultatem absolvendi ab aliquo ex iisdem casibus, tunc idem confessarius ab eo absolvere possit.

Ad absolutionem quod attinet a censuris in dubio juris de earum reservatione, quam Auctor dari posse asserit a confessario ordinario, limitanda est de reservatione casuum etiam dubie contentorum in Bulla die Cœna Domini legi solita ex decreto dicti Clementis VIII. 9. Jan. 1601. ubi expresse id prohibetur: & quamvis in altero ejusdem decreto 26. Nov. 1602. quo hoc primum declaravit, & moderatus est, non repetatur: si dubie: *moderatio tamen, & declaratio respectum habet* dum-

dumtaxat ad casus reservatos, a quibus Regulares, aliique etiam vigore suorum privilegiorum absolvere non possunt: ideoque remansit in suo vigore primum enunciatum decretum: & ita in praxi semper intellexerunt Examinatores Apostalici Urbis, prout a Colleghis meis audivi: quidquid in contrarium legatur in Felic. Potest. tom. 1. par. 4. cap. 5. n. 3313. & in Opere, cui titulus: Istruzione per i novelli Confessori: *par. 2. cap. 21. n. 496. prout notavi supra cum nostro Auctore in Addisione ad cap. xvi. hac ead. part. I. post §.*: de Dubio: *pag. 12.* ☜

CAPUT XXV.

De suspensione pœnarum ecclesiasticarum latæ sententiæ.

Suspensio pœnarum ecclesiasticarum quatuor modis contingere potest. Primo per absolutionem ad reincidentiam, quæ est suspensio Improprie dicta; proprie enim est absolutio absoluta de præsenti a pœna ecclesiastica sub conditione potestativa, æquivalenter resolutiva, idest ut ea conditione non impleta, v. g. satisfactione aliqua non præstita, ob novam culpam antea absolutus, reincidat in excommunicationem similem virtualiter, & æquivalenter eandem, *Abb. in cap. De cætero in fin. de sent. excomm.*, *Cenedo prac. quæst. 23. n. 4.*, *Suar. de cens. disp. 22. sect. 1. n. 62.*, *Sanch. in decal. lib. 2. cap. 13. n. 28.*, *Coninch. disp. 14. n. 217.*, *Filiuc. tract. 11. n. 314.* Et hoc genus absolutionis frequens est in materia censurarum ecclesiasticarum. Talis intelligitur absolutio, quæ datur a Sede Apostolica, vel a Legatis ipsius a censura, injungendo, ut obsolutus Ordinarii sui, aut alterius, se conspectui repræsentet, suscepturus ab eodem pœnitentiam, & ut passis injuriam, seu damnum, satisfactionem exhibeat competentem: si enim hæc cum primum commode poterit, non curaverit adimplere, in eandem sententiam reincidet ipso jure, ut *cap. Eos, qui de sent. excomm. in 6. in §. Idem statuimus*. Et hic modus a Sacra Pœnitentiaria semper observatur cum his, quos absolvit in forma pro missis, vel remissis, quibus dat litteras ad Ordinarios suos deferendas in forma prædicta. Hanc autem absolutionem, seu suspensionem a censuris ecclesiasticis dare possunt omnes, qui habent potestatem ordinariam illas absolvendi, quia si possunt libere absolvere, multo magis limitate, *cap. Cui licet 53. de reg. jur. in 6.* Est autem advertenda differentia, quam notat *Rota decis. 704.* alias *22. de sent. excomm. in antiq.* nempe quod absolutus a censura a jure lata, sub cautione, seu promissione de stando, seu parendo mandatis, ut supra dixi, si fuerit in mora adimplendi quod promisit, reincidit ipso jure in censuram, ex *dict. cap. Eos, qui*. At vero absolutus a censura ab homine lata, si fuit absolutus directe, idest a latore, sub cautione de stando juri, si fuerit in mora, non reincidit ipso jure; sed prævia monitione canonica, est reducendus in eandem censuram, donec pareat, & idem notat *Franc. not. ult.*, & *Joann. Mon. in dict. cap. Eos in fin.* Excipe, nisi ipse expresse absolvisset ad reincidentiam, ut dixi. Delegatam autem potestatem habentes absolvendi a censuris, ut multi privilegiati Regulares confessarii approbati, secundum communem sententiam non possunt absolvere ad reincidentiam modo prædicto, quia carent jurisdictione ad talem sententiam, seu censuram reproducendam, *Cenedo pract. quæst. 23. n. 4.*, *Henriq. lib. 13. cap. 20. n. 1.*, *Navar. cap. 27. n. 14.*, *Regin. n. 54. cap. 3. cit. Roderic. in summ. tom. 1. cap. 84. n. 3.*, *Gutier. alleg. 9. per totam*, & alii multi: quamvis *Suarez* contrarium teneat *disp. 7. sect. 8. n. 24. de cens.* Certe in multis casibus a jure expressis confessarii ita possunt, & debent ad reincidentiam absolvere, ut a reservatis censuris in articulo mortis, ut dixi *cap. præceden.*

Sed hic quæres, an absolutus sub reincidentia modis prædictis, teneatur personaliter se repræsentare, an sufficiat si per procuratorem specialem. Respondeo, quod quando absolvitur ad reincidentiam propter aliquod impedimentum, cum obligatione quamprimum commode poterit, adeundi eum, ad quem pertinet directe absolvere, si fuerit justa causa impeditus personaliter accedere, potest per procuratorem, *ut dict. cap. Eos, qui in princ. ita Archid. ibi verb. Præsentare*, *Franc. not. 3.*, *Anchar. ibi*, nisi in casibus, quibus canon requirit personaliter præsentari, ut *in cap. Si quis suadente* habetur, *in cap. Quod de his in fin. de sent. excom.* Quando vero absolutus quis est in Curia Romana, & mittitur ad Ordinarium, ut pareat mandatis, scilicet ut satisfaciat, & pœnitentiam suscipiat illius arbitrio; tunc sufficit si per procuratorem se repræsentet, si Ordinarius id acceptet; quia non mittitur, ut iterum absolvatur, & nulla est necessitas præsentiæ personalis, *ut not. Anchar. not. 4.*, *Gemin. n. ult.*

Secundo modo proprie suspenduntur censuræ, seu pœnæ ecclesiasticæ, quando absolvuntur ad certum actum, vel ad certum tempus, ut deinde statim reincidat reus in eandem numero censuram, seu pœnam, etiam sine nova culpa, *Abb. in cap. Ad hæc 37. de appellat. n. 4.*, *Cardin. ibi*, *Dec. cons. 145. n. 1. & 3.*, *Genuen. in prax. cap. 22. n. 5.*, *Suarez de cens. disp. 7. sect. 8. n. 19. 20. & 21.* quia cum censura, & quælibet pœna latæ sententiæ non habeat esse, nisi morale, potest eadem numero reproduci, seu resultare ex eadem causa, seu canone; ita *Suar. n. 21. loc. cit.* Talis igitur est absolutio, quam apponit Papa in suis litteris ad illarum effectum absolvens; & talis est absolutio, quæ datur nominatim excommunicatis in Sacra Pœnitentiaria per octo dies, ad effectum consequendi Indulgentias Urbis.

☞ *Qui terminus solet extendi ad aliud congruum tempus juxta distantiam locorum, ne pereant in itinere ob aliquod vitæ periculum.* ☜

Hanc autem absolutionem, seu suspensionem, secundum multorum DD. sententiam, solus Papa, vel cui Papa commiserit, concedere potest, quia habet vim dispensationis super jure communi, aliquo modo alterando naturam censuræ: ita *Franch. in cap. 1. n. 19. de rescr. in 6.*, *Gemin. ibi n. 14.*, *Barbos. n. 20.*, *Jo. Andr. in dict. cap. Ad hæc*, & *ibi Cardin. col. ult.*, *Abb. n. 3. in fin.*, *Genuen. loco cit. n. 5.*, *Suar. disp. 6. sect. 4. n. 7.* Et hæc est magis communis: quamvis contraria sit probabilis multorum, quod Episcopus (non tamen inferior Prælatus) possit absolvere modo prædicto ad certum actum, v. g. conferendo beneficium excommunicato, vel suspenso, si talis sit censura, a qua ipse possit absolvere ordinaria potestate: ita *Navar. in cap. Ita quorundam n. 11. & 18. de Judæis*, *Cuccus institut. lib. 4. tit. 1. n. 189.*, *Ugolin. tab. 1. de cens. cap. 4. §. 5. n. 18.*, *Avil. par. 2. cap. 6. disp. 5. dub. 2. concl. quarta*, *Garz. de benef. par. 7. cap. 13. num. 68.*

Advertendum autem circa absolutionem prædictam, quam Papa apponit in suis litteris: primo quod non suffragatur quibusdam insordescentibus in censuris, de quibus dixi *par. 2. verbo Insordescentia*. Item non suffragatur irregularibus, quia non suspendit irregularitatem, *Garz. par. 7. cap. 11. n. 56.* Item non prodest, quoad effectum litterarum mediatum sed immediatum; siquidem solum juvat ad validitatem illarum litterarum: unde si sint in forma commissaria, non poterit censura ligatus obtinere expeditionem a Commissario, nisi prius obtinuerit absolutionem liberam a censura. Item, si quis excommunicatus, vel suspensus obtinuit Breve extra tempora, validum est, sed non poterit promoveri ante absolutionem proprie dictam, ut *Garz. loc. cit.*

Tertio modo suspendi interdum potest censura, aliave pœna ecclesiastica per appellationem: & quidem in hoc etiam est differentia inter censuram latæ sententiæ, ac ferendæ; quod a censura ferendæ sententiæ, seu de futuro incurrenda, v. g. si lata sit sub conditione de futuro, vel in diem, appellari potest non solum devolutive, sed etiam suspensive, ut *cap. Præterea il 2. ibi omnes Canonistæ de appell. ut dec. 177. n. 2. lib. 2.*, *Genuens. in praxi cap. 22. n. 2. §. Declara septimo*, & *late Sanch. opusc. lib. 3. cap. Un. dub. 32. n. 2. & n. 260.* Imo si excommunicatio, seu censura lata sit in juris subsidium, si intra tot dies non fuerit paritum, tunc per appellationem omnino extinguitur, & expirat, *Seraph. dec. 1296. n. 2.* Sed intellige ista, dummodo non sit frivola appellatio, scilicet ex causa inani, *Sanch. n. 233.* Item limita, dummodo ista appellatio non sit a præcepto facto pro executione rei judicatæ, alias enim posset reus subvertere effectum rei judicatæ: in hoc enim casu etiamsi sit lata censura sub conditione, v. g. si intra tot dies non paruerit, non potest intra hunc terminum appellare, *Gemin. cons. 99. n. 1. in fin.*, *Rot. par. 1. recent. decis. 248. n. 2.* Si autem censura sit latæ sententiæ (scilicet de præsenti, seu pure lata) ab homine, & sic jam incursa a reo: in hoc est speciale, ut non detur contra eam appellatio suspensiva, sed tantum devolutiva: unde regula est in jure, quod censuræ, scilicet excommunicatio, suspensio, & interdictum, non suspenduntur per appellationem, *cap. Pastoralis §. Verum*, *cap. Is cui*, *cap. Ad hæc quoniam*, *de appell.* late *Genuen. in prax. cap. 22. a n. 2.*, *Sanch. opusc. lib. 3. cap. Un. dub. 32. n. 240. & 286.*, *Felin. in cap. Rodulphus n. 43. de resc.* A pœna vero

la-

latæ sententiæ ex ipso jure, in quam dicitur quis incurrisse, sive sit censura, sive alia pœna, non datur appellatio, *leg. Siqua pœna, ff. de verb. signif. cap. Quia nos de appell. gloss. in cap. Cupientes*, §. *Quod si, verb. Privatos, de elect. in 6.*, *Felin. loc. cit.* Canonistæ *in dict. cap. Quia nos*, & *alii*, quos ibi allegat *Barbosa*. Tamen a declaratoria censuræ, & alterius pœnæ latæ sententiæ ex ipso jure commissæ admittitur appellatio, dummodo vere non sit notorium, pœnam commissam esse, ita *gloss. in dict. cap. Cupientes*, *Felin. loc. cit.* cum aliis per eum allegatis, & de communi testatur *Gennen. loc. cit. n. 1.* & *2.*, *Sanch. loco cit. n.* 243. & per talem appellationem suspenditur non ipsa pœna, sed declaratoria, ut interim habeatur pro non declarato, ut *Gennen. ibi*, & *Sanch.* n. 243. eum allegatis per eum. Unde sequitur, quod interim non poterit denunciari, & si cedulones affixi sint, erunt removendi, ut *Sanch. n.* 243. *loco cit.* qui plurimos allegat, & *Gennen. ibi n. 1.* & 2. Item sequitur, quod post talem appellationem, ea pendente, non erit necessario vitandus, ut *Felin. loc. cit. vers. Respondeo*, *Navar.*, & *Henriq.* quos sequitur *Sanch. dub.* 33. *in fin.*, *Avil. par. 2. cap. 5. disp. 5. dub.* 11. *concl. 5.*, *Gutier. pract. quæst. lib. 1. cap. 50. n. 2.* Item sequitur, quod si reus sit in mala fide, & sciat, se incurrisse in censuram, seu pœnam, non relevabitur pro foro conscientiæ per hanc appellationem, ut *Gennen. n.* 2. Si autem probabili ignorantia æstimavit, se non incurrisse in censuram, seu pœnam, confisusque de justitia suæ appellationis, se ingessit divinis, & celebravit, non fiet irregularis, *gloss. in cap. Solet ver. In officiis, de sen. excomm. in 6.* & *ibi omnes Canonistæ*, & procedit etiamsi postea declaretur male appellatum, *Felin. ibi*, & alii communiter, quos allegat, & sequitur *Sanch. dub.* 32. *n.* 244., & *Barbos. in dict. cap. Solet n.* 11., *Navar. in cap.* 23. *summ. n.* 104. §. *Succedit*. Verum est, quod si declaretur male appellatum, acta contra jus censuræ, seu pœnæ commissæ, pendente appellatione gesta, si processerunt ex privato officio, sunt nulla, & retrotrahitur effectus sententiæ Judicis ad quem, v. g. electio, vel acceptatio beneficii erit nulla: gesta autem ex vi publicæ potestatis, seu jurisdictionis externi, vel interni fori erunt nihilominus valida; ita *Fel. loc. cit. cum Innoc. Abb.* & aliis multis DD. ut collatio beneficii &c. ut dixi etiam supra *cap. 6. in fin.*

Advertendum autem ex *cap. Venerabilibus* §. *Sane*, & *ibi gl. verbo Si vero*, & *DD. de sen. excom. in 6.* quod si in secunda instantia sententia appellationis cognoscatur justa, non debet judex appellationis absolvere, nisi periculum sit in mora, aut nisi excommunicans malitiose deneget absolutionem: si autem sit certe injusta excommunicatio, debet a judice appellationis absolvi ad cautelam. Si autem sit dubia, tunc judex appellationis potest absolvere, sed melius est, ut remittat reum absolvendum ab ipso promulgante.

☞ *Circa suspensionem censurarum per appellationem attendenda sunt disposita a Clemente VIII. a Benedicto XIII.*, & *XIV. prout in hujus Constitutione, cujus summam vide in meis Additionibus, post Cap. IV. verbo*: Appellatio: *n.* 34. & *seqq.* ☜

Insuper nota differentiam inter sententiam censurarum, promulgatoriam, & declaratoriam: quod validitas promulgatoriæ non pendet a consensu partium: ideo etiamsi non sit appellatum, non convalescit, si erat invalida. Secus est in declaratoria, quia erit vitandus reus, donec revocetur sententia, *cap. Licet de sent. excomm. in 6. Cæsar de Grass. dec. 2. n. ult. de judic.*

Quartus modus suspendendi pœnas latæ sententiæ est per prorogationem factam a creditore, seu parte, termini a lege, seu judice assignati ad satisfaciendum eidem parti læsæ, in cujus favorem pœna lata est ipso facto incurrenda per terminum. Qua in re tres sunt sententiæ.

Prima asserit, per talem prorogationem a sola parte factam, etiam sine auctoritate Judicis, suspendi pœnam, verbi gratia, excommunicationem, ut non incurratur in termino illo legali, seu judiciali, sed in termino prorogato, seu conventionali, si in eo non fuerit satisfactum: quia sicut potest creditor in totum tollere obligationem, & pœnam, sic potest differre; & quia prorogatio fit cum omnibus circumstantiis, & accessoriis: & quia ea suspensio est secundum mentem legis, vel Judicis. Hanc sententiam tenet *Innoc. in cap. Præterea il 2. in fin. de appellat. Anton. ibi*, & *Abb. n. 4.* qui ait esse verissimam; & *Cardin. in Clem. 1.* §. *Nos itaque, n.* 18. *Dec. in dict. cap. Præterea, n. 7.* ubi ait esse magis communem; *Odo de Senonen. tit. de itin. actuque priv. Angel. verb. Excomm. 2. n. 20. Felin. in cap. 1. n. 5. de jurejur. Suarez de cens. disp. 3. sect. 6. n. 8.* & *9. Filiucc. tract. 11. n. 81. Bonac. de cens. disp. 1. quæst. 2. pun. 4. n. 1. Coninch. de cens. disp. 14. n. 199. Anton. Massa Galesius tract. de forma oblig. Camer.* §. *Secunda consideratio, n. 19. 21. Capell. Tolos. dec. 73. Bar. in l. 1.* §. *Et post operis, ff. de nov. op. nunc. n. 6. Alex. ibi* n. 14. *Imol. in dict. cap. Præterea, n. 8. in fin. Bald. in l. 1. quæst. 10. C. de his, quæ pœnæ nom.* ubi exemplum de pœna testamentaria.

Secunda sententia ait, prorogationem illam tollere in totum pœnam, si sine consensu ferentis fiat prorogatio, ut non incurrat debitor in termino legali, seu judiciali, quia creditor cessit juri suo; sed neque in termino conventionali, seu prorogato, quia non habuit pars jurisdictionem differendi pœnam in illud tempus, ita *Sanch. in decal. lib. 4. cap. 55. n. 5.* & *6. Anchar. in cap. Quicunque*, n. 3. *de sent. excomm. in 6.*

Tertia sententia asserit, nullius momenti esse prorogationem factam a parte sola, sine consensu Judicis, seu superioris, qui talem sententiam tulit: quia ea pœna non pendet a voluntate partis, sed a voluntate sententiam ferentis, cujus voluntas non est retractata; & secus esset in pœna conventionali, quæ pendet ex partium voluntate: ideo dicunt, debitorem nihilominus incurrere in pœnam in termino a lege, seu a Judice assignato. Si autem fiat prorogatio cum consensu superioris prædicti, validam esse ad suspendendam, & differendam pœnæ commissionem in terminum prorogatum. Hanc sententiam tenet *Hostien. in dict. cap. Præterea*, & *ibi Henricus Boich. a n.* 10. qui ait hanc tutiorem; *Jo. Andr.* & *Jo. Mon*, quos allegat, & sequitur *Bover. prorogatio. Sing. 2. Rebuff. in concord. tit. de prorog. dilat. verb. Ideo si præcipiatur. Ugol. de cens. tab. 1. cap. 20.* §. *ult. n. 5. Sylv. Excomm. 2. n. 1. casu 13. Sayr. lib. 1. cap. 11. n. 20. Cenedo quæst. 23. n. 5.* (& communem ait *Card. loco cit.*) & tenet *Bertacch. verb. Prorogatio, n. 9. Præpos. in dict. cap. Præterea n. 12.* Prima ergo sententia est magis communis: sed hæc tertia est meo judicio probabilior, si loquamur de pœna latæ sententiæ a jure, quia neque eam Judex differre potest, nec minuere, ut dixi supra *cap.* 15. sed neque commutare, ut *Bart. in l. Quid ergo.* §. *Pœna gravior, ff. de his, qui not. infam. Tiraquel. in l. Si unquam, verb. Revertatur, n.* 423. multo minus partium voluntate differri, sed per subtractionem materiæ, scilicet liberatione totali, seu acceptilatione potest in totum remitti.

Fallit tamen, quando pœna latæ sententiæ etiam a jure, indiget, ad hoc ut committatur, declaratione partis, seu creditoris, ad cujus favorem fertur: quia tunc dilatio suspendit pœnæ commissionem, & differt, & admittitur purgatio moræ, *Tiraquell. loco cit. n. 311. Gemin. in cap. Licet canon.* §. *Is etiam, n. 3. in fine, de elect.* Exemplum habes infra *part. 2. verbo Pensio*, & simile de caducitate emphyteusis ob canonem non solutum, ut *Clarus* §. *Emphyteusis, quæst. 9.*

CAPUT XXVI.

An pœna latæ sententiæ cesset temporis cursu, vel mutatione loci, seu fori, vel mutatione Superioris.

CIrca primum dubium, videlicet, an pœna latæ sententiæ semel commissa, seu incursa, cesset cursu temporis: regula est, quod pœna imposita ad tempus, cessat eo finito, *l. Bart. ff. de pœnis, l. Imperator, ff. de postul. ibi Bal.* & *Alber.* ipsa enim sententia pœnam inferens temporariam, continet in se virtualiter absolutionem, seu abolitionem post illud tempus, *dict. l. Fratres*.

Amplia I. ut multo magis procedat hæc regula in pœnis latæ sententiæ, quæ ex ipso jure inferuntur, facto hominis minime indigentibus; nam eo tempore transacto, cessant sine facto hominis: exemplum in *dict. l. Imperator*, de interdicto a munere advocandi, seu postulandi ad tempus; nam eo peracto, postulare non prohibetur.

Amplia II. ut procedat etiam in censuris ecclesiasticis; nam interdictus ad tempus determinatum, eo transacto, non indiget alia absolutione, sed ipso jure absolutus est, *Sylv. verb. Interdictum, 3. quæst. 9. gloss. in cap. Si qui sunt 81. dist. verb. Emendent, gloss. in cap. Non est vobis, ver. Donec, ibi Abb. n. 7. de spons.* & plurimos congerit *Sayr. lib. 5. de cens. cap. 15. n. 2.* cum communi. Et procedit hæc doctrina secundum magis communem, etiam de interdicto lato ad tempus incertum, seu sub conditione resolutiva, ut *gloss.*

in

in dict. cap. Si qui sunt, & cap. Non est vobis, & Sayr. loco cit. Avil. part. 5. disp. 6. dub. 1. Coninch. disp. 17. n. 76. Quamvis contra, quod requiratur absolutio in hoc casu teneat *Suar. disput. 38. sect. 1. n. 5. Filiucc. tract. 18. n. 115.* quia dicunt, interdictum latum ad certum tempus non esse proprie censuram, ideo cessare sine absolutione: at interdictum latum usque ad certam conditionem resolutivam, seu satisfactionem, esse proprie censuram: de censuræ autem natura est, ut non tollatur, nisi per absolutionem; ita *Suarez ib.*

Amplia III. etiam in suspensione, ut non solum si lata sit ad certum tempus, eo finito, tollatur, quod omnes concedunt, sed etiam si ad tempus incertum, seu donec satisfecerit, secundum probabiliorem; ita *gloss. in Clem. 1. verbo, Donec, de dec. Sayr. lib. 4. cap. 8. n. 13. cum ibi alleg. Coninch. disput. 14. n. 219. & 220.* & communem ait *Tanner. tom. 4. disp. 6. quæst. 10. n. 147.* quamvis *Suar.* contrarium teneat *loco cit.* Illud tamen communiter tenent DD. quod pro externo foro debet accedere declaratio de competenti satisfactione, vitandi scandali causa, & ob certitudinem illius satisfactionis, ut *gloss. in dict. Clem. loco citat., ibi DD. & Barbos. ibi, cum Jo. Valer. diff. utriusque fori, verb. Absolutio n. 1. Sayr. cap. 8. n. 14.* qui addit cum *Felino; Gemin. Ugolino*, & aliis, quod si ante dictam declarationem quis celebraret, non fieret irregularis, nec esset censendus irregularis pro externo foro, si constaret, eum jam satisfecisse. Limita supradicta de suspensione, & interdicto, ut non procedant, quando adesset clausula illa, *maneat, &c. donec, satisfactione præmissa, absolutionem meruerit obtinere*, vel similia verba; quia tunc apparet, in ea sententia non contineri absolutionem verbis directis, sed obliquis, idest, facto Judicis indigentibus, ut *Coninch. loco citato.*

Ampliant etiam IV. nonnulli in excommunicatione lata ad certum tempus, vel sub conditione resolutiva, ut si lata sit hoc modo, excommunicatus existat, donec satisfecerit competenter, vel similibus verbis: quia in ea sententia excommunicationis continetur implicite absolutio, & quia absolutio ab excommunicatione non habet determinata verba, & ita tenent *Covar. in cap. Alma mater, part. 7. §. 11. n. 5. Henriqu. lib. 13. cap. 29. n. 2. Avila par. 2. cap. 7. disput. 2. dub. 6.* Sed contraria est communis, & tenenda; quia ex consuetudine Ecclesiæ absolutionem requirit præcisam post satisfactionem, & pro foro externo, etiam cum certa solemnitate: ideo non censetur per dicta verba sententia absolutionis importari: & ita *glossa in Clem. 1. de decim. verb. Donec, Anton. & Abb. in cap. fin. de matrimon. contr. contra interdict. Eccles. Sylv. verbo, Interdict. 3. n. 13. Navarr. cap. 27. n. 165. Anan. Felin. Dec. Innocent.* & alii allegati apud *Covar. loco citato*, qui ait hanc esse communem sententiam.

Circa dubium secundum, scilicet an pœna ecclesiastica latæ sententiæ cesset mutatione loci, vel fori: adverte, quod non est quæstio de pœnis latis ex jure pontificio, cum certum sit eas ubique adstringere, *cap. fin. de constit.* quia Papa est Judex ordinarius, & superior omnium christianorum, *gloss. in dict. cap. fin. vers. Adstringit, & ibi Abb. n. 5. Innoc. in cap. Quod super n. 6. de vota*, ejusque territorium est totus mundus, ut dixi supra *cap. 20. differ. 10.* & in criminibus ecclesiasticis, ubi statuta est confiscatio bonorum, potest statuere, ut ubique talium reorum bona applicentur fisco ecclesiastico, vel alteri, cui ipse voluerit, etiamsi rei fuerint personæ sæculares, ut *Pegna in director. Inquis. 3. par. quæst. 109. comment. 158. vers. Neque in his, Farinacc. quæst. 190. §. 12. n. 173. & 185.*

Dubium igitur propositum est de pœnis latis per statuta, vel per sententias Ordinariorum. Qua in re videbimus primo, quid dicendum de pœnis jam commissis, seu incursis, deinde agemus de committendis.

Quæritur ergo primo, an pœna ex statuto, vel sententia Ordinarii diœcesani lata, & in ejus territorio jam a reo incursa, extendatur extra territorium, reumque comitetur, quocunque ierit.

Respondeo, quod si pœna respicit personam, illam afficiendo, idest inhabilitando, seu illius statum diminuendo, sequitur personam quasi annexa ossibus ejus, & sicut lepra leprosum, etiam extra territorium inferentis. Si respicit exercitium, ver. gr. artis, vel facultatis, non inhabilitando personam, sed simpliciter prohibendo, non extenditur extra territorium inferentis. Si respicit locum, non extenditur ultra locum. Si respicit bona, privando bonis per confiscationem ex jure communi, tunc extenditur ad bona ubicunque sita, etiam extra territorium: ita tamen ut confiscatio, seu executio realis fiat a Judice, & fisco loci, ubi ea sunt sita. Si autem privat bonis de jure speciali, non extenditur ad bona sita extra territorium privantis, *gloss. in l. Ex ea causa, ff. de postul. & ibi Bal. Bar. in l. Cunctos populos, n. 50. & ibi Bal. n. ult. C. de summa Trinit. Ant. in cap. Postulasti, & ibi Abb. num. 11. Felin. num. 2. 5. & 6. de for. comp. Tiraquell. de legib. connub. glos. 8. n. 29.* & probatur exemplis.

Primo. Excommunicatio, quia intrinsece personam afficit, sequitur personam ubique, sicut lepra leprosum: & quidem quoad ipsum absolute: quoad alios vero, ut debeat ubique vitari ab omnibus, si fuerit publice denunciata, *cap. Si quis a proprio, 11. quæst. 3. & ita omnes DD. supracitati.*

II. Suspensio ab officio personam afficit, & ligat ubique, etiam extra territorium suspendentis, *gloss. in dict. cap. Si quis a proprio, verb. Ab aliis, Cardin. in Clem. 2. n. 23. de ætat. & qual. Felin. in cap. Apostolica, n. 14. de except. Ugolin. de cen. tab. 4. cap. 8. §. 5. n. 2. Sayr. de cens. lib. 4. cap. 6. n. 29.* De suspensione autem a beneficio distinguendum est: quia si lata est a jure, vel statuto, tunc si ex causa respiciente certam Ecclesiam, intelligitur de beneficiis, quæ reus habet in illa Ecclesia, & non extra; si ob causam universalem, intelligitur universaliter etiam de alibi sitis. Si vero lata sit per sententiam, seu ab homine, non extenditur ad beneficia sita extra ejus territorium, nisi aliunde constet de voluntate Judicis ferentis, *cap. Postulasti, ibi. Innoc. & Abb. n. 7. de foro comp. Anton. in cap. Pastoralis, §. Verum, ibi Abb. n. 21. de appellat. Felin. in dict. cap. Postulasti, n. 5. Sayr. loco cit. n. 28.*

III. Interdictum personale speciale ligat reum ubique etiam extra territorium ferentis. Interdictum autem personale generale, idest latum contra universitatem, ligat omnes singulares, quandiu sunt de tali universitate: quod si cessent esse de tali universitate, ut collegio, capitulo, populo, & non sint culpabiles in causa illius interdicti, desinunt esse interdicti eo ipso, ut *Sayr. lib. 5. cap. 4. n. 4. cum allegatis, & Avila de cens. part. 5. dis. 1. dub. 4. cum Sylvest. Henriqu. & Covarr.* Interdictum locale, ut latum in civitatem, vel territorium, ligat omnes, quamdiu manent in loco illo interdicto: quod si inde exeant, eo ipso liberi sunt ab interdicto, si tamen non sint culpabiles in causa illius interdicti, *cap. Si sententia, 18. de sent. excom. in 6. Sayr. lib. 5. de cens. cap. 2. n. 3. & 4. Suar. de cens. disp. 32. sect. 2. n. 32.* Interdictum ambulatorium (idest quando interdicitur locus quilibet, quandiu in illo manserit talis delinquens, vel dum in eo fuerit talis persona injuste detenta) recedente a loco persona prædicta, tollitur ipso facto, ut *cap. Non est vobis, de spons. & ibi gloss. verb. Donec, Abb. n. 7. Navarr. cap. 27. n. 166. Suar. de cens. dis. 32. sect. 2. n. 3. Ugolin. de cens. tab. 5. cap. 22. §. 1.* & habes casum infra *par. 2. verb. Arma cap. 10. §. Praterea terræ.* Interdictum autem personale generale, vel locale quodcunque non potest ferri, aut extendi ad universitates, aut loca extra diœcesim, seu territorium proferentis; non enim possunt sortiri forum ratione solius delicti ipsæ universitates, aut loca: ita docent *Abb. in cap. Cum inter, n. 3. de consuet. Imola n. 2. Anchar. n. 1. in fin. Sylvest. ver. Interdic. 2. n. 5. §. Quartum, Ugolin. de cens. tab. 5. cap. 21. §. 1. Suar. disp. 36. sect. 2. n. 3. Sayr. lib. 5. cap. 3. n. 7.* Excipe duos casus per consequentias ex jure communi. Primus casus est, quod interdictum ab Ordinario latum in civitatem, extenditur ad suburbia, & continentia ædificia, etiamsi non sint intra territorium, seu diœcesim illius, *cap. Si civitas de sent. excomm. in 6. Calder. de interd. part. 1. n. 24. Covarr. in cap. Alma, par. 2. §. 1. n. 8. in fin. Alterius tract. de interd. dis. 1. cap. 4. col. 9. vers. Sed dubium, Sylv. Ugolin. & Suar. loco cit.* Secundus casus est, quod interdictum locale generale ab Episcopo latum, comprehendit etiam loca exempta existentia intra fines illius diœcesis, per *dict. cap. Cum inter de consuet. ibi Abb. Imola, & Anchar. item Suar. loco cit. n. 2. Alter. ubi sup.* & probatur ex *cap. Tuarum de privil. Clem. 1. de sent. excom. Triden. sess. 25. cap. 12. de Regul.* per quod Triden. decretum verius est fuisse privilegiis derogatum, ut probat *Garzias de benefic. part. 3. cap. 2. a n. 278.*

IV. Infamiæ pœna afficit personam, ejusque statum minuit, eamque sequitur, ut lepra leprosum, etiam extra territorium Judicis, ex cujus sententia notatus est, *l. Ex ea causa, ibi glos. verb. Non irrogat, ff. de postul. Bar. in l. Cunctos populos n. 50. C. de Summ. Trin. Abb. in cap. Postulasti n. 11. Felin. n. 5. de foro comp. Bal. in cap. Super eo, il primo, n. 4. de testib.*

V. Inhabilitatis pœna afficit personam, etiam extra territorium eam inferentis, *Bal. in dict. l. Cunctos populos n. ult. Lamberten. de contr. mulier gl. 2. verb. Mulierum n. 48. Bnratt. decis. 27. n. 5. cum pluribus allegatis*: ubi habetur, quod tunc dicitur affecta persona, seu inhabilitata, quando statutum est absolute, ut non possit v. g. contrahere secus, si statutum sit, ut non possit contrahere sine certa solemnitate; hoc enim casu ea persona non ligaretur statuto extra territorium statuentis, ut de magis communi testatur *Lamberten. & Rota ibi*. Hic tamen adverte, quod pœna inhabilitatis ad beneficia ecclesiastica Episcopi, vel Legati statuto, vel sententia inferri non potest absolute, ita ut reddat inhabilem etiam extra territorium ipsius: intra territorium autem restricta ex causa rationabili potest inferri, & ab eodem dispensari, *Bern. Diaz. in praxi cap. 134. n. 7. in noviss. impress. cum ibi allegatis*.

VI. Interdictus bonis, seu ab administratione bonorum suorum, ubique etiam extra territorium interdicentis affectus remanet, *l. Is, cui bonis, ff. de verb. obl. Tiraquell. de legib. connub. gloss. 8. n. 219*.

VII. Relegationis pœna non potest se extendere extra territorium relegantis, neque enim potest reum obligare, ut observet certa confinia extra territorium suum, *l. Relegatorum §. Interdicere, ff. de interd. & releg. Bart. in dict. l. Relegatorum, §. Est quædam, Abb. in dict. cap. Postulasti, n. 10. Felin. n. 2. de for. comp.*

VIII. Prohibitio simplex exercendi officium advocati non ligat extra territorium, si non fuit inhabilitata persona, *l. Ex ea ff. de postul. ibi Bar. Bal. & Alber.* sic prohibitio etiam pœnalis facta ab Ordinario clericis deferendi certum habitum, v. g. pileum, non ligat eos extra ejus diœcesim, *Alber. ibi*.

IX. Confiscationis bonorum pœna, si lata sit in casibus a jure communi expressis, extenditur ad omnia bona, quę reus habet etiam extra territorium Principis, seu Judicis sententiam ferentis; ita tamen, ut executio realis, idest confiscatio, fiat ab unoquoque superiore loci, in quo bona sunt sita, ejusque fisco applicentur. Si autem confiscatio, seu publicatio bonorum imponatur de jure speciali, non extenditur extra territorium, *Bar. in dict. l. Cunctos populos, n. 51. Bal. ibi. n. ult. Abb. in dict. cap. Postulasti, n. 11. de for. comp.* & de communi testatur *Clarus §. fin. quæst. 78. vers. Sed hic quæro*.

X. Privationis officiorum, vel beneficiorum pœna lata ab Ordinario in clericum, extenditur ad existentia extra territorium illius, si ita ipse in sententia declaraverit: ita tamen, ut executio actualis fiat ab Ordinario loci, ubi existunt, & deinde conferentur aliis a legitimo collatore, *cap. Proposuisti, in fin. de for. comp. & ibi Canonistæ*. In dubio tamen non censetur pœna hujusmodi privationis comprehendere officia, aut beneficia extra territorium existentia, *Abb. in dict. cap. Postulasti n. 10. Felin. n. 5*. Adverte autem, quod nullus Prælatus inferior Papa potest imponere pœnam privationis beneficii, nisi in casibus a jure expressis, *gloss. Abb. Gemin. Felin. & Bart.* quos allegat, & sequitur *Bern. Diaz. in praxi cap. 134. num. 2. in noviss. edit.*

Quæritur secundo, an pœnæ latæ sententiæ ex statutis, sententiis Ordinariorum, a delinquentibus alias incurrendæ, evitentur mutatione loci, vel fori.

Advertendum est, quod hic non loquimur de pœnis latis a Prælatis Religiosorum; quia horum jurisdictio directe personas respicit, neque circumscribitur territorio, cum totus mundus sit eis pro territorio, *Lauren. & Vincen.* quos allegat, & sequitur *Sylvest. verb. Excom. 2. n. 15. Salas de legib. disp. 14. sec. 4. n. 43. §. Tertium*, & ideo Religiosi ubique ligantur præceptis, ac pœnis a suis Prælatis injunctis, *Roderic. quæst. regul. 59. art. 1. tom. 2. Avila part. 2. de cens. cap. 3. disp. 2. dub. 4.* quidquid in contrarium dicat *Miran. Manuali part. 2. quæst. 35. art. 8. concl. 3.* Hoc posito,

Dicendum in hac quæstione distinguendos esse tres præcipuos casus. Primus casus est, quando subditus ratione domicilii alicui Ordinario, delinquit extra territorium illius, an incurrat pœnas latæ sententiæ tali delicto impositas ab Ordinario supradicto.

Respondeo primo, quod si sunt pœnæ latæ sententiæ ex statuto, aut sententia generali, ut edicto de futuris culpis, certum est subditum eas non incurrere, *cap. Ut animarum de const. in 6. & ibi Canonistæ*, & de communi testatur *Avila loco cit. dub. 2. concl. 1. & 4. Alter. de cens. tom. 1. disp. 9. lib. 3. cap. 5. §. 3. Propositio*. Quamvis quo ad pœnas sententiæ ferendæ aliquo modo ligari possit in loco domicilii, si a judice loci delicti præventus non sit; si enim revertatur ad territorium domicilii, poterit ibi conveniri pro delicto extra territorium commisso, ibique citari, & puniri; & si non compareat, vel non pareat, poterit excommunicari, *cap. Cum contingat, de for. comp. ibi Abb. n. 7. Imol. n. 4. Felin. n. 1. Ugolin. de cens. tab. 1. cap. 2. §. 12. n. 2. Avila dub. 3. concl. 6.* Et hanc differentiam inter pœnas latæ sententiæ, & ferendæ notant *Bald. in leg. 1. n. 23. cap. De Summ. Trin. Abb. cap. 1. n. 7. de rapt. Suar. de leg. lib. 3. cap. 33. n. 6. Sayr. lib. 1. de cens. cap. 6. n. 39. & 42. Salas. de leg. dis. 14. sect. 5. n. 74. & sect. 7. n. 88. Addit. ad Angelum de malef. vers. Est quædam inquisitio post n. 84.* & de communi testatur *Abb. in cap. fin. n. 40. & 41. de for. comp.* & magis communem ait *Layman l. 1. tract. de cens. cap. 4. n. 7.*

Respondeo II. quod si pœna latæ sententiæ sit imposita ab Ordinario per sententiam in judicio, v. g. super causa debiti, ut sis ipso facto excommunicatus, nisi Titio intra dies 30. satisfeceris, quamvis reus ante trigesimum diem mutaverit domicilium, seu territorium, seu forum, nihilominus si non pareat, incurret in pœnam; quia in sententiis conditio retrotrahitur, non autem in legibus, & statutis; & quia persona jam fuit judicio præventa: sufficit enim quod tempore judicii cœpti fuerit subditus: ita *gloss. in cap. Præterea, 40. verb. Impedire de appellat. ibi Bal. n. 7. Nevo n. 36. Imola n. 7. Præpos. n. 17. Sanch. opusc. lib. 3. cap. unic. dub. 32. n. 280. Abb. in cap. fin. n. 42. de for. com. Sayr. lib. 1. cap. 11. n. 19.* & communem dicunt *Soccin. in cap. Sacro, n. 152. de sent. excomm. Genuens. in praxi cap. 2. in addit. n. 7. Mandos. de monito. quæst. 41.* Amplia, ut procedat etiam in sententia generali per viam monitorii ad revelandum, vel restituendum, sub pœna v. gr. excommunicationis ipso facto incurrendæ; eteoim ligantur inobedientes, qui tempore promulgationis hujusmodi sententiæ, seu edicti erant subditi, licet ante terminum assignatum mutaverint territorium, & forum, ut tenet, & de communi testatur *Genuen. loco cit.* & probat *Barbosa allegat. 96. n. 73. cum aliis DD. & Suar. de cens. dis. 5. sec. 5. n. 18. in fin.* ubi exæquat hujusmodi sententias generales sententiis specialibus.

Respondeo III. quod si pœna latæ sententiæ sit imposita per præceptum extrajudiciale, ut si Episcopus clerico peregrinaturo præcipiat sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, ne arma ferat, aut vestem aliquam profanam, ligabitur ea pœna transgrediens etiam extra diœcesim, si non mutaverit domicilium, seu forum; quia extra territorium existens, adhuc manet subditus præcipienti, & præceptum personale sequitur personam, ita *Gemin. in cap. 2. de const. in 6. Ugolin. tab. 1. de cens. cap. 9. §. 3. n. 4. Eman. Sa verb. Judex, tit. de sententia, &c. n. 8. Suar. de cens. dis. 5. sect. 5. in fin. Salas de leg. dis. 14. sect. 5. n. 78. in fin.* & communem dicunt *Abb. in cap. fin. n. 42. de foro comp. Alter de cens. tom. 1. disp. 9. lib. 3. c. 5. propositione 5.* & magis communem ait *Layman lib. 1. tract. de censur. cap. 4. n. 7.*

Si autem post illud præceptum extrajudiciale subditus mutaret domicilium, seu forum, deinceps non ligaretur tali præcepto, nec pœna, quia ejus fundamentum, nempe personæ subjectio, sublatum esset, & hanc esse communem sententiam ait *Alterius loc. cit. propositione 2. pag. 356.*

Secundus casus est, quando forensis, seu advena in alieno territorio, seu diœcesi aliena delictum committit, pro quo delicto ibi est imposita pœna aliqua latæ sententiæ; quæritur an eam incurrat.

Respondeo I. Si pœna lata erat per statutum, eam incurrit, nisi probabili ignorantia excusetur: ratio est, quia in isto casu ferentis fit subditus, seu forum sortitur ratione delicti, *per cap. fin. de foro comp.* ita docet *gloss. in c. A nobis, a 1. verb. Nonnisi subditi, de sent. excomm. ibi Abb. n. 7.* ubi ait esse communem sententiam, *Cardin. n. 2. Felin. n. 5. Soccin. n. 28. Barbosa n. 11.* ubi ait esse communem, *Sayr. lib. 1. de cens. cap. 7. n. 22.* & teoent, & communem dicunt *Suar. de cens. dis. 5. sect. 5. n. 10. & de leg. lib. 3. cap. 33. n. 9. & 11. Clarus §. finali, quæst. 85. vers. Secundus est casus*.

Amplia I. ut procedat, etiamsi statuto pœna illa sit apposita pro facto alias non damnato a jure communi, v. gr. pro delatione armorum, vel extractione frumenti, &c. *Calderin. in repet. cap. 1. de rap.* quem sequitur *Felin. loco cit. n. 4.* & de communi testatur *Clar. ibi cum aliis DD.* probant *Suar. de leg. loco cit. Salas de leg. dis. 14. sect. 4. n. 49. Basil. de Leon. lib. 5. cap. 7. §. 1. n. 15. Castropal. tom. 1. tract. de leg. dis. 1. punct. 24. §. 3. n. 13. Farinac. lib. 1. praxis, quæst. 7. n. 1.* Quamvis alii afferant, forenses non ligari legibus pœnalibus loci

loci specialibus, neque incurrere in pœnas ratione transgressionis, nisi legum transgressio cederet in damnum specialiter illius loci, quod tenet *Sanch. de matrim. lib. 3. dis. 18. n. 14. cum ibi allegatis, Granado 1. 2. trac. de leg. dis. 6. sect. 1. n. 26. Baldell. de leg. lib. 45. dis. 32. n. 16. 21. & seqq. Layman lib. 1. tract. de leg. cap. 12. n. 4. & 5.* Quorum sententiam in praxi probabilem puto quoad transgressionem legum loci, in qua, seu per quam nullum inferatur damnum, seu nocumentum territorio hujusmodi, scilicet neque in res, neque in personas illius, v. gr. si adesset aliquod statutum etiam pœnale de jejunio, aut observatione festi, & forensis secrete, et citra scandalum transgrederetur illud, non peccaret, neque pœnas hujusmodi committeret.

Amplia secundo, ut procedat dicta conclusio de omni forense, seu advena, etiamsi ibi non habeat quasi domicilium, idest etiam si ibi non sit permansurus ad majorem anni partem: etenim ut obligetur ratione delicti, non requiritur habitatio, seu commoratio in loco, & ita tenent *omnes DD. supra alleg. locis ibi cit.* cum communi sententia.

De iis enim, qui habent animum commorandi ad majorem partem anni conveniunt fere omnes DD. eos ligari omnibus statutis loci etiam specialibus, & tenet *Sanch. num. 9. Granado n. 25.* De vagis autem absolute omnes concedunt, eos ligari omnibus legibus locorum, in quibus etiam obiter existunt, *Sanch. n. 15. Granado, num. 26. Baldell. disp. 33. num. 28. Salas de leg. dis. 14. sect. 4. n. 55. Abb. in cap. fin. n. 13. de foro comp. Clarus §. fin. quæst. 39. §. Cæterum.*

Resp. II. Si pœna latæ sententiæ sit imposita delicto per viam sententiæ generalis (v. g. edicti temporalis, de futuris delictis, vel monitorii ad revelandum, vel restituendum, vel comparendum, vel satisfaciendum pro præteritis culpis) non comprehendit forenses, seu advenas, seu peregrinos in illo territorio tunc existentes, vel etiam postea illuc accedentes animo non permanendi saltem ad majorem partem anni, *text. in cap. A nobis 21. de sent. excomm. ibi Abb. n. 7. Felin. n. 4. Soccin. n. 29. Covarr. in cap. Alma part. 1. §. 10. n. 2.* ubi ait communem, *Suar. de censur. dis. 5. sect. 5. n. 10.* ubi ait communem, *Sayr. lib. 1. de censur. cap. 7. n. 22. Avila de cens. par. 2. cap. 3. dis. 2. dub. 3. concl. 3.* Itaque comprehendit solum eos, qui subditi sunt ferenti sententiam tempore latæ sententiæ ratione domicilii, vel quasi domicilii, & ibi tunc existunt; non autem continet eos, qui postea subditi effecti fuerint illuc se conferentes ad habitandum, *Covarr. & Avila ibi*, neque continet subditos, qui tempore latæ sententiæ degebant extra territorium, etiamsi postea ad illud territorium suum revertantur, *Genuen. in praxi, c. 2. n. 7. cum ibi addit.*

Tertius casus principalis est, quando delictum commissum est partim in uno territorio, partim in alio, seu inchoatum in hoc, consummatum in illo. Quæritur, an delinquens incurrat pœnas latæ sententiæ simpliciter latas pro tali delicto, scilicet consummato, ex statuto hujus, vel illius territorii.

Respondeo primo, quod si delinquens existens in hoc territorio inchoavit, seu causavit delictum, quod consummatum est, seu effectum habuit in alio territorio, ipso ibi non existente, (v. gr. explodens bombardam ex hoc territorio, occidit inimicum existentem in altero territorio, vel ex hoc territorio allocutus est hominem existentem in altero contra prohibitionem pœnalem; aliqui DD. dicunt, quod neque hujus, neque illius territorii incurret pœnas latæ sententiæ, quamvis quoad pœnas ferendæ sententiæ utrobique puniri possit; ut apud *Farinac. decis. 61. n. 3. & 6. in collec. de crimin.* & rationem afferunt, quia pœnas latæ sententiæ latas pro tali delicto, nempe consummato, non incurrit in loco, ubi existit, ubi solum delictum est inchoatum; pœnas autem pro consummato delicto in altero territorio latas non incurrit ipse existens extra illud territorium; quia cum canon latæ sententiæ trahat secum realem executionem, non potest operari contra personam existentem extra territorium, cum nullus Judex possit facere executionem realem pœnarum extra territorium suum, *cap. Proposuisti de for. compet.* ita tenet *Paul. Leazar.* quem allegat, & sequitur *Felin. in cap. fin. num. 16. vers. Limita nisi, de foro comp.* Sed contraria sententia est communis, & vera, scilicet quod incurrat pœnas latæ sententiæ ex statuto loci, ubi delictum est consummatum, etiamsi ipse non existit tunc ibi; quod hoc sufficit, ut sortiatur forum ratione delicti, etiam quoad incurrendas pœnas latæ sententiæ ex statuto loci illius, *per cap. fin. de foro comp.* & virtualiter, ac moraliter ibi est, ubi effectus sequitur ab eo causatus, ita tenent *Suar. de censur. dis. 5. sect. 4. n. 9. Salas de leg. dis. 14. sect. 5. n. 72. Ang. verb. Excommun. 1. n. 10. casu 3. Sylvest. verb. Excom. 2. n. 8. Armilla verb. Excomm. n. 30. Coninch. de censur. disp. 13. n. 62. Regin. lib. 9. n. 142.* & probatur per *cap. Ex tuæ, §. Contra eos, de Cler. non resid.* ubi constat posse aliquem ligari pœnis latæ sententiæ, dum existit extra territorium.

Respondeo II. si delinquens inchoat delictum in uno territorio, & illud perficit, seu consummat in alio territorio præsens (v. g. hic collectam fecit armatorum, & progressus inimicum occidit in territorio proximo; vel hinc abduxit puellam, & in alio territorio defloravit; vel hic incepit hominem persequi, & in alio territorio vulneravit) pœnas quidem latas simpliciter pro tali delicto, ut homicidio, stupro, vulnere, incurrit ex statuto loci consummationis delicti, non autem ex statuto loci inchoationis: pœnas autem latas pro actu inchoativo delicti incurrit ex statuto loci inchoationis, ita *Felin. in dict. cap. fin. num. 13. Bar. in l. 1. §. Divus, ff. ad l. Cor. de Sicar. Suar. dict. sect. 4. n. 9. Salas dis. 14. sect. 5. n. 71. vers. Dico autem, Laym. lib. 1. de cens. cap. 4. n. 6. coroll. 3. Castropal. tom. 1. tract. de leg. quæst. 1. punct. 24. §. 5. num. 24. & 28. Coninch. loco supra cit.* Quoad pœnas autem ferendæ sententiæ, quando inchoatio delicti est immediata, ut in exemplis supra positis, potest puniri ratione delicti postea consummati in utroque territorio, itaut sit locus præventioni, ut de communi testatur *Abb. in cap. fin. n. 25. de foro comp. Suar. loco cit. n. 9. Castrop. n. 27. Clarus quæst. 38. vers. Item pone, Farin. lib. 1. prax. quæst. 7. n. 45.* Ratione autem inchoationis mediatæ, ut tractatus, vel mandati, magis communis sententia tenet, solum puniri posse in loco, ubi delictum fuit consummatum, ut *Clarus quæst. 38. vers. Item quæro, & alii apud Farinac. num. 47. Angel. de malef. verb. Existens Florentiæ, num. 2. & 4.* quia crimen consummatum extinguit crimen inchoatum, *Angel. ibi n. 4.* Si autem effectus non esset subsecutus, tunc posset puniri in loco inchoationis, idest mandati, seu tractatus, pœna extraordinaria, ut *Menoch. de arbitr. casu 352. n. 9.* nisi a statuto esset imposita pœna determinata etiam pro tali attentato, seu conatu, ut pro ipso tractatu, vel mandato solo, ut paulo superius dixi, & tradit *Tiraquell. de pœnis temper. causa 37. num. 4. & 6.*

Circa dubium tertium, habes differentiam inter pœnas latas a jure, seu statuto, & latas ab homine, seu per sententiam; quia pœna, v. gr. censura lata a jure, vel statuto est perpetua, quia lex semper loquitur; ideo etiam mortuo, vel amoto legislatore, manet in suo vigore; at lata ab homine seu per sententiam particularem, vel generalem pro futuris, vel præteritis culpis, si nondum sit incursa, cessat omnino, eodem ferente mortuo, vel amoto, *cap. fin. de off. leg. gloss. in cap. A nobis il primo, ibi Host. Abb. Felin. & Barbosa num. 22. de sent. excom.* & communem sententiam testatur *Navar. cap. 27. num. 2.* præceptum enim hominis per ejus mortem expirat, *l. Si per epistolam, ff. de acquir. hæred.* & idem tenent *Sylvest. verb. delegatus, quæst. 6. Bar. in l. Omnes populi, n. 8. in fin. ff. de legib. Suar. de legib. lib. 1. cap. 10. n. 9. Sanch. de matr. lib. 8. disput. 38. n. 4.* Secus tamen quoad censuram, seu pœnam jam incursam, quia res non est integra, ut probatur *dict. cap. fin. de off. leg.*

CAPUT XXVII.+

De pœna depositionis latæ sententiæ.

Depositio, seu degradatio clericorum verbalis est triplex. Prima quidem est, qua quis privatur in perpetuum officio, & beneficio ecclesiastico, non tamen privilegio clericali, scilicet fori, canonis, & bonorum; cujus forma habetur *in cap. Veritatis, in fine, de dolo, & contumac.* & ita docent Canonistæ communiter *in cap. At si clerici de Judic. Bernard. Diaz. in prax. cap. 138. num. 1. Menoch. de arbitr. casu 415. a num. 6. Sayr. lib. 5. de censur. cap. 20. n. 10. Layman lib. 1. tract. 5. par. 3. tit. de suspen. cap. 6. n. 3.* & quod clericus depositus non amittat privilegia clericalia, notat *gloss. in cap. Ut famæ, ver. Non amplius de sent. excomm.* Hæc pœna aliquando in jure canonico est latæ sententiæ, ut habes infra *par. 2. verb. Censura cap. 11. n. 3. & verb. Falsum cap. 4. num. 2. & verb. Hæresis cap. 2.*

Adverte autem, quod ad hanc depositionem infligendam non requiritur illa solemnitas, seu numerus, & consensus Prælatorum, prout requiritur ad degradationem verbalem, de

Caput 27. pag: 31: + De diversis speciebus pœnarum ecclesiasticarum et primo de depositione verbali latæ sententiæ seu quod idem est de pœna depositionis latæ sententiæ pag: 31

de qua infra dicam; sed sufficit ipsa lex, vel sententia Episcopi, etiam sine consensu capituli, ut colligitur ex *dict. cap. Veritatis*, & expresse habet Pontificale Romanum, *tit. Ordo suspensionis &c.* §. *Circa depositionem*, ubi sic ait esse consuetum: & idem testatur *Clarus* §. *fin. quæst.* 74. *vers. Sed quæro*, & docent *Joan. Andr. Gemin. Franch. & Anchar. in cap.* 2. *de pœn. in* 6. *Sayr. lib.* 5. *loco cit. cap.* 22. *n.* 7. *Menoch. ubi supra num.* 13. *Suar. de censur. disp.* 30. *sect.* 1. *n.* 18. Et potest ferri hæc sententia etiam a Vicario generali ex commissione Episcopi, *Sbrozz. de offic. Vic. lib.* 2. *quæst.* 157. *num.* 8. *Barbos. de potest. Episc. alleg.* 110. *num.* 23. *Laymann lib.* 1. *tract.* 5. *par.* 3. *tit. de suspens. cap.* 6. *n.* 5. Sed nullus Ordinarius potest infligere pœnam depositionis, nisi in casibus a jure expressis, *Sayr. loco cit. cap.* 21. *n.* 5. qui recenset casus istos: qui bene advertit ibi *n.* 1. neque in omnibus casibus per antiquos canones expressis hodie hanc sententiam posse proferri, cum ob humanam fragilitatem multum sit de antiquo rigore laxatum, *Can. Fraternitatis tuæ* 34. *dist.*

☞ *Circa differentiam inter depositionem, & degradationem, ac casus depositione dignos vide Bened. XIV. de Syn. Diœc. l. IX. c.* 6. *n.* 3. *edit. Patavina* 1755. ☜

Quod de depositione verbali dictum est, procedit etiam de suspensione perpetua, vel multum diuturna; & saltem ut Episcopus eam proferre non possit sine consensu, idest judicio capituli: quia dicitur hoc negotium esse de arduis, *Sbrozz. de offic. Vic. lib.* 2. *quæst.* 181. *n.* 5. *cum Innoc. in cap. Ad hæc num.* 1. *& ibi Abb. de offic. Archid. per cap.* 1. *de excess. Præl. & ibi Abb. n.* 2. Neque privatio beneficiorum potest imponi ab Episcopo, nisi in casibus a jure expressis, *Garz. par.* 11. *cap.* 10. *n.* 1. *&* 2.

Adverte etiam, quod regulariter loquendo, degradationis nomen in jure prolatum, intelligendum est de hac pœna depositionis simplicis, nisi aliud appareat, ut *Abb. in c. Tua, de pœnis*, *Menoch. loc. cit. n.* 5. *&* 18., *Barbos. dict. alleg.* 110. *num.* 9.

Secunda species depositionis verbalis est illa, quæ proprie dicitur degradatio verbalis præparatoria ad degradationem actualem, & deponit clericum ab omni ordine, & beneficio, & ab omni privilegio clericali: & requirit certum numerum, seu consensum Prælatorum, seu ecclesiasticarum personarum, de qua *in c. Novimus, de verbor. signific. dicto cap.* 2. *de pœnis in* 6. *Trident. sess.* 13. *cap.* 4. *de refor.* Sed quia hæc pœna semper requirit sententiam specialem ferendam, ideo non pertinet ad hunc tractatum.

Actualis autem degradatio nunquam infertur, neque inferri potest, nisi quando pro tali crimine clericus degradatus tradendus est Curiæ sæculari, & ideo coram ipso Magistratu, seu Judice sæculari, cui tradendus est, fieri debet, ut ait *Innocentius III. in dict. cap. Novimus*, & habetur *in Pontificali tit. Degradationis forma col.* 1., *Suar. de censur. disp.* 30. *sec.* 2. *num.* 4. *&* 10. ubi ait neminem degradari, nisi tradendus brachio sæculari, a quo morte puniendus sit: etsi contrarium, quod scilicet possit actualiter clericus degradari, etiam quando non est tradendus Curiæ sæculari, insinuet Pontificale, *tit. Degradatio a prima tonsura*: & ita aliquando vidi practicatum.

Tertia species depositionis verbalis est absoluta, & totalis: participat enim de utraque supradicta: siquidem privat omni quoque privilegio clericali, & non exigit ulterius depositionem actualem, sed ipsa est actualis depositio, seu degradatio virtualiter, & æquivalenter, seu fictione juris, ut ait *Menoch. de arbitr. dict. casu* 415. *n.* 27. *Carrer. in praxi tit. De degrad. n.* 13. & hæc pœna frequenter in jure reperitur latæ sententiæ, ut habes infra *par.* 2. *verb. Abortus n.* 2. *verb. Assassinium*, *verb. Conclave cap.* 9. *n.* 1., *verb. Curia cap.* 1. *n.* 2., *verb. Ordo cap.* 16. *n.* 9., *& cap.* 19. *n.* 1., *& verb. Sodomia*.

Quæres. An pœnæ prædictæ depositionis verbalis latæ sententiæ, ex ipso jure incursæ, ligent in foro conscientiæ ante declaratoriam. Respondeo negative cum communi sententia, & probabiliori, *Henriquez lib.* 14. *cap.* 5. *n.* 1. *in comment. lit. F. & lib.* 13. *cap.* 56. *n.* 2. *Avila par.* 7. *disput.* 4. *dub.* 7. §. *Circa quam*, *Suar. de cens. disp.* 31. *sect.* 4. *n.* 22. *Graff. Roderic. Ugolin. Tolet. & Ledesma apud Garziam de benefic. par.* 11. *cap.* 10. *n.* 197. quamvis *id Garzias ibi* contrarium teneat cum *Navarro*. Adde, quod neque pro foro externo degradatio illa ipso jure lata, & incursa vim habet ante declaratoriam Judicis ecclesiastici: unde non poterit Judex sæcularis interim procedere contra clericum ipso jure degradatum, seu privatum omni privilegio clericali, secundum veriorem sententiam; & in praxi receptam, ut dixi *verb. Assassinium in fin.* & docet *Sayr. de censur. lib.* 6. *cap.* 20. *n.* 16. *in fin.* Item hujusmodi degradatio incursa in casu occulto per se non reddit degradatum irregularem, nisi ulterius a jure illi sit imposita talis pœna, *Henriquez lib.* 13. *cap.* 36. *lit. M. Navar. cap.* 27. *n.* 248. *Avila loc. cit.* & alii apud Garziam *ubi sup.* quamvis contra, quod reus in tali casu fiat irregularis in foro conscientiæ, teneat *Garz. ibi*, *& Sanch. in decal. lib.* 2. *cap.* 28. *n.* 7.

Quæres II. An Episcopus possit dispensare super pœna depositionis, & degradationis latæ sententiæ, ex ipso jure canonico incursa, quando scilicet non est ventum ad actualem degradationem.

Respondeo super pœna depositionis a solo officio, & beneficio, si hæc pœna sit lata ob delictum gravius adulterio, non potest dispensare; si autem sit lata ob delictum non gravius adulterio, poterit ex causa rationabili dispensare, per *cap. At si clerici*, §. *De adulteriis*, *& ibi Canonistæ communiter, de Judic. Marius Alt. tom.* 2. *tract. de suspen. disp.* 2. *cap.* 9. *columna* 7. *Bellet. titul. de fav. cler. person.* §. 10. *n.* 9. *Riccius resoluti.* 221. Super pœna vero degradationis, scilicet privationis omnis privilegii clericalis, non potest dispensare, quia æquivalet degradationi actuali, super qua Episcopus non potest dispensare, seu gratiose restituere degradatum, *cap. Si lapsis*, *cap. Si semel*, 50. *dist. Sylvest. verb. Degrad. n.* 10. *Barbosa alleg.* 110. *in fin. cum ibi allegatis*; & quia ex ipsa pœnæ hujus gravitate illud delictum gravius adulterio a jure æstimatur, ut dixi supra *cap.* 23. §. *Dico quarto*.

Circa hæc nota primo, quod pœna depositionis a beneficio est fortior, quam simplex privatio; quia depositio involvit perpetuam incapacitatem, seu inhabilitatem ad illud per novam provisionem obtinendum, nisi super ea dispensetur; simplex autem privatio, etiam pœnalis, non facit inhabilem ad recuperandum per novam collationem, *Suarez de censur. disp.* 30. *sect.* 1. *n.* 6.

Nota secundo, quod depositus ab officio, si celebret, non fiet ex hoc irregularis: unde apparet depositionem differre a perpetua suspensione, *Sayr. lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 26. *vers.* 4. *Suspensio*, *& lib.* 7. *cap.* 9. *n.* 20.

Episcopus autem in restitutione prædicta servare debet formam præscriptam in *Pontificali par* 3. *tit. Ordo suspensionis*, *& reconciliat &c.*

Sed quæres, an Episcopus possit restituere de jure, seu ex justitia adversus depositionem factam ob crimina majora adulterio, cognita scilicet injustitia, vel nullitate sententiæ suæ, vel Vicarii sui. Respondeo, quod si agatur de sententia depositionis verbalis tantum, certum est, eum posse restituere, servata solemnitate præscripta: ita habetur *in Pontificali loc. cit.* Si autem agatur de depositione actuali, seu degradatione solemni, communior quidem DD. sententia tenet, non posse restituere: ita *Archid. in cap. Episcopus presbyter* 58. *quæst.* 6. *n.* 8. *ibi Præp. n.* 7. *Turrecr. n.* 2. *Suar. de cens. disp.* 30. *sec.* 2. *n.* 10. *Barb. alleg.* 110. *n. ult. cum aliis multis*. Tamen contraria sententia verior videtur, quam tenet *Bonac. de censur. tit. de Deposit. propos. quinta in princ. cum Mario Alterio, & aliis quibusdam*: & probatur primo *dict. cap. Episcopus*. Sed respondent Canonistæ citati ibi, hunc esse canonem Concilii Toletani, & a jure pontificio esse correctum: sed contrarium expresse colligitur *in Pontificali*, *tit. de Degradationis forma*, ubi docet, Episcopum posse etiam realiter degradatum injuste restituere de jure, servata solemnitate ibi præscripta, si nondum Judex sæcularis in illum animadvertit.

Summus autem Pontifex potest restituere adversus degradationem actualem non solum de jure, sed etiam de gratia speciali, scilicet supposita causa rationabili, *cap. Ideo* 2. *quæst.* 6. *Canonistæ in dict. cap. Episcopus*, *Suar. & Barbos. loc. cit.* Et quidem verbaliter depositum facilius restituet: & ideo multa hujus restitutionis referuntur exempla *in cap. Si post ordinationem* §. *E contra* 50. *dist.* Depositum autem actualiter, idest degradatum, Papa non facile restituit ex gratia; sed valde raro, & non nisi ex gravissima causa, ut ait *Suar. loco cit.* ideoque illius vix reperiuntur exempla. Videtur autem causa sufficiens hujus restitutionis degradati, publica necessitas, vel magna Ecclesiæ utilitas, ut *Suar. ibi*, v. g. causæ publicæ pacis faciendæ, vel schismatis tollendi. Item causa videtur sufficiens magna pœnitentia degradati, & magna ejus emendatio, & ædificatio Ecclesiæ inde proveniens, ut *Suar. ibi*. Facilius autem posset Papa ex dictis causis restituere degradatum, si accedat consensus, & supplicatio, seu instantia Episcopi, qui degradavit, pro eodem degradato, ex *Majolo*

de

de irregul. lib. 3. cap. 22. n. 6. verb. In illis. Et facilius restituere potest, si degradatus non fuit traditus Curiæ sæculari, ex *Borg. de irreg. par. 6. tit. de sen. dep. in fin.*

Denique facilius Papa restituere potest degradatum ex gratia speciali ad effectum ingrediendæ Religionis, ibique professionem emittendi; itaut non aliter, nec ante dispensatio suffragetur, quam post emissam professionem. Et ita in casu nuper proposito S. D. N. Urbanus VIII. re mature discussa, hac tantum forma, seu conditione, actualiter degradatum restituit, concurrentibus etiam omnibus dispensandi causis supradictis.

Quamvis autem Papa possit solo verbo degradatum restituere, seu solis litteris, *cap. Fratres 9. quæst. 3. Alter. tom. 3. dis. 2. cap. 9. §. Superest*; tamen convenientius videtur, si fiat servata solemnitate, quæ habetur in *Pontificali supra cit. & in dict. §. Episcopus 11. quæst. 6. §. ibidem.*

Illud advertendum est, quod licet pœna degradationis non sit ferenda, nisi in casibus a jure expressis, excepta causa incorrigibilitatis, *Bern. Diaz. in praxi, cap. 143. n. 1. cum Canonistis, & Barbosa allegat.* 110. *n.* 12. *cum aliis DD.* & est communis sententia: tamen multi DD. dicunt, quod quando delictum etiam de non expressis, esset enorme, & graviter scandalosum, (ut incestus in Germania) ut ad scandalum populi amovendum videatur necessaria degradatio, poterit Episcopus pro arbitrio, ac prudentia sua ad sententiam degradationis procedere, *Clarus quæst. 36. §. Scias etiam, & §. Pariter etiam, Foller. in praxi par. 2. cap. 33. n. 23. in fin.* & hoc sæpius vidi practicatum.

☞ *Cum Clericus degradari nequeat, nisi ob crimen in jure expressum, placet hic referre crimina degradatione digna tam ex jure communi, quam ex pontificiis sanctionibus extra corpus juris.*

Ex jure autem communi sunt. I. Crimen heresis, præsertim cum reincidentia cap. 9. de haret. & c. 4. eod. tit. in 6. Et nota, quod inter hereticos magis specialiter actuali degradatione digni decernuntur negantes mysterium SS. Trinitatis, vel Christi Domini conceptionem solius Spiritus Sancti opera, seu intactam Deiparæ Virginitatem, aut ejusdem Christi mortem ex Const. Pauli IV. innovata a Clem. VIII. Constit. Dominici gregis 3. *Febr.* 1603. *II. Gravis contumelia, vel calumnia proprio Episcopo illata, aut structæ eidem insidiæ, & in ejus necem conspiratio can. Si quis 18. caus. 11. quæst. 1. III. Falsificatio litterarum apostolicarum cap. Ad falsariorum 7. de crim. fal. & cap. Novimus 27. de verb. signif. IV. Assassinium cap. 1. de homicid. in 6.*

Extra corpus vero juris communis sunt. I. Sodomia frequentata, hoc est non tantum semel commissa ex Constit. S. Pii V. Horrendum 30. *Aug.* 1568. *II. Celebratio Missæ & sacramentalis auditio confessionum a non Sacerdote exercita ex Constit. Clemen. VIII.* Et si alias 1. *Decem.* 1601. *& Urbani VIII.* Apostolatus officium 23. *Mar.* 1628. *innovatis a Bened. XIV. Constit.* Sacerdos in æternum 20. *Apr.* 1744. *III. Clerici monetarii, idest fabricantes, tondentes, aut adulterantes monetam auream, vel argenteam, eamque erogare, vel exponere præsumentes in Regnis, Provinciis, & Civitatibus Italiæ ex Const. Urb. VIII.* In Suprema *idib. Nov.* 1627. *IV. Solicitatio ad turpia in confessione sacramentali, si eam aggravent peculiares quædam circumstantiæ ex Constit. Greg. XV.* Universi 30. *Aug.* 1622. *quamvis Card. Albitius tractat. de inconstant. in fide par. 1. cap. 15. n. 13. asserat dict. Constit. quoad hanc pœnam non fuisse usu receptam: & Bened. XIV. de Synod. Diœc. lib. 9. cap. 6. n. 7. edit. Patav. 1755. dicit, quod d. Constit. ad terrorem præcipue incutiendum facta fuisse videatur. V. Furtum sacrilegum SS. Eucharistiæ, sive cum, sive sine Sacra Pixide, si quis S. Hostiam surripiat, & apud se retinere, aut alio transferre præsumat ex Constit. Innoc. XI. & Alex. VII. confirmatis a Bened. XIV. Constit.* Ab augustissimo 5. *Mart.* 1744. *VI. Abortus fœtus animati, sive quis eum procuraverit per se, sive per alium, effectu sequuto ex Constit. Sixti V.* Effrenatam, *juxta moderationem factam a Greg. XIV. Constit.* Sedes Apostolica 31. *Maji* 1591. *cum Sixtus hanc pœnam extenderit etiam ad fœtum inanimatum.*

Ab aliquibus recensetur etiam inter crimina degradatione digna maleficium, seu sortilegium, ex quo unius, aut plurium mors secuta comprobetur ex Constit. Greg. XV. Omnipotentis 20. *Mar.* 1623. *Verum perperam, cum dict. Constit. non loquatur de degradatione, ut observat Card. Albit. loc. cit. cap. 32. n. 150. Item polygamia, cum quis nempe falsum professus nomen, & agnomen, uxore vivente, aliam duxerit ex Constit. Urban. VIII.* Magnum 20. *Jun.* 1637. *sed neque in ista degradationis mentio ulla fit, ut animadvertit Benedict. XIV. de Synod. Diœcesan. loco supra citato & seqq. cujus Constitutionis pœnas, earumque moderationem vide infra in Additione post cap. III. verbo* Matrimonium.

Nota cum eod. Benedict. XIV. de Synod. loc. cit. n. 11. ibi. Instar igitur regulæ sit, neminem clericorum, quantumvis flagitiosum, posse ab Episcopo actu degradari, & Curiæ seculari tradi, nisi, post ei inflictas alias pœnas in *cap. Cum non ab homine* de judic. præscriptas, deprehensus fuerit inemendabilis; aut nisi sit reus alicujus ex enumeratis criminibus, a jure communi, vel a pontificiis sanctionibus nominatim expressis: quemadmodum docent Hostiensis in *cap. 1. n. 2. de homicid. Berojas in cap. At si clerici n. 181. de judiciis, verb. Mihi autem, Covarr. lib. 2. var. cap. 20. n. 7. Farinaccius cit. Prax. criminal. quæst. 8. n. 81. Fagnanus in cit. cap. Cum non ab homine n. 6. Pignatellus tom. 7. consult. 33. n. 25. & seq. aliique apud Raynaldum ad Bannimenta Bonon. cap. 5. §. 1. a n. 154.* Ab hac regula, communi usu recepta, non recedat Episcopus, neque ad compescenda scelera, quæ frequenter a suæ diœcesis clericis forte perpetrantur, fas sibi esse putet in sua Synodo solemnis, & actualis degradationis pœnam in illorum sontes decernere: id quippe cum sit contra canones, unice pertinet ad Romanum Pontificem, cujus certe supremam jurisdictionem invadit, qui sua auctoritate maleficis clericis eamdem pœnam irrogare præsumit. Quod si alicubi tanta sit alicujus enormis criminis frequentia, & experientia compertum jam sit, alias pœnas haud sufficientes esse ad clericos ab illo deterrendos, poterit Episcopus summum Pontificem rogare, ut in clericos vel semel illud deinceps perpetrantes, decernat actualis degradationis sententiam, eamque a Summo Pontifice latam in sua Synodo ad omnium terrorem promulgare: sicuti faciendum monet *Farinacc. cit. quæst. 8. & Panimoll. decis. 14. adnot. 1. n. 25.* ☜

CAPUT XXVIII.

De pœna ecclesiastica privationis officiorum, bonorum, graduum, & dignitatum, & inhabilitatis ad illa.

QUæro I. Quid nomine officii in lege pœnali contineatur. Respondeo, quod aliquando lex, seu Canon inhabilitat, vel privat officiis publicis, scilicet tam ecclesiasticis, quam laicalibus, non formaliter ob crimen proprium, sed aliam ob causam, ut propter infamiam, vel propter hæresim paternam &c. & tunc continentur tantum officia dignitatis, idest administratio publica cum honore conjuncta, *Henriq. lib. 13. cap. 56. n. 1. lit. H. Molin. tom. 3. disp. 661. n. 12. Castren. cons. 462. n. 2. tom. 1.* Aliquando inhabilitat, vel privat tantum ecclesiasticis officiis in pœnam proprie dictam: tunc nomine officii intelligitur munus habens administrationem rerum, vel personarum ecclesiasticarum cum superioritate, *Sorbus verb. Ingress. mon. circa finem n. 8. Sanch. in decal. lib. 6. cap. 15. n. 66.* unde continentur officia habentia jurisdictionem ordinariam, ut Generalis, Provincialis, superioris localis, & Vicarii, ut *Sanch. ibi, Mirand. tom. 2. quæst. 2. art. 8. Bonac. de largit. mun. disp. 3. pun. 5. n. 2.* Item continentur habentes jurisdictionem delegatam ratione certi officii, seu personatus, vel ita ut sint in ea majores Ordinariis, ut Visitatores Provinciarum, *Mirand. loc. cit. concl.* 2. Item contineri definitores, discretos, & procuratores ad capitula generalia, & provincialia, ait *Mirand. loc. cit.* Sed contraria est magis communis, scilicet istos non contineri, ut *Bonac. ibi cum Sousa, & Barth. a S. Fausto, & aliis.* E contra non continetur officium concionatoris, lectoris, confessarii, regentis studiorum, ut *Sanch. ibi, Filiucc. tract. 34. n. 77. Bonac. & Mirand. loc. cit.* Item non contineri assistentes generales, magistros novitiorum, consultores, admonitores, & præfectos sacristiæ, ait *Bonac. ibi cum citatis.*

Aliquando tamen Canon non privat, sed inhabilitat ad officia ecclesiastica, non proprie ratione pœnæ, sed propter bonam gubernationem, & inconveniens avertendum, ut in casu, de quo dixi *par. 2. verb. Religiosi cap. 4.* & tunc latior fit interpretatio, cum sit lex favorabilis: & sic nomine officiorum continentur etiam officia sacristæ, œconomi, lectoris, concionatoris, ut dixi *dicto cap. 4.*

Quæro II. Quid nomine gradus contineatur in lege pœnali privante, aut inhabilitante. Respondent aliqui contineri doctoris gradum, baccalaurei, lectoris, & prædicatoris; ita *Roderic. 4. par. Bulla Clemen. VIII. de largit. mun.* Alii dicunt contineri tantum dignitates, ita *Sanch. n. 66. tract. 34. n. 77.* & consonat Bulla 71. Sixti V. *Ad Romanum*, ubi

+p.4.

cum declarasset, illegitimos in Religione professos inhabiles esse ad honores, gradus, & dignitates, ostendit hæc tria tanquam synonima intelligenda, & iis contineri officia superiorum regularium, ut Generalis, & Provincialis, & localis, & similia cum honore, & superioritate conjuncta: non autem magistri, regentis, prædicatoris, neque vocis activæ, & alia similia, quæ sunt magis oneris, quam honoris.

Quæro III. An pœna privationis officiorum, graduum, vel dignitatum latæ sententiæ obliget reum ante declaratoriam pro foro conscientiæ etiam in casu occulto. Respondeo, quod aliqui putant obligare, quia licet pœna latæ sententiæ ex ipso jure commissa, privans bonorum privatorum dominio non obliget in conscientia ante declaratoriam, vel etiam executoriam, ut dixi supra *cap.* 5. *n.* 3. imo secundum aliquos nec possit obligare in conscientia ante declaratoriam, ut quis teneatur per se exequi, si privatio sit magni momenti; tamen si pœna privat ipso jure bonis communibus, ut publicis officiis, dicunt posse obligare, & censeri obligasse in foro conscientiæ reum ad dimittenda officia, etiam in casibus occultis, quia hæc bona magis pendent a potestate publica legislatoris: & ita tenet *Garz. de benef. par.* 11. *cap.* 10. *n.* 18. 19. *&* 20. *cum Abb. Felin. Navarr. Paris. & Lorca*, quos allegat *n.* 18. *ibi*; & eam tenet *Sayr. in Clav. reg. lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 35. ubi cum Sorbo ait, quod, commissa pœna privationis officiorum, tenetur, vel dispensationem, seu rehabilitationem procurare cum omni diligentia, & solicitudine, vel dimittere officium, seu renunciare; si tamen possit renunciare sine manifestatione proprii criminis: alias enim non teneretur cum sui infamia dimittere, juxta communem Theologorum: ita *Sayr. ibi*. Sed communis sententia est in contrarium, idest quod non teneatur ultro dimittere ante declaratoriam, quia ante declaratoriam, vel executoriam retinet possessionem, & etiam dominium utile, ut dixi *dict. cap.* 5. *&* 7. & quia lex humana non censetur obligare cum tanto rigore, saltem nisi exprimat, ut in conscientia ante omnem declaratoriam dimittere teneatur, & quia hæc pœna exigit factum hominis positivum ad sui executionem, ita *Nav. sibi contrar. super Bulla de dat. & promiss. corol.* 31. *n.* 41. *Sotus de just. lib.* 1. *quæst.* 6. *art.* 6. *Molin. tom.* 1. *de just. disp.* 96. *§. Quod attinet*, *Sanch. in decal. lib.* 6. *cap.* 15. *n.* 65. *& lib.* 2. *cap.* 39. *n. ult.* & hanc sententiam tenet, & communem testatur *Less. lib.* 2. *de just. cap.* 29. *n.* 63. *Sanctarell. de apostas. cap.* 4. *n.* 13. *Quaranta verb. Sodomia limit. ult. Barbos. alleg.* 44. *n.* 29. *Regin. lib.* 13. *n.* 284.

Media tamen sententia verior, & in praxi passim recepta, præsertim ex stylo Curiæ, quod dicta privationis officiorum ecclesiasticorum pœna obliget in conscientia juxta priorem sententiam, quando casus est manifestus: & ratio est, quia tunc superioris acta incipiunt esse nulla, cessante titulo colorato ob privationis notorietatem. Quandiu autem privatio est occulta, non videtur obligare in conscientia, quia ejus acta ratione publici officii sunt valida, manente titulo colorato, ut DD. quos allegat *Garzias par.* 5. *cap.* 4. *n.* 329. & dixi supra *cap.* 7. ubi dixi, an subditi possint interim superiori obedientiam denegare. Unde ait *Bal. in leg. Non mutat in fin. Cod. de lib. cav.* hoc procedere etiam in persona ineligibili vitio occulto, electa ad Papatum; ait enim, quia valerent temporaliter ab eo gesta ratione publicæ potestatis: secus tamen ait quoad spiritualia. Sed *Jason in leg. Barbarius*, *ff. de off. præt. n.* 64. affirmat de omnibus actis, & ait procedere, etiamsi inhabilitas electi esset ratione fœminei sexus. Verum quod ait de omnibus publicis actis, etiam spiritualibus, facile admitto per ea, quæ dixi *par.* 2. *verb. Simonia cap.* 7. *§. Sed ad hoc*: quod autem dicit de fœmina electa ad Papatum, non est verum, quia Ecclesia, & jus publicum, etiam stante titulo colorato, & communi errore, non supplet defectum juris naturalis, vel divini, ut *Gomez reg. de trienn. quæst.* 26. *§. Sed breviter*, *Sanch. opusc. lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 31. *n.* 21.

Quæro IV. An pœna latæ sententiæ inhabilitatis ad officia obliget in conscientia statim atque fuerit commissa. Respondeo secundum magis communem sententiam obligare, prout dixi *supra c.* 5. quia hæc pœna est pure privativa, non requirens factum hominis positivum ad sui executionem: ita *Cajet.* 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 3. & multi, quos allegat *Sanch. in decalog. lib.* 2. *cap.* 39. *n. ult.* & communem dicunt *Suar. de legib. lib.* 5. *cap.* 9. *n.* 2. *Corduba lib.* 1. *quæst.* 36. *n.* 1. Alii tamen probabiliter tenent, non ligare in conscientia ante declaratoriam, quos allegavi in *dict. cap.* 5. *limit.* 1.

Alii vero distinguunt, quia si pœna inhabilitatis apponatur simul cum aliis pœnis, quæ non obligent in conscientia ante declaratoriam, ut cum pœna privationis officii, vel beneficii, tunc neque hæc obligabit; alias secus, si ponatur per se, vel cum aliis mere privativis: ita *Molin. tom.* 1. *disp.* 96. *§. Duo*, *cum Covar.* & tenet *Filiuc. tract.* 34. *n.* 79. Illud est communiter receptum, pœnam inhabilitatis ad officium pro illa vice, vel quoad illud numero officium, obligare in foro conscientiæ ante omnem declaratoriam, ut dicam *cap. seq.* de inhabilitate, seu privatione vocis passivæ. Idem dico de inhabilitate proveniente ex censura, vel irregularitate, ut dixi *supra cap.* 5.+

Quæro V. Quis possit dispensare super pœna privationis, vel inhabilitatis officiorum, idest quis possit rehabilitare. Respondeo, distinguendo juxta ea, quæ dixi supra *cap.* 23. ubi plene dixi.

Quæro VI. Quis possit inducere inhabilitatem. Respondeo, Princeps supremus tantum: etenim statutum inferioris inhabilitans certum genus personarum contra jus commune, dicitur ambitiosum, & ipso jure nullum est, etiamsi a Principe supremo habeat facultatem statuta condendi, *Bar. in leg. Ambitiosa n.* 11. *ff. de decr. ab Ordin. facien. ibi Alberic.* nisi specifice id ei sit concessum, ita *Bar. in leg. final. n.* 20. *ff. de colleg. illic. Rota decis.* 65. *n.* 7. *par.* 1. *Recent. & decis.* 260. *n.* 2. *par.* 2. *Recen. & decis.* 118. *n.* 4. *& decis.* 458. *n.* 2. *par.* 1. *noviss.* ubi ait communem esse, *& dec.* 103. *n.* 10. *par.* 2. *divers.* quod est verum, sive illud statutum sit pœnale, vel definitivum, ut patet ex citatis.

CAPUT XXIX.

De pœna latæ sententiæ privationis vocis activæ, & passivæ, & inhabilitatis ad illam.

Quæro I. An hæ pœnæ ex ipso jure latæ, & commissæ, obligent in conscientia ante declaratoriam. Respondeo juxta communem sententiam obligare, etiamsi sit occulta pœnæ commissio: ita *Azor. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *quæst.* 4. *Regin. lib.* 13. *n.* 279. *Eman. Sa verb. Pœna n.* 1. *Suar. de legib. lib.* 5. *cap.* 9. *n.* 2. *cum Cajet. Sylvest. Navarr. Medina*, *& aliis*, & communem dicunt, & tenent *Cordub. lib.* 1. *quæst.* 36. *n.* 1. *Bonac. tract. de legib. disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 7. *§.* 2. *n.* 9. *Villalob. tom.* 1. *tract.* 2. *dub.* 25. *n.* 4. *Layman lib.* 1. *tract. de legib. cap.* 15. *num.* 5. Sed limitatur, ut non procedat, quando non potest quis eam pœnam observare sine scandalo, vel periculo infamiæ, ut *Bonac. n.* 10. *Diana resol.* 24. *tract.* 10. *tom.* 1.

Alii tamen probabiliter dicunt, non ligare ante declaratoriam, quia est pœna valde gravis, & est dejectio a proprio statu, jure naturali, & civili quæsito, & quædam depositio: ita *Sanch. de matrim. disp.* 30. *n.* 1. *& in decal. lib.* 2. *cap.* 39. *n. ult. & cap.* 26. *n.* 1. *& lib.* 6. *cap.* 15. *n.* 64. *& opusc. lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 52. *n.* 11. 12. *&* 13. *Less. lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 26. *Tanner. tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 8. *n.* 97. *Filiuc. tract.* 10. *n.* 264. *Granado* 1. 2. *controvers.* 7. *tract.* 3. *Castell. de elect. canon. prælud.* 1. *§.* 6. *n.* 20. & probabilem ait *Dian. resol.* 24. *vers. Sed fallitur*, *tract.* 10. *tom.* 1.

Alii distinguunt, quod si hæc pœna feratur cum aliis requirentibus factum hominis ad sui consummationem, tunc non obligat in conscientia ante declaratoriam: alias autem obligat ante declaratoriam: ita *Molin. tom.* 1. *disp.* 96. *§. Duo*, *Filiuc. tract.* 34. *n.* 79. Alii distinguunt, quod si casus sit occultus, non obligat in conscientia ante declaratoriam, alias autem obligaret: ita *Soto lib.* 1. *de Just. quæst.* 6. *art.* 6. *col.* 1. *Corduba lib.* 1. *quæst.* 35. *& quæst.* 36. *in princ. Roderic. quæst. regular.* 57. *art.* 1. *tom.* 2. *Sanch. consil. lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 52. *n.* 14. quæ sententia mihi videtur in praxi recepta juxta dicta supra *cap.* 28. Alii distinguunt, quod pœna privationis vocis passivæ ligat in foro conscientiæ statim, non autem activæ, ne electiones reddantur incertæ: ita *Malderus* 1. 2. *quæst.* 96. *art.* 4. *memb.* 4. *Castellin. tract. de elect. can. Prælat. §.* 8. *n.* 20.

Illud est certum in omnium sententia, quod privatio vocis activæ latæ sententiæ pro una vice, seu pro uno actu, seu quoad hanc numero electionem, obligat etiam in foro conscientiæ ante omnem declaratoriam, quia est pœna moderata, ut dixi *par.* 2. *verb. Electio cap.* 3. *not.* 2. & idem dicunt communiter de privatione vocis passivæ ad illum actum, seu pro illa electione, ut *cap. penult. de elect. Suar. tom.* 1. *de relig. tract. de simon. cap.* 58. *num.* 9. *Layman lib.* 4. *tract. de simon. n.* 73. *Filiuc. tract.* 45. *cap.* 13. *n.* 26. Item ex communi obligat in conscientia, quando ea pœna est imposita per modum conditionis in ipsa collatione officii, seu beneficii, ut dicam *cap. seq. Limita* 1. Item certum est, quod incur-

cursa pœna privationis vocis activæ, si quis nihilominus eligat, stante delicto occulto, & manenre titulo colorato, si sequatur postea declaratoria criminis, seu pœnę commissæ, dicta electio cassa erit eo ipso, si nitatur tali suffragio, scilicet quia alia suffragia non sint numeri sufficientis, quia electio, quoad singulares dicitur actus potestatis privatæ, seu officii privati, & non publici, ut dixi supra *c. 6.*

Quæro II. Quis possit dispensare, seu rehabilitare super pœna privationis vocis activæ, vel passivæ. Respondeo, ut dixi supra *cap. 23.*

Quæro III. Qualiter sit intelligenda pœna privationis vocis passivæ. Respondeo, ut eligi non possit ad officia honoris, & præeminentiæ; nam ad munera onerosa eligi poterit, ut ad officium lectoris, sacristæ, magistri novitiorum, œconomi &c. ita tenet *gloss. in Clem. 1. de Regul. verb. Inibi, ibi Cardin.* & tenet *Vitalin. in Clem. Is qui, de ætat. & qualit. Roderic. quæst. regul. 56. art. 1. §. Circa eadem, tom. 1.*

CAPUT XXX.

De pœna latæ sententiæ privationis beneficiorum, & inhabilitatis ad illa.

QUæro I. An hæc pœna commissa obliget in conscientia ante omnem declaratoriam. Respondeo, aliqui affirmant; quia cum beneficia sint bona communia ecclesiastica, & juris publici, et magis pendeant a publica Ecclesiæ porestare, porest lex ita privare, et obligare, et ita censetur obligare per verba privationis directa: ita tenet *Menchaca lib. 1. controv. cap. 7. n. 33. Navar. cap. 23. n. 67. Perez lib. 2. ordin. tit. 9. l. ult. in fin. Garzias de benef. p. 11. cap. 10. n.* 18. ubi plures alios allegat. Sed communis sententia negat, etiamsi lex dicat, ut sit privatus ipso jure ante omnem declaratoriam: adhuc enim retinet possessionem naturalem justam, vel etiam titulum utilem: ita tenet *Covarr. Morla, Zerola Graff. Roderic. Henriq. & Vasq. apud Garz. loco cit. n.* 14. tenet *Quaranta verb. Alien. n. 49. & verb. Sodomia, prope finem*, et probabiliorem ait *Sanchez opusc. lib. 2. cap. 2. dub. 23. n. 3. &* 4. et hanc magis communem ait *Sanch. lib. 2. cap. 26. in decal. n. 7.* ubi plures allegat., et tenet *Farinacc. quæst.* 189. *crimin. §. 6. n.* 80. *cum aliis DD.*

Amplia, ut quamvis statim a die commissi criminis reus amiserit titulum directum beneficii, ita ut possit impetrari, etiam eo non vocato, tamen non porest privari possessione non vocatus, seu inauditus, ut *Sanch. dict. cap. 26. n.* 12. et ita *Garz. loco cit. n. 23. &* 34. cum communi sententia. Et circa hoc nota differentiam inter privationis pœnam, quæ contingit ipso jure, seu latæ sententiæ, et eam, quæ est sententiæ ferendæ: quod impetrans beneficium vacans ob delictum ipso jure, etiamsi narraverit in supplicatione plura delicta, sufficit quod verificet unum sufficiens ad talem privationem. Secus in secundo casu, quia si narravit plura delicta, quorum singula sufficiunt ad senrentiam privationis proferendam, tamen impetrans tenetur omnia verificare, quia claosula, *si est ita*, refertur ad omnia narrata; et quia plura cumulata delicta faciliorem reddunt Pontificem ad beneficium viventis alteri concedendum: hæc omnia probat *Rot. recent. par. 1. decis. 132. n. 2. & 5. per cap. Olim, cum gloss. & DD. de rescr.*

Amplia II. quod ante declaratoriam facit fructus suos, quamvis post declaratoriam restituere eos compellendus sit, *Sanch. ibi n.* 10. quo tamen casu poterit retinere aliquid pro compensatione laborum, seu servitutis Ecclesiæ exhibitæ, *Sanch. n.* 11.

Amplia III. quod interim ante declaratoriam poterit beneficium resignare; quamvis post declaratoriam cassetur eo ipso resignatio, *Sanch. ibi n. 9.*

Amplia IV. quod non solum non tenetur ante declaratoriam dimittere beneficium, sed neque ante executionem mandato Judicis, *Sanch. n. 8. ibi cum aliis DD.* et tenet *Quaranta verb. Sodomia, limit. ultim.*

Amplia V. ut procedat communis opinio, etiamsi reus delatus esset ad forum, et interrogatus a Judice, negasset, et absolutus esset ob ejus inficiationem; vel si condemnatus appellasset, et a Judice secundæ instantiæ absolutus esset, ut *Sanch. in decal. lib. 2. cap. 22. n. 22. &* 23. secundum probabiliorem sententiam.

Amplia, ut neque ex homicidio privetur ipso jure beneficio; sed si sit incompatibile cum irregularitate, scilicet beneficium curatum, et non possit obtinere dispensationem super irregularitate, tenebitur jure naturali, et divino illud dimittere, ut dicam infra *part. 2. verb. Homicid. cap.* 1.

Limita I. dictam conclusionem, ut non procedat, quando esset pœna privationis beneficii nondum absolute quæsiti, sed sub certo modo aliquo, vel conditione resolutiva, *Less. lib. 2. cap. 34. n. 101. Salzed. Guzier. Lopez, Philiarcus, Roderic. et Vega apud Garziam par. 11. cap. 10. n.* 29. Plura habes exempla *par. 2. infra verb. Beneficium, et verb. Resignato.*

Limita II. ut non procedat, quando expresse lex privaret beneficiis quæsitis, statuens, ut teneatur reus dimittere beneficium ante omnem sententiam declaratoriam in conscientia, seu ut antea absolvi non possit, quia potest canon sic obligare: et exemplum habes infra *par. 2. verb. Simon. c. 4.*

Limita III. quod, etiam admissa communi opinione, tamen si postea sequatur sententia declaratoria criminis, retrotrahetur illius effectus ad diem commissi criminis, ita ut rescindantur ipso jure omnia acta ex jure dicti beneficii, tanquam ex privata potestate: non autem si ex publica potestate, jurisdictionis scilicet actu, ut dixi supra *cap. 6.*

Limita IV. quod pœna privationis beneficii non potest imponi, nisi in casibus a jure expressis, & non imponitur nisi ob enormia crimina, ut homicidium, simoniam, perjurium &c. *Garz. par. 11. de benef. cap. 10. n. 1. & 2. cum alleg.* Qualiter autem procedendum sit ad sententiam privationis beneficii ferendam in casibus a jure expressis, *vide par. 2. v. Residentia cap.* 2.

Quæro II. An pœna inhabilitatis ad beneficia obtinenda latæ sententiæ obliget in conscientia aute declaratoriam. Respondeo secundum communem sententiam obligare, ut dixi supra *cap.* 5. & in simile de inhabilitate ad officia ecclesiastica *cap.* 8. & ita videmus sæpe ad sacram Pœnitentiariam fieri recursum pro rehabilitatione ad beneficia; vel interdum a Sacra Pœnitentiaria relinqui pœnitentem inhabilem ad alia beneficia, dispensando, seu revalidando quoad illud obtentum solum, ut etiam testatur *Filiuc. tract. 45. cap. 13. n.* 26. Itaque collatio facta inhabili, est ipso jure nulla etiam in foro conscientiæ ante declaratoriam, ut retineri non possit beneficium. *Azor. tom. 3. lib. 12. cap. 21. in fin.* & alii citati a me *dict. cap. 5. &* 22. Quamvis multi DD. probabiliter dicant, non obligare hanc pœnam ante declaratoriam: ita tenent *Navar. cons. 92. de simon. Less. lib. 2. c. 35. dub. 26. Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 30. & in decalog. lib. 2. cap. 39. n. ult. Tanner tom. 3. disp. 5. quæst. 8. n. 97. Paris. lib. 4. de resign. quæst. 2. Suar. tom. 1. de relig. tract. ult. de simon. cap. 61. n. 11.* Excipiunt autem *Suar. & Layman*, nisi ubi rigor primæ, & communis sententiæ sit usu receptus; tunc enim observari debere, & obligare concedunt.

Illud est certum primo, quod si inhabilitatis pœna sit lata solum quoad illud numero beneficium, obligat in conscientia ante omnem declaratoriam, ut *Suar. loco cit. cap. 58. n. 9., Layman n. 73. Filliuc. n. 26. text. in cap. penult. de elect.* Secundo est certum, quod inhabilitas consurgens ex censura, vel irregularitare, obligat in conscientia ante omnem sententiam, ut dixi supra *cap.* 5. & ita *Sanch. in decal. cap. 39. cit. n. ult.* Est autem certum, quod omnis irregularitas sive ex delicto, sive defectu reddit hominem inhabilem ad beneficia obtinenda, ut talis collatio facta sit ipso jure nulla per *cap. Dudum 22. de elect.* (excepto eo, qui est redditus irregularis, postquam esset clericus ex defectu supervenienre membrorum; hic enim licet sit irregularis quoad exercitium ordinis impeditum, tamen erit capax acquirendi beneficium simplex) *Sanch. opuscul. lib. 2. cap. 2. dub.* 14. & tali ratione ligat inhabilitas, quam sacra Pœnitentiaria, dispensando super irregularitate ex homicidio, vel abortu, relinquere solet in eodem dispensato.

Quæro III. Quis dispensare possit super pœna privationis beneficiorum, convalidando titulum amissum ob crimen ipso jure, vel super pœna inhabilitatis ad beneficia, rehabilitando personam. Respondeo, regulariter loquendo, ad Papam pertinet hæc dispensatio: potest tamen Episcopus, seu Prælatus habens episcopalem jurisdictionem dispensare super hac pœna incursa ex crimine non graviori adulterio, si nondum sit secuta actualis depositio, seu privatio, ut dixi supra *cap.* 23. Addo, quod multi DD. putant, Episcopum vigore Tridentini *sess. 24. cap. 6. de refor.* posse dispensare, seu revalidare adversus pœnam hanc privationis beneficiorum, vel inhabilitatem in casibus occultis, ut dixi *dict. cap.* 23. & ita tenet *Henr. lib. 13. cap. 56. n. 1. lit. F. in comm. & in text. lit. G. & eod. lib. 13. cap. 14. n. 3. Manuel to. 2. summ. cap. 66. n. 35. Ugolin. de simon. tab. 4. cap. 6. §. 7. n. 2. Sanch. in decal. lib. 6.*

cap.

cap. 15. *n.* 78. Sed communis sententia est in contrarium, ut *eod. cap.* 23. Et maxime tenenda videtur hæc sententia quoad inhabilitatem illatam a Canone quoad illud beneficium, circa quod deliquit, ut declaravit Sacra Congregatio *apud Garziam de benef. par.* 8. *cap.* 1. *n.* 74. *Barbosa alleg.* 39. *n.* 44. Illud certum est, quod Episcopus potest dispensare super inhabilitate, quam ipse statuto, vel sententia intulit, ut dixi *supra cap.* 26. §. *Circa secundum*.

Adde, quod Episcopus in casibus, quibus potest revalidare, non potest revalidare titulum beneficii, etiam ante declaratoriam, in præjudicium tertii, qui illud impetravit, ut vacans certo modo ex dicta privatione, quia non potest auferre jus illi tertio quæsitum, ita *Gemin. conf.* 105. *in fin. Staphil. de litteris gratiæ expect. fol.* 78. *Bernard. Diaz cap.* 97. *n.* 2. & est communis sententia, ut *Farinacc. quæst.* 119. *n.* 60. Et idem dico de majori Pœnitentiario, quia non potest revalidare titulos in præjudicium tertii, & quia tunc jam crimen censetur publicum, vel delatum ad forum: sed etiamsi sit casus occultus, v. g. irregularitas ex homicidio, vel abortu occulto, ita *Garzias de benef. par.* 7. *cap.* 16. *n.* 6. *Sanch. lib.* 2. *opusc. cap.* 1. *dub.* 46. *n.* 2. *&* 3. *&* *dub.* 49. *n.* 21. *&* *dub.* 57. *n.* 8. *&* *dub.* 52. *n.* 2. *in fine*, *Sanch. de matr. lib.* 8. *dis.* 2. *n.* 3. ☞ *De facultate majoris Pœnitentiarii circa irregularitatem, et convalidationem titulorum vide Constit. Bened. XIV. in fine hujus Operis*. ☜

Advertendum est, quod Episcopus, seu ordinarius collator potest revalidare titulum beneficii alicujus, illud de novo conferendo in casu, quo provisio fuit nulla ob aliquod impedimentum, seu inhabilitatem, si tale impedimentum sit sublatum, v. g. ob censuram, vel irregularitatem, quando scilicet collatio ad ipsum tunc pertinebat, *Garzias par.* 7. *cap.* 13. *n.* 74. *et* 76. ubi plurimos allegat. Secus est, si collatio fuit facta a Papa: & idem dicendum est de institutione facta præsentati a patrono, quia si non adfuit vitium in ipsa præsentatione, poterit iterari institutio sine nova præsentatione: secus si ipsa præsentatio fuit vitiosa, *Sanch. consil. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 122. *n.* 1. 2. *et* 3.

Quæro IV. An beneficii titulus revalidetur per regulam de triennali, aut aliam præscriptionem, non obstante inhabilitatis, aut privationis pœna provisi. Respondeo primo quoad regulam de triennali, duplicem esse sententiam. Prima docet, non revalidari, neque inhabilibus, vel ipso jure privatis suffragari regulam de triennali, quia possessio etiam longi temporis nunquam habilitat incapacem, *cap. Causam, et cap. Accedentes ibi Abb. et Pelin. de præscr.* quia non dicitur habere titulum coloratum, ubi inducitur privatio a jure, vel ab homine, ut *Abb. Calder. Imol. et Anton. in cap. Cum nostris de concess. preb.* & ita de triennali tenent *Rebuff. de pacific. possess. n.* 159. *et n.* 162. *cum seqq. Boer. apud Rebuff. et Cosmas prag. sanc. tit. de pacif. possess. verbo Quicunque*.

Contrarium tamen alii tenent, scilicet inhabilem ex pœna, vel censura, vel irregularitate ad beneficium obtinendum, & non ex conditione personæ, ut sunt mere laici, si bona fide obtineat a legitimo collatore beneficium, triennali pacifica possessione tutum esse, & titulum revalidari; excepta inhabilitate ex simonia scienter contracta, vel ex violenta intrusione; vel quando beneficium esset reservatum reservatione clausa in jure communi; quia hos solos casus regula excipit; ita tenet quoad inhabiles *Probus in addit. ad Cosmam loco cit. super verb. Molestari n.* 3. *Gomez. regul. de trien. quæst.* 27. *et* 28. *Navarr. in cap. Si quando except.* 10. *n.* 9. *de rescr. Sanch. in opusc. lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 31. *n.* 20. Et quoad privatos a jure beneficiis tenet *Glossator antiquus regulæ de triennal. Cassador. et Rota*, quos sequitur *Gomez quæst.* 10. *et Sanch. n.* 29. quia licet isti non habeant titulum coloratum quoad alios effectus, habent tamen quoad effectum hujus regulæ. Et hæc secunda sententia videtur probabilior. Intellige tamen, ubicunque non adest in lege clausula derogatoria hujus regulæ.

Respondeo secundo circa regulam de annali, quod hæc non convalidat titulum in foro conscientiæ, sed solum tuetur possessorem in foro externo adversus collitigantem, ut *Azorius tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 34. *quæst.* 16. *Filiucc. trac.* 41. *cap.* 6. *n.* 9.

Respondeo tertio, præscriptionem decennalem, aut ulteriorem, si ea nuda sit sine titulo etiam cum bona fide, aut cum titulo, & mala fide, eam nunquam posse titulum convalidare, ut dixi *par.* 2. *verb. Intrusus n.* 3. quamvis in foro externo inducat præsumptionem dispensationis, & tituli, seu legitimæ provisionis, ut *Menoch. præsump.* 132. *n.* 46. *lib.* 3.

Quæro V. An dispensatus super inhabilitate ad obtinendum unum beneficium, si illud obtinuit, possit postea illud permutare. Respondeo, non posse, *Gemin. cap.* 1. *de fil. presb. in* 6. *Salzedo ad Diaz. in praxi cap.* 54. *n.* 16. *Sanchez opusc. lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 8. *n.* 7. cum aliis DD. quia dispensatio intelligitur quoad primum beneficium. Ampliant aliqui, quod neque potest illud resignare sub pensione, *Garz. par.* 1. *cap.* 5. *n.* 156. Sed contraria est probabilis, quam tenet *Gigas*, *et Rebuff. allegat. a Garz.* quia poterat retinere totum, ergo & partem illius: secus est in permutatione, quia est res distincta secundum a primo beneficio.

Quæro VI. An inhabilitatus ad beneficia privetur obtentis. Respondeo, per se loquendo non privari, *Gloss. in Clem.* 1. §. *Ipsius, de pœn. ibi Card. n.* 3. *Imol. n.* 33. *Rota decis.* 123. *n.* 8. *in collec. Farin. de contr. et crim.* nisi aliunde sit etiam affectus pœna privationis; ita *Rota ibi*.

CAPUT XXXI.

De pœna privationis pensionum ecclesiasticarum, vel inhabilitatis ad illas.

Quæro I. An pœna privans pensionibus, vel inhabilitans ad illas ipso facto, liget in foro conscientiæ. Respondeo secundum ea, quæ dixi supra *cap. præcedenti* de beneficiis, & *cap.* 5. pœnam privationis non ligare in foro conscientiæ ante declaratoriam; ideo interim posse percipere pensiones, quia est lex privans jure quæsito, & possesso: & ita *Ledesma in sum. par.* 2. *tract.* 7. *cap.* 2. *concl.* 14. & quia pensio est jus percipiendi fructus ex beneficio, & sic est titulus spiritualis, ut *Navar. conf.* 63. *de simon.* & quia cum sit accessorium beneficio, & pars beneficii, judicatur sicut beneficium in materia privationis, ut *Sanchez in decal. lib.* 2. *cap.* 28. *n.* 36. (Quamvis alii dicant obligare hanc pœnam in conscientia ante declaratoriam, eo quod sit pure privativa, cum non requirat factum hominis ad sui consummationem, ut tenet *Garzias ar.* 1. *cap.* 5. *n.* 14.) Excipe, nisi illa privatio esset illata ob defectum alicujus modi, seu conditionis, sub quibus esset reservata, ut dixi de beneficiis, *cap. præcedenti*.

Quoad pœnam autem inhabilitatis, juxta ea, quæ dixi, communior sententia ait, ligare in conscientia; alii tamen contra probabiliter dicunt. Illud certum est, quod excommunicatus, & suspensus etiam in foro conscientiæ, est inhabilis ad pensionem obtinendam, nisi ex vi absolutionis inferi solitæ in litteris apostolicis. De irregulari autem sunt opiniones, de quibus vide *Garziam par.* 1. *cap.* 5. *n.* 135. *de benefic. Castropalao loco infra citato*. Item certum est, quod in casu privationis, seu inhabilitatis, potest ante declaratoriam titularis denegare pensionario solutionem, excipiendo de nullitate illius: *Rota*, quam refert, & sequitur *Farinac. quæst.* 191. §. 2. *n.* 60. & faciunt quæ dixi supra *cap.* 7. & quæ dicam *infra par.* 2. *verb. Habitus cap.* 1.

Quæro II. An in pœna privationis beneficiorum, vel inhabilitatis ad beneficia lata ex ipso jure, contineantur pensiones. Et respondeo affirmative, quia nomine beneficiorum veniunt etiam pensiones, *gloss. in Clem.* 2. *verb. Quodcunque de vit. et hon. cler. et in cap. Quicunque* §. *Hæretici*, *ver. Benef. de hær. in* 6. & quod licet privatus, vel inhabilitatus per sententiam hominis quoad beneficia, non censeatur inhabilis quoad pensiones, tamen secus in privato, seu facto inhabili a jure, seu per legem pœnalem quoad beneficia; quia hæc pœna continet pensiones, quia sententia hominis est stricti juris: ita tenet *Garzias de benef. par.* 1. *cap.* 5. *n.* 123. *cum Rota, Sarnen. Crescent. et Parif. et Farinac. de heresi quæst.* 191. §. 2. *n.* 60. & sequitur *Castropalao tom.* 2. *de relig. tract.* 13. *de benef. disp.* 1. *punct.* 11. §. 3. *n.* 6. ubi probabiliorem, & stylo Curiæ receptam asserunt: quamvis alii, ut *Navarr. conf.* 12. *n.* 15. *de rescr. Gonzal. gloss.* 55. *n.* 26. teneant neque constitutione pœnali privante, vel inhabilitante contineri pensionem nomine beneficii; alii vero putent, tunc contineri pensiones, quando lex pœnalis utitur particula universali: beneficiis quibuscunque: ita *Sanchez in decal. lib.* 2. *cap.* 28. *n.* 36. ubi plures allegat in hanc sententiam.

Quæro III. Quis possit dispensare super pœna inhabilitatis ad pensiones. Respondeo eum, qui potest super inhabilitate ad beneficia, quia procedunt a pari, ut dictum est supra & dispensatus ad obtinenda beneficia, potest pensiones obtinere, ut *Garzias dict. cap.* 5. *n.* 158. *&* *seq.*

Quæro IV. Quis possit revalidare titulum pensionis. Respondeo, de Summo Pontifice non dubitatur; de inferioribus vero Prælatis dic, quod is potest revalidare titulum, qui

qui potest talem pensionem reservare, *Gigas de pension. qu. 17.* & sequitur *Quintanad. & Zecch. apud Garziam n. 159.* Item is, cui data est facultas convalidandi titulos beneficiales, ut majori Pœnitentiario, poterit convalidare titulos pensionum, etiamsi non possit pensiones reservare, dummodo perseveret, seu accedat consensus beneficiati, qui consensit in pensionem: nam alioqui non posset in illius præjudicium, cui est jus quæsitum per eam nullitatem, eo invito revalidare, *Navarr. consil. 44. de homicid. n. 3.*

☞ *Circa facultatem majoris Pœnitentiarii vide Constit.* Pastor bonus *in fine hujus Operis.* ☜

Quæro V. An revalidetur pensio per regulam de triennali. Respondeo non revalidari, quia regula loquitur de beneficiis proprie dictis, quæ collatione, præsentatione, vel institutione obtinentur, ut *Gomez super regul. de trienn. quæst. 4.* & ita de pensionibus concludunt *Gomez ibi quæst. 50. Rebuff. de pacific. possess. n. 92. Sanch. opusc. lib. 2. cap. 1. dub. 29. num. 12.*

CAPUT XXXII.

De pœna privationis fructuum percipiendorum ex beneficiis, vel pensionibus ecclesiasticis.

SÆpe in jure reperitur hæc pœna latæ sententiæ, ut constat ex dicendis *par. 2. verb. Fidei professio, verb. Hora canonica, verb. Residentia, verb. Concubinarii clerici, verbo Gratia Ecclesiarum utentes litteris expeditis, verb. Beneficium parochiale obtinens animo non promovendi.*

Quæritur I. An pœna privationis fructuum beneficialium, vel pensionum latæ sententiæ obliget in conscientia ante declaratoriam? Respondeo, regulariter loquendo, non obligare, quia est pœna privativa juris quæsiti, & possessi, & quia est pœna temporalis, quæ non solet obligare in conscientia ante declaratoriam, ita *Sanch. in decalog. lib. 2. cap. 5. n. 10. Less. lib. 2. cap. 34. n. 101. Suarez de censur. disp. 23. sect. 4. n. 7.* qui ait, quod si pœna privationis fructuum non sonat in censuram, sed in puram pœnam, seu prohibitionem perceptionis, non ligat in conscientia ante declaratoriam. Casus ut infra *par. 2. verb. Vacantia cap. 2.*

Fallit primo, quando lex canonica expresse significat, se obligare ante declaratoriam in conscientia; quia hoc potest facere, & sic constat de mente legislatoris: ita *Navarr. cap. 25. n. 118. in princ.*

Fallit secundo, quando non imponitur proprie ut pœna, sed ut conditio, vel modus rei traditæ sub conditione ista resolutiva, seu, quod idem est, quando est privatio juris quæsiti non absolute, sed cum certa conditione, seu modo, ut in multis casibus supra indicatis dicam *par. 2.* & ita limitant *Navarr. & Less. locis citatis.*

Fallit tertio, quando hæc privatio provenit ex vi censuræ: & quidem de excommunicato magis communis docet, eum esse privatum ipso jure fructibus beneficii, ut *Suarez de censur. disp. 13. sect. 2. Gutier. canon. quæst. lib. 1. cap. 1. n. 92.* & plurimos allegat *Garz. de benef. par. 7. cap. 13. n. 90.* & plurimos allegat, & sequitur *Sanch. opusc. lib. 2. cap. 2. dub. 11. n. 3.* Quamvis contraria sit probabilis, quam tenet *Sanch. de matr. disp. 51. n. 12. lib. 3.* & plurimos allegat, & sequitur *Bonac. de cens. disp. 2. quæst. 2. punct. 4. §. 2. n. 2.* & tenet *Coninch. disp. 14. de cens. dub. 9. n. 82. Layman lib. 1. tract. de excommun. cap. 2. n. 9. §. Dico secundo.* De suspenso autem est distinguendum, quia suspensus ab officio tantum, non privatur fructibus, nisi quatenus deest officio, *Suar. disp. 26. sect. 3. n. 4. Sanch. opusc. lib. 2. cap. 2. dub. 15. n. 8. & 9. & de matr. lib. 3. dis. 51. n. 12. Garz. par. 7. cap. 15. n. 39.* qui etiam tractant, an possit percipere distributiones, interveniendo in choro: suspensus autem a beneficio non percipit fructus, sed in conscientia tenetur ad restitutionem, *Tolet. lib. 1. cap. 45. §. Quintus effectus, Sayr. lib. 4. de censur. cap. 6. n. 16. Bonac. de suspens. punct. 2. n. 14. Sanch. opusc. lib. 2. cap. 2. dub. 15. n. 9.* De interdicto similiter dico non amittere fructus, nisi a perceptione fructuum sit interdictus, vel quatenus a divinis interdictus, vel ab ingressu Ecclesiæ, debito defuit ministerio: facit *cap. Si canonici, de off. ordin. in 6. & ibi Canonistæ.* De irregulari similiter dico, eum non amittere fructus beneficii, nisi quatenus non exhibuit ministerium debitum pro talibus fructibus percipiendis, *Suar. disp. 44. sect. 4. n. 20. Coninch. disp. 18. dub. 1. n. 5. Innoc. & Canonistæ communiter in cap. Cum nostris, de concess. prebend.*

☞ *Vide etiam limitationem in Additione post cap. 3. verb.* Habitus. ☜

Quæro II. An in pœna privationis fructuum beneficii contineantur distributiones, & anniversaria? Respondeo non contineri, ut *Azor. tom. 2. lib. 7. cap. 2. quæst. 7. Sanch. lib. 2. in decal. cap. 5. n. 10. in fin.*

Quæro III. Cui restituendi sint fructus beneficiales, vel pensionum in casibus pœnalis privationis? Respondeo, fructus beneficiorum amissos ob censuram, vel irregularitatem, vel aliam privationem, stante titulo beneficii valido, restituendos esse Ecclesiæ, in fabricam scilicet, vel ornamenta, vel pauperibus, ut *Sanchez lib. 2. opusc. cap. 3. dub. 119. n. 5. & 7. & in decal. lib. 2. cap. 5. n. 10. in fin. cum Azor.* deductis provisionibus substituti in casibus, quibus ipse non potuit personaliter deservire, *Tolet. lib. 1. cap. 45. §. Quintus effect. Sayr. lib. 4. cap. 6. n. 16.* ubi plurimos allegat. Si tamen per eum non stet, quo minus absolvatur, poterit ex illis fructibus percipere, unde se, & suos alat, si sit pauper, ne cogatur in opprobrium Ordinis mendicare, *Sanch. opusc. lib. 2. cap. 2. dub. 15. n. 9.* & ita frequenter jus statuit fabricæ, vel pauperibus tales fructus restituendos esse, ut in casu, de quo *verb. Hora canonica, & verb. Residentia, & verb. Fidei professio.*

Fallit tamen in casibus, quibus jus statuit fabricæ, vel alteri pio loco restituendos, seu applicandos, ut *verb. Concubinarii.* Item in casu, de quo *verbo Beneficium, cap. 4.* de eo, qui obtinuit beneficium curatum animo se non promovendi, ubi retuli diversas DD. sententias. Item fallit, quando beneficiatus tenetur restituere fructus ratione defectus tituli, quia provisio fuit vitiosa, sed cum titulo colorato; vel ob resolutionem tituli illius; tunc enim fructus successori conservandi sunt, *Sanch. n. 7.* Unde si obtineret dispensationem, scilicet novam provisionem, multi dicunt, quod sibi posset eos retinere, dummodo Papæ revalidanti titulum exponat, se fructus percepisse, & dummodo tunc non imponatur, ut restituat, vel ut componat, *Bellamer. decis. 842. Eman. Sà verb. Benef. num. 21. Filiuc. tract. 43. cap. 8. n. 18. Sanch. lib. 2. opusc. cap. 3. dub. 119. n. 11. & 16. & lib. 2. cap. 2. dub. 57. n. 7. eodem tract.* ubi plures allegat, & dicam *part. 2. vers. Vacantia cap. 6. §. Limita circa ista*, alias esset gratia subreptio: etenim si reticeatur in supplicatione ad obtinendam dispensationem, vel collationem, quod orator jam fructus aliquos perceperit, gratia est subreptitia, & nullius momenti, *Rot. decis. 160. n. 5. par. 2. Recent.*

Fructus autem distributionum male percepti a canonico in casu privationis, sive ob suspensionem, sive alia ex causa, sunt restituendi eisdem canonicis, seu massæ, ut accrescant, seu non decrescant capacibus, ut *Sayr. de cons. dict. lib. 4. cap. 6. n. 16.* cum allegatis per eum: & procedit secundum probabiliorem, & communiorem sententiam, etiam de amissis ob non recitationem in choro, etiamsi intervenerit, seu præsens fuerit, ut constat ex allegatis a *Garz. par. 3. cap. 1. num. 35.* (licet ipse teneat fabricæ, vel pauperibus tunc restitui debere) unde neque Sacra Pœnitentiaria concedit compositionem super distributionibus male perceptis quacunque ex causa.

☞ *Circa facultatem concedendi hanc compositionem vide Constit. Bened. XIV.* Pastor bonus *§. 24. in fine hujus Operis.* ☜

Fructus pensionum in casibus, quibus pensionis titulus non irritatur, regulariter restitui debent eidem beneficiato, qui pensione gravatus est, *Garz. par. 1. cap. 5. n. 133.* excepto casu restitutionis ob non recitatum Officium Beatæ Virginis, vel horarum canonicarum, *Garz. par. 3. cap. 1. n. 37.* quia in illo ex Bulla Pii V. sunt restituendi fabricæ Ecclesiæ, seu beneficii gravati, vel pauperibus.

Quæro IV. Quis dispensare, vel componere possit super obligatione restituendi fructus, seu pœna privationis illorum? Respondeo, ad solam Sedem Apostolicam pertinere, ut patet ex praxi, *Sanchez dicto dub. 119. n. 7.* (exceptis privilegiis, *Garz. part. 3. cap. 1. n. 36.*) & ratio est, quia inferiores Prælati non possunt dispensare super hac obligatione, quæ est ex justitia commutativa, cum jus non sit quæsitum in illis: & ita videmus communiter haberi recursum ad Datariam, vel in occultis ad Sacram Pœnitentiariam, exceptis quibusdam casibus, de quibus in Brevi reformationis S. D. N. Urbani VIII. Et nota, quod in petitione compositionis non est necesse exprimere fructus, quos orator potest retinere, seu deducere ob impensas necessarias pro Ecclesiæ servitio, *Sanchez n. 8.* Cæterum debet exprimere sin-

cere summam fructoom male perceptorum, secundum veram æstimationem, non secundum taxam Datariæ, *Sanchez n. 9.* Non habet autem locum compositio, quando fructus pertinent ad successorem, eo quod ex titulo invalido percepti sint (nisi revalidationem titoli obtineat) ut *Sanchez n. 7. loco cit.* vel quando fructus pensionis ad gravatum pertinent, vel distributiones ad alios canonicos, ut *Garz. dict. cap. 1. n. 36.*

☞ *Vide etiam cit. §. 24. dictæ Constit.* Pastor bonus. ☜

Quæro V. An obligatio restituendi fructus prædictos ecclesiasticos collatur præscriptione? Respondeo, non tolli vigore regulæ de triennali, quia hæc revalidat titulum beneficii tantum, non autem jovat ad fructus acquirendos, qoando a lege impeditur acquisitio, vel infertur privatio: sed bene tollitur dicta obligatio osucapione triennali, si intervenerit continua bona fides eo triennio, scilicet ob ignorantiam invincibilem dictæ pœnæ privationem inferentis (nisi ubi lex derogat possessioni, ut in casu, de quo dicam *par. 2. verbo Fidei professio.*) Imo tunc secundum multorum probabilem sententiam, neque eam pœnam privationis incurrit, qui invincibiliter eam ignoravit: hæc omnia *Sanchez in decalogo lib. 2. cap. 5. n. 11. & 12.* cum ibi allegatis. Item quod fructus nulliter percepti ex beneficio, vel pensione ob titulum vitiosum, præscribantur triennio cum bona fide, docet *Sanchez consil. lib. 2. cap. 3. dub. 16. n. 20.*

CAPUT XXXIII.

Pœna infamiæ juris qualiter incurratur.

INfamia secundum se, & per se loquendo non est pœna, sed quid consecutivum ad pœnam, vel delictum, ut *Gloss. & Bal. in leg. Imperator, ff. de postul.* est enim macula moralis, ut *Suarez de censur. disput. 48. sect. 1. n. 3. Capella Tolos. quæst. 174. n. 3.* & potest incurri etiam sine culpa, vel etiam de facto, absque eo quod a jure imponatur, ut infamia facti: tamen si a jure inferatur ob culpam, est proprie pœna, quia est dejectio a status integritate.

Advertenda sunt aliqua generaliter circa pœnam infamiæ. Primum est, quod ubicunque aliquis afficitur infamia a jure civili, intelligitur etiam infamis de jure canonico, ut *cap. Omnes vero 6. quæst. 1.* qui est canon Papæ Hadriani, & *2. quæst. 3. §. Hinc colligitur,* ibi docet *Gratianus, & Innoc. in cap. Qualiter, & quando, n. 6. in fin. de accusat. Archid. in cap. Si quis cum militibus 6. quæst. 1. Majol. de Irregul. lib. 3. cap. 1. n. 3. Garzias par. 7. de benef. cap. 8. n. 11. cum allegatis ibid.*

Advertendum II. quod infamia juris reddit irregularem, atque ita repellit ab Ordinibus obtinendis, & impedit Ordinum susceptorum executionem, *Navar. cap. 27. n. 204. Majol. loco cit. Sayr. de censur. lib. 7. cap. 11. Suar. de censur. disp. 40. sect. 2. Sanchez opusc. lib. 6. cap. 3. dub. 5. n. 14. Garzias loco cit.* Item inhabilitat, seu repellit a beneficiis, & officiis ecclesiasticis obtinendis, *Garzias n. 41.* non tamen privat ipso jure beneficiis obtentis, etiam habentibus titulum dignitatis, *Garzias n. 37. Sanch. dub. 5. n. 9.* cum multis DD,

Advertendum III. quod infamiæ juris pœna, quæ incurritur ipso facto, seu ipso jure absque sententia condemnatoria, incurritur etiam dolo malo non interveniente, ex culpa lata; nisi lex expresse requirat dolum, seu præsumptionem: unde regulariter sufficit ignorantia crassa, etsi non adsit scientia talis legis, & pœnæ. At vero infamia juris, quæ incurritor per sententiam comdemnatoriam in causa famosa, non incurritur sine dolo, ex *lege Liberorum, §. Notatur, ff. de his, qui not. inf. ibi Gloss. verb. Non juris, Bart. Bald. Angel. ibi, Jas. in leg. Si quis major n. 3. Cod. de transact. Tiraquell. in leg. Si unquam, verbo Revertatur, n. 332. Cod. de rer. donat.*

Advertendum IV. quod pœna infamiæ, quando imponitur a jure ipso facto incurrenda, non evitatur etiam ex causa intrinseca minuente culpam, ut ob minorem ætatem, vel ob non plenam malitiam, etiam si Jodex pęnam minuat ordinariam, ut dixi supra *cap. 15.* At vero infamia inflicta jure requirens sententiam condemnatoriam in causa famosa, non incurritur, obi Judex causa cognita pœnam minuit ordinariam ex causa intrinseca minuente culpam: sed incurritur, si ex causa extrinseca pœnam minuat, ut ob multitudinem complicum, vel quia reus est insignis artifex &c. ita *Gloss. magna in lib. Quid ergo §. Pœnæ gravior ff. de his, qui not. inf. ibi Bar. n. 11. Bald. n. 13. Castrens. n. 2. Gloss. in leg. Etsi severior, per illum textum Cod. quibus mod. inf. irrog. ibi Bart. & Bald. n. 25. Salic. n. 8.*, qui testatur de communi sententia.

Advertendum V. quod infamia juris incurritur diversimode.

Primo modo incurritur ipso jure, seu ipso facto, scilicet lege notante factum absque sententia condemnatoria, *cap. Infames, in fin. 3. quæst. 7.* ut dicam *par. 2. verbo Apostasia a Fide, verbo Heresis, verbo Duellum, verbo Majestatis læsæ crimen, verbo Raptus, verbo Sodomia,* & alibi. In istis ergo casibus pęna hæc statim committitur ante declaratoriam criminis, sed non obligat in conscientia ante declaratoriam secundum magis communem sententiam, & probabiliorem, quia est pęna valde gravis, cum sit dejectio de proprio statu: ita *Sanchez de Matrimonio lib. 7. disput. 13. n. 1. Molina disp. 96. §. Duo tom. 1. Filiucc. tract. 34. n. 79.* communem esse, & secundum omnia jura mundi, testatur *Jason. in leg. Si quis major. n. 25. Cod. de transact.* & tenent *Bursatus cons. 14. n. 18. & seqq. lib. 1. Archidiac. in cap. Felicis verbo Infamis, de pœnis in 6. ibi Joan. Andr. n. 2. & 4. Gemin. n. 8.* & de jure veriorem ait *Garzias par. 7. cap. 8. n. 19.* Alii tamen dicunt, non semper necessariam esse declaratoriam, sed sufficere notorium juris, vel facti, ut *Avila par. 7. disp. 4. dub. 5. vers. Pro quo,* & hanc opinionem admittit *Abb.* quem sequitur *Fellin. in cap. Cum non ab homine, n. 10. de judic.* Alii dicunt, sufficere casum esse publicum, quia infamia significat publicam notitiam seu opinionem, qua interveniente, pęna afficere debet: ita tenet *Castro lib. 2. de lege pœnali, cap. ult. in fin. vers. Ab hac nostra, Covar. l. 3. variarum c. 3. n. 2. vers. Scribit tamen Henriq. lib. 14. cap. 5. n. 3. Tabiena verb. infamia n. 2. Sanchez opusc. lib. 6. cap. 3. dub. 6. n. 12. Bald. in leg. Transigere, col. ult. Cod. de transact.* & hanc æquiorem ait *Garzias de Beneficiis par. 7. cap. 8. n. 19.* Alii distinguunt, & dicunt, infamiæ pœnam ipso facto incursam obligare etiam in occultis casibus quoad effectus mere privativos, ut ad abstinendum ab ordinatione, a beneficio consequendo, vel dignitate obtinenda, a testificando, &c. Quoad effectos autem requirentes factum hominis positivum, ut quoad privationem dignitatis jam obtentæ, dicunt non obligare ante sententiam declaratoriam, ita *Jo. de Imola in dicto cap. Felicis, de pœnis in 6.* & cum eo *Geminian. n. 8.* videtur transire, & tenet *Suar. de censur. disp. 48. sect. 1. n. 16. Bal. in leg. 1. n. 5. ff. de his, qui not. inf. Felin. in cap. Cum non ab homine n. 10. vers. Limita 3. de judic. & Tiraquell. in leg. Si unquam verbo Revertatur, n. 401.* propter regulam generalem magis communiter receptam, quod pœnę pure privativæ obligant in foro conscientiæ ante sententiam declaratoriam, de qua dixi supra *cap. 5. Resp. 2.* Inter has diversitates opinionum aliqua sunt certa. Primum quod, stante delicto occulto, non licet alteri tale delictum publicare, seu reum infamare; quia etsi ipso jure famam amiserit civiliter, retinet tamen naturaliter ad effectus naturales, *Suarez loco cit. n. 15.* poterit tamen quilibet eum repellere, recurrendo ad tribunalia, ut declaretur infamis, si tamen illud probare possit (alias enim non posset sic recurrere) ut dixi supra *cap. 7.* Item certum est, quod secuta sententia declaratoria super crimine, seu infamia contracta, actus antea gesti a die pęnæ commissæ irritantur, exceptis actis via publici officii, seu jurisdictionis: ita in terminis *Suar. ibi, & Castro de lege pœnali, lib. 2. cap. ultim. in fin. vers. Circa has pœnas, Angel. Perus. in Auth. de incest. nupt. n. 5. per leg. Barbarius ff. de off. Prætor.* de qua re dixi *cap. 7.*

Secundo modo incurritur juris infamia ipso facto de jure canonico ex omni crimine enormi, depositione digno, si sit notorium: est magis communis sententia, quam tenent plurimi, quos allegat *Garz. par. 11. cap. 3. n. 110.* & tenet *Sanchez opusc. lib. 2. cap. 2. cap. 2. n. 18.* & plures allegat, & tenet, communemque testatur *Sayr. de cens. lib. 7. cap. 12. n. 12.* Quamvis aliqui contrarium velint, scilicet tunc non incurri infamiam juris, sed facti, quæ triennali vitæ emendatione tollitur, nisi in casibus a jure expressis, ita *Innoc. Hostien. Abb. Antiq. Turrecrem. Castr. Rogas.* quos allegat, & sequitur *Suar. de cens. disp. 48. sect. 1. Avila par. 7. disp. 4. dub. 7.* qui alios allegat, *Garzias par. 7. cap. 8. n. 66. Layman lib. 1. tract. de irregular. cap. 4. n. 10.*

Tertio modo incurritur juris infamia ipso facto per sententiam condemnatoriam in causa famosa, ut *c. Infames 3. quæst. 7. §. Porro, lib. 1. §. Qui in judicio ff. de his, qui not. infam. Molin. tract. 4. de Just. disp. 9. a n. 1. Bernard. Diaz in prani cap. 88. n. 3. Sanch. opusc. lib. 6. cap. 3. dub. 6. n. 14. & n. 20.* cum allegatis per eum. Hæc tamen pœna non est proprie latæ sententiæ, sed ferendæ, cum ex illa resultet; ideo

ideo extenditur ad omnes etiam minus principales, ad quos pœna ordinaria pro tali crimine extenditur, juxta ea, quæ dixi supra *cap.* 10. & ita *Gloss. in cap. Si quis Episcopus, verb. Mediator.* 1. *quæst.* 1. Causa autem famosa est, primo omne crimen publicum, seu judicium publicum, *lib.* 1. *§. Removet ff. de post. & dict. l.* 1. *§. Qui in judicio.* In quo adverte, quod licet de jure canonico omnia crimina sint publica ad effectum, ut quilibet saltem per viam denunciationis audiatur, & reus saltem extra ordinem puniatur, *Foller. in praxi par.* 2. *cap.* 6. *n.* 24. *Bern. Diaz cap.* 6. *praxi, & Clarus §. fin. quæst.* 1. *vers. Hæc tamen*; nihilominus tunc solum condemnatus redditur ipso jure infamis, quando propter dolum intervenientem condemnatus sit, non autem si ob culpam latam; ita *Angelus verbo Crimen quæst.* 6. *Sylv. quæst.* 3. *Castr. de justa hæret. pun. cap.* 9. *in princip. Aret. inst. de susp. tut. §. Suspectus, Sanch. loc. cit. n.* 14. Secundo, causa famosa dicitur extraordinarium crimen, sive sit nominatum, sive innominatum, quod dicitur Stellionatus, in casibus, quibus si civiliter ageretur, actio esset famosa, idest quoties dolum continet, *leg. Infamem ff. de pub. jud. lib.* 2. *ff. de crimin. stellion. leg. Quid ergo in fin. ff. de his, qui not. inf. Menoch. de Arbit. casu* 381. *Rota decis.* 201. *n.* 5. *in collect. Farinac. de contract. & crim.* Tertio, causa famosa est causa civilis ex delicto privato agitata actione furti, vel bonorum raptorum, vel injuriarum, vel de sepulcro violato, vel de expilata hæreditate, vel de dolo malo *lib.* 1. *ff. de his, qui not. inf. lib.* 1. *ff. de sep. viol. leg. Si te expilasse, Cod. ex quibus causis inf. irrog.* Item causa civilis agitata actione pro socio, tutelæ, mandati directa, depositi directa, damnatum proprio nomine, & per se sustinentem judicium, & non per procuratorem, reddit infamem, si ratione doli, & non culpæ tantum sit damnatus, *dict. lib.* 1. *ff. de his, qui not. inf. Gloss. ibi verb. Qui pro soc. Mol. loc. cit. n.* 22.

Amplia prædictam tertiam conclusionem, ut procedat, etiamsi quis sit condemnatus ex indiciis indubitatis, seu ex præsumptivis: non quidem absens indefensus, seu in contumaciam, sed auditus, &c. quia licet hæc sententia non transeat in rem judicatam ad effectum impediendæ retractationis ex novis probationibus innocentiæ; tamen interim transit ad effectum executionis pœnarum, *Menoch. lib.* 1. *præsumpt. quæst.* 96.

Limita, quod ut damnatus in causa famosa sit infamis, requiritur, ut sit damnatus sententia definitiva, non autem sufficit interlocutoria, aut via exceptionis, *Sanchez dict. dub.* 6. *n.* 14. unde sententia contumacialis non infamat, *Clarus §. fin. quæst.* 72. *Molin. n.* 5. neque privat iis, quæ competunt de jure communi, ut habilitate, &c. *Rot.* 1. *Recent. decis.* 449. *n.* 7. quia censetur lata magis ob contumaciam, quam ob illud delictum, *Rot. ibi par.* 1. *Recent.* Si tamen contumacia esset aggravata per statutum, statuens, ut contumax habeatur pro confesso, tunc bannitus in contumaciam infamiam juris incurreret, ut ait *Bald. in cap. Super eo, il primo n.* 4. *de test. Felin. in cap. Postulasti n.* 5. *de foro compet.* & consentit *Bar. in leg. Infamem. n.* 10. *ff. de pub. jud.* quod est intelligendum, nisi postea restituatur adversus sententiam contumacialem ad se defendendum, & purgaverit se, vel cum Fisco transegerit, ut infra dicam *hoc eod. cap. & cap. seq.*

Item quod reus damnatus sit de tali delicto non per verba enunciativa, sed dispositiva sententiæ, *Rota par.* 1. *Recent. decis.* 260. *n.* 8. Item est intelligendum procedere, quando non ob solam contumaciam esset damnatus, sed propter delictum legitimis probationibus præcedentibus, vel diffamatione æquipollenti, *Rota par.* 1. *noviss. decis.* 625. *n.* 6. Item quod talis sententia transiverit in rem judicatam, ita ut vel non sit appellatum, vel quod appellatio sit deserta, vel confirmata sententia a judice appellationis, & tunc fit retrotractio effectus ad diem sententiæ, *Ugolin. de irregul. cap.* 60. *§.* 3. *vers. Tertio excipitur, Molin. loc. cit. n.* 4. Probatur *in leg. Furti §.* 1. *ff. de his, qui not. infam.* Item quod non sit punitus pœna diminuta ex causa minuente culpam, ut supra dixi. Item quod non sit damnatus pœna graviori, ordinariam scilicet excedente: quia per talem excessum censetur judex super infamiam transegisse, *leg. Quid ergo §. Pœna gravior, ibi Bar. ff. de his, qui not. inf. Castr. in leg. Si Possidonium, Cod. eod. Molin. n.* 19. *&* 20. *Nell. de Bann.* 1. *par. tertii temp. quæst.* 15. *in fin.* Item non sufficit, quod reus accusatus de causa famosa, vel crimine publico, sit damnatus pœna extraordinaria, si non sit damnatus, seu declaratus reus talis criminis; quia sæpe infligitur pœna extraordinaria ob solam suspicionem commissi criminis, vel ob aliquam aliam circumstantiam; ideo non fit irregularis, *Rota par.* 1. *noviss. decis.* 316 *n.* 7.

Quarto modo incurritur infamia juris ipso facto per transactionem in causa famosa criminali, vel civili ex delicto, in quibus scilicet, si condemnatus fuisset, fuisset infamis, *leg.* 1. *& leg. Athletas §. fin. & leg. Quoniam intelligitur, ff. de his, qui not. inf.* ubi ratio affertur, quoniam intelligitur fateri crimen, qui super eo paciscitur.

Limita primo, ut procedat, si paciscatur transigendo, dando, vel promittendo aliquid accusatori, vel actori, vel Fisco, ut desistat, vel faciat concordiam, ut *Gloss. in dict. leg. Quoniam, Bart. ibi, & Bald. n.* 2. *Jas. in lege Transigere, n.* 2. *Cod. de trans.* & est *text. in leg. Furti §. Pact. ff. de his, qui not. inf.*

Limita secundo, ut non procedat, si transigeretur super civili judicio, & actione aliqua ex contractu, de quibus dixi paulo superius; quia licet condemnatus ex illis sit infamis, tamen transigens; ita habetur in *leg. In actionibus, de his, qui not. inf.*

Limita tertio, ut non procedat in iis criminibus, in quibus jura transigi permittunt, de quibus in *dict. leg. Transigere, & ibi DD. Angel. de malef. tit. de transact. n.* 8. *Clarus §. fin. quæst.* 58. quia illis non habetur transigens pro confesso, ut *Abbas in cap.* 1. *n.* 9. *de collus. deteg. Sylv. verb. Accusatio, quæst.* 11. *verb. Transigere n.* 3. *Angel. verb. Accus. n.* 11. *Henric. in cap. Ex parte n.* 15. *de transact. Jason. in leg. Transigere, n.* 20. *Cod. de transact.* late *Molina de just. tract.* 4. *disp.* 9. *n.* 16.

Limita quarto, ut non procedat, si transactio fiat cum protestatione de innocentia, & quod transigit ad dispendia litis evitanda, *Tancred.* quem sequitur *Alex. & Jas. in dicta leg. Transigere, Molin. tract.* 4. *disputatione* 9. *n.* 16. *& n.* 17.

Limitat quinto *Layman lib.* 1. *tract. de irregul. cap.* 4. *§. Alia vero*, quod ad incurrendam in hoc casu, idest ex transactione, infamiæ pœnam, requiritur declaratoria de transactione. Sed hæc doctrina procedit secundum unam opinionem, de qua dixi supra hoc cap. *§. Advers.* 5.

Limita sexto, ut non procedat, quando transactio fieret Judicis auctoritate, *leg. Furti, §. Qui jussu, ff. de his, qui not. infam. Molina loc. cit. §. Illud vero, cum Greg. Lopez.*

Limita septimo, quod hodie non habet locum hæc pœna infamiæ ex transactione inita cum accusatore, vel actore jus suum prosequente, quia ex consuetudine recepta fere ubique licitum est transigere super omni crimine cum offenso, ita *Molin. loco cit. §. Hæc autem*; & de tali consuetudine testatur *Clarus loco cit. vers. Secunda regula.*

Limita octavo, ut non procedat, si fiat transactio cum ipsa Curia, seu Fisco ante probationem delicti, quia tunc est abolitio, & præservat ab infamia juris, etsi non præservet ab infamia facti, *leg.* 1. *§. Abolitio, ff. ad Turpil.* Secus si condemnatoriæ sententiæ admisceatur gratia, ut dixi *hoc cap. vers. Advert. quarto.* Si tamen fieret compositio cum Fisco post sententiam contumacialem, vel post definitivam, a qua idem reus appellasset, non incurreret juris infamiam, quia hoc potuit facere ad redimendum se a vexatione; neque hinc oritur acceptatio sententiæ, vel confessio criminis, ut *Gabr. de malefic. concl.* 33. *n.* 1. *& seqq. lib.* 7. *Seraphin. decis.* 1352. *n. ult.* Dixi autem, quod in primo modo non effugiet infamiam facti, quia ad eam sufficit accusatio, seu delatio juridica, quandiu non constat de innocentia, si tamen concurrat populi opinio, idest fama, *DD. in leg. Turpia, ff. leg.* 1. *Seraphin. decis.* 393. *n.* 2. & dixi supra *cap.* 21.

Quinto modo juris infamia ipso jure incurritur ex genere pœnæ a damnato, qui eam passus est, etiam sine sententia definitiva, sola interlocutoria, causa cognita interveniente, ex causa tamen famosa, *cap. Infames* 3. *quæst.* 7. *§. Porro, leg. Aut damnum, in princ. ff. de pœnis*, ubi quædam pœnæ damnum cum infamia inferunt, & *gloss. in leg. Nullam verb. Quæstione, Cod. quib. ex caus. infam. irrog. Felin. in cap. Testimonium n.* 15. *de test. Bar. & Castr. & alii DD. in leg. Ictus fustium ff. de his, qui not. inf. Molina tract.* 4. *disp.* 9. *num.* 19. ubi testatur de communi sententia. Unde ad incurrendam infamiam juris ex genere pœnæ tria requiruntur copulative. Primo, ut talis homo eam pœnam actu sit passus. Secundo, ut intercedat de hoc sententia saltem interlocutoria. Tertio, ut id actum sit ob causam famosam, *Alber. in leg. Ictus fustium n.* 1. *& Bal. n.* 1. *ff. de his, qui not. infam. & Bar. & Salic. in leg. Nullam n.* 2. *Cod. ex quib. caus. inf. irrog. post gloss. ibi ver. Quæstione per illum tex. gloss. in leg*

Ad

Ad tempus ver. Subjiciuntur, *ibi Castr. Cod. eod.*

Talis est autem, primo omnis pœna corporalis (non pecuniaria, *leg. In servoram in fin. & leg. Capitalium*, *ff. de pœnis*) ut damnatio ad opus publicum, ut in metallum, vel in opus metalli, & relegatio etiam ad tempus, *dicta leg. Capitalium*, & fustigatio, *leg. Ictus fustium ff. de his, qui not. infam. & leg. Fustibus*, *Cod. eodem*. Item exilium etiam temporale, *leg. Imperator*, *ibi gloss. ff. de postal.* Item omnis pœna capitalis, quia scilicet status mutatur in deterius; ita ut reus vitam, vel libertatem, vel civitatem amittat, reddit infamem, ut *dict. leg. Capitalium*. Et quamvis hodie damnatio ad mortem non auferat libertatem, neque fiat servus pœnæ, *auth. de nup. §. Quod autem prius*, *Clarus §. final. quæst. 67. vers. Item damnatio*; tamen adhuc remanet famæ jactura. Item pœna damnationis ad triremes infamat ex genere pœnæ, quia successit in locum deportationis, vel damnationis in opus publicum, aut alterius pœnæ corporalis, ut *Clarus ibi vers. Item damnatio, & vers. Deportatio*, *Farinac. quæst.* 142. *n.* 165. & alii, quos vide *par. 2. ver. Missa cap.* 5. ubi plenius agam. Quod procedit solum, si damnetur reus ex causa famosa; & sic concorda DD. quos pro utraque parte allegat *Diana par. 4. tract. 2. resol.* 83. Verum tamen est, quod hodie ex jure authenticorum damnatus ad triremes, etiam perpetuo, non amittit ea, quæ sunt juris gentium: unde si non sit facta confiscatio bonorum, retinet dominium, & potest contrahere &c. *Rota par. 2. recent. decis.* 492. *per totam*. Quis autem cum damnatis ad triremes dispensare possit ad Ordines, dicam *par. 2. verb. Missa cap.* 5. Item damnatio ad perpetuum carcerem, quia æquiparatur deportationi, *Gomez*, *& Bartol.* quos sequitur *Molina dict. disp. 9. §. Quod at melius*, *Abb. in rub. de testam. n.* 4. Sed contrarium tenet *Clarus §. Testam. quæst.* 23. Item bannum si sit capitale, ut possit occidi, infamat, quia eo ipso est damnatio ad mortem. Item bannum a civitate, ut transgrediens possit occidi, infamat, quia æquiparatur deportationi. Item bannum simplex infamat, quia relegationem importat, *Sylv. verbo Bannitus n. 4. Bald. in leg. Amissione ff. de cap. dimin.* Bannum autem imperiale, de quo in *Auth. Item quicunque*, *Cod. de Episc. & Cleric. & extrav. Friderici*, *de statut. & consuet.* non infamat, cum solum privet commercio civium romanorum, & omni juris beneficio, & concedat bona illius ab omnibus occupari; sed non perpetuo, seu definitive, sed per modum interlocutoriæ, & pœnæ medicinalis ad tollendam contumaciam, ut *Bal. in ea Auth.* ideo resipiscens restituendus est, *Bal. in Auth. Item nulla n. 3. Cod. de Episc. & Cleric.*

Secundo depositio ab officio, *leg. Aut damnum*, *ff. eod. leg. Et si severior*, *Cod. eod.* Item remotio tutoris suspecti, si remotus fuerit propter dolum, non autem si ob culpam, *§. Suspectus autem*, *Inst. de susp. tut.* Item exauctoratio, seu privatio militiæ, *leg. 2. §. Ignominiæ ff. eod.* & ita de jure cannnico depositio, vel degradatio, *Abb. in cap. Cum te n. 10. de sent. & re judic. Sayr. de cens. lib. 5. cap. 22. n. 10. Borgas. de irregular. par. 6. tit. de sentent. deposit. n.* 35. & procedit etiam in depositione a beneficio propter dolum, *gloss. in cap. Licet Heli verb. Infamis*, *de simon. ibi Hostien. & Anan. n.* 24.

Tertio, pœnitentia solemnis infamat ex genere suo, ut *Genuen. in praxi cap. 45. n. 5. Majol. lib 3. cap.* 2. & ideo clericis imponi non debet, *Genuen. cap. 73. §. 2. Adducitur*, *Majol. ibi n. 7. Diaz. cap. 23. text. in cap. Illud*, *50. dist.* ne scilicet fiant irregulares. Pœnitentia autem publica non solemnis, si imponatur propter crimen famosum, & ita ut notoria sit causa, seu crimen, infamat: si autem propter suspicionem delicti, vel ob scandalum, non infamat, *Genuen. cap. 45. n. 5. vers. Non obstat*, *quod post purgationem*, *& Rota par. 2. recen. decis. 21. n.* 2. Pœnitentia igitur solemnis redderet infamem, etiamsi non esset notoria causa, quia non nisi pro gravissimis criminibus imponitur a jure canonico, ut *Diaz. ibi*, *Tolet. lib. 1. cap. 64. §. Quarto ob defectum animæ*, *text. in can. Placuit in fin. 50. distinct. cap. alt. 26. q.* 6. at pœnitentia publica etiam pro levioribus imponi potest. Verum si sit quis pœnitentiatus publice ob suspicionem criminis famosi, ut hæresis; tunc si causa hujus suspicionis fuit publica, erit infamia facti affectus, *Genuen. dict. cap. 45. n.* 5. quæ infamia facti non efficit irregularem irregularitate proprie dicta, sed improprie dicta, quia impedit, ne quis ad Ordines, aut beneficia promoveri licite possit: valida tamen erit provisio, sed est cassanda, *Garzias de ben. par. 7. cap. 8. n. 47. & 48. cum DD. ibi alleg.* sed tollitur infamia hæc per triennalem constantem vitæ emendationem, ut *Genuen. ibi Salycet. in leg. Si minorem n. 2. Cod. de in integ. rest. min. Clarus §. final. quæst. 21. n. 1. in fin.* Item tollitur per purgationem canonicam, vel per dispensationem, ut *Sanch. opusc. lib. 6. cap. 3. dub. 5. in fin. cum ibi alleg.*

Adverte autem, quod infamiæ pœna non potest immediate imponi a statuto superioris non habentis jus supremi Principis, neque induci consequenter ex genere pœnæ ab ipso statutæ, ut *Bar. in leg. 1. n. 15. & leg. Infamem n. 14. ff. de pub. judic.*

CAPUT XXXIV.

Pœna juris infamiæ qualiter tollatur.

INfamia juris tollitur, primo indulgentia, seu dispensatione a Principe concessa suo subdito super lege, illum rehabilitando, ut *leg. 1. Cod. de sent. pass. & rest. leg. 1. §. pen. ff. de postal. Sanch. opusc. lib. 6. cap. 3. dub. 5. n. 30. Sayr. lib. 7. de cens. cap. 11. n.* 15. Itaque Princeps temporalis poterit dispensare cum suo subdito super lege civili ad effectus temporales directe: sed consequenter, & indirecte tunc reddit habilem etiam ad effectus spirituales, dummodo alias cesset infamia facti: ita *Sylvest. verb. Infamia n. alt. Suar. de censur. disp. 48. sect. 2. n. 10. Layman lib. 1. tract. de irregul. cap. 4. n.* 10. Papa autem, ut Papa est, de potestate ordinaria cum quolibet tam clerico, quam laico dispensare potest directe super infamia ex jure canonico incursa: item cum laico indirecte dispensando, seu rehabilitando illum ad effectus spirituales, seu ecclesiasticos, ut ad Ordines, propter Ecclesiæ utilitatem, *Turrecr. in cap. Euphemiam §. Hinc colligitur 2. quæst. 3. n. 7. Molina n. 4. Sayr. n. 15. cit.*

Secundo, infamia juris tolli potest indirecte per dispensationem ab Episcopo, seu Prælato, suo subdito concessam super irregularitate incursa ex infamia juris ex delicto non graviore adulterio, *cap. At si clerici*, *§. De adulteriis de judic. Navar. cap. 27. n. 204. Sayr. dict. n. 15. Barbos. de potest. Episcop. alleg. 43. n. 31. Foller. in praxi super verb. Etsi confessi, aut convicti n. 125. Sanchez opusc. loco cit. dub. 5. n.* 16. Item in aliis casibus, quibus Episcopus potest dispensare super irregularitate ex aliquo delicto incursa, potest dispensare indirecte super infamia juris ex eodem delicto incursa: est doctrina *glossæ in can. Domino sancto*, *50. dist. Imola in cap. Cum te*, *de re jud. & ibi Abb. Foller. loco cit. Tolet. lib. 1. cap. 26. §. alt.* Qui autem sint isti casus, vide supra *cap.* 23. & aliis locis infra *par.* 2.

Tertio, infamia juris potest tolli a Judice per restitutionem ex justitia adversus sententiam, propter quam infamia juris sit contracta, juxta dicta *cap. præc.* scilicet in casibus, quibus potest Judex condemnatum adversus rem judicatam restituere in integrum, *Sayr. loco cit. n.* 14. habetur *in lib. 1. §. penult. ff. de postul.* Item potest tolli per restitutionem ex gratia a Principe factam, plena scilicet restitutione adversus sententiam; quia tunc reus restituitur in integrum statum dignitatis pristinæ, *Rota decis. 21. n. 2. par. 2. Recent. Molina trac. 4. disp. 10. n. 7. text. leg. Cum generalis*, *leg. Cum indulgentia*, *Cod. de sent. pass. & leg. 1. §. Hoc edicto*, *ff. de post.* Secus autem est, si restitutio sit partialis, scilicet adversus pœnam corporalem tantum; quia tunc non liberatur ab infamia juris contracta per sententiam, ut ex dictis juribus apparet. Solus autem Princeps, supremus; seu habens jura supremi, potest sic restituere, *Nellus de Bannit. par. 1. tertii temp. quæst.* 15.

Quarto, tollitur infamiæ pœna ipso jure, finito tempore, quando reus fuit graviori pœna, quam de jure esset imposita, damnatus; quia sic censetur infamia remissa, sicut etiam censetur remissa ipso jure, cum quis minori pœna, v. g. fustium damnatus est cum causæ cognitione, etiamsi alias causa esset famosa: ita *gloss. in leg. Quid ergo §. Pœna gravior. ver. Onerasset*, *ff. de his*, *qui not. infa. Borgas de irregul. par. 6. tit. de infam. & sent. pass. n. 7. & DD. communiter in dict. §. Pœna gravior.* Semper tamen in istis casibus remanet infamia facti, ut ait *Bar. in leg. Fustibus*, *Cod. Ex quibus caus. infam. irrog.* ideo in loco delicti non debet celebrare propter scandalum.

CA-

CAPUT XXXV.

De pœna irritationis actorum latæ sententiæ.

QUæritur I. An irritatio actus sit pœna, & lex irritans sit dicenda pœnalis, vel potius definitiva? Respondeo I. Certum est, quod si irritatio aufert jus perfecte quæsitum, dicitur pœna, ut *Bald. in leg. Nemo martyres n.* 3. *Cod. de sacrof. Eccles.* & de communi testatur *Felin. cap.* 2. *n.* 1. *de test. & Rota Mantica decis.* 300. *n.* 4. Et quidem in hoc casu habet perfectissimam rationem pœnæ, ita ut non obliget ante declaratoriam sententiam, *Suar. lib.* 4. *de leg. cap.* 32. *n.* 2. *&* 3. *Sanch. de matrim. disp.* 4. *n.* 9. *Farin. in fragm. verb. Lex n.* 160. *Castropalao tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 2. *pun.* 10. *n.* 1. & dixi supra *cap.* 5. & quælibet rationabilis causa excusat a tali pœna, *gloss. in leg. un.* §. *ult. ff. si quis jus dic. non obc. Mantic. loco cit. n.* 1.

Respondeo II. Si irritatio privat jure nondum absolute quæsito, sed tamen jam cœpto acquiri, sub aliqua tamen conditione, seu modo adimplendo, & irritatio sit lata in odium delicti, seu transgressionis, etiam hoc casu dicitur pœna, ut *Bald. Felin., & Mantic. loco cit.* cum communi sententia: unde ab hac pœna excusat bona fides, seu ignorantia legis irritantis, ut dicam infra. Sed pœna ista obligat in conscientia etiam ante declaratoriam, ut *Navarr. cap.* 25. *n.* 118. *Less. lib.* 2. *cap.* 34. *n.* 101. qui testatur de communi sententia: & habes exempla infra *par.* 2. *verb. Electio cap.* 9. *& verb. Gratia cap.* 2. *&* 7. item *verb. Resignatio cap.* 4. *& verb. Horæ cap.* 1. *&* 3. facilius enim privari quis potest jure nondum perfecte quæsito.

Respondeo III. Si irritatio actus privat jure non quæsito, neque cœpto acquiri, sed solum quærendo, & talis irritatio est inducta a lege non in odium delinquentis, seu transgressionis, sed solum propter defectum solemnitatis, seu formæ, tunc non est dicenda irritatio pœnalis, sed definitiva, *Menchach. illustr. quæst. lib.* 1. *cap.* 28. *n.* 4. & plurimos allegat, & sequitur *Sanch. lib.* 3. *de matrim. disp.* 4. *n.* 9. *& Mant. dict. decis.* 300. *n.* 2. Et hæc irritatio est favorabilis, ut ait *Vantius de nullit. tit.* 1. *n.* 18. *&* 28. est enim defensio quædam, & ligat etiam ignorantes; ut *Sanchez* cum communi sententia *de matrim. lib.* 3. *disp.* 4. *n.* 9. & ligat etiam ante declaratoriam pro foro conscientiæ, ut *Suar. de legib. lib.* 5. *cap.* 32. *n.* 4. *&* 5. *Farin. in fragm. verb. Lex n.* 160. *Salas de legib. disp.* 16. *sect.* 9. *in fin. Castropal. tom.* 1. *tractat.* 3. *disp.* 2. *punct.* 10. *n.* 7. *Bonac. in decal. disp.* 1. *quæst.* 1. *punct.* 7. §. 5. & multi DD. Legistæ, & Canonistæ, quos allegat *Sanch. in opusc. lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 14. *n.* 4. quia lex potest, & censetur tunc inhabilitare personas quoad talem actum perficiendum, nisi adhibita illa forma.

Sed alii dicunt, regulariter loquendo talem irritationem non ligare in foro conscientiæ ante declaratoriam, dummodo actus habeat requisita juris naturalis ad validitatem; & dummodo aliunde non constet legislatorem voluisse irritate in foro conscientiæ, ita *Innoc. in cap. Quod sicut n.* 7. *de elect. Abb. in cap. Quia plerique de immunit. eccles. n.* 31. *& in cap.* 1. *in fin. de restit. in integr. Joan. Valerus differ. utr. fori* 8. *n.* 1. & hanc communem Jurisperitorum ait *Sanch. in opusc. loc. cit. n.* 2. *in fin.* & tenet *Less. lib.* 2. *cap.* 19. *n.* 12. *Layman lib.* 1. *tract. de legib. cap.* 16. *n.* 9. Illud est certum, quod si lex expresse inhabilitaret personas quoad talem actum, tunc actus esset nullus eo ipso, etiam in foro conscientiæ, *Alex. cons.* 27. *n.* 5. *vers.* 2. *&* 3. *lib.* 1. *Roder. quæst. regul.* 14. *art.* 6. §. *Primum argumentum*, & alii, quos allegat *Sanch. lib.* 3. *de matr. disp.* 4. *n.* 1. ut patet exemplo *Triden. sess.* 24. *cap.* 1. *de Ref. matr.* An autem lex inhabilitans personam quoad talem actum, liget contrahentem, seu actum gerentem extra territorium legislatoris, vide apud *Buratt. decis.* 27.

Respondeo IV. quod si irritatio non privat jure quæsito, nec cœpto acquiri, sed jure quærendo, scilicet impediendo primam acquisitionem, & irritatio sit lata a jure in pœnam, seu odium delicti, seu transgressionis, tunc duæ sunt sententiæ. Prima docet, non esse proprie pœnam, quia non est læsio personæ, nec diminutio patrimonii; ita *Bald. in leg. Nemo martyres n.* 3. *Cod. de sacr. Eccles.* & alii, quos allegat *Sanchez lib.* 3. *de matrim. disp.* 4. *n.* 8. & tenet *Mantic. decis.* 300. *n.* 3. *& Rota decis.* 361. *n.* 9. *&* 11. *in collect. Farinac. crim. & contract.* & hanc communem dicit *Felin. in cap.* 2. *n.* 1. *de testibus*. Secunda sententia docet, esse proprie pœnam, & hanc tenent plurimi DD. quos allegat, & sequitur *Sanchez loc. cit. n.* 9. *& lib.* 9. *disput.* 32. *n.* 18. *Suar. de legib. lib.* 5. *cap.* 19. *n.* 7. *Salas de legib. disp.* 16. *sect.* 2. *Farinac. in fragm. verb. Lex n.* 160. *Castropalao tom.* 1. *tract.* 3. *disp.* 2. *punct.* 7. *n.* 4. & hæc est verior, & magis communis, ut patet ex allegatis a *Sanch. dict. n.* 9. Et probatur dicta secunda sententia ex *cap. Si Religiosus* 27. *de elect. in* 6. ubi in pœnam dicitur irritari electio: & probatur ratione, quia ad rationem pœnæ sufficit, quod interveniat aliqua privatio ob culpam; pœna enim est malum aliquod, ex *can. Pœnitentia dist.* 3. *Suar. de legib. lib.* 5. *cap.* 7. *n.* 1. malum autem semper est privatio aliqua boni, ut *Suar. ibi*. Privatio autem dicitur non solum rei habitæ, sed etiam aptæ alioqui haberi a tali subjecto, ut *S. Thom.* 1. *par. quæst.* 33. *art.* 4. *ad* 2.

Unde sequitur, quod hæc irritatio non ligat ignorantes legem prohibentem, & irritantem, seu cum bona fide operantes, *Sanchez lib.* 3. *disp.* 4. *n.* 9. ubi plurimos allegat, & idem *Sanch. lib.* 9. *disp.* 32. *n.* 8. *Gabr. commun. conclus. lib.* 6. *tit. de clausulis concl.* 3. *n.* 1. *&* 8. *Rota decis.* 367. *n.* 4. *par.* 1. *Posth. Farin.*

Verum est tamen, quod hæc irritatio pœnalis impediens solum primam acquisitionem, obligat in conscientia ante declaratoriam, quia non indiget facto hominis positivo ad sui executionem, ut dixi supra *cap.* 5. & tenet *Less. lib.* 2. *cap.* 34. *n.* 101. qui testatur de communi sententia, & alii multi, quos allegat, & sequitur *Sanchez in opusc. lib.* 3. *cap. Un. dub.* 1. *n.* 16. & communem ostendit *Garzias par.* 11. *de benefic. cap.* 10. *n.* 9. (quidquid dicat *Menchach. illustr. quæst.* 1. *cap.* 28. *num.* 11. asserens, irritationem pœnalem ipso jure latam non ligare in foro conscientiæ, si actus habeat requisita de jure naturali.) Et hac ratione conciliari potest prior sententia, quia irritatio impediens primam acquisitionem, non videtur habere tam rigorosam rationem pœnæ, quia læsio, quam infert, scilicet privando jure quærendo, non est valde gravis, ideoque statim obligat, ut dictum est, etiam in foro conscientiæ.

Quæritur II. An, & qualiter nullitas sanari possit, vel reparari? Respondeo, si lex irritat actum simpliciter, tanquam gestum contra formam, vel ut gestum cum impedimento inhabilitante ad tempus, non autem perpetuo, tunc sublato tali impedimento, seu adhibita de novo solemnitate, seu forma requisita, potest novo partium consensu reparari; & hæc non dicitur proprie sanatio, quia actus posterior non est idem numero cum primo, sed novus: & incipit valere ex nunc, & non prout ex tunc. Si autem lex irritans actum procedat ulterius, inhabilitando perpetuo personas ad talem actum, non potest sanari, seu reparari etiam novo partium consensu, sine dispensatione legitima superioris, seu legislatoris, aut alterius ab eo potestatem habentis juxta ea, quæ dixi supra *cap.* 23. & ita distinguit *gloss. in cap. Non firmatur* 18. *de regul. jur. in* 6. *Vantius de nullit. tit. quoties, & intra quod temp. n.* 33. *& seqq. Tiraquell. tract. cessante causa, limitat.* 12. *&* 19. *& in leg. Si unquam, verbo Revertatur n.* 415. *Barbosa in dict. cap. Non firmatur, Gemin. in cap. Quanquam n.* 6. *de usur. in* 6. & de utroque modo habes exempla infra *p.* 2. *verb. Electio cap.* 3. *&* 9. *verb. Simonia cap.* 2. *verbo Professio cap.* 2. *&* 3. Si autem lex irritat actum non simpliciter, seu absolute, sed sub conditione sine qua non; tunc adimpleta quandocunque conditione, perseverante partium consensu, ipso facto actus convalescit, ut dicam infra *cap.* 39. *in fin.*

Quæritur III. An Princeps, vel Papa sanare possit nullitatem actus præteriti, etiam parte non consentiente, vel invita, ut valeat ex tunc? Respondeo sanare posse quoad defectus juris positivi in actibus non dependentibus a voluntate, & consensu earundem partium non consentientium; qua ratione sæpe Princeps sanat defectus aliquos processuum, ut *Vantius de nullit. tit. ult. n.* 125. Sic potest sanare defectum absolutionis a censura, vel dispensationis invalide concessæ, v. g. excommunicato, vel irregulari, ut sæpe facit circa acta Sacræ Pœnitentiariæ: & habes exemplum hujus sanationis Regularibus concessæ *par.* 2. *verbo Novitiatus n.* 4. Quando autem sunt defectus juris naturalis, vel actus pendentis a consensu partium, non potest revalidare, nisi ablato impedimento, cum novo consensu partes ratificent; ut quando dispensat super impedimento matrimonii contracti, ut *Sanch. lib.* 2. *de matrim. disp.* 36. *n.* 3. Quod si actus pendet a voluntate unius, tunc sublato impedimento, poterit ab illo ratificari, ut dicam infra *cap.* 39.

Quæritur IV. Quando Papa, vel Princeps dispensat super

per nullitate, seu impedimento occulto actus gesti, forma externa, seu solemnitate substantiali positivi juris servata, peodente a consensu partium, & partes debent iterare consensum, an sit necesse iterare formam, seu solemnitatem? Respondeo per se loquendo, debere etiam formam juris positivi iterari, nisi ex verisimili mente legislatoris per primum actum nullum censeatur fini legis satisfactum, ut *Sanch. lib. 2. de matrim. disp. 37. per totam*.

Quæritur V. An possit præscriptio aliqua contra actus nullitatem prævalere? Respondeo, quod nulla præscriptio prævalet contra decretum irritans pœnale; quia si erant partes in bona fide, actus non fuit nullus; si in mala fide, non præscribunt; & ita *Gabriel. de clausul. concl. 3. n. 44.* & quia decretum irritans inficit possessionem, ut *Marta de clausulis cap. 255. n. 8.* Sed neque consuetudo prævalet contra decretum irritans, nisi sit immemorabilis, *Gabriel. ibi n. 40. & 42.*

Limita, quod potest Princeps, vel Papa præcludere viam reclamanti contra nullitatem, temporis præscriptione: sed actus adhuc n on valet in foro conscientiæ, quando est actus pendens a voluntate partium, nisi interveniat novus consensus, ut dicam *verbo Monialis cap. 1. in fin. infra par. 2.*

CAPUT XXXVI.

De pœna confiscationis, seu privationis bonorum temporalium latæ sententiæ.

DE hac re, quia nimis longa esset inspectio, vide quæ tractant latissime *Sanchez in decal. cap. 22. lib. 2. Suar. de fide disp. 22. sect. 3. & 4. Farin. de hæres. quæst. 190. per totam*. Hic solum meminisse oportebit, quod licet reus, commissa pœna confiscationis bonorum, ex ipso jure non teneatur ultro restituere ante declaratoriam, imo neqoe ante actualem executionem, ut iidem DD. dicunt, & de magis communi, & probabiliori tastatur *Farinacc. loco cit. quæst. 190. §. 1. n. 22.* tamen peccaret mortaliter, si post declaratoriam interrogatus de bonis ioficiaretur, vel ea occultaret, *Molina tom. 1. disp. 66. Sanch. n. 8. Azor. tom. 1. lib. 5. cap. 7. quæst. 5. & tom. 3. lib. 4. cap. 16. quæst. 9.* Sed ante declaratoriam, etiamsi crimen inficiatus evaderet sententiam, non taneretur ad restitutionem secundum probabiliorem, *Sanch. n. 22. Bonac. de restit. disp. 3. quæst. 8. punct. ult. §. 3. n. 6. Farinac. n. 22.* Item ante declaratoriam, si alienet bona titulo lucrativo, non peccat, si non faciat in fraudem Fisci: si autem titulo oneroso, peccat contra justitiam per se loquendo, quia periculum infert accipientibus amittendi rem, & pretium: si tamen nullum generaretur periculum accipientibus, ut quia crimen esset ita occultum, ut non possit probari in judicio, tunc oullom esset peccatum: ita *Suar. sect. 4. n. 4. Sanch. lib. 2. cap. 22. n. 28. Farin. loco cit. n. 82.*

Nota etiam, quod de jure communi confiscationis bonorum pœna non infertur, nisi ob crimen læsæ majestatis, ut *Auth. Bona damnatorum Cod. de bon. proscr.* & ob crimen hæresis, ot dicam *par. 2. ver. Hæresis*. In aliis autem casibus bona rei ultimo supplicio affecti, devolvuntur descendentibus, & ascendentibus, & transversalibus, usque ad tertium gradum, ut *dict. Auth. Bona damnatorum*.

CAPUT XXXVII.

De aliis pœnis pecuniariis latæ sententiæ.

PŒnæ pecuniariæ, quæ a jure infliguntur, aliquando scilicet solvendæ, vel damnum passo, vel Fisco, ultra damni restiturionem, ut dupli, vel quadrupli, vel summæ taxatæ, etiamsi sint latæ sententiæ, non obligant, regulariter loquendo, in foro conscientiæ ante declaratoriam *per cap. Fraternitas 11. quæst. 2. Bald. in leg. Post desertionem, Cod. de furt.* & late probat *Felin. in cap. Audivimus n. 1. de simon.* & multi, quos allegat, & sequitur *Menchaca illustr. quæst. lib. 1. cap. 28. n. 7. cum seqq.* Sed nequa post declaratoriam pœnæ ipso jure incursæ tenetur reus pecuniam ultro offerre, sed potest expectare executionem, ut *Menchach. ibi n. 13.* Exemplum hujus rei habes *par. 2. verb. Reliquiæ cap. 2. n. 4. & verb. Camera cap. 1.*

Amplia, ut non teneatur reus ad hujusmodi pœnas, etiamsi falsis testibus, vel injusta appellatione se defenderit, quominus sententia contra se feratur, vel ut revocetur, effecerit, *Sanch. lib. 10. de matr. dist. 8. n. 14.* idem tenent *Navar. Vasch. Less. & Tannerus*, quos allegat, & sequitur *Diana resol. 52. miscell. 5. tom. 2.* secundum probabiliorem; tenebitur tamen litis illius expensas adversario reficere, ita *Sanch. cum allegatis ibi*.

Amplia, ut idem sit dicendum de teste falso, a reo, ut supra producto, secundum magis communem Recentiorum, ut *Sayr. in clavi reg. lib. 10. tract. 2. cap. 15. n. 3. Sala de legib. disp. 15. sect. 7. n. 104. & 105. Diana resol. 23. tract. 10. de leg. tom. 1. & resol. 35. Miscell. 6. §. 7.* An autem idem dicendum sit de jodice, vel officiali, qui injuste omittit ferre sententiam declaratoriam, seu condemnatoriam pœnæ pecuniariæ, ut non teneatur actori, vel Fisco restituere; multi dicunt non teneri restituere, quia dicunt judicem non obligari ad talem sententiam ferendam ex justitia commutativa, sed ex sola legali: ita tenent *Less. lib. 2. cap. 13. n. 73. Bonac. ad octavum præcept. decal. punc. 7. n. 2. Azor. tom. 1. lib. 5. cap. 8. quæst. 5. in fin. Salas de legib. loco cit. sect. 7. n. 101. 103. & 105. & sect. 8. §. Circa diminutionem*, ubi expresse ait procedere tam de pœna latæ sententiæ, quam ferendæ, *Diana resol. 52. miscell. 5. tom. 2. & resol. 23. tract. 10. tom. 1.* ubi ait esse opinionem in praxi tutam. Sed contraria est magis communis, & probabilior, qoam tenet *Azor. sibi contrarius tom. 3. lib. 4. cap. 17. quæst. 2. Sayr. in clavi reg. lib. 12. cap. 14. n. 18.* ubi plurimos allegat, *& lib. 3. cap. 8. n. 13. Turrian. in 2. 2. quæst. 67. art. 4. n. 1. & 3. Layman lib. 3. de rest. cap. 5. n. 7. §. 2. si judex, & Summistæ communiter*.

Limita, quod tenetur in foro conscientiæ per se exequi,

Primo, quando Judex per sententiam condemnavit ad pœnam solvendam, ut *S. Thomas 2. 2. quæst. 62. art. 4. Baldus in l. Id quod pauperibus quæst. 9. Cod. de Episc. & Cler. Anchar. in regula possessor in 6.* quamvis *Felin. in dict. cap. Audivimus*, dicat se de hac limitatione dubitare.

Secundo tenetur in conscientia reus solvere pœnam, v. g. dupli, & similes, quando lex id præcipit expresse, ut cum utitur particula obligationem significante, ut dixi *verbo Munera cap. 7. & 8. & verbo Alienatio cap. 10.* vel cum prohibet, eum absolvi ante dupli restitutionem &c. quia licet illa pœoa non sit latæ sententiæ in eo sensu, ut eo ipso transferat dominium in adversarium talis summæ: vel etiamsi transferret, non obligaret per hæc solum in conscientia ad solvendum, ut dixi supra; tamen in hoc casu vigore talis præcepti, obligatur reus ad executionem pœnæ ante omnem sententiam, ut notat *Suarez de legib. lib. 6. cap. 7. n. 1.* & sic illud præceptum habet vim sententiæ condemnatoriæ specialis: & habes exemplum infra *par. 2. verb. Visitatio cap. 2. & verbo Arma cap. 5. verbo Camera cap. 1. verbo Munera cap. 7. & 8.* Item obligatur in conscientia, quando pœna dupli est compensativa, ut dixi *verbo Servus cap. 2.*

Tertio tenetur in foro cooscientiæ reus solvere pœnam compensativam interesse rationabilis parti læsæ, ut *Felin. loco cit.* Itaque pœna legalis regulariter non est debita in foro cooscientiæ ante sententiam Judicis: unde confessarius non debet reum condemnare, ut solvat talem pœnam ante sententiam prædictam, ut *gloss. in dict. cap. Fraternitas*, & communem ait *Abbas in cap. Dilecti n. 12. de arbitr.* quanquam *Abbas ibi* teneat contrarium, quando pœoa pecuoiaria ipso jure infertur; quam senteotiam tenent etiam alii, quos allegat *Menchaca loco cit. n. 11.*

CAPUT XXXVIII.

De Pœna Banni latæ sententiæ.

POena banni ipso jure lata sæpe reperitur. Est autem duplex, nam aliud est bannum diffidationis, quo quis hostis patriæ, seu reipublicæ christianæ eo ipso constituitur, ut possit impune occidi; de quo dicam *par. 2. verbo Assassinium, verbo Curia, cap. 1. n. 2. verbo Majestas, cap. 2. & leg. 1. Cod. quan. lic. unic. sine jud. se vind.* & facit *text. in leg. 5. in fin. ff. ad leg. Corn. de Sicar.* & quia est pœna capitalis, ideo infamiam irrogat, & hæc pœna fertur a jure per modum sententiæ definitivæ: quia sententia banni contumacialis non inducit pœnas juris latæ sententiæ, nec privat juribus competentibus alieni da jure communi (quia magis censetur lata ob contumaciam, quam ob delictum) *Menoch. præsumpt. 70. lib. 2. Rotæ part. 1. decis. 449. n. 7. & par. 1. novis. decis. 625.* Aliud est bannum imperiale, quod est quæ-

quædam civilis excommunicatio, ut dixi supra *cap.* 33. §. *Quinto modo*, & dicam *part.* 2. *verbo Lex n.* 3. & statur per modum sententiæ interlocutoriæ, ut cessante contumacia, sit reus absolvendus, ut dixi *dicto cap.* 33. & non infamat, ut dicam *verbo Lex*. Neutrum autem ligat ante declaratoriam, ut *Farinacc. quæst.* 189. §. 3. *n.* 35. & 36. cum communi Canonistarum sententia.

Quæres, An sit licita sententia banni, ut talis possit impune a quovis occidi? Respondeo licitam esse, quia supponitur eam proferri ea justa causa ob graviora crimina, & expedire ob publicam utilitatem, cum aliter respublica hujusmodi pravis hominibus purgari non possit; & quod per talem sententiam quilibet privatus ad hunc effectum minister Justitiæ constituitur: ita *Joan. Andr.* quem allegat, & sequitur *Sylv. verbo Homicida*, 1. *quæst.* 2. *n.* 6. *Less. libr.* 2. *cap.* 9. *n.* 6. *Azor. tom.* 3. *libr.* 2. *cap.* 2. *quæst.* 2. *cum Angelo*, *Tabiena*, *Geminiano*, *Alberico*, *Jasone*, & *aliis*, & tenet *Clarus*, §. *Homicid. n.* 4.

Advertendum tamen primo, ut id licita fiat, occisorem moveri debere zelo justitiæ, & non ex odio, seu rancore, ut *Sylv.* & *alii supra citati*. Secundo, ut juste fiat, requiri ut bannitus occidatur intra territorium bannientis, per *leg. fin. ff. de jurisdict.* & *leg. Non solum*, §. *Et qui*, *ff. de exc. tut. ibi gloss. verbo* & *qui in testamento*, est communis sententia Theologorum, & Legistarum, quam tenet *Archidiac.* quem sequitur *Sylv. verb. Homicid.* 1. *quæst.* 3. *n.* 7. *Azor. dict. cap.* 2. *quæst.* 3. *Filliuc. tract.* 29. *n.* 24. *Emanuel Sà*, *verbo Homicidium n.* 10. *Jason. in leg. Omnes populi*, *ff. de justitia* & *jure*, *Boss. tit. bannitis quid amittant n.* 5. *Ursius commun. opin.* 770. *n.* 21. *Nellus de bann.* 2. *par.* 2. *tem. quæst.* 56. *Farinacc. cons. criminal.* 113. *n.* 1. qui n. 2. limitat, nisi sit bannitus ob crimen læsæ majestatis, quia tunc ait, possa etiam extra territorium bannientis occidi. Itaque si quis laicus aliquem capitaliter bannitum occidat intra territorium bannientis, erit irregularis ex defectu lenitatis, ut *Sylv. n.* 6. *loco citato*, & alii communiter. Si autem extra territorium bannientis, erit irregularis ex delicto ex homicidio voluntario injusto, ut *Boss. loco cit.* & alii prææallegati. Clericus autem in sacris, vel beneficiatus occidens, vel occidi faciens bannitum intra territorium, peccat mortaliter, & fit irregularis; non tamen tanquam ex homicidio injusto, sed illicito, ut *Tanner. tom.* 3. *disput.* 4. *quæst.* 8. *n.* 44. *cum Salon.* & *Soto*.

Item limita, quod bannitum nunquam licet veneno occidere, *Carrer. in praxi super verbo Veneficorum n.* 4.

An autem liceat bannitum proditorie occidere, multi affirmant, multi negant: prior sententia affirmativa satis est in praxi recepta, ut apud *Clar.* §. *Homicidium*, *verb. Sed an licebit*.

Sed quæres, an occidens juste bannitum, possit etiam illum bonis spoliare, & sibi sumere: quidam affirmant, ut *Graff. loco cit. n.* 57. tenet *gloss. in cap. In litteris*, *verbo Prædo*, *de rest. spol. Franc. in cap.* 1. *n.* 5. *de hom. in* 6. quia cui conceditur, quod est plus, concedi censetur, quod est minus. Sed hoc non potest procedere de iis rebus, quæ per sententiam, vel legem fisco adjudicata sunt. Vel si bona non fuerunt expressa confiscata, non posset ea capere occisor in præjudicium hæredum venientium ab intestato, quibus devolvuntur ipso jure, *Auth. Bona damnatorum*, *Cod. de bonis proscr. Rot. dec.* 625. *in fin. part.* 1. *noviss.*

CAPUT XXXIX.

De pœna intestabilitatis latæ sententiæ.

SÆpe in jure reperitur hæc pœna contra criminosos latæ sententiæ, ut fiant intestabiles active, & passive, idest ut neque testamentum facere, neque ex testamento quidquam capere possint, ut *in cap. Felicis de pœnis*, *in* 6. *cap. Excommunicamus*, *de hæreticis* §. *Credentes*. Hæc tamen pœna non ligat in foro conscientiæ ante declaratoriam; ideo intestabilis passiva ipso jure factus, poterit capere, & retinere legata, & institutiones titulo hæreditatis ante declaratoriam, seu executoriam, ut *Molin. tom.* 1. *de just. disp.* 154. *colum.* 3. *vers. cap. Felicis*, *Less. lib.* 2. *cap.* 19. *n.* 52. *Azor. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 8. *quæst.* 2. *Sanch. lib.* 2. *in decalog. cap.* 14. *n.* 31. Similiter intestabilis active effectus, valide condit testamentum ante declaratoriam, sed per declaratoriam nullum censetur ab initio extitisse, secundum probabiliorem, ut *Molina tom.* 1. *disput.* 95. *vers. Secundum est*, *Vasquez t.* 2. *disp.* 151. *cap.* 1. *n.* 11. *Salzedo ad Diaz. cap.* 86. *Decian. crimin. lib.* 7. *cap.* 49. *num.* 29. *Sanchez in decalog. lib.* 2. *cap.* 24. *n.* 2. & 3. *Farinacc. quæst.* 190. §. 6. *n.* 89. *in fin.* Et ratio est, quia ante declaratoriam retinet reus dominium utila bonorum, & hæc pœna imponitur ob confiscationis pœnam in consequentiam; ita *Sanchez n.* 3. quamvis alii teneant, esse nullum testamentum etiam ante declaratoriam, quia hæc pœna non indiget facto hominis positivo ad sui executionem; ita *Covarr. Pegna*, & *alii* apud *Sanchez*, & *Farinacc. ibi*, & tenet *Ancharan. Joan. Andreas*, *Henric.* & *Anan. in dict. cap. Excommunicamus de hæret.*

Tamen in aliquibus casibus hæc pœna nullitatis testamenti ligat ante declaratoriam, ut in casu usurarii manifesti dicam infra *par.* 2. *verb. Usura*, *cap.* 1. §. *Quinto pœna*: quia ibi pœna per se principaliter imponitur, & non ob privationem dominii, seu ob confiscationem bonorum; & quia ibi illa irritatio non est pœnalis proprie loquendo, sed est definitiva ob defectum debitæ satisfactionis, tanquam ob defectum conditionis extrinsecæ requisitæ, ut tenet *Joan. Andr. in cap. Quanquam de Usur.* & *ibi sequitur Gemin. n.* 6. ubi docet per dictam clausulam irritantem testamenta usurariorum, usurarium non dici affectum intestabilem, sed solum irritari testamentum ob defectum dictæ satisfactionis; & quod dicta satisfactio non dicitur de forma intrinseca, seu substantia substantifica testamenti, quia non requiritur, ut intervaniat contemporanae, id est in ipso actu testandi, sed dicitur de substantia non substantifica, idest conditio necessaria, sine qua non.

Unde sequitur, quod illa prohibitio, & irritatio extenditur, & late interpretanda, & ligat ignorantem, & sanari potest talis defectus, seu nullitas testamenti, quandocunque postea talis conditio supervenerit, vivente testatore, & ipsius consensu perseverante habitualiter, vel virtualiter; quia testamentum a solius testatoris voluntate pendat, neque opus est iterare actum: quæ iteratio requiritur, quando omissa esset forma, seu solemnitas intrinsece substantialis, aut quando actus etiam pendebat a voluntate tertii: hæc ibi *Geminianus*. Quamvis *Jo. de Lignan.* ibi teneat per dictam decretalem, usurarium esse factum inhabilem ad testandum, seu intestabilem activa; ideo æstimat, non posse convalescere testamentum per supervenientem illam cautionem, de rigore ipsius loquendo, sed solum de æquitate: sed prima est verior etiam de rigore juris, quia illud testamentum ab initio, & implicite, seu radicaliter statum validitatis habuit suspensum sub illa conditione, ita *Cavaler. decis.* 570. *n.* 4.

CAPUT XL.

De pœna, qua ipso jure civitas privatur pontificali, seu episcopali dignitate.

HUjus pœnæ habes casus *par.* 2. *verbo Conclave*, *cap.* 8. & *verb. Majestas*, *cap.* 2. *in fin.*

Advertendum primo pro intelligentia hujus pœnæ, quod confertur a jure propter aliquod delictum civitatis, ut in casibus supra dictis: tunc civitas dicitur deliquisse, quando cives convenerunt ad tale factum, non ut singuli, sed ut universi; id est si civitas fuit super hoc in forma solita congregata, & negotium fuit propositum, & consultatum, & communiter deliberatum; ut non sufficiat si populus ad sonum campanæ totus fuerit commotus ad delictum, nisi præcesserit dicta consultatio, & deliberatio, *Bar. in leg. Aut facta*, §. *fin. ff. de pœn. Jo. Andr. in cap. Felicis*, *de pœnis*, *Abb. in cap. Dilectus*, *de sim. Clarus* §. *fin. quæst.* 16. & de communi testatur *Osasch. decis. Pedem.* 138. *n.* 27.

Advertendum secundo, quod si civitas incurrat pœnam prædictam, tunc Episcopus illius civitatis eo ipso remanebit Episcopus titularis sine diœcesi, si ejus diœcesis non extendatur ultra territorium talis civitatis: si autem territorium ultra extendatur, tunc secundum aliquos, Episcopus, qui ibi jam erat intitulatus, poterit exercere suam jurisdictionem, & pontificalia in sua diœcesi extra territorium illius civitatis: sed post mortem ipsius nullus alius erit eligendus, seu intitulandus: ita *Gemin. in cap. Felicis*, *col. penult. Franchus ibi* §. *Quapropter*, *Felin. in cap. Rodulphus*, *n.* 1. *de rescript.* Alii vero dicunt, quod dum vivit, poterit exercere jura sua etiam in tota diœcesi extra civitatem: ita *Archid. in dict. cap. Felicis*, *in fin. Marius Alterius tom.* 1. *lib.* 5. *disp.*

5. disp. 12. cap. 5. col. 10. §. Quærunt DD. Sed verius puto, tunc recurrendum esse ad Sedem Apostolicam; & ad Papam pertinere commendare, vel unire diœcesim istam uni, vel alteri Episcopo vicino, per text. in cap. Ita nos, 25. quæst. 2. ubi est casus: & ratio est, quia ubi principalis causa non subsistit, neque ea, quæ sequuntur, locum habent, leg. Cum principalis, ff. de reg. jur. & cap. Accessorium 42. de reg. jur. in 6.

Advertendum III. quod hæc pœna privationis juris episcopalis dignitatis, etsi sit latæ sententiæ ex ipso jure, non ligat ante declaratoriam, quia est privatio juris quæsiti, & possessi, per ea quæ dixi par. 1. cap. 5. & quia hæc est sicut pœna depositionis, quæ similiter requirit declaratoriam, ut dixi p. 1. cap. 27. & idem est in omni pœna, qua aliquis dejicitur de statu suo, ut Sanch. lib. 7. disp. 13. n. 1. Navarr. in extrav. de dat. & promiss. not. 31. n. 44. Molina tom. 1. disput. 96. Filiuc. tract. 10. n. 264. & facit quod civitas ob rebellionem non potest destrui, vel subjici aratro, nisi præcedente declaratoria Principis, Bart. in extravag. Qui sint rebelles, verbo Rebellando in fin. Boss. in praxi tit. de crimin. lesæ majestatis n. 132.

CAPUT XLI.

De pœnis privationis ecclesiasticæ sepulturæ.

HÆc pœna sæpe reperitur latæ sententiæ, non solum ex vi censuræ, ut excommunicationis, vel interdicti, ut cap. Episcoporum de privil. in 6. Clem. 1. de sepult. de qua re dixi verb. Censura cap. 7. et cap. 13. et verbo Sepultura, cap. 5. sed etiam per se principaliter, ut verbo Concubinarii n. 5. verbo Duellum, verb. Usura, cap. 1. et verb. Sepultura, cap. 2. cap. 4. et cap. 6. verbo Ludi, cap. 2. et 3.

Adverte autem, quod interdum hæc pęna procedit, etiamsi delinquens moriatur cum signis contritionis, ut diai verbo Duellum. Aliquando vero cessat, si ediderit signa pęnitentiæ, ut dixi verbo Concubinarii, ubi explicavi, quæ signa sufficiant pęnitentiæ.

Adverte etiam, quod sæpe feruntur pęnæ a jure contra sepulturæ christianæ mandantes cadaver alicujus delinquentis: & quidem si ratione censuræ prohibita sit sepultura, non incurrunt sepelientes, nisi censura fuerit nominatim declarata, vel nisi fuerit notorius clerici percussor, ut dixi verbo Sepultura cap. 5. Quando vero hæc prohibitio est facta per se immediate respectu alicujus criminis, & non causa censuræ, an requiratur declaratoria, variæ sunt DD. sententiæ: sed verius videtur non requiri declaratoriam, dummodo delictum sit manifestum, ut dixi verbo Duellum, cap. 3. verbo Sepultura, cap. 2. et 4. verbo Usura cap. 1. n. 4.

An autem per potestatem laicalem possit reus sepultura privari, dicam part. 2. verbo Parricidium, ubi plura de sepultura reorum.

CAPUT XLII.

De pœna maledictionis, vel indignationis Dei, et SS. Apostolorum, et Summi Pontificis.

PRimo, maledictionis pęna latæ sententiæ sæpe reperitur in jure communi, decretis Conciliorum, & Constitutionibus Apostolicis, ut cap. Romana, §. Procurationes de censur. in 6. ibi maledictionem incurrat, a qua nunquam, nisi duplum restituat, liberetur: & in Bulla Pauli Quarti de qua par. 2. verb. Ambitus cap. 2. & in cap. 1. de sepul. in 6. & tex. cap. 1. §. fin. de stat. monac. in 6. ibi interminatione maledictionis æternæ; idem habetur Trid. sess. 25. cap. 5. in princip. de Regul. Et quamvis per hæc verba posset alicui videri, inferri pœnam excommunicationis per §. fin. Autem, 23. quæst. 1. & §. Sed qui pro persecutionibus, 24. q. 3. tamen communiter DD. dicunt, non inferri excommunicationem, ut Lapus in dict. cap. Romana n. 2. Gemin. n. 8. in §. Procurationes, & ibi Franchus, sed inferri dicunt pœnam æternam, quæ debetur ei pro peccato mortali transgressionis hujusmodi præcepti; atque ideo significari præceptum obligare sub peccato mortali: ita Jo. Andr. in dict. cap. Romana, & ibi Lapus n. 1. Gemin. n. 8. in §. Procurationes, et Franchus ibi, et Marius Alterius tom. 1. disp. 22. lib. 5. cap. 8. super verb. Indignationem. Sed puto, quod ubi fertur a Papa hæc maledictio, intelligatur non solum de maledictione divina, sed etiam de pontificia, quæ cum sit tanquam a patre spirituali lata, vel ut a Judice ex causa justa, solet parere effectus damnorum temporalium, quæ a Deo inferuntur, juxta illud Eccles. cap. 3. Maledictio patris eradicat fundamenta. Et de utraque maledictione, earumque effectibus habes in dict. §. Sed qui pro persecutionibus, 24. quæst. 3.

Secundo, indignationis Dei, & SS. Apostolorum Petri, & Pauli latæ sententiæ pœna sæpe reperitur in jure, & decretis Conciliorum, ut in Extravag. Execrabilis Joan. 22. in fin. de præb. et in Bulla in Cœna Domini, et in Trid. sess. 25. cap. 2. de refor. Et de Summi Pontificis indignatione latæ sententiæ habes part. 2. verbo Arma cap. 9. et verbo Camera cap. 2. Item in Constitutionibus Apostolicis, seu litteris in forma gratiosa contra ausu temerario eas violare, seu infringere audentes, solet apponi, ut notat Gloss. in dict. Extravag. Execrabilis, verbo incursurum: quam clausulam eadem glossa ita exponit, & intelligit, ut violans hujusmodi decretum, seu ordinationem Papæ cum errore in intellectu, æstimans, Papam non potuisse id statuere, incurrat crimen, & pœnas hæresis: si autem cum depravata voluntate nolens obedire, incurrat crimen sacrilegii, depositione dignum quoad ecclesiasticos.

Alii dicunt, hanc pęnam importare, ut contraveniens, vel lacerans, possit privari beneficiis ecclesiasticis; quam sententiam tenet Bald. cap. 1. §. Porro, quæ fuerit prima causa ben. amitt. Felin. in cap. Si quis, n. 10. de major. & obed. & alii multi, quos allegant, & sequuntur Menoch. de arbitr. casu 365. n. 4. Marta de clausa. par. 1. claus. 284. Alterius in Bullam in Cœna Domini loco sup. cit. Sed alii verius dicunt, hanc clausulam solum significare præceptum obligare graviter, seu sub mortali peccato, ad quod sequitur indignatio Dei, & SS. ita Ugolin. in cap. ult. in Bull. in Cœna Domini, n. 2. Suar. de legib. lib. 4. cap. 8. n. 3. Bar. in extravag. Ad reprimen. verb. Indignationem nostram: & inde sequitur, transgressorem puniendum pęna arbitraria, Menoch. & Marta locis cit. & communem ait Cherub. in compend. supra Bulla 30. Leon. X. schol. 2. Et quamvis aliqui DD. extendant istud arbitrium usque ad pęnam mortis in materia gravi, tamen non esse ita extendendam, præsertim in Constitutione Summi Pontificis, verius docet idem Cherub. ibi cum Bellenc. de Charit. subs. cap. 44. n. 14. Sed neque extendi ad beneficiorum privationem, ait idem Cherub. loco cit. Ugol. cap. ult. in Bulla in Cœna Domini, Jason. in leg. un. n. 2. ff. si quis jusd. non obtemp. Et quod hæc pœna indignationis Dei &c. idem importet, quod pęna maledictionis, ait Archid. in cap. Romana, n. 3. de cens. in 6. Alber. in lexico, verbo Maledictio, & Joan. de Grass. tract. de rescript. prope finem, n. 92. ubi ait propterea pęnam indignationis, vel maledictionis excludere a temporalibus, & spiritualibus non ipso jure, ita ut sit excommunicatus, sed quod possit excommunicari ob contumaciam.

Tertio notat Bald. in proœm. decretal. n. 9. quod in litteris apostolicis, verbo Dilectis apposito, non continentur indigni, vel odiosi, quando universitati scribitur ad honorem; secus si ad pęnam, vel ad regulam: & ait Bart. in dict. Extrav. Ad reprimendum, loco cit. clausulam indignationis Principis importare, quod non se habebit gratum, seu benevolum erga ipsos: unde sequitur, quod erunt indigni omni gratia, & favore Principis, ut Jo. de Grass. loc. cit. & erunt digni punitione arbitrio Principis, ut cap. Nisi specialis, de offic. deleg. ubi tamen indignatio Papæ mitigatur, & cohibetur a pęna inferenda propter præcedentia personæ merita, quando paratus est se corrigere, ut notat Abb. ibi n. 3.

Quarto adde, quod si Princeps dimittat aliquem ab officio, vel militia ex indignatione, dimissus incurrit infamiam, ut in leg. 2. ff. de his, qui not. infam. Bellen. de charit. subs. quæst. 44. n. 11. Quod intelligas verum, si exprimat causam justam indignationis, & inhonestæ missionis, ut in dicto textu, et ibi Doctores.

Hæc autem pęna indignationis censetur sublata per verba salutationis in eum a Principe prolata, aut per admissionem ad osculum &c. quia sunt hæc proprie signa reconciliationis, dummodo scienter a Principe sint edita, per cap. Si aliquando, ibi gloss. et DD. de sent. excom. etsi non præsumatur Papa ex talibus signis absolvere excommunicatione quemquam, nisi hoc declaret, ut Clem. Si summus de sen. excomm. Menoc. præs. 20. n. 38. lib. 2.

CAPUT XLIII.

De pœna excommunicationis, suspensionis, interdicti, & irregularitatis latæ sententiæ.

PRimo, censuras ecclesiesticas, id est excommunicationem, suspensionem, & interdictum inter pœnas ecclesiasticas numerari dictum est supra *cap.* 1. Eas nun esse pœnas meras, seu pure afflictivas, sed medicinales, dictum est supra *cap.* 20.

Secundo, Irregularitates, quæ ex delicto nascuntur, & non ex solo defectu, inter pœnas ecclesiasticas recensendas esse alii asserunt, alii verius negant, ut dixi supra *cap.* 15. *Amplia* 2. Certe satis participant de ratione pœnæ, ideo in hoc tractatu comprehenduntur.

Sed quia de netura, & proprietatibus censurarum, & irregulariterum multi sunt Tractatores, & quia de iis tum in hac prima parte, tum in secunda sæpe, & copiose actum est, paucis hic adnotatis, ad secundam partem hujus nustri Operis procedemus.

Nam, quod censuræ latæ sententiæ, & ferendæ diversos habeant effectus, dixi *sup. cap.* 25. §. *Tertio modo*, & quod censuræ, & irregularitetes latæ sententiæ ligent ipsum delinquentem, statim ante sententiam decleratoriam, dixi supra *cap.* 5. *Limit.* 1. Et qualiter obligent alios ad evitandum censura, vel irregularitate affectum, dicam infra *part.* 2. *verbo Censura*. Et qualiter censuræ, & irregularitates tollantur, vel suspendantur, dixi supra *a cap.* 20. *ad* e7. Et de forma requisita ad ferendam sententiam censuræ promulgatoriam, vel declaratoriam, dicam *par.* e. *verbo Censura cap.* 1. & 2. Itaque pru praxi, quod superest, notendum, quod quamvis universitas v. g. collegium, capitulum &c. possit incurrere censuram interdicti, vel suspensionis respective, & sæpe in jure tales censuræ sint latæ sententiæ contra universitetes, ut dicam *par.* 2. tamen universitas nunquam incurrit censuram excommunicationis, neque in jure ulla unquam contra universitates leta reperitur; sed neque eb ullo Judice ecclesiastico serri potest, ut habetur *in cap. Romana* §. *fin. de senten. excomm. in* 6. *& ibi tractant Canonistæ*. Et si aliquis Judex promulgeret excommunicationem contra universitatem, sententia esset nulle, secundum magis communem; quia particule *penitus prohibemus in d.* §. *fin.* irritat actum contrarium, *ut Host. Joan. Mon. Archid. et Franc. allegati a gloss. in dict.* §. *fin. verbo Penitus*, & veriorem *ait Navarr. dict. cons.* 9. *n.* 1. *in fin. de sent. excomm.* & communem eit *Felin. in cap. Dilecta n.*7. *de except. et Ugolin. de cens. tab.*2. *cap.*e6. §. 3. *n.* 2. Quare, etiamsi constet aliquam universitetem commisisse aliquod delictum, cui in jure imposita est excommunicationis pœna latæ sententiæ, non poterit declaratoria proferri contra ipsam universitatem, sed contra singulos de universitate, quos culpabiles esse constiterit; *ut dict. cap. Romana* §. *fin.* Et quidem, si non constet quinam illi sint (ut quia suffragia fuerunt secreta) poterunt declarari sub nomine eppellativu cum restrictive, omnes, & singuli de tali universitate, qui in tali actu culpabiles fuerunt, seu qui illud, & illud fecerunt, *ut cap. Grævem* 35. *de sent. excomm. Navar. dict. cons.* 9. *n.* 3. *alias cons.* 20. *de sen. excomm. Avila part.* 2. *cap.* 4. *dis. unic. dub.* 5. quia hac ratione innocentes non continentur: & idem ait *Tolet. in lib.* 1. *cap.* 7. Quandu autem constat in particuleri, quod omnes, nullo excepto, culpabiles fuerint, tunc possunt omnes nominibus propriis declarari, vel brevitatis causa in hac forme, decleramus excommunicatos Rectorem, seu Præpositum, & omnes alios de tali universitate, qui illud fecerunt &c. *Hostien. in summ. tit. de Contum.* §. *fin. in fin. Ugol. tab.* 2. *cap.* 26. §. 4. *in fin.* Si vero non constet de omnibus, sed de aliquibus tantum, illi soli nominatim poterunt declarari, *Navar. & Avila loco cit. Covarr. variar. libr.* 2. *cap.* 8. *n.* 9. §. *Fortassis*.

Sed quæres, qualiter dicetur constare de culpa, seu complicitate singulorum, si forte secreta suffragia, aut alias evulgari non possint. Respondeo, quod illi præsumuntur consensisse, quos constat tali actui universitatis (ut capitulu, seu conciliu) interfuisse; nisi ipsi probaverint, se expresse contradieisse, *Covarr. variarum lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 9. §. *Fortassis*, quia in actis universitatis circa delicta, qui non contradicit expresse, habetur pro consentiente ed incurrendam culpam, & pœnam, *Inn. in cap.* 1. *n.* 4. *de his, quæ fiunt a major. par. capit. & ibi Host. col.* e. *Card. colum.* e. *in fine*, *Abb. in cap.* 2. *de his, quæ fiunt a Præl. n.* 9. & facit *cap. Error. & cap. Consentire* 83. *dist.* & facit, quia præsumptio est, quod contradicens in ectu concilii potuerit alios trahere in suam saniorem sententiam, *leg. Si in tres* eo. *ff. de Arb. cap. Nicæna*, ubi est casus nutabilis, *& ibi gloss. notat, verb. Sententiam, & Præpos. n.* 3. 31. *dist.* Qui ergu dicit, se contradixisse, tenetur probare, *leg. Ei, qui ff. de prob.* habet enim præsumptionem contra se; quæ præsumptio juris, dicitur liquidissima probatio, *Mascard. cum alleg. de prob. quæst.* 10. *n.* 42. & transfert onus probandi in edversarium, *Masc. n.* 40. & sufficit hujusmodi juris præsumptio ad hoc, ut dicetur coustare, etiam ad condemnandum, *Masc. n.* 44. & quod quamvis clausula, *si constiterit*, admittat solum probationes veras, & non præsumptas; tamen sufficiant præsumptiones juris, tenet *Rota Buratt. decis.* 41. *cum ibi not.* Unde dicunt communiter DD. quod capitulares, seu consiliarii, quibus præsentibus, & non contradicentibus, sunt facte statute contra libertatem ecclesiasticam, incurrunt in censuras, tamquam cooperantes, seu consentientes, *Abb. in cap. Adversus n.* 22. *de immun. eccles. Navarr. cap.* e7. *n.* 119. *Tabien. verb. Excommun.* 5. *casu* 20. *n.* 4. *Angel. excomm.* 7. *casu* 5. *n.* 5. *& casu* 12. *n.*4. *Cajet. excomm. cap.* 31. *Alterius lib.* 5. *dis.* 16. *cap.* 4. *col.* 4. *&* 5. *tom.* 1. *Suar. de cens. dis.* 21. *sect.* 2. *n.* 85. Imo multi dicunt, quod incurrunt in culpam, & pœnas, etiamsi contradixerint, sed nihil profecerint, si non deponant officium: ita *Innoc. & Host. in cap. Noverit de sent. excomm. Jo. And. in dict. cap. Adversus, & ibi Cardin. in fin. & Anchar. n.* 11. *S. Anton.* 3. *par. tit.* 24. *cap.* 26. *Sylv. excomm.* 9. *n.* 32. *Tabien.* qui ait communem, *ver. Excomm.* 5. *casu* 18. *n.* 5. *in fin.* Quod verum puto, quando officii dimissione alii crederentur emendandi: ita *Angel. dict. casu* 5. *n.* 5. *Tabien. excomm.* 5. *casu* eo. *n.* 4.

Ceterum, quia difficile est, omnes, nullo excepto, in aliquo actu universitatis consensisse, ob facilitatem, & propensinnem hominum ad contradicendum, ut *Host. in summ. tit. de dolo*, §. *Et contra quem, & tit. de contum.* §. *final. verb. Ergo si constat*, *per leg. Item si unus*, §. *Principaliter ff. de rec. arbit.* & quia possent singuleres, quos constat fuisse actui præsentes, habere aliquam excusationem; ideo etiam stante dicta præsumptione, non posunt declarari in censuras, seu pœnas incidisse, nisi prævia citatione (de qua supra dictum est) vel contumaces extiterint, vel, se non purgaverint sufficienter; tunc enim dicetur legitime de illurum culpa constare, *ex gloss. cit. Clem. Præsenti*, *& ibi Canonistæ, de cens. & aliis juribus supra citatis*.



DE PŒNIS ECCLESIASTICIS

PRAXIS ABSOLUTA, ET UNIVERSALIS

PARS SECUNDA.

In qua de ſingulis criminibus, eorumque pœnis Eccleſiaſticis latæ ſententiæ ordine alphabetico pertractatur.

CAPUT PRIMUM.

Abbatiſſa benedictio prætermiſſa.



Rivationis pœnam ipſo jure incurrit Abbatiſſa, quæ intra annum a ſuæ confirmationis tempore computandum, munus benedictionis non ſuſcipit, nulla exiſtente rationabili cauſa, ubi ſcilicet ſolent Abbatiſſæ benedici: ita habetur *in Clem. Attendentes*, §. *Statuimus de ſtat. mon.* De hac re vide Canoniſtas *in dicta Clem. & Sanchez opuſc. ſeu conſiliorum l. 7. c. 1. dub.* 19. *n.* 10. An hęc pęna liget in foro conſcientiæ ante ſententiam declaratoriam, alii affirmant, alii negant, ut dicam *infra verb. Epiſcopus cap. 2. not.* 3. Quæ autem ſint cauſæ rationabiles non petendæ, vel differendæ benedictionis, tradit *gloſſ. ibi verb. Rationabilis*. Qualiter vero cognoſcatur, quod ſint ſolitæ benedici, reſpondet *Azor. par. 1. lib. 13. cap. 10. quæſt.* 4; ſpectandam conſuetudinem quadraginta annorum poſtremorum. Notat autem *Miranda par. 3. q. 7. art. 7. in fin.* Abbatiſſam temporalem non eſſe benedicendam, niſi ſpecialiter id ſit introductum privilegio, vel conſuetudine.

☞ *Ex Conſtit. Benedict. XIII.*: Commiſſi: 6. *Maji* 1725. *omnes Abbates regulares, etiam perpetui, licet ratione ſolius adminiſtrationis, tenentur infra annum a die eorum electionis computandum ſuſcipere, vel ſaltem ter petere ſolemnem benedictionem ab Epiſcopis, in quorum diœceſibus ſita ſunt eorumdem monaſteria, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio per annum ipſo facto. Semel autem benedicti, non tenentur iterum benedici, vel petere benedictionem, licet ad gubernium alterius monaſterii tranſlati fuerint. Interdicitur Epiſcopis ſub pœna interdicti per annum ab uſu pontificalium, eorumque officialibus, tam ante, quam poſt benedictionem receptio cujuſcumque muneris, etiam comeſtibilium: ac inſuper ſolemnis pompa, qua ſumptus quantumvis modicos, etiam prandii, ſecum ferat.*

Ab hoc onere eximuntur dumtaxat illi, quibus a S. Sede conceſſum eſt hoc exemptionis indultum directe, non vero per communicationem cum aliis Ordinibus hac exemptione gaudentibus. Item eximuntur ii, quibus ab eadem S. Sede indultum eſt, ut vel a ſuis ſuperioribus regul. aut ab eorum Prælatis delegatis, benedictionem ſumere poſſint: vel a dicta S. Sede ſpeciatim conceſſum eſt, ut ſtatim electi, habeantur pro benedictis a Papa. ☜

CAPUT I.

Abortus procuratio, vel cauſatio.

PRimo excommunicationem ipſo jure incurrunt procurantes abortum fętus animati, effectu ſubſecuto, ex Bulla Sixti V. 87. *incip. Effrænatam*: & abſolutio hujus excommunicationis fuit Papæ reſervata ex eadem Bulla: ſed ex Bulla Gregorii XIV. 8. *incip. Sedes Apoſtolica*, eſt reſervata locorum Ordinariis, ita ut non ſit neceſſe recurrere ad Sedem Apoſtolicam; & ita obſervant *Quaranta verb. Abortus* §. *Nota per hanc*, *Farinac. quæſt. crim.* 122. *n.* 164. *Barboſ. allegat.* 51. *de pot. Epiſc. n.* 136. *Filiuc. tract.* 29. *n.* 100. *Homob. de caſ. reſerv. par. 3. caſ.* 6. Poterunt etiam Pręlati epiſcopalem juriſdictionem habentes, ſuos ſubditos abſolvere, *Roder. quæſt. regular.* 33. *art. 4. tom. 2. Coriolan. de caſ. reſer. tit. de abortu*, *n.* 10. addit *Dian. reſolut. 13. tract. 2. tom. 2.* §. *not. 4. cum Sanchez, & Marullo*, quod habentes privilegia abſolvendi a cenſuris quibuſcunque, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, poterunt abſolvere a præſenti cenſura: quamvis enim ex decreto Sac. Congregationis, de quo dixi *verb. Abſolutio cap.* 3. iſti non poſſint abſolvere a caſibus, quos Ordinarii locorum ipſi ſibi reſervabant; tamen illud decretum non loquitur de caſibus, qui ſunt reſervati Ordinariis a jure pontificio, ut patet. Cæterum ſæpe ſolent Ordinarii locorum caſum abortus ſibi reſervare; ideo tunc non poterunt privilegiati abſolvere.

II. Privationem omnis privilegii clericalis, & omnium dignitatum, officiorum, & beneficiorum (quæ perpetuo erunt Sedi Apoſtolicæ reſervata) & inhabilitatem ad illa, & ſimilia, incurrunt clerici procurantes abortum fętus animati, effectu ſubſecuto ex Bulla Sixti V. & Gregorii ſupra cit. vide *Farinac. n.* 122. & 151. An autem hæ pęnæ ligent in foro conſcientiæ ante declaratoriam, dixi *ſupra par.* 1. ubi dixi de pęna privationis privilegii clericalis *cap.* 27. De pęna vero officiorum, & beneficiorum, & inhabilitate *cap.* 28. & *cap.* 30. Super hac pęna ſolus Papa diſpenſare poteſt, per ea, quæ dixi *ſupra cap. 23. par.* 1.

III. Immunitatis eccleſiaſticæ jus, ſeu ſacri aſyli, ipſo jure amittunt procurantes abortum fœtus animati ſecundum aliquorum ſententiam ex Bulla Gregorii XIV. 7. *incip. Cum alias nonnulli*, ubi proditorium homicidium perpetrantes ſunt privati tali refugio, & ita tenet *Farinac. de Immun. eccl. cap. 8. n.* 138. *Peregrin. de Immun. eccl. cap. 3. n.* 8. quia dicunt occiſionem fœtus animati eſſe proditorium homicidium. Alii tamen negant, ut *Franc. Leon. Theſ. fori Eccleſ. pa. 1. cap.* 13. *Bonac. de cenſur. partic. diſp. 2. quæſt. 3. pun.* 16. §. 8. *n.* 8. *Diana reſol. 72. tract. 1. t.* 2. Sed admiſſa etiam priori ſententia, adverte, quod illa pœna non ligat ante ſententiam Judicis eccleſiaſtici declaratoriam, ut patet in eadem Bulla.

IV. Infamiam juris incurrunt ipſo jure procurantes abortum fœtus animati. Primo, quandocunque fuerint de crimine abortus condemnati; quia hoc eſt crimen, ſeu judicium publicum, leg. *Cornelia, de ſicariis*, ut de magis communi teſtatur *Farinac. quæſt.* 122. *n.* 146. Item parricidii, quando quis procurat abortum fœtus a ſe geniti, ut *Farinac. n.* 147. damnatus autem de crimine publico, eſt ipſo jure infamis, *leg. Infamem ff. de pub. jud.* Secundo etiam ante condemnationem, quoties crimen fuerit publicum notorium de jure, vel de facto: quia omne crimen enorme depoſitione dignum, notorium de jure, vel de facto, irrogat infamiam juris, ſecundum communiorem ſententiam, ut dixi *par. 1. cap.* 33. §. *Secundo modo*. Hoc autem crimen eſt enorme depoſitione dignum; imo infert ipſo facto depoſitionem, ut dixi ſupra *n.* 2. quin etiam infert degradationem realem, & traditionem curiæ ſæculari ſententiæ ferendæ, ex Bulla prædicta Sixti V. Super hac pęna ſolus Papa diſpenſare poteſt, juxta ea, quæ dixi *par. 1. cap.* 23.

V. Irregularitatem incurrunt procurantes abortum fœtus animati ex diverſis cauſis. Primo ob infamiam juris, juxta ea, quæ dixi *par. 1. cap.* 33. §. *Advertendum ſecundo*, ſi ſcilicet ſecuta fuerit condemnatio, vel crimen fuerit notorium, ut dixi *ſupra proxime*. Deinde ex ipſa nece fœtus animati, *cap. Ad audientiam*, *cap. Significaſti*, *cap. Sicut* 20. *de homic. Suar. de irreg. diſp. 44. ſect. 2. n.* 13. *Avila par. 7. diſp. 6. ſect. 4. in princip. Tanner. tom. 4. diſp. 6. quæſt. 10. n.* 215. *Farin. quæſt. 122. n.* 119. & 120. Adde, quod frequenter etiam ex hoc ſecundo capite duplicem irregularitatem incurrunt, alteram ex abortu, alteram ex homicidio caſuali ob necem

ma-

matris, quæ frequenter contingit ex abortu fœtus animati: unde in dubio, moriente matre, etiam ex febri, censetur propter abortum mortua, & febris ex abortu causata, ut *Boccacius de societ. offic. n. 35.* sæpe etiam mors prægnanti causatur ex genere medicamentorum, seu medinmm, quæ ad abortum applicantur, ut ait S. Hieronymus *Epistol. ad Eustoch. de Virginitate*. Quare cum hæc procuratio sit illicita, & periculosa, etiam specialiter in ordine ad talem effectum, tenetur procurans ratione illius, ut S. Hieronim. *loco cit. tex. in leg. Si quis aliquid*, §. *Qui abortionis*, *ff. de pæn. Avus meus decis. Pedem. 12. n. 12.*

Ampliа prædictas pœnas, ut procedant non solum, si fœtus mortuus nascatur, sed etiam si vivus, sed non vitalis, quia adhuc dicitur abortus, *Tiraquel. in leg. Si unquam, verb. Susceperit liberos, n. 206. Cod. de rev. donat. Gutier. pract. quæst. lib. 2. quæst. 100. n. 5. & 6. Cherubin. super Bulla citata 87. Sixti V. schol. 2.*

Amplia secundo, ut fœtus in dubio præsumendus sit animatus: intellige quoad effectum irregularitatis tantum, non tamen quoad alias pœnas, ut *Sanchez lib. 1. in decal. cap. 10. n. 43. & 48. Farinac. quæst. 122. n. 138. Barbos. allegat. 51. n. 138.* Sed de hac re vide, & distingue, ut dixi *par. 1. cap. 16.*

Amplia tertio, quod pœnæ præfatæ contra procurantes abortum procedunt etiam contra scienter cooperantes, seu contra causas minus principales, ut patet ex Bulla citata Sixti V.

Limita primo, quod dictæ pœnæ, irregularitate excepta, non procedunt, nisi contra causantes abortum directa intentione: ii enim tantum dicuntur abortum procurare, ut dicam *infra verbo Procuratio cap. 1.* Irregularitatem vero incurrunt, etiamsi non directa intentione, dummodo culpa mortalis intervenerit, *cap. Sicut il 2. de homicid. Navar. & Covar.* quos allegat, & sequitur *Quaranta verbo Abortus* §. *Prædictis autem*, qui tamen advertit in casu abortus casualis posse ab ea irregularitate Episcopum dispensationem concedere in occultis, ex *Trid. sess. 24. cap. 6. de refor.* Ex quibus sequitur, quod parens, qui scit, mulierem velle procurare abortum, & non impedit, fit irregularis; quia tenetur ex justitia consulere vitæ filii, ut ait *Roderic. tom. 1. Summ. cap. 178, conclus. 10. Avila part. 7. disp. 6. sect. 2. dub. 7. §. Sequitur, Filliuc. tract. 20. n. 129. Laym. lib. 3. tract. 3. par. 3. cap. 3. in fin. Sayr. lib. 7. cap. 4. n. 3.* est communis sententia, & est text. *in leg. 2. ff. ad leg. Pomp. de parric.* ubi punitur consanguineus sciens parricidium committendum, si non impediat. Quamvis alii negent, dicentes, patrem solum ad id teneri ex pietate: ita *Less. lib. 2. cap. 9. n. 94. Molina tract. 3. disp. 33. mem. 5. n. 11. in fin.*

Limita secundo, quod licet ex Bulla Sixti V. *citata* omnes pœnæ prædictæ procederent etiam contra procurantes abortum fœtus non animati, etiam quoad pœnam irregularitatis; tamen ex Bulla Gregorii XIV. *supra citata*, hoc est abrogatum, & redactum ad terminos juris communis: est tamen verum, quod condemnatus de abortu fœtus non animati, dolo malo procurato, incurrit infamiam juris, & consequenter fit irregularis, tanquam condemnatus actione injuriarum famosa, vel de crimine Stellionatus, dolo interveniente, *Abb. in cap. Si aliquis n. 3. de homic.*

Limita tertio, quod non incurrit in pœnas abortus procurati, qui dat media directa ad sanitatem fœminæ prægnantis, fœtu animato, & non directa ad corruptionem fœtus, etiamsi per accidens, seu consequenter credatur abortus causandus, quando judicio medicorum, ni medicamenta ista mulieri applicentur, ipsa cum fœtu certo credatur peritura: si enim crederetur probabiliter fœtum vivum proditurum, saltem secto post mortem matris utero, teneretur illa ex charitatis obligatione potius mortem oppetere: ita distingunt *Sanchez de matrim. lib. 9. disp. 20. n. 13. Layman lib. 3. tract. 3. par. 3. cap. 4. n. 4. cum aliis apud eos, & apud Dianam resol. 11. tract. 5. Miscell. tom. 2.* & hanc veriorem testatur *Avus meus decis. Pedemont. 12. n. 11.* Procurare autem abortum fœtus etiam non animati ad vitandam infamiam, aut mortem ab extrinseco, ut a consanguineis inferendam, nunquam est licitum; *Sanchez lib. 9. disp. 20. n. 9. Azor. tom. 3. lib. 2. cap. 4. quæst. 2. Filiuccius tract. 29. n. 103. Coriolanus de cas. reserv. titulo de abortu n. 6. Tannerus tom. 3. disput. 4. quæst. 8. n. 58. Clarus §. fin. quæst. 68. n. 1. Farinac. quæst. 122. n. 158. Avus meus loco cit. n. 12.* & hæc est communis sententia Theologorum, & Juristarum, & verissima.

☞ *Defendens, vel edens, vel disputative publice, aut privatim tractans, vel prædicans, excepto casu impugnationis, sequentes propositiones 34. & 35. inter alias proscriptas ab Innocentio XI. 2. Martii 1679. incurrit ipso facto excommunicationem Papæ reservatam: easque ad praxim quisque deducere prohibetur in virtute S. Obedientiæ, & sub interminatione divini Judicii, ut ex decreto ejusdem Pontificis.*

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, vel infametur.

35. Videtur probabile omnem fœtum, quandiu in utero est, carere anima rationali; & tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur: & consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi. ☜

Quid autem dicendum sit, quando quis procuravit abortum fœtus animati, sed dubitat de effectu subsecuto, vel an mulier sit mota ad abortum ex consilio illi præstito, dixi *supra par. 1. cap. 16.*

Tandem pro praxi meminisse oportebit, quod supplicans in Sacra Pœnitentiaria, in casu videlicet occulto, pro dispensatione super irregularitate ex abortu, debet exprimere, si erat fœtus a se genitus; alias gratia esset subreptitia, ut patet ex stylo, & facultatibus Sacræ Pœnitentiariæ, in quibus major in hoc casu ponitur difficultas ad dispensandum.

CAPUT I.

Absolutio sacramentalis data a non Sacerdote.

Irregularitatem incurrit taliter absolvens, si clericus sit, ob usurpationem ordinis sacerdotalis, quem non habet *per cap. 1. & 2. de cler. non ordin. ministr. Suarez de pœnit. disp. 32. sect. 7. n. 2. Coninch. disp. 18. n. 48. Bonac. de irregul. quæst. 3. punct. 6. n. 4.* Si autem purus laicus sic absolveret, quidam negant, eum fieri irregularem; *Angel. verb. Irregul. 1. n. 38. Sayr. de censur. lib. 7. cap. 10. a. 6. cum Rosella, Anton. & Tabien. & Bonac. loco cit.* Probabilius tamen est, eum fieri irregularem, ut de communiori, & veriori testatur *Coniach. n. 65.* & alii *apud Sayrum l. cit.* illam sequuntur; & dicam plenius *infra verbo Ordo cap. 32.*

Hæresis vehementer suspecti redduntur taliter absolventes, & contra eos potest procedere Inquisitor contra hæreticam pravitatem ex Bulla Gregorii XIII. *Officii nostri* 21. Unde etiamsi non convincantur, cogendi sunt abjurare de vehementi, per *cap. Accusatus de hæret. in 6.*

Infamis quoque efficitur juris infamia hujus criminis reus, quoties crimen fuerit notorium de jure, vel de facto, quia est crimen depositione dignum, imo & degradatione, & traditione curiæ sæculari, ex Bulla Clement. VIII. 81. *incip. Etsi alias*: & procedit etiamsi delinquens sit minor 25. annis, major tamen 20. ex Bulla 79. S. D. N. Urbani VIII. *incip. Apostolatus officium*. Vide etiam de hac materia *Roderic. quæst. regul. 28. art. 2. tom. 2. Dianam resol. 15. & 16. tract. 4. tit. de denunc. tom. 1.*

Amplia, ut reus hujus criminis censeatur, qui Sacerdos non existens, ficte absolvit sacramentaliter; quia lex agit de usurpante actus talis Ordinis, unde continet etiam casum fictum; ita de communi testatur *Coninch. disp. 18. n. 48.* & in simili *Suar. de censur. dis. 22. sect. 4. n. 21.* Limitant autem communiter DD. ut dicta pœna Bullæ Clem. VIII. & Urban. VIII. procedat solum, si audiens confessionem, etiam absolvit sacramentaliter, quia lex pœnalis debet intelligi de actu consummato, ut dixi supra *par. 1. cap. 8.* Item quia Constitutio Pauli IV. & Constitut. Gregorii XIII. relata *a Roderic. quæst. regul. 28. art. 2. tom. 2* loquitur de audiente confessionem, & absolvente: & Constitutio Clementis VIII. in narrativa eodem modo loquitur; & deinde volens pœnas decernere, ait hisce delinquentibus; unde quod postea simpliciter repetit in pœnis de audientibus confessiones, debet intelligi servato eodem themate; & eodem modo intelligitur Constitutio Urbani VIII. quæ inhæret præcedentibus Constitutionibus, ut ibi afferitur, & ideo ita in terminis docet *Roderic. loco cit. Quaranta verb. Orco in fin. Sayr. lib. 7. de cens. cap. 10. n. 8.* & facit ratio finalis expressa a Clem. VIII. talis pœnæ, quia sic decipiunt, & damnum grave inferunt fidelibus, quod solum est, si absolvant. Et quia alias non dicerentur tales sacramentum confessionis ministrasse, quod est crimen punitum a jure communi, *cap. 1. de cler. non ord. min.* Et quamvis Urb. VIII. in Congregatione S. Officii declaraverit, id procedere etiam si confessionem audiens, non absolvat, tamen hæc declaratio, cum excedat rigorem verborum legis seri-

scriptæ, non habet vim legis, cum non fuerit promulgata, *Gab. comm. concl. tit. de reg. jur. concl. 3. n. 35.*

☞ *Fundamentum, ob quod Auctor hic eximit a pœnis non sacerdotem audientem tantum confessionem, & non absolventem, nutare demonstrat Ludovicus de Ameno de delict. & pœn. par. 3. tit. 8. §. 4. n. 26. hac fultus ratione*, ibi: Quia nullum conficit sacramentum, qui, cum non sit sacerdos, absolutionis formam supra pœnitentem profert, sicut qui eam non profert; ergo non ex hoc, quod sacramentum non conficit, non proferendo absolutionem, evadere debet pœnas Bullæ; cum pari modo delinquat, & injuriam sacramento inferat proferendo, aut non proferendo absolutionem. Pariter fundamentum *Thesauri* nutat, quia in hoc crimine duæ sunt causæ gravitatis illius; una quidem est injuria, quæ sacramento irrogatur, & hæc est principalior, ratione cujus hoc crimen sacrilegium est: alia minus principalis est damnificatio pœnitentis decepti; non potuit autem *Clemens* habere pro causa motiva suæ Constitutionis causam minus principalem: unde si hanc expressit in Bulla, eam non posuit tamquam causam motivam principalem, ac finalem, sed tantum ut concomitantem, sive impulsivam. Quod magis suadeo ex hoc, quod verus sacerdos excipiendo confessiones sine jurisdictione, ac absolutionem dando, ita nulliter procedit, & decipit, ac grave damnum infert pœnitentibus, sicut qui, cum non sit sacerdos, absolvit eosdem; igitur si pœnæ prædictæ inferuntur a *Clemente* ratione deceptionis, & damni, quod subeunt fideles, easdem debent subire sacerdotes absolventes absque jurisdictione, cum par sit crimen confessarii, & damnum pœnitentis. Convincitur ergo, quod quamvis absolutio non detur, reus tamen ab Inquisitore debet puniri, & sic firmat etiam *Bordonus Sac. Tribunal. cap. 22. quæst. 10. Verum, attenta expressa declaratione Bened. XIV., quam vide infra in Additione post cap. 32. verbo: Ordo: hæc Ameni ratiocinatio non est amplius attendenda.* ☜

CAPUT II.

Absolutio sacramentalis data a Sacerdote non approbato, seu alieno subdito sine licentia competente.

PRimo, certum est de jure communi invalidam esse confessionem factam alieno sacerdoti, nisi prius obtenta licentia a proprio sacerdote, *ex cap. Omnis utriusque, de pœnitent. & remiss.* Sufficit autem de jure communi licentia proprii Parochi, vel Episcopi, seu Prælati, vel Summi Pontificis, ut *DD. in dict. cap. Omnis.* Et quidem multi Religiosi habent talem licentiam, seu facultatem a Sede Apostolica, ut de Prædicatoribus, & Minoribus habetur *in extravaganti, Inter cunctas de privil. §. Sed quia multoties; & extrav. Vas electionis de hæret.* tamen ex Concilio Tridentino *sess. 23. cap. 15.* hodie nemo potest, etiam vigore cujuscunque licentiæ, seu privilegii, vel consuetudinis, etiam immemorabilis, confessiones audire, seu sacramentaliter absolvere, nisi vel parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopo loci per examen, aut alias idoneus judicatus fuerit, & approbationem obtinuerit.

Excipe tres casus. Primus est pro articulo mortis, in quo quilibet simplex sacerdos est idoneus minister hujus Sacramenti, ut *Trident. sess. 14. c. 7. de sacr. pœn. Suar. disp. 26. de pœnit. sect. 4. n. 3. Barbos. de potestat. Episc. alleg. 26. n. 50.* Secundus est quoad confessionem de solis venialibus. Tertius est quoad confessionem de solis mortalibus jam confessis, & absolutis: quia in his casibus quilibet simplex sacerdos est idoneus minister, neque indiget approbatione, *Suar. loco cit. n. 5. & 7. Filiuc. tract. 7. n. 223. Bonac. de sacr. pœnitent. quæst. 7. punct. 3. n. 1.* & alii apud eos communiter.

☞ *Ex decreto edito a Cong. Concilii de Communione quotidiana jussu Innocentii XI. sub die 12. Februarii 1679. peccata venialia, aut mortalia, alias absoluta, absolvi nequeunt a simplice sacerdote: ideoque corrigendi sunt Doctores, qui contrarium hucusque censuerunt.* ☜

Amplia hanc conclusionem, ut procedat, etiamsi pœnitens bona fide confiteatur non approbato, seu alieno sacerdoti sine licentia competente, vel sacerdos etiam bona fide illum audiat, & absolvat; nam etiam tunc non perficitur sacramentum, quia hæc irritatio actus non est pœnalis, sed definitiva, & ex natura rei, ob defectum jurisdictionis, sine qua non potest perfici hoc Sacramentum, ut Trident. *cap. 7. sess. 14. de sacram. pœnitent. tex. in cap. Dudum 54. de elect. & ibi gloss. & DD. communiter in verbo Decepta*: unde talis confessio iteranda est habenti jurisdictionem circa illam, *Jo. Andr. in dict. cap. Dudum, Abb. ibi n. 20. Navar. in cap. Placuit de pœnit. dist. 6. n. 180.* qui ponunt exemplum, si quis confiteatur parocho intruso.

Amplia, quod per constitutionem 92. *S. D. N. Urbani VIII. an. 1628. die 12. septem.* revocata sunt omnia privilegia quibuscunque personis, & Ordinibus, & Congregationibus &c. quacunque de causa, & quomodolibet concessa, audiendi confessiones sæcularium absque approbatione supra dicta Episcopi loci.

Amplia, ut neque Prælati inferiores, etiam habentes episcopalem jurisdictionem, & nullius diœcesis, possint talem approbationem dare, non obstante consuetudine etiam immemorabili, *Rota Recent. part. 1. decis. 332.* per totam, ubi quod Episcopus est manutenendus in hac jurisdictione, etiam non probata possessione illius, quia habet assistentiam juris.

Limita, ut sufficiat, si confessarius habeat titulum coloratum cum communi errore; ut si parochus erat privatus occulte titulo suo, vel si ejus provisio fuit nulla ob defectum aliquem occultum, ut ob irregularitatem, vel censuram; tunc enim valet confessio, & absolutio, neque est iteranda, etiam si postea declaretur confessarius jurisdictione privatus: Ita *Innoc. in dict. cap. Dudum, & ibi Ab. loco cit. & Navarr. loco cit.* cum communi sententia per *leg. Barbarius, ff. de offic. prat.* Et procedit etiamsi pœnitens sciens talem defectum occultum, illi confiteretur: ita *Sanchez libr. 3. de matrim. disp. 22. num. 46. Diana resol. 122. tract. 4. to. 2.* Non tamen sufficeret ad validitatem confessionis, seu sacramenti pœnitentiæ, communis error sine titulo colorato; ut si quis falsas approbationis litteras confinxisset, & se publice exposuisset audiendis confessionibus: ita tenent communiter Doct. ut apud *Sanch. ibi n. 49.* quamvis contrarium teneant multi apud *Sanch.* relati *n. 48.* & tenet *Genuen. in praxi cap. 50. in annotat. n. 3. Dian. cum aliis recentioribus loco cit.* & late probat Pontius de *matrim. leg. 5. cap. 20. n. 2. 5. & 6.* qui tenet probabiliter, quod sufficiat communis error etiam sine titulo colorato. Et posset hæc sententia sustineri, & prædicari ad sustinenda acta sine titulo, quando alias sequeretur scandalum, & præjudicium animarum, v. g. absolutiones, & matrimoniales conjunctiones, & cætera acta parochi intrusi per abusum laicæ potestatis, nequeuntibus Prælatis obsistere: si enim in similibus casibus opinionis communis, consecutio parochiæ æstimaretur a populo valida, & ille tanquam legitimus parochus reputaretur, acta illius valida essent: etenim quando pro validitate actus jurisdictionalis stat opinio DD. probabilis, etiamsi contraria sit communior, aut etiam simpliciter vera, & altera a parte rei falsa, tunc acta secundum illam sunt valida, quia Ecclesia tunc censetur supplere defectum, & conferre jurisdictionem, ne alias sequatur periculum animarum, ita *Less. lib. 2. cap. 29. n. 68. Sanchez in decal. lib. 1. cap. 9. n. 35. & de matrim. dis. 22. n. ult. lib. 3. Suar. de pœnit. dis. 26. sec. 6. n. 8. Barbos. alleg. 25. n. 39. Bonac. de matr. quæst. 2. pun. 8. n. 26.* Sed retinenda communis sententia, quam tenent *Gabr. comm. concl. tit. de probat. concl. 8. n. 20. Maschard. concl. 649. n. 91. & 181. Garz. par. 5. cap. 4. n. 281. Gutier. de matrim. cap. 62. n. 26.* quod nunquam sufficiat communis error, sed quod requiratur etiam titulus coloratus, idest officium, seu potestatem ab eo fuisse concessam, ad quem radicaliter pertinebat tale officium, seu potestatem conferre, quamvis invalide fuerit collata ob aliquem occultum defectum; & hanc sententiam servari in Curia Romana ait *Rota decis. 57. n. 4. par. 2. noviss.*

☞ *Opinio Sanchez, & Diana relata hic ab Auctore vers.* Et procedit: *quod nempe valida sit confessio facta a pœnitente, etiam sciente defectum confessarii audientis confessiones cum titulo colorato, & errore communi, videtur plena periculi: hoc enim ipso, quod pœnitens scit defectum jurisdictionis in confessario, jam est sine bona fide; ideoque respectu illius neque militat titulus coloratus, neque error communis, qui fundatur in bona fide pœnitentium. Et licet juxta cit. Sanch. privata pœnitentis notitia auferre nequeat confessario illam jurisdictionem, quam in ipso favore aliorum ad eum bona fide accedentium supplet Ecclesia; adhuc tamen, si rationabiliter interpretari velimus mentem ejusdem Ecclesiæ, quæ ideo supplet jurisdictionem, ne fideles bona fide frustrentur, animæque periculum sine eorum culpa subeant, remanet semper dubium, an eamdem supplere velit favore pœnitentis in malæ fide constituti, nedum in casu, in quo cooperaretur peccato*

con-

confessarii, puta, si confessionem emitteret coram eo, qui sciret, se excommunicatum esse (in qua hypothesi ipsemet Sanchez fatetur nulliter absolvi, non ex defectu jurisdictionis in confessario, sed ex indispositione ejusdem pœnitentis cooperantis illius peccato) sed etiam in casu, in quo non cooperaretur, ut contingere posset, v. gr. si quis institutus fuisset parochus, interveniente simonia, nota pœnitenti dumtaxat, eodem parocho inscio, ob quam ipso jure nulla esset ejus institutio, ut optime probat noster Auctor cap. 2. *verbo* Simonia *n.* 2.

Præterquamquod, dato etiam, quod cit. opinio aliqua fulciretur probabilitate; adhuc tamen esset rejicienda, cum, ut ait clarissimus Auctor Paulus Comitolus Societatis Jesu lib. 6. resol. moral. quæst. 58. *n.* 10. sicut in sacramentis vera requiritur forma, & vera materia, ita verus, non opinatus minister: *qualis profecto esset supradictus confessarius respectu talis pœnitentis: & hanc sententiam idem laudatus Auctor in identica casu privatæ scientiæ pœnitentis n.* 12. *vocat tutiorem, & veriorem.*

Cui adstipulatur etiam Joannes Cardenas, alter ejusdem Societ. Auctor, qui dissert. 1. *cap.* 6. *art.* 4. *n.* 137. *& seqq. ad propositionem* 1. *ab Innoc. XI. proscriptam, luculenter probat, necessario requiri opinionem certam, etiam quoad jurisdictionem in ministro: imo addit, contrariam sententiam subjacere damnationi dictæ propositionis, ibi:* Quamvis non pauci Auctores censere videantur, licite posse absolvi pœnitentem a confessario, cui solum inest jurisdictio probabilis; illud tamen certum supponendum est, opinionem, quæ asserit, absolvi posse cum sola jurisdictione probabili, & esse certo falsam, & huic damnationi subjacere: est enim certo falsum, quod licet exponere frustrationi sacramentum pœnitentiæ: atqui sacerdos absolvens cum sola jurisdictione probabili, exponit frustrationi sacramentum pœnitentiæ, ergo est certo falsum, quod licet. Major est evidens, & constat etiam ex damnatione: minor patet; nam si coram Deo non est vera ea opinio probabilis de jurisdictione sacerdotis, ille quidem absolvit sine jurisdictione, atque adeo absolutio est nulla: *Citata propositio proscripta circa sacramentorum administrationem ab Innoc. XI. die* 2. *Martii* 1676. *sub pœnis in eam docentes &c. & ad praxim deducentes, quas vide in fine Additionis ad c.* 1. *verb.* Missa: *ita sonat, quæ est in ordine la* 1. Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis, & episcopalis:

Propositiones circa opinionum probabilitatem proscriptæ sub iisdem pœnis.

Ab Alexan. VII. 24. *Septemb.* 1665. *in ordine la* 27. Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica, tanquam improbabilem.

Ab Innoc. XI. 2. *Mart.* 1679. *in ordine la* 3. Generatim, dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

Ab Alex. VIII. die 7. *Decemb.* 1690. *in ordine la* 3. Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles, probabilissimam. ☜

Limita II. quod licet Major Pœnitentiarius regulariter loquendo, committat absolutiones, & dispensationes confessariis ex approbatis ab Ordinario loci, ut patet ex formulario nostro; tamen potest committere, & aliquando committit, confessariis etiam non approbatis ab Ordinario loci; quia cum habeat ordinariam jurisdictionem, tanquam Vicarius Papæ pro toto mundo, & pro foro pœnitentiali, potest ipse confessarios approbare, sicut potest Vicarius Episcopi pro sua diœcesi, *Sanch. de matr. lib.* 3. *dis.* 29. *n.* 15. *Barbos. de pot. Ep. alleg.* 25. *n.* 4. & Tridentinum tribuens hoc jus Episcopo, non excludit, imo includit Vicarium generalem, ut *Sbrozz. de offic. Vic. lib.* 2. *quæst.* 202. *nu.* 1. & 2. Quod autem Major Pœnitentiarius sit omnium ordinarius ubique terrarum pro foro pœnitentiali declaravit Sixtus IV. *constit.* 23. *Quoniam nonnulli* §. 3. *in prin.* & §. 5. *in fin.* quidquid olim in contrarium tenuerit *gl. in Clem. Ne Romani* §. *Eo tamen, verb. Expirare de elect. & ibi Card.* §. *Eo ipso n.* 1.

II. Dubium est, an confessarius absolvens sine approbatione, seu licentia ut supra, incurrat censuram aliquam latæ sententiæ.

Respondeo I. ex *can. Placuit, de pœnit. dist.* 6. & *can. Placuit* 9. *quæst.* 2. ab Urbano II. statutum esse, ut nulli sacerdoti liceat alienum subditum ad pœnitentiæ sacramentum recipere sine illius proprii sacerdotis consensu; nisi ob ignorantiam ejusdem proprii sacerdotis. Qui vero contra hæc statuta facere tentaverit (ait Urbanus) gradus sui periculo subjacebit: per quæ videri posset lata suspensio ab officio, quia verbum *Subjaceo*, etiam in futuro tempore prolatum, est latæ sententiæ, juxta communem sententiam apud *Tiraq. in leg. Si unquam verb. Revertatur, n.* 148. *Cod. de revoc. donat.* quia hoc verbum ex natura sua non indiget facto hominis ad executionem. Tamen contrarium tenendum est, scilicet ibi significari suspensionem ferendæ sententiæ arbitrio judicis, ut *Roderic. quæst. Regul.* 18. *art.* 1. *tom.* 2. & consentiunt *Præpos. in dict. cap. Placuit* 9. *qu.* 2. *in princ. Navar. in dict. cap. Placuit de pœnit. dist.* 6. *in princ.* qui solum intelligunt per illa verba, transgressorem esse castigandum, videlicet arbitrarie.

Respondeo II. ex Trid. *sess.* 22. *cap.* 11. & ex Bulla in Cœna Domini *cap.* 17. latam esse excommunicationem contra usurpantes jurisdictionem pertinentem ad personas Ecclesiarum earundem: unde videtur, quod absolvens sacramentaliter sine approbatione, seu licentia, usurpet jurisdictionem parochialem, & ita incurrat in dictas censuras. Tamen contrarium tenendum per se loquendo, quia simplex sacerdos in tali casu non censetur, communiter loquendo, usurpare jurisdictionem fori pœnitentialis ordinariam, quæ ad parochum pertinet, vel Prælatum, sed extraordinariam, seu delegatam, quæ ad nullum determinate pertineat privative ad alios, & ideo non continetur in dictis juribus, ut dixi *verbo Usurpatio cap.* 3. Si autem sacerdos intenderet usurpare jus parochiale, certe in dictam excommunicationem incurreret.

III. Quæri potest, an talis sacerdos scienter absolvens sine approbatione, seu licentia competente, incurrat irregularitatis pœnam.

Respondeo I. non incurrere irregularitatem illam, quam incurrunt usurpantes actum ordinis sacri, quem non habent; quia hic non usurpat actum ordinis, cum vere sit sacerdos, sed usurpat actum jurisdictionis, quam non habet; cui usurpationi non est imposita irregularitatis pœna prædicta, ut dixi *verbo Ordo, cap.* 32. *Limit.* 2. & ita in terminis docet *Henriquez lib.* 14. *cap.* 6. *n.* 2. litt. X. ubi alios citat.

Respondeo II. quod sacerdos scienter absolvens sine approbatione, seu sine licentia competente, incurrit in crimen falsi, & potest puniri pœna arbitraria publico judicio, leg. *Cornelia de falsis*, sicut punitur qui fingit se militem, cum non sit, vel qui usurpat aliquod publicum officium, quod non habet, ut *leg. Eos, ff. ad leg. Corneliam de fals. ibi Bartol. & DD.* sicut etiam qui usurpat gradum doctoris, quem non habet, ut *Bar. ibi Felin. in cap. Tertio loco n.* 1. *de probat. Boss. in praxi tit. de falsis n.* 131. & de clerico, aut alio exercente actus ordinis, quem non habet, *Bald. in leg. Qui sub prætextu, Cod. de Sacros. Eccles. Felin. loco cit.* Quare condemnatus hoc judicio, erit ipso jure infamis, & consequenter irregularis, ut dixi *par.* 1. *cap.* 33. §. *Tertio modo & verb. Falsum cap.* 1. *in princ.* Quod etiamsi probabilius alicui videretur, talem sacerdotem non teneri leg. *Cornelia de falsis*, sed de crimine Stellionatus, seu extraordinario, quod tenet *Menoch. de arbitr. casu* 310. *n.* 4. & *ult.* tamen etiam sic damnatus sit infamis, & irregularis, ut dixi *dict. cap.* 33. Certe si litteris falsis se ingessisset, tunc secundum omnes teneretur publico judicio *leg. Corneliæ de falsis*, ut *Menoch. ibi n.* 6. Super hac tamen pœna potest Episcopus dispensare, ut dixi *verbo Falsum cap.* 1.

☞ *Circa approbationem quorumcunque confessariorum præter Tridentinum, attendenda sunt disposita a Clemente X. Constit.* Superna: 11. *Kal. Jun.* 1670. *ibi* §. 3. Ad hæc, Religiosos ab Episcopo ad confessiones sæcularium in sua diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia diœcesi eas absque Episcopi diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus Episcopi, a quo ipsi Religiosi jam fuerant approbati. Et generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum sæcularium confessiones audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones Monialium sibi subjectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione: atque approbatos pro audiendis confessionibus Monialium unius monasterii, minime posse audire confessiones Monialium alterius monasterii. Itidemque confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse, expleta deputatione, in vim appro-

bationis hujusmodi illarum confessiones adire; sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit. Cæterum in monasteriis, ac etiam collegiis, ubi juxta regularia instituta vivitur, posse tam Prælatos regulares, quam confessores regularium eorumdem monasteriorum, seu collegiorum, audire confessiones illorum sæcularium, qui inibi sunt vere de familia, & continui commensales, non autem illorum, qui tantum ipsis deserviunt. Illos autem Religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint ab Episcopis, generaliter quoque, & indistincte absque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarum, in diœcesi propria admittendos.

§. 4. — Quoad cæteros vero, qui non adeo idonei reperientur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare, & admittere: semel autem simpliciter approbatos, posse in diœcesi Episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam paschali, & quorumcunque, etiam infirmorum, confessiones audire, absque ulla parochorum, vel ipsius Episcopi licentia. De qua tamen confessione teneri dictos Religiosos eorumdem infirmorum parochum illico certiorem reddere: & hoc posse illis ab Episcopo sub pœna suspensionis a facultate audiendi confessiones præcipi: sufficere tamen, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam, apud ipsum infirmum relinquendam.

§. 5. — Et eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis paschali tempore confessi fuerint, Constitutioni, quæ incipit, *Omnis utriusque sexus*, quoad confessionem dumtaxat, satisfecisse censendos. Regulares vero ad ejusmodi confessiones audiendas prævio examine simpliciter, & absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet Episcopo, secus autem si ab ejus Vicario, aut ab antecessoribus Episcopis approbatos, non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias illis concessas revocari, nisi nova superveniente causa, quæ ipsas confessiones concernat: de qua tamen haud necessarium esse, ut in actis constet, nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare, sed Sedi Apostolicæ dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit. Porro si Regulares cum scandalo, aut alias inhoneste vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili Episcopi judicio videantur a confessionibus suspendendi, in quo ipsius Episcopi conscientiam oneratam esse volumus; cum præcipua ministri sacramenti pœnitentiæ qualitas sit vitæ integritas, ac morum honestas; utique eam causam ad confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare, quominus ob eam possit Episcopus Regulares a semetipso approbatos suspendere, aut repellere a confessionibus audiendis. Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus regularibus confessoribus adimi ab Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, nullatenus posse. Ex facultatibus per Mare magnum, aliave privilegia Regularibus cujuscunque ordinis, instituti, aut societatis, etiam Jesu, concessis, factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab Episcopo sibi reservatis: & per confirmationes dictorum privilegiorum, quas Regulares a Sede Apostolica post Sacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem Concilio, aut deinde apostolicis etiam decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant, absolvendi a casibus Episcopo reservatis. —

Propositiones circa hanc materiam ab Alexandro VII. proscriptæ sub die 24. Septembris 1665. sub pœnis in eas docentes &c. & ad praxim deducentes, quas vide in fine Additionis in cap. 1. *verbo* Missa, *sunt in ordine la*

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopo reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobaro.

16. Qui beneficium curarum habent, possunt sibi eligera in confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

Et ab Alexandro VIII. sub die 7. Decemb. 1690. sub iisdem pœnis in illas docentes &c. quæ sunt in ordine la

20. Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, seu satisfactione, ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis. ☜

CAPUT III.

Absolvens a censuris, vel casibus reservatis sine facultate.

ABsolvens a casibus reservatis sine facultate, incurrit crimen falsi, aut saltem stellionatus, ut dixi proxime *cap. præced.* unde damnatus definitive incurrit infamiam juris, & irregularitatem, ut *ibi* dixi.

II. Excommunicationem incurrunt Religiosi, qui excommunicatos a canone, vel a sententiis per statuta provincialia, aut synodalia promulgatis, absolvere præsumunt; quando scilicet absolutio est reservata, & ipsi Religiosi non habent privilegium, seu facultatem competentem: & tales Religiosi, seu Regulares sic perperam absolventes, sunt statim ab Ordinariis locorum denuntiandi excommunicati, nullo privilegio exemptionis illis suffragante. Hujus censuræ absolutio est Sedi Apostolicæ reservata, ita *Clem. Religiosi, de privileg.*

Amplia, ut procedat etiam contra ficte absolventes, quia agitur de usurpantibus, seu agentibus de facto, & nulliter; ideo continetur etiam casus fictus, *Suar. disput.* 12. *de cens. sect.* 4. *a n.* 21. *Coninch. disput.* 19. *n.* 41. *Card. in ead. Clemen.* Alias quæstiones super materia huis pœnæ, & Clementinæ tractant *Sylv. excomm.* 7. *n.* 32. *Navar. cap.* 27. *n.* 102. *Sayr. lib.* 3. *cap.* 29. *n.* 37. *Suar. de censur. disput.* 22. *sect.* 4. *a n.* 1. *Tolet. lib.* 1. *cap.* 36. *n.* 1. *Canonistæ in eandem Clemen.*

III. Excommunicationem incurrunt omnes, qui absolvere præsumunt ab excommunicationibus latis in Bulla in Cœna Domini legi solita, sine facultate, vel in articulo mortis, non servata forma præscripta in eadem Bulla, scilicet prævia cautione de stando mandatis Ecclesiæ, & de satisfaciendo: ita habetur in eadem Bulla §. *Cæterum cum sequenti* §. sed hujus excommunicationis absolutio non est reservata, *Navar. cap.* 27. *n.* 73. *Tolet. lib.* 1. *cap.* 30. *vers.* 6. *Fulminat, Suar. de cens. dis.* 21. *sect.* 2. *vers. Secundo dicendum, Sayr. lib.* 3. *cap.* 25. *n.* 7. *Marius Alterius lib.* 5. *cap.* 3. §. *Contrariam*, secundum probabiliorem sententiam. Contra *Felin. in cap. Pastoralis*, §. *Præterea n.* 9. *de offic. ordin. Rebuff. in exposit. Bullæ* 13. *vers. Illos autem, Cajet. verb. Excomm. casu* 77. *Armill. n.* 77. *Vival. in eandem Bullam*, §. *Quod si forte, n.* 16. cum aliis. Non tamen hanc censuram incurrit absolvens ab interdicto lato *in cap.* 2. Bullæ in Cœna Domini, *Filiuc. tract.* 18. *n.* 144.

IV. Ex decreto Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium jussu Clement. VIII. edito *anno* 1601. *die* 9. *Januarii*, sacerdotes omnes, tam sæculares, quam regulares in Italia, extra Urbem Romam, prætextu privilegiorum præsumentes absolvere a casibus, clare, vel dubie contentis in Bulla Cœnæ, sive alias Papæ reservatis, vel a casibus reservatis ab Ordinariis locorum, incurrebant excommunicationem, privationem officiorum, & dignitatum, & beneficiorum, & inhabilitatem ad confessiones audiendas, & ad quæcunque officia, beneficia, & prælaturas in posterum obtinenda; nisi absolverent pœnitentes in mortis articulo constitutos, vel extra mortis articulum cum licentia expressa in scriptis obtinenda, & Ordinariis exhibenda; & absolutio, & dispensatio dictarum pœnarum Papæ reservata fuit.

☞ *Hanc eamdem absolutionem Papæ reservaverat Sixtus IV. in Extravagan.* Etsi dominici. 5. de pœnit. & remis. *quæ adhuc reservata est, non obstante moderatione, ut infra.* ☜

De illa particula, *clare, vel dubie*, vide quæ dixi *part.* 1. *cap.* 16. *in fin.* Et istud decretum derogat non solum privilegiis concessis universitatibus religiosis, & piis, sed etiam personis singularibus, *& alias quomodocunque:* unde puto derogare privilegiis concessis certis locis, ut Ecclesiis, ut eas visitantes possint absolvi a reservatis; quia etiam tunc dicitur indultum concessum personis singularibus in effectu; vel saltem continetur in illa particula extensiva, *vel alias quomodocunque.*

Postea *anno* 1601. *die* 26. *Novemb.* eadem Sacra Congregatio jussu Clement. VIII. edidit secundum decretum, declarans, & moderans illud primum, & statuit, ut in dictam censuram, & pœnas incurrant solum ii, qui ut supra absolvent a casibus in Bulla Cœnæ. Item si absolvant ab aliquo ex quinque casibus infrascriptis Papæ reservatis: idest, violationis immunitatis ecclesiasticæ in terminis Constitutionis Greg. XIV. violationis clausulæ monialium ad malum finem: provocantium, & pugnantium in duello, juxta decretum Tridentini Concilii, & Constit. Greg. XIII. injicientium

tium violentas manus in clericos, juxta *can. Si quis suadente 17. quæst. 4.* ac juris dispositionem: simoniæ realis scienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis. Item qui absolvent a casibus, vel censuris, quos, vel quas Ordinarii locorum sibi reservaverint. Pœnam autem illam inhabilitatis audiendi confessiones sustulit; & statuit, ut licentiæ etiam sola voce concessæ absolvendi a dictis casibus, suffragentur. Hoc decretum confirmatum fuit plenioribus clausulis derogatoriis a Paulo V. *anno* 1617. *die* 7. *Januarii*, decreto edito incipien. *Quoniam Sacra Congregatio*: vide *Barbosam allegat.* 50. *n.* 186. 187. 188. & explicat *Franc. Leon. par.* 3. *cap.* 38. *n.* 189. & *seq. Homobon. de casib. reser. part.* 1. *pag.* 14. & 15. *Diana resolut.* 13. *tract.* 2. *tom.* 2. & *resol.* 73. *tract.* 4. *tom.* 2. §. *Notandum*.

Eadem Sacra Congregatio mandato S. D. N. Urbani VIII. alio decreto *anno* 1628. 17. *Novemb.* declaravit, nullius privilegii vigore, etiam postea a Sede Apostolica confirmati, posse absolvi a casibus Ordinariis reservatis tam extra, quam intra Italiam, extra Romam: & idem ait de excommunicationibus in Bulla Cœnæ etiam intra Romam. Denique declarat, solum facultatem absolvendi ab aliis casibus Sedi Apostolicæ reservatis non esse sublatam extra Italiam. Itaque per confirmationem privilegiorum, etiam cum amplissimis clausulis, non censentur revixisse privilegia prius derogata per clausulas derogatorias, *Rota decis.* 597. *per totam par.* 1. *noviss.*

☞ *Ex decreto S. Cong. Episcoporum* 10. *Decembris* 1647. *Innoc. X. jussu edito, vi confirmationis privilegiorum a Regularibus obtentæ post enunciatum Clementis VIII. decretum, & in posterum obtinendæ, numquam intelligitur eis concessa facultas absolvendi a casibus ibidem enumeratis.*

Insuper die 13. *Maji* 1711. *emanavit a Congreg. speciatim deputata a Clem. XI. sequens declaratio ab eodem adprobata circa cit. Clem. VIII. decretum* — Eadem Congreg. .... censuit, si Sanctissimo placuerit, præcipiendum esse omnibus, & quibuscunque presbyteris, tam secularibus, quam regularibus in Urbe ad confessiones audiendas deputatis, ut ne in posterum, etiam in foro conscientiæ, absolvant extra mortis articulum quoscunque pœnitentes, tam incolas Urbis, quam ad eam confluentes ab infrascriptis casibus: nempe a casu publico violatæ clausuræ monialium ad malum, seu inhonestum finem: a presbytericidio publico, & a casu publico violatæ immunitatis ecclesiasticæ in terminis Constit. Gregorii XIV. incip. *Cum alias nonnulli*; & etiam in casu occulto dictæ violationis immunitatis, si fuerit secuta auctoritate publica; idque omnino servari ab omnibus, & quibuscunque confessariis in Urbe degentibus, cujuscunque Religionis, Instituti, etiam Societatis Jesu, ac Congregationis, quacunque speciali nota explicandis, prout explicati latius fuere in decreto Sac. Congr. Episcopor. & Regul. die 9. mensis Jan. 1602. sub fel. record. Clem. VIII., ac illius confirmatoriis, & innovatoriis sub fel. record. Paulo V. die 7. Jan. 1617. Urbano VIII. die 17. Nov. 1628. editis. Ac sub præsenti prohibitione comprehendi etiam Pœnitentiarios Basilicarum Urbis, & ab omnibus confessariis prædictis eam observari sub iisdem pœnis, & censuris, eo ipso, & absque ulla alia declaratione incurrendis, quæ continentur in præfatis decretis. Noverintque pœnitentes absolutionem, siquam in posterum obtinuerint a præfatis casibus in præsenti decreto expressis, esse nullam, nulliusque roboris, & momenti: eaque omnia observari, non obstantibus quibuscunque privilegiis absolvendi a prædictis casibus, sub quibuscunque tenoribus tam ante, quam post dicta decreta, tam particularibus personis, quam ratione Religionis, Societatis, vel Instituti obtentis, & juxta latam derogationis formam in iisdem decretis contentam, quæ in præsenti repetita censeatur, & non obstantibus omnibus, quæ idem Clem. VIII. Paulus V. & Urbanus VIII. voluerunt non obstare. Rursus declarando, prout declaratum fuit in præfatis decretis, quod circa alios casus S. Sedi Apostolicæ reservatos, non expressos in præsenti decreto (exceptis illis, qui continentur in Bulla in die Cœnæ Domini legi consueta) ita intelligatur præservata facultas absolvendi confessariis privilegiatis in Urbe degentibus, quatenus tamen eam habeant ex legitimis privilegiis non revocatis, & in usu existentibus, ac juxta eorum tenorem tantum exequendis. Aliis vero in Urbe confessariis privilegia non habentibus, nihil de novo, sicuti per præfata decreta, ita per præsens, censeatur concessum. —

Pro uberiori notitia in praxi, notandum est, quod censuræ & casus Episcopis reservati, sunt in triplici classe. Alii iis reservantur in jure communi, qui semper remanent in suo robore, nec tolli possunt, nisi a Papa: alii in Synodo diœcesana, qui revocari, aut tolli nequeunt, nisi a nova Synodo, vel Concilio Provinciali: alii, quos sibi extra Synodum speciatim sibi reservant, qui cessant absque ulla revocatione, mortuo Episcopo, aut episcopatui cedente.

Censuræ autem Episcopis reservatæ in jure communi, novem enumerantur, videlicet

I. Levis percussio clerici, quamvis publica, & etiam gravis, si percussor juris privilegio fruatur, ut fœminæ, pueri, & impedimento detenti, quoad accessum ad Sedem Apostolicam, capp. Pervenit 17. Quod de his 26. & Quamvis 58. *de sent. excom.*

II. Extractio ab Ecclesia confugiti facta auctoritate privata: aut percussio, aut rapina rerum ejusdem confugiti, auctoritate item privata, Can. Definivit 35. *caus.* 17. *quæst.* 4. *ut etiam declaravit Cong. Immunit. cujus decreta retuli in Additione ad cap.* 1. *verbo* Immunitas, *post* §. Præscindendo.

III. Participatio in crimine criminoso cum excommunicato ab Episcopo, capp. Nuper 29. & Si concubinæ 55. *de sent. excom.*

IV. Excommunicatio ab homine, idest lata ab Episcopo, ex Constitutionibus Leonis X. Dum intra 19. *Decembr.* 1516. §. 7. *Clem. VIII.* Quæcunque 7. *Decembr.* 1604. §. 9. & *Clemen.* X. Superna 11. *Kal. Jun.* 1670. §. 7.

V. Procuratio abortus fœtus animati, effectu secuto, ex Constitut. Greg. XIV. Sedes Apostolica 31. *Maji* 1591.

VI. Inhibitio facta suis subditis a Baronibus, & Dominis secularibus, ne absque eorum licentia statum clericalem assumant; sicuti & impetratio hujusmodi licentiarum ab iisdem per laicos obtentarum, ut ad eum assumi possint, Conc. Rom. sub Benedict. XIII. anno 1725. *tit.* 28. *cap.* 3.

VII. Visitatio infirmi facta a medico, si postquam tertio eum visitaverit, ipsi non constiterit ex fide confessarii, eumdem infirmum confessionem sacramentalem emisisse, aut illam ex consilio dicti confessarii distulisse; idem Conc. tit. 32. *cap.* 1. & §. 28. *n.* 4. *in Appendice.*

VIII. Omnes censuræ Papæ reservatæ ob occultum delictum incursæ, ex cap. 6. *Triden. sess.* 24. *de refor. cum limitatione tamen a me allata in Additione ad cap.* 23. *par.* 1. *post* §. Dico 6. *pag.* 31. *col.* 1.

IX. Omnes censuræ, & casus Papæ reservati, licet contenti in Bulla Cœnæ, ac etiam reservati post Trident., si ob legitimum impedimentum, aut ob urgentem confessionis admittendæ necessitatem obtineri nequeat a S. Sede facultas pro absolutione. Qui tamen in his circumstantiis absolvi poterunt ab Episcopo cum reincidentia, respectu illorum, qui temporali tantum impedimento detinentur; vel absque onere ad Apostolicam Sedem recurrendi, respectu impeditorum in perpetuum, ut ex capp. Mulieres 6. De cætero 11. Ea noscitur 13. & Quamvis 58. *de sent. excom. ac DD. communiter. Vide Auctorem part.* 1. *cap.* 24. Respondeo II. *pag.* 33. *col.* 1.

Nota ex Constit. Clem. X. — Superna — 11. *Kal. Junii* 1670. §. 7. *confessarios regulares, etiam habentes privilegium absolvendi a casibus Papæ reservatis, non posse absolvere a casibus Episcopo reservatis sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, & Papæ reservata, ac nullitatis absolutionis, nisi in tali privilegio hæc facultas speciatim expressa fuerit, ut ex supra cit. Clementis VIII. decreto anno* 1602. *Quam prohibitionem jam ediderat Alex. VII.* 24. *Sept.* 1665. *ex contrario sensu propositionis* 12. *inter alias ab ipso proscriptas* .. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate. —

Nota etiam ex cit. §. 7. *Constit. Clement. X. neque posse absolvere pœnitentes confluentes ex alia diœc. a reservatis in ipsa, licet non reservatis in diœc. ubi iidem Regulares confessiones audiunt, si eos noverint ad se migrasse in fraudem reservationis pro obtinenda absolutione.*

Præterea a dict. Alexan. VII. supradicta die 24. *Septem. inflicta est excommunicatio ipso facto incurrenda, Papæ reservata, in docentes, defendentes, edentes tam præfatam propositionem* 12. *quam has sequentes, aut de iis etiam disputative publice, aut privatim tractantes, nisi forsan impugnando: ac in virtute S. Obedientiæ, & sub interminatione divini judicii probibitum fuit eas a quoquam ad praxim deduci.*

Propositio 3. *in ordine* — Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Junii in Consistorio Sac. Congreg. Eminentiss.

tiff. Cardinalium visa, & tolerata est. —

La 4. in ordine — Prælati regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunque seculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa. —

CAPUT IV.

Absolutio data a Religioso a pœna, & a culpa.

Vide *infra verb. Indulgentia cap.* 1.

CAPUT V.

Absolvens non solventem decimas.

Vide *infra verbo Decima.*

CAPUT VI.

Absolvens sacramentaliter censura excommunicationis, vel suspensionis, vel interdicti ligatos.

Vide *verbo Censura cap. 6. & 7.*

CAPUT VII.

Absolvens excommunicatum a culpis, ante absolutionem a censura.

PRimo, excommunicationem minorem incurrit, ut communicans cum excommunicato majori (scilicet excommunicatione) *cap. Excommunicatos, cap. Sicut Apostoli, cap. Cum excommunicato, cap. Qui communicavit* 11. *quæst.* 3. *cap. Pari, de sent. excom. Suar. de censur. disp.* 10. *sect.* 2. *n.* 8. intellige, si erat vitandus, id est vel nominatim denunciatus, vel publicus notorius clerici percussor: alias enim peccat confessarius, sed non incurrit in excommunicationem minorem, ministrando Sacramentum excommunicato, ut *Bonac. de censur. in communi quæst.* 2. *punct.* 2. §. 2. *n.* 3.

Secundo, excommunicationem incurrit Papæ reservatam confessarius absolvens scienter, & sponte sacramentaliter excommunicatum a Papa, quia sic illum admittit ad divina ante absolutionem, *cap. Significavit de sent. excom.* intellige de excommunicatis a Papa per sententiam specialem, vel generalem legem, sed postea specialiter denunciatis: neque sufficit, quod quis sit notorius clerici percussor, *Suarez disp.* 10. *sect.* 2. *n.* 9. *Bonac. de cens. part. disp.* 2. *quæst.* 5. *punct.* 3. *n.* 3. *Coninch de cens. disp.* 14. *n.* 33. *Henriq. lib.* 13. *cap.* 8. *n.* 3. propter extrav. *Ad evitanda.*

Tertio, Interdictum ab ingressu Ecclesiæ incurrit absolvere præsumens sacramentaliter excommunicatum majori excommunicatione: & ab hoc interdicto non potest absolvi, nisi prius ad arbitrium eius, cujus censuram violavit, satisfaciat competenter, *cap. Episcoporum de privil. in 6.* sed procedit de excommunicato vitando, idest vel notorio clerici percussore, vel alio nominatim denunciato, *Suar. de censur. disp.* 37. *sect.* 1. *n.* 6. *Bonac. de cens. in comm. loco cit.* §. 2. *n.* 7. Nullam tamen incurrit irregularitatem absolvens excommunicatum, etiam vitandum, ut *Suarez disp.* 33. *sect.* 3. *n.* 8.

Satisfacere debet talis confessarius, monendo pœnitentem, quod non fuit a censura absolutus: quod qualiter facere debeat, *vide Suar. de pœnis. disp.* 22. *sect.* 6. *n.* 3. Vel debet impetrare facultatem eum absolvendi in absentia: de qua je dixi *par.* 1. *cap.* 22. *differ.* 3.

CAPUT VIII.

Absolvens sacramentaliter, obstante interdicto, vel cessatione a divinis.

INterdictum ab ingressu Ecclesiæ incurrit absolvens sacramentaliter interdictum personaliter nominatim denunciatum, scilicet ante absolutionem a tali censura: & non est absolvendus, donec arbitrio ejus, qui illam sententiam tulerat, satisfecerit competenter, *cap. Episcoporum de privil. in 6.* explicant *Suarez disp.* 33. *de censur. sect.* 2. *n.* 9. *Coninch. disp.* 17. *n.* 27. *Sayr. lib.* 5. *cap.* 14. *n.* 34.

Suspensionem ipso jure incurrere ab officio, beneficio, & jurisdictione eum, qui sacramentaliter absolvit aliquem contra jus interdicti personalis, vel localis, quidam affirmant, ut *Sylv. interd.* 6. *n.* 3. *Avila par.* 5. *disp.* 5. *dub.* 4. *concl.* 2. & communem fatetur *Sayr. lib.* 5. *cap.* 14. *n.* 21. allegant ad hoc *cap. ult. de excess. Prælatorum.* Alii tamen dicunt, eam non esse pœnam latæ sententiæ, sed ferendæ, & hanc probabiliorem ait *Coninch. disput.* 17. *n.* 71. *Sayr. loco cit.*

Excommunicationem non reservatam incurrunt Religiosi absolventes sacramentaliter contra jus interdicti generalis localis, id est in loco interdicto, culpabilem de tali interdicto, non præcedente satisfactione; & idem est, si absolvant, stante cessatione a divinis, *Clem.* 1. *de sent. excom.* tractat *Sayr. lib.* 3. *cap.* 33. *n.* 44. *de cens.* Sed procedit quando Ecclesia matrix observat illud interdictum, vel cessationem, ut *Sayr. n.* 45.

Irregularitatem incurrit absolvens sacramentaliter in loco interdicto, si pœnitens sit in culpa de tali interdicto, dummodo interdictum locale sit denunciatum, ex *cap. Is, qui* 18. *de sent. excom. in 6. Suar. disp.* 34. *sect.* 4. *n.* 14. *Filiuc. tract.* 18. *n.* 55. & 56. *Bonac. tract. de interd. in comm. punct.* 3. §. 3. *n.* 2. & *punct.* 7. *n.* 6. Non fit autem irregularis absolvens aliquem interdictum extra locum interdictum, *Sayr. lib.* 5. *c.* 14. *n.* 34.

Privationem vocis activæ, & passivæ incurrit absolvens aliquem sacramentaliter contra jus interdicti localis, ut *Layman lib.* 1. *tract. de interd. cap.* 3. *n.* 3. *Sylv. verb. Interd.* 6. *quæst.* 2. *vers. Secundum, Coninch.* 1. *disp.* 17. *n.* 70. *Filiucc. tract.* 18. *n.* 87. & *Sayr. dict. cap.* 14. *n.* 9. *per cap.* 1. *de postul. prel.* & *dict. cap. Is, qui*, §. *Is vero de sent. excom. in 6.*

CAPUT IX.

Absolutionem a censuris extorquens.

EX *cap.* 1. *de his, quæ vi in 6.* vi, aut metu extorquens absolutionem alicujus censuræ, scilicet excommunicationis, vel suspensionis, vel interdicti, non solum ab illa censura non solvitur, sed etiam novam excommunicationem incurrit ipso facto, quæ tamen non est reservata: explicat *Reginal. lib.* 9. *n.* 346. *Avila par.* 2. *cap.* 7. *disp.* 2. *dub.* 5. *per totum, Suar. dis.* 7. *sect.* 6. *n.* 13. *Sayr. lib.* 2. *cap.* 21. *n.* 30. & *Canonistæ super tod. cap.* 1.

Ex *cap.* 14. Bullæ in Cœna Domini, qui partes actrices, quæ causas spiritnales, aut spiritualibus annexas committi fecerint, & inhibitiones obtinuerint, aut alias litteras, compellit ad revocandum, & ad faciendum, vel consentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanaverint, a censuris, & pœnis in illis contentis absolvi, & ad hæc cooperantes, excommunicationem ipso facto incurrunt.

CAPUT X.

Absolutionem sacramentalem absenti dari posse asserens, imprimens, vel ad praxim deducens.

Vide *verbo Sacramentum cap.* 1.

☞ CAPUT XI.

Absolutio data a Confessario complici delicti contra sextum Decalogi præceptum.

EX *binis Constitut. Bened. XIV.* Sacramentum Pœnitentiæ 1. *Jun.* 1741. & Apostolici muneris 3. *Febr.* 1745. *sublata est ipso jure cuicunque confessario, etiam tempore Jubilæi, aut in vim Bullæ Cruciatæ, sive alterius Indulti, confessiones audienti, jurisdictio absolvendi complicem in peccato contra sextum Decalogi præceptum, sub pœna excommunicationis Papæ reservata ipso facto incurrenda, si ausus fuerit eum absolvere, etiam in mortis articulo constitutum: quando tamen absque sui infamia, vel scandalo, & quidem non confisto, haberi potest alius sacerdos, qui complicis confessionem exciperet: dictus vero complex in hujusmodi articulo constitutus, etiamsi alius sacerdos haberi potuisset, & ob confessarii complicis malitiam adhibitus non fuisset, remaneret valide absolutus.*

Nota, quod ad incurrendam hanc censuram requiritur ausus temerarius, ut in dictis Constitutionibus.

CA-

CAPUT I.

Accusatoris, vel delatoris calumnia.

I. QUanti interest reo, restituere, & satisfacere isti debent, vide *Sylv. verb. Accusatio, quæst. 7. vers. Primo calumniando, Sayr. in clavi reg. lib. 12. cap. 15. n. 13. Menoch. de arbitr. casu 321. n. ult. Boss. de accus. n. 28. Bernard. Diaz. in praxi cap. 68. n. 6.* vide *cap. ult. ibi Canon. De calumniat.*

II. Afficitur juris infamia calumniator, si de calumnia fuerit condemnatus, *cap. Si quis 2. quæst. 3. concordat leg. 1. & leg. Athletas §. Calumniator ff. de his, qui not. infa. leg. 3. Cod. De calumn. leg. Palam §. Senator ff. de rit. nupt. Abb. cap. final. de calumn. Roderic. quæst. regul. 32. art. 2. tom. 2. Molina tract. 4. disp. 9. n. 8. Majol. de irregul. lib. 2. cap. 7. §. Hinc illud, Sayr. lib. 12. cap. 15. n. 18. Menoch. de arbitr. casu 322.* Imo quotiescunque calumnia fuerit notoria, erit calumniator de jure canonico infamis infamia juris, quia hoc jure omne crimen depositione dignum, secundum magis communem, si fuerit notorium, reddit infamem infamia juris, *Sayr. lib. 7. cap. 1. n. 12. Garz. de benef. par. 11. cap. 3. n. 110. Sanch. consil. lib. 2. cap. 2. dub. 18. in fine*: at hoc crimen est depositione dignum, *cap. 1. de calumn.* ergo.

III. Irregularis efficitur calumniator ubicunque infamia juris affectus fuerit, ut supra, *Majol. lib. 2. cap. 7. §. Hinc illud*, & ex regula generali, quam probat *Garzias par. 7. cap. 8. n. 11.*

Nota, quod licet in causis atrocioribus accusator, & delator non puniantur de calumnia, *Menoch. casu 321. n. 26.* tamen hoc verum quoad pœnam ordinariam talionis, vel aliam ejus loco succedentem: secus tamen quoad infamiam, & restituendi obligationem, *Menoch. de arbitr. casu 321. n. 33.*

IV. Suspensionem incurrit ipso jure a beneficiis ecclesiasticis per triennium is, qui in personam electi ad dignitates ecclesiasticas, vel personatus, vel canonicatus, aliquid objicit, & deficit in probatione: quod si interim se ingerat ad ea beneficia, eis ipso jure privatus remanet, nisi manifestissimis documentis constiterit, eum causa probabili a calumniæ culpa excusandum, ut dixi *verbo Electio cap. 4.*

☞ *Ex Constit. Bened. XIV.* Sacramentum Pœnitentiæ 1. *Jun.* 1741. §. Et quoniam *reservatur Summo Pontifici absolutio cujuscunque personæ falso, vel per se de solicitatione accusantis innocentes confessarios, vel procurantis*, ut id ab aliis fiat: *qui casus est eidem Pontifici reservatus, licet nullam censuram annexam habeat.*

Propositiones proscriptæ ab Innoc. XI. circa calumniatores sub die 2. Mart. 1679. sub pœnis in eas docentes &c. & ad praxim deducentes, quas vide in fine Additionis ad cap. 3. ver. Absolutio, *sunt in ordine la*

43. Quid, non nisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere.

44. Probabile est, non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat: & si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in tota Theologia. ☜

CAPUT II.

Accusatoris, vel Procuratoris, vel Advocati prævaricatio.

I. ACcusator, qui in judicio publico prævaricatus fuerit, scilicet crimina vera rei abscondendo, seu admittendo ejus exceptiones, & probationes non veras, & sic causam prodendo, de prævaricatione condemnatus fuerit, afficitur juris infamia, *leg. Athletas §. Calumniator ff. de his, qui not. infamia, leg. 1. & leg. Si is, ff. de prævar. Menoch. de arbitr. casu 323.*

II. Advocatus, vel procurator, qui secreta revelat parti adversæ, si hoc crimine fuerit damnatus, eo ipso est infamia juris affectus, *gloss. in dict. §. Calumniator, Menoch. loco cit.* An autem licitum sit advocato patrocinari pro utraque parte, vide *Sanch. consil. lib. 6. cap. 7. dub. 7.*

Infamis affectus prævaricator, consequenter erit irregularis, ut promoveri non possit, neque in susceptis ministrare, ex dictis *cap. præcedenti.*

CAPUT III.

Accusatoris tergiversatio.

ACcusator dum intenta accusatione non ad pœnam sibi applicandam, desistit ab accusatione citra abolitionem, dicitur tergiversator; & si de hoc crimine fuerit condemnatus, juris infamiam incurrit, *leg. 1. ibi gloss. & leg. 2. Cod. Ut intra certum tempus, leg. 2. Cod. Ad S. C. Turpilian. gloss. in leg. 1. verb. Qui judicio, ff. de his, qui not. infam. Molina tract. 4. dis. 9. n. 11. Clarus §. final. quæst. 72. vers. Tergiversator*, & consequenter talis condemnatus ob infamiam erit irregularis. Sed hodie non est usu receptum, ut ob hoc crimen tergiversationis quis puniatur, neque crimini datur; ideo neque hodie efficitur infamis desistens ab accusatione, neque irregularis efficitur, *Molina loco cit. & tract. 3. dis. 47. n. 10.* Et ratio est, quia hodie ex consuetudine si accusator desistit, Judex ex officio procedit, *Clarus §. final. quæst. 58.*

CAPUT I.

Adulterium.

ADulterii crimen est mixti fori, quia Judex ecclesiasticus punit pœnis spiritualibus, laicus pœnis temporalibus, *Avus meus decis. Pedemont. 148. in fin.* Excepto tamen, si agatur ad finem divortii, quia tunc est mere ecclesiasticum; si autem ad pœnam sanguinis, est mere laicale, *Sanch. lib. 10. de matrim. dis. 8. n. 15. & 16.*

Ex adulterio si fœmina prolem suscipiat, & pariat, & viro suo tanquam legitimum partum supponat, tenetur ad restitutionem viro, seu filiis legitimis, seu hæredibus ejus: est certa sententia, *Layman lib. 3. tract. 3. par. 3. cap. 14. n. 1. Diana resol. 30. miscell. 5. tom. 2.* Intellige in quantum potest sine periculo se infamandi, ut *cap. Officii de pœnitent. ibi Barbosa* late explicat, & *Diana loco cit.* De adultero autem probabilior, & magis communis asserit, eum similiter teneri ad restitutionem in solidum, *Layman n. 2. Diana resolut. 55. tract. 3. Miscellan. tom. 1.*

I. Infamia juris afficitur clericus, aut laicus sententia damnatus de adulterio, *leg. 1. ff. de his, qui not. infam. Farinac. quæst. 141. n. 25.*

II. Irregularis consequenter efficitur ob talem juris infamiam, *Majol. lib. 5. cap. 38. n. 1. Layman lib. 1. tract. de Irregul. cap. 4. n. 7. & 11. text. in cap. Infames 6. quæst. 1.*

Quoad dispensationem, restitutionemque adversus hanc infamiam, & irregularitatem, nota, quod si laicus condemnatus de adulterio, fuerit a suo Principe adversus talem infamiam restitutus ex gratia, consequenter erit liber ab irregularitate, *Suarez dis. 48. sect. 2. n. 10. Layman cap. 4. n. 10. Filiuc. tract. de Irregul. n. 224.* Item Episcopus potest super hoc dispensare, *cap. At si clerici, §. De adulteriis, de judic. Ugol. in irregul. cap. 6. §. 5. n. 3.* ut possit ordinari.

III. Irregularitatem sæpe incurrit adulter, ex eo, quod ipsius causa maritus occidat uxorem, quando scilicet adulter temere se ingessit, nulla cautela adhibita, *Sayr. lib. 6. cap. 17. n. 20. Toler. lib. 1. cap. 82. §. Quando vero, Layman lib. 3. tract. de injusta corporis læsione cap. 10. n. 2. Suar. de censur. dis. 45. sect. 6. n. 5.* Sicut etiam incurrit irregularitatem adulter, si a superveniente marito, vel consanguineis adulteræ invasus, etiamsi pro necessaria suæ vitæ defensione, aliquem eorum occidat, ut *Layman ibidem n. 2. cum communi DD.*

☞ *Quod adulter, sive clericus sit, sive sacerdos, non fiat irregularis ob mortem adulteræ illatam a marito, si cum sufficienti cautela se gesserit, ita ut periculum mortis probabiliter prævidere, aut timere non potuerit, sæpius declaravit Cong. Conc., & potissimum in Aquinaten. Irregularitatis 10. Decembr. 1672. ut lib. 27. decret. pag. 489. & in dubio Irregularitatis 22. April. 1679. lib. 30. decret. pag. 295. quæ declaratio per extensum refertur etiam in Thes. resol. ejusdem Cong. an. 1723. tom. 2. pag. 382.* ☜

IV. Privilegio etiam clericali penitus privatur clericus adulter, si maritum adulteræ per insidias occidat, *Aufrer. in Clem. 1. de offic. ordin. in 1. regula, n. 27. Clarus §. final. quæst. 36. vers. Quæro modo.*

V. Adulter conjux privatur jure petendi debitum conjugale: quod qualiter procedat, vide *Sanchez de matrim. lib. 1. dis. 68. n. 4. & plenius lib. 10. dis. 9. n. 30. dis. 12. n. 7. ibid.*

ubi concludit, non procedere hanc pœnam in foro conscientiæ, donec conjux innocens adulterum repellat, constito de adulterio. Tollitur autem hæc pœna, si alter conjux etiam adulterium committat, *cap. Tua de adulter.*

VI. Adulteri, si paciscantur de matrimonio contrahendo in casum obitus conjugis, incurrunt impedimentum dirimens tale matrimonium, *cap. Relatum 31. quæst. 1. cap. Significasti, & cap. ultimo, de eo, qui duxit, Rota decis. 64. n. 1. in collect. Farinac. de contract. Sanchez lib. 7. dis. 79.* & multo magis, si adulterio matrimonium conjungant de facto, idest nulliter, cum impedimento ligaminis, ut *cap. 1. & seqq. de eo, qui duxit.* Super his solus Papa dispensat, ut *Sanch. de matrim. lib. 8. disput. 6. n. 14.* Et in materia hujus impedimenti, & criminis habes bonam *Rotæ decis. cit. 64. in collect. Farinac. de contr. & crim.* ubi etiam dicitur, non probari, neque præsumi fidei dationem de matrimonio contrahendo, ex adulterio solo cum matrimonio postea (conjuge defuncto, vel defuncta) contracto cum adultero, etiam cum prolis susceptione. Item non sufficere ad dirimendum matrimonium jam contractum, ut supra, soluto primo matrimonio, etiamsi fidei dationem præcessisse confiterentur concorditer ipsi conjugati, aut si ea probaretur per plures testes singulares, aut per plures contestes, sed personas viles, seu non omni exceptione majores, ita *Rota ibi.*

☞ *Nota, quod ad incurrendum hoc impedimentum requiritur, ut utraque pars sit conscia de matrimonio consistente alterius, ex claris textibus cap.* Propositum 1. *& cap.* Veniens 7. *de eo, qui cognovit. Imo si adulter post obitum conjugis objiceret hoc impedimentum ad rescindendum matrimonium postea contractum cum ea, quam matrimonii sui nesciam cognovit, rejiciendus esset a limine judicii, & teneretur ipsam ducere. Hæc autem tale impedimentum dumtaxat incurreret, si post matrimonium bona fide contractum, certior facta de adulteri conjugio, cum eodem maritaliter vivere pergeret, ut docet Auctor Collationum Andeg. ex cap.* Si quis uxore 8. *hoc eod. tit. Reliqua circa dictum impedimentum vide in Additionibus P. Philippi de Carboneano ad Theologiam mor. Antoine edit. Romanæ 1757. in Tractat. de Matrim. cap. 3. post n. 5.* ☜

VII. Adulterium est causa sufficiens divortii, *Matth. 5. & 19. Sanchez lib. 10. disput. 3. n. 6.* nisi alter quoque conjux adulter extiterit, *Sanchez disput.* 8. *n.* 30. quod declaratum *Sanchez disp. 9. n. 30.*

VIII. Uxor propter adulterium amittit dotem etiam de jure canonico, *cap. Plerumque de donat. inter vir. & uxor. ibi gloss. verbo Plerumque, Farin. quæst. 142. a n. 1. Sanchez lib. 10. disp. 8. a n. 2.* Item adultera amittit donationem propter nuptias, *Farin. n. 2. Sanch. n. 9.* Item amittit bona paraphernalia, ut de magis communi, *Farinacc. quæst. 142. n. 3. Sanch. n. 9.* Item amittit legata sibi a marito relicta, *Farin. n. 8.* An autem hæ pœnæ ligent in foro conscientiæ, & an sint latæ sententiæ; multi dicunt, esse latæ sententiæ, sed pro foro conscientiæ requiri declaratoriam, ut apud *Sanch. n. 15. Farinac. n. 98.* communior tamen ait, esse pœnas sententiæ ferendæ, posse tamen maritum retinere ante sententiam, excipiendo, *Sanch. n. 13. Farin. n. 97.* Maritus autem propter adulterium perdit donationem propter nuptias, seu augmentum dotis de jure canonico, & dotem fœminæ tenetur restituere, *Farinac. n. 35. Sanchez disp. 8. n. 11.* Itaque procedunt hæc, si fœmina agat coram Judice ecclesiastico, *Farin. quæst. 142. n. 43.*

Limita prædictas pœnas externi fori, ut non ligent ante declaratoriam, vel condemnatoriam, etiamsi reus falsis testibus, vel injusta appellatione se defenderit, *Sanch. lib. 19. disp. 8. n. 14. cum ibi allegatis*, secundum probabiliorem.

☞ *Propositio circa adulterium proscripta ab Innocen. XI. sub die 2. Martii 1679. in ordine la 50. inter alias ab eodem proscriptas, est:* Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.

Quam propositionem docens &c. & ad praxim deducens, incurrit pœnas, quas incurrunt docentes &c. alias propositiones proscriptas, prout in fine Additionis ad cap. 3. verbo Absolutio. ☜

CAPUT I.

Advocati, vel Procuratoris prævaricatio.

Vide supra *verbo Accusator cap. 2.*

CAPUT I.

Agrotum Incendiarii.

Vide infra *verb. Incendiarii.*

CAPUT I.

Agnos Dei cereos consecratos pingens, aut minians, aut vendens.

EX Bulla Gregorii XIII. quæ est secunda in ordine, incip. *Omni certe studio*, excommunicatio fertur latæ sententiæ contra eos, qui audent Agnos Dei a Papa consecratos pingere, aut deaurare, aut miniare, aut hæc fieri facere, aut tales venales exponere, aut retinere quovis prætextu.

Limita primo, quod cum Bulla loquatur de iis, qui talia audent, requiritur scientia, & non sufficit ignorantia etiam crassa, ut *Sanchez lib. 9. de matrim. dis. 32. n. 38. Suar. de cens. disp. 21. sect. 3. in fin.*

Limita secundo, ut non intelligatur de omni retinente, sed ad vendendum, *Diana resol. 12. tr. 6. miscell. tom. 2. cum ibi adductis.*

Limita tertio, quod aliqui dicunt, extra Urbem eam Bullam non fuisse usu receptam, *Filiuc. tract. 14. n. 95.* sed alii contra testantur, ut *Facundez part. 1. lib. 1. cap. 4. n. 25.*

Limita quarto, quod intelligitur, nisi dicta deauratio, seu miniatio fiat cum licentia Papæ speciali.

Limita quinto, quod hæc censura nulli est reservata, *Sayr. lib. 3. cap. 35. n. 13. de censur. Barbosa allegat. 50. n. 150.*

Limita sexto, quod vendens Agnos Dei consecratos albos, seu non pictos, non incurrit hanc pœnam; peccat tamen mortaliter ob prohibitionem factam a Papa Romæ sic vendens ratione simoniæ, ut *Bonac. de Simon. dis. 1. quæst. 4. §. 2. n. 6.* quia gratis a Papa accipiuntur, & gratis dari debent.

De antiquo Ecclesiæ Romanæ usu consecrandi imagines agni cereas, & Christum Dominum imagine agni repræsentandi, seu effigiandi, & de reprobatione, seu damnatione pseudosynodi Constantinopol. *Erraticæ* dictæ, in qua *can.* 83. assertum etiam Salvatorem D. N. non imagine agni, sed hominis esse pingendum, vide apud *Card. Baronium to. 8. pag. 613. anno Dom. 692.* Sergii Papæ *an.* 5.

CAPUT I.

Alchimia.

Vide *verbo Falsum cap. 2.*

CAPUT I.

Alienatio bonorum ecclesiasticorum, juris forma non servata.

I. HOc crimen olim non habebat pœnam latæ sententiæ, sed erat crimen depositione dignum, ex *cap. Si quis Episcopus 10. quæst. 2. & cap. Apostolicos 12. quæst. 1.* in quibus deponendus est Episcopus, qui sine necessitate alienat res Ecclesiæ, & *cap. Nullus res 17. quæst. 4.* ubi Episcopus est deponendus, alienans res Ecclesiæ sine licentia Primatis, seu Metropolitani, & Suffraganeorum, & *cap. Abbatibus 12. quæst. 2.* Abbates, & alii clerici deponendi sunt, si sine licentia sui Episcopi alienant Ecclesiæ bona: ita hoc crimen esse depositione dignum, ait *Foller. in praxi can. par. 2. cap. 33. verbo Etsi confessi n. 43.* sed hodie huic juri est derogatum per *extravag. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alien.* ubi alia forma est statuta alienandi, & aliæ pœnæ transgressoribus impositæ, ut statim dicam.

II. Itaque extrav. *Ambitiosæ de reb. Eccles. non alienan.* prohibet omnium rerum, & bonorum ecclesiasticorum aliena-

nationem, omneque pactum, per quod dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem ultra triennium, infeudationem, emphyteusim, præterquam in casibus a jure permissis, & de rebus, & bonis ab antiquo infeudari, seu emphyteunticari solitis, & tunc cum evidenti Ecclesiæ utilitate. Item prohibet alienationem bonorum mobilium pretiosorum, quæ servando servari possunt, nisi super dictis contractibus interveniat beneplacitum apostolicum; alias alienationes, seu contractus celebrati contra hanc formam, erunt nulli ipso jure, etiamsi bona fide essent celebrati, cum obligatione restituendi. Quod qualiter procedat, vide *Genuen. in praxi Episc. cap. 44. Bonac. de alien. punct. 4. Filinc. tract. 44. cap. 6. n. 6. Suar. tom. 4. de relig. lib. 2. cap. 37. n. 21. Less. cap. 24. n. 66. cap. 29. n. 35.* & amplia, quod etiam ipse Prælatus, qui male alienavit, possit recuperare rem cum fructibus ad se pertinentibus, quia eos reperit non principaliter, sed consecutive, *Rota divers. par. 1. decis. 14. per totam*. Et eo ipso, quod partes contrahunt sine solemnitatibus, dicuntur esse in mala fide, & tenentur omnes fructus restituere, *Rota decis. 3. n. 32. 33. & 34. in collect. Rubei*, & *Rota divers. par. 1. decis. 13. & 14.* Et quidem, cum hic contractus defectu formæ vitietur, quia peccat in forma, & forma indivisibilis est, ideo in totum vitiatur, ita ut locatio facta ultra triennium, neque quoad triennium sustineatur, secundum opinionem, quam solet sequi *Rota Romana, ut recent. par. 1. decis. 30. n. 3.* ubi late, & *par. 1. posth. Farinac. decis. 435. n. 3.* ubi ait veriorem: quamvis contrariam multi teneant, & magis communem dicant relati *a Rota dicta decis. 30. n. 2.*

☞ *Quod nullitas interveniat, quamvis contractus esset bona fide celebratus, ut hic firmat Auctor, contrarium sentit cum Passarino tom. 1. de stat. homin. quæst. 185. art. 7. n. 665. Ludovic. de Ameno, de delict. & pœn. tom. 3. tit. 3. §. 4. n. 32. probat enim, non esse ipso jure nullum, sed annullandum, nedum si celebratus esset bona fide*, sed etiam ex ignorantia juris, vel facti culpabili, & etiam crassa .... quia dispositio dictæ Extravag. requirit præsumptionem, quæ juxta doctores *Card. Zabarel. in Cle. 1. de privil. Navar. Manual. cap. 27. n. 74. Quaranta, verb.* Alienatio *n. 9.* importat temeritatem, malitiam, & dolum, quibus non existentibus, nec crimen, nec pœna incurritur. ☜

Et contravenire præsumentes puniuntur tam dantes, quam recipientes variis pœnis latæ sententiæ.

Primo enim incurrunt excommunicationem, quæ procedere videtur etiam contra Episcopos, & Abbates, ut patet ex textu, & docet *Quaranta verb. Alienatio n. 49. & Navar. cons. 3. de reb. eccles. non alien.* & alii communiter: quamvis contra teneant *Bonac. tract. de alien. punct. 5. n. 1. Filiucc. tract. 44. cap. 6. n. 1. Castropalao tom. 2. tract. 12. pun. 15. §. 6. n. 7. in fin.* & confirmatur, quia secundum veriorem sententiam, hæc excommunicatio est generalis quoad personas, ut omnes comprehendat, sive sint laici administratores, v. g. hospitalium ecclesiasticorum &c. sive Episcopi, seu Abbates, sive clerici inferiores, ut tenet *Cajetan. verbo Excomm. cap. 75. Navarr. cap. 27. n. 149. Tolet. cap. 40. lib. 1. Leon. in Thesauro fori eccles. par. 1. cap. 15. n. 54.* quidquid contra (idest laicos non contineri) dicant, *Sayr. lib. 3. de censur. cap. 32. n. 22. Bonac. de alien. disput. 2. quæst. unic. punct. 5. n. 1.* etenim pœnæ additæ ibidem non restringunt primam pœnam, sed aggravant contra ecclesiasticos, ut patet ex textu, si attente legatur. Sed hæc excommunicatio non est reservata, ut *Tolet. lib. 1. cap. 40. §. 2. Suar. de cens. disput. 23. sect. 6. n. 3. Sayr. lib. 3. cap. 32. n. 22.* qui eam ponunt inter nulli reservatas.

Secundo, si sit Abbas, vel Episcopus, incurrit interdictum ab ingressu Ecclesiæ, sed nulli est reservatum: quod si per sex menses insorduerint in hoc interdicto, incurrunt suspensionem ab administratione, & regimine Ecclesiæ suæ, vel monasterii.

Tertio inferiores Prælati, & administratores ipso facto sunt privati beneficiis, quorum bona alienaverint, & vacare censentur absque alia declaratione, ut conferri possint a legitimo collatore.

I. Nota circa hanc extrav. quod quamvis excommunicatio ibi non sit Papæ reservata, est tamen aliunde reservata: etenim alienantes bona Ecclesiæ sine debita forma, & ea recipientes, secundum multos doctores, incurrunt in pœnas latas contra usurpantes, seu occupantes bona Ecclesiarum, vel impedientes ea percipi ab iis, ad quos pertinent; & dicunt, procedere etiam contra arbores incidentes, & repudiantes legata, & hæreditates Ecclesiæ delatas, ut dixi *verb. Usurpatio cap. 1.* ex Trident. Concil. *sess. 22. cap. 11. de refor.* inter quas pœnas est excommunicatio Papæ reservata.

II. Nota, quod Doctores dicunt, hanc extravagantem, saltem quoad pœnas, non esse ubique receptam: ideo valde spectandus erit usus, seu consuetudo regionum, *Bonac. tract. de alien. punct. 5. num. 4. Barbos. allegat. 50. n. 173.* In dubio autem præsumitur usu recepta, ut negans receptam, probare teneatur, *Rota recent. part. 1. decis. 30. in fin. cum ibi allegat.* & ubi recepta est, requiritur quoad pœnas, ut scienter fiat transgressio, ob particulam *præsumpserit*, ita *Barbosa in dicta extrav. n. 23. cum Navarro, Quaranta, & aliis*; unde excusat etiam ignorantia crassa, & supina; non tamen affectata, vel crassissima, ut *Sanch. de matrim. lib. 9. dis. 32. n. 38. Bonacin. de cens. particular. dis. 2. quæst. 4. pun. 11. n. 13. Navarr. cons. 19. n. 3. de reb. Eccles. non alien. Filiuc. tract. 44. cap. 6. n. 5.* Et quod verbum *præsumere* importet dolum, & contemptum, *Cardin. in Clem. 1. quæst. 39. de privileg. Cavaler. decis. 1. n. 2.* Unde cum dolus non præsumatur, debet per allegantem probari clare, & specifice, & concludenter, *Seraph. dec. 639. in fin. Mantic. dec. 232. n. 2. & 3. Buratt. decis. 182. n. 23. & decis. 482. n. 14.* Et quælibet causa, etiam injusta, excusat a dolo, *Clar. §. fin. quæst. 60. vers. Et generaliter, Buratt. dict. decis. 182. n. 25.* ideo officialem excusare in dubio poterit præceptum Episcopi, seu Prælati, *cap. Quod quis 24. de reg. jur. in 6. Clarus quæst. 60. vers. Solet dubitari*.

III. Nota, quod ab hac extravagante excipiuntur casus a jure permissi, in quibus scilicet sine alia solemnitate, ex sola Prælati authoritate, potest fieri alienatio.

Et quidem primus casus est, quando est res modici valoris, & alienatio est in evidentem Ecclesiæ utilitatem, & res non est Ecclesiæ necessaria, ex *cap. Terrulas 12. quæst. 2. Genuen. in praxi c. 60. n. 3. Quaranta verbo Alienatio n. 41. Redoan. de alien. rer. Eccles. rub. 21. n. 10.* Intelligitur autem modici valoris, si non valet ultra 20. solidos, *gloss. in dict. cap. Terrulas, Archidiac. in cap. Si quos, 12. quæst. 2. Alciat. cons. 23. n. 6.* idest, si non excedat 25. scuta monetæ Romanæ, ut declaravit Sacra Congregatio. Alii tamen dicunt, declaratum a Sacra Congregatione modicum dici, si non excedat valorem 25. scutorum aureorum, ita *Nald. in summa verb. Prælatus n. 7. Gavant. man. Episc. verb. Alien. n. 24. Lezana quæst. regul. verb. Alien. n. 7. imo Leon. Thesaur. fori Eccl. pa. 4. cap. 1. n. 73.* dicit esse modicum, si non excedat 25. ducatos auri de Camera. Alii dicunt de stylo curiæ modicum intelligi, quod non excedit valorem 20. ducatorum, *Nald. & Lezana ibidem*. Alii denique dicunt, arbitrio Judicis, seu viri prudentis definiendum pro opulentia, vel paupertate Ecclesiæ: & hanc veriorem ait *Lezana ibi, cum Filiucc. Quaran. Peirino, & Barbosa* & tenet *Genuen. loco cit. cum plurib. DD. & facit text. in leg. Sed & si susceperit 52. §. 1. vers. Sed & si proponas ff. de judic. ubi gloss. verb. Modica*, ponit exemplum de donatione facta a Comitissa Mathilda Eccles. Romanæ, territorii milliarium 30. & tamen dixit, se aliquantulum terræ concedere illi Ecclesiæ, *& Bar. ibi n. 4.* ait, quod si Rex donaret duo millia florenorum, modicum diceretur. E contra tenuis vitæ homo porcellum tanquam oculum suum æstimat, ut ait *Gl. in leg. Illicitas §. Ne potentiores, verb. Lumine ff. de offic. præs. & ita etiam tenet Rodoan. de alien. rerum Eccl. rub. 31. §. Nec virum n. 10.*

Adverte, tamen quod res modici valoris non potest alienari etiam cum authoritate Prælati, nisi quando res non est Ecclesiæ necessaria, nec utilis, scilicet ut utile negotium geratur Ecclesiæ alienando, *Quaranta ver. Alien. n. 41. cum aliis DD.* Item intellige *cap. Terrullas*, dummodo res modici valoris plures simul non alienentur, seu tali vicinitate astuum, vel unitate intentionis, seu occasionis, ut moraliter censeatur una res, seu una alienatio.

☞ *A Card. Petra in comment. ad Constit. 5. Pauli II. tit. 19. n. 65. ex decretis Cong. Conc. solide reprobatur abusus, & dolus, quo res magni valoris per plures alienationes modicas diversis vicibus concedi posse ab Episcopis aliqui dictitarunt; cum id fieret in fraudem legis. Insuper in dictis decretis declaratur, quod ultra summam, de qua supra, nec suffragetur contraria consuetudo.*

Nota, quod ex decreto ejusdem Congreg. *17. Nov. 1703. relat. a dicto Petra loco cit. n. 70. hac facultas competit etiam Abbatibus, vere* Nullius, *non vero aliis superioribus regularibus, etiam majoribus ex decreto* Cong. *Episcopor. in Tropien. Alienat. 11. Jan. 1692. relato a Monacello in formul. for. eccles. tit. 5. formul. 15. n. 28. Quin in hujusmodi rerum exiguarum alienatione indigent licentia, & decreto Ordinarii,*

narii ; ut firmat etiam Bened. XIV. Instit. Ecclef. 69. ☜

Secundus cafus, quando alienatio eſt neceſſaria, jure exigente, ut cum legata ſunt bona fructifera Religioni, quæ non poteſt recipere bona in communi fructifera, (ut ſi Fratribus Minoribus de obſervantia, vel domui profeſſæ Societatis Jeſu, *Clem. exivi*, §. *Proinde de verb. Signifi.* Trident. *ſeſſ. 25. cap. 3. de regul.*) *Sanc. in decal. lib. 7. cap. 26. n. 30. Barbof. alleg. 95. n. 59. Rot. dec. 477. n. 7. part. 2. poſth. Farin.* Item quotieſcunque manifeſte conſtat, rem quam Eccleſia detinet, ad alterum de jure pertinere: eo caſu licitum eſt eam conſtituere, vel tranſigere, aſſenſu apoſtolico non requiſito, *Fuſar. de ſubſtit. quæſt. 708. n. 7.*

Tertius caſus, quando alienatio eſt neceſſaria ex præcepto teſtatoris, ut ob fideicommiſſum, per *leg. 3. Cod. quando decr. op. non eſt*, *Barbof. n. 61.* non autem ſi teſtator conceſſit Prælato, ſeu rectori liberam facultatem alienandi talia bona legata loco eccleſiaſtico: aliud eſt enim præcipere alienari, aliud concedere facultatem, quod non inducit neceſſitatem, *leg. Sæpe audivi ff. de offic. præf.* Sed de hoc dicam *infra notab. 4.*

Quartus caſus, quando alienatio eſt neceſſaria ex lege contractus, ut propter pactum de retrovendendo in eodem contractu incontinenti appoſitum, quando Eccleſiæ res fuit acquiſita, *Tiraquel. de retract. conv. §. 7. in fin. tit. n. 2. & 10. cum ibi allegat.*

Quintus caſus eſt unionis alicujus ab Epiſcopo facienda beneficiorum etiam loco Religioſorum, *Clem. Si una, de rebus Eccleſ. non alien. Garzia part. 12. cap. 2. de unione, n. 77. Sanch. in decal. lib. 7. cap. 29. a n. 147. Barbof. de pot. Epiſc. alleg. 66. n. 21.* Sed hoc jus hodie eſt ſublatum quo ad parochialium unionem, *Sanchez n.* 184. ex Trid. *ſeſſ. 24. c. 13. de refor.* Item poteſt Epiſcopus unire beneficium ſæculare pro dotatione ſufficienti beneficii curati ſæcularis, ut Trid. *ſeſſ. 21. cap. 5. de ref. & dict. c. 13.* & ita *Rot. recent. part. 2. deciſ. 196. n. 3.*

Sextus eſt in re ſolita locari, ſeu in emphyteuſim dari, ut patet ex *text. extrav. & Rota part. 2. noviſſ. deciſ. 407. n. 8.* ubi ait, quod reſervatio beneplaciti apoſtolici, quatenus opus ſit, nihil tunc operatur.

Alios etiam caſus vide apud *Barbof. dict. alleg. 95. & Quarantam, Bonac. Caſtrumpalaum, & alios ſupra cit.*

IV. Nota, quod conditio appoſita a teſtatore, ut bona ab ipſo relicta Eccleſiæ, alienari poſſint abſque juris ſolemnitate, habetur pro non adjecta per *leg. Conditiones contra ff. de cond. inſt. DD.* quos allegat, & ſequitur *Bonac. tract. de alien. pun. 4. n. 11.*

V. Nota, quod hic alienationis nomen late accipitur pro omni actu, quo dominium transferri poteſt, ſive immediate, ſive mediate, ideſt conſequenter: de qua re vide *Redoan. rub. 1. de reb. eccl. non al. & Fuſar. de ſubſtit. a quæſt. 694. cum ſeqq.*

VI. Nota, quod contractus ſine beneplacito apoſtolico celebratus, ut ſupra, claudicat in favorem Eccleſiæ, quia poteſt cogere adverſarium, ut ſtet contractui, adhibendo ſolemnitates omiſſas, ut obtinendo beneplacitum apoſtolicum, etiam adverſario invito; at emptor ipſe non poteſt hoc facere, invita Eccleſia: ita *Redoan. de alien. rer. eccleſ. tit. De his, qui conſen. rub. 25. §. Item ſolum n. 6.* ubi ait communem ſententiam.

VII. Nota, quod multi DD. dicunt, non eſſe prohibitum beneficiato conſtituere procuratorem in rem propriam ad percipiendos fructus beneficii ad vitam conſtituentis, *Caſtropalao tom. 2. tract. 12. diſ. un. pun. 14. n. 12.* Sed contrarium alii tenent, præſertim *Rota recent. part. 1. dec. 129. n. 4.* Illud eſt certum, quod nihilominus poterit iſte beneficium reſignare, *Rota ibi n. 2. & ſeqq.*

☞ *Attendenda eſt hic Conſtit. Bened. XIV.* Univerſalis Eccleſiæ 29. *Aug.* 1741. *in qua prohibentur Clerici quicunque*, ibi: Sub nomine alienandi utilitatem, & commodum percipiendi fructus, vel alio quovis titulo, prætextu, & colore vendere, ac diſtrahere ſuorum reſpective beneficiorum redditus, & proventus, vel ad vitam, vel in longum tempus, recepta ab emptore per unam, vel plures ſolutiones pecuniarum quantitate, quam ipſi beneficiati per ejuſdem temporis, vel vitæ ſpatium probabiliter conſequi potuiſſent, ſub pœna excommunicationis, & nullitatis actus, ſeu contractus, & omnium inde conſecutorum, aliiſque pœnis inflictis, præſcriptis, & ſtatutis contra alienantes bona Eccleſiæ. ☜

CAPUT II.

Alienationi bonorum eccleſiaſticorum in detrimentum Eccleſiæ auctoritatem præſtantes delegati Apoſtolici, & alii procurantes talem alienationem.

DElegati Epiſcopis inferiores excommunicationem incurrunt, ſi ſic auctoritatem præſtiterint cum damno Eccleſiæ: ſi autem ſint Epiſcopi, aut iis majores, incurrunt ſuſpenſionem per annum ab executione officii. Quod, ſi ea ſuſpenſione durante, ingerant ſe divinis, ideſt celebrent, incurrunt irregularitatem, ex Bulla Pauli II. quæ eſt ſecunda in ordine, incip. *Cum in omnibus*, 5. *Idus Maji* 1465.

Procurantes autem alienationem in detrimentum Eccleſiæ dolo, aut fraude, aut ſcienter, aut extorquentes per ſordes, ideſt per mercedem, aut per impreſſionem, id eſt per coactionem, aut preces importunas, decretum alienationis a delegatis prædictis, incurrunt excommunicationem Papæ reſervatam, ex eadem Bulla.

Inſuper delegati prædicti ad æſtimationem detrimenti Eccleſiæ illati ſunt condemnandi; procurantes autem, & extorquentes, ut ſupra, ad reſtitutionem rerum Eccleſiæ cum fructibus condemnandi, ut in dicta Bulla Pauli II. cujus explicationem vide apud *Bonac. tract. de alien. punct. 6. & 7. Filiucc. tract. 15. n. 172.*

Adverte, quod etiam ante condemnationem præfati omnes tenentur Eccleſiæ reſtituere modo prædicto ex juſtitia commutativa, ut dixi *cap. præced.*

Sed quæres, an delegatus decretum interponens nulliter, ob non ſervatam formam mandati delegatorii, ſcilicet ſine cauſæ cognitione, aut non conſtito de evidenti Eccleſiæ utilitate (cum a cenſura abſolutus fuerit) poſſit vigore ejuſdem brevis commiſſorii reformare decretum ſuum, ita ut non cenſeatur officio functus, nec juriſdictio ipſius expiraſſe. Reſpondeo, quod ſi ejus decretum jam habuit executionem, re videlicet jam tradita emptori, cenſetur officio ſuo functus, nec poteſt decretum reformare, *Rota recent. par. 2. dec. 631. n. 8. & ſeqq. per regulam leg. Si ut proponis, Cod. quomodo, & quan. judex, Bar. in leg. Si expreſſim, n. 14. ff. de appell.* Si autem nondum ſit ventum ad executionem decreti, verius puto, poſſe decretum, ſeu ſententiam reformare, quandoquidem ſecundum communem ſententiam Doctorum juriſdictio delegati non expirat, nec dicitur functus officio, ſi ejus ſententia fuit nulla ob non ſervatam formam commiſſionis, ut de communi teſtatur *Felin. in cap. Qualiter, & quando il 1. de accuſat. plurimos congerunt Vantius de nullit. tit. Coram quo nullitas prop. poſſ. Tiraquell. in leg. Boves limit. 1. n. 52.* quamvis *Rota* contrarium etiam in hoc caſu ſentire videatur *deciſ. cit.*

Item quæres, an ſi breve Apoſtolicum impetratum ſit tanquam ſuper alienatione facienda, quæ jam facta erat, ipſa nempe re jam tradita emptori, ſeu conductori, dicendum ſit ſubreptitium, & nullius momenti. Reſpondeo affirmative, ut per *Bald. in leg. Nec damnoſa n. 1. Cod. de prec. Imp. offer. Rota par. 1. noviſſ. deciſ.* 435. *num.* 1.

Denique advertendum, quod licet in Bulla ſupradicta Pauli II. §. 4. præceptum ſit, ut in omnibus litteris commiſſionis ſuper hujuſmodi alienationis cauſa inſeratur iſta conſtitutio pœnalis; hujus tamen inſertionis omiſſio non irritabit decretum, neque alienationem, quia non adeſt ibi clauſula irritans, *Rota recent. part. 1. deciſ. 34. num. 2.*

Ubi etiam *n. 3. Rota* ait, quod commiſſarius iſte non tenetur in hujus cauſæ cognitione judicialiter procedere, ſed poteſt etiam extrajudicialiter ſe informare de cauſa alienandi, ſcilicet de evidenti utilitate, ſeu neceſſitate, per teſtes etiam non juratos.

Verumtamen propter clauſulam ſolitam inſeri, vocatis vocandis, non ſufficit edicti affixio, cum citatione generali, ſi adſit aliquis legitimus contradictor, de cujus ſcilicet certe intereſſe agitur, ſed debet perſonaliter citari, v. g. Epiſcopus, ſeu procurator menſæ, ſi res ad menſam pertineat; neque ſufficit, quod Papæ fuerit porrecta ſupplicatio nomine Epiſcopi, niſi conſtet de mandato ſpeciali illius, *Rota par. 1. recent. deciſ. 624.*

CA-

CAPUT III.

Alienatianem locorum jurisdictionalium Ecclesiæ Romanæ procurantes.

EX Bulla Pii V. 35. *Admonet nos*, prohibetur omnis alienatio, infeudatio, concessio, etiam gubernationis titulo, etiam ad vitam, vel longum tempus, vel ad beneplacitum, jurisdictionalium locorum jurisdictionis temporalis Ecclesiæ Romanæ, etiam in casibus a jure permissis, etiam personis Papæ consanguineis, cum clausula irritante.

Deinde prohibetur, ne ulla persona, aut communitas publice, aut privatim tractet, consulat, aut verba faciat de faciendis alienationibus supradictis, aut proponat de mittendis, aut eligendis oratoribus ad Papam super his; aut hæc Pontifici insinuet, aut suadeat, aut postulet aliquem, ut ei talis titulus conferatur, aut permittat, se eligi in oratorem pro tali negotio, aut tale munus suscipiat.

Contravenientes incurrunt ipso facto ex dicta Bulla, primo excommunicationem Papæ reservatam. Secundo crimen rebellionis, & proditionis locorum illorum. Tertio confiscationem omnium bonorum, quæ ipso facto Cameræ devoluta censentur. Quarto privationem omnium beneficiorum ecclesiasticorum. Quinto inhabilitatem ad beneficia ecclesiastica. Sexto infamiam juris perpetuam, etiam post restitutionem adversus præfatam sententiam.

Prætetea idem Pius V. *ibid.* hanc Constitutionem præcepit jurari a Cardinalibus in assumptione Pilei; & statuit, ut contrafacientes pœnam perjurii, & perpetuæ infamiæ incurrant, ut ibi habetur. Explicant hanc Bullam *Pet. Leonius Thesau. fori ecclesiast. par. 1. cap. 15. n. 13. ad 24. Filiucc. tract. 44. cap. 6. n. 7. Bonac. tract. de alienat. punct. ult.*

Hæc Constitutio fuit firmata ab Urb. VIII. Bulla *Sacrosancti*, anno 1623. prid. Kal. Octob.

CAPUT IV.

Alienantes loca jurisdictionalia Ecclesiarum, & piorum locorum.

EX Bulla 51. S. D. N. Urbani VIII. *Humanæ salutis*, anno 1623. Kal. Novembris, prohibetur omnis alienatio, emphyteusis, infeudatio, locatio ultra triennium, jurisdictionum laicalium, seu locorum jurisdictionalium ad Ecclesias, vel pia loca, etiam laicalia spectantium, per universam Italiam tantum, etiamsi essent solita concedi in feudum, vel emphyteusim, vel nondum incorporata, vel a laicis usurpata, vel nondum devoluta.

Item prohibetur remissio caducitatis, & non obstante privilegio quocunque Romani Pontificis, aut consuetudine etiam immemorabili, aut jure communi scripto, & aliis derogatoriis clausulis.

Contravenire audentes, vel præsumentes dictæ prohibitioni, incurrunt ex eadem Bulla, primo excommunicationem, si non sint Episcopi, vel Abbates, sed non est reservata. Secundo Episcopi, vel Abbates incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ, sed non est reservatum. Tertio, si dicti Episcopi, vel Abbates sex mensibus insorduerint in interdicto hujusmodi, incurrunt suspensionem ab administratione Ecclesiarum, seu monasteriorum in temporalibus, & spiritualibus, sed non est reservata. Quarto capitula, conventus, & aliæ universitates incurrunt interdictum. Quinto, singulares personæ etiam dictarum universitatum, & alii etiam Prælati, qui Episcopi, vel Abbates non sunt, incurrunt privationem omnium officiorum, & beneficiorum, quorum bona alienarint, & privationem vocis activæ, & passivæ, & pœnam inhabilitatis ad prædicta, & alia obtinenda.

Nota, quod hæc Constitutio nullas infert pœnas recipientibus alienata.

Nota secundo, quod ait, per Italiam universam, ut contineat etiam insulas adjacentes, quæ modico freto separantur, idest 100. milliaribus, *leg. Notionem ff. de verb. signific. Bart. tract. de insula, verbo Nullius n. 1.* quia istæ sunt pars Italiæ, *leg. Insula ff. de Judic. ibi Bart. & Angel. & DD. communiter, & Arist. tract. de mundo cap. 2. Castrens. in dict. leg. Insula n. 1. Cepoll. de servit. tit. de mari n. 16. Petr. Belluga in speculo rub. 30. n. 1.* Alii tamen hoc nomine Italiæ universæ dicunt, non contineri Insulas adjacentes, & probabile ait *Diana resolut. 30. miscell. 3. tom. 1. resolut. 13. tract. 2. tom. 2.*

CAPUT V.

Alienatio bonorum ecclesiasticorum Regularibus interdicta.

EX *Clem. 1. de reb. Eccl. non alien.* Regulares administrationem habentes bonorum religionis, si alienent jura, redditus, aut possessiones ad vitam recipientis, aut ad aliud certum tempus, nisi ob necessitatem, aut utilitatem monasterii, seu religionis, cum consensu capituli, aut (si capitulum non habent) cum consensu sui Prælati, incurrunt suspensionem ab officio, & alienatio est nulla. Hæc suspensio non est reservata, *Imol. ibi n. 13. & Anch. n. 11.*

Declara primo, quod hæc suspensio ab officio est intelligenda ab officio ordinis, & jurisdictionis, & administrationis, *Suar. de censur. disput. 26. sect. 1. n. 4. disput. 31. sect. 6. n. 8.* non tamen est suspensio a beneficio, *Anchar. in dict. Clemen. n. 10. Hostien. in cap. Cum æterni de re judicat. in 6. Sayr. de cens. lib. 4. cap. 5. n. 16.*

Declara secundo, quod hæc supensio non censetur sublata per extrav. *Ambitiosa*, ubi aliæ pœnæ statutæ sunt; quia hæc Clement. loquitur in casu particulari, & genus non derogat speciei; & lex generaliter loquens posterior non derogat legi antiquæ loquenti in casu particulari, *Fulgos. cons. 215. & 135. Angel. cons. 60. Alexand. cons. 107. lib. 3. Bart. cons. 100. n. 7. lib. 1. Jan. de Imola cons. 140. n. 3.* & ita in terminis tenet *Rodric. qq. reg. 27. articul. 13. tom. 1.* & ita supponit *Suar. de censur. disput. 31. sect. 6. n. 8. Coninch. disp. 15. n. 53. Filiucc. tract. 17. n. 167.* Verum multo magis procedit in locis, & personis, quibus non militat extrav. *Ambitiosæ*.

Declara tertio, quod ad certum tempus, non continet modicum tempus, idest, ad triennium, *Suarez de censur. disp. 31. sect. 6. n. 8. Filiucc. tract. 14. n. 116.*

Alienatio autem, locatio fructuum, vel mandatum, seu constitutio procuratoris in rem suam ad precipiendos fructus ad vitam constituentis, vel procuratoris de bonis ecclesiasticis, est jure prohibita, quia æstimatur ut perpetua, *Rota part. 1. rec. decis. 129. n. 3. cum Sac. Congr. declaratione, & Rebuff.* Sed est distinguendum cum Castropalao, *tom. 2. tract. 12. punct. 14. disp. unic.* quod non potest Rector Ecclesiæ alienare ad vitam, vel ultra triennium, fructus qui pertinent ad Ecclesiam, seu conventum, quorum ipse solum est administrator: secus quoad fructus, quorum habet ipse dominium, quia potest locare non dico fundum, sed fructuum perceptionem solam: ita tenent magis communiter DD. quos allegat Castropal. ibid. *Garz. part. 2. cap. 1. n. 29. & seq. quamvis Garzias* contrarium teneat, *n. 32.* cum aliis multis: sed *n. 35.* ostendit, utramque opinionem esse probabilem, & practicabilem, & cum dicta opinio Castropal. sit distinguens, multo magis sequi eam quis poterit: præsertim id fieri potest, quando aliter Ecclesia non posset possessionem fundi recuperare, *per cap. 2. in fin. de feud. & per dict. Clemen. 1.*

☞ *Circa beneficiatos vendentes fructus suorum beneficiorum ad vitam, vide Additionem supra post cap. 1. hoc eod. verbo* Alienatio. ☜

CAPUT VI.

Alienatio a Regularibus de bonis ecclesiasticis facta prætextu privilegiorum sine licentia Sacræ Congregationis Concilii.

QUia multæ Religiones habebant privilegium alienandi sine beneplacito apostolico, cum derogatione ad *extrav. Ambitiosa de reb. Eccles. non alienat* & ad *Clemen. 1. eo titulo*, ut *Molina tom. 2. disput. 468. Roderic. quæst. regul. 27. n. 3. tom. 1. Suar. tom. 4. de relig. lib. 2. cap. 28. n. 13.* & sæpe abutebantur hoc privilegio; ideo Sac. Congr. Concilii Tridentini, jussu S. D. N. Urb. VIII. promulgavit decretum *anno 1624. die 7. Septemb.* prohibendo omnibus Regularibus, etiam Militiarum, intra fines Europæ tali privilegio utentibus, ne deinceps res immobiles, vel mobiles pretiosas alienent, aut super eis pactum faciant, quo dominium earum transferatur, nec census vitalitios, aut perpetuos, aut hypothecam, aut locationem ultra triennium in eis constituant,

tuant, neque in emphyteusim, vel feudum concedant, extra casus a jure permissos, nisi cum licentia ejusdem Sacræ Congregationis expressa in scriptis, gratis concedenda, non obstantibus quibuscunque privilegiis, Constitutionibus Apostolicis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, quibus omnibus derogavit.

Alias si faciant, contractus sunt nulli, ipsique Religiosi incurrunt, Primo pœnam privationis omnium officiorum. Secundo privationis vocis activæ, & passivæ. Tertio perpetuam inhabilitatem ad ea in posterum obtinenda: & statuit, ut a dictis pœnis nullus absolvere, seu dispensare possit, neque Generalis, neque Protector, sed solus Papa, vel eadem Sacra Congregatio. Quarto incurrunt ipso facto dantes, & recipientes excommunicationem, & Episcopi, vel Abbates incurrunt interdictum, vel etiam suspensionem, ut in extrav. *Ambitiosæ* (de quibus supra dictum est *cap.* 1.) ita in eodem decreto habetur.

Eadem Sacra Congregatio *anno* 1626. *die* 21. *Maji*, jussu ejusdem D. Papæ Urbani VIII. extendit præmissum decretum, & pœnas ad contractus, quibus Regulares acciperent pecunias ad cambium, vel mutuo sub lucro cessante.

Nota, quod mutuum hic accipere debemus tam formale, quam virtuale; ut si legatum sit factum monasterio mille aureorum post mortem hæredis solvendorum, si hæres velit solvere in vita cum onere solvendi hæredi, donec vixerit, quinque in centena singula in annos singulos; quia solutio anticipata est mutuum virtuale, *cap. Consuluit*, *vers. Et an negotiator*, *de usur. Ugolin. de usur. cap.* 6. *n.* 4. *Navar. cap.* 17. *n.* 206. *Tolet. lib.* 5. *cap.* 31. *n.* 2. & ita in terminis de debitore solvente anticipate cum lucro, *Ugolin. ibi vers. In solutione*, *Navarr. num.* 131. *Tolet. cap.* 31. *num.* 7.

CAPUT VII.

Alienatio juris exemptionis facta a Regularibus, vel aliis in Ordinariam.

Vide *verbo Jurisdictio*, *cap.* 19.

CAPUT VIII.

Alienantes dominium directum, subjiciendo laicis bona ecclesiastica.

Vide *verbo Usurpatio cap.* 2.

CAPUT IX.

Alienationis pericula bona sua Ecclesiæ, sea beneficii subjiciens, illam onerando ære alieno.

Vide *verbo Obligans cap.* 1.

CAPUT X.

Alienantes, vel obligantes bona Communitatum, vel Universitatum Status temporalis Ecclesiæ Romanæ.

I. EX Bulla Sixti V. 42. *Inter varias*, §. 5. & *Bulla* 10. *Clemen. VIII. Pro commissa* §. 12. & 21. prohibitum est communitatibus, universitatibus, & populis quorumcunque locorum status temporalis Ecclesiæ Romanæ, & eorum singulis, alienare bona earundem communitatum, seu universitatum, hypothecare, census super eis imponere, aut aliter obligare (excepta locatione ad modicum tempus solutionibus non anticipatis) aut se pro aliis aliquo modo obligare, seu ære alieno obstringere; nisi prædicta fiant cum licentia Sedis, seu Cameræ Apostolicæ: alias si fiant, omnis alienatio, & obligatio est ipso jure nulla, etiamsi facta fuerit ex causa necessaria, ac etiam si constiterit de versione in utilitatem communitatum, seu universitatum ipsarum. Item transgressores, qui positive, non solo consensu, cooperati ad id fuerint, incurrunt ipso facto pœnam inhabilitatis ad omnia officia, & gradus, infamiæ quoque, & obligationis solvendi duplum ejus damni communi massæ. Qui vero inter eos cæteris superiores fuerint, nisi impedire procuraverint, incurrunt eo ipso etiam pœnam privationis officiorum, graduum, &c. alii autem, qui solum ad prædicta consensum præstiterint, pœnam simpli persolvent; sed hæc non est latæ sententiæ.

Nota I. quod ad alienationem bonorum universitatum laicalium, etiamsi sint universitates piæ, seu in ordine ad pias causas (non tamen Episcopi auctoritate fundatę, seu erectæ) non requiritur solemnitas requisita in alienatione bonorum ecclesiasticorum; idcirco neque alienantes sine licentia Papæ in casu, de quo agimus, incurrent in pœnas *extrav. Ambitiosæ*, de quibus dixi supra *cap.* 1. ita *Guttier. can. quæst. lib.* 1. *cap.* 35. *n.* 9. *Gabr. comm. concl. tit. de pia causa*, *concl.* 1. *n.* 1. *Barbosa alleg.* 75. *n.* 24. & 32. *cum aliis DD.* & est communis sententia. Esset autem irrita alienatio bonorum stabilium universitatis, si non essent descripta nomina, & cognomina omnium congregatorum ad alienationis actum, *Bart. in leg.* 1. *ff. de alb. scriben. Decius in cap. Cum omnes n.* 12. *de const. Rota apud Buratt. decis.* 690. *in annot. lit. A.* quia hic est actus valde ponderosus.

Nota II. quod licet alienationes, & obligationes contra prædictas constitutiones factæ a communitate, seu universitate sint nullæ; tamen fidejussores, qui pro communitate, seu universitate se obligassent in solidum, tanquam principales tenerentur pro utroque foro, *Rota Buratt. decis.* 853. *n.* 9. *Ludovis. decis.* 560. & 564.

Nota III. quod præfata pœna privationis officiorum non obligat ante declaratoriam sententiam, ut dixi *par.* 1. *cap.* 28. De pœna inhabilitatis, an obliget ante declaratoriam dixi *dict. cap.* 28. De pœna infamiæ dixi *cap.* 33. De pœna dupli, quod in casu nostro obliget etiam in foro conscientiæ ante declaratoriam, probatur *ead. part.* 1. *cap.* 37. propter illam particulam *obligati existant*.

Nota IV. quod alienantes bona piorum locorum, seu universitatis piæ, eaque recipientes, secundum multos DD. incurrunt pœnas omnes latas a Trident. Conc. contra usurpantes bona piorum locorum; ut dicam infra *verb. Usurpatio cap.* 1. §. *Item quod procedat*, inter quas pœnas est excommunicatio Papæ reservata.

Nota V. quod Sixtus in Bulla præfata excipit locationem ad modicum tempus; hic intellige modicum, si non excedat decennium, ut patet ex eadem Bulla: sicut olim de jure communi ante *extrav. Ambitiosæ* talis locatio ad decennium erat licita etiam administratoribus bonorum ecclesiasticorum, ut *glos. in Clem.* 1. *verb. Ad tempus modicum de reb. Eccl. non alien.* quæ est communiter approbata, ut patet *ex cumulatis a Barbosa in eadem Clem.* 1. *n.* 14.

II. Ex eadem Bulla Clem. VIII. *Pro commissa*, feruntur variæ pœnæ latæ sententiæ contra munera largientes de bonis, seu pecuniis universitatum Status Ecclesiæ Romanæ, de quibus *infra verbo Munera*, *cap.* 7.

CAPUT XI.

Alienantes bona stabilia, sive jurisdictionalia, sive allodialia in statu Sedis Apostolicæ consistentia, in forenses.

I. EX Bulla Sixti V. hæc prohibitio facta est sub pœna nullitatis contractuum, nisi præcedente licentia Sedis Apostolicæ; sed excepit Sixtus census, officia, loca montium, dotes, & districtum Urbis Romæ intra 10. milliaria.

II. Ex Bulla Clementis VIII. ampliata est prohibitio ad omnes dispositiones, tam inter vivos, quam per ultimam voluntatem, excepta tamen causa dotis: & addidit pœnam confiscationis eorum bonorum ipso facto, & notariis pœnam privationis officii.

III. Ex Bulla Pauli V. declaratum fuit, ut licentia Papæ prius debeat obtineri, & in actu celebrationis contractus apud notarium rogatum exhiberi, sub pœnis prædictis, ac etiam inhabilitatis notarii ad tale officium in posterum obtinendum.

IV. Urbanus VIII. extendit dictas prohibitiones ad census impositos super eisdem bonis, & ad alienationes ex causa dotium sub iisdem pœnis.

V. Innocentius decimus anno Jubilæi 1650. die 1. Februarii Bulla edita, confirmavit præcedentes Constitutiones, & declaravit sub dictis Constitutionibus comprehendi contractus factos cum reservatione beneplaciti Apostolici, seu quatenus non obstent Constitutiones Apostolicæ, nec aliter, nec alio modo, vel in diem, quando cessaverit personarum inhabilitas. Item contineri pactum de vendendo, vel de subrogando in jus alterius. Item contineri hypothecam super

per

per dictis bonis, seu juribus, sub iisdem pœnis etiam quoad præterita. Item declaravit, ad hunc effectum forensem reputari eum, etiam qui civilitate donatus, vel consecutus ex privilegio etiam onerofo, sed ut forensis, non censeatur requiri, ut perpetuum domicilium fixerit in statu Ecclesiæ cum summa fortunarum suarum, & de his constet ante contractum. Item, ut tenor licentiæ in ipso contractu inferatur de verbo ad verbum. Item extendit dictas Constitutiones ad loca existentia in districtu Romæ intra quatuor milliaria, & ita, ut in confinio minor pars trahat ad se majorem existentem extra, sub iisdem pœnis, & addidit pœnam confiscationis pretii ipso facto, & ampliat etiam ad contractus initos per procuratores, tutores, curatores &c.

CAPUT I.

Ambitus, & subornatio in electionibus ecclesiasticis.

AMbitus est pestis electionum: & dicitur ambitus appetitus inordinatus honoris, seu dignitatis, ut si ipse indignus sit, qui procurat, vel ob finem inhonestum, scilicet propter ipsam præeminentiam procurat, vel si quis sibi procuret dignitates per media illicita; si enim mediis licitis, non est ambitus, *S. Thomas 2. 2. quæst. 185. art. 1. Azor. tom. 2. lib. 3. cap. 28. quæst. 2. Bart. in leg. Barbarius ff. de off. prætor. Boss. in praxi crimin. tit. de Ambitiosis.* Illicita sunt, si pecunia, seu pretio suffragia coemat, vel alias dignitates procuret per emendicatos favores, ut *leg. 1. ff. ad leg. Jul. de amb. Boss. ibi in princ.* vel si requisitus, antequam electus esset, electioni de se faciendæ consensit, ut *cap. Cum post petitam, de elect. Mirand. Manual. par. 2. quæst. 23. art. 30. conclus. 1. Petr. Gregor. de elect. cap. 9. n. 6. Diana resolut. 37. miscell. 2. tom. 1.* Item sunt illiciti omnes tractatus pactionales, seu deliberativi, seu definitorii, seu practicæ in electionibus, *Imola in cap. Per inquisitionem n. 4. de elect. & ibi Abb. n. 5.* non tamen sunt illiciti tractatus consultivi, seu informationes de bonis qualitatibus, *Petr. Gregor. de instit. jur. can. lib. 1. tit. 29. cap. 5. Diana loco cit. gloss. in can. In nomine Domini, verbo Tractantes 25. dist. Abb. in cap. Bone 36. n. 12. de election,* ubi bene explicat.

Advertendum est primo, quod crimen ambitus non habet locum, quando agitur cum Principe supremo, idest non recognoscente superiorem, ut *d. leg. 1. ff. eod.* etiam si ab eo officium pecunia ematur, ut *Salic. in leg. un. Cod. eod. Boss. loc. cit. n. 3.* Neque peccat Princeps supremus officia etiam jurisdictionalia temporalia vendens ratione emolumenti annexi, dummodo sint pinguia, ita ut ferant lucrum etiam ultra congruam sustentationem officialis, seu ita, ut remaneat salva merces justa laboris; & dummodo pretium illud convertatur ad publicam utilitatem, suamve sustentationem, *S. Thom. opusc. 21. ad Ducissam Braban. quæst. 1. Navarr. cap. 25. n. 7. Azor. tom. 2. lib. 11. cap. 6. §. Negandum, Filiucc. tractat. 28. n. 137.* & plurimi DD. apud Dianam *resol. 108. trac. 5. miscell. tom. 2.* Sed si quis emat officium, v. g. notariatus talis tribunalis, deinde Princeps extrahat causas multas a tribunali, & sic minuatur lucrum officialis, itaut non possit se conservare indemnem, non poterit iste officialis propria auctoritate aliquid exigere supra taxam; quia potuit prævidere similem mutationem, & sibi debet imputare; & officiorum emptio habet frequenter hæc incommoda annexa: ita *Azor. tom. 3. lib. 8. cap. 22. in fin. Menoch. de arbitrar. casu 514. n. 12. 20. & 21.* qui secus ait de aliis casibus, quibus salarium ab initio congruum, effectum est insufficiens, ut ex caritate, si prævideri diminutio ista non potuit, & Princeps requisitus taxam non corrigit. Vide etiam de hac re *Dianam resol. 60. tract. 3. miscell. tom. 1.*

☞ *Animadvertendum tamen est, an etiam in dictis casibus locum habeat propositio 37. ab Innoc. XI. proscripta: quam vide in Additione post cap. 1. verb.* Furtum. ☜

Advertendum secundo, quod crimen ambitus dicitur, etiam procurando officia per intercessores pecunia, seu muneribus inductos, seu promissionibus, *Salic. in rub. Cod. ad leg. Jul. de amb.*

I. Damnatus de ambitu eo ipso notatur juris infamia, & consequenter est irregularis per *leg. 1. ff. eod.* Sed si reus sic damnatus alium convincat de tali crimine, testituitur adversus sententiam, & ab infamiæ pœna se eximit, ut *dict. leg. 1. ff. eod. & ibi Bar. & Boss. in dict. tit. de ambitiosis n. 7.*

II. Excommunicationem incurrit dans, vel promittens pro officio, etiam temporali, consequendo a Sede Apostolica, ut dixi *verbo Simonia cap. 15. §. Limitant multi.*

☞ *Ibi vide Additiones meas ex Constit. Alex. VII.* Inter gravissimas. ☜

CAPUT II.

Ambitus in electione ad Pontificatum per tractatum, vivente Papa.

EX *cap. Si quis Papa 79. dist.* quæ est Constitutio Symmachi in 1. Synodo Romana, statutum est, Primo, si vivente Papa, pro Romano Pontificatu quis alicui favorem præstare convincitur, loci sui honore, & communione privetur. Secundo, si quis clericus, Papa incolome, eoque inconsulto, votum accommodare, seu promittere tentaverit, aut in hac causa pravitatis, conventiculis factis, deliberare, atque decernere tentaverit, loci sui dignitate, atque communione privetur. Tertio, si quis ad Ecclesiam detulerit, seu revelaverit consilia eorum, impunitatem consequatur, & præmium. Hæ omnes pœnæ sunt ferendæ sententiæ, scilicet depositionis, & excommunicationis. Vide Canonistas *ibidem*.

Sed ex Bulla Pauli IV. *Cum secundum 17. Kal. Jan. 1558.* quæ est Constit. 16. Primo declaratur quale sit crimen secundum jura, ambire Papatum cum tractatu, vivente Pontifice; scilicet simoniæ, & læsæ majestatis in primo capite, & injustitiæ, quod inducat votum captandæ mortis. Deinde statuitur, ut omnes tam clerici, quam laici utriusque sexus, qui per se, vel per alium, Papa vivente, & inconsulto, tractabunt, vel tentabunt de electione Papæ, etiamsi Cardinales, aut Reges, aut Imperatores sint, incurrant in pœnas sequentes. Primo incurrunt excommunicationem, & maledictionem æternam, & absolutio Papæ reservatur. Secundo sunt rei læsæ majestatis in primo capite, & ipso facto privati omnibus dignitatibus, & beneficiis, & bonis, & juribus. Tertio sunt privati ipso facto voce activa, & passiva. Quarto sunt effecti inhabiles ad omnia supradicta, & ad omnes actus legitimos. Quinto incurrunt ipso facto juris infamiam. Sexto non possunt restitui, nisi expresso Papæ mandato, manu ipsius subscripto.

Denique Pontifex ibi extendit has omnes pœnas ad dantem auxilium, consilium, favorem, & ad conscios, nisi quamprimum commode potuerint, Papæ viventi revelaverint, & revelantes impunitatem consequuntur. Adde quod S. D. N. Urbanus VIII. in Brevi reformationis Sacræ Pœnitentiariæ *anno 1634. 27. Sept.* inhibuit Majori Pœnitentiario, & aliis Officialibus illius, absolvere in prædictis. Explicant prædictam Bullam *Navar. consil. 17. n. 6. Barbos. alleg. 50. n. 126. Farinac. quæst. crimin. 113. n. 53.*

Nota, quod hæc Bulla non loquitur de tractatu consultivo, sed de pactionali, per DD. allegatos supra *cap. 1.* & ita in terminis *Bonacin. de censur. particular. disp. 2. quæst. 3. pun. 1. n. 5.* non esse prohibitum tractare cum alio Cardinali de alicujus Cardinalis bonis qualitatibus, asserendo, quod talis esset dignus, & aptus Papatui.

An autem hic etiam puniatur tractatus pactionalis negativus, idest de aliquo tantum excludendo: pro parte negativa facit, quia tunc Papæ viventi nullum fit præjudicium, sed solum, si de aliquo in particulari eligendo. Nihilominus dicendum censeo, etiam hunc tractatum contineri: primo, quia hic tractatus exclusivus aliquorum est virtualiter inclusivus aliorum. Secundo, quia saltem hoc tentare de electione, est aliquid inchoativum tractatus electionis. Tertio, quia Urbanus VIII. in suo Brevi reformationis prohibuit Majori Pœnitentiario absolvere a casu isto tractatus exclusivi, vel inclusivi, ergo &c. Illud etiam certum, hoc esse etiam novo jure prohibitum, si fiat, Sede vacante, ut dicam *cap. sequenti.*

Navarrus *consil. 17. de sentent. excom.* ait, dictos tractantes de Papa eligendo, Sede non vacante, incurrere in excommunicationem, & pœnas latas *extrav. 2. de simon.* contra simoniacos in dignitatibus, officiis, & beneficiis ecclesiasticis. Sed alii contra, ut dicam *verbo Simonia.* Item ait *Navarr.* eos incurrere in excommunicationem latam in *extrav. 1. de sent. excom.* & Constitut. Gregorii XIII. *De datis, & promissis in Curia:* sed non placet, quia Collegium Cardinalium non est Sedes Apostolica, de qua loquitur utraque Constitutio; & quia hic agimus de simplici pactione absque pretio simoniaco.

CA-

CAPUT III.

Ambitus, & tractatus super electione Papæ, Sede vacante.

IN Bulla Gregorii XV. de electione Romani Pontificis, incip. *Æterni Patris, colum.* 3. §. *Cardinales præterea*, sic habetur – Cardinales præterea omnino abstineant ab omnibus pactionibus, conventionibus, promissionibus, intendimentis, condictis, fœderibus, aliisque quibuscunque obligationibus, minis, signis, contrasignis suffragiorum, seu schedularum, aut aliis, tam verbo, quam scripto, aut quomodocunque dandis, aut petendis, tam respectu inclusionis, quam exclusionis, tam unius personæ, quam plurium, aut certi generis, veluti Creaturarum, aut hujusmodi, seu de suffragio dando, vel non dando.

Quæ omnia, & singula, si de facto intervenerint, etiam juramento adjecto, nulla, & irrita, neque ad eorum observantiam quemquam teneri, aut ex transgressione notam incurrere fidei non servatæ, decernimus, &c.

Contrafacientes ex nunc excommunicationis pœna innodamus; tractatus tamen pro electione habendos vetare non intelligimus. –

Ex his nota, non esse prohibitos tractatus consultivos, sed pactionales, ut dixi *supra cap.* 1. Item hic non excommunicantur exprobrantes alicui Cardinali fidem non servatam, *Bonac. de cens. in partic. disp.* 2. *quæst.* 7. *pun.* 1. *n.* 6. §. *decimonono vetatur*. Item hinc non excommunicantur alii, verbi gratia, Oratores Principum eum Cardinalibus tractatus habentes, sed soli Cardinales.

Nota, quod hæc excommunicatio est Papæ reservata, ut neque Major Pœnitentiarius possit absolvere, ut patet ex Bulla ipsa, & notat *Bonac. n.* 8. Adde, quod pacta, etiam jurata, super electione Papæ irrita sunt, ex *cap. Ubi periculum*, §. *Cæterum de elect. in* 6.

☞ *Circa facultatem Majoris Pœnitentiarii pro absolutione ab hac censura, vide Const. Bened. XIV. in fine hujus Operis.*
Circa capitulationes, etiam juramento firmatas, in aliis electionibus, vide notata post cap. 6. *verb.* Simonia. ☜

CAPUT IV.

Ambitus procurantis donis, vel pollicitationibus favores personarum pro gratia, vel justitia a Sede Apostolica obtinenda.

Vide *verbo, Simonia, cap.* 15.

CAPUT V.

Ambitus dantium, vel promittentium de bonis Communitatum Ecclesiæ Romanæ pro gratia, vel justitia.

Vida *verbo, Munera, cap.* 7.

CAPUT VI.

Ambitus Nunciorum Apostolicorum apud Principes.

IN Bulla Pii IV. 96. *Etsi Romanum*, prohibetur Nunciis, seu Legatis Sedis Apostolicæ (non tamen a latere) ad quoscunque Principes, Reges, Imperatores mittendis, ne præsumant ambire, idest procurare favores, sive in scriptis, sive oretenus, eorum Principum sæcularium, nec per se, nec per alium, directe, vel indirecte; neque talibus favoribus sibi oblatis utantur in ordine ad obtinendas pro se, vel pro consanguineis dignitates, honores, officia ecclesiastica, vel temporalia, etiam Episcopatus, vel Cardinalatus a Sede Apostolica: & contravenientes incurrunt, primo excommunicationem, sed nulli est reservata, ut *Barbos. alleg.* 50. *n.* 134. Secundo privationem omnium dignitatum, beneficiorum, officiorum sæcularium, & regularium ipso facto. Tertio incurrunt perpetuam inhabilitatem ad talia. Quarto incurrunt infamiam juris.

Hanc Constitutionem fuse explicat *Bonacina de censur. in particul. disput.* 2. *quæst.* 6. *punct.* 3.

CAPUT VII.

Ambitus, & subornatio in electione Regularium.

IN Bulla reformationis Regularium edita a Clemente VIII. *Nullus omnino, anno* 1599. *die* 23. *Julii*, innovata ex Decreto Sacræ Congregationis Concilii de Religiosis apostatis, & ejectis, *anno* 1624. *die* 21. *Septembris*, habetur inter Constit. Urbani VIII. in Bullario, constitutione 26. ita decernitur; – Ut omnis officiorum ambitus occasio præcludatur, caveant omnes a directa, vel indirecta vocum, seu suffragiorum procuratione, tam pro se ipsis, quam pro aliis, in quibuscunque capitulis generalibus, provincialibus, & localibus.

Quicunque secus fecerit, præter alias pœnas, & censuras hactenus contra hujusmodi ambientes inflictas, in pœnam privationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant, & ad futura quæcunque inhabiles habeantur: super quo cum eis dispensari a nemine possit, nisi a Nobis, & Successoribus nostris. Porro supradictas omnes pœnas ad complices, ac simpliciter scientes, & non revelantes extendimus. –

Ex Const. Pii V. relata *a Sorbo verb. Electio in annotat. & a Roderic. quæst. regul. tom.* 2. *quæst.* 56. *art.* 1. subornantes pro se, vel pro aliis, incurrunt ipso facto excommunicationem Papæ reservatam: & confirmata fuit a Greg. XIII. ut apud eusdem legitur; & similiter subornans incurrit privationem vocis activæ, & passivæ: subornatus autem, & is, pro quo fit subornatio, incurrit eandem pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, si subornantem non detulerit, ex eadem Bulla Pii V. Gregorii XIII. sed non pœnam excommunicationis, quia in hac parte dictus Gregorius illam abstulit, ut *notat Roderic. ibid.* Sed dicta pœna privationis vocis activæ, & passivæ secundum multos Doctores non obligat in foro conscientiæ ante sententiam declaratoriam, & tenet *Roderic. ibi in fin.* Ex quibus apparet, quod electio facta per subornationem, est irrita saltem in foro externo, quia per subornationem effectus est ille ineligibilis, quia Bulla ad hanc pœnam non requirit, electionem completam esse.

Nota, quod etiam dicitur vitium subornationis, petere votum in hac electione, promittendo ei simile servitium in alia electione, *Diana resolut.* 125. *tract.* 2. *part.* 3. *cum allegatis*.

CAPUT VIII.

Ambitus procurantis præsentationem, vel provisionem beneficii.

PActum de præsentando, aut eligendo, aut conferendo alicui beneficio, si fiat antecedenter ad ipsam præsentationem, electionem, collationem, &c. nullum est: & similiter pactum de consentiendo præsentationi futuræ, vel electioni, vel collationi, est nullum; & provisio, vel præsentatio, &c. inde secuta, cassari debet, non tamen est ipso jure nulla: sola autem requisitio sine pacto non vitiat, neque reprobatur, *cap. Cum post* 46. *ibi gloss. penult. & fin. de elect. Lambertin. lib.* 2. *part.* 1. *quæst.* 9. *art.* 13. *Sanchez lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 68. *opusc.*

CAPUT IX.

Ambitus obtinentis beneficia per abusum laicæ potestatis.

Vide *infra verbo, Beneficia, cap.* 8.

CAPUT X.

Ambitus procurantis beneficium, antequam vacet, in casum vacationis.

PRovisio de beneficio antequam vacet, est nulla, *cap. final. De conceß. præbend. & cap.* 2. *eod. tit.* Videatur *Petr. Biaxius tract. director. electionum part.* 3. *cap.* 2. *Gonzalez gloß.* 11. *n.* 64. *Roderic. quæst. Regul.* 52. *art.* 13. *tom.* 2. *Barbos. in cap.* 3. *de conceß. præbend.* Et similiter omnes tractatus pactionales ante vacationem reprobantur a jure; non tamen consultivi: sed provisio facta vitalis tractatus pactionalis non est nulla ipso jure, *Innoc. in cap. Bonæ* 36. *de elect. & ibi Abbas n.* 12. dummodo non fuerit pactio simoniaca.

Am-

Amplia, quod etiam expectativæ sunt sublatæ, *Trid. sess.* 24. *cap.* 19. & neque possunt hodie eligi canonici supranumerarii ad præbendam primo vacaturam, *Garzias part.* 6. *cap.* 1. *n.* 5.

☞ *Circa pactiones in electione ad beneficia vide notata cap. 6. verb.* Simonia. ☜

CAPUT XI.

Ambitus patroni præsentantis seipsum, vel procuratoris sibi resignantis.

PAtronus non potest seipsum præsentare, nec immediate, nec mediare, idest per alium; ut vitetur ambitus, & distinctio fiat inter præsentantem, & præsentatum, *cap. Per nostras, de jurepatronatus, DD. in cap. final. de instit. Rota divers. part.* 2. *decis.* 185. *n.* 1. Potest tamen acceptare præsentationem sui ab aliis compatronis factam, *Rota ibi n.* 4. vide *Sanchez cons. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 74. & *lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 28. *ibidem*.

Similiter procurator constitutus ad resignandum, non potest sibi resignare, *Paris. lib.* 9. *quæst.* 17. *numero* 103. cum communi.

CAPUT XII.

Ambitiosum eligens.

IN *cap. Cum in cunctis* 7. §. *fin. de elect.* eligentes indignum privantur ea vice potestate eligendi, & suspensionem incurrunt ab ecclesiasticis beneficiis per triennium: Episcopi autem conferentes indigno privantur potestate conferendi talia beneficia.

Quod istæ pœnæ habeant locum etiam in casu electionis per ambitum, ait *Zabarella in cap. Per inquisitionem* 27. *de elect. oppos.* 9. *Jo. Andr. in cap. Odia restringi de regul. jur. in* 6. quia sufficit ad illas pœnas, ut eligatur criminosus tali crimine, propter quod ex jure declarandus sit indignus beneficiis: contra tamen, electores eligentes propter tales tractatus pactionales, seu ambitiosos, non esse ipso jure privatos jure eligendi: & ideo talem electionem validam esse, sed cassandam, vel talium suffragia non computanda, ait *Innoc. in cap. Bonæ, n.* 4. & 6. *de elect. Anchar. n. ult. Bianius de election. par.* 3. *cap.* 3. *n.* 2. vide *infra verb. Electio cap.* 3. *not.* 2. ubi ostendam, dictum *cap. Cum in cunctis* non procedere de omni indigno, sed de ineligibili ipso jure: de aliis autem electionem cassandam; & tunc privatos remanere electores jure eligendi pro illa vice.

☞ CAPUT I.

Quod omissum est ab Auctore
Annatas, communia, & quindennia de beneficiis ecclesiasticis Cameræ Apostolicæ debito tempore non solventes.

EX *Constit. Pauli IV.* Incumbentia 25. *Octobris* 1556. *quam in omnibus una cum Constitutionibus Pauli II. & III. ac S. Pii V. confirmavit, & innovavit Sixtus V. Constit.* Cameræ nostræ 14. *Maji* 1586. *incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, & non absolvendi, nisi prævia satisfactione: ac insuper privationem ipso facto dictorum beneficiorum. Videnda est etiam Constitutio Innoc. VIII.* Apostolicæ 17. *Feb.* 1484.

De quantitate, & justitia annatarum, vide Fagnanum ad cap. Præterea 1. *tom.* 5. *tit.* Ne Prælati vices suas, vel Ecclesias sub annuo censu concedant.

Quæ autem beneficia ab illarum solutione eximantur, vide Additionem meam ad Institut. Canonic. Remig. Maschat to. 1. *Elencho VI. n.* 73. *pag.* 472.

☞ CAPUT I.

Animalium direptio, & abductio in statu ecclesiastico perpetrata, eorumque receptio, emptio, & commutatio.

EX *Constit. Greg. XIII.* Non sine gravi 7. *Decemb.* 1584. *animalia, jumenta, aliasque res, & bona cujuscumque generis, & speciei in statu ecclesiastico Affidatis Cameræ Apostolicæ Dohanerio, Dohanæ Patrimonii, ac aliis pecudiariis, & aratoribus tam diripientes, abducentes, & furto subtrahentes, quam eadem ementes, permutantes, seu ab hujusmodi latronibus quovis modo recipientes, & cum eisdem contrahentes, seu quovis titulo, colore, causa, vel prætextu penes se habentes, & retinentes cujuscunque gradus, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, tam laici, quam clerici, & presbyteri, etiam regulares, & seculares, in quovis loco status ecclesiastici, & universæ Italiæ commorantes, incurrunt ipso facto excommunicationem Papæ reservatam: neque absolvendi in mortis articulo, nisi facta prædictis omnibus dominis, aut mandata restitutione, vel satisfactione earumdem rerum.* ☜

CAPUT I.

Annonam onerantes.

HOc crimen est publicum, seu judicium publicum, *leg.* 1. *ff. de publ. jud.* ideo damnatur *leg. Julia de Annona*, scilicet onerata, vel monopolio, vel prohibendo deferri, est ipso jure infamis, ut *leg. Infamem ff. de publ. jud.* & consequenter est irregularis.

CAPUT II.

Annonam ad urbem Romam deferri impedientes.

I. EX Bulla Clementis VII. *anno* 1523. edita, & est quinta in Bullario, incipit, *Ad sacram*, de qua *Marius Alterius dis.* 9. *lib.* 5. *cap.* 5. *in princ. Bonac. de censur. in partic. dis.* 1. *quæst.* 9. *punct.* 1. *n.* 12. fertur sententia excommunicationis contra omnes Barones, & alios particulares, & sententia suspensionis a divinis contra Prælatos impedientes intra 50. milliaria Urbi proxima, ne subditi frumenta, & blada afferant ad Urbem; & absolutio est Papæ reservata.

II. Ex Constit. Gregor. XIII. quæ est 50. incip. *Inter multiplices*, fertur pœna excommunicationis contra prohibere, vel impedire audentes, seu præsumentes per se, vel per alium directe vel indirecte, quominus triticum, hordeum, frumenta, legumina, & fruges de quibuscunque locis Papæ subjectis ad Urbem Romam deferantur, etiamsi sub prætextu molituræ, aut alterius oneris: & continet etiam Barones, Duces, & alios Dominos temporales, & Episcopos, & Cardinales. Agit de hac Constit. *Marius Alterius loco cit. Bonac. loc. cit.*

Nota, quod hæc excommunicatio non est Papæ reservata.

Nota secundo, quod hæ censuræ procedunt contra impedientes deferri ad Urbem Romam, non ad Curiam Romanam: ideo procedunt etiamsi Papa, ejusque Curia non manerent Romæ, ut *Bonac. loc. cit. n.* 12. *in fin. cum Mario Alterio*.

Item ex eadem Bulla Greg. XIII. contra eosdem fertur pœna læsæ majestatis, confiscationis bonorum, & feudorum, & suspensionis privilegiorum ipso facto incurrenda, quatenus mandat, contravenientes declarari incurrisse omnes censuras, & pœnas supradictas.

CAPUT III.

Annonam ad Romanam Curiam prohibentes deferri.

EX *cap.* 8. *Bulla in Cœna Domini* fertur excommunicatio Papæ reservata contra omnes impedientes, invadentesve eos, qui victualia, seu alia ad usum Romanæ Curiæ necessaria adducunt; ac etiam eos, qui, ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, vel perturbant, vel hæc facientes defendunt per se, vel per alios, etiamsi Episcopi, vel Reges fuerint.

Nota I. quod hæc excommunicatio procedit in favorem non Urbis Romæ, sed Curiæ Romanæ, idest loci, ubi Papa residet cum audientia causarum Sedis Apostolicæ, *Sayr. lib. 3. cap. 12. n. 3. Cardin. in Clem. Auditor. de rescr. Bonif. in Clem. Ne Romani §. Sane n. 18. de elect.*

Nota II. quod hæc pœna procedit etiam contra non subditos temporaliter Ecclesiæ Romanæ.

CAPUT IV.

Annonam extrahentes de statu ecclesiastico.

I. CLemens VII. Constit. 5. *Ad sacram* habentibus loca jurisdictionalia infra quinquaginta milliaria ab Urbe Roma præcepit, ne præsumant, vel audeant frumenta, & blada ad alia loca, quam ad Urbem eandem deferre citra licentiam specialem Papæ, vel Cameræ; aut ad id auxilium, consilium, vel favorem præstare attentent; alias contrafacientes Barones, & singulares personæ communitatum incurrant excommunicationem Papæ reservatam, & ad absolutionem impetrandam requiratur mentio specialis: Prælati autem incurrant suspensionem a divinis. De hac Bulla vide *Marium Alter. dis. 9. lib. 5. cap. 5. tom. 1. de censur. Barbos. alleg. 50. n. 146.*

II. Gregor. XIII. Constitutione 50. incip. *Volentes*, prohibuit omnibus universitatibus, & singularibus personis status ecclesiastici, subditis Papæ in temporalibus mediate, vel immediate, tam laicis, quam ecclesiasticis, etiam Episcopis, & Cardinalibus, ne audeant, vel præsumant extrahere, aut extrahi facere de statu ecclesiastico frumenta, blada, legumina, & animalia quæcunque, vel emere supra usum familiæ, sub pœna excommunicationis, & aliis pœnis temporalibus, & interdicti ferendi: sed hæc excommunicatio non est reservata: unde apparet, sublatam fuisse pœnam suspensionis, & commutatam in pœnam excommunicationis. Notat autem *Nav. can. 18. n. 5. de sent. excom.* Gregorium in dicta Bulla non dixisse sub excommunicationis latæ sententia, seu ipso jure, sed simpliciter, ita ut intelligatur esse comminatoria: sed *P. a Costa in addit. ad dict. cons. Navarri manuscr.* ait contrarium fuisse tentum a Sacra Pœnitentiaria, & a stylo curiæ, quia Gregorius ibi addidit, tales transgressores declarari excommunicatos; ergo supponit eos esse excommunicatos, & mandatum ad declarandum eo ipso disponit, *Rot. divers. part. 2. dec. 316. n. 5.*

III. Idem Greg. XIII. anno sequenti alia Bulla, quæ incipit, *Inter multiplices*, revocavit prohibitionem, & pœnam excommunicationis restrinxit ad extractionem frumenti, bladi, leguminis, & omnium frugum; & de extractione animalium nihil dixit.

☞ *Vide supra cap. 1. verbo* Animalia. ☜

IV. Ex Bulla Clem. VIII. Constit. 49. incip. *Frumenti*, confirmatæ sunt superiores Constitutiones, etiam quo ad pœnas temporales, sed sublata excommunicationis pœna ob periculum animarum.

V. Ex Bulla Pauli V. 13. incip. *Inter gravissimas*, confirmata est Bulla Gregorii XIII. etiam quoad pœnam excommunicationis, & alias censuras ecclesiasticas, id est, interdicti ferendi: sed Pontifex restrinxit eas censuras ad extrahentes frumenta, blada, legumina, & oleum; & declaravit procedere de extractione tam de statu immediato, quam mediato Sedis Apostolicæ.

VI. Ex Bolla Gregorii XV. *anno 1622. die 30. Julii* quæ est 30. in Bullar. incip. *Romani*, confirmatæ sunt supradictæ Constitutiones, etiam quoad censuras in terminis Bullæ Pauli V. & declaratum, procedere etiam de recollectis ex propriis prædiis; sed moderatum est, & excepta extractio ab immediato ad mediatum ad usum unius anni, ad necessariam familiæ sustentationem usque ad novam messem. Ita etiam ab immediato, quoad spicantium pauperum diurnum laborem, vel ad diurnam sustentationem. Item, si causa eleemosynæ a Mendicantibus collecta pro victu conventus. Item, si pro diurna mercede pauperis operarii. Item si pro pretio rerum ad mercatum delatarum in parva quantitate, pro victu familiæ, ut quoad panem, vel farinam ad usum bidui.

VII. Ex Bulla 28. Urbani Octavi, quæ intitulatur, *Revocatio concessionum, &c.* edita anno 1624. die 21. Octobris, incip. *Superni*, confirmatæ sunt omnes dictæ Constitutiones quoad prohibitionem extrahendi annonam, & græsciam, sub gravi obligatione, ob clausulam illam, *indignationem Omnipotentis Dei &c.* quæ significat obligationem sub peccato mortali, ut notat *Suar. de leg. lib. 4. cap. 8. n. 3. Marius Alterius lib. 5. disput. 22. cap. 8. §. Ex his omnibus*, & revocavit omnia privilegia, nisi ex causa vere onerosa: & revocavit omnes moderationes factas per quemcunque Pontificem; unde abrogasse videtur dictas moderationes Gregorii XV. & confirmavit omnes pœnas temporales; sed abstulit excommunicationis pœnam, nisi quando extractio mercimonii causa fiat, ut patet in dicta *Bulla* 28. §. 16. *in fin.*

Itaque secundum hunc ultimum statum, subditi in temporalibus Ecclesiæ Romanæ quicunque, etiam Duces, Episcopi, & Cardinales præsumentes extrahere, aut extrahi facere de statu Ecclesiæ Romanæ mediato, vel immediato, etiam de immediato ad mediatum, frumenta, blada, legumina, oleum, si causa mercimonii id faciant, incurrunt excommunicationem istam, *Bonac. de censur. in partic. disp. 2. quæst. 3. punct. 42. n. 1. 3. & 11.* Suspensionis autem censura quoad Prælatos olim lata, non militat, quia, ut dixi, a Gregorio XIII. revocata est; & Paulus V. non confirmavit Constitutionem Clem. VIII. sed Gregorii XIII. neque in Bulla Urbani VIII. illius est facta mentio.

An autem hæc excommunicatio sit Papæ reservata? DD. dicunt ex vi ipsarum Constitutionum, non esse reservatam, quia ex Bulla Gregorii XIII. non fuit reservara, neque ex aliis sequentibus: hanc tenet *Bonac. ibi n. 16.* alii tamen dicunt ex consuetudine, & stylo Curiæ esse reservatam, ut *Filiuc. tract. 15. n. 147. Memorial. Cleric. cap. 9. n. 37.* & ita practicari videmus, ut passim ad Sacram Pœnitentiariam recurratur.

Nota I. quod ad incurrendam dictam excommunicationem requiritur, ut materia gravis extracta sit. Quando autem censeatur materia gravis, quidam dicunt, spectandum damnum Reipublicæ, quod est pensandum ex magna caritate, & magna quantitate, *Sanchez lib. 1. in decal. cap. 4. n. 8. cum allegatis, Diana resolut. 90. Miscell. 6. tom. 2.* Alii dicunt materiam gravem, quæ unius equi sit onus, *Bonac. disput. 2. quæst. 3. punct. 42. n. 13. de censf. partic.* Alii dicunt materiam gravem, si excedat quartam rubri, vel usum familiæ biduum, *Filiuc. tract. 15. n. 162.*

Restituere tenetur extrahens sine licentia jura Cameræ, vel publicanis damnum passis, ob defraudatum vectigal, *Filiuc. tract. 15. n. 162.* ubi ait, a Pœnitentiaria non imponi restitutionem vectigalis extrahentibus, nisi excedant unum rubrum. Sed quando fraudans vectigal teneatur restituere, vide *Sanch. lib. 2. consil. cap. 4. a dub. 2. cum seqq. usque ad dub. 48. Dian. res. 19. tract. 10. tom. 1. Duard. in Bulla Cœnæ lib. 2. can. 15. quæst. 12. n. 9.*

CAPUT V.

Annonam onerantes Dardanarii, seu incettantes.

EX Bulla 50. Greg. XIII. incip. *Inter multiplices*, fertur sententia excommunicationis, & inferuntur aliæ pœnæ temporales contra ementes triticum, hordeum, legumina, & quodcunque genus frumenti, & frugis, nisi pro suo, & familiæ suæ usu unius anni: sed hæc excommunicatio non est reservata. Explicat eam late *Mar. Alter. tom. 1. disp. 9. lib. 5. cap. 5.* Sed quamvis Urbani VIII. Bulla 28. de qua dixi *cap. præcedenti*, innovaverit hanc Constitutionem, etiam quoad pœnas temporales, sustulit tamen pœnam excommunicationis, aliasve censuras, ut patet ex Bulla §. 16. *in fin.* De hoc crimine vide *leg. Annonam ff. de extraord. crimin. Menochium de arbitrar. casu 569. n. 23.* & adverte, quod si Dardanarius de dolo, & gravi præjudicio Reipub. fuerit damnatus, erit infamia juris notatus ipso jure, per ea, quæ dixi *par. 1. cap. 33. §. Tertio modo*,

CA-

CAPUT VI.

Annonam ad hostes fidei deferens.

Vide *infra verbo Arma*, *cap.* 3. 5. 6. & 7.

CAPUT I.

Apostasia a Fide.

APostata a fide est, qui a fide christiana recedit in totum, convertendu se ad aliquam falsam religionem; unde apostasia dicit formalitet hæresim, & connotat terminum, ad quem convertitur, positivum falsæ religionis, *Sanchez in decal. lib. 2. cap. 7. n. 16. Suar. de fide disp. 16. sect. 5. n.* 8. & ideo contra apostatas eodem modo procedendum ab Inquisitoribus, sicut contra hæreticos: ita statuit Bonif. VIII. *in cap. Contra de haret. in 6. Menoch. casu 557. n. 6. & seq. de arbitrar.* Cum autem apostasia addat supra malitiam hæresis speciem incompletam, seu differentiam gradualem, ut patet ex dictis, seqnitur secundum probabiliorem sententiam, eam esse exprimendam in confessione, scilicet terminum istum, seu falsam religionem, ad quam quis se convertit, explicando, ut *Sanch. dict. n. 16. Suar. n. 10. cum aliis Doctoribus.*

Pœnæ apostatæ a fide sunt excommunicatio, infamia, irregularitas, privatio omnium bonorum, & jurium, & aliæ pœnæ contra hæreticos statutæ, ut de communi testatut *Sanch. in decal. cap. 7. n. 18. Menoch. loco cit. n. 6.* & tradunt Canonistæ *in cap. 1. de Apost.* de quibus vide *verb. Hæresis.*

Nuta, quod pro foro conscientiæ non incidit in pœnas istas apostata secundum externum actum tantum, sine assensu, seu errore intellectus, & non continetur in *cap.* 1. Bullæ in Cœna Domini: unde eum posse absolvi a propriu confessario ab hac, tametsi gravissima culpa, ait *Diana resolut. 143. tract. 4. tom. 2. cum Homobono*; tamen Sacra Pœnitentiaria solet tales adigere, ut prius abjurent coram Sancto Officio.

De filiis apostatarum, verbi gratia Jndaizantium post baptismum, quas pœnas, & inhabilitates incurrant, & quando sint irregulares, vide *infra verb. Hæresis cap.* 3.

CAPUT II.

Apostasia a religiosa professione.

APostata proprie a religiosa professione est, qui in totum deserit statum religiosum, ut *Sanch. lib. 6. cap. 8. n. 2. in decal. Roderic. quæst. regul. 30. art. 1. tom. 1. Menoch. de arbitr. casu 546. n. 28. Bonac. de clausura, quæst. 2. punct. 11. §. 1. n. 5. cum allegatis.* Unde distinguitut ab emansore, & errone, & transeunte ad aliam Religiunem sine licentia, & fugitivo, qui non sunt apostatæ proprie dicti; ideo non incurrunt in pœnas apostatis statutas, ut ait *Bonac. ibi*, nisi tamen in certis casibus, quibus pro foro externo statutum est, ut tanquam apostatæ puniantur.

Dicitur autem apostata proprie, ut supra, etiamsi habitum retineat, si animo statum religiosum deserat, & ab obedientia recedat, ut *Abb. in cap. 1. n. 2. de apostat.*

Primo excommunicatio nulla est lata jure communi contra apostatas a religiosa professione, nisi habitum dimittant; tunc enim incurrunt excommunicationem non reservatam, *ex cap. 2. ne Clerici, vel Mon. in 6.* cujus textus explicationem vide apud *Sanchez in decal. lib. 6. cap. 8. n. 19. & 37. cum seqq.* & dicam *infra verb. Habitus cap.* 2. Multæ tamen Religiones, ut Minorum, & nostra Societatis habent ex suis Constitutionibus, ut apustatæ incurrant in excommunicationem Papæ reservatam, *Sanch. n.* 11. & multi graves DD. dicunt, *ex d. c. 2. ne Cler. vel Mon. in 6.* ferri excommunicationem contra religiusus evagantes, etiam habitu non dimisso, quos refert, *Sanch. n. 19. & 20.*

Secundo suspensionem incurrit a divinis religiusus, qui in statu apostasiæ ordines suscipit sacros: nam *ex cap. fin. de apostat.* est perpetuu suspensus, etiam reversus, ab exercitio ordinum talitet susceptorum, nisi a Papa dispensetur, ut *ibi glos.* notat *verbo Dispensatione, & Sanch. lib. 6. in decal. cap. 8. n. 24. Suar. tom. 4. de relig. lib. 3. cap. 1. n. 29.*

Nota, quod ista non est proprie suspensio, sed quoddam canonicum impedimentum, & species irregularitatis; unde in ea celebrans, habitu retento, non fiet irregularis, *Bonac. de Clausura, quæst. 2. punct. 11. §. 4. n. 10. & 11.* & est irregularitas partialis, idest quoad ordinum sic male susceptorum exercitium, non autem quoad alios bene susceptos, *Sanch. n.* 24.

Tertio suspensionem aliam incurrunt apostatæ, habitu dimisso, suscipientes ordines etiam minores, remanentque perpetuo suspensi ab executione ordinum susceptorum in dicta excommunicatione, *cap. Cum illorum, de sent. excomm. Suar. de censur. disput. 31. sect. 1. n. 57. Bonac. de sacr. ord. punct. 5. §. 1. n.* 11. & hæc est magis communis sententia, ut patet ex allegatis apud *Sanch. n.* 25. & super ea dispensat solus Papa: sed si casus est occultus, potest Episcopus dispensare cum sibi subjectis, *Trid. sess. 26. cap. 6. de reform. Eman. Sà, verb. Irregularitas ex ordine n.* 1. Sed neque hæc est proprie suspensio; unde in ea celebrans non fit irregularis, ut dixi supra. Si autem, habitu non dimissu, ordines minores suscipiat apostata, tunc magis communis docet, eum fore suspensum, sed dispensabilem esse ab Episcopo, si non sit exemptus: vel a suo Prælato, si sit exemptus, ut Doctores allegati a *Sanchez n.* 25. quamvis ipse contrarium teneat *n.* 26. dicens, non fore suspensum, minores in apostasia suscipiendu.

Suspensio alia est lata contra apostatas perpetua ab omnis ordinis ecclesiastici executiune ex Bulla Pauli IV. *Postquam divina* 14. quam referunt *Sanchez dict. cap. 8. n. 30. & alii.* Hudie non viget, quia ea Constitutio fuit revocata a Piu IV. Const. 3. *Sedis Apostolicæ*, neque est verum, quod fuerit innuvata a Pjo V. Const. 89. *Quæcunque sacrarum*, ut apparet ex ipsa Const.

Suspensiouem aliam incurrit etiam hodie apostata, si ordines recipiat in apostasia, quatenus ordinatur sine commendatitiis sui Prælati; & absolutiu reservatur arbitriu Ordinarii ipsius, ex *Trid. sess. 23. cap.* 8. dicam infra *verbo Ordo cap.* 26.

Quarto, infamiæ facti pœna affici apostatam a religione, tenent *Hug. & Turrecrem. in cap. Alieni erroris 2. quæst.* 7. & idem renent *Lambert. & Verall. infra cit.* unde dicunt, collationem beneficii, aut gradus doctoratus apostatæ a religione, etiam habitu retento, sed tecto, esse invalidam, ita *Lambertin. de jur. patr. part. 1. lib. 1. quæst. 7. art. 7. fol. 62. & part. 1. lib. 2. quæst. 9. art. 9. Verall. decis. 219. n. 3. part.* 3. propter infamiam, & propter excommunicationem. Et quidem, quod nun possit obtinere gradum doctoratus infamis infamia facti, communem dicunt *Anan. & Felin. in cap. Quanto de magist.* Quamvis alii contra teneant apud *Lambert. ibi*: & quod collatio beneficii facta infami sit invalida ipso jure, est communior, quam tenet *Sanchez opusc. l. 2. c. 2. dub. 18. n. 5. & lib. 6. cap. 3. dub. 5. n. 10. Castropal. tom. 2. tract. 13. punct. 5. n.* 4. & plurimi apud *Garziam de benef. part. 7. cap. 8. n.* 4. Quamvis ipse cum aliis teneat, non esse ipsu jure irritam, sed cassandam, & tenet *Rot. divers. decis. 426. n. 2. part.* 1. Sed contra est, quia solum afficitur infamia canonica, seu facti, non juris; ideo tollitur per pœuitentiam: & ita tenet *Archidiac. ibi n. 3. Præpos. n.* 1.

Quinto, irregularis efficitur, si celebret in ordinibus sacris, habitu dimissu, scilicet in excommunicatione, vel in suspensione incursa ob urdines susceptos sine commendatitiis sui Prælati; alias non erit irregularis, ut *Suar. tom. 4. de relig. lib. 3. cap. 1. n. 28. & de censur. disp. 31. sect. 5. n. 5. Filiuc.* autem *tract. 20. n. 250. & Majol. lib. 2. cap. 1. n. 15. §. Apostasia*, ajunt, esse irregularem, quamdiu manet in eo statu: & probatur *can. fin. 50. distinct. & cap. Cum illorum de sent. excomm.* sed non est proprie irregularitas, cum tollatur sine dispensatione, ut *Garzias de benefic. part. 7. cap. 8. n.* 65. est tamen canonicum impedimentum inhabilitans, sicut irregularitas, quandiu durat, & impediens ordinum omnium exercitium, ut *Majol. & Filinc. ibi.*

Sexto, matrimonium si contrahat apostata, tunc incurrit excommunicatiunem, & irregularitatem ex bigamia similitudinaria: & de hac re vide *Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 48. Suar. de censur. disp. 23. sect. 5. n.* 11. & non est absolvendus ante separatiunem. Hæc autem excommunicatio non est reservata, facta dicta separatione, ut patet ex *Clem. un. de consanguin.* neque interim privatur privilegio fori, aut canonis per tale matrimonium, *Sayr. lib. 3. cap. 27. n.* 32. Adde ex *cap. Quotquot 27. quæst.* 1. quod Moniales contrahentes matrimonium efficiuntur bigamæ, unde ait *gloss. ibi, & Archid.* fieri eo ipso inhabiles ad gradus, ad quos Moniales virgines assumuntur.

Septimo, inhabilitatem perpetuam incurrebant apostatæ ad omnes gradus, & beneficia, ex dicta Bulla Pauli IV.

& Pii

& Pii V. sed non est usu recepta, *Sanch. lib. 6. cap. 8. n. 30.* Et quamvis multi Canonistæ, quos allegat *Sanch. n. 31.* teneant ex jure communi, apostatam etiam reversum remanere ineligibilem, etiam in foro conscientiæ; tamen probabilior, et communior sententia negat, cum nullo id jure probetur, ut ait *Sanchez ibi n. 32. Bonac. de clausura quæst. 2. punct. 11. §. 3. in fin.*

Hoc certum est, quod manente apostasia, est ineligibilis ratione irregularitatis, ut supra dixi, et ita servat stylus Curiæ: et alias provisio facta apostatæ est nulla, et subreptitia, nisi Papa ex certa scientia eum provideat de officio, vel beneficio, etc. An autem amittat ipso facto officia, et beneficia ante apostasiam obtenta, respondit negative *Rebuff. in praxi tit. de mod. amitt. benefic. n. 47. Garzias part. 11. cap. 10. n. 147.*

Octavo, apostata, manente apostasia, non gaudet privilegiis suæ Religionis, cui subiectus esse non vult, ita *Sanch. n. 35. Bonac. n. 3.* et probatur ex *Trident. sess. 25. cap. 19. de regul.* Hinc est, quod pro eo tempore Religio non tenetur ei alimenta præstare, seu expensas reficere, *Sanch. n. 34. Bonac. n. 2.*

Nono, delinquens extra claustra apostata, in hoc eo ipso amittit privilegium exemptionis, quia potest ab Episcopo puniri; *Trid. sess. 7. cap. 7.* & *15. & sess. 25. cap. 14. de regul. & sess. 6. cap. 3. de ref. Barbos. allegat.* 105. *n.* 14. et quod Episcopus possit apostatam punire secundum suam regulam, ait Sacra Congregatio Concilii *in decreto de Apostatis, & ejectis*, ann. 1624. edito 21. Septembris, habetur in Bullario Constitutione 26. Urbani VIII. §. 4. ubi etiam præcipit, ut Episcopi eos carcerent, et reducant ad claustra.

Decimo, apostata, habitu dimisso, non est admittendus ad allegandas causas nullitatis suæ professionis, sed ad monasterium redire cogendus, et tanquam apostata puniendus; et interim nullo privilegio suæ Religionis juvetur, ait *Triden. Concil. sess. 2. de regular. cap. 19.* Sed limita hæc per ea, quæ dicam infra, *verb. Habitus cap. 2.*

Decimo primo, cooperantes ad apostasiam religioso, sæpe incurrunt excommunicationem. Et primo quidem *Bonac. tract. de clausura quæst. 2. pun. 11. §. 5.* ait, recipientes apostatam, seu illi faventes, aut auxilium, seu consilium præstantes, quominus ad Religionem redeat, seu ad locum regularem, si ab Ordinario loci moniti, a prædicta cooperatione non destiterint, excommunicationem ipso facto incurrere, non tamen reservatam, ex Bulla 14. Pauli IV. incip. *Postquam divina* §. 3. sed *Bonacina ibi* non advertit, prædictam Constitutionem Pauli IV. fuisse revocatam, et ad terminos juris redactam a Pio IV. Const. 3. quæ incipit *Sedis Apostolicæ* §. 5. quod bene notat *Quarant. verbo Apostata, Bariola verb. Apostata vers.* 10. quare dicendum est, cooperantem apostasiæ incurrere excommunicationem ex jure communi, quando communicat in crimine criminoso, scilicet in ipso crimine apostasiæ, postquam per depositionem habitus, aut alias ex constitutionibus suæ Religionis apostata excommunicationem contraxit, ut dixi *verb. Censura cap. 5.* Item cooperantes apostatæ, scilicet auxilium, consilium, vel favorem apostatæ præbendo, aut eum receptando, seu retinendo, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, si apostata sit religiosus Ordinis Prædicatorum, vel Minorum, aut alterius Ordinis habentis communicationem in privilegiis prædictarum Religionum, ut *Suar. de Relig. tom. 4. tract. 1. lib. 3. cap. 3. in fin. Bonac. loco cit. n. 2.*

Duodecimo, occasione apostasiæ sæpe consurgit obligatio restituendi: etenim qui consilio suo induxit religiosum ad apostasiam, secundum multos DD. tenetur Religioni, seu conventui ad restitutionem, quanti interfit ob sui religiosi discessum; ita tenent *Molina, Reginal. Vasch. Azor. Burrian.* apud *Bonacin. de rest. disp. 2. quæst. 1. punct. unic. n. 6.* Alii tamen dicunt, quod si sine vi, et fraude induxit, ad nihilum tenetur; quamvis graviter peccaverit peccato sacrilegii, ut *Salon. Petr. Navar. Sayr. Sot. Filiuc.* quos sequitur *Bonac. ibi*, et tenet *Suar. de relig. d. cap. 3. n. 14. & 15.*

Præterea bona omnia a religioso in statu apostasiæ comparata (sine injustitia) sive ex operibus suis, sive ex successione, aut ei ex testamento relicta, pertinent ad Religionem, seu conventum, a quo discessit, etiamsi contra votum paupertatis, et obedientiæ ea bona fuerit consecutus. Sed si moriatur in statu apostasiæ, scilicet extra Religionem, prædicta bona pertinent hodie ad Cameram Apostolicam jure spolii, *Sanchez in decal. lib. 7. cap. 33. n. 6. 9. & 21. Bonacin. de clausura quæst. 2. punct. 11. §. 3. n. 5. & alii apud eosdem*, ex Bulla Gregorii XIII. 43. de qua dixi *verb. Vacantia cap. 6.*

Hoc autem, quod dicimus, bona a religioso apostata comparata pertinere ad Cameram Apostolicam, si decedat extra claustra, intelligunt DD. procedere de illis bonis, quæ apostata moriens, adhuc tempore mortis habebat, non autem de illis, quæ ipse antea inter vivos suæ Religioni, seu conventui donaverat, seu restituerat; hæc enim a Religione retineri poterunt, saltem pro foro conscientiæ antequam a Camera repetantur, *Sanch. loco cit. n. 9. Sanctarell. tract. de Apostas. cap. 3. n. 24. Bonac. loc. cit. cum multis DD.* et ita tenet (quamvis cum aliqua formidine) *Suar. de Relig. dict. lib. 3. cap. 2. n. 27. & 28.*

CAPUT III.

Apostatæ singulis annis a suis Superioribus requirendi.

EX Decreto Sacræ Congregationis Concilii anno 1624. edito die 21. Septembris, cautum est, ut superiores Regularium suos apostatas, vel ejectos singulis annis perquirant (quod etiam fuit statutum *cap. final. de regular. Suar. tom. 4. de relig. lib. 3. cap. 1. n. 17.*) utque revertentes eum spe evidenti emendationis juxta testimonium Ordinariorum, recipiant: alias superiores negligentes dictos inquirere, et reducere, ut præfertur, incurrant in pœnam privationis officiorum, et privationis vocis activæ, et passivæ, et inhabilitatis ad ea, et similia, et dispensationem super iis pœnis Papæ reservavit. Vide *Bonac. de claus. q. 2. pun. 11. §. 2.*

CAPUT IV.

Apostasia a statu clericali, seu ab Ordine.

APostata ab ordine dicitur, cum ordinatus in sacris deserit statum clericalem; vel cum ordinatus in minoribus, vel saltem prima tonsura initiatus, beneficium obtinens, deserit statum clericalem, simul intendens beneficium retinere: utroque casu peccat mortaliter, & puniri potest, ut apostata. Si autem in minoribus existens, beneficiumque non habens, deserit statum clericalem, non est apostata, neque de hoc puniri potest, *Talet. lib. 4. cap. 18. n. 4. Menoch. de arbitr. casu 546. n. 48. & 50.* ubi plures Doctores cumulat, *Sanchez de matrim. lib. 7. disput. 31. n. 9.* peccat tamen venialiter clericus in minoribus retrocedens sine causa rationabili, ut *Sanch. n. 10.* & dimittendo habitum clericalem animo omnino deserendi statum illum, amittit omne privilegium clericale, etiam canonis, secundum probabiliorem, *Coninch. de censur. disput. 14. dub. 15. n. 163. Suar. de censur. disput. 22. sect. 1. n. 11. Farinac. quæst. 8. n. 50.*

Limita, quod ista renunciatio statui clericali, si fiat verbo tantum, & non facto, non habet vim, nisi fiat coram suo Judice ecclesiastico, non autem sufficit, si fiat coram Judice laico, vel privatim, *per cap. Quod in dubiis, & ibi Canonistæ de renunc.* quia renunciari officium debet coram eo, ad quem pertinet illud conferre, *Rebuff. in praxi tit. de renunc. expressa n. ult. cum juribus ibi allegatis*: facto autem renunciari valide dicitur per actum incompossibilem, ut per contractum matrimonii cum vidua, ut dicam *infra n. 5.*

I. Excommunicationem incurrit clericus in sacris apostata, contrahendo matrimonium: sed non est reservata, & potest absolvi post separationem, *Clem. un. De consangn. Sanchez lib. 7. De matrim. disp. 48. n. 1.* ubi late explicat: non tamen sufficit ad hanc pœnam matrimonium ficte contractum, *Sanch. n. 9. & 10. Suarez de cens. disp. 23. sect. 5. n. 17.* qui etiam hanc materiam explicat. Vide *infra verbo Matrim. cap. 4.*

II. Suspensionem incurrere clericos in sacris, matrimonium contrahendo, quidam dicunt, alii magis probabiliter negant, *Suar. de cens. disp. 49. sect. 5. n. 4. Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 85. n. 2. cum seq.*

III. Infamiam ipso jure incurrere clericum in sacris apostatam, idest, qui deposito habitu clericali, vivit ut laicus, multi DD. dicunt, per *cap. Alieni erroris 2. qu. 7.* ita *ibi Hugo, & Turrecrem.* & docet *Menoch. de arbitr. casu 546. n. 48. cum Afflict. & Decian.* Sed alii probabilius negant, ut *Archid. in dict. cap. Alieni erroris n. 3. Præpos. n. 1.* Est tamen iste infamis infamia facti, quæ tollitur per pœnitentiam, & triennalem vitæ emendationem, ut dixi *part. 1. cap. 33. in fin.* Quod si clericus in sacris uxorem ducat, aliqui dicunt, juris infamiam contrahere, ex *cap. Beatus 3. quæst. 4. Layrn.*

lib.

lib. 4. tract. de fide cap. 16. n. 1. sed verum est, non esse infamiam juris, sed facti, ut patet ex eo textu: ita *Suarez de censur. disput. 49. sect. 5. n. 4. Sanch. lib. 7. disput. 85. n. 2. & seq.*

IV. Irregularitatem contrahit clericus in sacris, uxorem ducens, est communis sententia, etiamsi cum unica, & virgine contrahat, *Sanch. disp. 85. n. 10. de matrim. lib. 7. Suar. de censur. disp. 49. sect. 4. n. 6. & cap. Quotquot 27. quæst. 1.* & aliqui dicunt, esse irregularitatem ex defectu ob bigamiam interpretativam, seu virtualem, si cum vidua contrahat, vel corrupta: sicut in aliis etiam laicis contingit: ita sentit *Suar. sect. 4. n. 3. & alii apud Sanch. lib. 7. dis. 84. n. 10.* alii dicunt, esse irregularitatem ex delicto ob sacrilegium, est communis, ut *Sanchez lib. 7. disput. 85. cum ibi allegatis*, & tenet *Abb. in cap. Nuper n. 4. de big. Henriq. lib. 12. de matr. cap. 6. n. 11. in fin.* ubi expresse loquitur de clerico in sacris contrahente cum vidua; licet fateatur, tunc cum eo difficilius dispensari, quam si cum virgine contraxisset. Et pro hac secunda sententia facit, quod laicus matrimonium contrahens cum vidua cum impedimento irritanti, non fit bigamus, secundum veriorem sententiam, *ut Sanchez disp. 84. n. 11.* unde in clericis in sacris hoc in pœna statutum, non ob defectum significationis, ut probatur *in cap. fin. de big.* ideo excusabitur ob ignorantiam invincibilem, *Sanchez lib. 9. disp. 32. n. 20.* Quidquid sit de hac re, potest Episcopus super tali irregularitate dispensare post pœnitentiam, & vitæ emendationem, scilicet triennalem, *ex dictis juribus, Layman de irregul. lib. 1. cap. 6. n. 6. Suar. disputat. 49. de censur. sect. 6. n. 7.*

V. Privationem beneficiorum ecclesiasticorum ipso facto incurrere clericos apostatas, idest, si matrimonium contrahant in sacris ordinibus constituti, multi dicunt, alii magis communiter negant, ut *Sanchez de matrim. lib. 7. disput. 43. n. 4. Filiuc. tract. 10. n. 154. Garzias de benef. par. 11. cap. 8. n. 17. Barbos. alleg. 57. n. 207. in fin.* Si autem sit clericus in minoribus, tunc omnes dicunt, eum ipso facto beneficia amittere per matrimonii contractum, *Barbos. n. 203. Garzias cap. 8. n. 1.* similiter & pensiones, *Barbos. in cap. 1. n. 6. de cleric. non resid.* & tenetur ante omnem sententiam dimittere, *Barbos. ibi n. 2. Sanchez lib. 7. disp. 42. n. 10.* Limita, quod non procedit hæc privatio in clerico in minoribus contrahente sponsalia per verba de futuro, *Burat. decis. 143. n. 5.* ait communem sententiam.

Item limita, ut non procedat, si matrimonium sit nulliter contractum, *Sanchez ibi disp. 43. n. 3.* ubi ait probabiliorem: sed contraria est verior in foro externo, *Cavaler. decis. 166. n. 3. Buratt. decis. 791. n. 10.*

Similiter, si clericus miles fiat, Doctores communiter dicunt, ipso facto hunc beneficium amittere, tanquam per tacitam renunciationem, assumendo statum incompatibilem; ita *gl. in cap. Qualiter de cler. conjug. & cap. final. de cler. non resi. & utrobique Canonistæ*: sed hoc intelligendum est de clerico in minoribus, non autem in sacris, ut notatur per *Abb. in dict. cap. fin. de cleric. conjug. n. 1. & in cap. final. de cleric. non resid. n. 2. Barbos. in dict. cap. final. de cleric. conjug. n. 2.* & quia Doctores dicunt, eodem modo privari per militiam, sicut per matrimonium, *gl. in dict. cap. Qualiter Barbat. in cons. 11. in final. vers. Præterea, Card. in dict. cap. fin. de cleric. conjug.* & ratio est, quia clericus in sacris non potest se convertere ad statum militarem, sed cogendus est redire.

Similiter per dimissionem habitus clericalis incurrit clericus pœnam privationis beneficiorum, & extinctionis pensionum, ipso jure, per Bullam Sixti V. 92. *cum Sacrosancta*. Sed aliqui dicunt, non esse quoad hunc rigorem usu receptam, *Garzias part. 7. cap. 1. n. 24.* Alii dicunt requiri monitionem, & contumaciam, *Castropalao tom. 2. tract. 13. de benef. disp. 1. punct. 11. §. 10. n. 10.* Sed verius puto, requiri declaratoriam pro foro conscientiæ, per ea, quæ *Garzias part. 11. cap. 10. n. 9.* est enim pœna privans jure quæsito. Certe, si clericus beneficiatus renunciaret clericatui coram suo Ordinario ecclesiastico, ipso facto pro utroque foro privaretur beneficio, & privilegiis clericalibus; secus, si coram Judice seculari, *Garzias part. 11. cap. 3. n. 223.* cum magis communi.

VI. Privilegio omni clericali privatus est clericus in minoribus non beneficiatus, qui dimittit omnino habitum clericalem animo se convertendi ad statum secularem, *Coninc. disputat. 14. dubio 15. n. 163. Bonacin. in decal. disputat. 10. quæst. 2. punct. 1. §. 4. n. 22. Filiucc. tract. 14. n. 10. Barbos. allegat. 9. n. 15. alleg. 12. n. 22.* Si autem non in perpetuum dimittat habitum clericalem, sed ad aliquod tempus, non privatur privilegio canonis, nisi ter monitus, non resumat, *ut supra cit.* amittit tamen privilegium fori ex Trid. *sess. 23. cap. 6.* si ex consuetudine non defert habitum, vel non servit actu Ecclesiæ: & ita tenent communiter DD. ut apud *Bonacin. in decal. in 8. præcep. disp. 10. quæst. 2. punct. 1. §. 4. n. 21. & 22.* Unde hoc privilegium canonis solum suffragatur, ne injuriose in eum vis fiat; non tamen impedit, quin possit pro suis delictis a judice seculari capi, & personaliter puniri, scilicet pœnis corporalibus, dummodo interim non reassumpserit statum clericalem cum omnibus dictis requisitis, ut *Castropalao tom. 2. tract. 12. disp. unic. punct. 3. n. 2.* cum declaratione Sacræ Congregationis, & aliis ibi allegatis, *Bern. Diaz. cum Salzedo in praxi cap. 65. n. 9.* Si autem post capturam, seu alias in fraudem fori laicalis assumeret, posset adhuc a foro laico puniri in bonis, non in persona, *Castropalao ibi n. 4. in fin. cum Farin. de inquis. quæst. 8. n. 107.* ut dicam *infra verb. Ordo cap. 5. & vide de hac re infra eod. cap. n. 8.*

De privilegio autem exemptionis bonorum, idem in hoc casu, quod de privilegio canonis dicendum, ut infra dicam.

Privilegio omni clericali, idest fori, canonis, & bonorum, privatur ipso facto clericus in minoribus, si matrimonio contracto, bigamus fiat, *cap. unic. de big. in 6.* Trid. *sess. 23. cap. 17. de ref. Garzias part. 7. cap. 6. n. 2.* & tunc peccat mortaliter, deferendo habitum clericalem, ex Trid. *ibi, & Filiuc. tract. 19. n. 123. Avila part. 7. dis. 8. dub. 3. in fin. cum Angel. & Sylv.* Dixi autem de clerico in minoribus, nam clericus in sacris, licet de facto contrahat matrimonium etiam cum vidua, & efficiatur irregularis, ut supra dixi, tamen non amittit privilegium fori, neque canonis, neque habitu, & tonsura privatur, nisi per degradationem, ita *Suar. de cens. disp. 40. sect. 5. n. 7. Abb. in cap. fin. de big. in fin. Avila part. 7. dis. 8. dub. 3. §. Pro intelligentia.*

☞ *Ex cit. cap. 17. Trident. non colligitur, quod peccet mortaliter clericus bigamus, deferens hibitum clericalem.* ☜

Similiter clericus in minoribus conjugatus, etiam cum virgine, si Ecclesiæ non serviat, vel in habitu clericali non incedat, omne privilegium clericale amittit ipso jure: si autem in habitu incedat clericali, fruitur privilegio canonis; fori autem privilegio in criminalibus, si alicui ecclesiæ serviat mandato Episcopi, *cap. unic. de clericis conjugat. in 6.* juncto Triden. *sess. 23. cap. 6. de refor.* Vide *Sanchez de matr. lib. 7. disput. 46. n. 1. & seqq. Barbos. in dict. cap. unic.* Sed, an illud recuperet, habitum resumendo, etiam post delictum commissum, vide *Barbosam alleg. 12. n. 27. cum allegatis per eum.*

☞ *Quamvis Conc. Trid. sess. 23. cap. 6. de refor. noluerit, clericum in minoribus constitutum, nullum possidentem ecclesiasticum beneficium, gaudere privilegio fori, nisi præter delationem habitus, & tonsuræ, inserviat alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi; hæc tamen conditio adeo levis visa est Cong. Conc. ut hujusmodi dumtaxat defectus non satis sit ad illum spoliandum hoc privilegio; ut constat ex sequentibus responsis ejusdem Cong. relatis a Bened. XIV.* lib. x11. de Synod. Diœc. cap. 6. n. 5. *In Senogallien.* 23. Jan. 1603. -- Sacra &c. censuit, oratorem clericalem habitum, & tonsuram deferentem, quamvis alteri Ecclesiæ, quam illi, cui ex mandato Episcopi ad inserviendum adscriptus fuit, inserviat, nihilominus privilegio fori gaudere -- *& in Neapolitana* 1. *Feb.* 1614. *cum eadem Cong. fuisset consulta* -- An clericus in minoribus ordinibus constitutus, clericalem habitum, & tonsuram deferens, atque Ecclesiæ inserviens, gaudeat privilegio fori, si alicui Ecclesiæ ab Episcopo adscriptus non sit... respondit -- gaudere. --

Est hic notandum cum eod. Bened. loc. cit. n. 6. -- Neque (*sunt ipsius verba*) hæc Sacræ Cong. responsa alteri adversantur Trident. decreto ejusd. *sess. 23. cap. 16.* de quo nos ipsi superius egimus *lib. 11. cap. 2.* ubi nimirum vestigiis inhærens sexti canonis Concilii Chalcedonensis, neminem in posterum ordinibus initiandum decrevit, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate, aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus; simulque sacris interdicendum præcepit, qui, inconsulto Episcopo, ab Ecclesia se proripit, cui fuit alligatus: aliud siquidem est, clericum posse compelli ad inserviendum Ecclesiæ ab Episcopo designatæ, aliud posse fori privilegio ideo privari, quod non illi, sed alteri Ecclesiæ suum servitium impendat. Primum certe, non itidem alterum ex allegaro Tridentini textu consequitur: quin imo ex hoc aperte conficitur, sola suspensione

a Divinis, aut interdictione aſcenſus ad ſuperiores Ordines, ejus eſſe puniendam contumaciam, qui, inconſulto Epiſcopo, ab Eccleſia recedit, cui in ſui ordinatione fuit mancipatus: uti in ſuis ſuffragiis hac ſuper re diligenter elucubratis concluſerunt Carolus de Vecchiis, & Proſper Fagnanus, celebres olim Sac. Cong. Conc. Secretarii, quæ extant lib. memorialium 52. *pag.* 16. ☞

Similiter clericus, etiam in ſacris, ſodomiam exercens, privatur omni privilegio clericali, per Bullam Pii V. ſed requiritur ſententia declaratoria, ut dicam *verb. Sodomia*.

Similiter clericus, etiam in ſacris, per annum exercens artem ignominioſam, ut ludionis, vel paraſiti, vel ante annum ter monitus, non deſiſtens, amittit omne privilegium clericale, *Bonacin. in decalog. diſp.* 10. *quæſt.* 2. *pun.* 1. §. 4. *n.* 8. *cum Deciano*, & *Farin.* & tenet *Coninch. diſput.* 14. *n.* 162. *Layman lib.* 1. *tract. de excomm. cap.* 5. *n.* 4. §. 6. Vide *infra verbo Ars ludicra*.

VII. Privilegio ſolo canonis privatur clericus in ſacris, vel beneficiatus, ſi habitum deponens, & tonſuram, ſecularibus negotiis ſe immiſceat non enormibus, & ter monitus ab Epiſcopo, non pareat, *cap. In audientia, cap. Contingit, de ſententia excomm. juncto cap. Cum non ab homine, de judic. Abb. in cap.* 1. *de Appſt. n. ult. Sayr. lib.* 3. *cap.* 27. *n.* 7. ubi multos allegat, *Coninch. diſput.* 14. *n.* 160. *Layman lib.* 1. *tract. de excomm. cap.* 5. *n.* 3. §. *Sed nunquid*, *Marta de juriſd. par.* 4. *caſu* 135. *Filiuc. tract.* 14. *n.* 10. *Bonac. in decal. diſp.* 10. *quæſt.* 2. *punct.* 1. §. 4. *n.* 14.

Et idem eſt de clerico in ſacris, qui deponit habitum, & tonſuram, & arma defert, vel militiam aſſumit, & ter monitus, non reſipiſcit, *cap. In audientia* 25. *de ſent. excom. Sayr. n.* 7. & 8. *Layman lib.* 1. *tract. de excom. cap.* 5. *n.* 4. §. *Sed quid*, *Clarus* §. *fin. quæſt.* 36. *n.* 26.

Et idem eſt de clerico in ſacris deponente habitum, & tonſuram, ſeque enormibus, & ſævis immiſcente, ut latrociniis, injuſtis bellis, vel ſeditionibus ante monitionem Epiſcopi, quia eſt privatus ſolo privilegio canonis, *cap. Perpendimus, de ſent. excomm. Coninch. diſp.* 14. *n.* 158. & 160. *Layman cap.* 5. *n.* 3. §. 4. *Sayr. cap.* 27. *n.* 8. *lib.* 3. *de cenſur. Suar. de cenſur. diſput.* 22. *ſect.* 1. *n.* 12. & 13. *Diana tract.* 2. *de immunit. reſol.* 23. *tom.* 1. Poſt trinam autem monitionem, ſi nec habitum reſumat, nec ab enormitatibus abſtineat, ſed incorrigibilis maneat, multi dicunt, ipſo jure eſſe privatum ante degradationem, *Layman* §. *Sed quid n.* 3. & *Diana reſolut.* 129. *tract.* 2. *tom.* 1.

VIII. Privilegio fori, ſed non canonis, privatur clericus in minoribus, qui incedit in habitu ſeculari ut plurimum, ſi beneficium non habeat, nec inſerviat ex *Trid. ſeſſ.* 23. *c.* 6. *de ref. Barboſ. alleg.* 12. *n.* 32. *Garzias part.* 2. *cap.* 2. *numer.* 19. eſt verior ſententia, *Layman lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 7. *n.* 2. Sed neque privatur privilegio immunitatis bonorum ſecundum multos, ut infra dicam. Quamvis autem talis clericus ex Trid. ut dictum eſt, non eximatur a foro laico, tamen etiam non eximitur a foro eccleſiaſtico; poterit enim contra eum procedere Epiſcopus, ut declaravit Sacra Congreg. apud *Garz. ibi*, & *Bonacina in decal. diſp.* 10. *quæſt.* 2. *pun.* 1. §. 4. *n.* 23. Hanc autem privationem privilegii fori incurrit clericus prædictus, nulla deſiderata monitione, propter dictum decretum Concilii, *Bonac. ibi n.* 16. cum Sacræ Congregationis declaratione, & *Ricc. in praxi cleric. deciſ.* 606. *n.* 4. An autem detur præventio in iſto caſu, ita ut Epiſcopus non poſſit inhibere judici laico, qui prævenit, videtur dicendum, dari præventionis jus, quia cauſa ex Triden. effecta eſt mixti fori; unde judex minor poteſt prævenire majorem, cum ab eo non recognoſcit juriſdictionem, ut *Marta part.* 2. *cap.* 2. *n.* 5. *de juriſd.* judex enim laicus hic habet juriſdictionem in clericum ex privilegio a Concilio Generali, ſeu a Papa. Sed hæc limita, & declara ex dictis *ſup. n.* 6. ſi enim clericus captus a Judice laico, elaberetur de manibus curiæ, vel carceribus, & ſtatum clericalem reaſſumeret cum omnibus requiſitis Concilii, non poſſet curia ſecularis in eum procedere ad pœnas corporales, neque ad novam capturam; ſed ſolum in bonis punire, ut ſupra dixi *num.* 6. & ita Caſtropalao ibi allegatus.

Similiter privilegio fori in civilibus tantum, & immunitate bonorum privatur clericus in minoribus conjugatus cum unica, & virgine, incedens in habitu, & tonſura clericali, deſerviens Eccleſiæ, *cap. unic. de cleric. conjug. in* 6. & *Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 6. *de ref.* unde retinet ſolum privilegium fori in cauſis criminum civiliter, vel criminaliter intentatis, & privilegium canonis, ut in dictis juribus habetur; & late *Sanchez lib.* 2. *conſil. cap.* 4. *dub.* 49. *n.* 2. *Caſtropalao tom.* 2. *de relig. tract.* 12. *diſp. unic. punct.* 9. *n.* 12. Item clericus, etiam in ſacris, amittit privilegium fori, cum factus fuerit incorrigibilis, ſervata forma, & conditionibus *cap. Cum non ab homine*, & *ibi per Canoniſtas, de judic.*

IX. Privilegio immunitatis, ſeu exemptionis bonorum privatur clericus in minoribus conjugatus, etiam non bigamus, etiam in habitu, & tonſura Eccleſiæ ſerviens, ut ſupra dixi proxime *dict. cap. unic. de cleric. conjug. in* 6. & *ſeſſ.* 23. *cap.* 6. *de reform. Sanchez*, & *Caſtropalao ſupra cit.* cum allegatis apud illos.

Similiter privilegio hoc exemptionis bonorum privatur ſecundum multos, clericus in minoribus, etiam in habitu incedens, ſi Eccleſiæ non ſerviat; quia cum ex Triden. *ſup. cit.* privetur privilegio fori, eodem modo privari videtur privilegio exemptionis circa bona; quia hæc exemptio, vel ſubjectio juris tributorum, & vectigalium conſequitur ad exemptionem, vel ſubjectionem perſonæ foro, ſeu juriſdictioni laicali; & ita de conſuetudine teſtatur *Leſſ. lib.* 2. *cap.* 33. *n.* 38. *Covar. pract. cap.* 31. *n.* 9. *Gutier. lib.* 1. *pract. quæſt.* 7. & ita tenet *Suar. lib.* 4. *defenſ. eccleſ. cap.* 27. *n.* 14. *Layman lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 7. *n.* 3. *Quarama verb. Vectigal, ampliat.* 1. *Marius Alter. lib.* 5. *diſp.* 19. *cap.* 6. *verſ.* 10. *dubitatio*, & tenet *Azor. Homobon. Filiuccius, Coriolan.* & *Cevallos*, quos allegat *Diana reſol.* 36. *tract.* 2. *de immun. tom.* 1. & tenet *Reginal. lib.* 9. *n.* 376. & *Caſtropalao loco ſupra cit. n.* 13.

Contraria tamen ſententia eſt probabilior, & magis communis, quod non privetur hoc privilegio, ſi habitum defert, & tonſuram clericalem; quam tenent *Leſſ. loco cit. Comitol. lib.* 6. *quæſt.* 20. *Diana loco cit.* qui ait, ita declaratum a Sacra Congregatione, & allegat *Molinam*, & *Malderum* pro hac ſententia: imo *Sanchez conſil. lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 49. *n.* 6. ait, clericum in minoribus uti hac exemptione, etiamſi non incedat in habitu, niſi ter monitus, non pareat; & plures allegat: ſed contrarium eſt tenendum, ſi ex conſuetudine non incedit in habitu, ut Doctores ſupra citati.

Similiter clericus, etiam in ſacris, negotiator effectus, ſcilicet exercens, ſeu cum conſuetudine, ſeu frequentia negotiationem faciens, poſt trinam monitionem non reſipiſcens, eo ipſo privatur privilegio clericali quoad exemptionem bonorum ſuorum. Quoad ea autem, quibus negotiatur, ut amittat privilegium, non requiritur conſuetudo, neque monitio, ex *cap. fin. de vit.* & *honeſt. cleric. junct. cap. Quamquam de cenſ. in* 6. *ibi DD. Filiuccius tract.* 15. *n.* 12. *Suar. de cenſur. diſp.* 22. *ſect.* 1. *n.* 17. *Quaranta verbo Vectigal, limit. ult. Luiſ. Turrian. de Juſt. diſp.* 44. *dub.* 4. *n.* 12. *Caſtropalao tom.* 2. *de relig. tract.* 12. *diſp. unic. pun.* 6. *n.* 15. Quod autem iis caſibus non privetur privilegio fori, nec canonis clericus negotiator, etiam tertio monitus non deſiſtens, ſi in habitu incedat, ait *gloſſ. in cap. fin. verb. Tertio in fin. de vit.* & *honeſt. cleric.* & *ibi Abb. n.* 7. *Suar. lib.* 4. *defen. eccleſ. cap.* 28. *n.* 10. *Caſtropalao punct.* 3. *n.* 5. *in fin.* Et eſt verum, etiamſi fuerit clericus conjugatus, ut non privetur privilegio fori in criminibus, & privilegio canonis, ut *Covar. pract. quæſt. cap.* 31. *n.* 8. *verſic. Sexto eadem*, *cum Alex. Franc.* & *Imol. Layman. lib.* 4. *tract.* 9. *cap.* 7. *n.* 4. *verſ. Adde*: & veriorem ait *Sanch. de matrim. lib.* 7. *diſp.* 46. *n.* 26. & dixi *ſupra n.* 8.

Adverte, quod quibus caſibus clericus amittit privilegia clericalia, ſive per matrimonium, ſive per renunciationem, non impeditur, ceſſante impedimento, mortua uxore virgine, & unica, denuo amplecti ſtatum clericalem; ſecus ſi fuit bigamus effectus, aut alias proprie irregularis, *Sanchez lib.* 7. *diſp.* 46. *n.* 30.

CAPUT I.

Appellantes a Summo Pontifice ad futurum Concilium generale.

HOc eſt crimen ſacrilegii contra primatum Pontificis Romani, *Cajet. in ſumma excommun.* 25. *Sayr. lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 2. *Marius Alter. diſp.* 3. *lib.* 5. *in princ. tom.* 1. Eſt autem jure declaratum, non licere appellare a ſententia Romani Pontificis, *cap. Nemo, cap. Aliorum facta, cap. Ipſi ſunt, cap. Cuncta per mundum* 9. *quæſt.* 3. & Pius II. in Bulla *Execrabilis*, quæ eſt 3. vel 5. idem declaravit de conſilio Cardinalium, & Prælatorum, & Theologorum.

Neque obſtat, quod a Concilio Baſileen. *ſeſſ.* 33. & Conſtan.

stan. *sess.* 24. fuit declaratum de fide, Concilium esse supra Papam; quia respondetur, illud Concilium fuisse illegitime inchoatum, & terminatum, & quædam tantum illius acta fuerunt confirmata a Nicolao V. alia autem (ut hæc, de quibus agimus) reprobata ab Eugenio *sess.* 38. Præterea non est verum, quod in dictis Conciliis id fuerit definitum, sed solum declaratum pro schismatis tempore, dum ignoratur qui verus sit Papa, nam ad Concilium universale id pertinet declarare; ita *Marius Alter. part.* 1. *lib.* 5. *cap.* 1. *disp.* 3. *col.* 6. *Bellarm. lib.* 2. *de Conciliorum auctoritat. cap.* 19. *in fin. Marta de jurisd. part.* 3. *cap.* 17. *num.* 7.

Ex Bulla Pii II. *Execrabilis*, Constit. 5. & Bulla Julii II. *Suscepti*, Constit. 22. excommunicationem Papæ reservatam incurrunt singulares personæ, & interdictum non reservatum incurrunt universitates, andentes appellare ad futurum Concilium a Papæ sententia, seu ordinatione; & continentur dantes auxilium, consilium, favorem.

Similiter ex cap. 2. Bullæ in Cœna Domini, fertur excommunicatio Papæ reservata contra singulares personas, & interdictum contra universitates appellantes a mandatis Papæ ad futurum Concilium generale; & est Papæ reservata absolutio, etiam quoad illud interdictum, ut patet §. *Cæterum*, in fine ejusdem Bullæ, & notat *Filiucc. tract.* 18. *n.* 143. Et continentur in dictis censuris dantes auxilium, consilium, favorem.

Sed nota, quod absolvens ab hoc interdicto sine facultate, non incurrit in censuram excommunicationis latam in Bulla Cœnæ, §. *Quod si forte*, ut notat *Filiucc. tract.* 18. *num.* 144.

Præterea in dicta Bulla Pii II. incip. *Execrabilis*, statutum est, ut appellantes a Papa ad futurum Concilium, vel scienter consilium, auxilium, aut favorem ad id præstantes, eas pœnas, & censuras incurrant, quas tei læsæ majestatis, & hæreticæ pravitatis fautores incurrere dignoscuntur.

Et Julius II. dicta Bulla, incip. *Suscepti* §. 5. confirmavit dictam Constitutionem Pii II. supplendo omnem defectum solemnitatis, etiam publicationis forte omissæ; & §. 6. declaravit, dictos contravenientes non solum ipso facto incurrere in pœnas in dicta Bulla, *Execrabilis* impositas, sed ipsos pro veris, & indubitatis schismaticis, & de catholica fide male sentientibus habendos, pœnisque canonicis, & legalibus contra tales impositis subjacere. Item omnes supradictas pœnas, & censuras extendit ad eos, qui decreverint, consuluerint, deliberaverint, aut aliorum dicta approbaverint, aut vocem dederint, ut ad futurum Concilium universale a Papa appellare liceat, possit, vel debeat.

Et merito quidem hæc statuta sunt: nam appellans a Papa ad Concilium, in crimen rebellionis incurrit, quatenus sic appellando, se subtrahit ab obedientia supremi sui Principis in damnum ejusdem Principis, ejusque supremi dominii, illud ad alium procurando convertere, per ea, quæ *Farin. quæst.* 113. *n.* 101. *& seqq.* & in terminis tenet *Sayr. de cens. lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 2. De pœnis vero læsæ majestatis, dixi *verbo Majestas*. Similiter quod tales sint schismatici, & de fide male sentientes, ait *Sylvest. verb. Excom.* 7. *n.* 93. & alii communiter, quos sequitur *Sayr. ibid.* Et de pœnis schismaticorum dixi *verb. Schisma*. Et quod asserentes, licitum esse appellare a Papa ad futurum Concilium, sint hæretici formaliter, tenet *S. Antonin.* 3. *part. tit.* 24. *cap.* 2. §. *Quoniam quidam*, *Marta de jurisdict. part.* 3. *cap.* 17. *in fin. Card. Jacobatias tract. de Concilio lib.* 10. *n.* 66. *cum seqq.* Unde sequitur, tales incurrere in censuras, & pœnas latas contra hæreticos, de quibus dixi *verb. Heresis*.

☞ *Propositio circa hanc materiam proscripta ab Alex. VIII. sub die* 7. *Decemb.* 1690. *quæ est in ordine la* 29. *ita sonat*.

Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Œcumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

Quam docens &c. & ad praxim deducens, incurrit pœnas, quas incurrunt docentes &c. alias propositiones proscriptas, prout in fine Additionis ad cap. 3. *verbo* — Absolutio. — ☜

CAPUT II.

Appellantes, seu aliter recurrentes ad laicam potestatem ab ordinationibus, vel litteris Sedis Apostolicæ, aut ipsius judicam.

EXcommunicationem incurrunt Papæ reservatam ex *cap.* 13. in Cœna Domini. Vide *verbo*, *Jurisdictio cap.* 14.

CAPUT III.

Appellantes, seu recurrentes ad curiam secularem ab ordinationibus alicujus Judicis ecclesiastici.

EXcommunicationem incurrunt Papæ reservatam ex *cap.* 16. Bullæ in Cœna Domini, sive illi Judices ecclesiastici sint ordinarii, sive delegati, ut patet in eadem Bulla: & multi dicunt, hoc procedere, etiamsi sic appellantes, & recurrentes nulla decreta pœnalia, aut inhibitiones contra eosdem Judices ecclesiasticos obtineant; alii tamen contrarium tenent. Vide interpretes super dicta Bulla *cap.* 19. *& Bonac. de censur. in partic. disp.* 1. *q.* 17. *punct.* 1. *n.* 28. qui Auctores pro utraque parte allegat. Et continet etiam Judices seculares, qui ea occasione decernunt contra dictos Judices ecclesiasticos, & eos, qui illa decreta exequuntur: & continet dantes consilium, patrocinium, & favorem in eisdem, ut patet ex eadem Bulla.

In hac materia vide plures pœnas *infra verb. Curia*, *c.* 8. *& verbo Jurisdictio*, & procedit, etiam in tacita, seu anticipata appellatione ad procurandum impediri futuras ordinationes Judicis ecclesiastici, ut *Bonac. num.* 23. secundum probabiliorem.

CAPUT IV.

Appellatio religiosis quibusdam prohibita, ab ordinationibus Prælatorum, etiam ad Papam, vel per saltum.

EXcommunicationem incurrunt Papæ reservatam multi Regulares id facientes, ex suis Constitutionibus, vel privilegiis suarum Religionum, cujus rei explicationem vide apud *Sanchez lib.* 6. *cap.* 8. *n.* 107. *cum seqq. Dianam resolut.* 54. *tract.* 2. *tom.* 2. Tale jus habent Carmelitani ex Bulla Clementis VIII. *Quoniam* 110. & Franciscani de Observantia ex Bulla Gregorii XIII. Constitut. 27. *Quoniam nostro*, ut *Barbos. al. leg.* 50. *n.* 154. & alii communicantes cum illis in privilegiis. Hæc tamen censura non procedit, si subditus a suis Prælatis prægravetur, & gravamen sit manifestum, vel si appellet, venia prius a Papa obtenta, *Sanch. lib.* 6. *cap.* 8. *n.* 110. *Diana loco cit.*

☞ *Clericis Regularibus Scholarum Piarum ex Brevi Clem. XII.* 14. *Novembr.* 1736. *non aliter appellare licet* — quam gradatim, nempe a Rectore collegii, seu domus, utpote immediato superiore, ad Præpositum Provincialem, ac deinde ad ipsum Præpositum Generalem ejusdem Congregationis: ita ut causæ appellationis, seu recursus hujusmodi, antequam a dicto Præposito Generali cognitæ, & definitæ fuerint, extra eamdem Congreg. deferri, & agitari nequeant — *ne coram quidem S. R. E. Cardinalium Congregationibus, ac Sedis Apostolicæ Nunciis, sub pœna nullitatis, actorum, ac inde secutorum: quoad religiosos vero appellantes, vel recurrentes sub pœnis arbitrio Romani Pontificis infligendis.* ☜

☞ CAPUT V.

Appellatio in quibus causis non admittatur.

IN Constit. Benedict. XIV. Ad Militantis 30. *Martii* 1742. *referuntur sequentes causæ, in quibus appellatio cum inhibitione in suspensivo concedi prohibetur, non obstante quacunque contraria consuetudine, etiam immemorabili, aut privilegio, sub pœna nullitatis actorum, etiam quoad citationes expediri solitas coram Signaturæ Præfecto, ad effectum comparendi, aut adeundi eamdem Signaturam.*

1. *A decretis, quorum executio a Trident. demandata est locorum Ordinariis, etiam uti Sedis apostolicæ delegatis, appellatione, vel inhibitione quacunque postposita.*

2. *Ab eorum decretis, tam in visitatione, quam extra, circa cultum divinum conservandum, vel augendum; & præcipue circa missæ celebrationem.*

3. *A decretis cogentibus clericos tam seculares, quam regulares, etiam monachos, & exemptos, ad processiones publicas; servata tamen forma Constit. Pii V.*, Et si Mendicantium, *& circa præcedentias in eisdem inter dictos clericos, vel associatione cadaverum, delatione umbellæ &c. ac super observantia censurarum, etiam episcopalium, & festorum diœcesam.*

4. *A decretis circa curam animarum, & sacramentorum administrationem, aliaque parochialia munera, etiam quoad exemptos, tam seculares, quam regulares.*

5. *A deputatione Vicariorum, etiam perpetuorum, cum assigna-*

assignatione congrua in parochialibus perpetuo unitis quibuscunque Ecclesiis, aut locis piis.

6. A visitatione dictarum Eerlesiarum parochiolium, & aliarum quarumcunque quomodolibet exemptarum, & a decretis circa earumdem reparationem, & curam animarum.

7. A deeretis, quibus Episcopi, etiam, uti Sedis apostolica delegati, cogunt rectores Ecclesiarum parochialium, aut baptismalium ob populi numerositatem sibi tot sucerdotes adjungere, quot sufficiant ad sacramentorum administrationem; aut quibus ob grave populi incommodum ad hec percipienda ipsis etiam invitis, novas parochius constituunt cum assignatione competentis portionis; vel quibus tandem ob paupertatem, & in ceteris casibus a jure permissis, perpetuo aliis simplicia beneficia uniunt.

8. A deputatione coadjutorum, aut vicuriorum parochialium Ecclesiarum ob earum rectorum illitteraturam, vel suspensionem, aut etiam privationem, quando turpiter, & scandalose vivunt, si moniti, incorrigibiles perseverant.

9. A translatione beneficiorum simplicium, etiam juris patronatas, ex Ecclesiis collapsis, qua ob inopiam reparari nequeunt, in matrices, aut alias Ecclesias cum omnibus emolumentis, & oneribus; vocatis iis, quorum interest: & u decretis cogentibus patronos, rectores, beneficiatos, aut parochianos ud restaurationem Eerlesiarum parochiulium, servata forma Trident. sess. 21. cap. 7.

10. A censuris, sequestratione, & subtractione fructuum contra curam animarum habentes, non residentes.

11. A denegatione, revocatione, suspensione, vel restrictione facultatis audiendi secularium confessiones contra sucerdotes non parochos, etiam regulares.

12. A divisione, seu distinctione parochiarum, earumque institutione in titulum, juxta Triden. sess. 24. de reform. cap. 13., ubi parochia, vel certos non habent fines, qua de causa earum rectores promiscuo petentibus sacramenta administrunt, vel nulle sant.

13. A deputatione œconomi tempore parochialis Eerlesiæ vacantis: sicut & ub indictione concursus, relatione Examinatorum, & præelectione, & provisione Episcopi in eodem concursu.

14. A decretis contra habentes publicas lectiones, nec non prædicationem verbi Dei sine licentia Episcopi, etiam a Regularibus in alienis Ecclesiis, & in suis, non petita ejus benedictione, juxta Constit. Clem. X. Superna.

15. A decretis circa clausurum monialium, ac punitionem delinquentium in eum, & personas intra eam degentes. Item circa examen pro approbatione, vel reprobatione confessariorum earumdem, tam ordinariorum, quam extraordinariorum, & tam secularium, quam regularium quomodolibet exemptorum; etiam pro monialibus subjectis iisdem Regularibus: sicuti & contra eurumdem ministros, tam pro mala administratione, quam pro reddenda singulis annis bonorum ratione: ac demum circa quorumcunque ipsorum officialium amotionem, servata forma, quoad Regulares, & exemptos, Constit. Gregor. XV. Inscrutabili.

16. A pastoralis visitutione diœcesis; & præsertim monasteriorum commendatorum, abbatiarum, prioratuum, & præpositurarum, in quibus non viget regularis observantia; ac beneficiorum tam curatorum, quam non, secularium, & regularium, qualitercunque commendatorum, etiam exemptorum; & ab executione decretorum in ipsu visitatione factorum; sicuti & ab illis factis extra visitationem pro conservatione, & reparutione disciplinæ ecclesiasticæ circa vitam, mores, honestatemque quorumcunque clericorum, ac luxum, comessationes, choreas, lusus, crimina, & secularia negosia evitanda: ad formam tamen decretorum Congreg. Episcop. edit. an. 1600. de mandato Clem. VIII.

17. A decretis cogentibus præsentatos, electos, vel nominatos quibusvis ecclesiasticis personis, etiam Sedis apostolicæ Nunciis, ad se subjiciendum examini Ordinariorum, antequam instituantur, & confirmentur (institutio enim semper debet fieri ab Episcopo, quando agitur de beneficiis, quæ pleno jure ab aliis non conferuntur).

18. A denegatione promotionis ad sacros ordines, & a suspensione susceptorum ob crimen occultum, sive ex informata conscientia.

19. A præfixione termini pro punitione Regularis Episcopo non subjecti, degentis intra claustra, sed extra notorie scandalose delinquentis, facienda a suo superiore, & pro notitia punitionis hujusmodi Episcopo danda.

20. A censuris, aliisque provisionibus contra concubinarios, & etiam contra detinentes mulieres suspectas domi, aut extra.

21. A privatione privilegii fori, & a decretis contra clericos non incedentes in habitu, & tonsura; & in aliis casibus a Trident. præscriptis sess. 14. cap. 6. & 23. de reform.

22. Ab approbatione, & reprobatione patrimonii, pensionis, aut beneficii, quoad promovendos ad sacros ordines.

23. A convocatione capituli facta ab Episcopo pro deliberando aliquo negotio cum voto capitularium; ad ipsius tamen, vel suorum commodum non spectante.

24. A decretis circa conversionem tertiæ partis quorumcunque proventuum, & obventionum, tam dignitatum, quam canonicatuum, personatuum, portionum, & officiorum in distributiones quotidianas, earumque divisionem inter dignitates obtinentes, & alios Divinis interessentes in Ecclesiis cathedralibus, & collegiatis, in quibus nullæ sunt hujusmodi quotidianæ distributiones; vel sunt ita tenues, ut verisimiliter negligantur, juxta Tridentin. cap. 3. sess. 21. & sess. 22. cap. 3. de reform.

25. Ab executione piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos, juxta idem Trident. dicta sess. 22. cap. 8.

26. A visitatione hospitalium, & quorumcunque piorum locorum, etiam exemptorum, & a laicis administratorum, collegiorum, confraternitatum, eleemosynarum, montium pietatis, ac a cognitione, & executione pertinentium ad Dei cultum, & pauperum sustentationem; atque a ratione administrationis eorumdem locorum singulis annis Episcopo reddenda; nisi aliter in ipsorum institutione, & ordinatione expresse cautum fuerit, juxta cit. cap. 8. sess. 22., & cap. 15. ses. 7. c. 9. ses. 22. & 8. sess. 25.

27. Ab examine, suspensione, vel remotione quorumcunque notariorum scribentium in causis ecclesiasticis, juxta cap. 10. dictæ sess. 22.

28. Ab erectione seminarii, & præfixione taxæ imponendæ dignitatibus, personatibus, officiis, præbendis, portionibus, abbatiis, & prioratibus cujuscunque Ordinis, etiam Regularium, hospitalium (quæ dantur in titulum, vel administrationem) beneficiis quibuscunque tam Regularium, quam jurispatronatus, exemptorum, & nullius diœcesis, vel annexis aliis Ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, aut quibusvis locis piis, licet exemptis: ac tandem imponendæ relitibus pertinentibus ad fabricas Ecclesiarum, confraternitates, & monasteria omnia (non tamen Mendicantium) & decimis quacunque ratione spectantibus ad laicos, & milites cujuscumque militiæ, aut Ordinis (excepto Hierosolymitano) nec ab unione aliquot beneficiorum simplicium; sicuti neque a decretis contra scholasterias obtinentes, quibus lectionis, vel doctrinæ munus ad docendum, aut per se, aut per alios, est annexum: nec denique a quibuscunque provisionibus, curam, directionem, & administrationem seminarii respicientibus, juxta Trident. sess. 13. de reform. cap. 18.

29. A reddenda ratione administrationis gestæ ab œconomo, & vicario capitulari tempore Sedis episcopalis vacantis, juxta Trident. sess. 24. de reform. cap. 16.

30. A comminatione excommunicationis a jure latæ, & a sententia suspensionis, & interdicti; nisi appellatio fuerit interposita ex capite nullitatis: & e converso a sententia absolutionis ab iisdem censuris.

31. Ab executione quorumcunque aliorum decretorum, locorum Ordinariis a Trident., & Constit. Pii IV. Benedictus Deus demandata.

32. In prædictis omnibus causis permittitur simplex dumtaxat, & extrajudicialis recursus ad S. Sedem, & juxta earum naturam appellatio in solo devolutivo, ad quos de jure, sine retardatione legitimæ executionis decretorum super eisdem causis: nunquam autem admittenda, nisi prius constito de legitima ejus interpositione, & in causis a jure permissis.

33. Si denegatum fuerit instrumentum sententiæ, a qua appellatur, appellans tenetur producere in actis ejus copiam simplicem; & in inhibitione exprimenda est conditio -- quatenus vero tenor insertus vere, & in substantialibus cum originali concordet, eodemque originali præsentes litteræ sint in tempore posteriores; alioquin nullæ, & irritæ censeantur -- sub infrascriptis pœnis respectu notariorum, ut seq. num. 35.

34. Si appellatum fuerit a gravamine, quod per definitivam reparari nequit, si hoc est de carceratione jam secuta cum mandato verbali, non admittitur appellatio, nisi prius constito de carceratione per depositionem duorum saltem testium; & interim

ap-

appellans remanere debet in carcere, donec aliter decisum fuerit. Si vero gravamen est de censuris jam prolatis, vel de comminatione carcerationis, torturæ, aut censurarum, observanda est dispositio decretorum Cong. Episcoporum sub Clem. VIII. juxta declarationes Benedicti XIII. in appendice ad Conc. Rom., ibi *Ad* 12. *&* 13. *decretum Clemen. VIII.* Quoad absolutionem ultimam a censuris, servetur dispositio supradicti decreti 12. Clemen. VIII. juxta etiam canonicam sanctionem, quod in casu constet de justitia censurarum, debeat remitti absolutio danda ad judicem, a quo: si vero constet clare de injustitia, judex, ad quem, absolutionem impedat. Si vero adsit dubietas, an fuerit justa, honestius esset, ut ad excommunicatorem infra aliquem competentem terminum præfigendum absolvendus remittatur; licet etiam judex, ad quem, hoc casu idipsum per se præstare jure possit. Verum quoad absolutiones cum reincidentia, quæ partibus concedi solent a judicibus, ad quos appellatur, ad effectum audiendi, cum innuerit usus tam in tribunali A. C., quam forsan etiam in metropolitanis, alisque tribunalibus appellationum, quod committantur absolutiones cuicunque confessario, itaut rei, absque ulla reverentia proprii Ordinarii pro absolutis se publice habeant, Sanctitas sua statuit, ut in futurum hujusmodi absolutiones cum reincidentia, tam in tribunali A. C., quam in curiis metropolitanis, aliorumque judicum appellationum, committantur ipsis Ordinariis excommunicantibus, cum clausula, ut infra tres dies absolvant censuratos, juxta commissionem: quibus elapsis, si requisitus Ordinarius absolvere recusaverit, vel neglexerit, absolvantur a confessario juxta commissionis formam, quæ in præsenti servatur in dictis commissionibus absolutionum. Quoad vero censuratos, in urbe commorantes, committi debeat absolutio Cardinali urbis Vicario, seu ejus Vicesgerenti; ac præfata servari etiam mandavit in absolutionibus, quæ conceduntur per Congregationes, prout jam religiose in ipsis servatum fuit. Declaravitque rursus Sanctitas Sua, quod hujusmodi commissiones de absolvendo præsentari debeant cancellario Ordinariorum, a qua præsentatione currere debeant tres dies, post quorum lapsum, & non data absolutione, possint ab aliis absolvi, ut supra in commissione.

Quoad insuper censuratos, mandat Sanctitas Sua, quod, reportata absolutione a censuris cum reincidentia, cedulones, quatenus affixi fuerint, amoveri non debeant, sed tantummodo tegantur, & tecti remaneant, durante termino obtentæ absolutionis.

35. *Ab hac generali regula denegandæ appellationis Pontifex excipit particulares casus, qui per Trident. Constitut. apostolic. aut communem Doctorum sententiam in suspensivo admitti potest: serio tamen expendendi a judice superiori, an sint de exceptis; & tunc taliter non concedenda, nisi adjecta hac clausula*: nos enim, attentis, juribus & supplici libello nobis præsentatis, atque in actis exhibitis, sicut præfertur, inhibendom esse specialí rescripto mandavimus: *sub pœna nullitatis; notariis vero infamiæ, & perpetuæ inhabilitatis ad officium notarii in causis ecclesiasticis exercendum ipso facto incurrenda, si præsumpserint citationes cum inhibitione expedire sine tali speciali rescipto, ejus productione, & infertione prædictæ clausulæ in actis: & insuper quoad notarios Urbis quinquaginta ducatorum auri de Camera, huic pro una medietate, & pro altera parti recurrenti; sin minus locis piis arbitrio Pontificis applicandorum.*

36. *Item excipiuntur monitoria in causis privilegiatis coram Auditore Cameræ apostolicæ, ejusque Locumtenentibus, etiam in prima instantia tractandis, juxta præscriptum Constit. Pauli V.* Universi, *& citatas declarationes Benedicti XIII. Quæ, si expediantur ultra montes, offerri prius debet supplex libellus, universam facti speciem clare continens, & prævio ejusdem Audit. Cam. rescripto de ipsis expediendis, sub pœnis, ut supra, in notorios aliter expedientes.*

37. *Denique in citat. Constitut.* Ad militantis *statuitur, ut causæ omnes, tam civiles, quam criminales, ad forum ecclesiasticum pertinentes, exceptis privilegiatis, & aliis de jure excipiendis, in prima instantia coram locorum Ordinariis cognoscantur; nec a quoquam avocari possint, nisi per viam legitimæ appellationis.*

Circa appellationem in causis matrimonialibus, vide Additiones meas infra post cap. VII. verb. Matrimonium.

Circa appellationem pro nullitate professionis regularis, vide Additionem post c. I. verb. Novitius.

Circa appellationem ab irrationabili judicio Ordinarii quoad præficiendos parochialibus Ecclesiis, vide Additionem post cap. X. verb. Beneficium.

Circa appellationem quoad præsentatos a patronis pro iisdem Ecclesiis, vide Additionem post cap. VI. verb. Patronus.

CAPUT I.

Archivi erectio.

Vide *Inventarium cap.* 1.

CAPUT I.

Arma præstans alicui ad occidendum accipienti.

Irregularis efficitur, secuto homicidio; & dicitur irregularitas ex homicidio voluntario, *Molin. tom.* 4. *part.* 1. *disp.* 33. *memb.* 6. *n.* 8. *Ugolin. cap.* 17. *de irregul. n.* 3. *Farin. in fragm. verb. Irregularitas, n.* 569. *Majol. lib.* 5. *cap.* 48. §. 3. *n.* 17. *vers. Huc spectat.*

Limita, ut procedat, si dans arma, sciebat intentionem pravam accipientis: si autem non cogitavit de ea, non est irregularis; si autem dubitabat, tunc secuto effectu, est irregularis, tanquam ex homicidio casuali, *Molina, & Ugolin. ibi Bonac. n.* 35. *Suar. disput.* 45. *sect.* 4.

Pœnam quoque ordinariam homicidæ incurrit sciente arma occisuro accommodans, *Farinac. quæst.* 130. *n.* 7. cum ibi congestis: unde damnatus, fit infamis, & ex hoc quoque capite iterum irregularis, ut dixi *verbo Homicidium*. Item tenebitur ad restitutionem, ut homicida, in defectum principalis, sive scienter, sive dubitanter arma commodet ad homicidium, §. *Interdum, instit. de oblig. quæ ex delict. Less. lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 31. *Suar. de charit. disp.* 10. *sect.* 4.

CAPUT II.

Arma habentes Monachi intra septa monasterii.

Excommunicationem incurrunt ex *Clemen.* 1. §. *Quia vero, vers. Præfate de stat. Monac.* sed non est reservata, & loquitur de præsumentibus tenere arma sine licentia Abbatum suorum; & secundum multos loquitur tantum de Monachis nigris: ita tenet *Angel. verb. Excomm.* 7. *casu* 38. *n.* 4. *Suar. de censur. disput.* 23. *sect.* 5. *n.* 4. *& n.* 8. *Filiac. tract.* 14. *n.* 142. & hanc tenet, & communem dicit *Vitalin. in hac Clem.* §. *Quia vero n.* 41. sed magis communis sententia tenet, procedere tam de albis, quam nigris Monachis, ut *Sayr. lib.* 3. *cap.* 33. *n.* 28. *Tolet. lib.* 1. *cap.* 39. §. *Quarta habetur, vers. Secundo excommunicantur, Bonac. de censur. partic. disput.* 2. *quæst.* 8. *pun.* 16. cum aliis Doctoribus: non tamen continentur Canonici regulares, neque alii Religiosi, ut Mendicantes, *Sayr. ibi, & alii citati*.

Armorum autem appellatione hic continentur omnia instrumenta ad usum pugnæ per se instituta, sive offensiva, sive defensiva; non autem alia ex intentione privata assumpta ad pugnam, ut ligna, & lapides, ut *Suar. Sayr. Tolet. ibidem*: quia sumus in materia pœnali: & quia licet hæc contineantur nomine armorum, quando agitur de pœna contra facientem vim, seu insultum cum armis; secus tamen, quando est pœna contra deferentem simpliciter, seu retinentem arma, ut *Farinac. consil. crimin.* 169. *n.* 21. *& Cabal. resol. crimin. casu* 63. *n.* 4. *& seqq.*

CAPUT III.

Armis, vel annona auxilium præstans infidelibus contra fideles.

Hoc est sacrilegii crimen contra christianam rempublicam, *Sayr. lib.* 3. *de censur. cap.* 11. *n.* 2. *Filiac. tract.* 16. *n.* 127. & etiamsi illa ad hostes fidei deferantur non ex intentione nocendi christianis, tamen est crimen proditioni proximum, quia indirecte, & interpretative vult hoc nocumentum, *lib.* 2. *Cod. quæ res export. non deb.*

Ex cap. Ita quorumdam, & cap. Ad liberandam de Judæis, bona taliter delinquentium publicanda sunt per eorum principes seculares, & ipsi capientium fiunt servi; vide *Abb. in dict. cap. Ita quorumdam.*

CAPUT IV.

Arma, & alia facientia ad belli apparatum deferens ad Saracenos quocunque loco, aut tempore, aut in navibus eorundem pyraticis, aut galeis gubernationem exercens.

TAles eacommunicationem incurrunt latam, *cap. Ita quorundam de Judaie:* & quamvis summa illius teatus dicat, excommunicandos esse, tamen vere est latæ sententiæ, ut patet ex textu, & ita *Sylv. excom.* 7. *n.* 18. *Sayr. lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 12. *Navar. super idem cap. not.* 1. *n.* 1. & tenent communiter Doctores, ut *Abb. ibi, & alii.* Sed hæc exeommunicatio non est reservata, *Navarr. not.* 11. *n.* 37. *Sylvest. excom.* 8. *n.* 65. Præcipitur tamen in eodem textu in fine, ut per Ecclesias maritimarum urbium crebra, & solemnis in eos excommunicatio proferatur: quod aliqui putant, esse aggravationem ejusdem censuræ, de qua aggravatione qualiter fiat, vide *Sayr. lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 34. Alii putant, esse denunciationem prioris censuræ: sed communis sententia est, esse aliam excommunicationem, scilicet ab homine: unde erit reservata ferenti, & sublata priori a jure, remanet hæc secunda; ita de communi testatur *Gonzalez gloss.* 13. *n.* 82.

CAPUT V.

Arma, & alia ad belli apparatum facientia deferens ad Saracenos: item galeas, aut naves eis vendens, vel in eorum pyraticis navibus gubernationem exercens, aut machinis, vel quibuslibet aliis rebus aliquod eis auxilium impendens, vel consilium in dispendium Terræ Sanctæ.

EXcommunicationem incurrit latam in *cap. Ad liberandam de Judeis:* non est reservata, nisi ratione prærequisitæ satisfactionis, quia, ut in eo textu dicitur, gremium Ecclesiæ eis non potest aperiri, nisi prius & totum lucrum, quod ex eo damnato commercio perceperunt, & tantundem de suo in subsidium Terræ Sanctæ transmittant; & præcipit similiter contra eos in maritimis civitatibus excommunicationem prædictam innovari. Sed hodie hæc excommunicatio, & pœna non est in usu, quia Terra Sancta ab infidelibus detinetur.

CAPUT VI.

Arma Saracenorum annona, aut mercimoniis, aut alio subsidio, consilio, aut commercio foventes tempore belli, ubicunque.

EXcommunicationem incurrunt latam *in cap. Significavit, & cap. Quod olim de Judæis, & Sarac.* & procedit etiam tempore treughæ, quia non dicitur tempus pacis, sed belli, ut *dicto cap. Significavit, Sylv. excomm.* 7. *n.* 18. *Sayr. lib.* 3. *cap.* 11. *n.* 12. Hæc excommunicatio non est reservata.

CAPUT VII.

Arma, annonam, aut mercimonia deferens, aut extrahens, aut extrahi permittens quovis tempore ad Saracenos Ægypti, & auxilium, vel favorem ad ea præstantes.

EXcommunicationem incurrunt latam in *extravag. Multa Clem. V. de Judæis, & Saracen.* vide *Sylv. excomm.* 7. *n.* 58. *in fin. Tolet. lib.* 1. *cap.* 24. *n.* 11. sed procedit solum contra operantes ex præsumptione, idest scienter, ut in tex. & hæc excommunicatio est reservata Papæ, & neque in articulo mortis absolvi possunt, nisi prævia hac satisfactione, seu pœna, ut tantundem de propriis bonis exsolvant in subsidium Terræ Sanctæ, quantum eatraxere, vel detulere (ut supra) ad Saracenos, ut *ex eo textu*. Hæc excommunicatio hodie non est in usu, quia Regnum Ægypti non est sub Saracenis, *Dian. resol.* 36. *miscel.* 2. *part.* 1. *cum Sylv. & Lorca.*

Præterea hanc excommunicationem, sicut omnes excommunicationes Extravagantium, fuisse revocatas a Bonifacio VIII. in compilatione 6. Decretalium, ait *Angelus excom.* 5. *casu* 21. *n.* 8. *& Tabiena excomm.* 6. *n.* 1. *cum S. Antonin.*

☞ *Asserta revocatio cit. Extravag.* Multa, *fieri omnino non potuit a Bonifacio VIII. cum creatus fuerit Summus Pontifex annis decem, mensibus quinque, diebus duodecim ante Clementem V. die nempe* 23. *Decembris* 1294. *Clemens vero die* 5. *Junii* 1305. ☜

CAPUT VIII.

Arma, armorumque materiam mittens, aut deferens quovis tempore ad infideles quoscunque christiani nominis hostes; vel ad hæreticos expresse, vel nominatim a Sede Apostolica declaratos; vel alia hujusmodi, quibus illi christianos, seu catholicos impugnant: item in iis præbens auxilium, consilium, vel favorem.

ISti eacommunicationem incurrunt latam in Bulla in Cœna Domini *cap.* 7. Papæ reservatam. Vide Auctores *super cap.* 7. Bullæ ejusdem.

Nota primo, quod in *dict. cap.* 7. dicitur *de christiani nominis hostibus*, intelligi de iis infidelibus, qui in odium nominis christiani, christianis bella inferunt, vel facile illaturi censentur, si se eis præbeat occasio; ita ut vel actu, vel habitu, seu in præparatione animi, christianorum inimici dici possint, *Navarr. in cap. Ita quorundam not.* 4. *n.* 11. *de Judæis, Suar. de cens. dis.* 21. *sect.* 2. *n.* 56. *Bonac. super eod. cap.* 7. *Bullæ pun.* 3. *n.* 2. *cum aliis per eum citatis.*

Nota secundo, quod ait, *ad hæreticos a Sede Apostolica expresse, vel nominatim declaratos*, illam particulam, *vel*, cum sit posita inter genus, & speciem, non intelligi alternative (secundum veriorem sententiam) sed expositive pro, *idest*, ut *gloss. & Bar. in lib.* 2. *in prin. ff. ad leg. Aquil. Ruin. cons.* 99. *n.* 11. *vol.* 2. nam in jure idem est dicere, *expresse*, ac *nominatim*, ut *tex. & ibi gloss. & Canonistæ communiter in cap. Inquisitores de hæret. in* 6. *Cardin. cons.* 136. *col.* 5. *& plurimi DD.* quos allegat, & sequitur *Mantic. de conject. lib.* 7. *cap.* 12. *n.* 1. *&* 11. ubi bene probat, satis dici nominatim, & expresse declaratum, quod licet verbis generalibus expressum sit, ex circumstantiis tamen apparet, non debere intelligi, nisi de tali, perinde ac si in individuo esset expressum, *per leg. Nominatim, ff. de lib. & posth. & leg. Nominatim, ff. de leg.* 3. Atque ita in casu nostro procedit hæc censura, sive princeps fuerit declaratus hæreticus nomine proprio, sive alias demonstratione æquivalente; ut sub nomine principis talis Status, seu Regni, ut *Bonac. loco cit. n.* 5. *cum aliis*. Et quod illa particula, *vel*, hic stet expositive, tenent *Tolet. lib.* 1. *cap.* 23. *n.* 5. *Filiuc. tract.* 16. *n.* 128. ubi addit, hodie nullum principem hæreticum reperiri nominatim, seu expresse declaratum: neque enim sufficit, esse excommunicatos declaratos sub nomine generico, ut Luterani, Calvinistæ omnes &c. *Sanchez in decal. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 3.

☞ *Circa arma, aliasque res pro instruendis turcarum onerariis, æque ac bellicis navibus, quas Catholici in Albaniæ regionibus degentes ad eosdem transvehunt, notanda est declaratio Bened. XIV. ab ipsomet relata* lib. 13. de Synod. Diœc. edit. Patav. an. 1756. cap. 20. n. 7., *ibi*. Albanensibus itaque Episcopis, qui in relatione status suarum Ecclesiarum petitionem, de qua hucusque disseruimus, pro miserrimis christifidelibus sibi subditis ad Congreg. de Propaganda Fide detulerunt, post accuratum rei examen, conscriptæ fuerunt, ac datæ encyclicæ litteræ die 14. Martii 1747. quibus auctoritate nostra mandatum ipsis fuit, ne molestiam ullam afferrent miseris illis catholicis, si suis navibus ad turcas, nullo inter hos, & christifideles indicto bello, transveherent sclopos majores, atque minores, sarissas, gladios, plumbeas glandes, nitratum pulverem, chalibem, ferrum, aurichalcum, æs, funes, aliaque ad onerarias, aut bellicas naves struendas idonea: adhibito tamen modo quoad numerum, & quantitatem, quemadmodum plerumque fieri dignoscitur; ac firma ceteroquin, & illæsa remanente prohibitione transvehendi, sive pax vigeat, sive bellum ardeat, mortaria, incendiarias pilas, tormenta bellica majora, plumbeos, aut ferreos majoris moduli globos, ipsosque sclopos ingenti numero; quod tamen, ut supra diximus, rarius contingit. Qua inita ratione, satis provisum putamus, ut & prohibitio, quantum necesse est, sarta tecta servetur, & miseris illis christifidelibus, nihil iniquo animo molientibus in Religionis sodales, facultas relinquatur comparandi sibi victum, ac evadendi violentias, atrocesque persecutiones sibi ab iniquis dominis imminentes. — ☜

Quæ-

Quæres primo, an christiani remiges in triremibus turcarum peccent, & incurrant in hanc censuram, remigando in prælio contra classem, aut locum christianorum. Respondeo, communiter loquendo, eos excusari a culpa, & pœna, quod gravi metu coacti cooperentur armis turcarum per actionem de se indifferentem, & non intrinsece malam. Et licet, si omnes alii unanimiter a remigio cessarent, cum magno bono christianitatis, singularis teneretur desistere sub peccato, & sub pœna hujusmodi; tamen communiter loquendo, non censetur spes, quod si ille desistat, alii desistant: & ita tenent *Sanch. lib. 9. de matr. d. 31. n. 6. Navarr. de rest. lib. 3. cap. 4. n. 52. Molina tom. 1. disp. 115. Coninch. de fide disp. 13. n. 219. Avila part. 2. cap. 6. disp. 8. dub. 5. §. Sequitur, Filiuc. tract. 16. n. 76.* ubi addit, eos non excusari a peccato, si cooperentur immediate deprædationi, seu violentiæ.

Quæres secundo, an licitum sit christiano principi bellum justum gerenti contra alium principem christianum, advocare in suum auxilium infideles, seu hæreticos, ob necessariam, & justam sui defensionem, seu juris sui consecutionem: respondeo, licere, dummodo ipse provideat, ne illi infideles injuriam inferant Ecclesiis, rebus, ac personis Deo sacris: & quod inde illi non reddantur potentiores contra christianam rempublicam, & quod cesset scandalum christianorum, & præsertim periculum pervertendi fideles, seu catholicos a recta fide, DD. communiter tenent, ita *Coninch. de charit. disp. 23. n. 102. Suar. de charit. disp. 3. sect. 7. in fin. Bonac. de rest. disp. 2. quæst. ultim. pun. ult. §. 2. n. 6. Laym. lib. 2. tract. 3. cap. 12. n. 6.* qui tamen ait, plerumque in hujusmodi advocatione infidelium, & hæreticorum adesse scandala, & incommoda supradicta. Quapropter Fulco Rhemensis Archiep. Carolo Francorum Regi, sub interminatione excommunicationis prohibuit, ne Normannos, tunc infideles, sibi in auxilium assumeret in bello justo contra Odonem Regem, quamvis viribus fortiorem, propter periculum hujusmodi scandalorum, addens, nihil distare, utrum quis se paganis societ, an abnegato Deo, idola adoret, ut narrat *Frodoard. in Hist. Rhem. lib. 4. cap. 5. Baron. ann. Christi 898. pag. 644.*

CAPUT IX.

Arma prohibita in terris Ecclesiæ Romanæ gestantes, habentes, aut gestandi, seu habendi licentiam dantes.

I. Ex Bulla Pii IV. *Cum vices* 49. statutum est, ne quis archibusettos duobus palmis breviores retineat, alias incurrat pœnas rebellionis, & læsæ majestatis a jure inflictas: Legati autem, & Gubernatores, & ministri licentiam dantes super hoc, incurrunt eo ipso suspensionem a divinis, & excommunicationem. Ipsos vero tali licentia utentes, prædictas pœnas incursuros declarat Papa in eadem Bulla pro statu Ecclesiæ temporali tantum. *Comit. lib. 6. resp. quæst. 12. n. 1.*

I. Nota, quod Legati de Latere non continentur in dictis pœnis, sed incurrunt eo ipso Pontificis indignationem (de qua re dixi *part. 1. cap. 42.*) ita in Bulla eadem cautum est.

II. Nota, quod mensura duorum palmorum intelligitur de sola canna, non autem etiam cum capsa, *Cherubin. super ead. Bul. schol.* 2. declaratum postea fuit, capsam quoque comprehendi. Item, quod ait retinentes archibusettos, vel utentes licentia, dictas pœnas incursuros, intelligendum de pœna rebellionis, & læsæ majestatis a jure communi statuta, non autem a jure canonico, ut de excommunicatione, & suspensione: quamvis *Comitolus loc. cit. dub.* 3. æstimet, retinentes quidem sine licentia, non incurrere, nisi pœnas juris civilis: utentes autem licentia, incurrere etiam pœnas juris canonici, idest, censuras statutas in dicta Bulla. Sed ratio meæ sententiæ est, quia paria sunt non habere licentiam, vel habere inutilem, seu nullam quoad pœnas incurrendas, ut *Felin. in cap. Cum causa, n. 4. de off. deleg.* ubi late examinat. Item nota, quod dicta excommunicatio, & suspensio non est reservata.

Ex Bulla Pii V. *Cum vices* 145. prohibitum est, ne quis ferat pugiones, aut cultellos, aut quodvis genus armorum, brevioris mensuræ trium palmorum, & contravenientes incurrant ipso facto pœnas læsæ majestatis. Legati autem, & Gubernatores, & officiales præsumentes licentiam concedere, etiam ad brevissimum tempus, dicta arma prohibita deferendi, peccant mortaliter, & incurrunt excommunicationem, & suspensionem a divinis; sed excipit ab his censuris Legatos a latere; eos tamen decernit, incurrere pontificiam indignationem.

Nota, quod istæ censuræ non sunt reservatæ, ut patet ex Bulla, & notat *Comitol. loc. cit. n.* 1. Item, quod hæc Bulla, seu prohibitio hodie abiit in desuetudinem, cum pugiones in statu Ecclesiæ communiter bipalmares ferantur; ita *Comitol. lib. 6. resp. quæst.* 12. *n.* 4.

☞ *Citatæ Constitutiones Pii IV. & V. confirmatæ, & innovatæ sunt sub pœnis læsæ majestatis, & rebellionis ab Alex. VIII. Constit.* Etsi cuncta, *idib. Aug.* 1690. *pro toto Statu ecclesiastico, comprehensis etiam legationibus, & civitatibus Bononiæ, Ferrariæ, Beneventi &c. vetando insuper sub iisdem pœnis nedum dictorum armorum retentionem, sed etiam fabricationem, & venditionem; ac declarando in hac sua Constit. ac Pii IV. & V. comprehendi quoscunque clericos tam seculares, quam regulares cujuslibet ordinis, etiam militarium, & S. Joan. Hierosolymitani, ac alios quomodolibet immunitate personali gaudentes.*

Hæc Alex. Constit. confirmata est in omnibus a Clem. XI. 2. *Jan.* 1708. *addendo tam in deferentes, quam in fabricantes, & vendentes pœnam triremium ad septennium, ac etiam in perpetuum, arbitrio Cong. S. Consultæ: & in clericos, aliosque, ut supra, per quinquennium, vel ultra, juxta casuum, & personarum circumstantias. Item a Clemen. XII. Constit.* In supremo *Kal. Febr.* 1734. §. Et quia.

Ac tandem a Bened. XIV. Constit. Securitatem 15. *Jan.* 1752. *declarando insuper nihil Fisco ad hujusmodi reos condemnandos incumbere, quam probare transgressionem dictarum Constitutionum.* ☜

Clericus, vel Monachus damnatus de delatione armorum, de quibus supra, in Statu Ecclesiæ Romanæ, fit irregularis, quia est crimen publicum læsæ majestatis. Extra terras Ecclesiæ Romanæ non fit irregularis, cum non censeatur hodie crimen publicum, *leg. Juliæ de vi publica*, ut erat olim *ex leg. 1. ff. eod.* nam hæc lex, quoad hoc, est desuetudine abrogata, ut *Menoch. de arbitr. cas. 394. n. 49. cum Deciano.* Neque tenetur ecclesiasticus Judex damnare clericum pœna juris civilis, sed arbitraria pro delatione armorum, *Salz. ad Diaz. in praxi cap. 68. §. Itaque, Suar. de legib. 3. cap. 34. n. 6.*

CAPUT X.

Armatorum, vel etiam non armatorum collectas facientes.

Hoc crimen de jure communi est læsæ majestatis, si congregatio fiat in perniciem Status, vel Principis: si autem ad privatas vindictas fiat, erit crimen legis Juliæ de vi publica, si fiat cum armis: vel de vi privata, si fiat sine armis, *leg. 1. §. 1. ff. ad leg. Jul. majest. leg. 1. ff. ad leg. Jul. de vi publ. & leg. Si quis aliquem, ff. ad leg. Jul. de vi priv. Farin. quæst.* 113. *n.* 128. & 134. *Avus meus decis. Pedem.* 35. *n.* 6. & utrobique damnatus de talibus criminibus, fit infamis infamia juris, quia sunt publica judicia, & consequenter fit irregularis, ut dixi *part. 1. cap.* 33. Tamen in terris Ecclesiæ Romanæ, etsi ad vindictas privatas fiat collectio armatorum, ut ad recuperandam, vel adipiscendam possessionem, est crimen læsæ majestatis: ita enim statutum ex Bulla 1. Alex. VI. & Bulla 75. Sixti V. *Dum pro communi*, & Bulla Pauli V. *Alias a felic.* quæ ad extensum refertur *a Cherub. in Compendio post Bullam* 75. Sixti V. in qua solus excipitur casus necessariæ defensionis. Vide *Farin. quæst.* 113. *n.* 130. 148. & 160. Requiritur autem, ut conveniat numerus convocatorum; at quantus esse debeat ad minus, vide *Farin. ibid. n.* 131.

Item adverte, quod hac in re armorum nomine continentur etiam ea, quæ non sunt de se instituta ad nocendum, sed tamen tunc ad nocendum assumpta, ut *Farin. consil. crimin.* 199. *n.* 20. & 21.

Pœnas autem ipso facto incurrunt facientes collectas armatorum in terris Ecclesiæ, ut supra. Primo excommunicationis Papæ reservatæ: & neque in mortis articulo absolvi debent, nisi satisfactione præmissa. Secundo privationis omnium bonorum, jurium, & dignitatum. Tertio inhabilitatis ad actus legitimos. Quarto confiscationis omnium castrorum, & locorum. Quinto rebellionis. Sexto absolvuntur eorum subditi, seu vassalli a juramento fidelitatis.

Præterea terræ, & loca eorundem, aut ab eis occupata, ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ se transferre tenentur, sub pœna interdicti latæ sententiæ, quod tandiu durabit, quan-

quandiu præfati domini ibi fuerint, & triduo post eorum discessum: & procedit etiam de terris eorum, qui favorem, aut auxilium præstiterint ad tales collectas faciendas. Hæc statuta sunt in Bulla Alex. VI. 1. *Inter cætera*.

Ex Bulla autem Sixti V. & Pauli V. *supra citat.* omnes supradictæ pœnæ temporales feruntur eo ipso incurrendæ a collectas armatorum facientibus; & aliæ etiam graves adduntur; & filii etiam istorum redduntur inhabiles ad quælibet jura obtinenda, & ad omnes actus legitimos; unde etiam sunt irregulares: sed de pœna excommunicationis nulla fit mentio, neque ibi innovatur Bulla Alexandri VI.

Unde probabile est, abrogatam fuisse per novas istas leges pœnales priorem illam pœnam excommunicationis, per ea, quæ dixi *part.* 1. *cap.* 12. Illud est certum, dictas pœnas non procedere contra ipsos convocatos, ut patet ex *tex.* idque notat. *Cherubin. super Bulla* 75. *Sixti V.* & non procedit, nisi contra facientes collectas armatorum, non autem non armatorum, *Barbos. alleg.* 50. *n.* 164. *Farinac. dict. cons.* 169. *a n.* 19. *& seqq.*

Limitantur autem a nonnullis gravissimis DD. dictæ Constitutiones, & pœnæ contra facientes cavalcatas, seu collectas, ut supra latæ, ut procedant solum, quando talis coadunatio sit simplex, & sola, seu de per se, & primario intenta, aut saltem non ordinata ad aliud delictum immediate, & incontinenti subsecutum: si enim fieret coadunatio ad effractionem carceris, vel ad homicidium &c. incontinenti, & continuato impetu statim effectu subsecuto, non intrant pœnæ facientis coadunationem, sed effractoris carceris, aut homicidæ, quia verba pœnalia intelliguntur de casu simplici, & non mixto; & regulariter non multiplicantur pœnæ, quando multa delicta subordinantur in continenti ad unum effectum; & ita tenuerunt *Seraph. & Oranus in voto relato a Farinac. dec.* 61. *n.* 7. *&* 22. *in collect. de contract. & crimin.* & ita fuisse tentum *a Clem. VIII. ibi in fine dictæ decisionis refertur*. Quamvis ibi in additione notetur, quod secundum alios DD. videntur in hoc casu intrare pœnæ dictarum Constitutionum de cavalcata facta, & non pœnæ effractionis, aut homicidii, quia quando plura delicta connectuntur, tunc pœna gravior locum habet, & minor absorbetur, & silet: ut tenent *Farin. quæst.* 22. *n.* 19. *& Decian. lib.* 8. *cap.* 4. *n.* 19. vide *part.* 1. *cap.* 8. ubi plenius tractavi.

CAPUT I.

Artem ludicram exercentes, vel ludos publice agentes.

AN, & quale sit peccatum, ludos publice agere clericis, sive laicis, vide *Sanchez consil. seu opusc. lib.* 1. *cap.* 8. *dub.* 33.

I. Infamiam juris incurrunt artem ludicram publice exercentes mercedis gratia, *leg.* 1. *ff. de his, qui not. infam. ibi DD. c. Definimus* 4. *quæst.* 1. ut scænici, citharœdi, athletæ, agitatores equorum, pugnantes cum feris, *Sanchez lib.* 6. *opuscul. cap.* 3. *dub.* 6. *n.* 6. *&* 7. *cum aliis Doctoribus*, *Ugolin. de irregul. cap.* 60. §. 1. *n.* 2. est communis sententia. Et quamvis aliqui dicant, histriones, & mimos hodie non esse infames, nisi turpia repræsentent, vel illicita, ut olim faciebant tempore gentilitatis Romanorum, ut tenet *Molina tract.* 4. *disp.* 6. *n.* 10. tamen jura citata volunt, esse infames ludiones, etiam ubi turpia non exercent, ut de eo, qui locat operas suas, ut pugnet cum fera, *leg.* 1. §. *Bestias*, *ff. de postul.* ideo a communi sententia non recedas.

An autem ad hanc infamiam incurrendam requiratur exercitium, seu consuetudo; an sufficiat unus actus? Respondet *Sanch. lib.* 6. *c.* 3. *dub.* 6. *n.* 7. *cum Sylvest. Armill. & gloss. in leg.* 1. *ff. de postul.* quod in locante operas, ut pugnet cum bestia, aut in pugile, non requiritur consuetudo: in aliis autem, ut scenicis, mimis &c. requiritur consuetudo, saltem per binum actum introducta, & tenet *Abb. in cap. Cum decorem de vit. & honest. cler. n.* 2. quia in malis actibus ad consuetudinem sufficit binus actus, *Sylv. verbo Infamia num.* 9. *in fine*, *Barbos. allegat.* 43. *num.* 10. *cum Belletto*.

II. Irregularis itaque efficitur quis ludos exercens ratione infamiæ juris, *Innoc. in cap. Cum decorem de vit. & honest. cleric. Abb. ibi n.* 2. *Imola n.* 1. *vers. Item ex gloss. text. in cap. Aliquantos* 51. *dist.* ubi præcipit, tales ab ordinibus arceri, & *cap. Præterea*, *cap. Definimus* 4. *quæst.* 1. *Can. Maritum* 33. *dist. Sylv. verbo Ordo* 4. *n.* 2. *in fin. Zabarella in dict. cap. Cum decorem n.* 1. & hæc irregularitas a solo Papa est dispensabilis, *Imol.*, *& Zabarel. ibi*.

Limita, quod jam promoti non fiunt ex hoc irregulares, *cap. un. de vit. & honest. cleric. in* 6. imo aliqui dicunt, quod etiamsi peccent isti infames, faciendo se promoveri, tamen postquam fuerint promoti, non peccant ministrando in susceptis, si ab exercitio illo abstineant, *c. Aliquantos cit.* tenet *Avila part.* 7. *disp.* 4. *dub.* 5. §. *Dixi præterea:* sed hæc sententia est contra communem; imo taliter perperam ordinati, sunt deponendi, *dict. cap. Aliquantos*, *c. Clericum* 46. *dist. Majol. lib.* 2. *cap.* 5. *in fin.*

☞ *Ludovicus de Ameno de delict. & pœn. tom.* 111. *tit.* 9. §. 8. *n.* 28. *probat, verius esse etiam jam promotos fieri irregulares, si ludos publice exercent, cum ex tali exercitio major in iis consequatur infamia; ac proinde irregularitas, quæ fundatur in infamia, firmius habet fundamentum.* ☜

Item limita, quod minor 25. annis non incurrit infamiam istam, *leg. pen. Cod. ex quib. caus. inf. irrog. & ibi gloss. Bald. & Salyc.* & consequenter, neque fit irregularis, ut *Bald. ibi notat*.

III. Privilegio omni clericali privantur ipso jure clerici exercentes officium parasiti, mimi, aut histrionis per annum, aut breviori tempore, si ter moniti, non resipiscant, ex *cap. un. de vit. & honest. cler. in* 6. *Sanchez consil. lib.* 1. *cap.* 8. *dub.* 33. *n.* 5. *cum allegatis:* & consequenter erunt irregulares ex novo capite: & procedit, etiamsi sint in sacris, ut *Archid. Ja. Andr. Gemin. Anchar. & Franch. in dict. cap. un. Sanchez num.* 7. *loco cit. Bern. Diaz. in praxi cap.* 68. *vel* 71. *num.* 3.

Limita, quod post vitæ emendationem, per Episcopi dispensationem recuperare possunt illud privilegium, *Jo. Andr. Anchar. & Gemin. in dict. cap. un. Diaz dict. loco num.* 3. *Sanchez num.* 7.

CAPUT I.

Assassinium.

ASsassinium olim per primam nominis impositionem dictum fuit homicidium, quod quis mandasset perpetrari per quosdam infideles Syros pecunia conductos, proditorie; qui infideles Assassini dicebantur, & putabant, se posse impune, & licite ex mandato sui principis occidere quemcunque. Unde variæ pœnæ fuere latæ contra mandantes homicidia per hujusmodi assassinos; ut *cap.* 1. *de homicid. in* 6. *Sylv. verb. Assassinus*, *Navarr. cap.* 27. *n.* 135. *Covar. variar. lect. lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 10. *Azor. tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 17. *Suarez de censur. dis.* 23. *sect.* 4. *num.* 46. *Layman lib.* 4. *tract. de immun. Eccles. cap.* 3. *num.* 9.

Hodie tamen assassinium per secundam impositionem dicitur quodcunque homicidium proditorium in personam christiani, per aliquem mercede conductum perpetratum, ita ut omnis mercede ad id conductus, hodie dicatur assassinus: ita de communi, & recepta sententia testatur *Farinac. q.* 13. *n.* 22. & multi DD. per ipsum allegati.

Unde pœnæ *in dict. cap.* 1. statutæ contra assassinii crimen, etiam hodie procedunt, quoties mandatur occidi christianus per aliquem, tametsi christianum, mercede conductum, ut de recepta in praxi, & veriori, & communi testatur *Farinac. ibidem cum allegatis*, & tenet *Sayr. lib.* 3. *cap.* 33. *n.* 21. *cum Summistis*. Quamvis alii dicant, non procedere, nisi mandatarius sit natione assassinus; unde cum tales hodie non reperiantur, dicunt *dict. cap.* 1. pœnas non habere locum: ita tenet *Azor. lib.* 2. *cap.* 17. *tom.* 3. *Covar. variar. lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 10. & multi allegati a *Farinac. n.* 21. & eam probabilem ait *Suar. de cens. dis.* 23. *sect.* 4. *n.* 46. Alii autem dicunt, hodie pœnas *dicti c.* 1. procedere, si mandatarius sit infidelis, etiamsi non sit natione assassinus, nec Syrus: ita tenet *Suar. ibid. Filiuc. tract.* 14. *n.* 65.

Ex dicto *cap.* 1. *de homicid. in* 6. si quis quempiam christianorum per assassinum interfici fecerit, vel tantum mandaverit, quamquam mors non sit secuta, aut assassinum receptaverit, vel defenderit, seu occultaverit,

I. Excommunicationis sententiam incurrit ipso facto; quæ tamen non est reservata, ut notat *gloss. ibi*, *& Farin. quæst.* 123. *n.* 11. *Barbos. in dict. cap.* 1. *in fin.*

II. Incurrit pœnam depositionis, seu privationis omnis dignitatis, honoris, ordinis, officii, & beneficii ipso facto *ex dict. cap.* 1. & hæc pœna respicit tam laicos, quam clericos, ut de communi testatur *Farinac. quæst.* 123. *n.* 13. &

hæc

hæc depositio privat etiam omni privilegio clericali, ut dicam *infra n. 7.* sed non ligat hæc pœna ante declaratoriam criminis commissi, *Suarez dis. 23. sect. 5. n. 46. de censur.* & de communi testatur *Farinac. ibi n. 17.* & dicam *infra n. 7.* quare non poterit Judex, sive secularis, sive ecclesiasticus ante declaratoriam illum expoliare. Vide *par. 1. c. 27. &* 28. quæ ibi dixi.

III. Ex *eodem cap. 1.* incurrit pœnam perduellionis, seu diffidationis perpetuæ a toto populo christiano ipso facto in personam, & bona sua, ut tanquam publicus hostis habeatur, itant possit impune a quocunque occidi, ut declarant *Gemin. in dicta cap. 1. Sylv. verb. Assassinus §. 3. Marius Alter. tom. 1. de censur. dis. 20. lib. 5. cap. 1. colum. 5. §. 7. Farin. quæst. 123. n. 8.* & bona ipsius primo occupanti conceduntur, *Farinacc. ibi n. 9.* cum multis Doctoribus. Sed requiritur ad hanc pœnam diffidationis exequendam sententia declaratoria criminis probati, *Farin. n. 17.* cum per eum adductis: imo tutius dicunt Doctores, etiamsi sit declaratus, quod non fiant tales executiones a privatis, nisi ex licentia speciali, ut *Farinacc. quæst. 189. §. 3. n. 35.* cum communi. Et amplia secundum magis communem, quod licet *text. cap. 1.* inferens pœnas prædictas, non loquatur de ipso assassino, seu mandatario mercede conducto, tamen per interpetrationem communiter extenditur etiam ad eundem, ut DD. plurimi, quos allegat, & sequitur *Farinacc. n. 19. post medium*; quamvis contrarium teneat *Suarez disp. 23. sect. 4. n. 46. de censur. Sayr. lib. 3. cap. 34. n. 21. de censuris, Filiuc. tract. 29. n. 106.*

IV. Irregularitatem incurrit ex homicidio voluntario mandans, & mandatarius, & omnis cooperans, secuto effectu, *Reginal. lib. 30. n. 123. Suarez dis. 44. sect. 3. n. 7. Avila de cens. part. 7. disput. 6. sect. 2. dub. 2.*

V. Etiam non secuto effectu, secuta tamen sententia de crimine probato, erunt infames infamia juris; quia est judicium publicum, & erunt consequenter irregulares: & probatur etiam ex *dicto c. 1.* dum vult, eos esse eo ipso depositos omni honore, & ordine; quam esse irregularitatis pœnam ait *Barbos. in dict. cap. 1. n. 13.*

VI. Mandans, & mandatarius, & cooperantes eo ipso privantur immunitate Ecclesiæ, seu loci sacri, ut si ad illum confugiant extrahi possint, servatis conditionibus, de quibus in bulla Gregor. XIV. *Cum alias nonnulli*, & procedit, etiam effectu non subsecuto, quia Gregor. XIV. in dicta Bulla privat jure immunitatis non solum eos, qui proditorie proximum suum occiderunt, sed etiam assassinii reos. Dicuntur autem rei assassinii, etiam effectu non secuto, ut patet ex *dict. cap. 1. de homicid. in 6.* ita *Marcus Mantua lib. 5. observ. cap. 41. Remig. de immun. fallen. 15. n. 8. Gratian. discept. forens. cap. 598. n. 6. Diana resol. 18. tract. 1. tom. 1.*

☞ *Hodie attendenda est Constitut. Bened. XIII.* Ex quo divina *6. Idus Jun. 1725. in cujus §. 5. ita declaratur, ibi* — Ad hæc in crimine assassinii non modo mandatarios, qui in ipsamet Gregoriana Constit. aperte excipiuntur, sed etiam mandantes, qui certum præmium, aut mercedem, sive in pecunia, sive in aliis rebus tradiderint, aut promiserint; quamvis promissio nullum habuerit effectum, dummodo assassinium re ipsa patratum fuerit, ab ecclesiasticæ immunitatis beneficio excludimus, ac pro exclusis perpetuo haberi volumus, & mandamus. ☜

VII. Clerici, & ecclesiastici de hoc crimine puniri poterunt a Judice laico absque alia degradatione, quia sunt ipso jure degradati: ita *Gemin. in d. cap. 1. in fin. Capic. decis. 155. n. 25. vers. Octavum*, & communem ait *Gutier. pract. lib. 3. quæst. 7. n. 23. Zerola in praxi par. 1. verb. Assassini, Bern. Diaz. in praxi c. 100. n. 4. & ibi Salzedo*; sed hoc intelligendum, secuta prius declaratoria sententia Judicis ecclesiastici, ut *Barbos. in dict. cap. 1. n. 14. cum Farinac. Belletto, & aliis, & Diana resol. 51. tract. 2. tom. 1. Salzedo ad Diaz. in praxi, cap. 100. §. Notabis*, ubi ait, esse communem sententiam, & *Clarus quæst. 36. vers. Sed quæro tu scis, Capic. decis. 112. n. ult.* ubi ait, communem: & quamvis *Clar.* ibi dicat, alicubi esse consuetudinem, ut hæc declaratoria feratur ab eodem Judice seculari; tamen hujusmodi consuetudinibus censetur derogatum per Bullam in Cœna Domini, ut *Rota dec. 10. n. 24. par. 2. noviss.* Neque potest esse tutus ratione probabilis sententiæ, quia cum agitur de jure partium, debet Judex sequi probabiliorem, & magis communem, ut DD. quos allegat *Sanch. lib. 1. in decal. cap. 9. n. 47. & Ceval. in proœm. comm. cont. comm.* & quia in materia censuræ excommunicationis tutior pars eligenda, *cap. Illud de cler. excomm. & DD. apud Sanch. ibi cap. 10. n. 50.* Quamvis *Barbos. ibi* cum aliis quibusdam teneat, neque esse degradandum, neque tradendum Curiæ seculari clericum ob crimen assassinii, sed solum deponendum; & textum concedentem eum impune occidi, respondet loqui de laicis, non de clericis.

CAPUT I.

Astrologiæ superstitio.

Vide *verb. Superstitio.*

☞ CAPUT I.

Attritio.

IN *decreto Alex. VII. sub die 5. Maii 1667. relato a Bened. XIV.* lib. 7. cap. 13. num. 9. de Synodo Diœc. edit. Patav. ann. 1756. *præcipitur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Papæ reservata:* Cunctis, & singulis fidelibus .... ut si deinceps de materia attritionis scribent, vel libros, aut scripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes, aut scholares, ceterosque erudient, non audeant alicujus theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alteram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione, ex metu gehennæ concepta, quę hodie inter scholasticos communior videtur, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem; donec ab hac S. Sede fuerit aliquid hac in re definitum.

Circa amorem erga Deum proscriptæ sunt sequentes propositiones ab Innoc. XI. 2. Martii 1679. & ab Alex. VIII. 7. Decemb. 1690. sub pœnis in illas docentes &c. & ad praxim deducentes, prout in Additione ad c. 3. verbo Absolutio.

Ab Innoc. quæ sunt in ordine la

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possumus.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

Ab Alex. VIII. quæ sunt in ordine la

7. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi: si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut cælestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

13. Quisque, etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu, licet beatitudinis, operatur.

14. Timor gehennæ non est supernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

Circa amorem erga proximum

Ab Innoc. XI. die, qua supra; quæ sunt in ordine la

10. Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in secularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui: & ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui. ☜

CAPUT I.

Bannitos Ecclesiæ Romanæ in temporalibus subditos receptans, vel eorumdem publicam persecutionem impediens.

I. EX Bulla Gregorii XIII. Constit. 65. *Tanta, tamque horrenda* excommunicationem isti incurrunt, sive ipsi receptaverint, vel receptari permiserint homicidas, latro-

latrones, grassatores, vel alios de crimioe capitali bannitos, & diffamatos, scilicet qnando tanta adest diffamatio, ut æqoipolleat banno, ut ait *Navar. conf. 59. de sent. excom. Rota divers. part. 1. decis. 523. Cherubin. super eadem Bulla schol. 1.* & procedir, enamsi subditus Ecclesiæ Romanæ receptaverit bannitos ipsius in terrirorio, quod ipse habet non ab Ecclesia Romana, ut patet ex Bulla. Et hæc excommunicatio fuit Papæ reservata; ut neqne in articulo mortis, nisi prævia satisfactione, absolvi possent: sed hæc excommunicationis pœna fuit abrogata a Sixto V. in Bulla 6. incip. *Hoc nostri* §. 1. ob periculom animarum, & ootar *Scortia in select. Const. Theor.* 355.

II. Ex Bnlla Sixti V. citata præfati incurrunt ipso facto alias pœoas. Et primo, pœnam privationis feudorum, beneficiorum ecclesiasticornm, & omnium bonorum, & jurium, ranquam rei læsæ majestaris vere, & non ficte.

Secuodo, tam ipsi, quam eorum filii ipso facto sunt inhabiles, & iodigni ad obtinenda officia, beneficia, jura, & bona quæcunque, & ad omnes actus legitimos, oec illis nnquam pateat janoa ecclesiasticæ, aut mundanæ dignitatis.

Tertio, ex iis etiam seqoitur, taliter delinqnentes, eorumque filios esse infames infamia juris, ex *leg. Quisquis Cod. ad leg. Jul. majestatis, Sanchez lib. 2. in decal. c. 28. n. a.* & consequenrer, etiam esse irregnlares, ut promoveri non possinr ex eadem Bnlla, dum eos inhabilitat ad omnia officia publica, & actus legitimos, inrer quæ publica officia ordines ecclesiastici continentur; ita *Sanchez lib. 2. cap. 28. n. 7. in decal.*

Nota, quod dicta iohabilitas, & irregularitas, & infamia filiorum, tollirur eo ipso, quod parer a Papa fuerit restirurus, *Sanchez in decal. lib. 2. c. 27. n. 28. Majol. lib. 5. cap. 47. n. 7. §. Est alia, Archid. c. 1. & c. Si quis cum militibus 6. quæst.* 1. Item nota, quod filii non reddentur irregulares quoad ordioes jam susceptos, *gloss. in c. Satis perversum, & ibi Archid. 56. dist. Majol. ibid. n. 6.* Quando vero istæ pœoæ incipiaot obligare in conscieotia, vide *part. 1. c. 28. & seqq.*

CAPUT I.

Baptisma reiterantes.

I. REbaptizatio, etiam occnlta, facit rebaptizantem, & rebaptizatum, & ministrantem baptismati irregulares, *can. Confirmandum 50. dist. can. Qui bis de cons. dist. 4. c. Qui in qualibet 1. quæst. 7. c. Afros 98. dist. c. 2. de Apost.* qui textus loquitur de acolytho, qui ministravit sacerdoti rebaptizanti. Et licet de sacerdote rebaptizante noo sit textus clarus, tamen ex dictis a fortiori infertur, & consuetudioe ita receptum, quæ est optima legum interpres, *Navar. cap. 27. num. 246. Avil. part. 7. disput. 1. dub. 1. Suar. de sacram. disp. 31. sect. 6. §. Et ratio, Tolet. lib. 1. c. 70. §. 4. Coninch. disp. 18. dub. 4. n. 35. Barbos. in dict. c. a. de Apost.* nbi plures allegat: & procedit etiam io baptizante laicaliter, *Sylv. verb. Irregular. quæst. 4. in princ. Angel. n. 24. Card. in dict. c. 2. n. 3. Anchar. n. 2.* Reqoiritur tamen ad dictam irregularitarem malitia gravis, scilicet mortalis peccati, ut *Barbos. in dict. cap. 2.* nnde ignorantia inculpata excusat, *Suarez disp. 31. sect. 6. §. Sed quid,* Vide Canonistas *in dict. cap. 2.*

Certum est autem, licitum esse, & debitum, iterum baptizare sub condirione, quando dubirarur probabilirer, quod obstetrix non bene baptizarit infantem, *c. De quibus de bapt. S. Thom. 3. part. q. 66. art. 9. Rota dec. 23. n. 5. part. 1. noviss.*

Sed ao incurrat ille, qui rebaptizat sub conditione temere, idest sine dubio probabili; commnoiter sententia Theologorum negat. Vide *Dianam resol. 10. in addit. ad tom. 2. & resol. 9. tract. 4. tom. 2. cum allegatis.* Commnnis autem Caoonistarum affirmat, ut testatur *Salzedo ad Diaz c. 15.* tenet *Sayr. lib. 7. c. 8. n. 23. Majol. lib. 3. c. 14. n. 5. Cuccus lib. 5. inst. tit. 2. n. 142. & 143.*

☞ *Canonistarum sententiam amplectitur, tueturque Benedictus XIV. tum in Instit. ecclesiast.* 84. *tum* lib. 7. de Synod. Diœc. edit. Patav. an. 1756. c. 6. n. 3. *quam ex pluribus S. Cong. Conc. responsis, atque ex Catechismo Romano* part. 2. de Sacram. Baptis. num. 57. *ea potissimum ratione, quod dictus Catechismus reprobet asserentes* — Nullnm scelus admitti, si quemvis sine delectu cum adjuoctione illa (*videlicet conditionis*) baptizent. *Hanc eamdem sententiam amplexus est S. Carolus Borromæus, in cujus Institutionibus Actor. Eccl. Mediolanen.* part. 4. pag. 497. *de forma conditionata baptismi, hæc leguntur, ibi* — Qua forma utitur, cum infans, aliusve, qui baptismo offertur, re diligenter perquisita, dubinm relinquitur, ant certe non apparet, eum baptizatum esse, ut de expositis, inventisque parvulis dubitari, arque ignorari sæpe numero solet. Qnod si, re accurare investigata, exploratum habuerit, illum, forma servata, baprizarum esse, caveat omnino, ne hanc sub conditiooe baptizandi formam adhibeat, cum sacrilegium committat, si contra fecerit, & illud impedimenrum contrahat, quod sacri canones irregularitatem vocant. ☜

An autem Episcopus possit dispeusare super hac irregularitate, *Sayr. ibid. n. 31. Bonac. de irreg. quæst. 3. punct. 3. n. 9. Barbos. in dict. c. a. n. 6.* dicunt, si casus est publicus, solus Papa dispensat: si autem occultus, potest Episcopus dispensare, ex Trid. *sess. 24. c. 6. de reform.*

II. Depouendi sunt clerici rebaptizantes, & rebaptizati, & laici sunt excommnnicandi, *Card. in dict. c. a. de Apost. n. 3. Anchar. n. 2. Anan. n. 2. & gloss. in c. Qui in qualibet 1. quæst. 7.* quare damnati de hoc crimine, sunt infames, & iterum irregulares.

III. Suspecti quoque vehementer sunt de hæresi Anabaptistarum, & Novatianorum, de qua Baroo. *an. Chr.* 218. quam Donatus, & Donatistæ professi sunt, quæque damnata fuit in Conc. Arelar. sub Sylvestro Papa, *ann. Christi* 314. ut *Henriq. lib. 2. de Bapt. c. 28. n. 2. Baron. tom. 3. pag.* 121. & ita tenent *Anan. in dict. c. a. n. 3. gloss. in rub. Cod. Ne Sanct. Bapt. reit.* & cum hoc crimen contra fidem sit mere ecclesiasticum, hodie pœna ultimi supplicii statuta *leg. 2. Cod. ne San. Bapt. reit.* non babet locum; sed aliter puniuntur tales rei ab Inquisitoribus. Vide *Pegnam in director. lib. 1. schol. 12. pap. 11.*

CAPUT II.

Rebaptizatum ordinans.

ESt depooendus ab officio, & beneficio, *c. Qui in qualibet 1. quæst. 7.* unde damuatus de hoc crimine, afficitur juris infamia, & fit irregularis.

CAPUT III.

Baptismum solemniter ministrans, Sacerdos non existens.

QUi baptismum solemniter ministrat, cum sacerdos non sit, efficitur irregularis, ut *c. 1. de clerico non ordinato ministr.*

Amplia, quod etiam diaconus ministrans solemniter baptismum, etiam de mandato parochi, si illud mandatum non fuit cum causa justa, idest, gravis oecessitatis, scilicet ob notabile impedimentum parochi, qui non porerat tunc per se, neqne per aliom sacerdotem substitutum baptizare, efficitur irregularis, ut *Henriquez lib. 2. cap. 29. n. 1. Coninch. de Sacr. quæst. 67. n. 27. in fin.* plures allegat, & sequitur *Barbos. in dict. c. 1. de cleric. non ordin. n. 3.* qoia in *can. Diaconos 93. dist. & c. Constat de consecr. dist. 4.* solum conceditur diacono solemniter baptismum ministrare cum commissione parochi, quando est casus gravissimæ, & extremæ necessiratis.

Quamvis aliqui Doctores excusent diaconum ab irregularitate, si ministravit baptismum, non ot sacerdos, sed ut diaconus est, ut *Henriq.* sibi contrarius *lib. 14. c. 16. n. 2. lit. O. in commento*: & late defendit, ut probabiliorem *Navar. conf. 3. de clerico non ordinato,* & tenet *Sayr. in florib. tit. de sent. excomm. decis. 67.*

Limita secundnm omnes, quod excusatur quis ob bonam fidem, ut dicam *verbo Ordo c. 3.* cum commuoi, & late *Navar. loc. cit.*

Nota, quod quamvis in dicto casu temere baptizatus a diacono recipiat verum baptisma, tamen non recipit sacramentalia annexa (ex instirutione Ecclesiæ) baptismo, ut sunt benedictiones illæ solemnes, & unctiones &c. quia sacramentalia noo valide exercentur, seu conferuntur ab eo, qui in talibus circumstantiis non habet ab Ecclesia facultatem, existente licentia parochi oulla, cum speciali commissione diacono, tantum competere possit talis facultas in casu oeces-

necessitatis, per ea quæ docet *Layman lib.* 5. *tract. de sacr. ordinis c.* 9. *n.* 7. *Palud. in* 4. *dist.* 24. *quæst.* 3. *art.* 3. *regula* 3. Contrarium tamen est satis probabile, quia hæc facultas ei competit radicaliter jure suæ ordinationis, ut notat *Sotus in* 4. *q.* 1. *art.* 1. *cum Cajet. & Bonac. de irregular. quæst.* 3. *punct.* 6. *n.* 5. nam in sua ordinatione hæc ei facultas datur; & in primitiva Ecclesia diaconi passim baptizabant: unde licet hęc facultas fuerit illis restricta, ut faciant cum commissione speciali in casu necessitatis, hoc videtur pertinere ad licitam, non ad validam administrationem, ut in simili de Abbate conferente minores ordines alieno subdito, tenet magis communis sententia (contra Palud. & Laym.) ut *Sanch. consil. lib.* 7. *c.* 1. *dub.* 19. *n.* 17. cum multis Doctoribus, *Archid. in c. Abbates de privil. in* 6. *ibi Gemin. & Francus, & Roder. qu. regul.* 23. *art.* 2. *tom.* 3. dixi *verbo Ordo c.* 21.

☞ *Imo contraria opinio hic relata, mihi videtur probabilior, & non satis tantum probabilis, nedum ob rationes ab Auctore allatas, sed etiam quia juxta mentem Ecclesiæ in Pontificali Romano expressam, diaconus non tantum ad Altaris ministerium, ad quod ex moderna disciplina hodie ejus officium est restrictum, verum etiam ad functiones hierarchicas exercendas ordinatur, ibi* — Diaconum oportet ministrare ad Altare, baptizare, & prædicare.

Circa validitatem collationis ordinum factæ ab Abbatibus alieno subdito, vide Additiones meas infra ad Cap. XXI. *verbo* Ordo.

Nota secundo, quod super hac irregularitate de promovendo solus Papa dispensat: de promoto autem, ut ministret in susceptis, Episcopus potest dispensare, ut *c.* 2. *de clerico non ordin. minist. Majolus lib.* 4. *c.* 13. *n.* 3.

CAPUT IV.

Baptizans proprium filium, aut tenens in baptismo, vel confirmatione extra necessitatem.

PEccat mortaliter pater, qui filium suum extra necessitatem baptizat, aut tenet in baptismo, vel confirmatione, quia alius debet esse pater spiritualis, alius carnalis, *S. Thom.* 3. *part. quæst.* 67. *artic.* 8. *ad* 2. *Abb. in c.* 2. *n.* 2. *de cogn. spir. & ibi Præpos. n.* 5. *Sanchez lib.* 9. *disp.* 26. *n.* 5. *Layman lib.* 5. *tract. de baptis. sacr. c.* 9. *n.* 3.

Aliam etiam rationem hujus prohibitionis affert *Cuccus instit. canon. lib.* 5. *tit. de bapt. n.* 94. quia jus canonicum instituit patrinos, tanquam coadjutores parentum ad instruendos eos, qui baptizantur, in fide, & christianis moribus, ad quod jam parentes sunt ex officio & principaliter obligati, & ut sint tanquam fidejussores apud Deum pro baptizatis, ut *c. Vos autem de consecr. dis.* 4. Unde infero, hanc prohibitionem procedere etiam in avo, & avia, quia etiam in iis procedunt eædem rationes, & quia proprie patris, & filii nomine continetur etiam avus, & nepos, *leg. Justa* 201. *ff. de verb. signif. Rebuff. ibi §. Ego vero*, præsertim ubi est eadem ratio, ut *Rebuff. ibi §. Quinto non habet*.

Item, si conjugatus baptizet, vel teneat filium communem, seu uxoris, vel e contra, extra necessitatem, peccat mortaliter, & amittit jus petendi debitum, nisi excusetur ignorantia juris, vel facti, ut *c.* 1. 30. *quæst.* 1. *& c.* 2. *de cogn. spir. & ibi glos. verb. Si ex ignorantia, et Canonistæ, Sanchez lib.* 9. *disput.* 82. *n.* 47. *et* 49. *Barbosa in dict. c.* 2. *n.* 3. *et seq.* est enim hæc privatio pœnalis, quæ non ligat ignorantia excusatos, ut *Sanch. disput.* 30. *n.* 1. *ibid.*

Amplia, quod hæc pœna ligat etiam ante declaratoriam in foro conscientiæ, quia est mere privativa, & quia est fundata in cognatione spirituali ex tali actu inducta inter ipsos conjuges, *Sanchez dict. disp.* 30. *n.* 2. itaque est pœna satis connaturalis.

Limita primo, quod conjux innocens non amittit jus petendi debitum, & non sunt separandi, ut patet ex *dict. c.* 2. *ibi glos. verb. Debitum, & Barbos. ibi n.* 3. cum communi, & *Sanch. ibi dis.* 26. *n.* 7. licet ex *dict. cap.* 1. 30. *quæst.* 1. olim debuissent separari, atque ita etiam innocens amittebat jus petendi debitum, ut notat *Sanch. dis.* 26. *n.* 5.

Limita secundo, ut dictum est, quod in casu necessitatis baptizans filium suum, non amittit jus petendi debitum, (quamvis contrahat cognationem spiritualem cum conjuge, *cap. Ad limina* 30. *q.* 1.) quando scilicet nullus alius est, qui illud munus obeat, & periculum est, quod puer sine baptismo moriatur, *Sanch. disp.* 26. *n.* 2. & idem dicit de tenente, quando non est alius, qui teneat, in casu scilicet periculi mortis, ut supra; est communis, sententia, ut *Sanchez n.* 3. Quod dicimus de tenente, intelligendum est, si teneat formaliter, tanquam patrinus, seu ut exercens ceremoniam Ecclesiæ: secus si teneat materialiter tantum, seu ut sustentet, ne cadat, vel ut deducat &c. *Sanch. lib.* 9. *disp.* 26. *n.* 4. *cum aliis DD.* Dixi autem, non amittere jus petendi debitum; secus enim dicendum de matrimonio contrahendo; nam baptizans etiam in casu necessitatis filium, v. g. suæ concubinæ, non poterit cum ea contrahere matrimonium, quia adest impedimentum dirimens ob hanc cognationem spiritualem, ita *Sanch. lib.* 7. *disp.* 62. *n.* 11. cum communi sententia.

Super hoc impedimento ad petendum debitum potest Episcopus dispensare secundum magis communem sententiam, ut probat *Barbos. allegat.* 35. *n.* 8. *Sanch. lib.* 8. *dis.* 12. *n.* 15.

CAPUT V.

Baptismum ab hæretico recipientes.

TAles irregulares sunt, ut promoveri non debeant ad ordines, *cap. Qui in qualibet* 1. *q.* 7. *cap. Ventum* 1. *q.* 1. ubi neque ad minores, vel primam tonsuram promovendi, ut notat *Turrec. ibi in fine*.

Limita, quod quamvis *text.* dicat de baptizatis in qualibet ætate, excipiendi tamen sunt baptizati in infantia ab hæreticis: isti enim, si postea rationis usum adepti, convertantur ad fidem catholicam, possunt ad ordines promoveri, *cap. Placuit, ibi gloss. &c. Qui apud, & ibi gloss.* 1. *quæst.* 4. quia hæc est irregularitas ex delicto, quæ non contrahitur sine culpa: & ita *Turrecrem. in dicto cap. Ventum in fin. Suar. de cens. disp.* 42. *sect.* 1. *n.* 11. *Sayr. lib.* 7. *cap.* 65. *n.* 6. *Bonac. de Irregularitate quæst.* 3. *pun.* 3. *n. ult.*

An autem excusetur ab hac irregularitate baptizatus ab hæretico, justa, & gravi necessitate coactus? Respondent Doctores communiter, excusari, cum scilicet non esset alius minister; dummodo cesset periculum inductionis in errorem; ita *Suarez de censur. disp.* 11. *sect.* 1. *n.* 16. *disp.* 42. *sect.* 1. *n.* 14. *Sayr. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 12. *Henriq. lib.* 2. *de bapt. cap.* 28. *n.* 3. *lit. E. Layman lib.* 1. *tit. de irregular. cap.* 2. *n.* 3. *Bonac. n.* 13. *Ugolin. de irregul. cap.* 34. *n.* 4. & idem de eo, qui ex probabili ignorantia baptismum ab hæretico susciperet, ait *Suar. dicto n.* 14. Super hac autem irregularitate, seu pœna solus Papa dispensat in casu publico; Episcopus in occulto potest dispensare, ut *Tolet. loco citat.*

CAPUT VI.

Baptizatus in ægritudine, aut alia necessitate.

EX *can. Si quis in ægritudine* 57. *dist.* ex Neocæsariensi Concilio Si quis in ægritudine constitutus, fuerit baptizatus, presbyter ordinari non debet; non enim fides illius non voluntaria, sed ex necessitate est; nisi forte postea ipsius studium, & fides probabilis fuerit, aut hominum raritas exegerit. —

Ex hoc apparet, talem esse irregularem, qui usque ad ægritudinem baptismum distulit, ut neque ad minores promoveri possit, *Turrecr. in dict. can. Si quis, cum Hugone, & Præposit. ibi n.* 1. *Reginal. lib.* 30. *n.* 179. *tract.* 2. *Sayr. lib.* 7. *cap.* 8. *n.* 3. ubi plures allegat: & *Suarez de censur. disp.* 42. *sect.* 1. *n.* 5. Et aliqui dicunt, hanc irregularitatem esse ex delicto, *gloss. ibi, et Tolet. lib.* 1. *cap.* 70. *in fin. Sylv. verb. Irregul. quæst.* 21. *Turrecrem. loc. cit.* sed verior, & magis communis est, esse ex defectu, ob periculum inconstantiæ fidei illius, sicut neophytus est irregularis, *Borgas. part.* 5. *de irregular. tit. de differente baptis. n.* 1. *Suarez loc. cit.*

Nota, quod hæc irregularitas non procedit in infante baptizato in articulo mortis, *Suar. ibi, Vrvald. de irregul. defectu animæ n.* 45. *Præpos. ubi supra*.

Nota etiam, quod Episcopus potest dispensare super hac irregularitate ob penuriam clericorum, & aliorum magis habilium, ut in text. *Turrecrem. ibi. Suar. n.* 6. *Majol. lib.* 3. *c.* 8.

An autem tollatur ea irregularitas cursu temporis, si probitate vitæ diluat præsumptionem illam malam, ostendendo se ex toto corde conversum: quidam affirmant ex eo textu: ita *gloss. ibi Præpos. et Borgas. loc. cit. n.* 1. *et* 2. *Sylv. loco cit. Angel. irreg. §.* 55. *Sayr. ubi supra, Layman lib.* 1. *tract. de irregul. cap.* 2. *n.* 4. *Menoch. præsumpt. lib.* 1. *quæst.* 43. *n.* 4. Contrarium, quod tunc ab Episcopo dispensatio sit petenda,

da, tenet *Turrecr. in dict. can. Majol. lib. 3. cap.* 8. *Suar. n. 6. et alii*. Extra hos casus Papa dispensat super dicta irregularitate, *Sylv. et Angel. ubi supra, Vrval. de irregul. n. 46. Borgas. loco cit. n. 4.*

Quod dictum est de baptizato in ægritudine, extendunt communiter Doctores ad eum, qui baptismum distulit usque ad decrepitam senectutem, & ad eum, qui metu gravi, ut edicto principis pœnali, baptismum suscepit, *Majol. cap. 10. lib. 3. Suar. n. 30.*

CAPUT VII.

Baptizans alienum parochianum.

Vide *verbo Sacramentum cap. 4.*

☞ CAPUT VIII.

Baptismum extra Ecclesiam, in qua est fons ad id speciatim deputatus, sine necessitata ministrare præsumentes.

I*N Clementina unic.* Præsenti *de Bapt. prohibetur collatio baptismi in privatis domibus, etiamsi postea ibidem baptizati, ad sacrum fontem afferantur, ut consuetæ cæremoniæ, ac ritus in Ecclesia celebrentur, exceptis Regum, et Principum liberis, aut tali necessitate emergente, propter quam nequeant infantes ad Ecclesiam absque periculo deferri: et aliter facere præsumentes, aut suam in hoc præsentiam (idest ex proposito, ut Gloss. hic) exhibentes, plecti debent ab Episcopo pœna arbitraria.*

In Can. 19. et 31. Concilii Trullani clericus, qui sine licentia Episcopi intra Oratorium domus privatæ baptizasset, erat deponendus; laicus vero excommunicandus.

Nota I. Ex Rituali Romano de tempore, et loco administrandi baptismi, parochum non pro libito, sed deposcentibus dumtaxat dictis Regibus, et Principibus, conferre posse baptismum in eorum domibus: et tunc, nonnisi in eorumdem capellis, seu Oratoriis, aqua baptismali de more benedicta.

Nota II. juxta gloss. verbo Regum nomine, et Principum non venire Marchionem, Ducem, Comitem, Baronem, vel alios similes, sed Principem talis Potentatus, qui sit comparandus regiæ dignitati, prout etiam clare eruitur ex eodem Rituali, ibi – Nisi forte sint Regum, aut Magnorum Principum filii. –

Nota III. juxta eandem gloss. verbo Liberi, *quam amplectitur Fagnan. in cap.* Ex transmissa *n. 16. de filiis Presbyter. nomine liberorum (prout textus vocat Regum, et Principum filios) venire etiam nepotes ex filiis, et alios descendentes ex masculis.*

Nota IV. Periculum, ob quod in privatis domibus baptizare licet, nedum esse respectu baptizandi, quando scilicet est in mortis articulo, sed etiam respectu eorum, qui illum deferre deberent ad Ecclesiam, puta si hostes haberent, vel locus esset obsessus, dicta gloss. verbo Periculo.

Propositiones circa Baptismi collationem proscriptæ ab Alexandro VIII. sub die 7. Decemb. 1690. la 27. et 28. in ordine, ita sonant:

– Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: *In nomine Patris etc. prætermissis illis*: Ego te baptizo.

– Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat; intus vero in corde suo apud se resolvit – *non intendo facere, quod facit Ecclesia.*

Quas docens etc. et ad praxim deducens, incurrit pœnas, quas incurrunt docentes etc. alias prepositiones proscriptas, prout in fine Additionis ad cap. 3. verbo Absolutio. ☜

CAPUT I.

Bello, vel militiæ clerici se immiscentes.

I. PEccat mortaliter clericus in sacris, vel beneficiatus militans in bello, aut militiam assumens, *cap. Sententiam, ne clerici, vel mon.* quod intelligitur, si sine dispensatione Papæ ob justam causam: & de peccato clericorum hujusmodi, vide *S. Bernard. epist. 78. col. pen.* Limita, quod ob necessariam civitatis, seu loci defensionem, dum periculum est in mora, & necessarium videtur auxilium clericorum, occidendo, non fit irregularis, neque peccat, *Gem. praxi cap. 34. n. 16. Tannerus tom. 4. dis. 6. quæst. 10. n.* 208. cum multis Auctoribus: *et Sayr. de censur. lib. 6. cap. 19. n. 5. et Laym. lib. 3. tract. 3. par. 3. cap. 9. n. 2.* Ob hanc causam non solum excusatus, sed etiam laudatus reperitur Athanasius Episcopus Neap. a Joanne Papa *epist. 66.* de qua re *Baronius annal. tom. 10. pag. 524. anno Christi* 877.

II. Irregularis fit clericus præfatus, aut laicus quilibet, militans in bello justo, si sciat, aut dubitet probabiliter, se aliquem occidisse, aut mutilasse, aut mandasse, ut aliquis determinatus occideretur, aut mutilaretur: aut in bello injusto, si scit, aut dubitat, aliquem a se, vel a suis fuisse occisum, *Rota Recent. par. 2. decis. 3. n. 5. Bonac. de irregul. q. 4. pun. 4. n. 3. Suarez de cens. dis. 47. sect. 6. n. 11. Sayr. lib. 6. c. 19. n. 12. et 13. Laym. de restit. ex homic. lib. 3. tract. 3. par. 3. c.* 8. unde non fit irregularis clericus in bello justo, solum militando, vel exhortando ad pugnam, seu victoriam generaliter, vel etiam percutiendo, ut *Rota cit. n. 5. cum Abb. et Navarr.* Et super hac irregularitate utroque casu solus Papa dispensat, ut de communi *Sayr. lib. 6. c. 19. cum allegatis*. Censetur autem Papa præservasse ab ea irregularitate, dando licentiam pugnandi in bello, *Bonac. pun. 4. in fin. n. 12.*

Et advertendum, quæ dicta sunt de militante in bello justo, non procedere in persequente, vel pugnante contra publicos latrunculos; quia si quis ex latrunculis occidatur a sociis, ipse etiam est irregularis, ut omnes de comitiva, etsi juste latrunculi occidantur, *Rota par. 2. Rec. decis. 44. n. 3.* non enim latrunculi dicuntur hostes, nec contra eos bellum, *leg. Hostes ff. de ver. signif. leg. Hostes ff. de capt.*

III. Privationem ipso facto beneficiorum incurrit clericus, si miles fiat: de qua re dic, ut *supra verbo Apostasia ab ordine clericali n. 5. et 8.*

Privationem quoque privilegii clericalis incurrit clericus ob militiam assumptam: cum hac distinctione, quod si habitum, & tonsuram deponat, animo scilicet deferendi statum clericalem, si sit in minoribus, eo ipso omne privilegium amittit, quia potest statui clericali renunciare, & censetur renunciasse; *Abb. in c. final. de cler. conjug. n. 1. et ibi alii Canonistæ*. Si autem sit in sacris, quia non potest, etiam volens, eum statum mutare, tunc, si ter monitus non resipiscat, solo canonis privilegio privatur, *cap. In audientia de senten. excommunic.* dixi *verbo Apostasia ab ordine num. 6. et 7.*

An autem clericus in minoribus, vel laicus ex sola assumptione militiæ fiat irregularis, non secuta nece: respondet negative *gloss. in c. Si quis, verb. Militaverit* 51. *dist.* nisi juramento se astrinxerint, ut *c. Legem, 53. dist. Henriq. lib. 14. cap. 3. n. 2. lit. L.* Vide *Majol. lib. 2. cap. 5. n. 8. et lib. 5. c. 44. n. 4.* Vide *sup. verb. Apostasia c. 4. n.* 8. ubi plenius de hoc dixi.

CAPUT II.

Bellum, seu militiam miles deserens, vel ignominiose missus.

I. MIles a bello publico fugiens, infamis efficitur infamia juris, & consequenter irregularis, per *cap. Infames 6. q. 1. gloss. in c. Quod quidam, verbo Exhorruit 1. q. 1.* quod intelligendum videtur, vel de iis, qui jurarunt, se mortem non evitaturos pro republica, ut *gloss. notat in dict. verbo Exhorruit*: aut quando sua fuga Principis sui exercitum, aut statum, seu loca defendenda, in discrimen conjecit; & tunc est reus læsæ majestatis, *leg. 3. ff. ad leg. Juliam majestatis, gloss. in d. c. Infames, ver. De bellis publicis*: & intelligitur quando poterat defendere: secus, si nihil poterat proficere, *leg. Omne, §. Qui in acie, ff. de re mil. & gloss. in dicto c. Infames*. In dubio autem, & per se loquendo, miles non potest locum deserere, seu stationem, etiam in evidenti vitæ periculo, sed tenetur mortem, defendendo, subire, ut *Less. lib. 2. c. 9. n. 27. Coninch. de charitate, dis. 25. n. 82. Laym. lib. 3. tract. 3. de restitut. cap. 1. n. 3.* Item intelligitur, quando bellum erat justum, *ut Archid. in dict. c. Infames, ver. De bellis*.

II. Miles, qui ab exercitu ignominiæ causa ab Imperatore, aut alio, cui de ea re statuendi potestas est, dimissus est, juris infamiam incurrit, *l. 1. & 2. ff. de his, qui not. infam. Sanchez cons. lib. 6. c. 3. dub. 6. n. 3.* Ille tamen, qui ideo missus est, quia se militem fecerat malitiose, ut scilicet se potentiorem in lite faceret, non erit infamis, juxta *leg. Qui cum uno, §. Adulteri, ff. de re milit.* ita *Molina tract. 4. dis. 6. n. 13.*

CAPUT III.

Bellum inferens, diffidatione non præmissa.

Vide *verbo Represaliæ cap.* 2

☞ CAPUT I.

Benedictio ecclesiastica supellectilis.

Vide infra verbo Consecratio *cap.* 2. ☜

CAPUT I.

Beneficia per sordes, et simoniam procurantes.

Vide *verbo Simonia a cap.* 2. *cum seqq.*

CAPUT II.

Beneficia alicui procurans in Curia Romana fraudulenter, subjiciendo se examini pro eodem.

EX Bulla 12. *Inter cæteras* Pauli IV. talem fraudem in Curia Romana committentes incurrunt, Primo excommunicationem Papæ reservatam. Secundo nullitatem talium provisionum: unde etiam in conscientia tenentur dimittere provisi talia beneficia, *Gonzalez gloss.* 15. *n.* 89. Tertio illud beneficium remanet reservatum Sedi Apostolicæ, ut vacans in Curia: non tamen hoc præjudicat patrono laico, *Lessius libro secundo c.* 34. *n.* 36. *&* 37. Quarto incurrit iste fraudulentus privationem omnium beneficiorum. Quinto incurrit inhabilitatem ad omnia beneficia ecclesiastica: ita in dicta Bulla.

De hac Bulla, & pœnis vide *Gonzalez loc. cit. n.* 91. *Graff. decis.* 1. *n.* 5. *de off. Vicar. Filiuc. tract.* 15. *n.* 101. *Garziam par.* 11. *c.* 3. *n.* 191. *Bonac. de censur. in partic. dis.* 2. *q.* 3. *n.* 28. ubi in fine limitat, quod iste procurans beneficium alicui fraude præfata, non incurrit pœnas per solam procurationem, seu examen, sed requiritur effectus subsecutus provisionis: sufficere tamen ait supplicationem signatam, & gratiam publicatam in Cancellaria. Item limitat, hæc non habere locum extra Curiam. Item limitat, quod is, pro quo fraudes istæ commissæ sunt, non incurrit in censuram, & pœnas prædictas, sed solum ejus provisio est irrita, ut patet ex ipsa Bulla Pauli IV.

CAPUT III.

Beneficium procurans in Curia Romana cum intentione illud renunciandi alteri, sive gratis, sive cum onere.

ISte incurrit omnes pœnas supradictas latas in Bulla 12. Pauli IV. de qua dixi late, *verbo Simonia c.* 5. In ea igitur Bulla §. 2. expresse habetur hoc, quod procurans beneficium in Curia Romana principaliter cum intentione illud resignandi, sive cum onere, sive sine onere alicui, incidit in pœnam excommunicationis, & alias pœnas, de quibus dixi *dicto c.* 5. *verbo Simonia.*

Hoc secundum aliquos est crimen ambitus, ut *Hostien. in c. Relatum, de cler. non resid.* & *ibi Abb. n. ult.* sed secundum alios est vitium simoniæ mentalis, ut *Achill. decis.* 47. *n.* 5.

Amplia, quod istæ pœnæ procedunt, etiamsi illa intentio sit omnino interna, idest nullo signo externo expressa; quia cum componat unum in genere moris cum actu externo procurationis beneficii, eumque afficiat, & vitiet, redditur ipsa intentio punibilis per legem humanam, ratione actus externi mali, ut *Garzias de benef. par.* 11. *cap.* 2. *quæst.* 191.

Limita I. ut non procedant dictæ pœnæ contra procurantem beneficium, si motus fuit ex ea intentione minus principaliter: neque contra habentem intentionem resignandi illud beneficium post longum tempus, ut *Garzias ibi*: neque contra habentem intentionem illam conditionatam; ut resignandi hoc beneficium, si aliud sibi magis conveniens offeratur, *Garz. ibi*, *Cherub. in eandem Bullam Pauli IV.* & facit *Navar. de orat. miscell.* 44. *n.* 6. Itaque tunc puto, incurrere in hanc Constitutionem eum, qui procurat beneficium in Curia, quando, data opera, procurat obtinere beneficium, ut hoc tanquam medio alium finem assequatur, v. gr. ut hujus resignatione, alterius beneficii, seu rei acquirendæ viam sibi disponat; vel si hoc beneficium assequatur, seu procuret, ut illud deinde suo nepoti, seu fratri, cum aptus fuerit, resignet, & similia: non autem puto, incurrere eum, qui duo procurat beneficia incompatibilia, sciens, quod si primo obtento, secundum consequatur, necesse erit primum dimittere, quia non procuravit primum principaliter ad hunc effectum, ut secundum consequeretur, neque ut illud resignaret absolute, sed conditionate.

Limita II. quod hæc Constitutio pœnalis non procedit contra procurantem beneficium hac intentione extra Curiam Romanam, *Garz. ibi*, *Filiuc. tract.* 15. *n.* 101.

CAPUT IV.

Beneficium parochiale obtinens, non intendens ad sacerdotium promoveri.

IN *cap. Commissa*, §. *Cæterum de elect. in* 6. statuitur, ut talis non faciat fructus suos, nisi intra eundem annum pravam mutaverit voluntatem, & se fecerit promoveri: & ille, qui sciens hanc intentionem, ei beneficium contulit, tenetur quanti interest Ecclesiæ læsæ, si iste provisus non restituat.

Et Nota primo, quod hæc pœna locum habet etiamsi illa intentio nullo signo externo se prodat, quia hæc pœna est per modum pœnæ conventionalis; & quia lex potest punire actum externum redditum malum a mala intentione; ita *Azor. par.* 1. *lib.* 5. *c.* 10. §. *In hac itaque*, dicens, esse certam sententiam.

II. Nota, quod licet lex dicat de eo, qui habet animum se non promovendi, ut lucretur fructus primi anni, hic tamen finis est exempli causa expressus, non causa limitandæ Constitutionis; quia sufficit, quod non habuerit animum accipiendi sacerdotium, ut censeatur in fraudem beneficium accipere, & indignus fructibus, cum noluerit se reddere aptum beneficio: & ita Canonistæ ibi generaliter intelligunt, & *Sanch. lib.* 7. *de matr. dis.* 45. *a n.* 1. *&* *n.* 11. & in terminis *Garzias par.* 3. *cap.* 4. *n.* 58. cum aliis Canonistis.

III. Nota etiam, quod ista Constitutio non est proprie pœnalis, sed est compensativa injustæ læsionis; & ideo obligat in conscientia, & quia non censetur adimplesse conditionem requisitam ad fructus consequendos, *Sanch. n.* 3. *Garz. n.* 59. *cum allegatis Doctoribus.*

Cui autem fieri debeat restitutio fructuum: quidam dicunt Ecclesiæ, ut *Sanch. n.* 3. cum aliis, & favet textus: alii dicunt fabricæ, vel pauperibus, ut *Garz. n.* 59. Vide quæ dixi *par.* 1. *c.* 32.

An autem mutata, seu purgata prava illa intentione, retinere possit fructus perceptos tempore etiam pravæ intentionis, affirmant DD. ut *Sanchez n.* 7. Sed an incurrat pœnam prædictam, qui ab initio non intendebat promoveri, si tantum temporis transierit, ut non possit amplius intra annum promoveri; respondeo cum *Sanch. n.* 11. *in fin. cum Sylv. & S. Antonin.* affirmative: secus si habuit ab initio animum promovendi, quia tunc non incurret ante finem termini, per ea quæ dixi *par.* 1. *c.* 14.

CAPUT V.

Beneficium curæ animarum consecutus, si intra annum ad sacerdotium non se fecerit promoveri.

I. IN *c. Cum in cunctis, de electione*, statutum est ab Alexandro III. ut ad inferiora ministeria ab episcopatu, ut decani, ac archidiaconi, & alia curam animarum habentia, & etiam ad parochias, non eligantur, nisi qui 25. annum ætatis attigerint, alias eligens punitur, ut ibi, & dicam *verbo Electio c.* 3.

II. In eodem textu statutum est, ut supradicti provisi de beneficio curam animarum habente, si admoniti, non receperint ordinem suo beneficio competentem temporibus legitimis, priventur dicto beneficio, & aliis conferatur, omni appellatione remota.

III. Gregorius X. in *c. Licet canon de elect. in* 6. ad removendam negligentiam supradictorum beneficiatorum, statuit, ut parochiales Ecclesiæ non possint valide conferri, nisi iis, qui attigerint 25. annum, qui intra annum a die commissi sibi regiminis se faciant ad sacerdotium promoveri: quod si promoti non fuerint intra annum, ipso jure sint privati parochia, etiam nulla prævia monitione.

☞ *Si intra annum promoveri possit ad presbyteratum, Ec-*

clesia parochialis conferri potest etiam clerico primæ tonsura, ut ostendi in Additionibus meis ad Instit. Canon. Remigii Maschat part. 1. pag. 290. col. 1.

De hac Decretali tractant, & explicant *Gonz. gl. 15. n. 47. Garzias de benef. par. 7. c. 4. a n. 41. Sanch. consil. lib. 2. cap. 2. dub. 22. Trid. sess. 24. cap. 12. de reform.*

Amplia, ut procedat etiam in commenda parochiæ, *c. Nemo deinceps de elect. in 6. & ibi gloss.* Item in coadjutoria, *Gonzal. gloss. 5. §. 9. n. 6.* Item ut dispensatus super defectu ætatis 25. ann. ad ordines, non censeatur dispensatus ad beneficium curatum, *Corrad. de dis. lib. 2. c. 5. n. 25.*

Nota I. quod si parochiam consecutus, intra annum obtineat dispensationem de non promovendo per biennium, incipiet currere a fine anni vigesimi quinti, & rursum habebit totum annum vigesimum octavum ad se promovendum, intra quem si non promoveatur, incurret privationis pœnam, ita *Rebuff. tit. de dispensatione de non promovendo n. 13. & 14.* Hæc autem omnia procedunt de jure communi: secus autem, quando in litteris apostolicis inest præceptum (quod in litteris provisionis abbatiæ, & prioratus conventualis apponi solet de stylo Curiæ) ut quamprimum ad ætatem legitimam pervenerit, proximis inde temporibus promoveri teneatur &c. alias privatus sit eo ipso: tunc enim, impetrata dispensatione de non promovendo, v. gr. per biennium, tempus incipit currere a primis quatuor temporibus inclusive, & finito biennio, tenetur statim primis temporibus respective promoveri, & petere ab Episcopo secum dispensari super interstitiis: quod si Episcopus nolit dispensare, tunc tanquam legitime impeditus, non incidet in pœnam, si tres ordines sacros non receperit intra annum, sed triennio subsequente, ut *Sanch. consil. lib. 2. cap. 2. dub. 22. n. 24.*

Nota II. quod hæc pœna posterior habet locum solum in parochis, non autem decanis, archidiaconis, & aliis curam animarum habentibus, *Garz. n. 10. Sanch. n. 6.* qui ait, nomine parochiæ non intelligi curam cum dignitate. Est tamen etiam imposita obligatio istis se promovendi ad sacerdotium intra annum; quamvis si id non faciant, non incurrant beneficii privationem, ut *Lessius lib. 2. c. 34. n. 105. Sanch. ibi n. 5.* Alii autem obtinentes beneficia habentia solius externi fori jurisdictionem, non tenentur ad sacros ordines ascendere, sed sufficit, ut sint ætatis viginti duorum annorum completorum, ut talia beneficia valeant obtinere; *Trid. sess. 24. c. 12. Rebuff. in praxi tit. de non promotis n. 32. Garzias par. 7. c. 4. n. 67.* nisi beneficium alias exigat ordinis sacri exercitium, ut archidiaconatus &c. ita *Rebuff. ibi n. 32.*

An autem hæc pœna privationis parochiæ obliget in foro conscientiæ ante sententiam. Respondeo affirmative cum *Navar. c. 25. n. 118. Rebuff. in praxi tit. de non promotis n. 72. Less. lib. 2. c. 34. n. 101. in fine, Sanchez consil. loco cit. n. 1.* & communem ait *Garz. par. 11. c. 10. n. 28.* quia non est pœna, sed conditio resolutiva. Quamvis negativam teneant *Henriquez lib. 10. c. 23. §. ult. in fin. Zerola par. 1. verbo Beneficium §. 4. dec. 4. Sahagun in c. final. de sequest. poss. n. 81. Morlan. par. 1. tit. 1. q. 9.*

Limita I. secundum aliquos, ut juvet regula de triennali; *Sanch. opusc. lib. 2. c. 1. dub. 31. n. 29.*

II. Limita supradicta, ut tempus anni non fluat, nisi adepta pacifica possessione, & requiritur ad constituendum in mora provisum, quod pacifice in ea manserit, *c. Commissa, et ibi gloss. verbo Pacificam de elect. in 6. Sanch. opusc. cit. n. 9. dub. 22. et dub. 7. n. 10. et 13. Garz. par. 11. c. 1. n. 118.*

CAPUT VI.

Beneficium obtinens in cathedrali, vel collegiata, si intra annum non promoveatur ad ordinem ab eodem beneficio requisitum.

I. IN Clement. 2. *de ætat. & qualit.* statutum est, ut in Ecclesiis cathedralibus, & collegiatis secularibus, vel regularibus nullus habeat vocem in capitulo, nisi sit in sacris, & provisi de dignitatibus, vel canonicatibus, vel præbendis in cathedralibus, vel collegiatis, quibus certi ordines sunt annexi, nisi omni impedimento justo cessante, intra annum se fecerint promoveri, ex tunc, donec promoti fuerint, nullo modo vocem habeant in capitulo, & eisdem subtrahatur dimidia pars distributionum, quæ dari solet his, qui certis horis intersunt, non obstantibus quibuslibet consuetudinibus, & statutis. Id statutum est in Concilio Viennensi.

II. In Trident. *sess. 22. cap. 4. de refor.* confirmatur, seu innovatur dicta Constitutio, seu decretum dicti Concilii Viennensis, & derogatur omni privilegio, & exemptioni. Deinde statuitur, ne talia beneficia conferantur de cætero, nisi iis, qui jam ætatem, & cæteras habilitates integre habere dignoscantur; alias irrita sit provisio. Quod etiam confirmatur *Trid. sess. 24. cap. 12. de reform. §. Neminem*, ubi etiam derogatur omnibus statutis, & consuetudinibus: tractat *Sanch. lib. 7. consil. cap. 1. dub. 48. n. 7. in fin. Garzias par. 3. cap. 4. n. 20. & seqq.*

Nota, quod neque Episcopus potest dispensare super illa pœna privationis vocis, seu suffragii, ut *gloss. ibi, & Barbos. n. 3. & Sanch. loco citato.*

An autem hæc pœna privationis vocis intelligatur etiam de passiva: aliqui affirmant, ut *Less. lib. 2. c. 34. n. 105.* sed contraria est communis, quam tenet *Jo. Andr.* quem citat, & sequitur *Vitalin. in d. Clem. 2. §. Illa vero n. 33.* & novissime idem tenet *Garzias loco cit. in addit. n. 15.* quod est verum, nisi eligatur ad officium requirens assistentiam in capitulo, ut *Garzias n. 25. cum Sacra Congregatione.*

Adde, quod ordinatus in sacris, non habet vocem in capitulo, si usus ordinis sacri sit impeditus irregularitate, secundum magis communem sententiam, quam tenet *gloss. in Clemen. ult. de ætat. & qualit. Lap. in Clem. cit. Ut ii, & ibi Cardin. n. 21. Imola n. 13. & 14. Suar. tom. 4. de Relig. lib. 2. c. 4. n. 7.* quia verba debent intelligi cum effectu.

Nota secundo, quod illa pœna privationis partis distributionum, intelligitur etiamsi intersit divinis officiis, ut *gloss. ibi, Sanchez loco cit. cum Navarro.*

Nota tertio, quod isti licet ex negligentia non fuerint promoti intra annum, non sunt privati ipso jure beneficiis illis: possunt tamen privari, si moniti renuerint promoveri, *gloss. in dict. Clem. ver. In posterum, Abb. Jo. Andr.* quos allegat, & sequitur *Boer. decis. 223. in princ.*

Nota quarto circa prædictas privationes suffragii, & distributionum, quod privatio suffragii, seu vocis in capitulo, quoad eos, qui non sunt in sacris constituti, non est pœnalis, sed definitiva; ideo procedit, etiamsi quis fuerit impeditus, quominus ordinem sacrum, scilicet subdiaconatum, susciperet; ita *Imola in dict. Clem. n. 21. Vitalin. n. 26.*

Privatio autem suffragii quoad eos, qui in sacris sunt, verbi gratia subdiaconi, sed non receperunt alios ordines canonicatui, seu beneficio annexos, est pœnalis, & procedit contra negligentes; unde excusat causa legitimi impedimenti, si sine eorum culpa accidit, ut patet ex *text. dict. Clemen.* & ibi notat *gloss. verbo Impedimento, Imola n. 32. Card. n. 20. Vitalin. n. 26. & 27.* unde excusaret inadvertentia, seu incogitantia naturalis, ut dixi *par. 1. c. 15. §. 1. in fine.* Est autem hæc pœna latæ sententiæ, ut patet ex illa particula, *nullo modo*, quæ habet vim canonis latæ sententiæ, & decreti irritantis, ut *Tiraquell. in leg. Si unquam, verbo Revertatur n. 93. Sayr. in Clavi Reg. lib. 3. c. 8. n. 26. Barbos. de dict. verbo Nullo modo:* item ob particulam *Ex tunc*, ut statim dicam.

Privatio illa dimidiæ partis distributionum est pœnalis, & ideo non procedit contra impedimento legitimo detentum, quominus ordinaretur; ut patet ex *dict. Clemen.* ibi notat *gloss. Imola, Cardin. & Vitalin. supra citati.* An autem hæc pœna sit latæ sententiæ, dubium esse potest: nam pro parte negativa facit verbum, *Subtrahatur*, quod est futuri temporis, & factum hominis requirit, sicut verbum *Auferatur*, & verbum *Excludatur*, ut late probat *Jason in auth. Hoc amplius n. 7. Cod. de fideicomm.* sed contrarium in casu nostro tenet *Vitalin. in dict. Clemen. n. 13.* ubi ait, non promotum pœnam hanc committere, & non dari moræ purgationem, & pro eo tempore censeri, ac si esset absens. Confirmatur hæc sententia ob particulam *Ex tunc*, quæ etiam juncta verbo futuri temporis, habet vim latæ sententiæ; ut *Tiraquell. loco citato n. 26. & 141. Barbosa de diction. verbo Ex tunc n. 4. Gratus de dict. verbo Ex tunc n. 2. Sayr. in Clavi Regia lib. 3. cap. 8. n. 27.* Dicendum est igitur, esse pœnam latæ sententiæ, quatenus non prærequirit monitionem, sed solam citationem ad dicendam causam, quare non debeat affici pœna dictæ Constitutionis, & si non probaverit, se legitime fuisse impeditum, declarabitur esse locum pœnæ, & a distributore fiet subtractio, ut dicam infra *verbo Residentia cap. 3. n. 4.* Puto autem, quod si per condonationem (non tamen vigore statuti, nec consuetudinis) ipsi integræ distributiones solverentur, non teneretur ad restitutionem, quia in hoc *textu Clem.* non est prohibi-

hibi-

hibita condonatio, dummodo fieret de omnium consensu, nullo discrepante, ad quos pertinent, ut *cap. Quod omnes de reg. jur. in 6.* Et sane secundum veriorem sententiam ista portio subtracta accrescit cæteris canonicis, seu recipientibus distributiones, per jus non diminuendi (non autem applicabitur fabricæ Ecclesiæ, quod volunt *Zenzelin. & Lau.* quos sequitur *Anchar. in dict. Clemen. n.* 10.) quia qui non capit partem, non facit partem, ita *gloss. ibi verb. Pars dimidia, Paul. ibi, & Vital. n.* 14. *Cardin. n.* 21. Intellige autem hoc, dummodo distributiones solvantur de massa communi, alias secus, ut *cit. DD.* communiter.

☞ *Circa condonationem distributionum vide Additionem infra post cap. 3. verbo* Residentia. ☜

CAPUT VII.

Beneficia plura incompatibilia retinens de facto.

PRæmittendum est, quod incompatibilitas beneficiorum alia dicitur in primo genere, idest quando ipso jure unum ab altero excluditur, itaut primum vacet ipso jure, obtento secundo; sive ista repugnantia proveniat ex jure naturali, vel solo ecclesiastico, ut sunt duo episcopatus, Triden. *sess. 7. cap. 2. de reform.* vel duæ dignitates, aut personatus, aut beneficia curata, *cap. De multa de præben. extr. Execrabilis, eod. tit.* Item duo canonicatus, vel parochia cum canonicatu, si utraque dentur in titulum (secus si alter in commendam) *cap. Sanctorum ibi gloss. additionalis verb. In duab. in fine, 70. dist. Rot. decis.* 310. 2. *par. recen.* ubi dicitur, Episcopum super hoc dispensare non posse. Item duo beneficia obligantia ad residentiam continuam, non autem si ad temporalem compatibilem invicem, *ut Rot. decis.* 179. *par.* 2. *Rec.* ubi habetur etiam, quod beneficium habens curam animarum habitu tantum, est compatibile cum alio habente curam actu, & exercitio. Item sunt incompatibilia beneficia, aut præbendæ, uniformia sub eodem tecto, *cap. Litteras de concess. præben.* de quibus vide *Less. lib. 2. cap. 34. n.* 140. *Garziam par. 11. cap. 5. a n. 67. Barb. alleg. 57. a n.* 201. *Layman lib. 4. tract. de benef. cap. 8. a n.* 5. Sed adverte, quod declaravit S. Congregat. super *Trid. decreto sess. 24. cap.* 17. quam refert *Barbos. in remiss. ibi litt. Y.* quod non censentur beneficia incompatibilia plures capellaniæ in eadem Ecclesia fundatæ cum obligatione celebrationis missarum sine certo altari ad id fundato, etiamsi ad præsentationem laicorum in titulum ab Episcopo conferantur; nam hæ etiam unica collatione plures uni conferri possunt. (sunt enim hæc magis legata pia, quam beneficia) sic etiam non sunt incompatibiles plures capellaniæ sub eodem tecto difformes, idest si illarum onera sint compatibilia, ut *Navarr. conf. 16. de præb. Castropal. tom. 2. tract. 13. dis. 6. pun. 2. §. 6. n.* 5. dummodo non sint plures duobus, *Castropalao n. 7. cap. 1. de cens. in 6.* Quamvis alii dicant, & difformia beneficia sub eodem tecto, esse incompatibilia: pro utraque sententia allegat Rota Auctores *par. 1. noviss. decis. 631. n.* 3.

Item duo beneficia, etiam simplicia, idest sine cura, quando utraque requirunt residentiam præcisam, idest sub pœna amissionis tituli, ex fundatione, vel statuto Ecclesiæ: secus si solum requirerent residentiam causativam, idest quando non præcipitur præcise residentia sub pœna amissionis tituli, sed solum amissionis fructuum, *Rota dec. 578. n. 1. part. 1. noviss. cum ibi alleg.* & aliqui putant, dici requisitam residentiam præcisam, si statutum sit a Papa, ut in tali Ecclesia omnia beneficia dictæ Ecclesiæ sint incompatibilia; quia cum per adeptionem secundi vacet ipso facto primum, apparet ex hoc requiri residentiam præcisam, ita *Rot. ibi n. 2. cum Abb. in cap. fin. n. 4. Imol. n. 13. de cler. non resid.* & idem dicunt, quoties duo beneficia simul valide obtineri non possunt sine apostolica dispensatione, quod dicatur requiri in illis residentia præcisa. Sed contrarium est verius, non induci residentiam præcisam ex incompatibilitate prædicta, *Rot. part. 1. noviss. dec.* 631.

Item incompatibile est in primo genere quodlibet beneficium prius obtentum cum episcopatu postea obtento, *cap. Cum in cunctis §. 1. de elect. Garzias part. 11. cap. 6. a n. 11. Layman loco cit. n.* 6. & sic ad privationem istorum beneficiorum, stante promotione ad episcopatum, non requiritur aliqua sententia declaratoria, sed in conscientia tenetur illud, seu illa beneficia Episcopus statim dimittere, sicut dictum est de aliis incompatibilibus in primo genere, ut obtento secundo, vacet primum, & teneatur illud dimittere, & ita *Sanch. opusc. lib. 2. cap. 2. dub. 30. n.* 1.

Item incompatibile est in primo genere quodlibet beneficium cum episcopatu prius obtento, quia Ecclesiam suam possidenti non possunt, neque dignitates, neque simplicia beneficia conferri, nisi dispensatione apostolica interveniente, *cap. Cum nostris in fin. de concess. præb.* ubi tamen tex. limitat, nisi ei conferatur ex aliqua justa causa, & necessaria: unde ostendit, posse Episcopo etiam conferri dignitatem sine alia dispensatione, quando adest causa justa, & necessaria, sed *gloss. ibi vers. Justa causa*, dicit hodie *per c. De multa de præb.* non posse conferri Episcopo dignitatem ob incompatibilitatem in primo genere: & ideo DD. communiter dicunt, Episcopo quidem ex justa causa, v. g. ob paupertatem, conferri posse beneficium simplex, non autem curatum, aut dignitatem: ita tenet *Layman lib. 4. tract. de benef. c. 8. n. 4. §. Excipe 20. Less. lib. 2. c. 44. n. 139. Navarr. toto conf. 14. de elect.* ubi ait, hoc non reperiri jure prohibitum, quin possit ei conferri beneficium simplex, sed duplex non posse conferri, etiam ex justa causa, sine dispensatione apostolica, ob incompatibilitatem, & tenet *Hostien. in dict. c. Cum nostris in fin. super verbo Post consecrationem.*

Aliqui tamen ex *dict. c. Cum nostris* sentiunt, ex justa causa posse etiam de jure communi, vel de Ordinarii dispensatione, in cujus diœcesi est beneficium conferri Episcopo dignitatem, non tamen curatum beneficium; nam *in dict. c. Cum nostris* est casus de præpositura, & *c. De multa* non obstat, quia non intelligitur de Episcopis: ita *Abb. in dicto c. Cum nostris n. 7. in fin. et n. 15. et inclinat Navarr. loco citato n. 5. et 6.* & tenet *Garzias part. 11. c. 6. n. 44. et inclinat Card. in dict. c. Cum nostris oppos.* 15.

Alia autem dicuntur incompatibilia in secundo genere, idest, cum licite se non compatiuntur in eadem persona, ita ut teneantur in conscientia alterum dimittere, non tamen, ut vacent ipso jure: ita supra citati Auctores; ut duo simplicia beneficia, vel unum duplex, & alterum simplex, si alterum sit sufficiens ad vitæ sustentationem, *c. Is cui, de præb. c. Postulasti de rescrips.* Trid. *sess. 24. c.* 17. Item olim duo simplicia requirentia residentiam, ut duo canonicatus, vel portiones, vel alterum duplex, & alterum obligans ad residentiam, ut parochia cum canonicatu, *Layman n. 3. §. Circa pœnalem*, cum multis DD. & idem tenet *Sanchez consil. seu opuscul. lib. 2. c. 2. dub. 7. n.* 8. ubi plurimos allegat, qui omnes putant, etiam hodie post Triden. *sess. 7. cap.* 4. procedere. Sed contrarium est verius: nam per Triden. hodie primum vacat ipso jure, si utrumque requirit residentiam personalem, ut ex Sacra Congregatione, & Rota probat *Garzias a n. 83. Buratt. decis. 19. n.* 1. vide *supra cit. et Sanch. consil. lib. 2. c. 2. dub. 6. a n.* 22. ut dixi.

I. Ex *c. De multa, §. Præsenti decreto, de præb.* si quis habens primum beneficium, esset consecutus secundum incompatibile in primo genere, & contenderet, etiam primum de facto retinere, idest, si fuisset in mora primum dimittendi, erat non solum ipso jure privatus primo ob vacationem supradictam, sed etiam per sententiam privandus secundo. Vide *Sanchez consil. lib. 2. c. 2. dub. 7. n.* 2.

Sed hodie ex *extrav. Execrabilis, §. Si vero, & §. Quia omnia, de præb. & ex regul. Cancell. & ex* Trid. *sess. 7. c. 4. de reform.* in tali casu, seu mora, ipso facto etiam secundo privatus remanet in pœnam, & secundum probabiliorem, & in Curia Romana receptam procedit etiam de duobus simplicibus residentiam requirentibus, ut *Garz. loco cit. a n.* 83. cum allegatis, contra *Sanchez, Layman supra.*

An autem hæc pœna, scilicet privatio secundi, obliget in conscientia ante sententiam declaratoriam, Doctores magis communiter affirmant, ut *Sanch. dub. 7. n.* 4. cum multis, & *Garz. part. 11. c. 10. a n. 18. Gonzal. gloss. 15. n. 150. Barbos. allegat. 57. n.* 154. quia non videtur pœna mera, seu privans jure absolute jam quæsito, sed est conditio resolutiva ab initio annexa. Alii tamen negant, quia dicunt, esse privationem pœnalem juris quæsiti; neque dicendum esse, secundum beneficium fuisse collatum sub ea conditione; & ideo dicunt, secundi beneficii facere fructus suos, non tamen primi: ita *Less. c. 34. n.* 143. & multos pro hac allegat *Garzias part. 11. c. 10. n. 8. & seqq.* Alii vero distinguunt, dicentes, non teneri quidem dimittere beneficium eo casu ante sententiam, sed fructus teneri in conscientia restituere ante sententiam: ita *Azor. lib. 7. c. 17. quæst. 4. Filiuc. tr. 41. c. 8. n.* 17. Sed hæc sententia non sibi cohæret.

Illud certum est, quod illa obligatio dimittendi beneficium primum incompatibile, aut etiam secundum, non insur-

ſurgit, niſi poſt adeptam pacificam poſſeſſionem ſecuudi incompatibilis, cum pacifica poſſeſſiona etiam fructuum illius, vel majoris partis, ut *Sanchez dict. dub. 7. n.* 10. *cum aliis DD.* & requiritur, ut per duos menſes poſſederit, *Rota part.* 2. *recen. decif.* 677. *n.* 1. alias ait, non induci vacationem primi beneficii: non tamen requiritur perceptio fructuum, ſed poſſeſſio fructuum pendentium.

II. Ex eadem extrav. *Execrabilis*, §. *Quæ omnia* cum *gl. verb. Sedis Apoſtolicæ*, illud ſecundum beneficium, quo privatur quis modo prædicto, remanet reſervatum Papæ: vide *Garz. part.* 11. *c.* 5. *n.* 45. *&* 55. ubi ſtylum quemdam Curiæ refert in hac materia.

III. Supradictus malæ fidei detentor primi beneficii cum ſecundo incompatibili, efficitur ipſo jure inhabilis ad quæcunque beneficia eccleſiaſtica, ex *dict. extrav.* §. *Qui vero:* vide *Garz. num.* 10. non tamen privatur aliis jam obtentis compatibilibus, *Garz. n.* 17. cum pluribus allegatis.

IV. Ex *ead. extrav.* §. *Qui vero deinceps*, qui ſecundum incompatibile obtinet, & primum non dimittit in manibus Ordinarii cum publico teſtimonio, ſtatim poſt aſſecutionem poſſeſſionis ſecundi, vel ſi per eum ſteterit, quominus hanc poſſeſſionem aſſequatur, ad ſacros ordines inhabilis efficitur. Ex quo apparet, hanc eſſe irregularitatem ex delicto, quæ ipſo facto contrahitur, *Specul. tit. de ſuſpenſ.* §. *Juxta n.* 37. *&* §. *Dicendum n.* 11. *Henriquez lib.* 14. *c.* 9. §. 1. *verſ. Et objicitur*, *Majol. lib.* 3. *c.* 4. *Azor. lib.* 6. *c.* 13. *quæſt.* 1. *tom.* 2. *Abb. in c. Dudum. n.* 23. *de elect. Layman lib.* 4. *tract. de benef. c.* 8. *n.* 3. *Garz. part.* 11. *c.* 5. *n.* 10.

Sed nota, quod iſta irregularitas eſt tantum quoad jam ſuſceptos, *Garz. c.* 5. *n.* 17. unde dicitur irregularitas partialis, ut *Laym. lib.* 1. *tract. de irregul. c.* 1. *n.* 7. & procedit ſolum quoad ordines ſacros, non quoad minores, ut patet ex *tex. cum gloſ. Zenzelini ſuper verb. Sacros*.

Limita tres poſteriores pœnas, ut non procedant contra detinentem duo ſimplicia obligantia ad reſidentiam, vel unum duplex, & aliud ſimplex obligans ad reſidentiam: quia Tridentin. illas non extendit: & in hoc procedit doctrina *Sanchez*, *Layman*, & aliorum, de quibus ſupra dixi *n.* 1.

Limita ſecundo prædictas pœnas, ut non procedant quoad obtinentem, ſeu retinentem beneficium aliquod cum Epiſcopatu: quia quamvis verum ſit, beneficia omnia promoti ad epiſcopatum vacare poteſt adeptam pacificam poſſeſſionem epiſcopatus, & conſecrationem receptam; aut ob moram ipſius, ideſt lapſum trimeſtris ad conſecrationem dati a jure, ut *dict. c. Cum in cunctis de elect.* §. 1. *Garz. dict. part.* 11. *cap.* 6. *n.* 5. Neque valide conferri beneficia alicui Epiſcopo (habenti redditus ſufficientes ex epiſcopatu) niſi ex pontificia diſpenſatione, ut *Garz. n.* 44. *Laym. dict. c.* 8. *n.* 6. Tamen neque per retentionem injuſtam prioris beneficii, aut per obtentionem novi beneficii privatur epiſcopatu, ſed collatio novi benaficii irrita manet, *DD. in c. Cum noſtris de præb. Laym. loco cit.* §. *Tertio advertendum*, *Garz. n.* 43. ubi ait, quod *dict. c. De multa*, non loquitur de epiſcopatu: imo & ſi Epiſcopus ſecundum accipiat epiſcopatum ſine licentia Papæ, ſeu legitima translatione, non incurrit privationem prioris epiſcopatus, ſed ſecundum dimittere tenetur: verum utroque privandus eſt per ſententiam, ut *c. Quanto de translat. Epiſc. Layman ibi n.* 6.

Quæres, quis poſſit ſuper incompatibilitate diſpenſare? reſponden, ſi in primo genere, ſolus Papa diſpenſat, *Garzias part.* 11. *c.* 5. *a n.* 336. *Layman lib.* 4. *tract. de benefic. c.* 8. *n.* 9. *Barboſ. in capitulo Litteras n.* 2. *de conceſſione prabendarum*. Facilius autem poteſt Papa diſpenſare ſuper incompatibilitate, vel pluralitate beneficiorum cum Cardinalibus, & filiis Regum, propter eorum merita, & excellentiam, ut habetur *in dict. c. Execrabilis* §. *Nos itaque*. In ſecundo autem genere, ſi ſint ſimplicia, non requirentia reſidentiam, an, & quando, & a quo requiratur diſpenſatio, vide Trid. *ſeſſ.* 24. *c.* 17. *de ref. Garziam n.* 262. *&* 308. *Sanch. conſil. lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 6. *n.* 24. *Filiuc. tract.* 41. *c.* 7. *n.* 24. Cauſas autem diſpenſandi vide *c. De multa de præb.* & in *dict. extravag. Execrabilis*.

Illud adverte, quod ſi Papa diſpenſet cum irregulari ad plura beneficia, intelligitur de pluribus ſucceſſive, niſi aliud exprimatur, *Rot. dec.* 425. *n.* 5. *part.* 1. *noviſ.* Sed quæres, an patronus poſſit in limine fundationis apponere conditionem, ut talis, v. gr. dignitas, vel canonicos non teneatur ad reſidentiam, & quod non ſit incompatibilis cum alia dignitate: reſpondeo, poſſe, niſi repugnet juri divino, vel naturali, ſeu ſubſtantiæ talis officii, v. g. ſi dignitas ſit pure honoraria: ſecus ſi habeat juriſdictionem ſpiritualem, ut Abbatis, vel parochi: itaque in primo caſu poterit, & debebit Epiſcopus eam approbare: in ſecundo autem rejicere, ut *Rota decif.* 331. *n.* 8. *par.* 2. *noviſſ. cum Sacra Congre. & aliis DD.* unde in canonicatu ſimplici poterit induci a patrono talis conditio, de non reſidendo, & de compatibilitate cum alio canonicatu, quia non repugnat juri divino, vel naturali.

An autem conſuetudo poſſit habere vim diſpenſationis, ſeu derogare incompatibilitati? vide *Laym. n.* 10. *&* 11. An vero poſſidens bona fide duo incompatibilia cum titulo colorato, ſcilicet ex ordinaria collatione, juvetur regula de triennali, negat *S. Congregatio apud Garziam c.* 5. *n.* 379. ſed affirmant alii, quos ſequitur *Sanch. conſil. lib.* 2. *c.* 1. *dub.* 31. *n.* 29. Sed prima opinio eſt tenenda, quam approbavit Papa apud *Garz. ibi*, & eſt communis Canoniſtarum, quos allegat *Sanch. n.* 28. Tenentur autem Ordinarii compellere obtinentes incompatibilia, ut oſtendant diſpenſationem Papæ; alias, tanquam vacantia, aliis ſunt conferenda: vide *verb. Intruſus c.* 4. ubi dixi plenius. Denique adverte, quod non privatur quis primo incompatibili, niſi ſecundum pacifice poſſideat (vel ſi per eum ſtet quo minus poſſideat) ceſſante omni moleſtia etiam extrajudiciali, etiam quoad fructus, vel eorum majorem partem, ut *Rota Burat. decif.* 19. *n.* 18.

Quæres ſecundo, ad quem pertineat collatio beneficiorum, quæ vacant, ſeu dimittuntur per aſſecutionem alterius beneficii incompatibilis: reſponden, ſi hæc ſint dignitates, perſonatus, vel officia, aut alia beneficia curata, tunc eorum collatio ad Sedem Apoſtolicam pertinet, ut *d. Extrav. Execrabilis*, §. *Qui vero deinceps*. Si autem ſint alia beneficia, ut canonicatus &c. tunc, ſi ſecundum incompatibile fuit collatum ab Ordinario in ſuo menſe, primum ſub reſervatione non cadit: ſecus ſi fuit ſecundum collatum a Papa, vel ab Ordinario in menſe Papæ, ut *ext. Ad regimen*, *de præb. Burat. decif.* 242. *a n.* 2. *Garzias part.* 11. *cap.* 5. *n.* 51. *&* 52. Illud quoque advertendum, quod ante conſecutionem talis incompatibilis providendus non poteſt valide primum beneficium reſignare, aut permutare, ex regula *Cancel.* 3. quia id in fraudem reſervationis fieret, ut ibi.

CAPUT VIII.

Beneficia obtinens, vel conferens per abuſum laicæ poteſtatis.

I. C*Ap. Si quis deinceps* 16. *q.* 7. Gregor. VII. ita ſtatuit — Si quis epiſcopatum, vel abbatiam, vel aliam eccleſiaſticam dignitatem de manu laicæ perſonæ ſuſceperit, nullatenus inter Epiſcopos, vel Abbates habeatur; & introitum ei Eccleſiæ interdicimus, quouſque locum talem per ambitionem obtentum deſerat — Et laici id præſumentes eandem ſententiam interdicti incurrunt, ex eodem textu: unde proviſio eſt nulla, & incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ ad tempus, *Comitol. lib.* 1. *quæſt.* 78. *n.* 5. *&* 6. *Turrecrem. in cap. Quoniam* 16. *quæſt.* 7.

☞ *Circa hanc ſuſpenſionem, & interdictum vide Gloſ. in cit. Canone* ſi quis deinceps *verbo* Interdicimus. ☜

II. Item tales ſunt excommunicandi, tam ſcilicet conferens, quam proviſus de beneficio aliquo per abuſum laicæ perſonæ, *cap. Quoniam*, *cap. Si quis clericus*, *cap. Si quis Epiſc.* 16. *quæſt.* 7. *& cap. Præterea de jurepatron.* Imo ſunt ipſi proviſi ipſo jure excommunicati excommunicatione non reſervata, ex *cap. Quoniam*, *& cap. Si quis clericus* 16. *quæſt.* 7. *Comitol. loco cit. n.* 5. Ipſi autem laici conferentes beneficia, incurrunt excommunicationes, & pœnas latas contra uſurpantes jura beneficiorum, ſeu Eccleſiarum: de quibus vide infra *verb. Uſurpatio*, quæ ſunt Papæ reſervatæ.

III. Ex Concilio Lateran. ſub Leone X. recipiens beneficium a laico domino, non habente Apoſtolicæ Sedis privilegium, ſeu titulum, ſaltem coloratum, redditur inhabilis ad beneficia quælibet obtinenda, donec a Papa fuerit diſpenſatus, ut *Bernard. Diaz. cap.* 53. *praxis crimin. & cap. Quiſquis de elect.* Qui recipit beneficium via electionis factæ per abuſum laicæ poteſtatis, eſt eo ipſo ineligibilis ad dignitates eccleſiaſticas, *Barboſ. ibi n.* 5. niſi cum eo diſpenſetur, ut notat *gloſ. ibi verb. Fiat*, *& Barboſ. n.* 3. & poteſt Epiſcopus diſpenſare, *Barboſ. ibid. n.* 4. Dicitur autem electio facta per abuſum laicæ poteſtatis ab eccleſiaſticis, quando laicus admiſſus eſt ultro ad actum electionis, & interfuit

fuit auctoritative, ut *gloss. ibi verb. Abusum, Abb. in cap. Quisquis, n. 4. Azor. tom. 2. lib. 6. c. 14. q. 8. §. Preterea.*

In specie autem omnis recipiens beneficium per abusum, seu collationem usurpatam a laico, incurrit vitium, & pœnas intrusionis: onde est inhabilis ad illud, etiam per novam provisionem, *cap. Relatum, de jurepatr. Salzed. ad Diaz. cap. 51. & 53.*

IV. Electionem celebrantes per abusum laicæ potestatis, sunt privati ea vice potestate eligendi; etenim electio illa fuit nulla: nec ipsi possunt tunc alium eligere, & sunt suspendendi per triennium ab officiis, & beneficiis, ex *dict. cap. Quisquis 43. de elect.* de qua re dicam *verbo Electio.*

V. Dimittere tenentur provisi per abusum laicæ potestatis beneficia sic recepta, quia provisio, seu collatio est nulla, *per cap. Si quis deinceps, & cap. Quisquis, cit. cap. Præterea, de præb. in 6. Canonistæ in dict. cap. Quisquis, Comitol. loco cit. n. 3.* Sunt autem compellendi ad ea dimittenda per excommunicationem, & alias censuras; & si fuerint contumaces, sunt deponendi ab ordine, & officio, *cap. Præterea de jurepatr.*

Nota, quod istæ pœnæ cessant, quando laicus habet privilegium Papæ conferendi beneficia, *Garz. p. 1. cap. 2. n. 33. cum allegatis.* Non tamen potest laicus acquirere jus conferendi ex sola consuetudine, sed requiritur saltem immemorabilis consuetudo cum fama constanti privilegii, *Garzias n. 38.* alias igitur nulla suffragari potest præscriptio, *Seraph. decis. 138. n. 2. & 3.*

Quod autem sæpe in jure cautum reperitur, religiosos posse recipere Ecclesias de manibus laicorum, si tamen id fiat cum consensu Episcopi; intelligendum est de Ecclesiis dono recipiendis, quas laici injuste detinent, & aliter de illorum manibus non facile possunt auferri, ut apud *Barbos. allegat.* 105. *n.* 49.

CAPUT IX.

Beneficiorum provisio, vel præsentatio, si in tempore non fiat.

DE jure communi devolvitur jus conferendi superiori immediato ob negligentiam collatoris, *cap. Nulla, de concess. præben. cap. Licet, de supplen. negligen. Prel. Clem. 1. eod. tit. Garzias par. 10. cap. 2. per tot.* Et similiter ob negligentiam patroni, jus devolvitur per consolidationem ad eum, qui debuisset instituere ad illius præsentationem, *Less. lib. 2. cap. 34. dub. 6. Sanchez consil. lib. 2. cap. 3. dub. 59. n. 5. cap. Quoniam, de jurepatr.* Jus autem conferendi competens Episcopo jure proprio, devolvitur capitulo ob negligentiam Episcopi, *cap. Licet de suppl. negl. Prælat. & cap. 2. de conc. præb. Layman lib. 4. tract. de benef. cap. 11. n. 5.*

Intra quod tempus fieri debeat collatio, aut præsentatio: respondeo, fieri debere intra sex menses, nisi agatur de electione ad cathedrales, vel regulares Ecclesias: quia talis electio fieri debet intra tres menses, & nisi agatur de præsentatione facienda a patrono laicali, quia fieri debet intra quatuor menses. De his omnibus vide *Garziam part.* 10. *cap. 2. n. 1. & seqq.* Sed nota, quod tempus non incipit currere, nisi a die notitiæ vacationis, & cessante omni impedimento legitimo, quia ea devolutio fit ad supplendam negligentiam, *ca. fin. de supplen. negl. Prel. cap. Dilectus, & cap. Quia diversitatem de concess. præb. Sanch. opusc. lib. 2. cap. 3. dub. 59. n. 10. Garz. n. 15. & 16. cap. 2. part. 10.* quæ cessat in impedito: unde allegans ignorantiam, absentiam, morbum, & similia audiendus est, *Rot. part. 1. noviss. decis. 377. Sanchez n. 11.* quia hæc devolutio est pœnalis, *Sanch. n. 10.* Vide quæ dixi supra *part. 1. cap. 15.* Item, si dubitavit interim de jure conferendi, utrum ad se pertineret, *Rota part. 2. Recent. decis. 632. n. 2.*

Hæc autem devolutio transfert jus ante omnem sententiam declaratoriam, etiam pro foro conscientiæ, quia non solum fit in puram pœnam negligentiæ, sed principaliter ad bonum Ecclesiarum, idest, ad avertendum damnum Ecclesiæ, quod ex tali negligentia resultat, ita tenet *Abb. in cap. Litteras n. 2. vers. & dicunt DD. de suppl. neglig. Præl. & in cap. Cum nostris n. 22. de concess. præbendæ, Sanch. consil. lib. 2. cap. 1. dub. 6. n. 16.* itaque non potest purgare moram; *Garz. part. 10. cap. 3. n. 48.* & facit quod pœna ipso facto incursa, privans jure aliquo, obligat in conscientia sæpenumero, quando est modici præjudicii, ut hic, cum privatur jure conferendi, vel præsentandi pro ea vice tantum; *Garz. n. 39.* Unde non placet, quod ait in contrarium *Flamin. Paris. de confiden. quæst. 14. in fin.* in foro conscientiæ præsentatum post tempus tutum esse. An autem possit provisio facta post tempus, rata haberi ab eo, ad quem est jus devolutum, si alias provisus sit idoneus, vide *in cap. Litteras ibi DD. de suppl. neglig. præl.*

CAPUT X.

Beneficium conferens indigno, vel minus digno.

I. PEccat mortaliter, qui scienter confert beneficium, vel officium ecclesiasticum indigno, idest, non habenti qualitates requisitas ad illa, *glos. in cap. Ad Apostolicam, verb. Prohibendum, de regul. Rebuff. in praxi par. 1. cap. 16. pœnæ contra collatores, &c. num. 6. Sanch. in opusc. lib. 2. cap. 1. dub. 2. n. 7. in fin. & n. 12. Garzias de benef. part. 7. cap. 16. in princ.*

Et nota, quod ad obtinendum beneficium simplex sufficit, quod sciat legere, & scribere, atque possit recitare divinum officium, etiamsi non intelligat latinum. Ad obtinendum autem canonicatum in cathedrali, vel parochiam requiritur litteratura, idest intelligentia linguæ latinæ, & scientia eorum, quæ pertinent ad ejus officium: ita *Rota dec. 318. per totam*: alias enim collatio beneficii esset nulla, ut *Rot. ibi*, & dicam infra *verb. Ordo cap. 9.*

II. Et restituere tenetur eidem Ecclesiæ taliter læsæ quanti illius intersit, *Cardin. et Anchar. in Clem. 1. de ætat. et qualit. Rebuff. loco cit. n. 8. Sanch. dub. 45. n. 4.*

Amplia prædicta, quod conferens beneficium curatum digno, omisso digniori, peccat mortaliter, ut de communi testatur *Garzias, ibi n. 2.* & hoc omnino tenendum ait *Sanch. dub. 2. n. 16.* quamvis tunc non teneatur ad restitutionem ullam, si contulit absque concursu, seu oppositione in casibus, in quibus non requiritur oppositio; *Sanchez dub. 45. n. 10.* ubi id ait, esse fere certum, *et n. 15.* ubi ait, esse probabilius. Si vero beneficium curatum, vel etiam simplex, conferat digno, omisso digniori per oppositionem, semper mortaliter peccat contra justitiam commutativam, seu contra jus dignioris neglecti; *Sanch. dub. 2. n. 23. et dub. 46. n. 4. Gonzal. in reg. 8. gloss. 4. n. 128.* cum communi. Et sane, si beneficium conferendum erat digniori per concursum ratione alicujus juris, ut statuti, vel fundationis, vel consuetudinis præscriptæ, tunc eligens dignum, omisso digniori, vel eligens indignum, tenetur ad restitutionem digniori contempto; *Gratian. decis. 97. Barbos. alleg. 60. n. 98. et 104. Garzias part. 7. cap. 16. n. 56. et 61. Sanch. dub. 46. n. 2.* dicens, hanc esse probabiliorem sententiam. Verum collatio tunc facta digno, omisso digniori, valida est: ut *Gonzalez n. 129. Sanch. dub. 40. n. 3.* unde provisus erit tutus in conscientia, nec tenebitur ad restitutionem ullam digniori, sistendo in jure communi. At si beneficium curatum conferatur per oppositionem, hodie ex *Trident. sess. 24. cap. 18. de ref.* & Bulla Pii V. 33. *In conferendis*, ita debet conferri ei, quem Episcopus digniorem, seu magis idoneum judicaverit, talemque Episcopus eligere tenetur, ut dignior contemptus appellare possit ab irrationabili electione, & electio facta, non servata forma dicti decreti, sit irrita, & nullum jus tribuat proviso, neque titulum coloratum, si scilicet sit injustitia, seu irrationabilitas manifesta, ut *Gonzalez n. 135.* quare dignus provisus, neglecto magis idoneo, tenebitur ad restitutionem eidem, & provisio ipsius est irrita ipso jure, ut *Gonzalez ibid.* & idem sentit *Leon. thesaur. fori Eccles. part. 2. cap. 3. n. 38. Garzias n. ult.*

☞ *Propositio circa hanc materiam ab Innoc. XI. proscripta sub die 2. Martii 1679. quæ est in ordine la 47. ita sonat:*

— Cum dixit Concilium Tridentinum — *Eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent* — Concilium vel primo videtur per hoc digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos: vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus. —

Hanc docens, et ad praxim deducens quas pœnas incurrat, vide in fine Additionis ad cap. 1. verbo Missa. ☜

Sed quæres, an provisus de beneficio in concursu, si erat inhabilis ad illud ratione occultæ censuræ, vel irregularitatis, aut alterius vitii, seu impedimenti occulti, possit

obtinere postea in sacra Pœnitentiaria non solum absolutionem a censura, & dispensationem super irregularitate illa occulta, verum etiam revalidationem tituli dicti beneficii. Respondeo, si nullitas provisionis processit a censura, vel irregularitate contracta ob violationem censuræ, poterit tituli revalidationem impetrare in sacra Pœnitentiaria, stante aliqua causa rationabili sic cum eo dispensandi; quia in his casibus specialiter ei concessere Summi Pontifices facultatem titulum revalidandi.

III. Beneficium ecclesiasticum conferens scienter indigno, eo ipso privatus manet jure illud conferendi alteri idoneo in eadem vacatione. Si vero ignoranter indigno contulit, ut puta, quia inhabilitas provisi erat occulta, non privatur jure suo: ideoque poterit in eadem vacatione alteri idoneo idem beneficium conferre, per *cap. Si electio de elect. in 6. Abb. in cap. 2. n. 16. de postul. Prælat. Rebuff. in praxi par. 1. cap. 16. n. 1. Buratt. decis. 162. n. 7. cum aliis DD.*

Amplia, quod prædicta pœna privationis obligat etiam in foro conscientiæ ante sententiam declaratoriam, ut dixi *verbo Electio c. 3. not. 3.*

Limita, quod asserens electores, seu collatorem scivisse illum esse inhabilem, vel indignum, probare tenetur, quia ignorantia præsumitur facti alieni, *leg. Verius, ff. de prob. Menoch. præsump. 23. n. 51. et 52. lib. 6.* & in dubio quilibet præsumitur dignus, *cap. un. ibi gloss. verbo Æstimare, et Barbos. n. 3. de scrutin. in ordin. facien.*

Sed vide quæ de hac materia, & pœnis hujus criminis, dicam infra *verbo Electio c. 3.*

☞ *Placet hic addere ea, quæ servari debent in collatione beneficiorum parochialium per concursum, præscripta in Litteris encyclicis Clem. XI. & Constitutione Benedicti XIV.* Cum illud: 14. *Decemb.* 1742. *in qua insertæ sunt dictæ Litteræ, &*

1. *Ut Episcopus, habita notitia vacationis beneficii curati, statim in ea deputet vicarium cum congrua fructuum assignatione ad curæ onera sustinenda, donec de rectore provideatur,*

2. *Ut edicto intimetur concursus, præfigaturque terminus, intra quem tantum coram cancellario Episcopi, vel alio ab hoc deputato, exhibeantur in actis concurrentium requisita, Romæ præfigitur terminus decem dierum.*

3. *Ut hæc redigantur in compendium, & ejus copia die concursus tradatur tam Ordinario, quam Examinatoribus, ut hi una cum illo judicium ferant, nedum super doctrina, sed etiam super vitæ honestate, aliisque concurrentium dotibus ad animarum curam exercendam necessariis. Romæ, si scrutinium fieri nequeat eodem die, differtur ad duos, vel tres dies, obsignatis interim responsis sigillo Eminentissimi Vicarii.*

4. *Ut coadunatis concurrentibus, omnes claudantur in eodem conclavi, unde nemo egredi, vel alius quispiam eo ingredi possit, donec confecerint intra certum, & idem temporis spatium omnibus constitutum, exhibuerintque scripta, & subscripta propria cujusque manu responsa casuum uno, eodemque tempore dictatorum latine exarata, & sermonem, seu oratiunculam conscriptam eo idiomate, quo ad populum haberi solet, super textu Evangelii, eodem pariter tempore omnibus tradito. Romæ proponuntur resolvendi novem casus.*

5. *Ut singula responsa, & oratiunculæ subscribi debeant ab Ordinario, vel ejus Vicario, Examinatoribus, & cancellario concursus.*

6. *Cavetur etiam, ne, peracto hoc modo concursu, collataque Ecclesia parochiali magis idoneo, ac digniori, admittatur appellatio, aut a mala relatione Examinatorum, aut ab irrationabili judicio Episcopi, nisi intra decem dies a die collationis interponatur; & ne judex, ad quem, possit pronunciare, nisi secundum acta concursus, ad ipsum clausa, & obsignata transmittenda, vel originalia, vel eorum authentica exempla, confecta a cancellario concursus, & ab altero notario collata coram Vicario, vel alio in ecclesiastica dignitate constituto, eligendo ab Episcopo, ac subscripta ab Examinatoribus, qui concursui interfuerunt. Et hoc juxta cit. Bened. Constit. diserte vetantis, posse recipi documenta cujuscumque generis post concursum expiscata; derogando hac in parte præfatis litteris encyclicis id permittentibus.*

7. *Quod si Ordinarius, posthabito uno, vel altero ex approbatis, parochiam contulerit magis idoneo ex informata conscientia, hanc sibi tantum notam causam per litteras familiares indicabit judici appellationis; qui nec illam revelare, nec postulare poterit, ut ea juridice probetur. At si eidem Ordinario suspecta sit fides judicis, ad quem, dictam causam aperire tenetur Præfecto Cong. Concilii.*

8. *Statuitur præterea, ut si sententia judicis appellationis sit uniformis prælectioni factæ ab Ordinario, non possit ulterius provocari: si vero fuerit contraria, possit prælectus ab Ordinario ad alium appellare; retenta tamen interim parochiæ possessione: sed ubi secundus judex pronuntiaverit, is parochiam obtinere debeat, cui duæ assistunt sententiæ, ne cum animarum curæ jactura justo longiores sint provocationes.*

9. *Ultimo cavetur, ut semper liceat Episcopo, nulla petita a S. Sede licentia, concursum indicere, & complere pro parochialibus, aut aliis dignitatibus animarum curam adnexam habentibus; sive vacaverint in mensibus reservatis, sive ex alio capite eidem S. Sedi reservatæ sint: hac tamen lege, ut si reservatæ tantum sint ratione mensium, eligat magis idoneum, & Datariæ significet absque transmissione actorum concursus, nisi ab eadem Dataria requirantur. Si vero reservata sint ex alio capite, abstineat a ferendo dignioris judicio, & acta concursus ultro Datariæ exhibeat. Relinquitur tamen Ordinariorum arbitrio familiaribus litteris denuntiare Datario personam magis dignam, eumdemque monere, an occulta aliqua, & in actis juste reticita, subsit causa, quæ cuipiam obstet ad parochiam obtinendam.* ☜

CAPUT XI.

Beneficii gratia utentes, litteris non expeditis in Curia Romana.

Vide *verbo Gratia cap. 1.*

☞ CAPUT I.

Bibliothecarum Fratrum Minorum de Observantia Ordinis S. Francisci libros, quinterna, folia, aut res aliquas a dictis bibliothecis amoventes, asportantes, aut tollentes, ac ad id consulentes, & auxilium dantes.

EX *Constit. Sixti V.* Cum sicut 3. *Octob.* 1587. *incurrunt ipso facto excommunicationem Papæ reservatam, neque absolvendi in mortis articulo, nisi prius satisfacto omni damno dictarum bibliothecarum, etiamsi pro minimo temporis spatio prædictos libros, & res amoveant. Quam excommunicationem ideo huc retuli, quia nedum afficit Fratres dicti Ordinis, sed etiam quoscumque alios tam ecclesiasticos seculares, & regulares cujusvis status, ordinis, conditionis,* etiamsi pontificali dignitate præfulgeant. *Ad illam autem incurrendam requiritur ausus, & præsumptio, ut in Constitutione.*

Insuper eamdem pœnam incurrunt scientes, & non revelantes prædicta superioribus illorum conventuum, quorum sunt bibliothecæ.

Infliguntur præterea aliæ pœnæ contra eosdem superiores non adimplentes, & non servantes formam ibi præscriptam pro conservatione librorum.

Alii multi Ordines regulares obtinuerunt a Summis Pontificibus similes prohibitiones, sub pœna excommunicationis Papæ reservata pro conservatione suarum bibliothecarum: quarum tenores inspiciendos relinquimus ab hujusmodi Constitutionum favore fruentibus, cum longum, ac difficillimum esset, eas omnes afferre. ☜

CAPUT I.

Bigamorum pœnæ.

Vide *verbo Matrimonium cap. 2.*

CAPUT II.

Bigamos ordinans.

Vide *verbo Ordo cap. 2.*

☞ CAPUT I.

Blasphemantium Deum, Christum, & B. Virginem, vel aliquem Sanctum pœnæ.

IN *blasphemantes nomen Domini de jure divino erat lapidatio,* Levit. c. 24. vers. 16. *de jure civili erat ultimum supplicium,* Novel. Authen. Ut non luxurientur §. *final. quod tamen hodie desuevit, ut ostendi in meis Additionibus ad Instit.*

ſtit. Canon. Remigii Maſchat part. 1. pag. 365. col. 1. De jure autem canonico antiquo relat. in can. Si quis per capillum 10. cauſ. XXII. quaſt. 1. & in cap. Statuimus 2. de maledicis in laicos blaſphemantes tam Deum, quam aliquem Sanctum, & maxime B. Virginem, erat excommunicatio ferendæ ſententiæ, publica pœnitentia in foribus Eccleſiæ, jejunia, & pœna pecuniaria: in clericos vero erat depoſitio, ut probat Covarruvias in cap. Quamvis part. 1. §. 7. ver. Sed quia n. 20. de Pactis in 6. His acceſſerunt aliæ pœnæ ex Conſtit. Leonis X. in Conc. Lateran. Supernæ, ac Julii III. In multis. Hodie tamen attendendæ ſunt ſtatuta a S. Pio V. Conſtit. Cum primum 1. Apr. 1566. innovante dictam Leonis Conſtit., & decernente, §. Ad abſolvendum, laicum blaſphemantem nomen Jeſu, vel Virginis prima vice (intellige punitionis) condemnandum eſſe pœna viginti quinque ducatorum, ſecunda quinquaginta, tertia centum, & exilio. Si ſolvere non poſſit, prima vice conſtituendum per diem integrum ante fores Eccleſiæ manibus poſt tergum ligatis; ſecunda flagellandum per Urbem; tertia linguam ei perforandam, & ad triremes mittendum. Si blaſphemus eſt clericus beneficiatus, prima vice, privandum eſſe fructibus unius anni omnium beneficiorum; ſecunda ipſis beneficiis; tertia omnibus etiam dignitatibus exutum deponendum, & in exilium mittendum: ſi nullum habet beneficium, prima vice, multandum eſſe pœna pecuniaria, vel corporali; ſecunda carcerandum, tertia verbaliter degradandum, & ad triremes mittendum. Blaſphemantes Sanctos pro qualitate blaſphemiæ, & perſonarum, arbitrio judicis puniendos eſſe.

Ab his pœnis non excuſat minor ætas, dummodo blaſphemans ſit doli capax: & Urſaya Inſtit. criminal. lib. III. tit. 1. n. XXIV. refert Edictum Innocen. XI. 29. Maji 1680. ſtatuens ad hunc effectum haberi pro majori, qui annum vigeſimum excedit. ☜

☞ CAPUT I.

Bononiæ ſcholares, vel magiſtri conducentes alienum hoſpitium infra tempus conductionis ſine licentia Inquilinorum.

EX cap. Ex reſcripto 1. quod eſt Clementis III. de locato, & conducto, incurrunt excommunicationem, quam Gloſ. verb. Sub excommunicatione dicit, eſſe latæ ſententiæ, non tamen eſt reſervata, quamvis Gonzal. verb. Singulis annis videatur ſentire cum Joſeph Vela, eſſe ferendæ ſententiæ. Ad hujus pœnæ firmitatem præcipit Pontifex, ut hæc decretalis ab Epiſcopo Bononienſi (nunc Archiepiſcopo) Singulis annis in communi audientia magiſtrorum, atque ſcholarium recitetur (ſequentia verba deſunt in Textu, ſed referuntur a Gonzalez) & prætaxata pravę conductionis improbitas innovata excommunicationis ſententia reprimatur: Circa hanc publicationem quotannis renovandam, Gloſ. verb. Audientia hæc habet. Hoc fieri debet propter illos, qui Conſtitutionem ignorant; quoad alios non, quia ſufficit qualitercunque ſciant, etiam ſine aliqua conteſtatione. Imo (ſequitur gloſſ.) certe videtur, quod omnes teneantur, ex quo Conſtitutio fuit ſemel publicata .... unde potius ad cautelam fit hujuſmodi recitatio, ne quis ſaltem de facto dicat, ſe ignoraſſe. ☜

CAPUT I.

Bonorum eccleſiaſticorum alienatio.

Vide ſupra Alienatio.

CAPUT II.

Bonorum eccleſiaſticorum furtum, rapina, incendium, effractio, & damnum.

Vide verbo Sacrilegium cap. 1. 3. & 4. & verbo Incendiarii cap. 1. & 2.

CAPUT III.

Bonorum eccleſiaſticorum uſurpatio, vel impedimentum.

Vide verbo Uſurpatio.

☞ CAPUT I.

Breviaria ſine Inquiſitorum, aut Ordinariorum licentia imprimentium, & vendentium pœna.

IN Conſtit. Clement. VIII. Cum in Eccleſia 10. Maji 1602. in typographos, & bibliopolas exiſtentes extra ſtatum eccleſiaſticum, ea ut ſupra præſumentes imprimere, et reſpective vendere, infligitur pœna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto, abſque alia declaratione incurrendæ, Papæ reſervatæ. In exiſtentes vero Romæ, & in reliquo ſtatu eccleſiaſtico infligitur pœna quingentorum ducatorum auri de Camera, ac amiſſionis librorum, & typorum omnium, eidem Cameræ applicandorum: ac inſuper interdicitur ſub iiſdem pœnis uſus dictorum breviariorum aliter impreſſorum.

Præterea in Inquiſitores, ſive Ordinarios, ſi licentiam conceſſerint contra formam in Conſtit. præſcriptam, ſequentes infliguntur pœnæ, ibi -- Ipſi autem Inquiſitores, ſeu Ordinarii locorum, antequam hujuſmodi licentiam concedant, breviaria ab ipſis typographis imprimenda, & poſtquam impreſſa fuerint, cum hoc breviario auctoritate noſtra recognito, & nunc impreſſo, diligentiſſime conferant, nec in illis aliquid addi, vel detrahi permittant, & in ipſa licentia originali de collatione facta, & quod omnino concordent, manu propria atteſtentur, cujus licentiæ copia initio, vel in calce cujuſcunque breviarii ſemper imprimatur: quod ſi ſecus fecerint, Inquiſitores videlicet, privationis ſuorum officiorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda; Antiſtites vero, & Ordinarii locorum ſuſpenſionis a divinis, ac interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ: eorum vero Vicarii, privationis ſimiliter officiorum, & beneficiorum ſuorum, & inhabilitatis ad illa, & alia in poſterum obtinenda, ac præterea excommunicationis, abſque alia declaratione, ut præfertur, pœnas incurrant eo ipſo. --

Clementis Conſtitutionem cum earumdem pœnarum inflictione confirmavit Urbanus VIII. Conſtitut. Divinam pſalmodiam 25. Jan. 1631. excepto, quod circa uſum breviariorum contra præſcriptam formam impreſſorum, hæc tantum legitur clauſula -- Et nihilominus breviaria ſine dicta facultate impreſſa, aut evulgata eo ipſo prohibita cenſeantur. --

Supradictas autem prohibitiones, & pœnas omnes extendit etiam ad ea omnia, quæ a breviario Romano ortum habent, ſive ex parte, ſive in totum; cujuſmodi ſunt Miſſalia, Diurna, Officia parva B. Virginis, Officia majoris hebdomadæ, & id genus alia; quę deinceps non imprimantur, niſi prævia illorum, & cujuslibet ipſorum in dicta typographia .... impreſſione, ut omnino cum breviario de mandato noſtro edito concordent.

Circa mutationem Ritus breviarii vide infra c. 3. verbo Ritus. ☜

CA-

CAPUT I.

Calumniator.

Vide *verbo Accusator, & verbo Electio cap.* 4.

CAPUT I.

Cameræ Apostolicæ ministri rationes fideliter non reddentes.

IN Bulla Pauli III. 40. *Cum sicut accepimus*, statutum est, ut Provinciarum Ecclesiæ Romanæ thesaurarii, mercatores, seu publicani, & ministri, & alii eidem computa reddere debentes, ea integre reddant, integrum debitum, & creditum describendo, nec audeant aliquid penes se, vel alios retinere, vel retineri facere; & contra facientes incurrant (scilicet ipso facto) excommunicationem Papæ reservatam, perjurii, & falsi pœnas, & dupli cujuslibet partitæ omissæ, vel non solutæ, eidem Cameræ applicandi, ultra alias pœnas arbitrarias ferendæ sententiæ.

Limita, quod ad incurrendas dictas pœnas, requiritur dolus, propter verbum *Audeant*. Limita etiam, quod licet dicat Bulla, *Si aliquid ausi fuerint retinere etc.* & hæc dictio *Aliquid* verificetur etiam in minimo; tamen adhuc in casu nostro excusat parvitas materiæ, quia etiam dictio *Aliquid* pro subjecta materia requirit materię gravitatem; maxime, quando pœna respicit rem, et contemptum formalem, *Surd. de alim. tit.* 8. *priv.* 61. *n.* 21.

Limita tertio, quod non continentur Judices intercipientes condemnationes Camerę debitas, seu confiscationes, quia id faciunt per modum furti commissi a privata persona, non ut ab officiali Camerę, ut patet ex Bulla.

CAPUT II.

Ad Cameram Apostolicam pertinentes confiscationes, vel pœnas defrandans.

IN Bulla Pii IV. quæ est 43. *Decet Romanum*, statuitur, ut omnes pœnæ pecuniariæ, & moltæ & confiscationes, pro quibuscunque criminibus, exceptis iis, quæ pro damnis datis inferuntur, & exceptis pœnis applicatis titulo vere oneroso, vel pro reparatione pontium, viarum &c. & Ecclesiarum, & piorum locorum, & pro aliis publicis rebus, in toto Statu Ecclesiæ Romanæ applicentur Cameræ Apostolicæ, non autem Communitatibus. Itaque præcipit, & inhibet Legatis, & Gubernatoribus, & aliis officialibus, ne in eorum decretis, edictis, & sententiis dictas pœnas &c. alteri, quam Cameræ Apostolicæ audeant applicare. Quod si contravenerint Legati a latere, indignationem pontificiam incurrant; inferiores vero, pœnam excommunicationis, seu suspensionis a Divinis, aliasque arbitrio Papæ.

Deinde alia Bulla *Cupientes*, idem Pontifex statuit, ut officiales præfati de pœnis statutariis, & bannimentorum habeant decem pro centenario, & accusatores quartam partem de pœnis bannimentorum: ita tamen, ut præfatas portiones supradicti accipiant non propria auctoritate, sed de manu depositarii Cameræ: & idem vult observari de aliis applicationibus exceptis, ut supra, verbi gratia, pro titulo oneroso &c. nulla tamen apposita est hic transgressoribus pœna latæ sententiæ, ut ibi patet, neque adest obligatio restituendi; sed solum præceptum id observandi. Hæc Constitutio fuit confirmata a Sixto V. & Clemente VIII. Bulla 5. *Inter cæteras*, ubi n. 8. præcipit, ut Romæ rei pœnas pecuniarias in manibus tantum depositarii Cameræ Apostolicæ persolvant, & *n.* 9. subjungit, quod rei aliter solventes, denuo Cameræ sint solvere obligati, & omnes officiales contra formam prædictam pecunias illas dantes, ad restitutionem Cameræ teneantur. Notarii autem dictas pecunias intercipientes, nisi depositario intra triduum restituerint, ducentorum ducatorum auri de Camera pœnam incurrant. Sed hæc pœna ultima non obligat ante sententiam declaratoriam; sed ad simplum tantum restituendum in conscientia obligantur, ut dixi *part.* 1. *cap.* 37.

Quæres, an incurrat in has pœnas Judex ob gratiam, vel sordes omittens reum condemnare: respondeo negative. An vero saltem teneatur Judex ad restitutionem Cameræ in hoc casu: respondent multi negative, quos allegat, & sequitur *Diana tom.* 2. *misc.* 5. *res.* 52. *& Salas de legib. disp.* 15. *sect.* 7. *a num.* 101. sed multi affirmant, ut *Ang. verbo pœna n.* 18. *Sylv. quæst.* 28. *Sot. de just. lib.* 1. *quæst.* 6. *art.* 6. *Sayr. lib.* 10. *clav. tract.* 2. *cap.* 15. *n.* 3. *Layman lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 5. §. 2. *Si Judex*, & alii: utraque est probabilis.

Quæres secundo, qualiter intelligantur incurri illæ duæ censuræ, scilicet excommunicationis, seu suspensionis, stante illa particula, *seu*? Respondeo, aliqui putant, utranque censuram incurri: quia illa particula, *seu*, est augmentativa, & conjunctiva, ut *Gratus de dictionib. super dictione seu c.* 228. *n.* 1. 2. *&* 3. ubi multa jura congerit, *gloss. in cap. Latores, verb. Ab officio, de cleric. excommun. min.* ubi ait, quod si Episcopus dicat, suspendo te ab officio, vel beneficio, debes ab utroque abstinere. Alii dicunt, intelligi ad electionem, arbitrio delinquentis: ita *Suar. de censur. disput.* 3. *sect.* 2. *n.* 12. *Filiuc. tract.* 11. *n.* 18. *Bonac. de censur. in communi punct.* 7. *n.* 4. qui dicunt, ita observandum in censuris pluribus latis sub disjunctiva: & in terminis hujus Bullæ *Bonac. de censuris in partic. disp.* 2. *quæst.* 10. *punct.* 13. *in fin.* Alii, quos refert, tacito nomine, *Filiucc. tract.* 14. *n.* 177. dicunt, intelligi excommunicationem a laicis, suspensionem a clericis incurri: ego puto, incurri in tali casu censuram, quam declaraverit Papa, seu Auditor Cameræ Apostolicæ, & ante talem declarationem neutram incurri, sed tantum declaratione facta: sicut in simili observatur in excommunicatione, quæ incurritur vigore obligationis cameralis a non solventibus pensionem reservatam super beneficio, & ita sentit *Filiuc. ibidem*: & facit, quia communis sententia ait, quod quando censuræ duæ feruntur hoc modo, maneat suspensus, vel excommunicatus, cum sint indeterminate latæ, nec sufficienter explicatæ, non ligant, donec determinentur, seu declarentur a conferente; *Ugolin. tab.* 1. *cap.* 20. §. 3. *n.* 4. *cum Navarr. & Abb.* & tenet *Henriq. lib.* 13. *cap.* 32. *n.* 4. *Sayr. lib.* 4. *cap.* 7. *n.* 3. *de cens.*

☞ CAPUT III.

Cameræ Apostolicæ libros, aut scripturas occultantes, vel retinentes.

IN *Constit. Julii II.* Cum sicut accepimus 15. *Kal. Sept.* 1507. *inflicta in hos legitur excommunicatio lata sententia Papæ reservata, si illos, & illas infra octo dies in Cameram non reportaverint. Verum hæc excommunicatio videtur provisorio modo inflicta, & eos dumtaxat affecisse, qui tunc temporis dictos libros, & scripturas retinebant: cum enim ad eam incurrendam præfixus fuerit non quorumcunque octo dierum lapsus, sed octo proxime sequentium a Constitutionis emendatione*, debeant infra octo dies proxime sequentes in dictam Cameram reportasse: *hæc clausula:* proxima sequentes: *non est apta denotare quodcunque futurum tempus; & sic perpetuitatem: uti esset, si dixisset*: debeant intra octo dies proxime sequentes a Constitutionis notitia reportasse.

Quod clarius patet ex discretiva locutionis ejusdem Constitutionis; volens enim Pontifex providere super hoc indemnitati Cameræ etiam in futurum, §. 2. *inflixit excommunicationem, lata pariter sententia, nulli tamen reservatam, in eos, qui ex tunc* (*in antea*) *præfatos libros, & scripturas ultra decem dies absque speciali mandato, & licentia Præsidentium, & Clericorum Cameræ ausi fuissent, vel præsumpsissent retinere*: alioquin, elapso dicto termino, non patentes, seu contrafacientes, sciant, se majoris excommunicationis sententiam incurrisse, quos ut tales ex nunc, prout ex tunc, auctoritate apostolica per præsentes declaramus.

Quibus rationibus ex clara Constitutionis littera, & contextu deductis, asserendum crederem, adesse quidem excommunicationem lata sententia in occultantes, & retinentes libros, & scripturas ad Cameram apostolicam spectantes modo supra relato, sed non esse Papæ reservatam, ut perperam a quamplurimis Doctoribus refertur inter excommunicationes Papæ reservatas, adhuc vigentes.

Hæc eadem excommunicatio una cum privatione omnium, & singulorum officiorum, & beneficiorum, ac inhabilitatis ad illa, inflicta legitur contra eosdem in Constit. Sixti V. Non sine maxima: 27. *Apr.* 1587. *extensa insuper etiam ad non revelantes, penes quos dicti libri, & scriptura maneant.*

Verum & istam eodem provisorio modo inflictam fuisse censeo, eosque dumtaxat affecisse, qui tunc temporis circa hoc deliquissent: nedum enim & hic præfixis Sixtus terminum sex dierum proxime futurorum a die emanationis, non a die scien-

tiæ

tia Constitutionis : ut intra sex dierum proxime futurorum terminum : *sed etiam declaravit, dictas pœnas ipso facto incurrisse, si post dictorum sex dierum lapsum præfatos libros, & scripturas non consignassent, & respective revelassent Joffredo Lomellino, tunc Cameræ commissario: designando autem in recto personam, non officialem Cameræ, quisque intelligis, pœnas has non inflictas fuisse contra similes delinquentes pro quocunque futuro tempore; cum persona tunc designata non potuerit esse perpetua. Quare cum nihil hac posteriori Sixti Constitutione pro futuro tempore innovatum fuerit, affirmandum est, ut supra dixi, incurri quidem excommunicationem latæ sententiæ ex Julii Constitutione, sed non reservatam.*

Similis censuræ notæ obnoxia est Constitutio Pii IV. Pastoralis officii, 3. *Apr.* 1560. *infligentis excommunicationem latæ sententiæ (quæ itidem perperam a quampluribus Doctoribus refertur inter excommunicationes Papæ reservatas, adhuc vigentes) aliasque pœnas contra detinentes jocalia, & alia quæcunque bona ad usum Pontificis, & Sacri Palatii ornamentum spectantia, ac contra scientes, & non revelantes; cum & hæc lata fuerit provisorio modo, & non pro quocunque futuro tempore; declaravit enim, hanc illos incurrere, qui intra sex dies ab emanatione suæ Constitutionis ea Francisco Odescalco, tunc Cameræ Præsidenti non reportassent.*

Ulterius promittit Pontifex, se veniam ea sponte restituentibus, & confitentibus; revelantibus vero, condignam mercedem, & præmium daturum: quod nonnisi tunc temporis dumtaxat detinentes, & non revelantes denotat. ☚

☛ CAPUT I.

Cancellariæ Apostolicæ officiales se intromittentes in causis sibi interdictis.

EX *Constit. Pii IV.* Universi gregis, 17. *Maji* 1562. *incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, non tamen reservatam, ac privationem officiorum, & beneficiorum quorumcunque, & inhabilitatem ad illa, & alia in posterum obtinenda, si audeant, vel præsumant, se quoquo modo intromittere in causis, negotiis, ac expeditionibus sibi in hac eadem* Constitutione *interdictis.* ☚

☛ CAPUT I.

Canones, census, & alia jura Cameræ Apostolicæ debita in festo SS. Petri, & Pauli non solventes.

EX *Constit. Greg. XIII.* Ad Romani Pontificis, 1. *Jun.* 1580. *incurrunt ipso facto excommunicationem Papæ reservatam, ac privationem omnium feudorum, ac quorumcunque jurium in concessionibus eis factis quomodolibet contentorum, juxta dispositionem Constit. Pauli IV.* Incumbentia, 25. *Octob.* 1556. *quam in omnibus innovat, & confirmat.* ☚

CAPUT I.

Cardinalem injuria afficiens.

Vide verbo *Majestatis læsæ crimen.*

CAPUT I.

Censura sententiam ferentes non præmissa monitione coram testibus.

IN *cap. Sacro de sent. excomm.* prohibetur, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam promulgare præsumat, nisi competenti admonitione præmissa, & præsentibus personis idoneis, per quas, si necesse fuerit, possit probari monitio. Quod si contra præsumpserit quisquam, etiamsi alias justa sit excommunicationis sententia, ingressum Ecclesiæ per mensem unum sibi noverit interdictum: alia nihilominus pœna mulctandus, si visum fuerit expedire.

Hunc textum late explicat *Menoch. de arbitr. cas.* 541. *per tot. Navarr. c.* 27. *n.* 11. *Sayr. lib.* 1. *c.* 12. *n.* 6. *Sanchez lib.* 6. *de matr. disp.* 32. *n.* 13. 17. & 21. *Suar. de censur. disput.* 3. *sect.* 8. *Coninch. disp.* 13. *dub.* 9. *Layman lib.* 1. *tract. de censur. cap.* 6. *num.* 5.

Declara primo ex *cap. Romana de sent. excom. in* 6. qood nec in specie, nec in genere pro culpis præteritis, vel præsentibus Judices ecclesiasticl ferre debeant censuras, sine competenti monitione; alias sententia est injusta.

Declara secundo, quod dicitur in *cap. Sacro*, de modo ferendi seotentiam excommunicationis, idem etiam in aliis censuris, scilicet suspensionis, & interdicti, observandum, ut non ferantur sine monitione, ut supra, *cap. Reprehensibilis de appell. cap. Statutum de sent. excom. in* 6. *Sayr. lib.* 1. *cap.* 12. *Suar. disp.* 3. *dub.* 9. *Layman cap.* 5. *n.* 4. Verum pœna, de qua in *dict. cap. Sacro*, scilicet interdicti ab ingressu Ecclesiæ, non incurritur, nisi in illo casu, quando fertur censura excommunicationis, non servata dicta forma prævia, & non procedit contra ferentem sententiam suspensionis, vel interdicti, *Suarez disp.* 37. *sect.* 1. *n.* 3. *Bonac. de censur. suspensio quæst.* 5. *punct.* 1. §. 1. *n.* 2. *Tolet. lib.* 1. *cap.* 48. §. *Octava*. Quamvis alii contra teneant apud *Bonac.* scilicet *Felin. Henriq. & Alterius.*

Declara tertio, quod illa monitio debet esse canonica, seu competens, idest trina, vel una pro tribus, ad hoc ut censura sit justa, *c. Constitutionem de sent. excomm. in* 6. & *ibi DD. Menoch. loco citat. n.* 5. si tamen una intervenerit, valida est sententia, alias non, *Barbos. in c. Romana n.* 21. *de sent. excom. in* 6. *cum allegatis*, & debent assignari dies pro singulis arbitrio Judicis, ut non minus una die, & communiter duo assignantur. Vide *Menoch. casu* 545. *n. ultim.*

Declara quarto, qood interdictum illud, seu pœna, de qua in *cap. Sacro*, non procedit contra Episcopos, quia de illis non est facta mentio, *c. Quia periculosum de sent. excommun. in* 6. *Sayr. lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 16. *Suar. disp.* 37. *sect.* 1. *n.* 3.

Declara quinto, quod non prærequiruntur monitiones, quando fertur præceptum sub censura ipso facto incurrenda in casum contraventionis, *c. Reprehensibilis de app. Laym. n.* 5. *ubi supra, Suar. disp.* 3. *sect.* 8. *n.* 5. *Sanchez lib.* 6. *in decal. c.* 4. *n.* 50. qui dicunt, procedere, sive illud præceptum sit speciale ab homine extrajudiciale, sive generale a jure: quia illud præceptum satis monet.

Sed neque requiritur monitio ad sententiam declaratoriam censuræ incursæ, sed requiritur tantum una citatio ad dicendam causam, quare non debeat declarari, si excessus non sit notorius; debet enim citare reum, & eo præsente recipere probationes super facto; quo constito, debet illum declarare incidisse in sententiam juris, *Abb. in c. Pervenit il primo de appell. n.* 5. *Roman. cons.* 482. *n.* 6. & 9. Si autem factom sit notorium, potest declaratoriam proferre, talem pœnam juris a reo incursam, *Abb. & Rom. ibi Mart. de jurisd. part.* 3. *c.* 3. *in fin. per dict. c. Pervenit:* alias aotem requiritur citatio, ut diai, ad sententiam proferendam, atque non feratur in inauditom, nisi in contumaciam, *gloss. in c. Sacro, verbo Constiterit de sent. excomm. & gloss. in Clem. Præsenti, verbo Constiterit de censib. Genuensis in praxi c.* 23. *n.* 19. *Barbos. in dict. Clem. Præsenti n.* 5. *Marta de jurisd. part.* 3. *cap.* 3. *n.* 28. *cum ibi alleg. & Avila part.* 2. *de censur. c.* 5. *disp.* 1. *dub.* 5. Et si omitteretur hæc citatio, declaratoria esset nulla, seu irrita, *Avila ibi, Nav. consil.* 9. *n.* 4. *de sent. ex comm. Genuen. dict. c.* 23. *praxis n.* 16. & de communi testatur *Ugolin. de censur. tab.* 1. *c.* 21. §. 2. *n.* 9. Et nota differentiam, quod licet sententia censuræ promulgatoria proferenda, cum debeat prius constare de contumacia, prærequirat citationem personalem, nisi reus dolo latitet; nam in hoc caso sufficit citatio ad domum, vel per edictum, ut late *Genuens. ibi n.* 12. ubi ait, communem esse sententiam, & *Marta l. cit. a n.* 10. 17. & *seqq. Cassad. dec.* 12. *in fin. de rescr.* vel nisi constet, citationem, vel monitionem ad domum factam, vel per edictum, ad ejus notitiam pervenisse, *Covarr. in c. Alma mater part.* 1. §. 9. *n.* 4. *vers. Tertius casus, Bellam. decis.* 188. *quæ est unica, tit. de dolo.* Tamen ad sententiam censuræ declaratoriam non requiritur citatio personalis, ut *Roman. cons.* 482. *n.* 5. & *ibi Mandos. cum Socino Curt. & Dec.* & tenet *Genuens. practic. q.* 708. qui notant hanc differentiam. At vero denunciatio censuræ jam promulgatæ, vel declaratæ, non requirit citationem, & potest fieri etiam post appellationem a Judice, a quo, ita *Bellamera decis.* 411. *quæ est un. de sentent. excomm.* In caosa autem declaratoriæ, si citatus, ut supra, non compareat, tunc in absentem contumacem procedi potest non solum ad interlocutoriam, idest ad sententiam excommunicationis promulgatoriam ob contumaciam *c. Quoniam frequenter, ut lit. non contest. gloss. in c.* 1. *ver. De accusationibus, & ibi Præpos. n.* 13. *quæst.* 9. sed etiam procedi potest, & solet ad ipsam definitivam, idest declacatoriam censuræ incursæ, quia causa declaratoriæ est summaria, vel etiam quia agitur de peri-

aulo animarum ; ideo proceditur ad illam etiam in absentem, seu lite non contestata, *Rota decis.* 504. *seu* 20. *de sent. excom. Praepos. cit. n.* 2. *in fin. Felin. in cap. Rodulphus n.* 41. *vers. Intellige primo de rescript. Genuens. in praxi cap.* 23. *num.* 20.

Adverte autem, limitando tex. nostrum, quod si Judex in causa declaratoriae omitteret citationem suptadictam, non incurreret in poenam hujus decretalis, quia loquitur tantum de sententia promulgatoria censurae, non autem de sententia declaratoria, ita *Avila part.* 2. *c.* 5. *disp.* 1. *dub.* 5. Quis autem absolvere possit ab hoc interdicto ex hac decretali lato, vide *part.* 1. *cap.* 24.

Ulterius notandum est, quod declaratoria poenae incursae a jure latae ab eo judice ferenda est, qui est judex competens talis delicti contra talem reum, ut *c. Cum secundum de haeret. in* 6. *c. Pervenit, il primo de appell. & ibi Abb. n.* 5. Si tamen delictum est notorium de jure, vel de facto, potest etiam declaratoria proferri, & fieri denunciatio a Judice ordinario extraneo, seu alterius territorii in ordine ad suos subditos, ut debeant vitare talem, v. gr. excommunicatum &c. quia tunc non requiritur citatio rei, neque causae cognitio, ita ut possit etiam Episcopus declarare, religiosum exemptum incidisse in talem censuram, *Henriq. lib.* 7. *c.* 25. *n.* 7. *vers. Nec potest, Gemin. in c. Episcoporum n.* 8. *in fin. vers. Quidquid dicat, de priv. Barb. alleg.* 105. *n.* 73. *de potest. Episc.*

Notanda est etiam differentia alia inter sententiam promulgatoriam, & declaratoriam, quod a promulgatoria censurae de praesenti latae non potest appellari suspensive, sed bene a sententia declaratoria, & sic suspendetur effectus sententiae, ut non sit necessario vitandus, *Lap. in Clem. Ad compescendas n.* 4. *de seq. poss. Roman. dicto consil.* 482. *n.* 9. Item alia est differentia, quia sententia promulgatoria censurae lata post appellationem, est nulla, & attentata : sed declaratoria censurae lata post censuram incursam, etiamsi lata sit post appellationem a promulgatoria de praesenti, valida est, & non dicitur attentata, *Rom. dict. n.* 9. *per c. Pastoralis in fin. de appell.* sed de hac materia dixi supra *part.* 1. de suspensione censurarum.

☞ *Vide etiam dicta pag.* 68. *n.* 34. ☜

CAPUT II.

Censura sententiam proferens non in scriptis.

IN *cap.* 1. *de sent. excomm. in* 6. habetur, quisquis excommunicat, excommunicationem in scriptis proferat, & causam excommunicationis conscribat, exemplumque hujus scripturae teneatur tradere excommunicato infra mensem, si fuerit requisitus ; super qua requisitione fiat publicum instrumentum, vel litterae testimoniales conficiantur sigillo authentico.

Si quis autem Judicum, hujus Constitutionis temerarius extiterit violator, per mensem unum ab ingressu Ecclesiae, & divinis officiis noverit se suspensum : Superior vero, ad quem recurritur, sententiam in tali casu relaxet, & latorem, seu Judicem, qui talem sententiam protulit, condemnet in expensis, & interesse, & aliter arbitrio puniat : & haec etiam in suspensionis, & interdicti sententia mandat observari : & declarat, quod si quis in dictis censuris divina officia fuerit executus, fiet irregularis, a solo Papa dispensabilis ; Explicat *Menoch. de arbitr. casu* 541. *n.* 14.

Declara primo, quod ista censura suspensionis ab ingressu Ecclesiae, est proprie loquendo interdictum : suspensio autem haec a divinis officiis est interdictum ab usu activo, & passivo divinorum, *Suar. de cens. disp.* 37. *sect.* 1. *n.* 2. *Bonac. de cens. partic. disp.* 3. *q.* 5. *pun.* 1. §. 2. *num.* 17.

Declara secundo, Episcopos non incurrere in poenam interdicti, seu suspensionis, quia eorum non est facta mentio, per *c. Quia periculosum de sent. excomm. in* 6. *Genuen. in praxi c.* 24. *n.* 5.

Declara tertio, quod ad incurrendam hanc poenam requiritur temeritas, *Suar. num.* 2. Quare aliqui dicunt, requiri scientiam : ita *Suar. & Cardin. in Clem.* 1. §. *Porro, de summ. Trin. & in Clem.* 1. §. *Si quis de stat. Monac.* sed communior sententia ait, sufficere culpam latam, seu ingnorantiam crassam, *gloss. in dict. c.* 1. *verbo Temerarius*, quam *ibi* sequuntur Doctores communiter, & *Genuen. c.* 24. *n.* 1, quia temeritas non dicit dolum, sed fatuitatem, & imprudentiam : *Joan. Andr. in dict. c.* 1. *Angel. in leg. Eum, quem temere, ff. de judic. S. Thomas* 2. 2. *quaest.* 35. *art.* 25. dicens, temeritatem esse defectum consilii, et speciem imprudentiae : facit *text. in leg. Julianus* §. *Si item, qui furem in fin. ff. de act. empt.*

Declara quarto, ut non procedat, quando censura fertur per modum legis, vel edicti generalis, *Menoch. n.* 6. *Genuen. c.* 24. *n.* 4. Item secundum aliquos neque procedit, quando fertur censura per modum praecepti specialis poenalis, extrajudicialiter facti : ita *Coninch. disput.* 13. *n.* 85. *Tolet. lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 6. sed contraria est communis, ut *Genuen. n.* 1.

Declara quinto, quod secundum aliquos non procedit haec Constitutio in Praelatis Regularium, *Tolet. n.* 3. *Genuen. n.* 5. sed communis affirmat, etiam in eis procedere, *Navarr. cap.* 27. *n.* 8. *Ugolin. tab.* 1. *c.* 14. §. 6. *n.* 2. *& Canonistae in dict. c.* 1. Communiter verum est, quod aliqui Religiosi, ut Minores, & nostri, habent in hoc privilegium, ne scripto teneantur censuram promulgare, ut *in compend. verb. Excom.*

Declara sexto, ut haec decretalis non procedat in sententia censurae incursae declaratoria, sed in promulgatoria, ut patet ex *text. ibi : Quisquis excommunicat. &c.* & ita tenet *Navarr.* quem allegat, & sequitur *Avila part.* 2. *cap.* 2. *dis. unic. dub.* 3. *vers. Haec autem poena.*

Declara septimo, quod censura hujusmodi lata sine scriptura, vel sine expressione causae, est valida, sed a superiore illico relaxanda, *Gloss. hic verb. Propter quem, Bonac. loc. cit. n.* 11.

Declara octavo, quod judex requisitus dare exemplum sententiae reo, incurrit in dictam penam, si non dederit intra mensem, vel si de tali requisitione denegaverit, fieri publicum instrumentum ; ut patet ex *text.* & sentit *Sayr. lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 10. quia illud instrumentum injungitur ad favorem rei contra judicem, ut ait *Sayr. ibi.*

CAPUT III.

A censuris absolvens sine facultate.

Vide *verbo Absolutio cap.* 3.

CAPUT IV.

Censura excommunicationis innodato vitando communicans quomodocunque.

NOta, quod hodie ex decreto Concilii Constantiensis confirmato a Martino V. per Constit. *Ad evitanda*, & a Leone X. in Conc. Lateran., ad evitanda animarum pericula, nemo quempiam alicujus sententiae, aut censurae ecclesiasticae, seu suspensionis, aut prohibitionis ratione, in Sacramentorum administratione, receptione, aut aliis rebus, vitare, aut interdictum locale observare tenetur, nisi sententia, vel censura contra certam personam, vel Ecclesiam, vel universitatem specialiter a Judice fuerit publicata, seu denunciata ; exceptis iis, qui excommunicationem ob violentam manus injectionem in clericum notorie incurrerint, quia tales etiam vitandi sunt. Haec autem moderatio non relevat ipsos censuris innodatos, seu suspensos, vel prohibitos, etiam occulte, & habetur in eadem Extrav.

Haec moderatio est in praxi recepta, ut testantur *S. Antonin.* 3. *part. tit.* 26. *c.* 3. *Soto in* 4. *dist.* 22. *quaest.* 1. *art.* 4. *Gutier. lib.* 1. *can. quaest. c.* 1. *n.* 1. *Henriq. lib.* 13. *c.* 5. *n.* 1. *Avila part.* 2. *c.* 6. *disp.* 2. *dub.* 1. *Suar. disp.* 9. *sect.* 2. *n.* 5. *Coninch. disp.* 13. *dub.* 2. *Sanchez in decal. lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 3. & de communi testatur *Layman lib.* 1. *tract. de excomm. c.* 4. *n.* 1. & receptam esse in praxi Urbis, & Curiae Romanae, & totius Orbis, testatur *Sayr. lib.* 2. *de censur. c.* 12. *n.* 9. & tenet *Sacra Rota*, ut *Recent. par.* 1. *decis.* 534. *n.* 12. & procedere in omnibus censuris, sive a jure, sive ab homine, ait *Sayr. l.* 2. *c.* 12. *n.* 21. & certissimum ait *Avila dub.* 5. & procedere etiam in irregularitate, est communis, Recentiorum, teste *Avila ibi.* Et nota, quod non sufficit, censuram esse in tribunali promulgatam, nisi sit per cedulones denunciata, ut *Covarr. in c. Alma part.* 1. §. 2. *n.* 9. *Avila disp.* 2. *dub.* 3. *Suar. disp.* 9. *sect.* 2. *n.* 8. *Layman lib.* 1. *de excomm. cap.* 4. §. 2.

Adde, quod valent acta jurisdictionalia, seu publici officii hominis excommunicati, vel suspensi, qui non sit de vitandis, (idest non denunciatus nominatim, neque notorius clerici percussor) non solum, si gesta sint ad petitionem partis, (in quo omnes DD. conveniunt) sed etiam ex ufficio, *ob dictam Extravag. & ob leg. Barbarius ff. de off. Praet.*

Prat. ut tenent plures, quos allegat *Garzias de benef. part.* 5. *c.* 5. *n.* 323. & de excommunicato tenet, & ait communem *Rota decis.* 534. *n.* 3. 4. *&* 5. *part.* 1. *Recent.* loquens de collatione beneficii facta ab Ordinario excommunicato non declarato; quæ collatio est actus jurisdictionis ex officio nobili, ut fatetur *Garzias ibi*: & quamvis *Rota ibi* censeat suspensum ab officio, vel jurisdictione, etiam occultum, non posse valide beneficia conferre, nec alios actus jurisdictionis exercere; tamen etiam in hoc contrarium tenent communiter Theologi, dicentes *ex dicta extrav. Martini V.* valida esse acta jurisdictionalia suspensi non declarati: ita *Henriq. lib.* 13. *c.* 33. §. 2. *Tolet. l.* 1. *c.* 45. *n.* 6. *Suar. de cens. disp.* 27. *sect.* 1. *n.* 31. *in fin. Sayr. lib.* 4. *de cens. c.* 11. *n.* 15. *Avila de suspens. dis.* 3. *dub.* 4. *concl.* 4. *Sanch. de matr. disp.* 22. *n.* 56. *lib.* 3. Imo, quod etiamsi suspensio, vel excommunicatio sit denunciata, si tamen ibi, ubi actus geritur, sit occulta, seu communiter ignorata, valida sint acta jurisdictionalia, probat *Henriq. loc. cit. &* *Vantius de nullit. ex defec. jurisd. ordin. n.* 137. *Sanch. lib.* 2. *dis.* 22. *n.* 33. *&* 34. *loc. cit.*

Est tamen verum, quod etsi Judex non esset denunciatus, seu alias vitandus, tamen posset reus excipere in quacunque parte judicii contra Judicem de illius excommunicatione, & protestari de invaliditate actorum, & sic impedire processum. Si autem non excipiat, judicio postea terminato, non poterit excipere, neque acta invalidare, per *c. Pia de except. in* 6. *& ibi Barbos. n.* 5. *&* 10. *Sayr. de cens. lib.* 2. *c.* 7. *n.* 13. *&* 14. *Layman lib.* 1. *tract. de excommun. cap.* 2. *n.* 13. §. *Verum*. Et idem dicendum de actore excommunicato; nam si sit de vitandis, tenetur Judex ex officio illum repellere: si autem sit de non vitandis, Judex non tenetur illum per se repellere, sed solum ad instantiam partis, *dict. cap. Pia*, *Layman ibi*, *Navar. c.* 27. *n.* 21. *Gutier. lib.* 1. *can. qq. c.* 1. *n.* 82. *Suar. de cens. dis.* 14. *sec.* 2. *& alii commun.*

An autem sufficiat, quod quis sit denunciatus, vel notorius clerici percussor in uno loco, ad hoc ut debeat vitari in omni loco, dixi *par.* 1. *c.* 7. *in fin.*

Illud est etiam advertendum, non sufficere, quod quis sit denunciatus sub nomine generico, v. gr. omnes de tali ordine, vel centuria, vel decuria: quia ex hoc non fit notorium, quod ipse sit talis; quia corpus universale potest mutari per partes, eo salvo remanente, *leg. Proponebatur ff. de judic.* & propter hoc non dicitur ita certo demonstratus in particulari, ut non possit intelligi, nisi de illo, quod requiritur, ad hoc ut quis dicatur nominatim denunciatus, per *leg. Nominatim ibi DD. ff. de lib. & posth.* & ita *Suar. de censur. dis.* 9. *sec.* 2. *n.* 10. *Sanch. lib.* 2. *in dec. cap.* 8. *n.* 3. & quia nominatim dicitur, quando est signatus per nomen proprium, vel appellativum, quod non possit convenire pluribus, *gl. in c. Constitutionem*, *verb. Nominatim de sent. in* 6. *Bar. & Jas. in dict. c.* 2.

Ex dicta moderatione sic exposita sequitur, quod etiam hodie excommunicatus occultus, non declaratus, & non notorius percussor, agens in judicio, potest repelli in judicio a Judice, etiam reo non excipiente; non tamen tenetur Judex illum repellere, nisi reo excipiente: denunciatum autem, vel notorium percussorem tenetur repellere, etiam reo non excipiente, *cap. Pia de excep. in* 6. juncta dict. extrav. *Ad evitanda*: ita *Genuen. prac. qq. c.* 762. Idem dicendum de teste excommunicato, per *c. Veniens il* 2. *in fin. de test. & c. Decernimus de sent. exc. in* 6. in quibus excommunicatus repellendus est a testificando, nisi prius absolvatur ad reincidentiam ad hunc effectum, *ex dict. c. Veniens*; alias ejus dictum nihil probat, *Rot. recen. part.* 2. *dec.* 3. *n.* 1. quod si non sit notorius clerici percussor, vel nominatim denunciatus, valeat ejus testimonium, nisi pars adversa, aut Judex eum rejiciant, *Suarez de cens. disp.* 16. *quæst.* 6. *n.* 4. *Bonac. de cens. disp.* 2. *quæst.* 2. *pun.* 7. *n.* 12. *cum aliis alleg. & Genuen. ubi supra*.

Amplia, quod neque Papa Principibus, seu Regibus excommunicatis scribens, utitur verbis salutationis, sed dignitatis, ut apud *Baronii addit. an. Christi* 1234. *ex epistola Gregorii IX. ad Andream Regem Hungarorum*.

I. Peccat mortaliter communicans in divinis excommunicato vitando: peccat venialiter communicando in humanis, *Toletus lib.* 1. *cap.* 11. §. *Tertius affectus*, *Suar. dispuc.* 15. *de censur. sect.* 2. *n.* 8. *Sayrus lib.* 2. *cap.* 11. *n.* 4. Limita, nisi excusetur aliqua ex causis contentis illo versiculo,

Utile, lex, humilis, res ignorata, necesse.

De quibus vide *cap. Quoniam multos* 11. *quæst.* 3. *& ibi* Canonistas, & Theologos in materia de excommunicatione.

II. Excommunicationem minorem incurrit communicans in divinis, vel humanis cum excommunicato vitando, & dicitur ratione participii: quæ minor excommunicatio privat tantum usu passivo Sacramentorum, seu eorum receptione, sub pœna peccati mortalis, *cap. Placuit*, *cum pluribus seqq.* 11. *quæst.* 3. *cap. Nuper de sent. excomm. cap. Statuimus*, *eod. tit. in* 6. *Sanch. de matrim. lib.* 7. *disp.* 9. & efficit, ut repellendus sit a beneficiis ecclesiasticis, non tamen irritat ipso jure collationem, *Majol. lib.* 3. *cap.* 21. *n.* 16. *Laym. lib.* 1. *tract. de excom. cap.* 3. *n.* 5. Potest autem ab hac excommunicatione minori absolvere omnis Sacerdos confessarius approbatus, qui a mortali peccato absolvere potest. Simplex autem Sacerdos, licet possit a veniali peccato absolvere, ex facultate generaliter ab Ecclesia illi in ordinatione delegata, & non revocata, ut *Suar. de pœnit. dis.* 26. *sect.* 4. *n.* 5. *&* 7. *& sect.* 6. *n.* 9. *Filiuc. tract.* 7. *n.* 223. *Coninch. de Sacr. Pœnit. dub.* 8. *n.* 101. *Layman de pœnit. Sacram. c.* 12. *n.* 3. tamen simplex Sacerdos non potest ab excommunicatione minori absolvere, etiamsi sit per solum veniale peccatum contracta, *Sayr. lib.* 2. *c.* 23. *n.* 8. & communem ostendit *Bonac. de cens. disp.* 2. *quæst.* 3. *n.* 15. quamvis contrariam probabilem dicat *cum Navar. et Tolet.* si pœnitens sola habeat venialia.

☞ *Circa absolutionem a peccato veniali vide a me notata supra verbo* Absolutio *c.* 2. *pag.* 48. ☜

Nota, quod hanc minorem excommunicationem non incurrit communicans excommunicato in iis casibus, quibus ob illam communicationem incurrit majorem excommunicationem ex jure communi; quia censetur a jure facta commutatio, ut *Suar. disp.* 12. *sect.* 2. *n.* 13. de quibus casibus dicemus capitibus seqq.

III. Excommunicationem, etiam majorem, quandoque incurrit communicans excommunicato vitando, quando scilicet lata est excommunicatio præcepto, vel generali, vel speciali contra participantes cum illo, vel illo excommunicato declarato: & olim quidem poterat excommunicatio sic ferri a quocunque ecclesiastico Judice, etiam eodem contextu, excommunicando v. g. Titium cum participibus suis, *c. Quod in dubiis*, *de sent. excom. c. Excellentissimus* 11. *quæst.* 3. sed hodie ex *c. Statuimus*, *& c. Constitutionem de sent. excomm. in* 6. inferior Papa non potest ferre sententiam excommunicationis generalem contra participantes cum excommunicato a se, sed solum specialem, & canonica monitione præmissa, scilicet trina, vel unica pro tribus, contra determinatos, & nominatim expressos, v. gr. monendo Titium, Cajum, & Seium, ne cum Sempronio communicent, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. Potest tamen ferre sententiam excommunicationis generalem contra quoscunque participantes cum aliquo certo excommunicato, non a se, sed aliunde, sive a jure, sive ab homine, vel a statuto synodali, *Sayr. lib.* 2. *c.* 11. *n.* 15. §. 6. *casus*, *& c.* 15. *n.* 22. *Suar. dis.* 15. *de cens. sect.* 2. *n.* 17. *Gut. can. qq. c.* 5. *n.* 31. qui praxim servandam docet in hac materia.

IV. Si quis secularis, aut regularis exemptus publice excommunicatum ad divina officia seu ecclesiastica Sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittere præsumpserit, ultra alias pœnas, incurrit ipso facto interdictum ab ingressu Ecclesiæ, donec de hac transgressione ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempsit, satisfecerit competenter; habetur in *c. Episcoporum de priv. in* 6.

De hac re, ejusque explicatione vide infra eodem *cap.* 7.

CAPUT V.

Censura excommunicationis innodato communicans in crimine.

Excommunicationem majorem incurrit quilibet communicans excommunicato vitando, si communicet in ipso crimine, propter quod excommunicatione innodatus existit, sive a jure, sive ab homine: & hæc excommunicatio secundaria, scilicet participantis in crimine criminoso, est ejusdem rationis, cujus est illa principalis, nempe criminosi, & hæc secundaria est lata a jure communi, ob offensum latorem censuræ prioris, *c. Nuper de sent. excom. c. Si concubinæ*, *eod. tit.* vide *Sayr. lib.* 2. *c.* 15. *num.* 9. *&* 16. Unde si prior censura erat reservata, etiam hæc secunda erit reservata, alias non, *Sayr. n.* 9. & si prior erat lata ab homine specialis, hæc secunda ab eodem solo erit absolvenda, ex *dict. c. Nuper*, *Sayr. n.* 10. Sed adverte, quod ad incurrendam hanc cen-

censuram requiritur, ut principalis sit nominatim denunciatus excommunicatus, neque sufficit, si sit notorius clerici percussor, ut *Sanch. lib. 2. in decal. c.* 10. *Avila part. 2. c. 6. disp.* 10. *dub. 3. & 4. Bonac. de cens. dis. 2. quæst. 2. pun. 6. §. 1. n. 9. Barbosa in dict. c. Nuper n. 4.*

CAPUT VI.

Censura excommunicationis innodatum a Papa Clerici ad divina admittentes.

I. EXcommunicationem incurrunt Papæ reservatam, ex *cap. Significavit* 18. *de sent. excomm.* de qua re late *Sayr. lib. 2. c. 15. n.* 21. cum multis Auctoribus, & *Bonac. de censur. excom. in communi quæst. 2. pun. 2. §. 2. n. 7.*

Declara hanc conclusionem, quod intelligitur de innodato excommunicatione a Papa per sententiam specialem, seu ut ab homine, non ut a jure per legem, seu canonem, ut de communi testatur *Felin. in c. Excommunicamus, il 1. de hær. n. 3.* & docet *Sayr. loco cit. n.* 20. *& lib. 3. c. 29. n. 6.* & requiritur hodie ultra sententiam specialem, ut sit nominarim denunciatus, ob *extrav. Ad evitanda*: ita *Sayr. lib. 3. c. 29. n. 6. & lib. 2. c. 15. n. 21.* ubi late explicat. Sufficit tamen, si excommunicatus sit a jure, vel ab homine, etiam non a Papa, si tamen sit denunciatus a Papa, *Cajet. verbo Excommunicatio c.* 58. *Henriq. lib. 13. c. 8. n. 2. Coninch. de censur. disp. 14. n. 33. Suar. disp.* 10. *sect. 2. n. 9. contra Sayr. lib. 2. c. 15. n. 22. cum Navarro.*

Declara secundo, quod non dicitur admisisse ad divina excommunicatum, qui oravit etiam publice pro excommunicato absente, *Avila par. 2. cap. 6. disp.* 10. *dub. 6. in fin.* vel qui cum eo oravit in Ecclesia tanquam unus de populo: sed requiritur communicatio receptiva, *Sayr. lib. 3. c. 29. n. 6.* Sufficit tamen, si sacerdos, aut clericus in sacris recitet cum eo horas etiam private, & extra chorum, *Sayr. lib. 2. c. 15. n. 21.* eum communi.

Declara tertio, quod non procedit de clerico admittente ex ignorantia, etiam crassa, vel supina, vel coacte, sed solum si scienter, & sponte, ut dicitur in eodem textu.

Declara quarto, quod secundum multos, hic appellatione clericorum non continentur regulares, sed seculares clerici: ita *Ugolin. tab. 4. c. 11. §. 2. Sayr. lib. 5. c. 4. n. 29. Eman. Sà verb. Interdictum n. 11. Bonac. de censur. particular. disp. 2. quæst. 5. punct. 3. n. 5.* & alii apud eosdem: sed communis opinio ait, comprehendi, ut apud *Sayr. ibid.*

Denique notandum ex hoc textu, quod clericus hanc excommunicationem incurrens, ab Ordinario ad Sedem Apostolicam cum litteris pro obtinenda absolutione personaliter mittendus est, neque sufficit, si per procuratorem absolutionem petat, ut notat *Cardin. in dicto c. Significavit*. An autem clericus, seu sacerdos celebrans coram excommunicato, tunc fiat irregularis? resp. negative, nisi post contractam excommunicationem iterum celebret; *Suarez disput.* 12. *sect. 1. n.* 10.

II. Depositionis a dignitate, & loco episcopatus pœnam ipso jure incurrere Episcopum, qui excommunicationis sententiam contra aliquem a Papa promulgatam violavit, verbi gratia, eum absolvendo, vel ei communicando, tenet *Marta de jurisd. p. 3. c. 21. n. 2. cum seqq.* ubi id probare conatur *ex cap. Theugualdum* 12. *quæst.* 3. per illa verba, *episcopatus exutos regimine consistere definientes*; quæ verba videntur significare declaratoriam pœnæ latæ sententiæ incursæ.

Item, quia juramento Episcopi adstricti sunt defendere libertatem Ecclesiæ, *c. Ego, de jurejurando*. Quod si ad debiti sui executionem fuerint a Papa requisiti, id negligant, infidelitatis causa, & perjurii, videntur incurrere pœnam privationis episcopatus, & ad hoc allegat Rayn. & Jacobin. Sed nullo jure probatur dicta ejus sententia, ideo non est admittenda, quia in *dict. c. Theugualdum* DD. communiter dicunt, Episcopum in tali casu esse deponendum, non ipso facto depositum; & illam sententiam ibi fuisse depositionis promulgatoriam, non declaratoriam tantum; ita *ibi Turrecr. & Præpos.* & procedit, quando adest grave, & publicum scandalum, ut patet ex eodem *tex.* Similiter quod dicit de jurejurando, communiter DD. dicunt, perjurium non inducere pœnam privationis beneficiorum ipso facto, cum jure non sit expressum: ita *Innoc. in c. Inter dilectos de excess. Prsl. in princ. et Felin. in c. 2. n. 3. de rescr.* & DD. communiter *in c. Querelam de jurejur.* Rayner. autem, & Jacobinus loquuntur in casu privationis feudi, ut videre potes apud eos locis a Marta citatis. Unde non est facienda extensio ad episcopatum, quia major est connexio Episcopi cum Ecclesia, quam vassalli cum feudo.

CAPUT VII.

Censura excommunicationis innodatum a quocunque, quicunque ad divina admittentes.

I. IN *c. 3. de privil.* si religiosi etiam exempti, excommunicatos nominatim ab Episcopo, vel ab eo denunciatos non evitent, admittendo eos ad divina ex præsumptione, eorum Ecclesiæ, in quibus eos admiserint, subjacent interdicto. Vide infra *cap.* 15. ibi plenius de hoc dicam.

II. In *cap. Episcoporum de privil. in 6.* quicunque seculares, aut regulares, quantumcunque exempti, excommunicatos publicos ad divina officia, vel Sacramenta ecclesiastica, vel ecclesiasticam sepulturam admittere præsumentes, ultra alias pœnas a jure statutas, incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserint, satisfaciant competenter.

Unde apparet, hanc censuram concurrere cum excommunicatione minori, vel etiam majori, de quibus supra: ita *gloss. in Clem. 1. de sepult. Tab. verb. Excommunicatio 5. casu 42. & verb. Interdict. 6. n. 2. Anchar. in d. c. Episcoporum n. 1.* & sufficit ad hanc pœnam, si admittant ad divina, etiam privatim celebrata, ut si cum illo recitent horas domi, *Sayr. lib. 2. c. 15. n. 21.*

Limita primo, quod secundum magis communem hic *text.* procedit contra ecclesiasticos seculares, vel regulares tantum privilegiatos, seu exemptos a jurisdictione Ordinarii loci, ut de communi testatur *Navarr. c. 27. n. 157. vers. 11. Suarez de censur. disput. 37. sect. 4. n. ult.* tenet *Jo. Andr. Gemin. Anchar. et Jo. Monac. in dict. c. Episcoporum*, contra *gloss. in dict. c. Barbos. ibi n. 3. Sayr. lib. 5. c. 14. n. 11. et* 34. qui dicunt, illam particulam *quamtumcunque privilegii, et exemptionis etc.* esse ampliativam, non restrictivam ad illos solos.

Limita secundo, quod hodie ob extrav. *Ad evitanda*, non incurrunt hanc censuram, nisi admittant ad divina excommunicatos nominatim denunciatos, vel notorios clerici percussores, *Henriquez lib. 13. c. 5. n. ult. Avila par. 5. dis. 5. dub. 4. conclus.* 4.

Limita tertio, quod ad incurrendam hanc pœnam, requiritur præsumptio, scilicet quod scienter admittant, *Sanch. de matrim. lib. 9. dis. 32. n.* 38. & non sufficit, si metu gravi coacti admittant: imo etiam metus levis excusat, ut *Suar. dis. 4. sect. 3. n. 15.*

Limita quarto, ut procedat solum contra admittentes auctoritative, scilicet, si admittant tanquam ministri Ecclesiæ, non autem si tanquam privatæ personæ coassistant divinis, *Navarr. c. 27. n. 93. Suar. dis. 10. sect. 2. n. 9. Coninch. dis. 14. n. 33.* Itaque intelligitur de iis admittentibus, ad quos pertinet ex officio admittere, vel prohibere, *Suarez dis. 37. sect. 1. n. 8. Filiuc. tract. 18. n.* 147. sive talis admittens ex officio, sit clericus, sive etiam Religiosus laicus: dummodo enim sint personæ ecclesiasticæ, hoc sufficit, sive sint masculi, sive moniales, *Tabien. verb. Interdictum 6. n. 2. Suar. dis. 34. sect. 3. n. 17. S. Antonin. 3. par. tit. 26. c. 4. §. 1. col. 1. Navarr. c. 27. n.* 157. Est contra *Sayr. lib. 5. c. 14. n. 4. et* 11. *Bonacin. tract. de interd. punct. 7. n. 2. et* 19. qui putant, hunc *tex.* solum loqui de clericis admittentibus.

CAPUT VIII.

Censura excommunicationis ligatum ad sepulturam ecclesiasticam, vel oblationem admittentes.

Vide *infra verbo Sepultura c. 5. et verbo Oblatio cap.* 4.

CAPUT IX.

Censuram excommunicati minime servantes.

PEccant excommunicati censuram non servantes: sed intelligitur, si censura sit valida; secus si invalida, de qua re vide *Menoch. de arb. casu* 542. *Sayr. lib. 1. c. 17. n. 8. et* 16. & intelligitur, nisi in censura occulta communicent contra illam, ne se prodant cum infamia sui. Et quamvis excommunicatus violans censuram excommunicationis, non incurrat excommunicationem minorem, *Sayr. lib. 2. c. 23. n. 4. Filiuc. tract. 13. n. 15. per c. Nuper de sent. excom. c. Statuimus,*

mus, eod. tit. in 6. potest tamen puniri arbitrio judicis ecclesiastici, *Genuen. in praxi c. 7. n. 1.*

Potest etiam judex ecclesiasticus instere, & cogere judicem secularem, ut tales contumaces in exilium ejciat, *Genuen. ibi n. 3.* Itaque regulariter nulla adest pœna latæ sententiæ contra istos, nisi ratione insordescentiæ, de que te dixi *verbo insordescentia*; & nisi in casu sequenti ob inobedientiam specialem; & nisi in casu exercitii ordinum, ut dicam *cap. 11.*

CAPUT X.

Censura excommunicationis ligatus, monitus de Ecclesia exire, non obediens.

EXcommunicationem majorem Pepæ reservatam incurrit excommunicatus publicus, qui nominatim e celebrante missem commonitus, ut exeat de Ecclesia, ibi remanere præsumit, *Clem. Gravis in fin. de sent. excomm.* vide *Suar. de cens. dis. ee. sect. 4. n. 33.* & sufficit, si moneatur ab elio, nomine, & mandato celebrantis; *Bonif. Vitalin. in d. Clem. n. 19.*

Adverte, quod aliqui DD. dicunt, illem partem *text. Clemen.* debere intelligi juxte præcedentia ejusdem textus, nempe, quendo excommunicatus esset in Ecclesia interdicta: ita *Suar. ibi n. 30.* Sed alii verius non admittunt hanc restrictionem, ut *Bonac. de cens. in particul. dis. 2. q. 3. pun. 20. n. 14. Layman de interdict. cap. 3. in fin. Sayr. lib. e. c. e9. n. 43. §. Quarto,* & *ipse Suar.* ita docet *dis. 1e. sect. 1. n. 11.*

Requiritur antem ad hanc pœnem incurrendam, præsumptio, unde excuset metus etiam levis, v. gr. si timuit, se a Curia seculari pro debitis carcerari extra Ecclesiam, aut si aliu simili timure corporalis, vel pecuniarii damni detentus est, *Bonif. in d. Clem. n. 32.* facit quod dixi *supra c. 7.* Non tamen requiritur, quod sit excommunicatus denunciatus, sed publicus, *gloss. ibi, et in Clem. 1. de sepult. verb. Publice*; si enim esset occultus, non teneretur, se prodere, & posse Missam eudire quando alias sequeretur scandelum, eut infamia sua, ut late *Sayr. lib. a. c. 3. n. a8.* cum communi: & idem ait de alia quavis communicatione, & in terminis nostris probat idem *text. Clem. verb. Publice, et ibi gloss. et Vitalin. n. 19. Barbos. n. 4. cum Covarr.* Ex quibus epparet, quod peccaret tunc Sacerdos monens publice, ut discedat, per ea quæ dixi *par. 1. c. 7.* Publicum autem excommunicatum hic accipere debemus eum, de quo publice id constat excommunicatum esse, ex fama, seu notitia publica, ut non sufficiat, fuisse excommunicetum, vel declaretum in tribunali coram paucis, si hoc a populo ignoratur: ita *gloss. penult. in Clem. 1. de sepult.* & ibi Canonistæ communiter; quie sumus in materia pœnali, ideo stricta sit acceptio publici.

Adde, qood si publicus excommunicetus nulit de Ecclesia exire, etiemsi sit clericus, vel religiosus, potest violenta manus injectione extrudi: ita *Anchar. in d. Clem. n. 6. per c. Veniens, de sent. excom. Molina trac. 3. dis. 56. n. 11. Sayr. lib. 3. c. a7.* & late *Suar. de cens. dis. 1e. sect. 1. n. 11.* ubi etiam ait, hoc præcipue pertinere ad officium Ostiarii, & eit, non esse hanc injectionem manus injuriosam, sed defensionem immunitatis Ecclesiæ.

☞ *Caterum, Ecclesia non est custodienda more castrorum.* ☜

CAPUT XI.

Censura excommunicationis innodati clerici celebrantes, vel facientes coram se celebrari.

I. IRregularitetem incurrit clericus exercens in statu excommunicationis mejoris actum ordinis ecclesiastici, *cap. Si quis Episcopus in Concilio 11. quæst. 3. & toto tit. de clerico excom. minist. & c. 1. de senten. & re judic. in 6. & c. Istum de sent. excomm. in 6.* Vide *ibi Canonistas, & Majol. lib. 3. c. 18. Sayr. lib. 4. c. 16. per totum, & lib. 7. c. 9. Bonac. de censur. dis. 5. pun. 6. n. 14. dis. 7. quæst. 3. pun. 5. n. 1.*

Amplie, etiamsi sit excommunicatio occulte, seu non denunciata, *Sayr. lib. 7. c. 9. n. 18. cum aliis.*

Limite primo, quod etiamsi sæpius celebret, quamvis semper peccet mortaliter, one tamen resultat ex omnibus censis illis irregularitas, *Sanch. lib. 8. dis. a4. n. 7. de matr.* Imo probabilius est, quod etiamsi celebret pluribus excommunicationibus ligatus, unam tantum irreguleritatem ex multiplicatis fundamentis incurrat, *Rodriguez tom. 1. summ. c. 181. n. 3. Garz. de Benefic. par. 8. cap. 3. n. 83.* Secus est in ligato diversis specie censuris, ut excommunicetione, suspensione, interdictu, *Garz. n. 80. & 8a. cum Avila, Bonac. de irregul. q. 5. pun. ult. n. 1. & quæst. 3. pun. 5. n. 10.* Itaque qui supplicat pro dispensetione, quia celebrevit ligatus diversis excommunicationibus, per se loquendo, satisfacit, dicendo, se celebrasse in excommunicatione. In sacra tamen Pœnitentiarie coguntur pœnitentes exprimere censuram, & causam illius, propter diversitatem formularum: aliquando enim pœnitens relinquitur inhabilis ad officia, vel ed confessiones audiendas pro gravitate causæ.

Limita secundu, quod secundum multos Doctores, per exercitium ordinum minorum non fiet irregularis, quia hodie etiam e laicis sæpe exercentur: ita *Bonacin. de irregul. q. 3. pun. 5. n. 1. cum Navarr. Avil. Tolet. Sayr. infra citandis.* Contrarie tamen sententia est probabilis, quam tenet *Suar. Ugolin. Regin. Alterius, & Graff. apud Bonacinam ibi.* In unu casu hæc secunda sententia est certa, scilicet ob exercitium ordinis minoris in censura contracta ob simoniam in ordine, fieri irregularem, sic statuente Sixto V. *in Bulla contra male ordinatos*: ite notat *Sayrus lib. 4. c. 16. n. 11. & lib. 7. c. 9. n. 3.*

Limita tertio, quod excusat bone fides, *c. Apostolicæ de cler. excom. min.* v. gr. si excommunicetus absolutus est a Vicario, vel Episcopo imperito, in eo casu, quo non poterat absolvi nisi a Papa, & sic si absolutus celebravit, non fit irregularis, & hoc procedit etiam pro foro externo, ut excusatus censeatur a pœna irregularitatis, *Rota decis. 438. n. ult. part. e. post Farin. et decis. 659. in eadem collect. Farin. par. a.* ubi ad incurrendem irregularitatem ob violetionem censuræ, requiritur, ut celebraverit in contemptum clavium, idest nullam habens causam probabilem credendi, se esse absolutum.

Item non incurrit irreguleritatem celebrans, sciens pro certu, se injuste, & invalide fuisse excommunicatum: quemvis enim in judiciis evitandus sit, si nullites sit occulta, secus tamen in extrajudicielibus, *c. Solet, ibi gloss. in figurat. casus in fin. de sent. excomm. in 6.* quod est intelligendum, quandu in casibus publicis admissus sit ad probandam nullitatem, pendente termino probationis, ut *in d. text. §. fin.* Si vero nullitas sententiæ censuræ, seu excommunicationis sit publica, & notoria, tunc talis injuste censura ligatus, non fit irregularis, etiamsi celebret mele fide, putans se excommunicatum, & non erit vitandus, tam pro interno, quam pro externu foro, *Ugolin. de censur. tab. 1. cap. 14. §. 1. n. e4. Sayr. de censur. lib. 7. c. 9. n. 14. Farin. in fragm. verb. Excommunicatus n. 32.* v. g. si Delegetus excommunicavit non date copia suæ commissionis, citato, vel etiam non exhibitis litteris comparenti eutheuticis, per ea, quæ hebentur *in c. Cum in jure de off. deleg. et ibi Barbos. n. 4. et 5. cum allegatis.* Similiter si confisus eppellationi interpositæ adversus declaratoriam censuræ incursæ, celebret, non fit irreguleris, etiamsi postea pronuncietur mele appelletum, *Felin. in c. Rodulphus n. 43. de rescr. Sanch. consil. lib. 3. cap. unic. dub. 3a. n. 244. cum Imola, Gemin. et Lap. in Clem. 1. de sequestr. poss. Navarr. c. a3. n. 104. §. Succedit.* Quia non dicitur tunc in contemptum clavium celebrasse.

An autem excusetur sciens se excommunicatum., sed errans in jure, putens non incurrere irregularitatem celebrando, multi dicunt excusari; tutior est non excusari. Vide *Sanch. lib. 9. de matrim. disp. 3e. n. 5. & 6. Dianam resol. 67. tract. 5. misc. tom. a. Bonac. de censur. disp. 1. punct. 1. n. 13.*

II. Clericus faciens coram se celebrari, dum excommunicatus existit, etiam non denunciatus, fit irregularis, perinde ac si ipse celebrasset. Hæc conclusio non est ex jure scripto, sed ex jure interpretativo, & communi opinione Doctorum, & consuetudine, *arg. cap. Illud, de cleric. excomm. min. Sayr. lib. a. cap. 15. n. 5. lib. 7. cap. 9. n. 18.* cum multis, quos allegat, & sequitur *Layman lib. 1. tract. de irregul. cap. 3. §. Illud porro.*

Et procedit in quocunque euctoritative sic præcipiente, sive sit Episcopus, sive magister chori &c. Ampliant hæc aliqui, ut idem sit, si non excommunicatus faciat eb excommunicato coram se celebrari: ita *Sayr. lib. 7. cap. 9. n. 18.* sed contra *Avila par. 7. disput. 10. sect. 2. dub. 6. concl. 3. cum aliis*: & hoc verios videtur.

Super his irregularitatibus, scilicet utrovis modo contractis violetione censuræ, solus Pepa dispensare potest, *cap. 1. de sent. excomm. in 6. Sayr. lib. 7. cap. 9. n. 30.* Episcopus tamen in casibus occultis poterit, juxta terminos *Trid. sess. 24. cap. 6. de ref. Sayr. n. 30. Layman lib. 1. tract. de irregul.*

cap. 9. n. 4. Adverte hic, quod habens facultatem a Papa dispensandi super irregularitate ex homicidio voluntario, non ideo potest dispensare super irregularitate ista, ob violationem censuræ incursa, ut *Sanch. de matr. dis. 2. n. 15. lib. 8.* cum communi sententia.

III. Hoc crimen celebrationis in censura est depositione dignum: itaque clericus ex hoc deponendus ab officio, & beneficio, *cap. Clerici, de cler. excomm. ministr.* Sed ex æquitate hæc pœna non est exequenda, nisi prævia monitione canonica. Vide *Sayr. lib. 2. cap. 15. n. 7. Bernard. Diaz. in praxi cap. 33.* Et nota, quod olim hæc pœna depositionis erat latæ sententiæ, sed hoc jus est moderatum, ut *Sayr. ibi.* Hinc sequitur, quod celebrans in excommunicatione publice in contemptum clavium, seu malitiose, fit infamis infamia juris, & consequenter ex alio capite est irregularis; quia omne crimen depositione dignum, si fuerit notorium, reddit infamem juris infamia, & irregularem, *Sayr. lib. 7. cap. 12. n. 12.* ubi plurimos allegat, & ita *Majol. lib. 5. cap. 12. n. 2. §. Alio axiomatis*, in terminis nostris docet de celebrante in contemptum clavium.

Sed adverte, hoc quod dicimus, aliquem celebrasse in contemptum clavium, aliter accipi in formula dispensationis sacræ Pœnitentiariæ; ibi enim intelligitur de contemptu formali potestatis Ecclesiæ. Unde quando conceditur dispensatio ei, qui celebravit in censura, semper excipitur, non tamen in contemptum clavium: de jure autem communi, intelligitur etiam de contemptu materiali, & interpretativo. Vide *Rotam dec. 438. n. ult. par. 2. post Farinac.* Plures limitationes in hac materia, & pœnis prædictis vide apud *Salzedo ad Diaz. d. cap. 33.*

CAPUT XII.

Censura interdicti innodati, moniti, ab Ecclesia exire, non parentes.

EX *Clem. Gravis de sent. excomm.* publice interdicti in ipsis Ecclesiis, nominatim, a celebrantibus, ut exeant, moniti, remanere præsumentes, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam.

Amplia, ut procedat, etiamsi Ecclesia illa, seu locus non esset interdictus, ut *Bonac. de cens. in part. disp. 2. q. 3. punct. 20. n. 14.* & consentiunt *Sayr. lib. 3. cap. 29. n. 43. §. Quarto est, Filiuc. tract. 15. n. 74.* juxta dicta *supra cap. 10.* ibi vide explicationem hujus textus, & pœnæ.

CAPUT XIII.

Censura interdicti innodatum nominatim, aut non interdictos tempore interdicti in sacro sepelire præsumentes.

I. INcurrit excommunicationem, a qua non potest absolvi, nisi prius arbitrio Diœcesani satisfecerit competenter, ex *Clem. 1. de sepult.* & hæc excommunicatio procedit generaliter contra clericos, & laicos propriis manibus sepelientes, secundum omnes: sed etiam secundum multos contra cooperantes, ut comitantes cadaver, & cætera. Vide explicationem *verbo Sepultura cap. 5.*

II. Incurrit interdictum ab ingressu Ecclesiæ persona ecclesiastica exempta, sive sit clericus secularis, sive quilibet regularis, præsumens interdictos ad ecclesiasticam sepulturam admittere, *ex cap. Episcoporum de privil. in 6.*

Et durat hoc interdictum, donec de transgressione hujusmodi ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempsit, satisfecerit competenter. Pleniorem hujus textus explicationem vide *cap. seq.*

III. Ex *cap. 3. de privilegiis*, si religiosi, etiam exempti, sepeliant mortuos in Ecclesia interdicta ex præsumptione, eorum Ecclesia novo subjicitur interdicto. Vide hæc *verbo Sepultura cap. 5. & supra cap. 7.* explicata.

CAPUT XIV.

Censuram interdicti localis, vel personalis quicunque ecclesiastici seculares, vel regulares violantes, aut violari permittentes.

I. CAp. *Episcoporum de privil. in 6.* cautum est, ne seculares, aut regulares, quantumcunque exempti, vel privilegiati, scienter celebrent, aut celebrari faciant divina in locis interdictis ab Ordinariis, vel Delegatis, vel a jure; nisi quatenus a jure conceditur, & ne interdictos ad divina officia, & ecclesiastica Sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittant. Qui vero contra præsumpserint, præter alias pœnas a jure statutas, ingressum Ecclesiæ sibi noverint interdictum, donec de transgressione hujusmodi ad arbitrium Ordinarii, cujus sententiam contempserunt, satisfecerint competenter.

Declara primo, quod hæc Constitutio est contra omnes ecclesiasticas personas, tam seculares, quam regulares, exemptas tantum, non autem contra alias non exemptas, ut dixi *supra cap. 7.* ubi explicavi hanc Constitutionem: ex quibus apparet, quod ratione hujus transgressionis exempti fiunt de foro Episcopi, *Jo. Monach. in eod. cap. n. 3. Jo. Andr. n. 3.* & sic poterit Episcopus illos punire: non poterit tamen eos excommunicare, si habent privilegium, ut non possint excommunicari, nisi a Papa, *Jo. Monach. ibid. n. 3.*

Declara secundo, quod ex hoc textu tolluntur privilegia concessa admittendi ad divina interdictos, vel celebrandi tempore interdicti, *Jo. Andr. & Jo. Monach. ibid. n. 2.* Excipiuntur tamen, & præservantur privilegia clausa in corpore juris, nempe moderatio, *cap. Alma mater de senten. excomm. in 6.* Sed neque derogatur aliis privilegiis postea concessis etiam extra corpus juris.

Declara tertio, quod in hac Constitutione non continentur Episcopi, per *cap. Quia periculosum, de senten. excomm. in 6. Franchus in d. cap. Episcoporum.*

Declara quarto, quod intelligitur de non admittendis interdictis nominatim declaratis, vel in loco interdicto nominatim declarato, ob extrav. *Ad evitanda*, de qua dixi *supra cap. 4.* & in terminis, *Henriq. lib. 13. c. 5. n. ult. Avila par. 5. dis. 5. dub. 4. conclus. 4.* & de omni interdicto locali docent *Suarez dis. 37. sect. 2. n. 5. Coninch. dis. 17. dub. 5. in fine, Bonac. de interdict. punct. 7. n. 1.* Interdictum autem personale generale obligat ad vitandum, si fuerit denunciata per nomen talis universitas, etiamsi non fuerint singuli nominati, *Bonac. punct. 6. n. 23.* secundum probabiliorem cum *Sayro lib. 1. cap. 12. n. 23. Suar. dis. 37. sect. 2. n. 3. Alter. de interd. dis. 10. cap. 4. Avil. ubi sup. dub. 5. Coninch. dis. 17. n. 62.* Contra *Navar. Eman. Sà*, quos refert *Bonac. ibi.*

II. Ex *cap. 3. de privilegiis, §. Excommunicatos, juncto §. final.* Si religiosi, etiam exempti, admiserint ad divina nominatim interdictos ab Episcopo, vel ab eo nominatim denunciatos, eorum Ecclesiæ, in quibus admiserint ex præsumptione, subjaceant interdicto.

Quæres, an sit interdictum latæ sententiæ contra illos admittentes in tali casu? respondeo, aliqui dicunt, esse latæ sententiæ, sed posse ab Episcopo denunciari, seu declarari contra istos regulares, etiam exemptos, quia verbum *Subjaceant*, est latæ sententiæ, ut *Si quis suadente 17. q. 4. gloss. in cap. 1. de injur. in 6.* ita refert aliquos tenere *Hostien. hic in fine*, & multos pro hac sententia allegat *Tiraquell. in leg. Si unquam, verbo Revertatur n. 148.* ubi *n. 150.* eam per se veriorem ait, nisi ex subjecta materia aliud colligatur: sed contrariam ait communem *Abbas in d. cap. 3. n. 7. Hostien. ibi, & Cardin. in fine*, dicentes verbum, *Subjaceat*, intelligi ministerio Episcopi sententiam laturi: & ait *Cardin.* hanc expositionem tanquam benignam, esse amplectendam, & eam communem in eo casu fatetur *Tiraquell. n. 149.* Unde sequitur, quod si tales religiosi habent privilegium, ne possint excommunicari, nisi a Papa, non poterit Episcopus talem sententiam contra eos fulminare: at secundum primam sententiam posset declaratoriam proferre, *Henriq. lib. 7. cap. 25. n. 7.*

Limita etiam hanc Decretalem hodie per *cap. Alma mater de sent. excomm. in 6.* ubi certis modis moderatio facta est interdicti localis generalis, vel personalis generalis. Primo, ut omnes admitti possint ad pœnitentiæ Sacramentum, si non sint excommunicati, vel culpabiles de tali interdicto, vel specialiter interdicti; & officia divina possunt, januis clausis, celebrari submissa voce, laicis exclusis, & sine sonitu campanarum: sed & quater in anno, imo quinquies, id est Natali Domini, Paschate, Pentecoste, Assumptione B. Mariæ, & Corporis Christi festo, januis apertis, exclusis excommunicatis, interdictis vero culpabilibus non admissis ad communionem eucharisticam, & ad oblationem; & idem est de interdictis nominatim, seu specialiter, ut docent *Suarez disp. 34. sect. 1. n. 33. Layman lib. 1. tract. de interdict. cap. 2. §. Quarta exceptio, Sayr. lib. 5. cap. 13. n. 12. Jo. Andr. & Henricus in dict. cap. 3.*

III. Re-

III. Regulares, etiam exempti, interdictum generale locale non observantes, advertentes illud observari ab Ecclesia cathedrali, seu matrice, seu parochiali, incurrunt excommunicationem latam in *Clem.* 1. *de sent. excomm.* non obstantibus privilegiis, & consuetudinibus. Et procedit, etiamsi prætenderetur, illud interdictum nulliter latum, *Sayr. lib. 3. cap.* 33. *n.* 45. *&* 48. cum aliis Doctoribus. Non procedit hæc Constitutio contra clericos, ut supra citati DD. dicunt: & non procedit in interdicto speciali locali, neque personali etiam generali, ut *Tolet. lib.* 1. *cap.* 39. §. *Undecima*, ubi bene explicat hanc materiam.

Item in prædicto casu Religiosi Minores Sancti Francisci si admittant suos tertiarios in suis Ecclesiis ad divina officia, excommunicationem incurrunt Papæ reservatam (scilicet ante satisfactionem) sed satisfactione præstita, tunc sunt absolvendi ab Episcopo auctoritate apostolica a jure delegata, ex *Clem. Cum ex eo de sent. excomm.*

Adverte, quod *Lapus in Clem.* 1. *eod. tit. cum Paulo*, æstimat in tali casu, illos religiosos incurrere etiam excommunicationem alteram, de qua §. *præced.* Sed contra *gloss. hic*, *Lauden. & Cardin. n.* 6. quia pœnæ non sunt multiplicandæ, ejusdem præsertim rationis, pro eadem causa, sed illa prior censetur in hanc graviorem commutata. Procedit autem hæc pœna eodem modo, sicut prior, quando est interdictum generale, & servatur ab Ecclesia matrice, ut *Vitalin. hic n.* 10.

Satisfactio fiet Ecclesiæ militanti læsæ arbitrio Diœcesani, *Vitalin. n.* 19.

Nota autem, quod etsi Ecclesia matrix, vel cathedralis non observet interdictum, non excusantur a peccato, & ab aliis pœnis juris supra, & infra dicendis, supposito, quod interdicti sententia sit valida, seu quod vere liget, *Sayr. dict. cap.* 33. *n.* 48. Secus si non liget, v. g. stante appellatione, *Sayr. ibi.*

IV. Clerici violantes interdictum personale, aut locale, incurrunt suspensionem ab officio, & beneficio, ut de communi ait *Sayr. lib.* 5. *cap.* 14. *n.* 12. *cum multis*, & *Avila part.* 5. *disput.* 5. *dub.* 4. §. *Præterea ex cap. fin. de excessib. prælat.* Sed alii dicunt, esse sententiam ferendam, non latam, *Sayr. ibi Bonac. de Interd. disp.* 5. *punct.* 7. *n.* 4. *Coninch. disp.* 17. *n.* 71. Alii dicunt, esse suspensionem latæ sententiæ ab officio, non a beneficio, *Suar. disp.* 34. *sect.* 4. *n.* 16. Alii dicunt, esse suspensionem etiam a jurisdictione, *Laym. lib.* 1. *tract. de interd. cap.* 3. *n.* 3.

V. Celebrans in loco interdicto fit irregularis, *cap. Is qui*, §. *Is vero*, *de sent. excomm. in* 6. *Suar. de cens. disp.* 34. *sect.* 4. *n.* 14. ubi multos Doctores cumulat; & ampliat procedere tam de clerico seculari, quam regulari. Et idem est, si quis violet interdictum personale, quo ligatus existat etiam occulte, ut *Suar. ibi n.* 21. *ex d. cap. Is qui*, §. *Is vero*.

Limita ex *cap. pen. de cler. excomm. vel interd. min.* ubi excusat ignorantia probabilis ab irregularitate: crassa autem, & supina facilitat dispensationem a Sede apostolica obtinendam, ad quam pertinet hæc dispensatio, ut *dicto* §. *Is vero*.

VI. Celebrans contra interdictum fit irregularis active, & passive secundum aliquos. Vide *Suar. num.* 16. *ex dicto* §. *Is vero*.

VII. Celebrare persistens in interdicto, seu contra interdictum postquam fuerit monitus, incurrit eo ipso pœnam perpetuæ depositionis, *cap.* 3. *de cleric. excomm. & interd. ministr. Barbos. ibid. n.* 2. *cum Mario Alterio*, quia illud verbum, *Incurrant*, ibi positum, secundum magis communem est latæ sententiæ, *Tiraquell. in leg. Si unquam*, *verb. Revertatur*, 147. *C. de rev. don.* Sed contra *Sayr. lib.* 5. *cap.* 14. *n.* 7. *&* 8. *Diaz. cap.* 28. qui putant, esse ferendæ sententiæ in casu nostro.

VIII. Sed etiam stante hac secunda sententia, consequenter ob notorietatem hujus criminis depositione digni, erit infamis, infamia juris, & inde irregularis, juxta ea, quæ dixi *supra cap.* 11. §. *ult.*

IX. Episcopus, si violet interdictum a Papa latum, v. g. illud non promulgando, vel observari non procurando, aut contraveniendo, aut interdictos absolvendo, secundum aliquos DD. incurrit pœnam privationis episcopatus, seu depositionis a dignitate, & loco episcopali: ita probare conatur *Marta de Jurisd. part.* 3. *cap.* 21. *per totum*, *ex cap. Theugualdum* 11. *quæst.* 3. & aliis rationibus; sed veritas est in contrarium, per ea, quæ dixi *supra cap.* 6. *n.* 2.

CAPUT XV.

Censuram suspensionis ab officio clerici violantes, celebrando, vel celebrari coram se faciendo.

I. Irregularitatem incurrit clericus suspensus ab officio, seu a divinis, vel Episcopus ab exercitio pontificalium, celebrando contra hanc censuram, ut *cap. Apostolicæ*, *& ibi Canonistæ*, *de cler. excomm. ministr. cap.* 1. §. *fin. de sent. excommun. in* 6. *Suarez disp.* 27. *sect.* 2. *n.* 3. *Sayr. lib.* 4. *cap.* 16. *n.* 2. Et procedit, etiamsi suspensio esset impropria censura, ut lata ad certum tempus, *d. cap.* 1. *de sent. excomm. in* 6. vel si in perpetuum: ut *Sayr. lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 26. *vers.* 4. Et similiter hanc irregularitatem incurrit Prælatus faciens auctoritative coram se celebrari, ex communi sententia recepta DD. *ex cap. Illud de cleric. excommun. min. Abbas ibid. n.* 8. *Covar. in cap. Alma mater*, *part.* 1. §. 6. *n.* 9. *Layman lib.* 1. *tract. de irregul. cap.* 3. *n.* 4. §. *Illud porro*, *Riccius resol.* 204. ubi contra *Navarrum* ait, non sufficere, si Episcopus, vel Prælatus ingressus Ecclesiam, ibi audiat Sacrum etiam cum tapeto, seu strato, nisi ipse mandaverit celebrari.

Limita primo, quod per exercitium minorum ordinum, secundum magis communem, non fit irregularis, nisi in casu violantis suspensionem contractam ob simoniam in ordine, quia sic in tali casu est statutum a Bulla Sixti V. *contra male promotos*, *Sayr. lib.* 4. *cap.* 16. *n.* 11. *Bonac. de Irregul. q.* 3. *punct.* 5. *n.* 1.

Limita secundo, quod ex levitate materiæ possit excusari ab irregularitate, ut dicendo, *Dominus vobiscum* in privata recitatione horarum, *Sayr. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 5. *Suar. disp.* 12. *sect.* 1. *n.* 18. Et similiter Episcopus exercens pontificalia in materia levi, ut dando benedictionem in via, aut celebrando Missam cum mitra, & baculo, non fieret irregularis, si esset solum suspensus a pontificalibus, *Sayr. lib.* 4. *cap.* 16. *n.* 24. *Bonac. de Irregul. quæst.* 3. *punct.* 5. *n.* 9.

Limita tertio, quod excusatur ob bonam fidem, prout *supra* dixi de excommunicationis violatione *cap.* 11. & idem est, quoties ob aliquam causam excusatur a peccato mortali, celebrando in suspensione, ut ob scandalum grave vitandum, *Suar. disp.* 27. *sect.* 2. *n.* 3. *Laym. lib.* 3. *tract. de homic. cap.* 12. *n.* 6.

Limita quarto, quod non incurrit irregularitatem celebrans in suspensione, quæ non sit censura, ut ex præcepto simplici confessarii, vel superioris prohibentis celebrare, *Sayr. lib.* 4. *cap.* 16. *n.* 4. *Rodr. quæst. regul.* 28. *art.* 1. *tom.* 2. §. 1.

Super ista irregularitate solus Papa potest dispensare: si tamen casus est occultus, potest Episcopus, servatis conditionibus Concilii Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. *de reform.*

II. Excommunicationem ipso facto non incurrit celebrans in suspensione, sed est excommunicandus, si persistat in tali contumacia, *cap.* 2. *de cleric. excommun. Sayr. lib.* 4. *cap.* 11. *n.* 14.

III. Deponendus est perpetuo violans suspensionem celebrando, scilicet depositione ab officio, & beneficio, *cap. Clerici*, *cap. Latores*, *de cler. excomm. cap.* 1. §. *ult. de elect. in* 6. *Sayr. ibid. num.* 11. *Bernard. Diaz. cap.* 33. *num.* 1. *in praxi crimin.*

CAPUT XVI.

Censuram suspensionis a potestate providendi de beneficiis violans.

IN uno casu violans suspensionem ab exercitio hujus potestatis, incurrit excommunicationem Papæ reservatam, scilicet in terminis Constitut. Pii V. *Quanta* super forma resignationis beneficiorum: quando scilicet collator præsentatur, instituitur, aut nominator, ob non servatam illam formam incurrit suspensionem a collatione, præsentatione &c. si conferat, præsentet, nominet, instituat, incurrit dictam excommunicationem. Vide infra *verbo Resignatio cap.* 2.

CAPUT XVII.

Censuram suspensionis a beneficio violans, se ingerendo.

ISte in duobus, vel tribus casibus incurrit beneficiorum privationem, scilicet ipso facto.

Primus casus est in *cap.* 1. §. *Qui vero, de elect. in* 6. *c. Si compromissarius*, §. *fin. eod. tit. in* 6. ubi suspensus a beneficiis triennio, ex eo quod opposuit in casu electionis ad Ecclesias, aut personatus, aut canonicatus electivos, & deficit in probatione ejus, quod objecit in personam electi, si se propria temeritate ingerat beneficiis, eo ipso privatur illis beneficiis, quæ ipse in eadem Ecclesia obtinebat.

Secundus casus est in *cap. Cupientes*, §. *Cæterum, de elect. in* 6. ubi si eligentes ad Ecclesias cathedrales, vel regulares, intra octo dies electionem electo non præsentaverint, ipsi, qui culpabiles in hoc extiterint, omnibus beneficiis suis, quæ in ipsa Ecclesia, de cujus electione agitur, obtinent, per triennium continuum eo ipso sunt suspensi: ad quæ si infra illud tempus propria temeritate, aut alio quæsito colore se ingesserint, illis ipso jure perpetuo sunt privati.

Tertius casus est in *c. Si compromissarius*, §. *Porro, de elect. in* 6. ubi si compromissarius eligat indignum in Episcopum cum dolo, vel culpa, a beneficiis ecclesiasticis, quæ in illa obtinet Ecclesia, triennio suspendatur ipso jure: & Canonistæ ibi addunt, si se ingerat, eo ipso remanere privatum per *dict. c.* 1. §. *Qui vero, de elect. in* 6. & ita tenet *Ugol. de suspens. cap.* 9. *n.* 1. Sed hanc extensionem non puto veram, quia nullus textus hoc habet, & pœnæ non sunt ampliandæ, sed restringendæ.

Hinc rejicienda est aliquorum doctrina dicentium, quod omnis suspensus a beneficio, scilicet a temporali administratione, & perceptione fructuum, si se ingerat, eo ipso privatur illo beneficio, in quod se ingessit; ita docet *Sayr. lib.* 4. *de cens. cap.* 6. *n.* 5. *Laym. de suspen. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 3. *in fin.* sed sine fundamento, quia textus supra allegati solum procedunt in illis casibus particularibus ibi expressis, & non sunt extendendi, ita *Joan. Andr. in dict. cap. Cupientes*, §. *Cæterum, ibi Gemin. n.* 3. *Franchus ibi in princ. & gloss. in Clem.* 2. *de vita, & honest. Cleric. verbo Suspenses, Felin. in c. Apostolicæ, n.* 13. *de except. Card. in Clem.* 2. *n. ult. de æt. & qualit. Ugolin. loc. cit.* est communis sententia.

Neque admitto distinctionem *Toleti lib.* 1. *c.* 45. §. *ult.* ubi per *d.* §. *Cæterum* ait, Prælatos suspensos ab administratione Ecclesiæ se ingerentes, esse ipso jure privatos, alios autem esse privandos: nam contra, quia §. *Cæterum* loquitur de aliis eligentibus, & non de Prælatis: imo Episcopi non continentur in suspensionibus narratis in illis tribus casibus, quia non sunt nominati expresse: ita habetur in *d. c. Si compromissarius*, §. *Hujusmodi*.

CAPUT XVIII.

Censuram violari facientes domini temporales.

I. AN contra non observantes, sed contemnentes excommunicationis, vel interdicti censuram inferri possit bellum auctoritate Ecclesiæ? affirmant *Lucas de Penna in leg. un. n.* 16. *c. Ut armorum usus, lib.* 11. *Host. & alii apud Martam de Jurisd. part.* 3. *cap.* 22. *n.* 1. quod videtur intelligendum quando ex eo contemptu sequeretur publicum scandalum, & damnum grave animarum, & facit *Gl. in cap.* 3. *verbo Pro libertate, de pœnit. & remiss.* ubi pro Ecclesiæ libertate est justa causa pugnandi, si modus servetur: quamvis *Marta ibi* conetur contrarium probare, non posse ob censurarum violationem in contumaces bellum inferri.

II. Ex *Clem. Gravis de senten. excomm.* Domini temporales, qui præsumunt quomodolibet cogere aliquem clericum in locis interdicto suppositis celebrare officia divina, vel voce præconis, aut campana, aut alio signo publico aliquem evocare ad eadem officia audienda, præsertim excommunicatos, aut personaliter interdictos, aut prohibere, ne excommunicati publice, aut interdicti de Ecclesiis, dum in ipsis Missarum aguntur solemnia, a celebrantibus moniti exeant; incurrant excommunicationem Sedi Apostolicæ reservatam.

Nota, quod hæc Constitutio intelligenda est de interdictis, & excommunicatis, etiam non nominatim denunciatis, dummodo sint publici, & non occulti, quia clerici habent jus etiam tales expellendi, *Bonac. de cens. in partic. disp.* 2. *quæst.* 3. *pun.* 20. *n.* 10. quamvis contra teneant *Suar. disp.* 22. *de cens. sect.* 4. *n.* 33. *Filiuc. tract.* 15. *n.* 74. qui putant non procedere in non denunciatis nominatim, sed puto primam veriorem, per ea, quæ dixi supra *cap.* 10.

Sed quæres, an excusentur a peccato, & pœnis celebrantes, seu non observantes interdictum coacti a domino temporali metu gravi vitæ, vel amissionis bonorum, ver. grat. confiscationis, &c. respondeo, si cogerentur in contemptum fidei, vel clavium, seu præcepti Ecclesiæ, vel ut communicent in crimine criminosis, seu propter quod censura est fulminata, nullo modo excusantur, *Suar. disp.* 6. *sect.* 3. *n.* 4. *&* 7. *Marius Alter. tom.* 2. *de censur. disput.* 8. *tract. de interdict. cap.* 6. *in fin. Sayr. lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 36. *&* 37. & signum erit talis contemptus, si post sententiam interdicti cogunt eos frequentius celebrare, quam ante interdictum: vel si frequentius volunt assistere, quam prius: ita *Alter. loc. cit.* Si autem non ex dicto contemptu cogerent celebrare, sed alio humano respectu v. gr. ad avertendam populi turbationem, vel tumultum, aut quia putarent, censuram esse nullam ex defectu causæ, vel processus &c. tunc excusarentur a dicta transgressione, & a pœnis, ita *Suarez & Alterius citati, & Sayr. lib.* 1. *cap.* 18. *n.* 42. consentit *Felin. in cap.* 2. *in fin. de major. & obed.* Cavendum tamen erit scandalum pusillorum, ut *Alter. ibid.*

CAPUT XIX.

Censurarum causa vexans, aut vexari concedens eas ferentem, aut partem, aut observantem eas, aut conjunctos eorum.

I. IN *c. Quicunque* 12. *de sentent. excomm. in* 6. quicunque pro eo quod in aliquas personas publicas, vel privatas sententia excommunicationis, suspensionis, aut interdicti fuerit promulgata, licentiam dederint occidendi, capiendi, aut aliter in personis, aut bonis ejus, aut suorum, gravandi eos, qui tales sententias protulerint, sive quorum sunt occasione prolatæ, aut eas, qui tales sententias observant, ut nolentes communicare cum excommunicatis (nisi licentiam talem re integra revocarint; vel si bonis gravamen illatum est, nisi bona fuerint intra octo dierum spatium restituta, aut satisfactio pro ipsis impensa) eo ipso sententiam excommunicationis incurrunt. Idem de iis, qui ausi fuerint ea licentia uti, aut sine licentia motu proprio præfatos vexare, modo, & causa supradicta. Et hæc excommunicatio est reservata Sedi Apostolicæ, posita obsordescentia duorum mensium in eadem excommunicatione.

Ante duos autem menses, satisfacta parte, non est reservata, quantum ex vi hujus textus, ut *Suarez de cens. disp.* 22. *sect.* 3. *n.* 8. *Sayr. lib.* 3. *cap.* 8. *n.* 23. *& c.* 29. *n.* 3. *Barbos. alleg.* 50. *n.* 94. *Joan. Mon. in dict. c. Quicunque, in princ.* Est tamen reserveta aliunde ex Bulla in Cœna Domini, quatenus sic impediunt Prælatos, ne sua jurisdictione utantur; vel quatenus sic cogunt partes, vel judices ad censurarum revocationem, aut absolutionem; aut quatenus vexant causa sententiarum, ut dicam infra *c. seq.*

Nota, quod ait de vexante latorem sententiæ, aut suos; suorum nomine contineri omnes, qui in ejus potestate sunt, omnesque consanguinei, & famuli ipsius, & domestici, & tota ejus familia, & amici; item ei alia relatione conjuncti, ut magistri, & discipuli. Item alii, quoties ex circumstantiis illorum gravamen in eum redundat, verbi gratia socii &c. quia lex ista est favorabilis, & protectio Ecclesiæ omnibus patere debet, quam offensio in illam, *Cajet. verb. Excommun. c.* 36. *Suar. n.* 7. *Sayr. lib.* 3. *c.* 29. *n.* 23.

Amplia etiam hanc Constitutionem pœnalem, ut incurrat in eam, non solum dans licentiam offendendi, & offendens, sed etiam mandans offendi, sive cum licentia, sive sine illa, quia vere etiam iste dicitur gravare dictas personas, mandando, quia determinat ad talem effectum, *Tabiena excomm.* 5. *casu* 10. *post med. Archidiacon. & Franc. in dict. c. Quicunque, Sayr. lib.* 3. *c.* 29. *n.* 22.

Limita, quod supradicta Constitutio procedit, & loquitur de vexantibus propter sententias censurarum promulgatas, non autem loquitur de promulgandis, seu de mandatis cum comminatione censuræ, & non ipso facto incurrendæ. Est tamen verum, quod vexans, impediendo censuras promulgari, incurrit in excommunicationes, & pœnas latas con-

tra

tra impedientes Prælatos, ne sua jurisdictione utantur, ut dicam *c. seq.*

CAPUT XX.

Censurarum absolutionem, vel revocationem extorquens, aut impediens, quominus fulminentur.

I. EX *c. 1. de his, quæ vi, metusque causa in 6.* vi, aut metu extorquens absolutionem alicujus censuræ incursæ, non solum a prædicta censura non solvitur (nam absolutio est irrita) sed etiam novam excommunicationis censuram incurrit, quæ tamen non est reservata ex vi hujus texrus. Hanc Constitutionem bene explicat *Reginal. lib. 9. n. 346. Avila part. 2. de cens. c. 7. disp. 2. dub. 5. per totum.*

Amplia, ut procedat etiam contra extorquentem absolutionem ab excommunicatione minori, *Suar. disput. 7. sect. 6. n. 13. Sayr. lib. 2. c. 21. n. 30. Bonac. de censur. in commun. disput. 1. quæst. 3. punct. 8. n. 3.*

Limita, ut non procedat in cogente metu levi, *Gl. fin. in dict. c. 1. Suar. n. 14. Sayr. n. 32. Bonac. n. 5. per l. Nec timorem ff. quod met. causa.*

Limita secundo, ut non incurratur hæc pœna, nisi effectu coactionis obtento, idest absolutione, ut *Avila loc. cit.*

II. In *c. 14. Bullæ in Cœna Domini*, qui partes actrices (quæ causas spirituales, aut spiritualibus annexas committi fecerunt, & inhibitiones, aut citationes, aut alias litteras in eis decretas obtinuerunt) compellunt ad revocandum, vel revocari faciendum citationes, inhibitiones, aut litteras supradictas, & ad faciendum, vel consentiendum, eos, contra quos tales litteræ emanarunt, a censuris, & pœnis in illis contentis absolvi, per statutum, vel alias, vel executionem litterarum, seu decretorum prædictorum quomodolibet impediunt, excommunicationem incurrunt Papæ reservatam, *ibidem.*

Ampliant aliqui, ut procedat non solum contra judices ipsos compellentes, sed etiam privatos, seu partes, quæ instant, ut judex laicus compellat judicem ecclesiasticum ad revocandas dictas ordinationes, aut partem ad consentiendum absolutioni censurarum; quia via juris hoc facit, de qua textus hic loquitur, ut *Filiuc. tract. 16. n. 253.* Sed contraria est communis, ut solum procedat contra publicas personas cogentes, ut magistratus, consiliarios &c. ut videre est apud *Bonac. de censuris in particul. disput. 1. quæst. 15. punct. 1. n. 15.* ubi ait, neque advocatum, neque procuratorem instantem incurrere in hanc censuram.

Similiter non incurrit in hanc censuram, qui compelleret, etiam publica potestate sua, judicem ecclesiasticum ad absolutionem dandam a censuris; sed incurreret in illam, de qua *supra n. 1. & 2.* ita *Bonac. n. 21.*

Nomine autem partis actricis hic continetur, non solum actor, sed etiam reus, ad cujus instantiam emanarunt tales censuræ; quia reus in tali prosecutione, seu causæ commissione, fungitur vice actoris: & ita *Ugol. in dict. c. 14. Bullæ, Filiuc. n. 253. Duard. quæst. 13. n. 8. ibid. & Bonacin. n. 18.*

III. In *c. 16. Bullæ in Cœna Domini*, quicunque Prælatos, aliosque judices ecclesiasticos ordinarios impediunt, quominus sua jurisdictione utantur contra quoscunque, quatenus de jure uti possunt, impediendo directe, vel indirecte, carcerando, vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, consanguineos, vel affines, incurrunt excommunicationem ibidem Papæ reservatam.

In hanc igitur excommunicationem incurrit, qui impedit, ne judex ecclesiasticus ordinarius fulminet excommunicationem, aut aliam censuram, aut cogit eum revocare sententiam comminatoriam censuræ, quia vere impedit illius jurisdictionis actum, seu usum: ita *Bonac. de censur. in particul. disput. 1. quæst. 17. punct. 1. n. 4. vers. Tertio Principem, cum Ugolino*, & idem est, si impediret, quominus judex faceret exequi censuras, & observari.

An autem etiam incurrat in hanc excommunicationem, qui cogit ad revocandam, vel absolvendam censuram jam fulminatam, & incursam? aliqui affirmant, ut *Ugol. sup. eod. c. 16.*

Alii negant probabilius, quia jam judex circa hoc functus est officio suo, & modo compellitur ad utendum jurisdictione, non impeditur, quominus utatur: ita *Bonacina*, sed incurret tunc in aliam excommunicationem, de qua *supra c. præced. & hoc eodem c. n. 1.*

An autem in hanc censuram incurrat etiam pars, & procurator instantes, aut alia privata auctoritate impedientes, quominus possit judex ecclesiasticus uti sua jurisdictione, ferendo censuras, aut illas exequendo? aliqui affirmant; sed magis communiter negant DD. ut apud *Bonac. disput. 1. cit. quæst. 17. punct. 1. n. 7. cum Navarro, Suarez, Graffio, Duardo, & aliis.* Illud certum videtur, lacerantem cedulones jam affixos non incurrere in censuram latam contra impedientes judices ecclesiasticos uti sua jurisdictione, ut *Graffius tom. 1. lib. 4. c. 18. n. 139.* sunt tamen isti lacerantes, vel deturpantes cedulones suspecti de hæresi, ut male sentientes de potestate ecclesiastica, *Gennen. in praxi cap. 6. n. 6.*

IV. Ex *eodem c. 16. Bullæ in Cœna Domini*, excommunicationem incurrunt Papæ reservatam illi, qui post Ordinariorum, vel ab eis delegatotum judicum ecclesiasticorum sententias, & decreta, aut alias fori ecclesiastici judicium eludentes, ad forum, seu curiam secularem recurrunt, & inde prohibitiones, & mandata etiam pœnalia contra Ordinarios, aut delegatos prædictos decerni, & exequi procurant. Et eandem excommunicationem incurrunt ii, qui ea decernunt, vel exequuntur, vel dant consilium, patrocinium, & favorem.

Ex quo apparet, quod censura ligatus per sententiam judicis ecclesiastici, vel saltem comminatus de censura in eum ferenda, si contra eum recurrat ad tribunal seculare, ut obtineat mandara contra eundem judicem ecclesiasticum, ut de eo vexando, vel ejusdem conjunctos, hodie incurret hanc excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini, quæ olim ex *c. Quicunque de sentent. excommunicationis in 6.* non erat semper reservata: & idem est de extorquente via judicis secularis absolutionem, quo casu olim non erat reservata excommunicatio, ut *c. 1. de his, quæ vi, in 6.* & eodem modo hodie hanc incurrunt judices decernentes, & exequentes mandata pœnalia contra judices ecclesiasticos ad instantiam partis. Vide de hac *Bonac. disp. 1. cit. q. 17. pun. 1. n. 28.* cum allegatis per eum.

CAPUT XXI.

In censuris insordescentes.

Vide *verbo, Insordescentia.*

☞ CAPUT XXII.

A censuris absoluti in casu necessitatis, aut impedimenti, his cessantibus, non se præsentantes facultatem habentibus, ab eisdem absolvendi.

VIde *in Auctor. part. 1. cap. 24. Respondeo II. & cap. 25. in princip. ac Additiones meas ad cap. III. verb.* Absolutio, *pag. 74. n. 9.* ☜

☞ CAPUT I.

Census, canones, aliaque jura Cameræ Apostolicæ debita non solventes.

Vide *cap. 1. verbo Canones.* ☜

CAPUT I.

Cessationem a divinis ecclesiastici violantes.

I. EX *Clement. 1. de sentent. excommun.* Religiosi, etiamsi exempti, cum cathedralem Ecclesiam, vel matricem, seu parochialem loci viderint, aut sciverint observare cessationem a divinis, indictam per Ordinarium loci, seu Prælatum Ecclesiæ, vel per provincialium Conciliorum statota, vel eorum auctoritate, eam similiter observare tenentur; alias incurrunt ipso facto excommunicationem, quæ tamen non est reservata: loquitur autem textus de cessatione generali totius loci, scilicet civitatis, vel oppidi, ut notat *glossa ibidem, verbo Cessantibus, & DD. infra citat.* & patet, quia alias Regulares non tenerentur servare, neque aliæ Ecclesiæ.

Idemque statutum est de cessatione a divinis generali civitatum, terrarum, & aliorum locorum, indicta per capitula, collegia, vel conventus secularium, vel regularium ecclesiarum, ex facultate eis competente indicendi per consuetudinem, vel privilegium, aut aliter, non obstantibus privilegiis, & consuetudinibus quibuscunque dictorum religioso-

rum. De hac re agunt *Cajetan. verbo Excommunic. c. 67. Navar. c. 27. n. 146. Suarez de censur. disput. 39. sect. 2. n. 36. Sayr. lib. 3. cap. 33. a n. 4.*

II. An autem sacerdos, seu clerici solemniter celebrando, seu ordines exercendo in loco, seu Ecclesia, contra cessationem a divinis, incurrant irregularitatem, præscindendo ab excommunicatione, ut supra incursa? respondeo: si cessatio sit particularis illius loci, communis sententia docet, non incurri, ut testatur de communi *Suarez sect. 1. n. 8. dis. 39.* & probatur *cap. Is, qui de sent. excomm. in 6.* ubi celebrans in Ecclesia polluta, non fit irregularis; & tamen tunc ipso jure dicitur indicta cessatio a divinis, seu suspensio divinorum organorum pro illo loco particulari, ut *cap. fin. de consecr. Eccles. Suar. sect. 1. n. 14.* De cessatione autem generali multi docent, eam violantes, solemniter celebrando, fieri irregulares, quia videtur similis interdicto: ita tenet *Joan. Andr. Franc. Anchar. in cap. Si Canonici de offic. ordin. in 6. S. Antonin. Majol. Villad. & Covarr. apud Suarez ibidem n. 9.* Sed magis communis tenet contrarium, quia in odiosis non fit extensio de interdicto ad cessationem: ita tenet *Sylvest. verbo* Cessatio *quæst. 15. Palud. Sotus, Navar.* quos sequitur *Suar. n. 10.* tenent Canonistæ communiter in *c. Dilectis de appell.* & de magis communi testantur *Salzedo ad Diaz in praxi c. 33. §. Sed quæstionis, Avila par. 6. disput. 6. dub. 2. concl. 4.* & communem ait *Guttier. can. quæst. lib. 1. cap. 10. num. 4.*

Sed dubium est, an moderatio allata circa observationem generalis interdicti in *cap. Alma mater de sent. excomm. in 6.* habeat etiam locum in cessatione a divinis, saltem generali: & aliqui putant, extendi ob similitudinem rationis, & favorabilem materiam; & ita tenet *Henriq. lib. 13. cap. 52. n. 4. lit. l. Avila part. 6. disput. 1. dub. 9. concl. 2. Roderic. quæst. regul. 116. art. 4. tom. 2. Miranda tomo 2. quæst. 38. art. 6. concl. 6. Sayr. lib. 5. c. 19. n. 8.* & tenent *Archid. Villad. Sylv. S. Anton. Cardin. & Navarr. apud Guttier lib. 1. can. quæst. cap. 10. n. 4.* Sed contraria verior est, ut nulla sit moderatio allata, sed observari debeat *cap. Non est vobis de sponsal.* scilicet, ut tunc nulla liceant divina officia, præter baptismum parvulorum, & pœnitentiam morientium, & viaticum: & tenet *Suarez sect. 2. n. 25. Regin. lib. 32. n. 81. Filiucc. tract. de interd. n. 177. Layman de interdict. c. 6. n. 3. Barbos. in dict. cap. Alma n. 16. Guttier. loc. cit. Gordon. lib. 7. q. 16. c. 2. n. 93.*

CAPUT II.

Cessationem a divinis non rite, vel non juste Canonici indicentes.

EX *cap. Si canonici, de offic. ordin. in 6.* canonici, qui facultatem habent indicendi cessationem a divinis, non possunt eam indicere, nisi ex causa canonica, & nisi antea, publica scriptura, cessationis causam exprimant, & ei, contra quem indicunt (scilicet culpabili) exhibeant; alias ipsi fructus, seu proventus Ecclesiæ illius, in qua cessatum fuerit, suos non faciunt, & tenentur eidem Ecclesiæ restituere. Si autem prædicta observaverint, is qui causam cessationi dedit, tenebitur canonicis, & clericis, quanti eorum intersit, ratione distributionum quotidianarum amissarum tempore cessationis. De hac re vide *ibi Canonistas*, & alios, quos allegat *Barbosa ibidem.*

CAPUT I.

Chirurgiæ arte clericus causans mortem per sectionem, vel adustionem.

IN *cap. Sententiam, ne clerici, vel monach.* clericis in sacris interdicitur exercitium chirurgiæ, quæ adustionem, vel sectionem inducit, & in *cap. Tua nos, de homicidis* clericus, vel monacus adustionem, vel sectionem faciens tanquam chirurgus, si inde mors infirmi sequatur, fit irregularis, etiamsi omnem adhibuerit diligentiam, & infirmus ex propria culpa sit mortuus propter sectionem, vel adustionem, scilicet morte physice proveniente ex sectione, vel adustione prædicta.

Amplia, quod dictum est de clerico, ut procedat in omni clerico in sacris, vel in minoribus quidem, aut in prima tonsura, sed sufficienter beneficiato; quia omnia interdicta clericis in sacris, censentur interdicta clericis beneficia habentibus sufficientia ad victum, seu sustentationem, *Sanchez lib. 6. cap. 14. n. 15. Abb. in dicto cap. Sententiam, Majol. lib. 2. cap. 12. n. 7. Tolet. lib. 1. cap. 81. §. 5.*

Amplia secundo, ut procedat etiam in sectione venæ, seu phlebotomia, secundum veriorem, ut *Bonac. de irregul. quæst. 4. punct. 5. n. 5. Avila disput. 6. sect. 1. dub. 10. conclus. 2. §. Hinc sequitur, contra Molinam disp. 75. n. 4. tract. 3.*

Limita, ut non procedat, si non sua manu secuit, vel ussit, sed alius chirurgus ejus mandato secundum regulas artis, *Molina ibid. Sayr. lib. 6. cap. 17. n. 27. Bonac. n. 5. & 6.*

Limita secundo, ut non procedat in casu gravis necessitatis infirmi, quando non aderat alius chirurgus, *Molina disp. 8. n. 11. Sayr. n. 10. Bonac. n. 4.*

CAPUT I.

Clausuram Regularium, seu claustri septa violantes.

PRæmittendum est, quod clausuræ appellatione venit totum illud spatium monasterii, seu domus religiosarum personarum, ad quod liber est accessus ipsis religiosis, & non secularibus personis: unde non continetur Ecclesia, nec locutoria exteriora: ita definivit Greg. XIII. *in Bulla* 8. *Deo sacris*: vide *Sanchez lib. 6. c. 15. n. 6. & 7. c. 16. n. 11. Bonac. de claus. quæst. 1. punct. 1. n. 1.*

Incipit autem clausura ab ea porta, in qua sedes est janitoris ad clausuram servandam, ut *Sanchez lib. 6. in decal. c. 17. n. 18.* & limites clausuræ statuere pertinet ad Prælatum loci illius, qui habet jus visitandi clausuram, *Suar. tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 1. cap. 7. n. 2.* ut ad Generalem, vel Provincialem, & quoad moniales, Prælatum illarum; sed etiam ad Episcopum, potestate delegata quoad exemptas, quia ei a Tridentino data est potestas visitandi, & firmandi clausuram illarum, ut *sess. 25. c. 5. de regul.* vide *Barbosam allegat. 102. n. 6. & 11.* Consistit igitur clausura in indivisibili; unde non potest in hujus violatione dari parvitas materiæ: nam, sive parum ultra lineam clausuræ transeas, sive multum, dummodo totus transeas, perfecte diceris, clausuram violasse, ut *Sanch. lib. 6. c. 16. n. 70. Bonac. punct. 1. n. 3. Diana resol. 52. tract. 2. tom. 2.*

De limine portæ quidam dicunt, illud neque esse intra, neque extra clausuram: *Sanch. lib. 6. cap. 16. n. 70.* cum nonnullis Doctoribus. Sed verius puto, esse inspiciendum, qua parte porta claudatur: quia si, ea clausa, limen remanet intra, erit comprehensum in clausura; si vero extra remanet, dicetur extra clausuram, ut *Bart. in leg. 1. ff. de cloacis, Gemin. in cap. unic. de consecr. Eccl. Franchus decis. 402. n. 11. Comitol. lib. 6. respons. quæst. 3.*

Tectum eatenus dicitur esse intra clausuram, quatenus tegit loca, quæ sunt intra clausuram, & non ultra, *Sanchez cap. 15. n. 7. Suar. tom. 4. de relig. lib. 1. cap. 10. n. 6.*

Quod autem dixi, clausuram esse interiorem partem domus, vel monasterii, hoc intelligendum non de qualibet domo, ubi habitant aliquot religiosi, sed ubi in forma conventus, seu collegii vivitur cum Ecclesia, & Eucharistia: secus si per modum hospitii ad tempus sine Ecclesia, & sine Eucharistia, *Sanch. dict. cap. 17. n. 20. Quaranta, verbo Monasteria pag. 306. in fine §. Addit. Navarr. & Layman lib. 4. tract. 5. cap. 12. n. 5.*

Peccant igitur violantes clausuram regularem, sive per egressum, sive per ingressum, cum distinctione; quod viri religiosi peccant ut plurimum venialiter tantum, nisi de nocte furtive egrediantur, aut aliter cum periculo notabili evagationis diuturnæ extra claustra, aut nisi egrediantur contra speciale præceptum Superioris graviter obligaotis, *S. Thom. 2. 2. quæst. 186. art. 9. Navarr. comm. 4. de regul. n. 35. Graff. lib. 5. de casib. reservat. c. 5. n. 5. Suar.* autem *tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 1. cap. 6. n. 6. & 9.* ait, hunc exitum religiosis viris esse peccatum ex genere suo mortale, sed fieri sæpe veniale ob levitatem materiæ; & in effectu non discrepat ab aliis Doctoribus citatis. Ingressus autem, & introductio mulierum in clausuram virorum, est peccatum mortale per se loquendo, attentis consuetudinibus, & Constitutionibus Apostolicis, de quibus infra, & propriis etiam Religionum; quidquid sit de jure communi. Vide de hoc *Sanchez cap. 17. n. 9. Suar. loco cit. cap. 7. n. 1. in fin. & seqq.* Ingressus vero virorum in clausuram religiosorum per se loquendo, non est prohibitus, ut *Suarez n. 3.* Violatio autem clausuræ monialium per ingressum, vel per egressum, est peccatum mortale, quia est præceptum valde rigorosum talis clausuræ, *Layman loco cit. n. 1. & 2.* Hoc præceptum latum est

cap.

cap. 1. *de stat. regul. in* 6. pro qualibet mundi parte, & illud innovat Triden. *sess.* 25. *cap.* 5. *de regul.*

Violatio autem clausuræ, & pœnæ propter violationem istam latæ, committuntur (ut DD. molti dicunt) in ipso solo actu ingressus, vel egressus, non autem in mora tracta post ingressum, vel egressum, etiamsi cum malo fine, scilicet etiam fornicandi, ita *Sanc. lib.* 6. *cap.* 16. *in decal. n.* 69. *Diana resol.* 67. *tract* 2. *tom.* 2. *cum aliis contra Bonac. de clauf. quæst.* 4. *punct.* 4. *n.* 22. *& alii apud eundem.*

CAPUT II.

Clausuram regularium virorum mulieres intrantes.

I. EXcommunicationem incurrunt Papæ reservatam, etiamsi sint Comitissæ, Marchionissæ, Ducissæ, si audeant ingredi monasteria religiosorum, ex Bulla Pii V. 20. vel 22. *Regularium*; & revocat omnes licentias concessas: & idem Pius V. alia Bulla, *Decet Romanum*, declaravit, ut procedat, etiamsi mulieres non ingrediantur prætextu privilegiorum, seu licentiarum.

Item declaravit, non intelligi præclusum aditum mulieribus intra prima claustra Regularium, quando in eis Missæ, & divina officia celebrantur, vel processiones, aut sepulturæ fiunt: item quando magnus est populi concursus, itaut commode per portam Ecclesiæ ingredi, vel egredi non possit; modo recta via procedant. Hæc Bulla declaratoria non fuit publicata, ut patet in fine illius, cum desit relatio Cursorum.

II. Eadem excommunicatio fertur Papæ reservata contra mulieres, ut supra, ingredi audentes claustra, seu clausuram religiosorum, in Bulla Gregor. XIII. 28. vel 36. *Ubi gratiæ:* & continet similiter etiam Comitissas, Marchionissas, & Ducissas, & revocat omnes licentias.

Limita primo, quod non contineotur in dicta prohibitione Reginæ, & Imperatrix, & earum filiæ, quia non sunt ibi expressæ, nisi inferiores eisdem, & ipsæ sunt speciali nota dignæ, *Sanch. lib.* 6. *c.* 17. *n.* 5. *Layman lib.* 4. *tract.* 5. *c.* 12. *n.* 5. *Suarez lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 5. *tom.* 4. *de relig.*

Limitant secundo alii, ut non procedat dictæ Bullæ, & excommunicatio, nisi contra mulieres intrantes prætextu licentiarum in dictis Bullis revocatarum: ita tenet *Roderic. quæst. regul. tom.* 1. *quæst.* 47. *art.* 1. *Philiarc. lib.* 3. *de off. Sacerd. c.* 30. *n.* 31. *Sayr. lib.* 3. *c.* 31. *n.* 11. *Eman. Sà, verb. Excommunicatio Papæ reserv. n.* 15. *Suar. de cens. disp.* 22. *sect.* 6. *n.* 11. *& de relig. lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 9. *Filiucc. tract.* 15. *n.* 119. & valde probabilem ait *Layman cap.* 5. *n.* 12. Ad declaratoriam Pii V. respondent, quod non publicata declaratoria, non ligat, *Salas de legibus dis.* 21. *sect.* 13. *n.* 31. *Eman. Sà verb. Lex n.* 23. *de legib. lib.* 6. *cap.* 1. *n.* 3. *Bonac. de legib. quæst.* 1. *punct.* 8. *n.* 19. etiamsi legislator dicat, se sic intellexisse, *Innoc. in cap. Per tuas in fin. de Simon. Host.* quem refert, & sequitur *Jo. Andr. in cap. Solet n.* 4. *in fin. de sent. excomm. in* 6. facit *Extrav. Non novam, vers. Unde, de dolo*, & ita respondent *Roderic. & Layman*, ubi supra.

Ad stylum Curiæ, & Pœnitentiariæ respondent, non ligare extra Curiam, quia est tanquam jus prætorium, quod non ligat, nisi in suo tribunali, *Belluga in specul. rub.* 11. *n.* 8. *&* 9. *ibi Camill. Borel. lit. F. Capella Tolos. decis.* 115. *n.* 3. *Diana resol.* 42. *tract.* 10. *tom.* 1. *Covall. q.* 737. *n.* 20.

Contraria tamen sententia est magis communis, & praxi recepta etiam extra Curiam, ut contineantur etiam mulieres non prætextu licentiarum intrantes, ita *Navar. cap.* 27. *n.* 150. §. 61. *Quaranta, verb. Monasteria*, post Bullam Pii V. pag. 306. *Cherub. super dicta Bulla Greg. XIII. schol.* 1. *Gordonus lib.* 6. *quæst.* 5. *n.* 130. *Sanchez lib.* 6. *c.* 16. *n.* 79. *& cap.* 17. *n.* 35. qui fundat se in Bulla Pii V. non in Bulla Gregorii, *Bonac. de clausur. quæst.* 5. *punct.* 2. *& punct.* 3. & facit, quod stylus Curiæ interpretativus Constitutionis Papæ, ubique servandus est, *Rot. decis.* 196. *n.* 2. *part.* 1. *Recent.* & ita videmus, passim recurri ad Sedem Apostolicam pro tali absolutione.

☞ *Auctori adhæret etiam Ludovicus de Ameno de delict. & pœn. tom.* 3. *tit.* 4. §. 8. *n.* 49.

Circa ingressum mulierum in clausuram Regularium hodie attendenda est Constit. Bened. XIV. Regularis disciplinæ 3. *Jan.* 1742. *in qua inter abusus recenset, ac improbat mulierum ingressum in monasteria Regularium, etiam occasione publicarum supplicationum, aliorumque casuum ab Auctore relat.* §. Item, *ibi*, Quoniam autem, sicu dolentes accepimus, alii quidem apostolicas leges, ac præcepta hujusmodi, vel ausu temerario parvipendentes, vel ad eorum arbitrium interpretantes, fœmiois quibuscunque aditum, ingressumque tam manifeste, ac tanta solemnitate vetitum, permittunt: alii vero privilegia, indulta, prærogativas, facultates, licentias, & alias quocunque pacto excogitatas concessiones, sibi sive a jure, sive ab homine factas, & impertitas, seu facta, & impertita, ac quorumcunque munerum, dignitatum, ac præeminentiarum ratione debitas, seu debita arrogantes, prætendentes, obtendentesque, fœminas quaslibet intra monasteriorum claustra, septa, cœnacula, cubicula, aliasque officinas aut admitti, ac recipi sinunt, mandantque, aut una secum ducunt; alii deinque sub pietatis, ac religionis prætextu, cum supplicationes, sive cum Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, sive cum sacris Sanctorum, Sanctarumque reliquiis, statuis, & imaginibus per claustra, septa, & alia monasteriorum loca de more, ut asserunt, habentur, sine ullo prorsus discrimine masculos, & fœminas supplicationes hujusmodi per eadem loca sequi, & comitari licitum, quinimo, ut Indulgentias lucrari valeant, necessarium esse ostendunt.

Primo itaque constituit, hæc omnia abolere, ac improbare.

Secundo abolet, et revocat quascunque facultates, licentias, et quocunque alio pacto nuncupatas concessiones factas, sive per S. R. E. Cardinales, sive per eorumdem Congregationes, sive per Legatos a latere, vel apostolicos Nuncios, et Internuncios. — Quocumque modo, ac tenore, & sub quibuscunque verborum formis expressas. —

Tertio, declarat subjectos censuris, absque alia declaratione ipso facto incurrendis, Papæ reservatis, iis facultatibus temere uti audentes.

Quarto, declarat hac sua Constit. non derogatum esse — iis concessionibus, quæ ad favorem quarumcunque nobilium fœminarum, ex eo, quod sive earumdem majores, ac pro tempore existentes de familia, fuerint, & habeantur fundatores, vel insignes benefactores illius monasterii, intra cujus claustra, vel septa fœminas, etiam de familia, ingredi, vel concessum, vel cautum esse sibi voluerunt, & de concessione hujusmodi confirmationem ab apostolica hac S. Sede obtinuerunt, sive fœminæ hujusmodi sint consanguineæ, & affines eorum, qui sunt domini in temporalibus locorum, in quibus monasteria sita reperiuntur, & quacunque legitima tituli, vel consuetudinis causa, & occasione, ingressu hujusmodi de præsenti gaudent, factæ, & impertitæ fuerunt: dummodo concessiones hujusmodi per apostolicas in simili forma Brevis, vel sub plumbo desuper expeditas litteras dumtaxat, & non aliter omnino factas, & impertitas fuisse prius Ordinariis locorum, Antistitibus, vel Præsulibus, per legitima, & authentica documenta constare fecerint: & dummodo oec vagandi, nec otiandi, nec comedendi, cœnandique, nec per ambulacra, cubicula, cœnacula, aliaque loca, et officinas discurrendi causa, sed ad Ecclesias accedendi, sacrosanctum missæ Sacrificium audiendi, aliaque erga Deum pietatis officia, et opera exercendi studio ingrediantur: et dummodo de earum adventu, et ingressu, interdiu, et opportune faciendo, Superiores pro tempore existentes prius certiores fiant, ad hoc, ut absque Fratrum incommodo, et offensione, recto tramite ad Ecclesiam pergatur, et alia de jure servanda, serventur. — ☜

CAPUT III.

Clausuram Regulares viri violantes per introductionem mulierum.

I. EX Bulla supra allegata Pii V. *Regularium*, 20. vel 22. fertur sententia suspensionis a divinis ipso facto incurrendæ contra Superiores locorum eorumdem, et alios particulares religiosos, seu eorum subditos, præsumentes admittere fœminas, vel introducere in monasterium, seu conventum. Hæc suspensio non est reservata, *Sanch. c.* 17. *n.* 41. *lib.* 6. Procedit autem, ut patet, non solum contra Superiores, sed & alios quoscunque, ut notat *Sanch. lib.* 6. *c.* 17. *n.* 35. *in fine*. Requirit autem dolum, seu scientiam, *Sanch. c.* 17. *n.* 36. & procedit etiam de introductione non prætextu licentiarum, secundum veriorem sententiam; & ita declaravit Pius V. alia Bulla *Decet Romanum*; quæ tamen, ut dixi *cap. præced.* non fuit publicata in locis Urbis consuetis: fuit tamen ad praxim deducta.

II. Ex Bulla Gregorii XIII. allegata supra *cap. præced.* fertur

tur excommunicatiu Papæ reservata, contra Abbates conventus, & alios monasteriorum Superiores, & personas quocunqoe nomine voceotur, io monasteria, domus, & loca sua mulieres, quocunque prætextu facultatum ibi revocatarum, ingredi facientes, aut permittentes.

Amplia, quod licet hæc Bulla videatur loqoi de admissione mulierum prætextu facultatum; tamen magis commoniter, & in praxi observatur; etiamsi non eo prætextu inducantur: ita de praxi totius Italiæ testator *Beya resp. part. 1. casu* 30. & ita respondisse Gregor. XIII. ait *Villagut tract. de usur. quæst.* 35. *n. ult.* tenet *Azor. lib. 3. c.* 8. *quæst. ult. tom.* 1. *Filiuc. tract.* 15. *n.* 118. etsi contrariom dicant *Sayr. lib. 3. de censur. c.* 31. *n.* 13. *Sanchez lib. 6. cap.* 16. *n.* 79. *Suar. de censur. disput.* 22. *sect.* 6. *num.* 22. *& alii*.

Amplia, quod hic non requiritur dolus, sed sufficit culpa lata. Limitant aliqui, hic non contineri religiosos subditos, sed superiores: ita *Sanchez c.* 16. *n.* 84. *Cherubin. super eadem Bulla*, *Roderic. quæst.* 47. *art.* 3. *tom.* 1. est contra *Suarez de censur. disp.* 22. *sect.* 6. *n.* 14. *Filiuc. tract.* 15. *n.* 118. *&* 119. *Quaranta loco cit. super hac Bulla*.

III. Ex Bolla prædicta Pii V. & Greg. XIII. Regulares omnes introducentes, ot supra, incurrunt pœnam privationis officiorum, & inhabilitatem ad illa, sine alia declaratione, scilicet pœnæ commissæ, ut dixi *par.* 1. *cap.* 5.

IV. Ex Bulla Greg. XIII. prædicta, præfati Superiores locorum regularium, & secundum probabilem etiam alii particulares religiosi, incurrunt eo ipso privationem beneficiorum suorum, & inhabilitatem ad hujusmodi. Vide *Sanch. c.* 17. *n.* 35. obi notat hanc differentiam.

Quæres, an omnes istæ pœnæ ligent ante sententiam declaratoriam? respondeo: aliqui dicunt, solas censuras ante senteotiam ligare, non autem alias; ita *Suarez* de magis communi testatur *tom.* 4. *de relig. lib.* 1. *c.* 7. *in fine*. Alii vero dicunt, pœnam iohabilitatis obligare ante declaratoriam criminis commissi; & hæc est magis communis, ot dixi *part.* 1. *cap.* 28. *quæst.* 4. Vide quæ dixi in *dict. c.* 28. & ubi quid nomine officiorum intelligatur.

Sed hic adverte, quod sacra Pœnitentiaria, quando absolutionem, vel dispensatiooem concedit Regularibus super introductione mulierum intra claustra ad malum finem, scilicet luxuriæ, solet decernere, ut remaneant privati officiis, & dignitatibus sui Ordinis, & inhabiles in futurum ad similia; quia non intendit cum talibus dispensare in totum, sed soper sola irregularitate, si celebrarunt in talibus censuris: quando antem introdoctio non fuit ad malum finem, tunc solet in totum eos rehabilitare.

CAPUT IV.

Clausuram monialium violantes, ingrediendo sine licentia a Prælato monasterii in scriptis, in ordinariis necessitatibus concedenda.

EX *cap.* 1. *de stat. regul. in* 6. nulli aliqnatenus inhonestæ personæ, nec etiam honestæ, nisi rationabilis, & manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertiouerit, speciali licentia, ingressos, vel accessus pateat ad easdem; & Trid. *sess.* 25. *c.* 5. *de regul.* ingredi intra septa monasterii nemini liceat cujuscunque generis, conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel superioris licentia in scriptis obtioenda, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda. Dare autem tantum Episcopus, vel soperior licentiam debet in casibus necessariis, neqoe alius ollo modo possit, etiam vigote cujuscunque facultatis, vel indulti hactenus concessi, vel in posterum concedendi. Hoc decretum confirmatum est a Greg. XIII. Bulla 28. *Ubi gratiæ* §. 4. de qua infra. Quinam antem sint isti casus necessarii, vide *Bonacin. de clausu. quæst.* 4. *pun.* 4. *per totum*, ubi inter alios recenset necessarium famolatum, qui per Conversas monasterii sofficienter subministrari, seu exerceri non possit.

Hæc excommonicatio, quatenus ex vi hujus decreti, non est reservata, *Sanchez lib.* 6. *cap.* 16. *n.* 71. *Tolet. lib.* 1. *c.* 41. §. 8. Si tamen violatio fiat clausuræ per ingressum ad malum finem, idest luxuriæ, extra Urbem Romam per totam Italiam, est reservata Papæ, ut neque privilegiati possint absolvere, ex decreto S. Congreg., seu Clementis VIII. de quinque casibus reservatis, de quo dixi supra, *verbo Absolutio*, *c.* 3. & ita notat *Filiuc. tract.* 15. *n.* 119. & dicam *cap.* 7.

Item secundum opinionem multorum, quam sequitur stylus Curiæ, in omni casu, etiamsi ingressos fiat non ad malum finem, excommunicatio est Papæ reservata ex aliis Constitutionibus, de qoibus dicam *num. seq.* ut neque Episcopus possit absolvere; nisi tamen casus sit occultus, juxta *Trid. sess.* 24. *c.* 6. *de reform. Sanch. lib.* 6. *c.* 25. *n.* 76. *Bonac. de clausura quæst.* 1. *pun.* 5. *n.* 1.

Incorrunt autem hanc excommunicationem *Tridentini* etiam intrantes cum licentia, sed subreptitia ex falsis narratis, *Sanchez c.* 16. *n.* 73. An antem iocurrant ingredientes cum licentia, sed non in scriptis obtenta? multi affirmant, ut *Sanch. c.* 16. *n.* 31. *Confect. de privileg. Mendic. tit.* 20. *c.* 6. *Suar. tom.* 4. *de relig. lib.* 1. *c.* 10. *n.* 15. Alii negant, ut *Homobonus*, *& Bellocchius apud Dianam resol.* 129. *tract.* 2. *tom.* 2. An autem ex hoc textu prohibeantur ingredi infantes, idest, ante usum rationis, itaot saltem introducentes iocurrant excommunicationem; communior negat, *Sanchez lib.* 6. *c.* 16. *n.* 5. *Diana resol.* 67. *tract.* 2. *tom.* 2. *Layman lib.* 4. *tract.* 5. *c.* 12. *n.* 2.

☜ *Negativam etiam sententiam amplectitur Reiffenst. lib.* 3. *tit.* 35. *de statu Monachor.* §. 2. *n.* 39. *cum DD. ibi cit. Paulus tamen Comitulus Societ. Jesu cum aliis, affirmativam tenet, Respons. Moral. lib.* 6. *quæst.* 19. *n.* 6. *testaturque ita etiam rescriptum fuisse a Cardinali S. Severinæ Majori Pœnitentiario ad Neapoleonem Episcopum Perusinum, cujus literas dicit insuper se legisse. Idem mordicus sustinet Matthæuccius Official. Curiæ c.* 32. *n.* 22. *ubi refert plura Sac. Cong. decreta hoc declarantia, & de stylo Curiæ dicit, introducentes absolvi a Sede Apostolica. Et quidem merito: cum enim in cit. Constit.* Ubi gratiæ *prædictis prohibeatur, ne ingredi faciant, vel permittant* — Quemquam — *hoc generali nomine comprehenduntur omnes cujuscunque ætatis sint: potissimum cum dicta Constitut. sit ampliativa cit. Triden. decreti, a quo prohibitus erat dumtaxat ingressus cuicunque cum clausula* — Cojuscunque ætatis fuerit — *ab hac autem prohibetur introductio, ideoque relationem necessario habere debet ad eos omnes, quibus Triden. ingressum prohibuit.* ☞

I. Adverte, quod facultas generalis concessa, v. gr. Abbatissæ, ad concedendas licentias, noo requiritur, ut sit in scriptis, neque licentia concessa pro ingressu in necessariis casibus debet esse toties, quoties, sed potest esse generalis pro casibos specificatis, ex *c.* 1. *de stat. regul. in* 6. *& Diana resol.* 129. *tract.* 2. *tom.* 2. cum aliis Doctoribus.

II. Alia excommunicatio Papæ reservata, lata est ex Bulla Gregorii XIII. 28. vel 36. *Ubi gratiæ*, contra quascunque personas, etiam Comitissas, Ducissas, aut Comites, Marchiones, Duces, ingredi audentes, prætextu facultatum ibi revocatarum, clausuram Monialium.

III. Excommunicatio simili tenore etiam lata est a Paulo V. Bulla 47. vel 74. quæ incipit, *Monialium*.

Advertendum, qood licet hæ Constitutiones videantur loqoi de ingredientibus prætexto dictarum facultatum, tamen ex stylo Curiæ intelliguntur generaliter etiam de intrantibus sine tali prætextu: ita etiam tenent *Navar. Beya*, *Villagut. Azorius Zecchius*, *& Graff. apud Sanch. lib.* 6. *c.* 16. *n.* 77. *in fin. Cherub. in Compend. super Bulla* 28. *Gregorii XIII. Bonac. tract. de suspens. punct.* 5. *n.* 35. etsi contrarium teneat *Suarez de censur. disp.* 22. *sect.* 6. *n.* 14. *Sayr. lib.* 3. *c.* 31. *n.* 10. *Sanch. n.* 78. *&* 79. *Diana resol.* 23. *tract.* 4. *tom.* 1. *resolut.* 32. *miscell.* 2. *tom.* 1. *Barbos. allegat.* 102. *n.* 37.

Adverte secundo, qood ex alia Bulla Pauli V. 52. vel 33. *Facultatum*, declaratur, quod quoties facultas a Sede Apostolica conceditur alicui, v. gr. mulieri, etiam Comitissæ, Marchionissæ, Ducissæ, ingrediendi aliqua monasteria monialium certis vicibus, v. gr. bis, intelligitur illa particula *bis*, aut similis, collective, id est, de omnibus monasteriis concessis, non autem distributive, seu de singulis: & additur, ut mulieres aliter tales licentias interpretantes, aut illis utentes, seo abutentes, incurrant ipso facto pœnas ex *Conc. Trid. & Constit. Apostol.* inflictas intrantibus sine licentia.

Hoc autem, quod ibi dicitur de interpretantibus, *Cherubinus ibi* videtur intelligere, ot incurrant dictas censuras ob meram interpretationem speculativam: sed contra dicendum est, qoia accipi debet de interpretatione practica, seu non separata ab ipso osu, quia dictio alternativa, *aut*, vel, *seu* &c. posita post genus, resolvitur in expositivam, seu declarativam, *Rota recent. part.* 1. *decis.* 300. *n.* 26. & idem est, quando alias recederetur a jure communi, & fieret dispositio exorbitans, cum debeat sic intelligi, ut juri communi magis adaptetur: & de tali interpretatione, quæ sufficiat ad incurrendas pœnas violationis clausuræ, ot in simili *Seraph.* de-

decis. 393. *n.* 7. 8. *&* 9. ubi quod in tali casu dictio alternativa potest stare expositive.

☞ *Nota circa licentiam, de qua supra §. Ex c. 1. si agatur de monialibus exemptis, & Regularibus subjectis, declaratum est decreto Cong. Conc. approbato ab Urb. VIII. 13. Nov. 1620. & relato a Bened. XIV. lib. 13. de Synod. Diœc. edit. Pat. an. 1756. c. 12. n. 23. hanc dandam esse in scriptis, tam pro ingressu in casibus necessariis, quam pro accessu ad loquendum cum ipsis, nedum ab earum Superioribus, sed etiam a locorum Ordinariis, non obstante, quod Tridentin. loc. in eod. §. cit. utatur particula disjunctiva. Imo ex altero decreto ejusdem Cong. a dicto pariter Pontifice approbato 21. Maji 1630. relat. cit. n. 23. sufficit tantum ipsorum Ordinariorum licentia, ubi viget consuetudo, ut ab iisdem dumtaxat petatur.* ☜

CAPUT V.

Clausuram monialium violantes per introductionem quorumcunque sine licentia legitima.

NOta, quod moniales, sive alii aliquem introducentes, seu intrare permittentes in clausuram sine licentia legitima, non incurrunt excommunicationem ex vi decreti *Trid. sess.* 25. *c.* 5. *de Regul.* quia de iis nulla est facta mentio, sed solum de ipsis intrantibus, *Sanchez lib. 6. cap.* 16. *n.* 71. *Diana resolut.* 34. *miscell.* 2. *tom.* 1.

I. Ex Bulla Gregor. XIII. *Ubi gratiæ* 36. vel 28. fertur excommunicatio Papæ reservata, & pœna privationis dignitatum, beneficiorum, officiorum, & inhabilitatis ad hujusmodi contra Abbatissas, Abbates conventus, & alios superiores utriusque sexus monasteriorum monialium, & personas, quocunque nomine vocentur, si quemquam prætextu licentiarum, (quas ibi revocaverat Papa) ingredi faciant, vel permittant. Omnes istæ pœnæ sunt latæ sententiæ.

II. Ex Bulla Pauli V. *Monialium* 74. vel 47. fertur excommunicatio Papæ reservata, & privatio officiorum, & inhabilitas, contra monasteriorum monialium Abbatissas, priorissas & superiores alias, si quemquam prætextu licentiarum ibi revocatarum introducere, admittere, vel admissum quocunque modo retinere ausæ fuerint, aut præsumpserint.

Advertendum primo, quod licet hæ Constitutiones videantur loqui solum de admissione, vel retentione prætextu dictarum licentiarum ibi revocatarum, tamen ex stylo Curiæ, & multorum DD. sententia generaliter intelliguntur, etiamsi non eo prætextu id fiat, ut dixi supra *cap. præcedenti n.* 3. tametsi multi DD. etiam contrarium dicant; ex quorum sententia sequeretur, quod hodie introducentes, nullam incurrerent excommunicationem, aut pœnam latæ sententiæ.

Sed sistendo in priori sententia, praxi Curiæ, & totius Italiæ, recepta, videndum est, an solum incurrant superiores viri, vel fœminæ introducentes, an aliæ etiam personæ religiosæ particulares, masculi, aut fœminæ: & quidem *Sanchez lib. 6. c.* 16. *n.* 84. *Miranda man. tom.* 3. *de monial. quæst.* 2. *art.* 12. *concl.* 3. *Barbos. alleg.* 102. *n.* 33. *Roderic. quæst. regul. tom.* 2. *quæst.* 47. *art.* 3. *Diana resol.* 33. *&* 34. *miscel.* 2. *tom.* 1. dicunt, solum superiores contineri, non privatas personas, quia illam particulam, *& personas quocunque nomine vocentur*, in Bulla Gregorii XIII. positam, putant intelligi de personis eorum superiorum.

In Bulla vero Pauli V. solum superiores fœminæ exprimuntur. Contrarium tamen tenent *Lamas apud Sanch. ibi & Filiuc. tract.* 15. *n.* 119. asserentes, ex Bulla dict. Gregor. XIII. etiam privatas personas incurrere excommunicationem, & pœnas.

Adverte secundo, quod excepta excommunicatione, aliæ pœnæ secundum aliquorum opinionem non obligant in conscientia ante declaratoriam, ut dixi supra *cap.* 3. *in fine*.

☞ *Citatæ omnes Constitutiones, & aliæ ad monialium clausuram pertinentes, innovatæ, & confirmatæ fuerunt a Bened. XIV. Constit.* — Salutare — 3. *Jan.* 1742. *ubi insuper sub iisdem pœnis in eis contentis interdicitur ingressus in dictarum monialium clausuram quibuscunque personis, etiam S. R. E. Cardinalibus, Legatis a latere, & Nunciis, revocando, & annullando facultates ipsis fortasse hactenus concessas super hujusmodi ingressu, tam pro se, quam pro aliis: exceptis tamen locorum Ordinariis, aliisque superioribus, quibus, tamquam ordinariis, & ordinaria jurisdictione utentibus, dicta monasteria subjecta, & addicta sunt, in casibus necessariis, & servatis aliis de jure servandis. Quæ autem de jure servanda sint, habentur in Constit. Greg. XIII.* — Dubiis — *ut infra*.

Insuper in epistola ejusdem Bened. — Per binas — 24. *Jan.* 1747. *ad Episcopum Portugalliensem, statuitur per viam legis universalis, ne recipiantur in monasteria monialium tam educandæ, quam famulæ sine licentia Sedis Apostolicæ, toties, quoties opus fuerit impetranda, & prævio examine super earumdem moribus, fama, habilitate, & necessitate ab Episcopis, & non ab aliis quibuscunque superioribus faciendo, sub pœnis impositis contra frangentes clausuram monialium, tam in fœminas aliter admissas, quam in moniales, aliasque in monasteriis degentes, aliter admittentes.*

Hanc eamdem prohibitionem fecerat Cong. Episcop. & Regul. generali decreto edito 17. Maji 1603. relato a Lucio Ferraris Prompta Bibliotheca *littera & verbo* Episcopus *art.* 6. *n.* 117. *per hæc verba* — Nullatenus permittant Episcopi, puellas educationis causa in sanctimonialium monasteria introduci, nisi S. Cong. licentia suffultas — *si secus Episcopus permitteret, incurreret excommunicationem, prout eadem S. Cong.* 9. *Aug.* 1594. *monuit Archiepiscopum Pragensem, qui hoc attentaverat: ita refert Ferraris loc. cit.* ☜

CAPUT VI.

Clausuram monialium intrantes viri superiores ipsarum sine justa causa.

IN Bulla Gregorii XIII. incip. *Dubiis, quæ emergunt.* & habetur post 28. Constit. ejusdem Papæ *apud Cherubinum*, statutum est, ut Prælati monialium, tam seculares, quam regulares, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria prædicta, uti possint tantum in casibus necessariis, & paucis; iique, senioribus, ac religiosis personis comitati, etiamsi tales superiores sint Episcopi, aut Cardinales: alias transgressores, Episcopi quidem incurrant eo ipso interdictum ab ingressu Ecclesiæ pro prima vice: pro secunda autem suspensionem a munere pontificali, & a divinis: tertia autem, & ulteriori incurrant excommunicationem: superiores autem regulares incurrant pœnam privationis omnis officii monasterii, & excommunicationem similem.

Nota primo, quod hæ excommunicationes non sunt reservatæ, *Sanchez lib. 6. c.* 16. *n.* 98. *Filiuc. tract.* 15. *n.* 118. *in fine*: unde Episcopus, seu Prælatus, qui inciderit in hanc excommunicationem, antequam sit nominatim denunciatus, potest delegare facultatem sacerdoti, vel confessario, a quo ipse absolvatur, *Sanch. lib.* 8. *de matr. disp.* 3. *n.* 3. *Suar. de pœnit. dis.* 30. *sect.* 2. *n.* 3. quia dum non est denunciata excommunicatio, non privat eum jurisdictionis usu, ut de communi testatur *Sayr. lib.* 2. *c.* 2. *n.* 6. *de cens.* Et licet Episcopus, seu Prælatus excommunicatus peccet, ultro cum aliis communicando, etiam in usu jurisdictionis; tamen non procedit, quando ob bonum, & justum finem emendationis suæ, & pœnitentiæ uteretur. Post denunciationem vero non potest delegare, *Avila par.* 3. *disp.* 2. *dub.* 2. *concl.* 5. Similiter neque supradicta suspensio est reservata, neque interdictum illud; ideo potest Episcopus delegare hanc facultatem sacerdoti, a quo absolvatur, sive in Sacramenti confessionis actu, sive extra, cum ei competat ad id jurisdictio de jure communi.

Nota secundo, pœnam privationis officiorum non obligare in foro conscientiæ ante sententiam, ut *Sanchez lib. 6. c.* 16. *n.* 98. in terminis. Non incurrunt autem pœnam inhabilitatis ad similia, quia non est hic lata talis pœna, neque sunt inhabiles ad recuperanda ea, quibus sic privati simpliciter fuerint, *Suarez dis.* 30. *sect.* 1. *n.* 6. *Henriq. lib.* 13. *c.* 55. *n.* 1. secus esset, si fuisset apposita particula *perpetuo privati*, vel *ut depositi existant*, ut *Suar. & Henriquez ibid.*

Nota tertio, quod illa suspensio a munere pontificali, est suspensio ab exercitio pontificalium, non autem jurisdictionis episcopalis, quia in pœnis strictior fit interpretatio: hæc autem suspensio a pontificalibus quid importet, vide *Sayr. lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 14. *Avilam par.* 3. *dis.* 2. *dub.* 2. *concl.* 10.

Nota quarto, quod hæ pœnæ non militant contra Vicarios generales, vel Prælatos seculares, Episcopis inferiores, habentes quasi episcopalem jurisdictionem in Moniales, ingredientes; quia hic non sunt expressi; neque aliam censuram incurrunt, aut pœnam latæ sententiæ, quia nullibi lata est, *Sanchez c.* 16. *n.* 99. *Bonac. de Clausura q.* 4. *punct.* 1. *n.* 11. Neque procedunt contra Prælatos intrantes ex causa necessaria, sed associatos a multis, vel junioribus, vel secularibus, ut *Sanch. n.* 100. sed solum, si sine causa necessaria intrent; & idem tenet *Bonac. loco cit. n.* 12.

☞ *Ex Constit. Alex. VII.* — Felici — 13. *Kalen. Nov.* 1664.

pro Italia, & Insulis adjacentibus, nova excommunicatio, ac privatio officiorum; præterea inhabilitas ad illa, ac privatio vocis activæ, & passivæ ipso facto absque alia declaratione incurrenda (quæ tamen pœnæ non sunt reservatæ) lata est in eosdem superiores, contra quascunque ordinationes, & regulas infra præscriptas facere, vel moliri præsumentes, aut adimplere negligentes, videlicet

I. Si ultra unam vicem quolibet anno ex causa visitationis, monialium septa ingressi fuerint: atque ita, ut si eo anno Provincialis visitaverit, eodem anno Generalis visitare nequeat.

II. Si causa reparandæ clausuræ pluries ingrediantur sine præsentia Episcopi diœcesani, vel alterius ecclesiastici ab eo ad hoc deputati.

III. Si non visitent per seipsos, sed per substitutos, tam in visitatione locali, quam personali: personali quidem peragenda ad crates extra septa; locali vero cum assistentia quatuor monialium ex senioribus, nunquam separandis a visitatore, ejusque sociis, unica die post ortum, & ante occasum solis, nulla sumpta in monasterio refectione: reliquis interim monialibus, & puellis secularibus in monasterio degentibus, convenientibus in choro ante ingressum visitatoris, ibique permanentibus, quo usque ipse egrediatur cum sociis. Visitator autem, si sit Generalis, possit secum ducere duos socios sui ordinis: si alius a Generali, unum tantum, numquam in actu visitationis ad invicem separandos.

IV. Si non separaverint a monasterio habitationem confessarii, tam per parietes, quam per tecta; in qua præter ipsum, ejusque socium, nemo alius regularis, etiamsi superior sit, pernoctare possit.

V. Si Confessarius tam ordinarius, quam extraordinarius ingrediatur monasterium, præterquam in casu administrationis Sacramentorum, & commendationis animæ agonizantium: & tunc si ingrediatur sine socio probatæ vitæ, ac maturæ ætatis: qui ita manere debet, ut semper ad invicem videri possint. Et nota, quod si extra dictum casum ingrederetur, excommunicationem reservatam incurreret, ut dictum est supra cap. 4. §. Item.

Præterea in cit. Constit. statuitur, ut Episcopus, tamquam delegatus Sedis Apostolicæ, dictos superiores contravenientes corrigere, & punire valeat, non obstantibus eorumdem privilegiis, & exemptionibus. ☜

CAPUT VII.

Clausuram Monialium violantes, intrando ad malum finem.

I. EX decreto sacræ Congregationis casus violationis hujusmodi est reservatus Papæ per totam Italiam extra Urbem Romam, cum derogatione ad omnia privilegia, etiam Regularium. Vide *Thes. fori Eccles. par. 3. cap. 38. n.* 171. *Barbosa allegat.* 50. *n.* 186. ubi illud refert ad extensum: & absolvens prætextu privilegiorum ab hoc casu ex præsumptione, incurrit excommunicationem Papæ reservatam, & privationem officiorum, & inhabilitatem ad illa, de qua re dixi supra *verbo Absolutio cap.* 3.

☞ *Circa confessarios habentes privilegia absolvendi a casibus Papæ reservatis, vide Additiones meas supra post cap. 3. verbo* Absolutio *pag.* 51. ☜

Intellige ad malum finem, id est, luxuriæ, *Graff. lib. 1. de Casibus reservatis cap. 3. n. 9. 11. &* 54. non tamen continetur casus, quo quis cum legitima licentia ingressus, ibi deinde subsistit, & fornicationis, seu luxuriæ peccatum cum moniali committit, *Diana resolut. 67. tract. 2. tom. 2.* cum ibi allegatis. Possunt autem Episcopi absolvere ab hoc casu, si sit occultus, quia non est derogatum (in hoc) decreto *Concilii Tridentini sess. 24. cap. 6. de reform. Diana resol. 35. miscell. 2. tom. 1.* cum multis Doctoribus.

☞ *Circa absolutionem ab hoc casu, cum reservatus sit Papæ post Concilium Trident. attendenda est limitatio, quam vide in mea Additione supra post cap. 33. pag. 21.*

Et nota hic obiter, quod Bened. XIV. in Constit. -- Convocatis -- 1. *Decembris 1749. impertiendo Pœnitentiariis in Basilicis, & Ecclesiis Urbis facultatem absolvendi intra Annum Sanctum 1750. violatores clausuræ monialium ad malum finem, eam non aliter, etiam in casibus occultis, se concedere declaravit n. 28. nisi sub hac conditione, videlicet, ut eis imponerent* -- prohibitionem accedendi in posterum ad quævis monasteria, & Ecclesias monialium, monendo pœnitentes hujusmodi, ita ipsos absolvi a censuris ob relatam violationem incursis, ut si impositam istam prohibitionem non servaverint, relabantur eo ipso in easdem censuras. -- ☜

II. Peccatum fornicationis cum moniali est sacrilegium gravissimum contra votum castitatis ejus, vel etiam contra consecrationem: & est crimen depositione dignum in clericis, *Bernard. Diaz. cap. 84. praxis, Farinac. q. 146. n. 26. tex. cap. Si qua 27. q.* 1. unde condemnatus de hoc crimine, efficitur eo ipso de jure infamis, & irregularis, per ea, quæ dixi *par. 1. cap. 33. §. Secundo modo:* & est detrudendus in monasterium, seu ergastulum ad pœnitentiam, ex *eod. text.* Sed hodie aliter punitur arbitrio judicis loco dictæ detrusionis, *Menoch. de arbitr. lib. 2. casu 360. n.* 58. Laicis autem de jure statuta est pœna mortis, *Auth. de sanct. Episc. §. penult. cap. Si quis rapuerit 27. quæst. 1. Farinac. q. 146. §. Sacrilegium n.* 3. Hæc pœna non habet locum pro copula attentata, nisi sit cum raptu saltem attentato, *Farin. q. 145. §. Rapiens monialem n.* 1. & in hoc casu etiam condemnatus efficeretur infamis.

☞ *Circa pœnam mortis statutam contra laicos, Ludovicus de Ameno tom. 3. de delict. & pœn. tit. 4. §. 9. n. 16. testatur, non servari in praxi* -- nisi interveniat aliqua vis, prout in raptu vero, aut sit cum penetratione nocturna intra clausuram cum aliqua violentia illata moniali: si enim ex condicto sacrilegium committitur, sive intra, sive extra claustra sit, non exceditur pœna triremium ad vitam pro viro, & pro moniali privatio veli, & aut longa, aut perpetua reclusio in carcere, juxta circumstantias delicti; & sic vidi sæpius practicatum. -- ☜

De jure canonico laicus ob fornicationem præfatam, etiam sine violatione clausuræ, est excommunicandus, ex *dict. cap. Si qua, & cap. Virginibus ibid.* tametsi *Aloys. de Leo. in rub. Codd. de rap. Virgin.* dicat, illam esse excommunicationem latæ sententiæ; quod sentit *Menoch. de arbitrar. casu 389. n.* 24. sed sine fundamento.

CAPUT VIII.

Clausuram violans monialis, exeundo extra casus a jure permissos, & illi cooperantes.

EX *cap. 1. de stat. regul. in 6.* statuitur, ne moniales tacite, vel expresse professæ, valeant quacunque ratione, vel causa (nisi forte tanto, & tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quod non posset cum aliis absque gravi periculo, seu scandalo commorari) monasterio egredi.

Ex *Trident. sess. 25. c. 15. de Regul.* nemini Sanctimonialium liceat post professionem exire e monasterio, etiam ad breve tempus, nisi ex aliqua legitima causa ab Episcopo approbanda; indultis, & privilegiis quibuscunque non obstantibus.

Ex Bulla Pii V. *Decori*, octava, declaratur ad prædictum egressum requiri causam urgentem, magni incendii, lepræ, aut epidemiæ, cum licentia, & approbatione Prælati monasterii, & Episcopi simul, etiamsi monasterium sit sub superiore regulari: & ea licentia debet esse in scriptis, quando de infirmitate agitur: deinde addit:

Aliter, ut præfertur, egredientes, & licentiam exeundi concedentes, & comitantes, & receptantes, incurrere excommunicationem latæ sententiæ Papæ reservatam. Item tam ipsas egressas, quam præsidentes, & alios superiores prædictos licentiam dantes, incurrere ipso facto privationem officiorum, & administrationum, & inhabilitatem ad illa, & alia hujusmodi obtinenda.

Hanc Bullam, & pœnas explicat *Sanch. lib. 6. cap. 15. in decalogum n. 63. & seqq.* vide etiam *Barbos. in d. cap. 1. de stat. regul. in 6.*

☞ *Eamdem pœnam incurrit monialis, ascendens supra tectum, cum vere dicatur esse extra ambitum, & terminos clausuræ; ut etiam declaravit* Cong. Conc. in Comen. & *Licien. 16. Sept. 1709.* ☜

Absolvere a dicta censura potest Episcopus vigore *Tridentini sess. 24. cap. 6. de reform.* si casus sit occultus, (quod vix potest contingere) *Sanch. cap. 15. n.* 76. Et idem de dispensatione super dictis pœnis privationis, & inhabilitatis dicendum aliqui dicunt, alii negant, ut apud *Sanch. n. 77. & 78. ibid.* sed de hoc dixi *par. 1. cap. 23. & cap.* 28. Et quod dicitur de Episcopo, idem per extensionem dicunt de Prælato regulari, *Sanch. cap. 15. n. 77. Bonac. de clausura q. 1. punct. 5. n.* 5. Privilegiati autem poterunt absolvere, etiamsi

jamsi casus non sit occultus, ab excommunicatione, etiam in Italia, quia decretum Clementis VIII. de quinque casibus, loquitur tantum de violatione clausuræ monialium per ingressum ad malum finem, non per egressum, & ita *Sanch. cap. 17. n. 42. & 43.* Sed memento, quod quoad moniales absolvendas, debet esse confessarius a Diœcesano approbatus specialiter pro monialibus, ex Bulla Gregorii XV. *Inscrutabili.* Vide de hac re *Dianam resol. 29. tract. 2. tom. 2.*

☞ *Circa facultatem tributam Episcopis a Tridentino cap. 6. sess. 24. quoad absolutionem a casibus papalibus occultis, vide limitationem supra par. 1. ad cap. XXIII. post §.* Dico *6. pag. 21.*

Circa absolutionem a casibus contentis in Decreto Clementis *VIII. vide notata supra post cap. III. verb.* Absolutio *pag. 51.* ☜

Limita etiam, quod non requiritur licentia, quando grave periculum esset in mora eam expectandi, ut in gravi subito incendio, terræmotu, ruina &c. *Sanch. n. 70.* Neque incurrunt in dictam censuram, & pœnam comitantes, vel receptantes monialem egressam in gravi necessitate illius ex misericordia, *Barbos. in d. cap. 1. n. 20.* cum Doctoribus allegatis.

☞ *Nota I. ex cit.* Constit. -- Inscrutabili -- *sub die 5. Febr. 1622. Regulares no audire quidem posse confessiones monialium iisdem subjectarum sine dicta approbatione: posse vero Episcopos confessarios sic deputatos toties, quoties opus fuerit, amovere, si eorum superiores moniti detrectaverint, vel negligentes fuerint in illis removendis. Imo approbati in confessarios ordinarios pro uno monasterio, non intelliguntur approbati pro altero; nec approbati pro una vice, expleta deputatione, audire possunt sine nova approbatione, toties, quoties, earumdem monialium confessiones ex declaratione* Clem. X. Constit. Superna *21. Jun. 1670.*

Nota II. ex decreto Concil. *Trident. sess. 25. cap. 10. quod Episcopi, aliique monasteriorum Prælati subjectis sibi monialibus præter ordinarium, extraordinarium confessarium bis, aut ter in anno exhibere tenentur. Quod decretum declaratum, & ampliatum est a Bened. XIV.* Constit. -- Pastoralis -- *5. Augusti 1748. decernente*

1. Confessarium extraordinarium teneri audire omnium monialium, aliarumque in monasterio degentium confessiones; illas autem ad id non arctari, sed debere tantum coram illo se sistere, saltem ad salutaria monita, etiam extra confessionem accipienda; idque ad tollendas suspiciones, & oblocutiones contra respective ad eum accedentes, & non accedentes, juxta edictum Clementis *XI. cujus extraordinarii deputationem cupit Benedict. extendi ad omnes mulierum communitates.*

2. Hunc regulariter deputandum esse ab eo, ad quem spectat ordinarii confessarii electio, & deputatio.

3. Si Episcopus neglexerit extraordinarium deputare, deputandum esse a Cardinali *Majori Pænitentiaria, si requisitus fuerit a monialibus, ex approbatis tamen a locorum Ordinariis pro excipiendis monialium confessionibus. Si vero hanc deputationem neglexerit Prælatus regularis, deputandum esse ab ordinariis locorum.*

4. Tam Episcopum, quam Prælatum regularem teneri peculiarem confessarium concedere moniali graviter ægrotanti, si illum petat: sicut & illi, quæ licet non infirma, obfirmate tamen recuset confessario ordinario confiteri. Iste autem peculiaris confessarius assignandus a Prælato regulari, semper debet esse ex approbatis ab Episcopo pro monialibus. Quod si ille, cui monialis Regularibus subjecta confiteri cupit, non sit ex approbatis, tunc Episcopus eumdem approbet pro tot vicibus, quot expedire judicaverit.

5. Posse Episcopum juxta decretum Cong. Concil. *ann. 1573. a Greg. XIII. approbatum, assignare semel, vel pluries peculiarem confessarium tam secularem, quam regularem alterius Ordinis eidem moniali Regularibus subjectæ, reluctanti confiteri ordinario confessario.*

6. Non esse interdictum pluries, etiam quam tribus vicibus in anno extraordinarium nedum omnibus, sed etiam singulis monialibus offerre, si non ex animi levitate, neque ex indiscreta affectionis singularitate illum petant; quod remittitur judicio, & discretioni Prælatorum.

7. Quoscunque superiores regulares teneri bis, aut ter in anno deputare hunc extraordinarium monialibus sibi subjectis, qui saltem semel in anno sit ex clero seculari, aut ex alio Ordine regulari, tributa facultate Episcopis supplendi eorumdem defectum, appellatione remota.

8. Ordinarium confessarium, durante extraordinario, audire non posse confessionem cujuscunque intra monsterium, aut piam domum degentis, etiam superiorissæ, novitiæ, seu conversæ sub pœnis arbitrio Prælatorum, quorum regimini monasteria, aut piæ domus subjectæ sunt.

9. Extraordinario, sive communitati, sive alicui in monasterio degenti peculiari deputato, expleta suo munere, interdictum esse accessum ad idem monasterium sub pœnis in accedentes ad moniales, & cum ipsis conversantes, præsertim Regulares, statutis.

Quæ autem pœnæ statutæ sint contra accedentes ad moniales, sive regulares sint, sive clerici seculares, sive laici, vide infra post cap. 4. verbo -- Monialis. -- ☜

CAPUT IX.

Clausura monialium restituendæ, aut conservandæ moniti ab Episcopo, Magistratus seculares auxilium non præstantes.

EX *Trid. sess. 25. cap. 5.* præcipitur Episcopis sub interminatione maledictionis æternæ, ut in omnibus monasteriis, etiam exemptis, vel aliis Prælatis regularibus subjectis in ipsorum diœcesi, clausuram, ubi violata fuerit, seu disrupta, diligenter restituant, inobedientes per censuras ecclesiasticas, & alias pœnas, appellatione remota, compescendo; invocato etiam, si opus fuerit, auxilio brachii secularis: hortaturque Sancta Synodus principes, ut tale auxilium præbeant, & præcipit omnibus magistratibus secularibus sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ut moniti tale auxilium præstent, sed non est excommunicatio reservata, *Sayr. lib. 3. cap. 34. n. ult.*

Hæc itaque excommunicatio solum est contra magistratus, non contra principes, *Sanchez lib. 6. cap. 15. n. 22. Filiuc. tract. 14. n. 172.* & non procedit, nisi ii fuerint de tali auxilio requisiti, *Barbos. alleg. 50. n. 174. de cens. disp. 23. sect. 7. n. 7. Toletus lib. 1. can. 41. §. Septima, Filiuc. ibidem.*

☞ CAPUT I.

Complex delicti contra sextum præceptum.

Vide *verbo* -- Absolutio -- *cap. XI. pag. 52.* ☜

☞ CAPUT II.

Complicis nomen Confessarius exquirens a pœnitente.

Vide *infra verbo* -- Confessarius -- *cap. V.* ☜

CAPUT I.

De Conceptione Beatæ Virginis Mariæ opiniones impugnans.

I. SIxtus IV. *Extrav. Grave nimis de reliq. & vener. Sanct.* fert excommunicationem Papæ reservatam, contra omnes, qui præsumunt asserere, peccatum mortale esse, aut hæresim, affirmare, B. Virginem conceptam esse sine peccato; aut peccatum esse, ejus Conceptionis officium celebrare, aut conciones, vel sermones in illius laudem audire: & contra eos, qui præsumunt libros, quibus prædictæ assertiones continentur, pro veris legere, tenere, vel habere: necnon contra eos, qui audent asserere, peccatum mortale esse, aut hæresim, affirmare, Beatam Virginem conceptam esse cum peccato originali. Hæc Constitutio confirmata est a *Triden. sess. 5. de peccato originali*, & a Sixto V. & Paulo V. & Gregor. XV. in suis Decretis. De hac Constitutione vide *Toletum lib. 1. cap. 36. in fine, Suarez de censur. disp. 22. sect. 5. n. 35. Filiuc. tract. 15. n. 91. Bonac. de censur. in partic. disp. 2. quæst. 3. punct. 34. n. 2. Barbos. in dict. Extrav. Grave.*

II. Ex Bulla Pii V. *Super specula* 114. fertur pœna suspensionis a divinis ipso facto incurrenda contra quemcunque in sacris constitutum, & pœna privationis graduum, dignitatum, & administrationum, & inhabilitatis ad hujusmodi (cum reservatione Summo Pontifici dictæ censuræ, & pœnarum) contra omnes ecclesiasticos, qui in popularibus concionibus, aut publicis locis, ubi virorum, & mulierum multitudo promiscua convenire solet, disputare præsumunt de quæstione Conceptionis prædictæ circa peccatum originale, affirmando, vel negando, alteram scilicet partem probando, alteram impugnando: & contra eos, qui

qui de hac quæstione, etiam prætextu pietatis, vulgari sermone scribere, aut dictare præsumunt. Intellige autem hoc ad effectum editionis publicæ, vel in publica schola, ut patebit infra ex Bulla Gregorii XV.

De hac Constitutione vide *Vvald. verbo Suspensio n.* 116. *Sayr. lib.* 4. *cap.* 16. *n* 25. *Bonac. loco cit. pun.* 34. Et advertе, quod in hac Constitutione non comprehenduntur Episcopi quoad pœnam suspensionis, per *cap. Quia periculosum, de sent. excommun. in* 6. tamen comprehenduntur Constitutione alia lata a Paulo V. ut infra.

III. Ex Bulla Pauli V. *Regis pacifici*, quæ est 9. vel 97. *in Append. Cherub.* innovatæ sunt præfatæ Constitutiones cum suis pœnis, eæque extensæ ad omnes personas, tam seculares, quam regulares, etiam speciali, vel individuali nota, seu mentione dignas: & additum, ut contravenientes dictis Constitutionibus, eo ipso sint privati facultate concionandi, & publice legendi, & docendi, & interpretandi, & voce activa, & passiva in quibuscunque electionibus, & inhabiles sint ipso facto perpetuo ad dicta munera concionandi, legendi, interpretandi; & absolutio, & dispensatio Romano Pontifici reservatur.

Nota, quod vi dictæ clausulæ, hodie in pœnis prædictis continentur etiam Episcopi, quia licet ex *cap. Quia periculosum* requiratur eorum mentio specialis ad incurrendam suspensionem; tamen illa clausula, *etiam speciali, seu individuali nota dignas*, est expressio, vel derogatoria specialis sufficiens, *Felin. in cap. Nonnulli n.* 6. *de rescript. Alex. cons.* 155. *n.* 16. *lib.* 6. *Gabr. commun. concl. lib.* 6. *conclus.* 5. *n.* 1. *&* 15. *Layman lib.* 1. *tract. de legib. cap.* 23. *n.* 26. *in fine*.

IV. Ex decreto Sacræ Congreg. Inquisitionis jussu Pauli V. apud *Cherubin. in Appendice ad prædictam ejus Bullam*, & apud *Bonac. dis.* 3. *de cens. in partic. q.* 6. *punct.* 4. præcipitur omnibus personis, tam laicis, quam ecclesiasticis, etiam specialiter, vel individualiter exprimendis, ne in posterum, quandiu iste articulus non fuerit de fide definitus, audeant in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & aliis quibuscunque actibus publicis asserere, Beatam Virginem fuisse conceptam in peccato originali.

Item præcipitur, ut in dictis actibus publicis asserentes, eam fuisse conceptam sine peccato originali, contrariam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, vel tractent, sub pœnis latis in præcedentibus Constitutionibus, idest, ut incurrant pœnam excommunicationis, suspensionis, privationem dignitatum, graduum, & administrationum, & facultatis concionandi, & legendi, & inhabilitatem ad talia, & privationem vocis activæ, & passivæ.

V. Ex decreto ejusdem Sacræ Congregationis jussu Greg. XV. *ut apud eundem Cherubinum, & Bonacinam*, mandatum est omnibus, etiam individualiter exprimendis, ut donec articulus iste definiatur, vel per Romanum Pontificem aliter ordinetur, non audeant, neque in sermonibus, & scriptis privatis asserere, quod B. Virgo sit concepta in peccato originali, neque de hac opinione affirmativa aliquo modo agere, aut tractare: exceptis iis, quibus a Sede Apostolica fuerit specialiter indultum, sub pœnis, & censuris in præcedentibus Constitutionibus, & decretis latis.

Idem autem Greg. indulsit postea Fratribus Prædicatoribus, in privatis colloquiis, seu conferentiis ipsorum de ea re disserere, & tractare, ut *Barbos. in dicta Extravag. Grave n.* 5. apud quem habes omnia decreta prædicta. vide decretum Alexandri VII.

Item præcepit omnibus ecclesiasticis tam secularibus, quam regularibus, ut in Officio, & Missa Conceptionis B. Virginis publice, & private, non utantur alio nomine, quam Conceptionis; alias contravenientes incurrant censuras, & pœnas prædictas.

Addit idem Gregor. XV. ut tam Ordinarii locorum, quam Inquisitores contra hæreticam pravitatem, contra delinquentes (ut supra) inquirant, & eos severe puniant.

☞ *Alexander VII. Constit.* Solicitudo omnium 8. *Decemb.* 1661. *innovavit hic relatas omnes Constitutiones, & decreta, excommunicationemque Papæ reservatam inflixit in facientes, & asserentes contra dictas Constitutiones, & præsertim hanc suam*.

Propositiones circa B. Virginem proscriptæ ab Alex. VIII. 7. *Decemb.* 1690. *sub pœnis in eas docentes &c. prout in fine Additionis ad cap.* 1. *verb.* -- Missa -- *sunt in ordine la*

24. -- Oblatio in templo, quæ fiebat a B. Maria Virgine in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione: & quod filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset secundum verba legis. --

26. -- Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana est. --

Propositiones circa originale peccatum, quoad alios, proscriptæ ab eodem Pontifice supradicta die, & sub iisdem pœnis, sunt in ordine la

1. -- In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua peccato originali, & libertate Adami peccantis. --

19. -- Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali. -- ☜

CAPUT I.

Concilii Tridentini interpretationes edentes.

Vide *verb. Interpretationes prohibitæ*.

CAPUT II.

Concilium provinciale Episcopi vocati, non adeuntes, vel ante completum discedentes.

EX *can. Si quis autem* 18. *dist.* Is qui ad Concil. venire negligit, vel recedit, nondum finito Concilio, alienum se a fratrum communione cognoscat: nec eum recipere liceat, nisi in sequenti Synodo fuerit absolutus. Ex quibus verbis alicui videri posset, inde excommunicationem latæ sententiæ incurri a transgressoribus. Alii dicunt, esse excommunicationem solum ferendæ sententiæ, & reservari absolutionem latori, id est eidem futuro Concilio provinciali, nisi pro articulo, seu periculo mortis, ob *cap. Qua fronte de appellat.* & ita tenet *Prap. in d. cap. Si quis autem*. Sed communis sententia docet, illam non excommunicationem, sed privationem communicationis cum aliis Episcopis circa negotia Ecclesiarum, seu suspensionem latæ sententiæ a voce activa, ut non sit vocandus ab aliis Episcopis ad negotia communia tractanda; & sic est suspensio quædam partialis a jurisdictione, & officio: ita *Turrecr. Archid. & Barb. ibid.*, *Quaranta verbo Concilium provinciale*, *quæst.* 18. *n.* 7. *Genuen. in praxi cap.* 71. *n.* 1. sæpe enim in antiquis decretis nomen excommunicationis pro suspensione accipitur, ut notant *gloss. in c. Decernimus*, 18. *dist. Sylv. verb. Suspens.* §. 6. *vers.* 1. *Tabien. n.* 7. *Henriq. lib.* 13. *cap.* 38. *n.* 3. *Marius Alterius tom.* 2. *disp.* 14. *cap.* 2. *col.* 1. sicut e contra nomen suspensionis pro excommunicatione: & ita *Cassianus lib.* 2. *cap.* 16.

☞ *Circa has pœnas vide Fagnan. lib.* 5. *ad cap.* Sicut olim *de Accusat. n.* 111. ☜

Notant autem Doctores ex illo textu, sæpe absolutionem excommunicato denegari posse, & differri in pœnam, ad majorem ruborem, ut confundatur: ita *gloss. in dicto c. Si quis autem, verbo Nisi in sequenti, Paulus de Roma tract. de pœn. Eccl. c.* 6. *n.* 30. qui refert, se vidisse a Paulo Papa denegatam absolutionem ob percussionem cujusdam Prælati: quod est intelligendum, quando Papa, seu superior vellet differre absolutionem, vel ob satisfactionem aliquam præmittendam, vel ut absolvatur excommunicatus cum majori solemnitate, ut in multitudine populi, ad confusionem, & correctionem illius excommunicati, ex *glos. cit. Genuen. c.* 23. *praxis n.* 3.

Regulariter autem, & per se loquendo, posita congrua satisfactione, excommunicato resipiscenti, & petenti absolutionem, nunquam est deneganda, quia censura est pœna medicinalis, quæ (ablata contumacia) est auferenda, *cap. Qua fronte de appell. c. Ex litteris de constit. c. Cum medicinalis de sentent. excomm. in* 6. *cap. Multi* 2. *quæst.* 1. *S. Thom. in addit. ad* 3. *p.* 21. *art.* 2. *in corp. Suar. de censur. disp.* 1. *sect.* 1. *n.* 7. *Coninch. de censur. disp.* 13. *n.* 18. *Laym. de censur. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 3. *Felin. in c. Ex litteris n.* 18. *de const. Genuen. in praxi cap.* 23. *n.* 3. *&* 13.

Unde notant DD. quod sententiæ censurarum nunquam transeunt in rem judicatam, ad effectum, ut non possint retractari per absolutionem, sed tantum ad effectum, ut appellatio post to. dies non sit admittenda, ut *Genuen. d. n.* 13. *cum communi*.

☞ CA-

☞ CAPUT III.

Concilium provinciale Metropolitani celebrare negligentes.

Vide *verbo Synodus.* ☜

CAPUT I.

Conclave ad eligendum Romanum Pontificem tempore præscripto non intrantes, aut inde exeuntes sine justa causa.

I. IN *c. 3. §. 1. vers. Sane si aliquis de elect. in 6.* Greg. X. in Concilio Lugdunensi statuit, ut mortuo Romano Pontifice in quavis civitate cum Curia residente, in eadem civitate Cardinales ibi præsentes expectare debeant absentes per decem dies, quibus elapsis, conveniant in eodem palatio (ubi Papa habitabat) in conclave. Quod si quis Cardinalis intra hoc tempus non intraverit, aut exierit postea absque manifesta causa infirmitatis, per alios procedatur ad electionem Papæ, & ille minime requiratur, neque ad negotium illius electionis ullatenus admittatur. Hoc idem confirmavit Pius IV. Bulla *In eligendis* 63. §. 3. & 4. ubi apparet, quod hic dicitur de non intrantibus, intelligendum de præsentibus, qui potuerunt intrare, sed noluerunt. Itaque ex his notatur, Cardinalem non intrantem in tempore, aut exeuntem ante finem electionis, privari voce activa pro tali Sede vacante, quoad negotium electionis Papæ, non tamen privari voce passiva, ut *Franc. & Gemin. in d. c. 3.* Adde, quod Cardinales non possunt mutare, aut alterare, seu dispensare super hac Constitutione, v. g. prorogando tempus, *Clem. Ne Romani, in princ. de elect.* Decem igitur diebus Cardinales expectandi, sed non vocandi, ut *gloss. in d. cap. 3. §. 1. & ibi Barbos. n. 9.* qui plures allegat.

An autem, si electio fieret ante decem dies completos ex communi consensu Cardinalium ibi præsentium, aut duarum partium, aliis non expectatis, esset valida? affirmativam tenet *Azor. part. 2. lib. 4. c. 2. quæst. 5. §. Sed dubia*, ubi ait communem sententiam, & tenet *gloss. in dicto cap. 3. §. 1. verbo Decem diebus in fin. per cap. Licet de vitanda de elect.* ubi electioni Papæ a duabus partibus Cardinalium nulla opponi potest exceptio. Post dictos autem decem dies, etiamsi unus tantum esset ibi Cardinalis, ille posset eligere alium, non tamen seipsum, per *cap. Gratum, de post. Prælat. Joan. Andr. in cap. Licet, col. 1. de elect. Zabar. n. 8. Innoc. in cap. Cum nobis n. 6. de elect.*

CAPUT II.

Conclavi clausa, Cardinales secrete alloquens, aut ipsis, aut aliis signa, litteras, aut nuncium mittens, aut deferens, & alii ista permittentes.

I. EX *c. 3. §. Nulli ad eosdem de elect. in 6.* habetur: nulli ad eosdem Cardinales aditus pateat, vel facultas secrete loquendi cum eis, nec ipsi aliquos ad se venientes admittant, nisi eos, qui de voluntate omnium Cardinalium inibi præsentium pro his tantum, quæ ad electionis instantis negotium pertinent, vocarentur. Nulli etiam fas sit ipsis Cardinalibus, vel eorum alicui nuncium mittere, vel scripturam. Qui vero contra fecerit, scripturam mittendo, vel nuncium, aut cum aliquo ipsorum secrete loquendo, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat.

Nota, quod nec Cardinales possunt dispensare super hac prohibitione, per *Clem. Ne Romani, in princ. de elect.* Sed hæc excommunicatio non erat reservata ex hoc textu.

II. Ex Bulla Pii IV. In *eligendis* 63. §. 20. habetur: Litteras, aut cujusvis generis scripta ad eos, qui in conclavi erunt, seu nuncium, vel notam, aut signum mittere, seu recipere, aut e contra, e conclavi ad eos, qui foris erunt, nullo modo liceat. Qui contra fecerint, etiamsi Cardinales sint, excommunicationi latæ sententiæ subjaceant: & ibi reservatur absolutio Papæ, excepto mortis articulo eosque etiam aliter puniri statuitur.

Et nota, quod ait, cujusvis generis scripta, scilicet etiamsi non pertineant ad negotium, seu causam electionis Papæ, seu conclavis, ita *Bonac. de cens. in partic. disp. 2. quæst. 2. pun. 34. n. 10.* Et idem de quovis nuncio dicendum est; quia hæ leges non fundantur in falsa præsumptione, sed vera; non enim fundantur in præsumptione juris, quod in singulis casibus sit fraus, & damnum; sed in ratione periculi in communi, existimante legislatore, tales actiones magnam, & frequentem esse occasionem damni, & fraudis circa talem electionem; & ideo obligatio, & pœnæ locum habent etiam, quando a parte rei cessat omne periculum in particulari, ut late docet *Salas de legib. tract. 14. disp. 11. sect. 3. num. 31. & 32. & disp. 16. sect. 7. n. 10. & sect. 12. n. 51. & sect. 14. n. 14.* ubi bene hoc explicat: non enim sufficit, quod cesset finis legis in particulari casu, si non cessat in genere, ut *Salas d. sect. 3. loc. cit.*

☞ *Antonius Seraphinus Chamardus, Episcopus Reatinus, qui fuit a confessionibus in conclavi per obitum Inn. XIII. anno 1723. contrarium sentit cum Passerino, aliisque DD. a se cit. disert. 26. §.* Respondeo *in Synopsi Constit. Apostol. pertinent. ad electionem Papæ, quando scripta signa &c. non concernunt negotium electionis.* ☜

Item Pius IV. *eadem Bulla* §. 19. ait: clauso conclavi, nulli ad colloquium etiam extra portam conclavis, etiam Principum Oratores, nisi ex magna, & urgenti causa a majori parte collegii approbanda admittantur. Sed nota, quod contra colloquentes palam Cardinalibus nulla est pœna latæ sententiæ, ex prædictis, ut bene notat *Bonac. de cens. in partic. disp. 2. punct. 34. n. 9.* Itaque solum ii, qui secrete loquuntur cum Cardinalibus in conclavi existentibus, incurrunt excommunicationem non reservatam: ipsi autem Cardinales secrete loquentes cum advenientibus non incurrunt ullam censuram, *Bonac. ibid.*

Nota etiam, quod mittentes nuncium, vel litteras, non incurrunt censuras istas, nisi nuncii, vel litteræ pervenerint ad quos mittuntur, quia actus nondum est consummatus, *Bonac. lo. cit. n. 3. Navar. cons. 60. de sent. excommun. Sanch. lib. 6. in decal. c. 6. n. 117. Eman. Sà verbo Lex n. 25.* quia verba debent intelligi cum effectu, *leg. 1. §. Hæc verba ff. Quod quisq. jur.*

Nota ultimo, quod hodie ad hoc, ut quis admittatur ad colloquendum cum Cardinalibus in conclavi, vel extra, sufficit consensus majoris partis, ex *Bulla dicta Pii IV. §. 19.* Olim autem requirebatur consensus omnium, nemine discrepante, ex *dict. c. 3. §. Nulli*, ita *Archid. ibi, Gemin. n. 2. Anchar. ibi in §. Hoc sacro n. 4.*

III. Ex *eadem Bulla Pii IV.* §. 23. Prælati ad custodiam conclavis deputati, sub pœna perjurii, ac suspensionis a divinis, maxima, & exquisita diligentia utantur in inspiciendis personis, & rebus conclave intrantibus, ne sub earum rerum velamine, litteræ, notæ, & signa transmittantur: quod si quid tale inventum fuerit, familiares Cardinalium, aut alii delinquentes pœnam privationis officiorum, & beneficiorum, & inhabilitatis ad hujusmodi incurrant.

Nota, quod pœna suspensionis contra dictos custodes non est latæ sententiæ. An autem pœna ibi contra dictos deferentes litteras, notas, & signa furtive, sit latæ sententiæ? respondeo secundum communem opinionem, esse latæ sententiæ, quia verbum, *incurrant*, est latæ sententiæ, ut de communi testatur *Tiraq. in leg. Si unquam, verbo Revertatur n. 145.* & tenet *Sylv. verbo Excomm. 1. n. 21. Avila part. 2. c. 2. §. Dubitatur secundo, gloss. in c. ult. verbo Incurrant de offic. deleg. in 6. Gloss. in leg. Eos, de sent. excomm.* & tenet *Sayr. lib. 1. de censur. c. 11. n. 8. in fin. Suar. de censur. disp. 3. sect. 3. n. 2. Imola, & Card. in Clemen. 1. verbo Incurrant, de usur.* & alii apud *Tiraquell. ubi supra*, contra aliquos apud eundem.

Nota, quod statutum fuit in *dict. Bulla Pii IV. §. 27.* ut pœnam excommunicationis incurrant Prælati, & alii officiales ad custodiam conclavis deputati, si formam conclavis, & alia, quæ ad eorum officium pertinent, diligenter non servaverint, de qua re dicam infra *c. 8. in fin.*

Ab istis omnibus censuris potest absolvere Major Pœnitentiarius, & alii privilegiati.

CAPUT III.

Conclave clausum furtive intrantes.

EX Bulla prædicta Pii IV. §. 19. si quis forte clam ipsum conclave, aliunde, quam per ostium ingrediatur, omni honore, gradu, officio, beneficio, ipso jure privatus existat, & tradatur curiæ sæculari acerrimis pœnis puniendus.

Nota, quod istæ pœnæ non obligant in foro conscientiæ ante

Cc

ante sententiam declaratoriam, neque habent in se suspensionem, aut irregularitatem ante sententiam declaratoriam, ut dixi *verbo Sodomia*; ubi contra sodomitas retuli talem pœnam irrogatam eodem tenore, & *ibi* plenius explicavi.

CAPUT IV.

Conclavis, electionisque Papæ formam substantialem non servantes.

NOtandum est, quod diversis temporibus diversæ formæ eligendi Romanum Pontificem statutæ fuerunt, ut patet ex dictis in *capit. præceden.*, & ante illas extat alia antiquior forma constituta a Papa Nicolao in *cap. In nomine Domini* 23. *dist.* quæ hodie non habet locum; de qua tamen forma ait *Gemin. ibi*, *& Felin. in c. Nam concupiscentiam n.* 1. *de const.* quod electio Papæ, illa forma non servata, erat valida; quamvis peccarent Cardinales mortaliter, eam non servando.

I. Ex Bulla Greg. XV. *Æterni Patris de electione Romani Pontif.* statuitur forma essentialis electionis Papæ, cum clausula irritante, et pœnali, his verbis:

Quod si electio hujusmodi alibi celebrata fuerit, quam in conclavi clauso, vel aliter, quam per secreta schedularum suffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in conclavi præsentium, in scrutinio, seu scrutinio, et accessu, electi suffragio non computato, vel per viam compromissi ab omnibus Cardinalibus similiter in conclavi præsentibus, nemine dissentiente inibi; et ita, ut nemo seipsum elegerit; vel quasi per inspirationem nullo præcedente de persona speciali tractatu, omnium pariter Cardinalium præsentium in conclavi, communiter, nemine dissentiente, per verbum, *eligo*, intelligibili voce prolatum, aut scripto, si voce non potuerit, expressum, talis electio nulla sit, et invalida eo ipso, absque ulla declaratione, et ita electo nullum jus tribuat: quinimo is non Apostolicus, sed Apostaticus sit, et habeatur, et tam ipse, quam eligentes, ejusque fautores, et complices sententiam excommunicationis, et anathema, aliasque censuras, et pœnas invasoribus Sedis Apostolicæ, a sacris canonibus, et Constitutionibus Apostolicis impositas pariter ipso facto incurrat; a qua, sicut ab aliqua quacunque in hac Constitutione irrogata pœna excommunicationis, a nullo, neque etiam a Majori Pœnitentiario, cujuscunque facultatis vigore, præterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi possit; et aliter etiam mandatur tales arbitrio Papæ puniri.

☞ *Hodie potest, sed in foro conscientiæ dumtaxat, ex Const. Bened. XIV.* Pastor bonus 13. *April.* 1744. *cum limitatione tamen, ut* §. 51. *quam Constit. vide in fine hujus Operis.* ☜

Deinde additur. Iisdem omnibus, et singulis S. R. E. Cardinalibus, & Sacro eorum collegio inhibemus, ne contra hæc, & horum aliquid statuere, disponere, vel ordinare, seu in aliquo corrigere, alterare, mutare, seu aliquo modo facere, tractare, moliri, vel attentare præsumant; quovis prætextu, vel causa; sub eadem excommunicationis pœna ipso facto incurrenda.

Nota ibi: *Conclavi clauso*, quod olim etiam statutum fuerat, electionem Papæ fieri conclavi clauso, *c.* 3. §. *In eodem*, *de elect. in* 6. sed locus iste, idest conclavis præsertim clausus, non erat de substantia electionis: nam valida erat electio ubivis fieret a duabus partibus Cardinalium, ex *c. Licet*, *de elect. Abb. in c. Cum terra n.* 7. *de elect. Biaxius de elect. par.* 3. *c.* 12. *num.* 1. *Bonac.* in terminis *tract. de censur. partic. disp.* 2. *quæst.* 7. *punct.* 1. §. 2. *n.* 6. *in fine*. Quamvis autem conclave debeat fieri in civitate, in qua, vel in cujus diœcesi, mortuus Papa cum Curia causarum morabatur, ut *dict. cap.* 3. §. 1. *de elect. in* 6. *& Clem.* 2. §. *Sane*, *eod. tit.* tamen neque olim, neque hodie est de substantia talis locus, per *dict. c. Licet*, quia nullibi per hoc cassata reperitur electio; imo dum *dict. cap.* 3. §. *Porro* dicitur, quod si Papa mortuus est in civitate interdicta, conclave fiat in alia viciniori, *gl. ib.*, *verb. Interdicta*, ait non fore nullam electionem, si in eadem interdicta civitate fierent conclave, & electio.

Nota secundo ibi, *per secreta schedularum suffragia*, ante hanc Bullam non fuisse hoc de præcepto, sed hoc erat de essentia electionis pro Regularibus, ex *Triden. sess.* 25. *de Regul. c.* 6. dicam *verbo Electio Regularium*. Qualiter autem fieri debeat talis schedula, & in calicem mitti, vide in eadem Bulla Gregor. ubi alia in hoc requiruntur, non tamen sunt de substantia: requiruntur autem secreta suffragia, quando per viam scrutinii fit electio, non, si per compromissum, vel inspirationem.

Nota tertio, ibi, *duarum ex tribus partibus Cardinalium*: hoc esse speciale in electione Papæ: nam in aliis Prælatis eligendis sufficit, si electio fiat a majori, & saniori parte, *c. Licet*, *de elect. in fin.* In electione autem Papæ hoc fuit statutum de forma essentiali in *dict. c. Licet*, ubi pœnæ contravenientibus statutæ, de quibus infra dicam.

Nota quarto ibi, *scrutinio*, *& accessu*, esse speciale in electione Papæ, ut si fiat per scrutinium, & major eligentium pars in unum non consenserit, sed minor, possit accessu aliorum convalescere, ut sic consentiant duæ partes ex tribus, *dict. c. Licet*, §. *Si paucioribus*, *ibi Abb. num.* 8. *& Joan. Andr. ibi*; qui bene declarat procedere, quandiu pendet scrutinium, idest, quandiu de communi consensu non fuerit ruptum, aut diversum ad actus extraneos. In aliis autem electionibus electio a minori parte est nulla, & non convalescit per accessum, sed novo scrutinio opus est, *c. Auditis*, *ibi Abb. n.* 5. *de elect. Layman lib.* 4. *tract. de benefic. cap.* 12. *n.* 6.

Nota quinto ibi, *electi suffragio non computato*, quod ante hanc Bullam licet nemo posset solus se ipsum eligere, si in uno solo esset potestas eligendi, *Abbas in c. Consuluit de jure patron.* tamen dum ab aliis eligeretur, potuit numerum deficientium suo suffragio supplere; quod est generale in omni electione, *Abb. loco citat.* & de electione ad Papatum docet *Eman. Sà verb. Electio n.* 10. Sed hodie ex Bulla ista Greg. nunquam potest supplere, neque vox electi est computanda, sive fiat per scrutinium, sive per compromissum; non erit tamen irrita electio ex eo, quod sibi electus suffragium dederit, dummodo alia suffragia sint sufficientia, *Bonacin. n.* 6. *vers.* 3. *c. electus*.

Nota sexto ibi, *per viam compromissi & c. Nemine dissentiente*: hoc est de jure communi, ut compromissum ad eligendum non valeat, si unus eligentium dissentiat, ut tenet *glossa in c. Quia propter*, §. *Vel saltem*, *verbo Vice omnium de elect. & ibi Abbas n.* 6. testatur de communi.

Nota septimo ibi, *vel quasi per inspirationem*: hic est tertius modus electionis ex tribus supradictis in Bulla approbatis in *dict. c. Quia propter*, & similiter utrobique declaratum est, non censeri per inspirationem Spiritus Sancti, factam electionem, si facta sit uno contradicente, ut de communi testatur *Abb. in dict. c. Quia propter*, §. *Nisi n.* 1.

Nota octavo ibi, *electio nulla sit*, *& invalida eo ipso &c.* sic etiam in *dict. c. Quia propter* dicitur, quod electio, non servata forma ibi præscripta, non valeat, & Doctores intelligunt ipso jure nullam esse, ut de communi testatur *Abbas ibi*, §. *Vel saltem n.* 5. Et hoc procedit etiam pro foro conscientiæ: quia licet secundum multos Doctores, si electio fiat, non servata forma juris positivi, dummodo adsint requisita juris naturalis, valida sit electio in foro conscientiæ, *Innoc. in c. Quod sicut n.* 7. *de elect. Roderic. quæst. regul. n.* 27. *art.* 10. *tom.* 1. *Eman. Sà verb. Elect. n.* 5. *& Abb. in c.* 1. *in fin. de in integr. restit. Navarr. consil.* 9. *de elect. Jo. Valer. differ. fori interni* 8. *n.* 1. testatur de communi: tamen secus in casu nostro, quia dicta doctrina fallit, quando alias sequerentur absurda, ut scandala, & animarum præjudicium, ut quod Ecclesia non esset certa de pastore, & schismata foverentur: tunc enim lex censetur irritare etiam pro foro conscientiæ, *Suar. de legibus lib.* 5. *c.* 32. *n.* 6. *Salas de leg. disp.* 16. *sect.* 9. *n.* 41. at quia in casu nostro lex irritat ad omnem effectum, dum ait, *nullum jus tribuat*, ita *Laym. lib.* 1. *tract. de leg. c.* 16. *n.* 6. *in fin.* et probatur in simili Trid. *sess.* 25. *cap.* 15. *de Regul.*

Nota nono ibi, *sententiam excommunicationis*, *aliasque censuras*, *& pœnas*, quod ex *c. Licet de elect.* statutum fuit, ut si uno electo canonice, idest a duabus partibus Cardinalium, alius nihilominus electus fuerit a minore parte, & hic sibi usurpaverit nomen Episcopi Romani, seu se ingesserit; recipientes eundem incurrunt excommunicationem, electusque a minori parte, si gerat se pro Pontifice, sive alius sit electus canonice, sive non, ipse semper incurrit excommunicationem; sed excommunicationes ibi non sunt reservatæ; sed hic, scilicet in Bulla Gregoriana, reservata est: & latius patet, nam procedit contra electores, & complices, & fautores, etiamsi nullus alius sit canonice electus: imo incurrunt etiam excommunicationem reservatam in Bulla Cœnæ Domini, *cap.* 1. *contra schismaticos*: nam isti omnes

sunt

sunt rei schismatis puri, & proprie dicti, *Suar. de cens. disp. 23. sect. 3. n. 2. Sayr. lib. 3. c. 32. n. 4.* & incurrunt alias pœnas schismaticorum, de quibus vide *infra verb. Schisma*. Additur etiam *in dict. c. Licet*, ut tales delinquentes totius ordinis sacri privatione mulctentur: quæ est pœna depositionis inferendæ, *Abb. Ant. & Panorm. ibi n. 7. Card. q. 19.*

Limita tamen istas pœnas, ut non procedant, quando electus a minori parte per scrutinium habuit numerum sufficientem per accessum, antequam alius esset electus canonice, ut *dict. c. Licet* & ex Bulla Greg. XV. & Canonistæ communiter *in dict. c. Licet*. Neque procedunt, quando ipsi essent in bona fide, & ignorantia invincibili, putantes electionem fuisse canonicam, & ideo illi innitentes, *Sanctarell. de hæret. c. 43. dub. 1. n. 11.* cum allegatis; quia tunc talis est materialiter schismaticus, non formaliter.

Adverte etiam, quod pœnas istas, & censuras schismaticæ electionis non incurrunt transgressores, nisi actu completo talis electionis; & electus non incurret, nisi consentiat electioni de se factæ, ut *dict. c. Licet*, *ibi Canonistæ*: sic enim etiam intelligenda videtur Bulla Gregorii, ut jura juribus concordentur. At aliam excommunicationem latam contra attentantes mutare formam præscriptam, ut supra, incurrunt, etiam actu non consummato: sed requirit præsumptionem, seu dolum.

Advertendum præterea, quod ad effectum irritandæ electionis Papæ, vel repellendi a voce activa, vel passiva, nihil objici potest præter defectum formæ supradictæ: neque enim objici poterit ulla censura, neque excommunicationes latæ in eadem Bulla Gregorii XV. neque ulla alia, neque pœna ulla privationis vocis activæ, vel passivæ: nam omnes istæ pœnæ, & censuræ ad effectum electionis tantum, sunt suspensæ, & quoad effectum conversandi, ligant solos ipsos eisdem excommunicationibus innodatos, non autem alios in conclavi existentes, ut habetur in Bulla 63. Pii IV. *In eligendis §. 29.* & idem in dicta Bulla Gregorii XV. *De electione Romani Pontif.* eodem tenore cautum est: hæresis tamen, & schismatis, & simoniæ crimen objici potest contra electionem, ut dicam *verb. Hæresis c. 1. num. 8.* & *verbo Schisma n. 5.* & *verbo Simonia c. 7.*

CAPUT V.

In Conclavi electionis Papæ formam accidentalem Cardinales mutare præsumentes.

IN eadem Bulla Gregorii XV. multa statuta sunt observanda, sed sine clausula irritante: ut quod electio fiat post Missæ Sacrificium; quod Cardinales suffragium ferentes, jurent, se eligere, quem secundum Deum judicant eligi debere; tertio, ut scrutinium bis singulis diebus fiat; quarto, ut Cardinales non infirmi post tertium campanæ sonum conveniant; quinto, ut secretum servent; sexto, ut a pactionibus, & conventionibus, minis, signis, contrasignis suffragii dandi abstineant; septimo, ut servetur forma ibi tradita in scrutinio, & accessu, & suffragio scribendo, & dando tam a sanis, quam ab infirmis: quæ ibi videnda enumerat *Bonac. de censur. in partic. disp. 2. q. 7. punct. 1. §. 2.* & addit Gregorius: — omnibus, & singulis Cardinalibus, & eorum Sacro Collegio inhibemus, ne contra hæc, vel horum aliquorum statuere, disponere, vel ordinare, seu in aliquo corrigere, alterare, mutare, seu aliquo modo facere, tractare, moliri, vel attentare præsumant &c. sub eadem excommunicationis pœna ipso facto incurrenda: — & supra dixerat, & statuit a tali censura, neque majorem Pœnitentiarium, neque alium quemcunque vigore cujusvis facultatis posse absolvere, sed solum Romanum Pontificem, scilicet extra articulum mortis. Hæc censura, ut patet, incurritur, etiam actu non consummato, seu non subsecuto electionis effectu, vel murationis intentæ, ut dixi *cap. præced.*

☞ *Hodie major Pœnitentiarius absolvere potest, sed cum limitatione, ut notavi in cap. præcedenti post* §. Quod si. ☜

CAPUT VI.

In Conclavi electio Papæ fiat sine ambitu, & pactionibus.

Vide *verbo Ambitus cap. 2. & 3.*

CAPUT VII.

In Conclavi electio Papæ fiat pure, & extra vitium simoniæ.

Vide *verbo Simonia in electione Papæ cap. 7.*

CAPUT VIII.

Conclavis formam observari non procurantes officiales civitatis.

IN *c. 3. §. Præterea de elect. in 6.* Gregorius X. in Concilio Lugdunensi, statuit, ut Domini temporales, rectores, & officiales civitatis illius, in qua Romani Pontificis electio fuerit celebranda, omnia contenta circa formam conclavis, & electionis Papæ in *dict. c. 3.* faciant observari, & de iis observandis statim, audita Papæ morte, coram clero, & populo universo civitatis illius, ad hoc specialiter convocandis, præstent corporaliter juramentum: quod si præmissa diligenter non observaverint, aut fraudem in eis, vel circa ea commiserint; cujuscunque sint præeminentiæ, conditionis, aut status, omni cessante privilegio, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, & perpetuo sint infames, nec unquam eis portæ pateant dignitatum, nec ad hoc publicum officium admittantur; & feudis, & cæteris, quæ ab Ecclesia Romana, vel aliis Ecclesiis obtinent, ipso facto decernimus esse privatos, ita ut ad Ecclesias ipsas libere revertantur: civitas vero prædicta, non solum sit interdicto supposita, sed & pontificali dignitate privata.

Nota, quod hæc excommunicatio non est reservata, *Toletus lib. 1. cap. 38. vers. 2. Sayr. lib. 3. cap. 34. n. 6. de cens.* Aliæ pœnæ non obligant ante declaratoriam sententiam, ut dixi *part. 1. suis locis*: quod procedit etiam de interdicto locali, ut dicam infra, *verb. Usura cap. 7. §. Nota secundo*, & infra *hoc eodem verbo Conclave c. 9. §. Adverte*.

Nota secundo, quod ex Bulla Pii IV. 43. §. 27. pœnæ statutæ in *dict. §. Præterea*, contra officiales temporales, sunt extensæ etiam contra Prælatos, & alios illustres viros electos ad custodiam conclavis.

CAPUT IX.

Conclavis, seu electionis Papæ occasione bona electi, aut Cardinalium, aut conclavistarum diripientes.

I. EX Conc. Constantiensi, celebrato anno 1415. *in decreto de non spoliando eligendo in Papatum sess. 41.* habetur: - quod quia nonnulli prætextu cujusdam abusivæ licentiæ res, & bona sic electi, falso prætendentes occupanti concedi; imo, & nonnullorum, quos mendaciter fic electos confingunt, domos, res, bona illorum, necnon aliquando bona Cardinalium, aut aliorum in loco conclavis existentium, etiam violenter invadunt, recipiunt, occupant, & transportant, lucrifacta existimantes; Sancta Synodus prohibet, talia fieri, & statuit, quod quicunque contra hoc præsumpserit attentare, aut ad hoc auxilium, consilium, favoremve præbere, præter pœnas, quas in violentos raptores, & occupatores hujusmodi, jura, Constitutiones Apostolicæ, & Imperiales statuunt, eo ipso sententiam excommunicationis incurrat, a qua, a nullo, nisi a Romano Pontifice, extra mortis articulum, satisfactione præcedente, absolvi queat, & omni officio, beneficio, privilegiis, dignitate ecclesiastica, & mundana, feudis, & rebus aliis, si quæ a Romana, vel aliis obtinebit Ecclesiis, sit privatus, & intestabilis active, & passive existat. Civitas vero, quæ in præmissis culpabilis fuerit, ecclesiastico subjaceat interdicto. -

☞ *Circa facultatem absolvendi ab hac excommunicatione, vide notata supra cap. 4. verbo* Conclave *post* §. Quod si. ☜

Adverte, quod interdictum non ligat, nisi fuerit nominatim denunciatum, *Suar. disput. 37. sect. 2. n. 5. Coninch.* dis-

disputat. 17. *dub.* 5. *in fin. Bonac. de interdict. punct.* 7. *n.* 1. Neque est reservatum; ideo poterit Episcopus, satisfacta parte, absolvere civitatem, per *cap. Nuper de sent. Excomm. Coninch. disput.* 17. *n.* 76. *Sayr. lib.* 5. *cap.* 15. *num.* 4. cum multis Doctotibus.

Nota etiam, quod ad incurrendas pœnas, & censuras prædictas requiritur præsumptio: sufficit tamen ad incurrendas pœnas, & censuras omnes istas attentatum, seu conatus, dummodo interveniat aliquis actus proximus, v. g. accessus ad domum cum impetu, vel admotio scalæ, vel fractio januæ, *Farinac. prax. crim. quæst.* 123. *n.* 106. quia lex puniens attentatum pœna ordinaria, intelligitur de attentato per actum proximum, *Farin. quæst.* 124. *n.* 8. Quis autem dicatur actus proximus, vide *Farin. quæst.* 123. *n.* 106.

Intelligitur autem hæc Constitutio de invasione, seu violentia: unde non procederet, si sine violentia, lætitiæ causa fiat spoliatio; quia censetur adesse tacitus consensus dominorum, *Bonac. de censur. in partic. disp.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 9. *n.* 3. quia licet Constitutio etiam ad casum hunc vi verborum extendi possit, tamen non est usu recepta in hoc casu, ita *Bonac. ibi*.

II. In Bulla Leonis X. incip. *Temerariorum*, est 16. omnes pœnæ, quæ habentur in *cap. Felicis de pœnis in* 6. latæ contra offendentes Cardinalem in personam, de quibus dixi *verbo Majestatis læsæ cap.* 2. extensæ sunt ad omnes, & singulas personas, quæ alicujus Cardinalis domum, tant tempore conclavis, etiamsi in Papam fuerit electus, quam alias quandocunque, seu quacunque causa, manu armata invaserint, & in ea violenter, & hostiliter aliquid diripuerint, aut quempiam ex inibi existentibus vulnerarint, & ad eorum socios, & ad mandantes, vel eorum nomine factum, ratum habentes, ac ipsis invasoribus in præmissis favorem præstantes, vel defendentes.

Nota, quod ad incurrendas prædictas pœnas *cap. Felicis*, requiritur, ut fiat invasio, & hostili animo, non si causa lætitiæ; & quod adsit consummatio, id est, rapina alicujus rei, vel vulnus, *Bonac. de censur. in partic. disp.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 3. *Cherubin. super dict. Bulla* 16. *Leonis, Schol.* 2.

Nota etiam, quod pœnæ sunt latæ sententiæ in *dict. cap. Felicis*, de quibus *Farinac. quæst.* 112. *n.* 120. Verum, excepta pœna excommunicationis, & irregularitatis, aliæ non videntur ligare in foro conscientiæ ante declaratoriam, *Farinac. n.* 120. Alia circa declarationem earum pœnarum, vide apud *Barbos. in dict. cap. Felicis*, *Farinac. loc. cit. a n.* 108. *cum seq.* & dixi *dict. cap.* 2. *verbo Majestas*.

Ut autem in *dict. cap. Felicis* puniatur etiam civitas complex talis delicti, quando scilicet delinquat, quatenus universitas est, idest, communicato consilio &c. & ipso jure sit episcopali dignitate privata, & interdicta; sic in Bulla præfata Leonis continetur nedum civitas delinquens, sed etiam personæ singulares, ut patet: idque necessarium erat exprimere de civitate, alias enim non incurrisset pœnam ullam vi illius Constitutionis. Incurrit autem civitas prædictas pœnas specialiter in eam latas; non autem eas, quæ ibi latæ sunt contra personas particulares; quia cum universitas sit persona ficta, non venit in odiosis nomine personæ, ut *Bald. in cap.* 1. *de nov. form. fidel. Butr. in cap. Gravem, de prab. Alex. in leg. Mortuo de fidejuss.*

☞ *Decretales omnes sanctiones, & Summorum Pontificum Constitutiones ad conclave, & Papæ electionem spectantes, contentæ in his superioribus novem capitulis quoad pœnas in iis inflictas, confirmatæ sunt a* Clemente XII. *Constit.* Apostolatus officium 4. *Non. Octob.* 1732. *in qua nonnulla alia statuuntur, bonam directionem conclavis, numerum conclavistarum, aliorumque inservientium, expensas, ac res agendas, Sede vacante, concernentia: nulla tamen nova pœna, præter in relatis Prædecessorum Pontificum Constitutionibus contentas inflicta legitur.*

Circa conclave, electionem Papæ, & dubia occurrentia pro dictarum Constitutionum intellectu juxta hodiernam praxim, videri potest Camarda, supra citat. cap. 2. *verb.* Conclave. ☜

CAPUT I.

Concubinatus, & prava cum mulieribus consuetudo.

I. EX *cap. Nullus, cap. Præter* 32. *distinct.* sacerdotis concubinarii Missam nullus audire debet, neque ab eo quisquam Sacramenta recipere, nisi baptismi, pœnitentiæ, & viaticum eucharisticum, *Innocen. in cap. Fraternitatis, de hæret. S. Bonavent. in* 4. *distin.* 13. *quæst.* 4. *Tostat. in tract. de Cleric. concubin. concl.* 4. *& concl.* 13. *Farinac. quæst.* 138. *n.* 59.

Sed hodie hæc pœna non est in vigore, nisi esset nominatim de hoc crimine denunciatus suspensus, propter *Extravagan. Ad evitanda Martini V. Sayr. de censur. lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 20. *Garz. de benef. par.* 7. *cap.* 14. *n.* 36. *Guttier. can. quæst. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 45. *Layman lib.* 1. *tract. de irregul. cap.* 4. *n.* 11. *vers. His adde.*

II. Multi DD. dicunt, clericum concubinarium notorium, esse ipso jure suspensum ab officio, & beneficio, per *cap. Præter* 32. *dist. & cap. Quæsitum de cohab. Cleric. & mul.* ita tenet *Præpos. ibid. Menoch. de arbitr. cas.* 418. *n.* 1. *Majol. lib.* 5. *c.* 37. *n.* 2. *Boerius decis.* 558. ubi quod si se immisceat divinis, etiam fit irregularis: & idem ait *Comitol. lib.* 1. *quæst.* 57. *n.* 4. communem esse sententiam affirmans: idem tenet *Tolet. lib.* 1. *cap.* 47. *vers. Adverte secundo*, qui testatur, esse usu receptam, & communem, & de communi testatur *Rebuff. super Bulla Leonis X. de pub. concubin.* & magis communem ait *Farin. quæst.* 138. *n.* 57. & ita declaravit Sacra Congregatio Concilii apud *Garziam part.* 7. *cap.* 14. *num.* 11.

☞ *Hæc declaratio facta fuit in una Alerien.* 8. *Maji* 1653. ☜

Et quod si in tali suspensione celebret, fiat irregularis, ait *Turrecr. in dict. cap. Præter*: sed multi ex iis Doctoribus tenent, eam suspensionem tolli ipso facto, dissoluto concubinatu: ita *Turrecrem. ibi Farinac. n.* 55. *Bern. Diaz. cap.* 82. *n.* 2.

Imo, quod hodie illa suspensio sit desueta, & quod nullam censuram hodie incurrat ipso jure clericus concubinarius, tenent *Sot. Innoc. Imola, Anchar. apud Tolet. loc. cit.* & veriorem ait *Salzedo ad Diaz, ubi supra super verbo Irregularis, cum Cardin. Plovio, Covar.* & tenet *Layman loco cit. n.* 11. *Bonac. tract. de suspen. quæst.* 7. *pun.* 4. *n.* 2. *Suar. disp.* 31. *sect.* 4. *n.* 10. *Garz. de benef. loco cit. n.* 19. *&* 33. *in fine, Lambertin. de jurepatr. p.* 1. *lib.* 2. *quæst.* 9. *art.* 20. *n.* 21. Unde hodie hæc est magis communis, & probatur ex *Trid. sess.* 25. *cap.* 14. *de reform.* ubi clerici, Episcopis inferiores, concubinarii, prævia monitione, sunt suspendendi, ut infra dicam. Soli autem Episcopi concubinarii, vel mulieres suspectas habentes, a Synodo provinciali admoniti, si se non emendent, ipso facto sunt suspensi: quod si adhuc perseverent, deferenda est res ad Papam: ita statuit *Trid. loc. cit.* & hæc suspensio Episcoporum est ab officio, & beneficio, ut *Suar. disput.* 31. *sect.* 5. *n.* 24. *Filiuc. tract.* 17. *n.* 158. *Bonac. de susp. in partic. quæst.* 7. *punct.* 4. *n.* 4.

III. Multi Doctores dicunt, clericum notorium concubinarium esse irregularem, ut indigeat dispensatione, etiam post emendationem vitæ, *Tabiena verbo Irregularitas* 4. *n.* 1. *Tolet. lib.* 1. *c.* 47. §. *Adverte sexto*, *Navarr. cap.* 25. *n.* 77. & tenet *gloss. in cap. Cum dilectus, de accusat.* per *dict. cap. Cum dilectus*, ubi videtur, quod sit infamis, cum repellatur a testificando. Sed contraria est verior, quia non est infamis infamia juris, sed sola infamia facti, seu canonica, quæ tollitur per pœnitentiam: neque est irregularis, quia non reperitur in jure expressum: neque concubinatus est crimen per se depositione dignum, quod, stante notorietate, redderet infamem, & irregularem: ita tenet *Salzedo ad Diaz cap.* 82. *in fine*, *Layman lib.* 1. *tract. de irregul. cap.* 4. *n.* 11. & communem ait *Sayrus lib.* 7. *cap.* 12. *n.* 20. & tenet *Garzias part.* 7. *cap.* 14. *a n.* 19. *usque ad* 38. *& n.* 60. *Avila part.* 3. *disp.* 5. *dub.* 2. *conclus.* 1. *Barbos. in cap. Quæsitum n.* 2. *de cohab. cleric. Ruin. cons.* 5. *n.* 10. *lib.* 3. *cum Bart. & Castrens.* Neque obstat *cap. Cum dilectus*, quia etiam infamia canonica, vel facti consurgens ex omni peccato mortali continuato, repellit a testimonio, secus post emendationem: ita *Clarus* §. *fin. quæst.* 24. *versic. Quæro nunquid*, *Farinac. consil. crim.* 192. *num.* 15.

IV. Ex *Trid. sess.* 25. *cap.* 14. *de refor.* clerici inferiores Episcopis, detinentes concubinas, vel mulieres suspectas, vel cum aliqua muliere consuetudinem habentes, si a superioribus moniti, se non abstineant, tertia parte fructuum, obventionum, proventuum omnis beneficii, & pensionis (non tamen distributionum, ut notat *Garz. part.* 11. *c.* 10. *n.* 186.) ipso facto sunt privati; quæ fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicabuntur. Quod, si in eadem delicti specie perseveraverint, & secundæ monitioni non paruerint, amittunt ipso facto omnes fructus, & proventus, ut supra, & ab Episcopo applicabuntur, ut supra, et suspen-

spendendi sunt a beneficiorum administratione ad arbitrium ejusdem Ordinarii, et potestate delegata a Sede Apostolica quoad exemptos. Et tertio, crescente contumacia, privandi sunt beneficiis, officiis, pensionibus, et inhabiles reddendi ad hujusmodi, donec prævia emendatione, visum fuerit Ordinario cum eisdem dispensare.

Advertendum, quod illa pœna privationis fructuum licet in dictis casibus sit latæ sententiæ, tamen non obligat in foro conscientiæ ante declaratoriam, vel condemnatoriam, *Garzias p.* 11. *cap.* 10. *n.* 190. *Sanchez in decal. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 10. Reliqua circa hujus decreti intellectum, vide apud *Salzedo ad Diaz cap.* 82. *Garziam part.* 11. *cap.* 10. *a n.* 186. *Farinac. quæst.* 138. *a n.* 65. *Genuens. in praxi, cap.* 30. *n.* 1. *&* 3.

Advertendum secundo, quod Trid. decretum non procedit in concubitu vago, *Garz. part.* 11. *cap.* 10. *n.* 186. *cum Sacra Congregatione*. Item requiritur monitio specialis, non autem sufficit generalis per edictum, *Garz. n.* 186. *cit.* Item inter istas monitiones debet intercedere tempus arbitrio Episcopi, *Garz. ibi*. Item, quod pro singulis pœnis debet procedere monitio canonica, idest trina, seu unica pro tribus, ut dicam infra *verb. Judex c.* 2. ita ut primæ singulæ sint personales, ut supra.

☞ *Assertam hic a Garzia S. Congr. Declarationem Ludovicus de Ameno* de delict. & Pœnis tom. III. tit. 4. §. 1. n. 32. *existimat fabulosam, cum de ea non constet, nec ullibi reperiatur: imo nec credere potest, S. Cong. ita declarasse contra apertam mentem Concilii; ideoque mordicus probat, clericum reum concubinatus, etiam vagi, obnoxium esse conciliaribus pœnis.*

Circa monitionem autem, de qua hic idem Garzias, hæc habet *dictus de Ameno cit. loc. n.* 35. Non amplector autem sententiam Nicolai Garziæ de Benef. part. 11. cap. 10. n. 186. cui subscribit Thesauros de pœnis, verbo *Concubinatus*, vers. *Advertendum secundo*, quod nempe debeat esse trina monitio canonica ante inflictionem singularum pœnarum ex supradictis: etenim verum est, quod ad hoc, quod clericus concubinarius privetur beneficiis, debet ter personaliter moneri, ut habetur in decretalibus cap. *Sicut ad extirpanda*, cap. *Si quisquam*, cap. *Si autem*, ver. *Vel tertiam de cohab. cler.*, *&* *mul.* non tamen necessarium est, quod tali modo moneatur, si infligenda est minor pœna, quam sit privatio beneficii: etenim Concilium aperte ait, quod si moniti primo, non resipiscant, amittant tertiam partem fructuum; si post secundam monitionem adhuc perseverent, fructus ex integro amittant; & post tertiam priventur beneficiis. Somnium autem est, quod singulæ monitiones debeant esse trinæ, quia hoc modo secunda monitio evaderet quarta; & tertia esset septima, quod est inauditum. Sensus ergo est, quod, si clericus redditus est suspectus notorie, & fama deferente de consortio scandaloso, debet judicialiter moneri ab Episcopo, et si post eam monitionem non destiterit, tertia parte fructuum puniatur, & sic deinceps. ☜

V. Concubinarii tam clerici, quam laici, morientes in tali peccato notorii concubinatus, privantur ecclesiastica sepultura, *Bermon. de pub. concubin. verbo Notorium est, n.* 17. *Decian. tract. crimin. lib.* 6. *cap.* 21. *n.* 26. *Farinac. n.* 68. Neque pro illis orandum, *cap. Pro obeuntibus in gloss.* 13. *quæst.* 2. Imo, si quis sepultus fuerit in sacro, exhumandus erit, si dignosci poterit, per *cap. Sacris, de sepult. Angel. sepult. n.* 30. *Sylv. quæst.* 9. *dict.* 12. *Layman lib.* 3. *tract.* 5. *cap.* 12. *de sepult. n.* 12. non tamen per hoc Ecclesia, vel cœmeterium polluitur, neque est reconcilianda, *Sylv. & Layman ibid.*

Limita, quod non sit privandus sepultura ecclesiastica, si moriens signa edidit pœnitentiæ, *Silvest. n.* 9. *Layman n.* 12. *Navar. consil.* 6. *n.* 3. *de sepult.* & sufficit unus testis ad hoc probandum, *cap. Qui recesserunt*, 26. *quæst.* 6. *Sylvest. verbo Sepultura, loco citato, Em. Sà verb. Testis n.* 1. *in fin.* & sufficit pro signo pœnitentiæ, si nomen JESUS invocaverit, *Navar. cons.* 6. *n.* 3. *in manuali c.* 26. *n.* 27. vel si dixerit *Miserere mei Deus*, *Layman de Sacr. pœnit. cap.* 8. §. *Sed bene*, vel manibus pectus tutuderit, *Navarr. ibidem*, vel si petiit confessarium, *Toletus lib.* 3. *cap.* 8. §. *Alius*, *Layman dict. cap.* 8. *n.* 4. *cum aliis DD.*

VI. Donatio, vel legatum, facta concubinæ a milite armatæ militiæ non valent, *l.* 2. *C. de donat. inter vir. & uxor.* & idem est de clerico, cum sit miles cælestis militiæ, *gl. in dict. leg.* 2. *& ibi Alber. & Salic. Bart. in leg.* 2. *Affectionis, ff. de don. Seraphin. dec.* 46. *n.* 1. *& n.* 6. *Capic. decis.* 102.

Et amplia primo, quod neque pro foro conscientiæ valeat talis clerici donatio, vel legatum, neque posset morte, etiam re tradita, confirmari juramento, aut renunciatione tali juris dispositioni, ut *Cravetta cons.* 229. *n.* 3. *Capic. dec.* 102. *n.* 2. quia hæc lex prohibitiva non est ob privatam utilitatem, sed ob publicam utilitatem, & dignitatem totius ordinis clericalis principaliter, & ob publicam honestatem conservandam, *Cravetta n.* 4. *in fin. & n.* 12. *vers. Non obstat*, & in odium tam clerici donantis, quam concubinæ recipientis, *Cravetta ibid. n.* 6. & huic legi non potest juramento obviam iri, quia juramentum contra bonos mores canonicos non valet, ob periculum animarum, etiamsi ageretur de veniali peccato vitando, quia juramentum etiam venialis peccati nutritivum, non valet, *Cravetta ibid. n.* 3. cum multis. Et quod juramentum non confirmet actum prohibitum per legem ob publicam immediatam utilitatem, tradit *Less. c.* 17. *n.* 55. *Sanchez lib.* 3. *in decal. cap.* 9. *n.* 34. ubi fuse. Et idem videtur dicendum de donatione facta a milite, quia est ob publicam causam, & ob bonum publicum: quamvis *Bald. cons.* 267. *n.* 8. *lib.* 1. dicat morte confirmari donationem rei traditæ a milite terrestris militiæ, & eam firmari juramento ait *Roman. cons.* 43. *n.* 5. *vers. Ad quartum*, & puto esse probabile, *quia dict. lex* 2. solum videtur respicere favorem ipsorum militum, ne expolientur bonis suis per blanditias amasiæ, & sequitur *Capic. decis.* 102. Restitutio autem facienda est donanti, vel ejus hæredibus, ut *Cravet. n.* 6. *&* 12. *vers. Tertio respondeo*. Verum est, quod si concubinatus esset damnatus a jure civili, ut cum persona, cum qua matrimonium contrahere non potuit, tunc Fiscus laicus respective auferet a donataria tanquam ab indigna, per *leg. Mulierem, ff. de his, quibus, ut indig.*

Ampliat etiam *Seraphin. loco cit.* ut procedat dicta lex prohibitiva de jure canonico in quocunque concubinario, etiam non clerico, nec milite; quia a jure canonico damnatus est omnis concubinatus. Sed dubito de hac ampliatione, quia puto, saltem in foro conscientiæ, tunc non fore irritam donationem inter vivos, re tradita, sicut nec datum ob turpem causam, nisi esset clericus in sacris, vel beneficiatus.

Limita primo, quod secundum aliquos non procedit dicta lex in militibus nostri temporis armatæ militiæ, quia non sunt secundum antiquam formam: ita *Bal. loco cit. n.* 8. sed contra tenet *Roman. loco citato n.* 5. & alii communiter.

Limita secundo, ut non procedat, si concubinatus jam erat dissolutus, *Capic. ubi supra n.* 2. *Seraph. loco cit.*

Limita tertio, ut non procedat in donatione remuneratoria, *Capic. ibi*, *Afflict. decis.* 102.

Limita quarto, quod Fisco non debentur donata ante declaratoriam, ut in simili *Less. c.* 19. *n.* 61. *Sanchez cons. lib.* 4. *c.* 3. *dub.* 20. *n.* 4. *& dub.* 23.

An autem prohibeatur datio eleemosynæ causa, quę est actio licita, & pia utroque jure? respondeo cum *Cravett. n.* 14. neque causa alimentorum, neque eleemosynę, stante concubinatu, posse donari: secus autem postea.

Sed quęres, quis dicatur concubinarius? respondeo, quod de jure canonico ad effectum denunciandi, & puniendi, is dicitur, qui habet, vel habere creditur fornicariam consuetudinem cum muliere, & de tali consuetudine diffamatus est in sua, vel ipsius mulieris vicinia, ut tenet *Rota*, quam allegat, & sequitur *Genuen. in praxi c.* 30. *n.* 4. & tenet *Bern. Diaz in praxi c.* 82. *n.* 1. *in noviss. impress. cum Canonistis*. Unde, sive quis domi eam mulierem detineat, sive cum alibi manente eam consuetudinem habeat, satis est, ut *dicti DD. dicunt*. Item, etiamsi quis domi mulierem habeat suspectam de incontinentia, & publice diffamatam de incontinentia, & monitus a parocho, eam non dimittat, pro concubinario puniendus, & denunciandus est. Item, si quis domi mulierem habeat suspectam, & concurrat fama de concubinatu, etiamsi vere non peccent simul, tamen pro concubinario habendus est, ita *Diaz ibi*, *& Bonac. tract. de matr. pun.* 14. *n.* 12.

Sed ad incurrendas pœnas latę sententię pro concubinatu, spectandum est, an sit frequentia fornicationum, seu numerus notabilis sufficiens ad consuetudinem, vel detentio ad talem effectum: nam denominatio hęc verbalis concubinarii, requirit exercitium, scilicet vel consuetudine introductum, vel saltem inchoatum per subintroductionem, seu detentionem mulieris cœptam in domo ad talem finem, scilicet concubinatus, per ea, quę dixi *verbo Usura c.* 7. §. *Nota primo*: & eadem tenet *Rota apud Genuen. n.* 4.

☞ *Ex can.* Si qui sunt 15. *distin.* 81. (*qui est Greg. VII.*) *constitui in sacris* — qui in crimine fornicationis jacent — *incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ latæ sententiæ, usque-*

dum resipiscant ; si tamen notorii sint , juxta declarationem Cong. Conc. relat. a Monac. to. 2. tit. 13. form. 3. n. 31.

Notandum vero cum Ameno loc. supra cit. n. 29. quod pœna in antiquis canonibus contra clericos concubinarios , aut de suspecto consortio notatos , in desuetudinem abierunt , & nunc sola vigent pœnæ latæ per Tridentinum sess. 25. cap. 14. de reform. prout idem repetit §. 3. n. 22.

Propositio circa concubinatum ab Alex. VII. proscripta sub die 18. Martii 1666., quæ est in ordine la 41. ita sonat :

– Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *Regalo* , dum deficiente illa , nimis ęgre ageret vitam, & alię epulę tędio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.

Quam docens &c. & ad praxim deducens incurrit pœnas, prout in fine Additionis ad caput I. verbo Missa.

Propositiones sub iisdem pœnis &c. proscriptæ circa alia peccata carnis , ab eod. Alex. VII. die 18. Martii 1666. quæ est in ordine la

40. Est probabilis opinio, quę dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quę ex osculo oritur , secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.

Ab Innoc. XI. die 2. Martii 1679. quæ sunt in ordine la

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum , omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

48. Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturę prohibita non est : unde si Deus illam non interdixisset, sępe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit, deferendo scalam , aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti ; puta, ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur. ☜

CAPUT I.

Confessarius absolvens absentem.

Vide *verbo Sacramentum cap.* 1.

CAPUT II.

Confessarius absolvens sine facultate a censuris, vel casibus.

Vide sopra *verbo Absolutio cap.* 3.

CAPUT III.

Confessarius non ingerens scrupulum pœnitenti de decimis.

Vide infra *verbo Decimæ cap.* 3.

☞ CAPUT IV.

Confessarius auditæ confessionis testimonium in infirmi domo non dimittens.

E*X mandato Bened. XIII. ut in Appendice Conc. Romani an. 1725. §. 28. n. 5. incurrit ipso facto pœnam suspensionis ab audiendis confessionibus, Episcopo reservata , sive secularis sit , sive regularis , etiam Societatis Jesu , si intra eamdem diem dictum testimonium in infirmi domo non dimiserit , ostendendum vel ab infirmo , vel a domesticis medico , tertio visitanti . Quam autem pœnam incurrat medicus si post tertiam visitationem iterum infirmum visitaverit, non emissa ab hoc confessione, dicam in Additione ad cap. 1. verbo* Medicus.

Hanc eandem pœnam incurrit quilibet confessarius Urbis ex decreto S. Cong. Visitationis 10. Jul. 1625. & ex literis patentibus , quæ expediuntur a Cardin. Vicario , hac munitis clausula – Ita tamen, ut quoties ad confessiones infirmorum in eorum propriis domibus audiendas accesseris, statim ibi fidem auditę confessionis proprio parocho, & medico supervenientibus, sub pœna suspensionis ab audiendis confessionibus ipso facto incurrenda, donec iterum examinatus, & novam à Nobis in scriptis licentiam obtinueris, dimittere tenearis – *Sed circa terminos hujus clausulæ .*

Nota I. li Quoties, *non esse intelligendum de eodem infirmo, sed de singulis ; ita ut satis sit , semel pro quolibet fidem dimisisse .*

Nota II. li Statim , *esse intelligendum moraliter ; ita ut satis sit , eam dimittere intra eamdem diem , prout habetur in cit. Conc. Roman.*

Nota III. Non opus esse dictam fidem in scriptis redigere ; si tam medicus , quam parochus oretenus certior factus sit a confessario de audita infirmi confessione : in hoc enim casu scriptura de materiali se habet ; cum ceteroquin finis hujus præcepti (qui est , ne infirmus sine confessione decedat) *satis obtineatur .*

Nota IV. Confessarium non incurrere suspensionem , si ex mera oblivione hujusmodi fidem dimittere omiserit ; ut nimis scrupulose aliqui dubitarunt : cum enim sit pœna , incurri nequit , ex vulgatis , sine culpa : nec præsumi debet , Legislatorem ita confessarium punire velle , ut absque ulla illius culpa reportet afflictionem spiritus , loco præmii , post tantæ a se exhibitum charitatis officium .

Idem dicendum est , si ex oblivione , vel inadvertentia audiret confessionem mulieris infirmæ sine velo levato , prout præscribitur in cit. decreto , ut infra n. 11. §. Ut tunc .

Nota V. Quod , cum in litteris patentibus concedi solitis confessariis secularibus , præter relatam clausulam quoad eorumdem infirmorum confessiones excipiendas , addatur altera – Et tunc de licentia parochi. – *hæc non importat præceptum , sed honestatem dumtaxat , juxta receptam Urbis praxim .*

Hæc clausula non est in litteris concedi solitis confessariis regularibus : & merito quidem , cum id nequeat ipsis præscribi ; quandoquidem ex Constit. Clem. X. – Superna – 11. *Kal. Julii* 1670. §. 4. *quoties approbati sint ab Ordinariis pro audiendis confessionibus in eorum diœcesibus , audire possunt quorumcunque infirmorum confessiones absque ulla parochorum , vel eorumdem Ordinariorum licentia .*

Nota VI. Quod , cum in iisdem litteris pro dictis confessariis secularibus apposita sit clausula – Ut confessiones sacramentales omnium Christifidelium..... tantum in Ecclesia, (*A. vel B. prout cuicunque designatur*), & in quibuscunque hospitalibus vigore Brevis san. mem. Clem. XI...... Non autem in aliis , etiam de consensu quorumcunque Rectorum audire ..... libere possis – *has valide audire nequeunt in alia Ecclesia , cum hujusmodi facultas iis restricta sit ad subditos accedentes duntaxat ad Ecclesiam designatam , ut clare patet ex ipsismet verbis clausulæ , quæ ita limitant dictam facultatem , ut neque de consensu Rectorum alibi exerceri possit .*

Nota VII. Quod facultas audiendi confessiones in hospitalibus in eadem clausula contenta , non extenditur ad audiendas illas quorumcunque in iis degentium . v. g. ministrorum , & famulorum , ut falso aliqui opinarunt , sed infirmorum dumtaxat , quemadmodum declaratur in Brevi Clem. XI. inserto in altera Clem. XII. – Alias fel. rec. Clem. XI. – 27. *Ap.* 1738. *ubi hæc habentur .* – Ut omnium , & singulorum utriusque sexus Christifidelium infirmorum nunc , & pro tempore in iisdem archiospitalibus , ac hospitalibus , ac etiam puellarum in conservatorio , archiospitali S. Spiritus prędicto annexo , et infirmitatibus detentarum, et in infirmaria dicti conservatorii existentium sacramentales confessiones excipere, illosque, et illas absolvendi ..... licentiam, et facultatem ..... concedimus etc.

Nota VIII. Quod licet prædictæ litteræ patentes tam pro Regularibus , quam secularibus post tertium examen habitum de eorum idoneitate expediri soleant cum clausula – Præsentibus ad annum valituris. – *non tamen , eo elapso , amplius subjiciuntur examini pro nova obtinenda facultate , sed stylus est , ut confirmentur : ideoque si contingeret post dictum terminum audiri bona fide aliquas confessiones , non obtenta ex oblivione confirmatione , non inde sequeretur , eas esse invalidas : attenta enim bona fide tam confessarii , quam pœnitentis , plusquam tacite suppletur a superiore jurisdictio , nedum ob receptissimam ab utroque jure legem* Barbarius 3. ff. de offic. prӕt. *de titulo colorato , & errore communi ; sed etiam ob claram ipsius superioris mentem , quæ intendit hujusmodi facultatem confirmare , si nullum obstet impedimentum , ut de facto semper confirmat ad petitionem confessarii : quapropter hic angi non debet si in hoc casu aliquas confessiones exceperit .*

Nota IX. in iisdem litteris patentibus tam pro confessariis secularibus , quam regularibus appositam esse etiam & hanc clau-

clausulam – necnon collationibus, seu lectionibus casuum conscientię habendis loco, et tempore pręscriptis, interesse sub statutis pœnis non omittas – *unde cum merito quæri possit, quænam sint istæ pœnæ, scias in Instructione circa interessentiam his lectionibus, typis data in typographia Cameræ apostolicæ 4. Jun. 1741. confessariis secularibus inflictam esse pœnam juliorum quinque qualibet vice, si iis non interfuerint; regularibus vero pœnam suspensionis ab audiendis confessionibus, si per tres continuas vices ab iisdem abesse contigerit: quæ tamen est ferendæ tantum sententiæ, ut expresse habetur in Concilio Romano celebrato sub Bened.* XIII. *an.* 1725. *tit.* 15. *c.* 9. *ubi ita legitur* – Regulares etiam, dummodo in eorum conventibus lectiones non habeantur, alias ab audiendis confessionibus suspendendos. –

In citato Sac. Conc. Visitationis decreto sub ejusdem suspensionis pœna ipso facto pariter incurrendæ, ulterius præcipitur

I. *Ne confessiones audiantur (extra casum infirmitatis) tam virorum, quam mulierum in illorum, seu illarum, vel etiam alienis ædibus, sine licentia in scriptis Urbis Vicarii, seu ejus Vicesgerentis* – exceptis.... Cardinalium, et Principum virorum secularium, videlicet, Oratorum Regum, et magnorum Principum, necnon et Ducum, ac Romani Pontificis, qui fuerunt, vel pro tempore erunt, Nepotum. –

II. *Ut tunc mulierum confessiones semper audiantur cum cubiculi janua aperta, ac velo levato, itaut conspici, non autem audiri possint.*

III. *Ut hoc confessionis sacramentum* – confessarii seculares cum superpelliceo, et stola; regulares vero cum stola ministrent in Ecclesia, nisi ex rationabili causa audire aliquos in sacrario, seu alio decenti loco quandoque occurrat.

Notandum tamen est circa suspensionem ipso facto incurrendam ab audiendis confessionibus, si sine stola confessiones audiantur, ut in cit. decreto, quod hodie ista suspensio est tantum ferendæ sententiæ: in edicto enim Bened. XIII. *sub die* 8. *Novemb.* 1726. *per extensum relato in libro Bannimentorum ab an.* 1721. *usque ad* 1726. *pag.* 188. *a tergo, præcipitur parochis, & confessariis secularibus, ut cum audiunt confessiones in Ecclesia, vel in sacrario, illas audiant cum superpelliceo, & stola, Regularibus vero cum stola, sub eadem quidem pœna, sed sine clausula* ipso facto. ☜

CAPUT V.

Confessarius complicis nomen exquirens a pœnitente.

EX *Constitutionibus Bened. XIV.* Suprema 7. *Jul.* 1745. et Ubi primum 4. *nonas Jun.* 1746. *editis pro regnis Portugalliæ, & Algarbiorum, deinde ad universum catholicum orbem extensis Constit.* Ad eradicandum 4. *Kal. Octob.* 1746. *peccat lethaliter confessarius exquirens nomen, & habitationem complicis, cum quo pœnitens peccatum perpatravit, etiam prætextu procurandæ illius correctionis, aliorumque bonorum colligendorum: multoque magis, si deneget absolutionem, quando pœnitens ejusdem complicis nomen renuat revelare. Ob quod denegatæ absolutionis crimen, nedum suspensioni ab audiendis confessionibus decernitur subjiciendus, sed etiam Sacr. Inquisitioni intra terminum dierum in illius edictis præfigi solitum, & sub pœnis contra non denunciantes per eadem edicta infligi consuetis, denunciandus, & ab Inquisitoribus, prout in causis fidei puniendus* – dummodo tamen hujusmodi interrogandi, ac denegandi actus, talibus circumstantiis conjunctus sit, ac convestitus, quę sic agentem confessarium de adhęsione ad prędictam reprobatam praxim, *de expetendo nempe complicis nomine*, tamquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava credolitate suspectum reddant – *a quo tamen onere eximitur pœnitens in causa propria, nisi aliunde, quam ex propria confessione, noverit dictum confessarium* – aliquo ex superius enumeratis, et S. Officio denonciandis modis deliquisse – *tunc enim & ipse denuntiare teneretur.*

☞ CAPUT VI.

Confessarius non monens pœnitentes ab aliis solicitatos, de obligatione denuntiandi solicitantem.

EX *Constit. Greg. XV.* Universi Dominici 30. *Augusti* 1622. §. 7. *puniri potest a locorum Ordinariis, & Inquisitoribus, si hoc monendi officium prætermiserit, vel pœnitentes docuerit, non teneri ad denunciandum: & si confessarius fuerit regularis, qui sub quocunque prætextu eos ab hujusmodi onere eximat, incurrit excommunicationem Papæ reservatam ex Constit. Alex. VII.* Licet alias 8. *Jul.* 1660. *quamvis hæc Constitutio loquatur generatim de Religiosis, etiam non confessariis, ut videre est in Additione post cap. VII. verbo* Hęresis. ☜

☞ CAPUT VII.

Confessarius ordinarius, & extraordinarius monialium.

IN *Constit. Benedicti XIV.* Pastoralis curæ 5. *Aug.* 1748. *prohibetur confessario ordinario monialium, ac etiam cujuscunque piæ domus, durante confessario extraordinario, qui deputari debet ut infra, audire confessionem cujuscunque monialis, sive Superiorissæ, sive novitiæ, sive conversæ, aut alterius cujuscunque personæ intra monasterium, aut piam domum commorantis, juxta disposita a* Clemente XI. *in suo edicto, publicato pro sanctimonialibus quorumcunque monasteriorum Almæ Urbis die* 12. *Decem.* 1708. *quod est XV. in secunda parte ipsius Bullarii, quodque hic Benedictus confirmat. Insuper in hac ead. Constit. præcipitur tam Episcopis quoad domos, aut monasteria eorum regimini subjecta, quam superioribus regularibus quoad illas communitates, quibus præsunt, ut meritis pœnis contravenientem coerceant, & afficiant.*

Pœna statuta in laudato edicto, ad quod Pontifex se refert, contra confessarium, est privatio ab hujusmodi officio: contra moniales vero apud ipsum confessionem sacramentalem peragentes, quoad Superiorissam privatio ab officio; quoad moniales, vocis activæ per unum annum: quæ tamen pœnæ sunt ferendæ sententiæ.

Confessariis vero extraordinariis deputatis alicui communitati generaliter, vel peculiariter alicui personæ distinctæ, inhibetur – Sub pœnis (*sunt verba Benedictinæ Constitutionis*) adversus accedentes ad monasteria monialium, & cum ipsis conversantes, præsertim Regulares, a Prædecessoribus nostris quomodocunque statutis (quas etiam præsentium vigore confirmamus, & innovamus) ne, postquam suum officium impleverint, ad idem monasterium ulterius accedere, aut ullius generis commercium intra ipsum quomodocunque continuare, & fovere, etiam sub spiritualis causæ, aut necessitatis obtentu, & colore, audeant, aut præsumant – *In cit. Clementis edicto contra hunc statuta est pœna carceris, ac aliæ arbitrariæ, si expleto officio, se ingerat in directione spirituali, etiam per litteras, quarumcunque ex supra enunciatis intra septa monasterii degentibus: contra Superiorissam vero, & moniales pœna privationis officii, & respective vocis activæ & passivæ, ut supra.*

Cum autem Benedictus hoc inhibuerit dd. confessariis sub pœnis contra accedentes ad monasteria monialium a suis Prædecessoribus quomodocunque statutis; has, præter inflictas in cit. edicto, tam quoad seculares, quam quoad Regulares, habes in Additione ad caput IV. verbo Monialis. ☜

CAPUT I.

Confessionem sacramentalem annuam omittentes.

Vide *verbo Sacramentum cap.* 2.

CAPUT II.

Confessionem sacramentalem fieri medicus non procurans.

Vide *verbo Medicus.*

CAPUT III.

Confessionem sacramentalem non esse necessariam post peccatum mortale ante communionem eucharisticam asserentes.

IN *Trid. sess.* 13. *cap.* 7. *de Sacrat. Euchar. Sacram.* habetur – communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum, *Probet autem seipsum homo:* ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat; quod a christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio celebrare incumbit, hæc Sancta Synodus perpetuo ser-

servandum esse decrevit, modo non desit illis copia confessoris. —

☞ *Statuit insuper, ut si, deficiente copia confessarii, ac urgente necessitate, celebraverint absque prævia confessione, quamprimum confiteantur. Quod quidem præceptum est, non consilium, ut declaravit Alex. VII. in damnatione Propositionum 38. & 39. inter alias ab eodem proscriptarum 18. Martii 1666. & li Quamprimum, non esse intelligendum, cum sacerdos suo tempore confitebitur. Sentiunt autem DD. communiter, li Quamprimum habere moralem latitudinem; ac proinde extendi posse ad unum, vel alterum diem.*

Quas propositiones docentes &c. & ad praxim deducentes, incurrunt pœnas, prout in Additione ad seq. cap. VI.

Ex communi pariter sententia hac eadem obligatione ligantur laici, si peccati lethalis conscii, casu aliquo sacram Sinaxim sumpserint, non præmissa confessione. ☜

II. In *Canone* 11. *eadem sess.* statuit, atque declarat ipsa Sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando, defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.

Nota, quod licet hæc excommunicatio hoc loco non sit reservata; tamen secundum probabiliorem sententiam est reservata ex *cap.* 1. *in Bulla Cœnæ Domini*, quia probabilis est, & communis sententia, quod sit de fide, præmittendam tunc esse confessionem ante Sacramentum Eucharistiæ: quod probant illa verba *Triden. can.* 11. *Statuit, & declarat*: quia non censetur imponere præceptum, sed declarare jam positum a jure divino: ita *Coninch. de Sacram. q.* 80. *art.* 4. *n.* 13. *Reginal. lib.* 29. *n.* 103. *Suar. de Sacr. disp.* 66. *sect.* 3. *conclus.* 3. *Henriq. lib.* 8. *cap.* 45. *n.* 3. *Bonac. de Sacr. Euchar. q.* 6. *punct.* 1. *n.* 3. & 35. & *Azor. lib.* 10. *cap.* 31. *q.* 1. *par.* 1. *Fagundez de præcep. par.* 6. *lib.* 3. *ca.* 8. *n.* 2.

Alii tamen dicunt, non esse hoc certum de fide, sed esse sensum totius Ecclesiæ, ejusque sententiam, & præceptum, sive traditionem Apostolorum, sive consuetudinem juris antiquissimam Ecclesiæ: unde contrarium asserere, non videri hæreticum, sed plusquam temerarium, & erroneum, ut *Victoria in summ. de Eucharistia, n.* 77. *in fin.* & *Suar. loc. cit.* ait probabilem, & tenet *Navar. cap.* 22. *n.* 10. *Tabiena verb. Communio n.* 30. *Richar. Palud. Hadrian. apud Azor. lib.* 10. *cap.* 31. *q.* 2. unde secundum hanc sententiam non esset locus excommunicationi in Bulla Cœnæ. Et facit pro hac secunda opinione, quod Ecclesia Græca non utitur hoc præcepto, seu consuetudine, *Azor. cap.* 31. *q.* 1. *in fine*: quia aliquæ traditiones Apostolorum fuerunt in una Ecclesia factæ, non in alia, ut *Azor. lib.* 8. *c.* 4. §. *Animadverten. tom.* 1.

Sed etiam in hac secunda sententia Papa non potest dispensare super hoc præcepto, quia est valde conveniens, & moraliter necessarium ad recipiendum Eucharistiæ Sacramentum: ita *Suar. sect.* 3. §. *Dico* 3. *in fine*.

CAPUT IV.

Confessionis sacramentalis sigillum, seu secretum violantes.

I. *Can. Sacerdos de pœniten. dist.* 6. Sanctus Gregorius ait: Sacerdos caveat, ne de his, quæ eis confitentur, peccata alicui recitet, nam si hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat.

II. *Cap. Omnis utriusque in fine de pœnit. & remiss.* ex Concilio Lateranen. sub Innocentio III. habetur: caveat autem omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ, caute requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus; verum etiam ad agendam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum.

III. Ex dictis juribus aliqui Doctores colligunt, revelantem secretum confessionis incurrere ipso facto infamiam, & consequenter irregularitatem, ex *dict. cap. Sacerdos*; & saltem posita notorietate juris, aut facti: quia omne crimen enorme depositione dignum notorium, infamat secundum magis communem, & reddit irregularem: de qua re dixi, *par.* 1. *cap.* 33. §. *Secundo modo*.

Dicitur autem crimen enorme de jure canonico, pro quo venit imponenda pœna detrusionis in monasterium, *Abbas in cap. Tuæ de pœniten. Clarus in praxi crimin. q.* 70. *versu Sunt etiam, Diaz. in praxi cap.* 139. qui dicunt, quod hodie hæc pœna non est in usu, sed ejus loco mittuntur rei vel ad ergastulum, vel ad carceres, etiam perpetuos, ut observatur in multis Religionibus, vel ut communiter practicatur, damnantur ad triremes; & hanc pœnam successisse in locum detrusionis in monasterium, ut ait *Farin. in praxi q.* 119. *n.* 55. ut in casu nostro contingit. Et quod revelans confessionem, sit irregularis ipso facto, tenet *Speculator*, quem sequitur *Majol. lib.* 5. *cap.* 19. *n.* 6. qui addit, irregularem quoque fieri secolarem, qui audita peccata alicujus confitentis sacramentaliter, revelat. Sed quod ipso facto, ante notorietatem criminis non sit irregularis, tenendum est: nam *cap. Sacerdos*, notat eos ignominiosos ratione illius publicæ, & solemnis pœnitentiæ, quæ reddit infamem, quando imponitur ex gravi delicto, ut dixi *part.* 1. *cap.* 33. *in fin.* sed non antequam imponatur specialiter ab homine. Si autem secuta fuerit sententia condemnatoria, non dubito, talem esse irregulatem, etiam speciali titulo ob infamiam juris ex hoc crimine publico.

Adverte autem, quod illa pœna peregrinationis fuit commutata per *dict. cap. Omnis*, in pœnam detrusionis in monasterium, & hodie pœna detrusionis in monasterium est commutata ex consuetudine in pœnam triremium, *Farinac. q.* 119. *n.* 55.

Adverte secondo, quod hujus criminis cognitio pertinet ad Sanctum Officium, quando revelatio confessionis est conjuncta cum hæresi: alias pertinet ad Ordinarium, *Molfes. tract.* 7. *cap.* 23. *n.* 68. & *seqq.* De pœnis autem ferendis contra tales delinquentes, vide *Menoch. de arbitr. casu* 414. *Bernar. Diaz. cap.* 112. & *ibi Salzedo*.

☞ *Vide etiam Pignatel. consult.* 54. *per tot. tom.* 7. *ubi ostendit, quando revelatio sigilli sacramentalis sit qualificata, ejusque cognitio pertineat ad Tribunal Sanctiss. Inquisitionis*.

Nota I. ex decreto Congreg. Generalis Inquisitionis, auctoritate Innoc. XI. edito 18. *Novembris an.* 1682. *proscriptam esse hanc propositionem* — Scientia ex confessione acquisita licet, modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, nisi alias multo gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur. Addita deinde explicatione, sive limitatione, quod sit intelligenda de usu scientiæ ex confessione acquisitæ cum gravamine pœnitentis, seclusa quacunque revelatione, atque in casu, quo multo gravius gravamen ejusdem pœnitentis ex non usu sequeretur. Hanc dictam propositionem, quatenus admittit usum dictæ scientiæ cum gravamine pœnitentis, etiam cum dicta explicatione præsenti decreto prohibent. —

Nota II. Clementem VII. 26. *Martii* 1591. *prohibuisse Regularibus hujusmodi notitiæ usum, sequenti decreto* — Tam superiores pro tempore existentes, quam confessarii, qui postea ad superioratus gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur. —

Vide cap. V. verb. Confessarius *quoad complicis nomen*. ☜

CAPUT V.

Confessionem sacramentalem inter absentes perfici posse asserens.

Vide *verb. Sacramentum cap.* 1.

☞ CAPUT VI.

Confessionem sacramentalem dimidiari posse asserens.

Innocentius XI. die 2. *Martii* 1679. *proscripsit hanc propositionem sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Papæ reservatæ in eam defendentes, vel edentes, vel de ea disputatione publice, aut privatim tractantes, vel prædicantes, nisi forsan impugnando: prohibens insuper in virtute S. Obedientiæ, & sub interminatione divini judicii eamdem ad praxim deduci, quæ est in ordine la*

59. — Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus pœnitentium; qualis v. g. potest

g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut Indulgentiæ. –

De fide enim est, teneri fideles ad integritatem etiam materialem manifestationis peccatorum in confessione sacramentali faciendæ, ut ex Conc. Trid. ses. 14. cap. 5. & can. 7. de Sacramento Pœnit. *nisi excuset aliquod impedimentum physicum, aut morale, & quidem fundatum: unde merito Alex. VII. die 24. Septem. 1665. damnavit sequentem propositionem sub iisdem pœnis, quibus supra, in eam docentes &c. & ad praxim deducentes, quæ est in ordine la*

11. – Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, vel ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere. –

Aliæ propositiones proscriptæ ad confessionem spectantes, sub pœnis, ut supra citato die 24. Septem.

Ab Alex. VII. quæ sunt in ordine la

15. – Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat. –

24. – Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ; ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem. –

25. – Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens, commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam. –

Ab Innoc. XI. die, qua supra, quæ sunt in ordine la

56. – Frequens confessio, & communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis. –

58. – Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem. –

60. – Pœnitenti, habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem. –

61. – Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere: quinimo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit. –

62. – Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit. –

63. – Licitum, est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

Ab Alex. VIII. die 7. Decem. 1690. quæ sunt in ordine la

16. – Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni, non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio naturæ rei id ipsum quodammodo dictantis. –

17. – Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus. –

18. – Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu. – ☜

CAPUT I.

Confiscatio bonorum Ecclesiæ ob delicta Clericorum, ab Inquisitoribus ne fiat.

C*Lem. secunda de hæret.* præcipit Inquisitoribus, & tam ipsorum, quam Episcoporum, seu capitulorum, Sede vacante, super hoc deputatis Commissariis quibuscunque, ne scienter attentent Ecclesiarum bona ob clericorum delicta, prædicti occasione officii, fisco, etiam Ecclesiæ, applicare. Quod si secus fecerint, excommunicationis sententiæ eos subjacere decernit ipso facto; a qua non possint absolvi, præterquam in articulo mortis, donec illis, a quibus extorserint, plene satisfecerint: nullis privilegiis, aut remissionibus super hoc valituris.

Ita dictam Clementinam, etiam contra Inquisitores procedere intelligunt Doctores communiter, nemine discrepante, licet in textu illo hodie non reperiantur expressi: ita *Suar. de cens. disput. 23. sect. 5. n. 24. Filiuc. tractat. 15. num. 207. Sanchez in decal. lib. 2. cap. 20. n. 4.*

CAPUT II.

Confiscationes Cameræ Apostolicæ defraudantes,

Vide *verbo Camera.*

CAPUT I.

Consecratio Ecclesiæ facta ab Episcopo hæretico, vel schismatico, vel excommunicato vitando.

I. SI Ecclesia consecrata fuerit ab Episcopo excommunicato vitando, idest vel nominatim denunciato, vel notorio clerici percussore, & consecratio fuit facta secundum ritum Ecclesiæ catholicæ in essentialibus, consecrata manet, sed eo ipso est polluta; & idem de aliis rebus consecratis, vel benedictis, & Sacramentalibus confectis ab excommunicato; nam rebus hujusmodi fideles uti non debent ante reconciliationem: ita *Jo. Andr. in c. Consuluisti, de consecr. Eccles. & ibi Host. & Abb. n. 5.* & tenet *Navar. cap. 27. n. 258.* & communem fatetur *Suarez de Sacr. disput. 81. sect. 4. §. Quarta violatur*, & multos allegat *Barbos. allegat. 27. n. 28.* quamvis *Suarez ibi*, & alii nonnulli contrarium teneant de rigore, scilicet & consecrationem validam esse, & rem consecratam non esse pollutam; & id sequitur *Layman lib. 5. tit. de Sacr. Missæ, cap. 5. n. 9.*

II. Ecclesia consecrata ab Episcopo hæretico, vel schismatico, si non desint essentialia consecrationis, est valide consecrata, neque indiget reconciliatione; scilicet si fidem Trinitatis tenuerit, & consecrarit chrismatis unctione, & Sanctarum Reliquiarum depositione, *ut gloss. in cap. Ecclesias 21. de consecrat. dist. 1. verbo Precibus, & verbo Consecrare:* ita *Suar. & Laym. loco citato.* Secus est, si non fuit facta consecratio in forma Ecclesiæ catholicæ, quia tunc Ecclesia non est vere consecrata, ideo est de novo in forma Ecclesiæ catholicæ consecranda, ut *dict. cap. Ecclesias, & cap. 22. Arianorum, de consecr. dist. 1.*

Quod autem ait *Baron. tom. 6. pag. 595.* ex Concilio Epaunense, statutum fuisse Ecclesias hæreticorum indignas esse reconciliatione catholica, nisi fuerint de vi occupatis per hæreticos, non obstat: quia illud est Concilium provinciale, supradicti autem sunt canones summorum Pontificum.

III. Verum est, quod Ecclesia ab hæretico Episcopo, vel schismatico nominatim declarato consecrata, eo ipso est polluta, ut supra dixi: ideo reconciliatione indiget, non consecratione: & hoc modo concordanda, & limitanda sunt supra dicta jura.

☞ CAPUT II.

Consecratio Calicum facta ab Abbatibus pro servitio alienæ Ecclesiæ.

E*X generali decreto Sac. Rituum Cong. confirmato ab Alexan. VII. 27. Sept. 1659. & relata n. 364. & 365. in collectione decretorum ejusdem Cong. dicata Bened. XIV. edit. Venetiis 1750. hujusmodi consecratio iis vetita est, ut sequitur* – Prælati, Episcopis inferiores, ecclesiasticam supellectilem pro servitio dumtaxat suarum Ecclesiarum, vel monasteriorum benedicere valent – Prælati, Episcopis inferiores, aliqua pontificalia extra loca ipsis subjecta, vel pro servitio alienæ Ecclesiæ, aut in subditos pariter alienos, etiam de licentia Ordinariorum, exercere non possunt: puta campanarum benedictiones, Calicum, & similium, in quibus Sacra adhibetur Unctio, nec non minorum Ordinum collationes – *ideoque sine speciali indulto pro alienæ Ecclesiæ servitio hæc peragere nequeunt; & contrafacientes puniri posse per censuras in vim ejusdem decreti ab Episcopis, tamquam Sedis apostolicæ delegatis, innuit Bened. XIV.* de Synod. Diœc. lib. 9. cap. 15. n. 21. edit. Patav. 1756.

Cæteri vero Prælati regulares usu pontificalium carentes, nec pro servitio suarum Ecclesiarum consecrare possunt ea, in quibus adhibetur Sacra Unctio, ut ex ejusdem S. Cong. decretis 14. Nov. 1615. 3. Decembr. 1616. 2. Maji 1619. 21. Martii 1620. 7. Aug. 1621. & 20. Jul. 1630.

Nota, eosdem Abbates, aliosque Prælatos jurisdictionem quasi episcopalem exercentes, non posse sine speciali Sedis apostolicæ Indulto (quod raro admodum concedi solet) Ecclesias, & Altaria consecrare, ut luculenter demonstrat dictus

Bened. cit. tract. de Synod. lib. 13. cap. 15. num. 2. & seqq. ☜

CAPUT I.

Conservatores limites suæ jurisdictionis excedentes, & alii id procurantes.

IN *cap. Hac Constitutione*, §. *Ne autem de off. deleg. in 6.* habetur, quod conservatores, si scienter se intromiserint in aliis (quam in manifestis injuriis, & violentiis) seu in aliis, quæ judicialem indaginem exigunt, eo ipso sunt suspensi per annum ab officio; & pars, quæ hoc procuraverit, excommunicationem ipso facto incurrit, & non potest absolvi, nisi prius integre satisfecerit parti læsæ, seu indebite fatigatæ de expensis: etenim conservatores secundum jura non possunt exercere judicialem indaginem; *Rota decis. 616. n. 1. & seq. par. 2. Recent.*

Limitant aliqui, quod ista suspensio non sit a divinis, sed solum ab officio conservatoris: ita *Bonac. de censur. in partic. disp. 2. q. 2. punct. 35. n. 8.* & ita intellexisse videtur Gregorius XV. *in suo decreto de conservatoribus*. Sed alii dicunt, esse suspensionem ab officio conservatoris, & ab officio clericali, seu a divinis; quia nomen officii potest utrunque complecti: ita *Suarez de censur. disp. 31. sect. 3. n. 17. Barbos. in dict. c. Hac constit. n. 19. Moneta de Conservatoribus, c. 7. n. 561.* At communis sententia tenet, esse suspensionem ab officio clericali, & jurisdictione conservatoria, & a beneficio: ita *Gloss. in dict. c. verb. Officio, ibi Monach. n. 4. Archid. ibi, Gemin. n. 2.* qui testatur de communi, & tenet *Sorbus verbo Conservatores*, §. *Tamen conservator, & Cochier. tract. de Conservatoribus par. 1. q. 12. a. 1. cum Sayro & Ugolino*. Sed hodie propter decretum Gregorii XV. ut infra dicam, procedit solum illa prima sententia, quia saltem hoc jus per illud est correctum.

Limita secundo, quod ista Constitutio pœnalis, solum procedit de conservatoribus secundum jura, qui scilicet habent tantum delegatam jurisdictionem super manifestis injuriis, & violentiis; non autem procedit in conservatoribus secundum privilegia, quales sunt qui a religiosis exemptis eliguntur secundum privilegia: nam hi secundum aliquos jurisdictionem habent ordinariam, & judicant omnes causas Regularium in prima instantia, si conveniantur, & non ipsi alios conveniant, ut ait *Molina disp. 29. n. 1.* vel saltem continentur nomine judicum ordinariorum; quia quoad modum procedendi illis assimilantur, licet proprie sint delegati, ut tenet *Navar. cons. 3. de off. deleg. Rota d. decis. 116. n. 2. & 3.* ubi *n. 4.* cum Sacra Congregatione ait, tales conservatores secundum privilegia, non esse abrogatos per *Trid. sess. 24. c. 20. de reform.* & hanc limitationem tenent *Molina ibid. n. 7. Quaranta verb. Privilegia* §. *Has declarationes, Navar. c. 27. n. 125. Suar. disp. 23. sect. 4. n. 10. Filiuc. tract. 14. n. 18. Moneta de Conservatoribus c. 7. a. 587. Bonac. loc. cit. punct. 35. n. 1. Cochier. loc. cit. n. 2. vers. Limitatur.*

Limita tertio, quod illa excommunicatio, satisfacta parte, non erit reservata, sed poterit quis a proprio confessario absolvi: ante autem est reservata Papæ, ut *Filiuc. tract. 14. n. 53. 58. Azor. tom. 2. c. 34. quæst. 13. Gemin. Franc. & Monach. hic & Barbosa ibidem n. 20. & 12.*

II. In decreto Gregorii XV. *anno 1621. die 10. Septemb.* edito, quod describi voluit in quinterno Cancellariæ, & est Constitutio nona ejusdem Gregorii in Bullario; primo revocatæ sunt omnes deputationes conservatorum, sive secundum jura, sive secundum privilegia hactenus factæ. In posterum autem noluit, validas esse, nisi servata hac forma, scilicet ut sint personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, vel personatum obtinentes, vel canonicatum in Ecclesiis cathedralibus, juxta *c. Statutum de resc. in 6.* & quod sint nominati in provinciali, diœcesanave Synodo; & deinde ex iis electio conservatorum fiat, juxta Tridentinum *sess. 25. c. 10. de ref.* & juxta *Bullam Clem. VIII. tertiam*. Si hæc forma in nominandis conservatoribus servata non fuerit, nominatio erit nulla eo ipso: & Regulares, qui ausi fuerint taliter nominare, aut taliter, idest contra formam, nominatis uti, incurrunt ipso facto pœnam privationis vocis activæ, & passivæ; & rehabilitatio eorum Papæ reservatur. Item Regulares, et seculares carebunt conservatore per annum: quo anno ab Ordinariis locorum causæ cognoscendæ erunt, etiamsi essent alias exempti.

Item statuit Gregorius ibidem, ut si aliquem ex nominatis in Synodo mori contigerit, substituat alium Ordinarius in locum illius cum consilio capituli usque ad futuram Synodum. Item statuit, ut quoties Regulares, aliive exempti, conservatorem elegerint aliquem ex dictis nominatis in Synodo qualificatis, ut supra, debeant talis electionis instrumentum exhibere apud acta Curiæ Ordinarii; & nisi hæc observaverint, interim conveniri debeant coram Ordinario loci; utque nullus mutare debeat conservatorem electum secundum privilegia, nisi saltem post singula quinquennia, nisi ex causa cognita, vel ab Ordinario loci, vel a Papa, ad electionem eorundem exemptorum.

III. In eodem Gregorii XV. decreto statutum est, ut Regulares coram conservatore conveniri quidem possint, & debeant, non autem ipsi coram illo alios convenire, seu trahere (in quo Gregorius extendit, quod a *Trid. supra cit.* fuerat ordinatum de conservatoribus secundum jura, ad conservatores secundum privilegia) utque in casu, quo Regulares, ut rei conveniuntur coram suo conservatore, non possit conservator procedere contra personas existentes extra diœcesim, in qua sunt conservatores nominati: utque controversia orta inter conservatores, & Ordinarios de jurisdictione, definiatur per arbitros in forma juris electos: & interim supersedeatur super causa principali: in quo se conformavit Gregorius *dict. Trid.* decreto *sess. 25. cap. 10. de ref.*

Conservatores autem, si limites suæ jurisdictionis excedant, sive contra supradicta, sive alias quomodolibet, incurrant eo ipso suspensionem ab officio conservatoris per annum; & pars, quæ hoc fieri procuraverit, sententiam excommunicationis incurrat, a qua, non nisi satisfacta parte, absolvi possit; & in hoc se conformavit ex parte *c. fin. de offic. deleg. in 6.* & ex parte illud reformavit, ut *supra* dixi *n. 1.*

Nota hic, quod Sacra Congregatio Concilii postea sua declaratione edita, quæ habetur in Bullario ad calcem dicti decreti Gregorii XV. declaravit, per hanc Bullam non esse ablatam facultatem, quin conservatores Regularium possint illos defendere, agentes contra alios reos, a manifestis injuriis, & violentiis, dum a suis possessionibus dejiciuntur, aut propriis bonis uti frui impediuntur, dummodo utantur forma Constitutionis *Innoc. IV. & Bonif. VIII. relat. in c. 1. & fin. de offic. deleg. in 6.* idest, dummodo habeant alia requisita in conservatoribus secundum jura: & ut non trahant reos ultra unam dietam, ut *d. c. fin* §. *Conservatores*. Quamvis autem ex *dict. c. fin.* trahentibus ultra unam dietam nulla esset censura, vel pœna latæ sententiæ imposita; hodie tamen ex dicto Gregorii XV. decreto incurrunt & ipsi conservatores, & pars instans in pœnas præfatas.

Limita tamen, quod poterit trahere ultra unam dietam, si tales religiosi, seu exempti, habeant super hoc speciale privilegium, quod quidem multæ Religiones habent.

IV. Conservatores, si excedant limites suæ jurisdictionis in præjudicium jurisdictionis Diœcesani, seu Ordinarii loci, incurrunt in excommunicationem latam in Bulla in Cœna Domini, contra usurpantes jurisdictionem ecclesiasticam Ordinariorum. Vide *Barbos. in c. Si clericus laicum n. 2. de judic.* & Doctores super *c. 17. Bullæ in Cœna Domini*. Poterit autem in tali casu declarari, incurrisse eam excommunicationem, ab ipso Ordinario loci, quem taliter offendit.

☞ *Circa conservatores vide Constitut. Innocentii X.* Cum sicut *14. Maji 1647. ubi explicatur clarius cit. Gregorii XV. Constitutio: vide etiam Benedictum XIV. de Synod. Diœc. edit. Patav. 1756. lib. 4. cap. 6. & Additiones meas ad instit. Canon. Remigii Maschat. par. 1. pag. 449. n. 22.* ☜

CAPUT I.

Consistorii secreta a Cardinalibus non revelanda.

IN Bulla 7. Leonis X. in Concilio Lateranensi sub eodem Leone *sess. 9. tit. de Card. in fine fol. 127.* in impressione nova Romana, ut pro reverentia Sedis Apostolicæ, & utilitate, & honore communi Pontificis, & Cardinalium, utque scandalorum occasio tollatur, maiorque in Sacro Senatu, seu Consistorio libertas votorum fiat, statutum est, ne quis Cardinalium vota in Consistorio data, & quæcunque ibi gesta, aut dicta, quæ in odium, aut præjudicium, aut scandalum alicujus redundare possint, scripto, aut verbo, aut quovis alio modo revelet, sub pœna perjurii, & inobedientiæ.

Quotiescunque autem a Papa specialiter, et expresse ultra præmissa indictum fuerit super aliqua re silentium, si

quis

quis contra fecerit, ultra pœnas prædictas, excommunicationem latæ sententiæ incurrat; a qua non possit absolvi, nisi a Romano Pontifice, et cum expressione causæ, præterquam in mortis articulo. De hac re *Navar. c. 27. n. 110. Barb. alleg. 50. n. 128. Bonac. de censur. in partic. disp. 2. quæst. 7. punct. 2. n. 3. Filiuc. tract. 15. n. 200.*

CAPUT I.

Conspiratio.

Conspiratio, quæ varia etiam sortitur vocabula, puta, Conventicula, Concilia, Factiones, Partialitates, Partes, Sectæ, definitur ab Archidiacono in can. Conjurationum *21. caus. 11. q. 1. & Glossa in cap.* Per tuas *32. de simon. vers.* Conspirationes, *multorum conventio ad subversionem status, seu dignitatis alterius; & quoad finem intentum, idem est ac conjuratio, in hoc solum differens, quod illa nudum dumtaxat consensum multorum, hæc vero juramentorum etiam contineat, quo idem consensus magis roboratur.*

Si utraque fiat a laicis, clericis, & monachis contra personam privatam, pœna est arbitraria: si vero contra proprium Episcopum, laicos excommunicandos, ac infames declarandos esse decrevit Calixtus Papa, ac etiam ipsis consentientes, ut can. Conspirationum *22. cit. caus. & quæst. Si fiat a clericis, vel monachis, tam contra proprios Episcopo, quam contra alios clericos, deponendi, aut pariter infames declarandi sunt, prout statutur in cit. can.* Conspirationum *& Conjurationum, ac can.* Si qui *23.* Si clerici *24. & can.* Si qui clericorum *25. dict. caus. & quæst. immo etiam Curiæ sæculari tradendos esse asserit Ludovic. de Ameno* tom. 3. de delict. & pœn. §. 4. num. 36. *si incorrigibiles reperiantur. Qui insuper extendit hanc depositionis pœnam ad conspirantes, nedum contra proprios Episcopos, & quoscunque alios clericos, sed etiam contra monachos; quamvis ceteroqui cit. canon* Conjurationum *eam extendat ad conjurantes contra soles proprios Episcopos, aliosque clericos.*

Nota cum eodem Ameno loco cit. n. 10. Regulares Mendicantes, reos conspirationis hac pœna non esse plectendos, cum ex generali regula in odiosis non veniant nomine monachorum. ☜

CAPUT I.

Consuetudinem contra libertatem ecclesiasticam observantes, vel servari facientes.

I. IN *c. Noverit, de sent. excom.* consuetudinem contra libertatem ecclesiasticam servari facientes, vel servare præsumentes, judicando secundum eam, & alii cooperantes, ut potestates, consules, rectores, & consiliarii locorum, ubi hujusmodi consuetudines servatæ fuerint, aut editæ: item qui in authenticam formam scribere præsumpserit taliter judicata, incurrunt excommunicationem ibi latam, sed non est reservata in ea decretali; sed bodie videtur reservata ex Bulla in Cœna Domini *c. 15.* contra consuetudinem inducentes, aut observari facientes contra libertatem Ecclesiæ; ita tenet *Sayr. lib. 3. c. 19. n. 10. Seusa in c. 16. in Bulla Cœnæ disp. 18. num. 6. Coriol. & alii apud Dianam resol. 58. tract. 1. sem. 2.*

Sed alii contra tenent, quia in Bulla Cœnæ, *c. 15. cit.* non fit mentio de consuetudine, sed de statutis, & legibus, seu jure scripto; & ita tenet *Suar. disp. 21. sect. 2. n. 86. Duard. in Bulla eadem can. 15. n. 361. Filiuc. tract. 16. n. 268.* Verum tamen est, quod *in dict. c. 15. Bullæ Cœnæ* excommunicantur condentes leges, vel statuta contra libertatem Ecclesiæ; & iis utentes etiam prætextu cujusvis consuetudinis. Quando ergo consuetudo observaretur, vel observari procuraretur, tanquam confirmativa juris scripti, tunc esset locus sine dubio excommunicationi reservatæ in Bulla Cœnæ.

II. Nulla est ipso jure omnis consuetudo, quæ sit contra libertatem ecclesiasticam, etiamsi sit immemorabilis, quia a jure civili, & cannnico, tanquam corruptela est damnata: ideo non excusat a censuris præfatis: ita *auth. Cassa C. de sacros. Eccles. & dict. c. Noverit. & c. 15. Bullæ Cœnæ:* quia nulla consuetudo, etiam immemorabilis, potest jus tribuere ad ea, quæ quis citra Papæ privilegium obtinere non potest: ita in terminis *Vasq. de success. §. 10. n. 651. Suar. consf. 301. n. 55. lib. 3. Natta cons. 495. n. 14. lib. 3. Ugolin. in dict. c. 15. Bullæ verf. 6. Afficit, Filiuc. n. 274. Azor. tom. 1. lib. 5. c. 14. q. 5. & Rota decis. 839. in antiq. Clarus §. fin. quæst. 36. n. 13. Cened. collect. 57. n. 1. par. 1. Anton. Gabr. comm. concl. tit. de præscript. lib. 5. conclus. 1. n. 17.*

Limita, quod consuetudo immemorabilis cum fama constanti privilegii Papæ, juvat, et excusat a pœnis, & præsumi facit titulum justum in iis, quorum quis citra privilegium Papæ non est capax, sed cum illo est capax, *Suar. desens. libert. Eccles. lib. 4. c. 34. n. 17. Layman lib. 4. tract. 9. c. 10. n. 2. Tuscus, verb. Judex concl. 453. n. 46. Rota divers. par. 2. decis. 215. n. 4. & post Farinac. par. 1. decis. 698. n. 4. & par. 2. decis. 545. n. 1. Mantica decis. 280. n. 2.*

☞ *Adest etiam Constit. Urbani VIII.* Romanus Pontifex *5. Jun. 1641. damnans quascunque consuetudines immemorabiles, etiam cum asserta forma privilegii apostolici, militantes contra libertatem ecclesiasticam, & Ecclesiis, ac personis ecclesiasticis, earumque bonis præjudiciales, cui Constit. concordat cit. Bulla Cœnæ, & Authentica Cassa de sacrosanct. Ecclesiis, quamque per partes optime expendit Fagnan.* lib. 1. cap. Consuetudines 1. de consuetud. 2. n. 58. ad 81. ☜

CAPUT II.

Consuetudinis iniquæ observationem jurantes, vel jurari facientes.

Vide *verbo Juramentum.*

☞ CAPUT I.

Contritio.

Vide *Attritio.* ☜

☞ CAPUT I.

Conventicula, cœtus, seu societates illicitas ad libidines, falsas religiones, factionesque ineuntes.

LEge cæsarea puniuntur variis pœnis, *ut vis publicæ, proscriptionis domus, aliisque arbitrariis* Tit. ff. de Colleg. & Cor. L. 15. C. de Episcop. & Cler. *ac insuper privatione cujuscunque successionis ad hæreditates. Lege ecclesiastica prohibentur cap.* Cum ex injuncto 12. *de Hæret. & si sunt in præjudicium spretum, aut contra Religionem, ea ineuntes denuntiandi sunt S. Inquisitioni, ut ex ejusdem edicto 6. Novemb. 1754. Novissime a Clem. XII. Constit.* In eminenti *4. Kal. Maji 1738. confirmata a Bened. XIV. Constit.* Providas *18. Maji 1751. prohibita sunt conventicula, societates, cœtus, conventus, collectiones, sive aggregationes, aliter nuncupatæ, vulgo* de' Liberi Muratori, *seu* Des Francs Mangons, *sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, Papæ reservatæ, ab audentibus, vel præsumentibus* — hujusmodi societates inire, vel propagare, aut confovere, receptare, occultare, iisque adscribi, aggregari, aut interesse: — *Qui insuper puniendi sunt tam ab Episcopis, & Prælatis superioribus, quam ab hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, tanquam de hæresi vehementer suspecti. In his autem conventiculis, seu societatibus* — cujuscumque religionis (*ut narrat Clemens*) & sectæ homines, affectata quadam contenti honestatis naturalis specie, arcto æque, ac impervio fœdere, secundum leges, & statuta sibi condita, invicem consociantur; quæque simul clam operantur, tum districto jurejurando ad sacra Biblia interposito, tum gravium pœnarum exageratione, inviolabili silentio obtegere adstringuntur. — ☜

CAPUT I.

Criminosi si recipiantur ad habitum, vel professionem religiosam.

PRimo, in Bulla Sixti V. 71. *Cum de omnibus* §. 4. statutum fuit, ne in Religionem quisquam recipiatur ad habitum, vel professionem, nisi præcedente scrutinio, seu inquisitione de parentibus, patria, vita, & moribus, & cum informatione fide digna, quod tales non sint rei, neque suspecti graviorum criminum, ut homicidii, furti, latrocinii, unde damnati sint, vel periculum sit, ne damnentur.

Item, ut constet eos non humana, sed divina ratione moveri, & de his omnibus, in capitulo generali, vel provin-

vinciali plena, & certa fide facta a Generali, vel Provinciali, & definitoribus, approbati admittantur.

Secundo, item statuit in eadem Bulla, juncta Bulla sequenti, Ad *Romanum* §. 17. ut criminosi, aut suspecti criminum, ut supra, cum actis publicis constiterit, curiam secularem ante susceptionem habitus de ipso crimine adversus eos accusationem suscepisse, vel inquisitionem instituisse, inhabiles sint ad professionem, itaut professio eorum sit nulla: de hac re vide *Sanch. in decal. lib. 4. c. 16. n. 39.* Item statuit, ut sit nulla professio, si sine scrutinio supradicto alicujus receptio fiat, & ut expelli debeat.

Tertio, ut recipiens supradictos inhabiles ad habitum, vel professionem, sive sit superior, sive alius religiosus, ut definitores, & capitulares, ipso facto incurrat privationem vocis activæ, & passivæ, officiorum, graduum, honorum, dignitatum obtentorum, & inhabilitatem ad hujusmodi de cætero obtinenda.

Quarto, ut curia secularis contra tales male receptos, quando scilicet professio est irrita, nihilominus procedere possit civiliter, & criminaliter.

In Bulla Clem. VIII. *In suprema* Constit. 83. statuta est moderatio supradictæ Constitutionis Sixti V. hoc modo:

Primo ablata est nullitas professionis in omnibus casibus dictæ Bullæ, idest, sive in casu, quo criminosi recepti fuerint, sive in casu, quo receptus quis fuerit sine scrutinio, seu informatione: & reduxit in hac parte illam Constitutionem ad terminos juris communis.

Secundo, statuit, ut pœnæ contra religiosos superiores admittentes ad habitum, & professionem contra supradictam formam locum habeant, itaut isti incurrant nihilominus in pœnas prædictas: non tamen procedant illæ pœnæ contra alios religiosos participes, ut definitores, vel capitulares suffragium dantes: & de hac moderatione tractat *Sanch. in decal. lib. 4. c. 19. n. 21.* ubi late explicat, *& lib. 5. c. 4. n. 61.*

Attenta igitur hac moderatione, hodie cujuslibet criminosi, etiam ad judicium delati, etiam in fraudem fori secularis ingredientis, professio est valida (nisi alias ex Constitutionibus Religionis illius a Papa specialiter super hoc approbatis irritetur) & est valida, etiamsi sine informatione prævia recipiantur; ita ex dict. Bulla Clem. VIII. ut observat *Sanch. lib. 5. c. 4. n. 61.*

Item hodie non prohibetur criminosis ex sua devotione ingredi, non in fraudem, ut infra dicam *in fin. hujus cap.* quia sic est de jure communi, *Covar. pract. quæst. c. 32. n. 4. Miranda tom. 1. man. quæst. 19. art. 8. ante finem, Filiuc. tract. 16. n. 265.* & de magis communi testantur *Clar. §. fin. quæst. 36. vers. Sæpe numero contingit, colum. antep. Gutier. prac. quæst. 5. n. 2. lib. 1.* Si tamen habet impedimentum secundum Constitutiones Religionis irritans, sive solum impediens, tenetur illud revelare superioribus, ad quos pertinet admittere, & non potest illud citra peccatum mortale occultare, ad hoc ut recipiatur, *Abb. in c. Innotuit n. 6. de elect. Suar. to. 3. de relig. lib. 5. c. 7. n. 18.* ubi ait, quando impedimentum non irritat, tunc superiores considerare debere, an de jure communi licite recipi possit ex natura rei, considerata decentia, & utilitate personæ ad talem statum &c.

Adde, quod est necessarium scrutinium, seu informatio, etiam quando ii, ad quos pertinet admittere, habent sufficientem notitiam personæ admittendæ, quia forma non est accidentalis, quæ potest per æquipollens adimpleri: ita sentit *Rota decis. 175. n. 3. & 4. par. 1. Recent.* sed essentialis, quia debet approbari in capitulo generali, aut provinciali.

Quod si criminosus Religionem ingrediatur bona fide, & non in fraudem, non poterit de cætero judex laicus contra illum procedere ullo modo: ita *Covar. Miranda, Clarus, Gutier. ubi supra* cum communi sententia. Si vero in fraudem ingressus fuerit, tunc remanebit subjectus foro laicali ratione causæ, & bonorum, sed non personæ: unde poterit judex laicus contra eum procedere, puniendo illum in bonis; ita de jure communi communem ait *Guttier. n. 3. & Clarus* ubi *supra*; & in terminis hujus moderationis docent *Filiuc. l. c. Bonac. super Bulla Cœnæ Domini disp. 1. quæst. 16. sec. 1. pun. 5. n. 10. Bartol. de Vecchis in praxi novitiorum disp. 12. n. 11. Diana resol. 33. tract. 1. tom. 2.* Aliqui tamen dicunt, neque in bonis posse puniri per laicum judicem, etiamsi in fraudem ingressus sit, ut *Marta de jurisd. p. 4. cent. 2. casu 121. a n. 22. Diana ibid.*

Si tamen criminosus in fraudem ingressus, jam antea fuit a Curia seculari carceratus, & contra fidem erupit, vel fuerat verbaliter degradatus; tunc Doctores dicunt, posse a laico judice contra eum, etiam in personam procedi, *Abb. in c. 1. de oblig. ad ratiocin.* & de communi testatur *Filiuc. tract. 16. n. 265.* Quod limita, nisi esset in sacris; quia tunc esset prius realiter degradandus ab ecclesiastico judice, prævia sententia, *Layman lib. 4. tract. 9. c. 4. n. 11. vers. Ut distinctius*: & similiter poterit contra eum procedi in personam, si professionem faceret in carceribus laicis, ut *Sylvest. verbo Judex n. 6. in fin. cum Guil. Laud.*

Sed quæres, quando dicatur in fraudem ingredi? respondeo, secundum Bullam Sixti V. declaratoriam supradictæ Constitutionis, ad hoc ut pœnis ibi inflictis locus sit, requiritur, ut intervenerit accusatio, vel inquisitio specialis cœpta, idest de tali delicto contra talem personam, & quod dicta inquisitio sit legitima, scilicet præcedente infamia, aut semiplena probatione, *Suar. tom. 3. de relig. c. 7. n. 17. & 18.* Tamen, ut dicatur illicita receptio secundum jus commune, ille dicitur in fraudem ingredi, qui fuit prius de delicto delatus in judiciu, vel diffamatus, ut tenet *Molina disput. 49. n. 21. tract. 3. Bart. in l. 1. n. 3. ff. de pœn.* magis communem ait *Clarus quæst. 36. vers. Sed in hoc proposito, & Filiuc. tract. 16. n. 265. Gutier. pract. q. 5. n. 5. lib. 1. Diana resol. 26. tract. 2. tom. 1.*

Nota, quod dicta Sixti Constitutio non procedit in Monialibus, ut habetur in dicta Bulla Sixti declaratoria §. 18. neque contra criminosos viros, secuta sententia absolutoria, vel concordata Curia, ita ut non timeatur ulterior molestia; *Suarez c. 7. n. 19. Sanch. lib. 4. c. 16. n. 39. in decal. Miranda loco cit.*

CAPUT I.

Ad Curiam Romanam recurrens, vel ibi causas prosequens, si occasione dictarum causarum offendatur personaliter, vel realiter, publica, vel privata potestate.

I. IN *cap. 12. Bulla in Cœna Domini* fertur excommunicatio contra illos, qui occidunt, vel quoquo modo percutiunt, vel bonis spoliant per se, vel per alios directe, vel indirecte personas quascunque ecclesiasticas, vel seculares ad Romanam Curiam super eorum causis, & negotiis recurrentes, vel in eadem Curia ea prosequentes, eorumque procuratores, negotiorum gestores, advocatos, agentes, auditores, judices, si ista fiant occasione dictarum causarum, seu negotiorum Curiæ: & continet hæc excommunicatio non solum principales delinquentes, seu committentes, & executores, sed etiam auxilium, consilium, & favorem præstantes.

Amplia, ut procedat non solum, si offendantur personaliter recurrentes, sed etiamsi realiter recurrentes per suos procuratores, licet ipsi absentes sint, & offendantur occasione dictarum causarum, seu negotiorum Curiæ, vel recursus, *Sayr. lib. 3. cap. 16. n. 5. Filiucc. tract. 16. n. 180. Bonacina super Bulla eadem, disp. 1. quæst. 13. punct. 2. n. 2.*

II. In Bulla Alexandri VI. *In eminenti* 11. apud Laertium, statutum est, ut si quis adversarium suum in causa, sive ecclesiastica, sive laicali, sive mixta, vertente in Romana Curia, vel adversarii procuratorem, advocatum, vel causæ auditorem, judicem, testem, notarium præsumpserit minis afficere, invadere, verberare, mutilare, vel occidere per se, vel per alium quomodolibet ejusdem causæ occasione: aut si qui taliter delinquentem receptaverit, defenderit, occultaverit, eique consilium, auxilium, vel favorem dederit per se, vel per alium, incurrat eo ipso; primo excommunicationem latam in Bulla Cœnæ Domini, reservatam Papæ, & in pœnam amissionis omnis juris, & actionis in ea causa. Quod si mors, aut membri mutilatio a prædictis causata fuerit, incurrit tam principalis, quam cooperans, ut supra, eo ipso pœnam depositionis ab omni dignitate, officio, ordine, & beneficio, ac læsæ majestatis pœnas; eorumque officiorum, & beneficiorum dispositio Sedi Apostolicæ reservatur; & sunt eo ipso in suis bonis omnibus a cunctis perpetuo diffidati, banniti, & infames, & inhabiles.

III. Statutum est in eadem Bulla Alexandri VI. ut quicunque sciverit, aliquem præmissa commisisse, procurasse, aut meditatum esse, illum teneatur Papæ immediate, vel mediate denunciare quamprimum; alias in excommunicationem Papæ reservatam incidat eo ipso: quod si denuncians fuerit complex, veniam, & impunitatem consequatur.

Nota, quod ista Alexandrina Constitutio, cum sit edi-

ta

ta ob publicam quietem, & securitatem, est favorabilis, & ideo extendenda, ut etiamsi expresse non constet, collitigantem offensum esse occasione litis in Curia vertentis, si tamen non constat de alia causa, præsumatur occasione dictæ litis offensus a collitigante, *Puteus decis.* 102. & 103. *lib.*1. *Rota divers. decis.* 639. *n.* 1. *par.* 1. *Mandos. cons.* 61. *n.* 3. Item procedit, etiamsi persona ex prædictis offensa fuerit, existens extra Curiam, si tamen lite in Curia adhuc vertente, *Put. decis.* 104. *n.* 1. *lib.* 1. *Rota divers. ubi supra n.* 2. *Mandos. consil.* 60. *n.* 11.

CAPUT II.

In Curia Romana propter negotia Curiæ commorantes, si quis vexet in eadem Curia via jurisdictionis usurpatæ, etiam non occasione eorundem negotiorum.

I. CAp. 9. *Bulla in Cœna Domini* excommunicantur ii, qui jurisdictionem ordinariam, vel delegatam a Papa, vel a judicibus Sedis Apostolicæ, seu Curiæ Romanæ non habentes, illam sibi temere vindicantes, morantes in Curia audent interficere, mutilare, spoliare, capere, vel detinere, sua, vel aliorum opera.

Nota, quod licet Bulla loquatur de talibus vexantibus commorantes in Curia, non intelligitur tamen de omni commorante in Curia, etiam materialiter, ut pro suis lucris, aut utilitatibus non concernentibus Curiæ negotia; sed intelligitur de commorantibus in Curia formaliter, idest, propter negotia Curiæ Romanæ: ita *Cajetan. excomm. cap.* 14. *Sayr. lib.* 3. *cap.* 13. *n.* 3. *Filiuc. tract.* 16. *n.* 165. *Tolet. lib.* 1. *cap.* 25. §. *Aliud dubium*.

CAPUT III.

Ad Curiam Romanam personaliter accedentes pro negotiis ejusdem Curiæ, vel redeuntes vexans injuste, etiam non occasione eorundem negotiorum.

CAp. 9. *Bulla in Cœna Domini* excommunicantur omnes illi, qui ad Sedem Apostolicam venientes, vel ab ea recedentes, sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, aut detinent.

Nota, quod de jure communi venientes ad Curiam Sedis Apostolicæ, & in ea manentes, & revertentes cum rebus suis, dicuntur esse sub protectione speciali Sedis Apostolicæ, *cap. un. de Cler. peregrin. Marius Alterius tom.* 1. *de censur. lib.* 5. *disput.* 10. *cap.* 2. §. *Non obstat*.

Nota etiam, quod licet textus Bullæ præfatus simpliciter dicat de venientibus ad Sedem Apostolicam, seu Curiam, tamen intelligitur de venientibus formaliter ad Sedem Apostolicam, idest pro negotiis, quæ expediuntur in eadem Curia, sive sint gratiæ, sive justitiæ, ut saltem primario, & principali intentione propter talia negotia veniant, *Tolet. lib.* 1. *cap.* 25. §. *Primum dubium*, *Sayr. lib.* 3. *cap.* 13. *n.* 3. *Marius Alterius cap.* 1. *loco citato* §. *Veniente*, *Suarez de censur. disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 65. *in fine*, *Navar. cap.* 27. *num.* 65.

CAPUT IV.

Ad Curiam Romanam euntes, manentes, redeuntes circa eorum beneficia vexans via juris.

EUgenius IV. in Bulla *Divina*, quæ habetur in *Extravag.* 3. *de privil.* inter communes, statuit, ne officiales Sedis Apostolicæ extra Romanam Curiam litibus vexentur: idemque statuit de venientibus ad Curiam pro causis, seu negotiis suis, vel suorum, & ibi manentibus, & recedentibus: & inhibet omnibus judicibus, tam ordinariis, quam delegatis cujuscunque dignitatis, gradus &c. ne præsumant sententiam excommunicationis, suspensionis, aut interdicti, aut privationis officiorum, aut beneficiorum, seu quamvis aliam sententiam contra præfatos promulgare, & in contrarium attentata irrita esse decernit. Si quis autem dictorum judicum se intromiserit de dignitatibus, aut beneficiis ecclesiasticis quibuscunque prædictarum personarum, illas privando, aut privatas declarando, aut illa privationis prætextu aliis conferendo, aut aliter, tam ipse, quam recipientes talia beneficia, & officia, incurrunt ipso facto excommunicationis, suspensionis, & interdicti latas sententias: & excommunicationis absolutionem Papæ reservat, non autem aliarum censurarum absolutionem. Vide *Suar. disp.* 37. *sect.* 1. *n.* 8. *Filiuc. tract.* 18. *n.* 148. *Canonistas super ead. Extrav.*

Nota primo, quod illa suspensio, quia est indefinita, est totalis, & intelligitur ab officio, seu divinis, & beneficio: ita in terminis *Layman lib.* 1. *tract. de censur. tit. de suspen. cap.* 1. *n.* 2. & hanc probabiliorem ait *Suar. disp.* 25. *sect.* 2. *n.* 9. & magis communem ait *Filiuc. tract.* 17. *c.* 1. *n.* 9. est tamen probabile, esse tantum suspensionem a beneficio, seu administratione, *Suar. n.* 9.

Nota secundo, quod hodie hæc pœnalis Constitutio non procedit contra Ordinarios privantes, aut se intromittentes contra clericos curiales de beneficiis eorum, quando causa privandi, aut decernendi, seu procedendi sit justa; quia ex *Trid. sess.* 24. *cap.* 11. *de reform.* derogatum est huic Eugenianæ, ut clerici sint subjecti Ordinariis, etiamsi talia beneficia non requirant residentiam: quoad alios autem judices delegatos nihil est derogatum Eugenianæ privilegio, seu exemptioni curialium. vide *Barb. in dict. Extrav.*

Nota tertio, quod quamvis *Filiuc. tract.* 15. *n.* 199. dicat præfatam excommunicationem esse reservatam in Bulla Cœnæ ex *cap.* 9. de qua dixi supra *cap.* 2. tamen mihi non placet, quia *cap.* 9. Bullæ solum excommunicat judices, qui audent interficere, mutilare, spoliare, capere, detinere commorantes in Curia Romana: sed loquitur de spoliatione physica, seu cum violentia, non autem morali, privando beneficiis, vel officiis in absentia, *Marius Alter. disp.* 10. *lib.* 5. *c.* 3. §. *Spoliet*: & ita vidi in praxi observari, ut contra judicem in partibus spoliantem curiales beneficiis procederetur vigore Eugenianæ, & non Bullæ in Cœna Domini.

CAPUT V.

Ad Curiam Romanam accessum, vel recessum liberum prohibentes, publica, vel privata auctoritate.

IN *cap.* 13. *in Bull. Cœnæ* fertur excommunicatio reservata Papæ contra eos, qui quibuscunque personis directe, vel indirecte prohibere, statuere, seu mandare præsumunt, ne pro negotiis quibuscunque prosequendis, seu gratiis, aut litteris impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant; seu gratias ipsas a dicta Curia, seu Sede Apostolica impetrent, seu impetratis utantur; vel eas gratias, seu litteras apud se, aut notarios, seu tabelliones, aut alias quomodolibet retinere præsumunt; vel partes ipsas actrices, ejusve conjunctas personas, procuratores, officiales capiunt, vulnerant, carcerant, detinent.

Hic textus, licet videatur loqui de taliter delinquentibus publica potestate, tamen ab Interpretibus intelligitur etiam de privata potestate, ut *Navarr. cap.* 27. *n.* 68. *Duard. quæst.* 9. *n.* 18. *Bonac. super eadem Bulla quæst* 14. *pun.* 3. *Marius Alterius cap.* 3. §. *Quive alias*, *Sayr. lib.* 3. *cap.* 18. *n.* 8.

CAPUT VI.

Ad Curiam Romanam ecclesiasticos a jure, vel ab homine citatos vexans, ne eant.

I. CLem. *Multorum de pœnis* habet, quod si temporale dominium habens, viros ecclesiasticos, ne citati ad Sedem Apost. ab homine, vel a jure, venire ad ipsam valeant, ausu detineat sacrilego, citatos eosdem in exitu eorum districtuum ut plurimum capiens, primo talis detinens, seu capiens, & ista procurans, sive sit secularis, sive ecclesiasticus, incurrit excommunicationem Papæ reservatam, ex *can. Si quis suadente* 17. *quæst.* 4. *cap. Nuper de sent. excomm.* etiamsi tali capturæ, seu detentioni ipsæ citatæ personæ ecclesiasticæ consentiant, vel se capi, aut detineri procurent.

II. Procurantes talia, si sint personæ ecclesiasticæ, Prælati quidem incurrunt suspensionem triennalem a perceptione fructuum suarum Ecclesiarum: si autem inferiores extiterint, eo ipso obtentis beneficiis sunt privati: & procedit de procurantibus, sive sint ipsi citati, sive alii, ut ex eo textu apparet.

Dicitur autem quis a jure citatus ad Sedem Apostolicam, quoties tenetur eam adire, & comparare coram illa, ut causa confirmationis obtinendæ, vel absolutionis a casibus

bus reservatis, vel visitationis Liminum, ut *Bonif. Vitalin. in eadem Clem. n.* 25. & dicitur etiam detinere, ut incidat in has poenas, qui arrestat jam captum, *Bonif. ibidem n.* 26.

Dicitur vero Prælatus, de quo in textu, quicunque ordinariam ecclesiasticam externi fori habet jurisdictionem, *gloss. in cap.* 2. *verbo Ecclesiarum Prælati*, & ibi *Abb. Innoc. in cap. Humilis, de major. & obed. Jo. Monach. & Imola in Clem. Dudum*, §. *Ab olim, de sepul. Azor. par.* 2. *lib.* 7. *c.* 25.

Non incurrunt autem has pœnas, si carceratio fiat potestate ecclesiastica, sed solum incurrunt tunc in Canonem, *Si quis suadente*, ita *gloss. ibidem verbo Seculari*, & tenet *Vitalin. ibi n.* 26. & alii communiter.

Item posteriores pœnæ solum procedunt contra procurantes, si sint ecclesiastici, ut patet ex textu. Dicitur etiam procurare capturam, vel detentionem ipse, qui capit, seu exequitur, & qui mandat, *Suar. de censur. disp.* 31. *sect.* 5. *n.* 20. *Filiuc. tract.* 17. *n.* 155. *Marius Alterius tom.* 2. *tract. de suspens. disp.* 16. *c.* 3.

III. Adde, quod supradicti capientes, aut detinentes invitum, ne eat ad Sedem Apostolicam, incurrunt excommunicationem in Bulla Cœnæ reservatam *cap.* 9. & *cap.* 5. ut dixi supra *cap.* 3. & *cap.* 5. Alia etiam circa dictam Clementinam vide *verbo Resignatio, cap.* 3.

CAPUT VII.

Ad Curiam secularem ab ecclesiastica recurrentes, via appellationis.

Vide *verbo Appellatio, cap.* 3. & *verbo Jurisdictio cap.* 10.

CAPUT VIII.

Ad Curiam secularem si ecclesiastici ab ecclesiasticis, vel laicis conlitigantibus trahantur quomodolibet.

I. *Cap. Inolita* 11. *q.* 1. ex Concilio Milevitan. & Carthagiensi relatis ab Innocentio III. *in cap. Si diligenti de foro competenti*, cautum est, ne clerici clericos, relicto suo Pontifice, ad judicia publica, idest laicalia pertrahant; alioqnin causam perdant, & a communione habeantur extranei.

Amplia etiam in casu denegatæ justitiæ per judicem ecclesiasticum, *Gennen. in praxi, cap.* 6. *num.* 1.

Amplia secundo, quod licet ista amissio juris, & causæ non sit per se loquendo latæ sententiæ pœna, sed indigeat sententia privante tali jure; unde debet adversarius, qui tractus est ad forum seculare, agere coram judice ecclesiastico conditione ex hac lege, petendo eum privari jure suo, ut *Abb. in dict. cap. Si diligenti, n.* 20. *Soccin. n.* 29. & quod sit pœna ferendæ sententiæ, tenet *gloss. ibi verbo Causam perdant, Imola ibi n.* 12. *Turrecr. in d. cap. Inolita, n.* 2. *Sanch. consil. lib.* 6. *cap.* 1. *dub.* 1. *n.* 13. & *dub.* 6. *n.* 3. *Rota decis.* 255. *n.* 2. *part.* 2. *noviss. seu posth. collect. Farinac.* tamen habet per accidens effectum latæ sententiæ, quatenus si tractus sit in possessionem, seu ab eo aliquid debeatur in ea causa, habet retentionem in foro conscientiæ, quia cui damus actionem, facilius & exceptionem, *Abbas ibid. n.* 20. *Feder. de Senis cons.* 47. *Innoc. in cap. Inter dilectos, de excess. prælat.* & tenet in simili *Sanch. de matr. disp.* 38. *nu.* 33. *lib.* 6. est probabilis; ait tamen Abbas, tutius esse petere judicaliter privationem, & ita allegati a *Sanchez*. Sed hodie est latæ sententiæ tota hæc pœna privationis, ut infra *n.* 2.

An autem illa excommunicationis pœna sit latæ sententiæ; certe verba illa videntur latæ sententiæ in rigore, cum non requirant factum judicis, ut pro talibus, v. g. excommunicatis habeantur, ut per *Tiraq. in leg. Si unquam, verbo Revertatur, n.* 216. cum per eum adductis. Tamen in casu nostro Doctores communiter dicunt, esse excommunicationem ferendam, donec trahens satisfecerit, ut *Hostiens. & Joan. Andr. in dicto cap. Si diligenti, Abb. n.* 5. & 22. *Tiraqu. loc. cit. Bern. Diaz in praxi cap.* 65. *n.* 22. Sed hodie est latæ sententiæ, ut infra.

II. In Bulla Martini V, quæ est 10. incip. *Ad reprimendas*, §. *Tertio*, ita cautum, ut omnes, & singulæ personæ ecclesiasticæ, etiam exemptæ, & etiam episcopali, aut majori dignitate præditæ, quæ aliquam personam ecclesiasticam, vel universitatem ecclesiasticam ad judicium, vel forum laicale trahere præsumpserint quavis in causa: primo causam, seu omne jus eo ipso perdant in re prætensa: secundo singulares personæ incurrant excommunicationem ipso facto: tertio capitula, & conventus incurrant suspensionem ipso facto: quarto, si prædicti delinquentes, eisque cooperantes moniti, non obedierint incontinenti, coercendi erunt per privationem beneficiorum, & inhabilitatem. Hæc ultima pœna est ferendæ sententiæ, ut patet ex verbis ejusdem Constitutionis, quidquid contra (quod scilicet sit latæ sententiæ) dicat *Farinac. apud Rotam decis.* 83. *n.* 1. & 2. *in collectione Rubei*, & infra *ver. Jurisdictio*.

Limita, quod illa privatio juris requirit declaratoriam, *Rota part.* 1. *posth. Farin. decis.* 255. *n.* 2.

Limita etiam, quod in causa beneficiali, licet alter ex conlitigantibus recurrendo ad judicem laicum, eo ipso privetur omni jure, quod habere prætendebat in beneficio; tamen non propterea illud adversario acquiritur sine alio canonico titulo, *Rota dict. dec.* 255. *n.* 3. *cum ibi allegatis*.

III. Trahentes ecclesiasticos ad laicum forum, præter juris canonici dispositionem, incurrunt, secundum probabilem sententiam, in excommunicationem latam in *cap. Noverit, & cap. Gravem de senten. excomm.* contra violantes libertatem ecclesiasticam, ut dixi *verbo Jurisdictio, cap.* 4.

Quæres, an conlitigantes, qui trahunt adversarios ad forum laicum, incurrant in excommunicationem in Bulla Cœnæ *cap.* 15. ubi excommunicantur magistratus laici, qui ad suum tribunal trahunt ecclesiasticos, & item qui trahi faciunt, & procurant? respondeo, non incurrere, quia illa verba, *trahi faciunt, & procurant*, intelliguntur de publicis officialibus, & non de litigantibus, *Sayr. lib.* 3. *cap.* 19. *n.* 6. *Duard. super dict. Can. Bulla quæst.* 10. *n.* 2. *Regin. lib.* 9. *n.* 356.

IV. Incurrunt excommunicationem in eadem Bulla latam *cap.* 16. litigantes, quando recurrunt ad judicium laicale, ut inhibitiones procurent contra judicem ecclesiasticum, ut sic ejus jurisdictionem eludant; & hoc est trahere judicem ecclesiasticum ipsum aliquo modo ad laicum forum; & probabilius est, procedere, etiamsi recurratur per præoccupationem, ut impediantur futuræ ordinationes judicis ecclesiastici, ut dixi supra *verbo Appellatio cap.* 3. & *verbo Jurisdictio cap.* 10. Non tamen in rigore juris illicitum est pro tuenda sua possessione ab injusta facti violentia, recurrere ad Curiam secularem, seu invocare brachium illius, non tanquam judicis, seu publicæ potestatis; *sed invocando tanquam auxilium privatæ personæ*, ad se defendendum, non per viam juris, idest non per citationes, & inhibitiones, sed per viam facti, *Rota Achill. decis.* 36. *de appell. Rota dec,* 212. *num.* 8. & 9. & 11. *in collect. Farin. de contr.*

V. Alias etiam pœnas, & censuras incurrunt trahentes, & recurrentes ad tribunalia laica in causis ecclesiasticis, de quibus dicam infra *verb. Jurisdictio cap.* 9. quibus hic adde, quod in odium recurrentium ad Curias seculares pro impedienda jurisdictione ecclesiastica, Rota Romana ex stylo inveterato solet admittere in causa principali probationes minus authenticas, verbi gratia, ex scripturis informibus, seu attestationibus privatis, quæ alias in gradu probationis nullam fidem faciunt, *juxta auth. Si quis in aliquo, Cod. de eden.* ita *Rota decis.* 513. *n.* 2. *part.* 1. *noviss.* ubi ait, hoc admitti a Rota propter suspicionem impedimenti in extrahendis scripturis ex authentico originali, & plures allegat decisiones.

CAPUT IX.

Curia secularis ad se trahens ecclesiasticas personas, aut causas ecclesiastici fori.

Vide *infra verbo Jurisdictio cap.* 4. 5. & 6.

CAPUT X.

Curias Principum secularium religiosi adeuntes, animo nocendi suis Prælatis, vel monasteriis.

EX *Clement.* 1. §. *Quia vero de statu Mon.* sic habetur: Ne monachi, aut canonici regulares administrationem aliquam non habentes, ad Curias Principum absque speciali Prælatorum suorum licentia se conferre præsumant: quod si, ut suis Prælatis, aut monasteriis damnum aliquod inferant, ad dictas Curias se conferre præsumpserint, excommuni-

municationis sententiam eos incurrere volumus ipso facto. Hæc excommunicatio non est reservata, ut patet ex textu, & ibi *Vitalin. n.* 25. & Doctores communiter. Et procedit contra monachos nigros, & albos, & canonicos regulares, non autem contra alios religiosos, *Sayr. lib.* 3. *cap.* 33. *n.* 16. *Tolet. lib.* 1. *cap.* 39. §. 4. *Habetur*, *Barb. in dict. Clem. n.* 4. *Cajet. verbo excommun. cap.* 62. *Sylv. verbo excommun.* 9. *n.* 7; & alii magis communiter: quamvis alii dicant, monachos albos hic non contineri, ut *Angel.* quem sequitur *Suarez disp.* 23. *sect.* 5. *n.* 4.

Et quamvis alii dicant, omnes religiosos simplices contineri, ex eo quod hic sint expressi etiam canonici regulares, ut *Vitalin. super hac Clem.* §. *Quia vero*, *n.* 42. *Navarr. cap.* 27. *n.* 139. *Roderic. quæst. regul. tom.* 2. *quæst.* 60. *art.* 2. *vers. Quarta excommunicatio*: illud est certum, contineri religiosos etiam habentes administrationem sub hac pœna, ut *Sayr. n.* 27. *in fin.*

Intelligitur autem hic textus de Curiis Principum secularium tantum, ut *Vitalin. ibi n.* 43. & procedit, sive accessus fiat ad Curiam cum licentia, sive sine illa, *gloss. ibid. verbo Ipso facto*; quam *gloss.* communiter receptam ait *Navarr. cap.* 27. *n.* 139. & *Salas de legib. disp.* 9. *sect.* 1. *n.* 12. & idem tenent *ibid. Vitalin. n.* 28. *Sayr. loco cit. n.* 27.

Sed requiritur ad hanc pœnam, ut duo concurrant, scilicet quod intraverint Curiam, & quod intraverint causa damni præfati procurandi: ita *gloss. ibid. Sayr. Tolet.* & alii communiter. Et nota, quod iste actus internus, seu intentio, quamvis occulta, sufficit ad incurrendam hanc pœnam per talem ingressum Curiæ, quia actus internus componit unum morale cum actu externo, & illum informat, & malum reddit, & punibilem per legem humanam. Unde ait *Bonif. Vitalin. loco cit. n.* 45. quod ingressus Curiam, stante intentione occulta, nihilominus coram Deo, & Ecclesia triumphante erit notorie excommunicatus, non tamen eoram Ecclesia militante, nisi exterius constet de tali malo animo, ut per ejus confessionem, vel ex conjecturis, ut ab effectu subsecuto nocumenti. Et quod religiosus incurrat prædictam pœnam, etiam per solum accessum ad Curiam ex tali intentione, etiamsi ea intentio mala nullo signo externo se prodat, tenent *Cajet. & alii Doctores supra citati*, & hanc communem, & securiorem sententiam ait *Salas de legib. disp.* 9. *sect.* 1. *n.* 10. & 12. & simile infra *verbo Simonia*, *cap.* 5. & *par.* 1. *cap.* 5. quamvis contrarium teneat *Vasquez apud Salas ibidem n.* 8. & alii, quos ipse tacito nomine refert *n.* 12. qui putant, non incurrere religiosum hanc pœnam, nisi quando actio externa sit de se mala, ut si accedat sine licentia, vel quando interna intentio prodeat aliquo signo in actum externum.

CAPUT XI.

Ad Curiam Romanam Episcopi venientes, & inde insalutato Summo Pontifice, aut sine ejus licentia discedentes.

IN *extr.* 2. *de major. & obed.* inter communes, inhibetur, primo omnibus Episcopis, eisque majoribus Prælatis, ne extra suæ diœcesis limites sine habitu episcopali discurrant, nisi ex causa rationabili, v. g. timoris, aut simili; secundo inhibet, ne Episcopi, aut iis superiores Prælati latenter, præsertim mutato habitu, venientes ad Curiam Romanam, de ipsa discedant, non repræsentati Papæ conspectui, vel sine ejus licentia: alias tam ipsi, quam qui eos Romæ receptaverint, nisi id Papæ notificari procuraverint, confestim in excommunicationem ipso facto incurrant.

In *extrav.* 3. *eod. tit.* statuitur, ne quis Episcopus sine sui superioris licentia audeat extra diœcesim pernoctare: item, ut Episcopi ad Romanam Curiam venientes, palatium papale primitus visitent, Papam salutaturi (si id fieri possit) & non discedant a Curia, nisi licentia petita a Papa, & obtenta: alias tam ipsi Episcopi, seu iis majores Prælati, quam eos receptare præsumentes, nisi prius Papæ notificaverint adventum illorum, in excommunicationem incurrant ipso facto.

Limita primo, ut hæc pœna excommunicationis non liget, nisi in casu accessus Episcopi ad Curiam, & recessus contra supradictam prohibitionem, ita ut non sufficiat, clam venisse ad Curiam, nisi etiam recesserit sine licentia, ut supra, propter particulam – & ab illa, ut prædicitur, recedentes – quæ dictio & cum sit copulativa, requirit utrumque extremum ad incurrendam censuram. Similiter non intrat excommunicatio ista in aliis capitibus inhibitionum, seu prohibitionum supradictarum, ut patet ex *textu*.

Limita secundo cum *Bonac. de censur. in particulari, disput.* 2. *quæst.* 6. *punct.* 4. *n.* 3. quod ad incurrendam illam excommunicationem requiritur, ut Episcopus latenter venerit ad Curiam Romanam, ut patet ex utraque extravaganti.

Item limitat idem Bonacina, ut non incurratur dicta excommunicatio, nisi quando Episcopus venit ad Curiam aliqua prava intentione. Sed hoc non puto verum, quia ex *tex.* dictarum extravagantium non colligitur, & magis Pontifex videtur hoc statuisse, ut debita reverentia Summo Pontifici præstetur, utque amoveatur omnis occasio prave, & non sincere aliquid agendi; & ideo merito hanc limitationem rejicit *Filiuc. tract.* 14. *n.* 154.

Limita tertio, ut in hanc pœnam, aut prohibitiones non incurrant, neque contineantur Abbates, aliive similes Prælati, minores Episcopis, ut patet ex *tex.* & ita *Bonacin. ibi num.* 9.

CAPUT I.

Decimas ecclesiasticas si Religiosi usurpent, aut impediant.

CLem. *Religiosi de decimis*, Religiosi quicunque, qui novalium, aut alias decimas Ecclesiis debitas, ad eos ex aliqua causa legitima non spectantes, appropriare sibi præsumpserint, aut exquisitis fraudibus usurpare: seu qui de animalibus familiarium, & pastorum suorum, vel aliorum, etiam animalia ipsa eorum gregibus immiscentium; seu qui de animalibus, quæ in fraudem Ecclesiarum in pluribus locis emunt, emptaque tradunt venditoribus, vel aliis ipsis tenenda: seu qui de terris, quas tradunt aliis excolendas, decimam solvi Ecclesiis non permiserint, aut prohibuerint; nisi post requisitionem per eos, quorum interest super hoc eis factam, a præmissis destiterint intra mensem; aut si de iis, quæ contra præmissa usurpare, vel detinere præsumpserint, intra duos menses Ecclesiis damnificatis emendam non fecerint competentem; sint, & tandiu maneant officiis, & administrationibus, & beneficiis suis suspensi, donec destiterint, & satisfecerint, ut supra.

Quod si religiosi prædicti administrationes, vel beneficia non habeant, eo casu, quo alii supradicti suspensionem, ipsi excommunicationem incurrant, ante satisfactionem condignam nullatenus absolvendi, privilegiis non obstantibus quibuscunque: itaque nulla est absolutio ante dictam satisfactionem.

Sed hæc Constitutio limitatur in eadem *Clem. in fine*, ut non procedat quoad animalia, quæ per religiosorum ipsorum donatos, seu oblatos tenentur; dum tamen isti oblati vere Religioni obtulerint se, & sua, & non ficte.

Nota primo, quod ait, *officiis*, & *administrationibus*, intelligendum non de officio divino, seu Ordinis, sed administrationis rerum conventus, aut personarum, sive sint spiritualia, ut superiores, sive temporalia, ut cellerarii, aut sacristæ: ita *Zenzel. & Paul. ibi*, quos sequitur *Anchar. n.* 14. *Suarez dispu.* 31. *de cens. sect.* 6. *n.* 9.

Nota secundo, in hanc censuram incurrere religiosos usurpantes, & impedientes decimas Ecclesiis debitas, non autem eas sibi furtive, aut moratorie retinentes, *gloss. ibid. verb. Prohibuerint*, *Navarr. c.* 27. *n.* 138. *Suar. n.* 9. *Sayr. lib.* 3. *c.* 33. *n.* 24. ubi plures allegat *Tolet. lib.* 1. *c.* 39. *n.* 3.

Nota tertio, quod ait hæc Constitutio contra religiosos nolentes solvi decimas de agris propriis alteri locatis, vel colendis traditis, ut colono partiario, procedit in iis religiosis, quibus concessum est privilegium exemptionis a decimis solum personale, quia tunc non extenditur ad conductores agrorum: secus est, si esset privilegium reale, quia illud extenditur ad conductores, & partiarios, *Bonaccos. tom.* 1. *cum opin. lib.* 1. *c.* 10. *n.* 13. *Azor. part.* 1. *lib.* 7. *cap.* 37. *quæst.* 7. *Barbos. in eadem Clem. n.* 4.

Privilegia autem concessa Regularibus exemptionis a decimis clausa in corpore juris, sunt personalia, quia habent semper illam restrictionem, ex propriis laboribus, *cap. Licet*, *cap. A nobis*, *cap. Tua de decimis*, *Seraph. decis.* 827. *n.* 3. Sed alia sunt hodie privilegia concessa extra corpus juris realia, scilicet, in quibus est clausula – eximimus prædia eorum, vel bona quæcunque, cum derogatione horum jurium – *Suar. tom.* 1. *de relig. leg.* 1. *tract. de decimis cap.* 19. *n.* 13. *Henriq. leg.* 7. *cap.* 27. *n.* 7. *litt. L. Roderi. quæst. regul.* 45. *art.* 4. *tom.* 2. Ista tamen privilegia realia non suffragantur,

tur, quominus Regulares teneantur solvere decimas teales, si prius erant prædia decumana, antequam a dictis privilegiatis fuerint acquisita, etiamsi privilegiati postea ea propriis manibus excolant, pet *cap. Nuper de decim. Graff. lib. 2. cap. 27. n. 58. tom. 2. Miranda quæst. 49. art. 12. tom. 2.* & nunquam censetur derogatum *cap. Nuper*, nisi facta fuerit ejus specialis mentio, *Rota recent. part. 1. decis. 341. n. 2. Barbos. super dict. cap. Nuper*, quia est Constitutio conciliaris.

Nota ultimo, quod licet ex vi hujus Clemen. excommunicatio ista non sit reservata post satisfactionem, hodie tamen est reservata, *ut infra*.

CAPUT II.

Decimas ecclesiasticas usurpantes quicunque, aut impedientes.

I. EX *cap. 17. Bullæ in Cœna Domini* incurrunt excommunicationem Papæ reservatam usurpantes decimas ad quascunque ecclesiasticas personas pertinentes ratione Ecclesiarum, vel beneficiorum. Vide *infra verb. Usurpatio c. 1.*

II. Et amplius ex Tridentino *sess. 22. cap. 11. de reform.* quicunque decimas Ecclesiæ alicujus, aut beneficii, aut loci pii in proprios usus convertere, illasque usurpare præsumpserit, seu impedire, ne ab iis, ad quos pertinent, percipiantur, excommunicationem incurrit; a qua solus Papa absolvit, facta restitutione integra. Et patronus Ecclesiæ, si tale crimen commiserit, ultra excommunicationem, eo ipso privatur jure patronatus. Clerici autem fabricatores talis delicti, seu consentientes eidem, præter prædictas pœnas, incurrunt ipso facto privationem beneficiorum, & inhabilitatem ad beneficia; & insuper ab Ordinatio suspendendi ab exequutione suorum Ordinum. *Vide infra verb. Usurpatio cap. 1.*

CAPUT III.

Decimas impugnantes religiosi, aut scrupulum pœnitentibus de decimis solvendis non facientes.

CLem. *Cupientes de pœnis*, religiosi, qui aliquos, ut audientes, a decimarum Ecclesiis debitarum solutione retrahant, in sermonibus suis, vel alibi proferre præsumpserint, excommunicationi subjaceant eo ipso. Item religiosi, qui scienter postposuerint confitentibus conscientiam facere de solvendis decimis, ab officio prædicationis tandiu manent ipso facto suspensi, donec confitentibus ipsis habita occasione conscientiam fecerint de eis persolvendis: & si interim prædicare præsumpserint, prædicta negligentia non purgata, excommunicationem incurrunt ipso facto. Vide *Sylv. excomm. 9. n. 88. Roderic. q. regul. 44. art. 8. casu 45. Navarr. cap. 27. n. 145. tom. 2. Rebuff. tract. de decimis quæst. 13. n. 109. Barbos. super eadem Clem. & alios Canonistas ibid. Suar. disp. 23. sect. 5. n. 36.*

CAPUT I.

Denuntiare delinquentem obligati a jure communi sub pœnis latæ sententiæ.

I. CArdinalem, aut Papam in persona offendens violenta manus injectione, vel persecutione hostili, est denuntiandus a quolibet, quamprimum sciverit, vel conjecerit factum, vel faciendum; alias incurrit non revelans, excommunicationem Papæ reservatam in *cap. Felicis, de pœnis in 6.* per extensionem factam a Pio V. Constit. 93. *Infelicis*, Vide *verb. Majestus cap. 2.*

II. Simoniaci de datis, vel promissis in Curia Romana ob gratiam, vel justitiam, denuntiandi sub pœna excommunicationis Papæ reservatæ, intra triduum, ut *Extravag. 1. de sent. excomm.* in Bulla Greg. XIII. de qua dixi *verbo Simonia cap. 15.*

☞ *Hoc onus denuntiandi sublatum est ab Alexandro VII. ut in Additione ad cit. cap. 15. n. IX. verb.* Simonia. ☜

III. Prælati, & rectores Ecclesiarum submittentes laicis bona Ecclesiarum suarum, scilicet illorum patronatui, vel defensioni, seu commendæ, vel dominio directo, profitendo, se ea bona a laicis illis recognoscere, denuntiandi sunt a clericis sub pœna suspensionis triennalis latæ sententiæ a perceptione beneficiorum, seu fructuum, quæ in Ecclesia obtinent sic gravata, ex *cap. 2. de rebus Eccl. non alien.* Vide *verbo Usurpatio cap. 2.*

IV. In collitigantem in Curia Romana, occasione ejusdem litis minas intentans, aut violentam manum injiciens, aut in talis causæ procuratorem, solicitatorem, judicem, notarium, testem, est a quovis id sciente quamprimum denuntiandus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Papæ reservatæ ex Bulla Alex. VI. *In eminenti*, est Constit. 11. apud Laertium, vide *supra verbo Curia cap. 1.*

V. Ambitum committentes in electione regulari, sunt denuntiandi, scilicet regulares, qui suffragia procuraverint pro regularibus eligendis ad officia: alias non denuntians, seu non revelans juridice, incurrit pœnam privationis officiorum, & inhabilitatem ipso facto ex Bulla Clem. VIII. innovata a S. Congreg. Conc., vide *ver. Ambitus cap. 7.*

VI. Rei ambitus ad papatum, vivente Papa, tractando de futuro Pontifice, sunt denuntiandi quamprimum, alias incurruntur pœnæ multæ; de quibus dixi *verbo Ambitus c. 2.*

☞ *Circa denuntiationem solicitantium in confessione vide infra verbo* Solicitatio.

Circa denuntiationem confessarii exposcentis nomen complicis, cum quo pœnitens peccatum perpetravit, vide supra verb. Confessarius *cap. V.* ☜

VII. Religiosi hæretici, vel de hæresi suspecti, a suis Prælatis denuntiandi, vide *verb. Hæresis cap. 7.*

☞ *Præter hucusque enunciatos, denuntiandi etiam sunt a quibuscunque fidelibus utriusque sexus, vel coram Episcopis, (si degant extra Urbem, ejusque districtum) vel eorum peculiaribus locorum Inquisitoribus, prout eis libuerit,*

Hæretici, vel suspecti, etiam leviter, de hæresi, cap. Excommunicamus 13. §. Adjicimus de hæret. *& quidem sub pœna peccati lethalis contra præceptum S. Obedientiæ, & insuper excommunicationis latæ sententiæ, si intra tempus in edictis Sacr. Cong. gener. Inquisit. & respective Episcoporum, ac dictorum peculiarium Inquisitorum, id non peregerint super omnibus capitulis, seu articulis in eisdem edictis contentis, qui ad duodecim reduci solent.*

Nota I. Quod circa etiam leviter suspectos de hæresi ita declaravit Alexand. VII. Constit. — Licet alias — *mox citanda.*

Nota II. In edicto generalis Inquisitionis præfixum esse terminum ad denuntiandum triginta dierum: in edictis vero Episcoporum, & Inquisitorum duodecim, vel plurium, pro eorum arbitrio, incipiendum a die scientiæ delicti.

Nota III. Omittentes intra id respective tempus denuntiationem, in Urbe, & districtu incurrunt excommunicationem (quæ prius reservata erat S. Inquisitioni) a qua tamen hodie absolvi poterunt a quocunque confessario, postquam denuntiaverint, juxta decretum ejusdem generalis Inquisitionis 27. Sept. 1735., & 9. Mart. 1758. Extra Urbem vero, ejusque districtum, nonnisi ab Episcopo, vel peculiare Inquisitore, si tamen eam sibi, & peccatum reservaverint: alias post denuntiationem factam absolvi poterunt a quolibet confessario, quemadmodum testatur, sibi responsum fuisse a P. Commissario universalis Inquisitionis Romanæ Nicolaus Terzago, Episcopus Narniensis, in instructione ad confessarios suæ diœcesis §. De peccatis contra fidem.

Nota IV. Non satisfieri denuntiationis oneri, si fiat per epistolam absque nomine, & agnomine denuntiantis; aut aliis incertis modis, ut in cit. edicto generalis Inquisitionis.

Nota V. Denuntiationem faciendam esse, etiam non præmissa correctione fraterna, ex Constit. Alexand. VII. — Licet alias — *8. Jun. 1660.*

Nota VI. Faciendam item esse, quamvis denuntians, hæresim, vel illius suspicionem probare nequeat, vel hæc occulta sit, ut ex contrario sensu propositionis 5. inter proscriptas ab eodem Alex. 24. Sept. 1665.

Nota VII. Item, quamvis delictum denuntiandum quis sciat sub secreto naturali, etiam jurato, ut præter alios DD. dictus Terzago loco cit.

Nota VIII. Item, si habeat complices delicti, licet ipse esset principalis.

Nota IX. Cum eodem Terzago loc. cit. & Francisco Maria Campioni in instructione pro se præparantibus ad audiendas confessiones part. 1. cap. 29. n. 4. & 5. teneri ad denuntiationem audientes aliquem docere, asserere, defendere &c. conjunctim, vel divisim propositiones a Summis Pontificibus proscriptas, tanquam hæreticas, erroneas, & de hæresi suspectas.

In quarum classe sunt propositiones LXXIX. *Michaelis Baii,*

a S. Pio V. proscripta an. 1567. — V. Cornelii Jansenii, Episcopi Iprensis proscripta ab Innoc. X. an. 1644. — LXVIII. Michaelis Molinos presbyteri Hispani proscriptæ ab Innoc. XI. an. 1687. — II. proscripta ab Alex. VIII. 24. Aug. 1690. & aliæ XXXI. ab eodem proscripta 7. Decemb. 1690. — XXIII. Archiepiscopi Cameracensis proscriptæ ab Innoc. XII. 12. Mar. 1699. ac tandem CI. Paschalis Quesnelli presbyteri Galli proscriptæ a Clemen. XI. 6. Idus Sept. 1713.

Nota X. Non esse denuntiandos docentes, asserentes, vel defendentes propositiones in materia morum dumtaxat proscriptas: uti sunt propositiones XLV. proscripta tanquam scandalosa ab Alexand. VII. 24. Sept. 1665. Item LXV. proscripta pariter tanquam scandalosa, & in praxi perniciosa ab Innoc. XI. 2. Mar. 1679. cum neque haretici, neque de hæresi suspecti dici possint, prout cum Campioni animadvertit idem Terzago loc. cit. Incurrerent tamen ipso facto excommunicationem Papa reservatam. Insuper, eas, aut illarum aliquam ad praxim deducentes, lethaliter peccarent contra præceptum S. Obedientiæ, ut videre est in eorum respectivè decretis: nisi excusaret parvitas materiæ, uti esset, si quis deduceret ad praxim propositionem octavam ab Innoc. XI. proscriptam; comedendo scilicet, & bibendo usque ad satietatem ob solam voluptatem.

Nota XI. Ab Alex. VII. sub die 24. Sept. 1665. proscriptam fuisse hanc propositionem, quæ est la 5. in ordine.

— Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis. — ☞

CAPUT I.

Depopulator agrorum.

I. EX Bulla Gregorii XIV. *Cum alias nonnulli*, 24. Maji 1591. quæ est septima Constitutio in ordine, jure immunitatis ecclesiasticæ, seu loci sacri privantur depopulatores agrorum, ut si ad locum sacrum recurrant, extrahi inde possint, servatis tamen conditionibus, de quibus ibi, & dicam infra *verbo Immunitas c.* 1. Et de jure communi *in c. Inter alia, de immun. Eccles.* nocturni depopulatores agrorum privati sunt immunitate prædicta. Sed ex Bulla Gregorii citata, non distinguitur hodie, an fit nocturnus, vel diurnus: & ita notat *Farinac. de immunit. n. 161. in fine, Barbos. in dict. c. Inter alia n.* 3.

☞ *Ob indistinctam Gregorii locutionem censeo, excludi etiam diurnos; cum enim ad novam formam reduxerit jus antiquum, alios casus addendo, clare patet, plus circa hoc voluisse statuere, quam Innoc. III. in cit. c.* Inter alia. *Idem sentit Ursaya Instit. crimin. lib. 2. tit. 7. n. 9. & Remigius Maschat. Instit. Canon. lib. 3. tit. 49. de Immun. Eccl. n. 3.* ☜

Dicitur autem depopulator agrorum, qui agris magna infert damna, seu devastationem, ut incendendo silvas, vel segetes, aut agrorum fructus pendentes diripiendo, *Farinac. n.* 159. cum pluribus per eum adductis, *Barbos. loco cit. Castropalao tom. 2. de relig. tract. 11. disp. un. punct. 9. n.* 4.

II. Quando depopulatio contingit cum incendio, tunc multi Doctores dicunt, eos incurrere excommunicationem latæ sententiæ: de qua re dicam *verbo Incendiarii*.

CAPUT I.

Deposita Ecclesiarum, vel ecclesiasticarum personarum sequestrantes, vel occupantes.

I. IN *c. Clericis*, §. *Nos igitur*, *vers. Aut apud ædes sacras de immun. Eccles. in* 6. fertur excommunicatio Papæ reservata contra omnes, qui apud ædes sacras deposita Ecclesiarum, vel ecclesiasticarum personarum ubilibet arrestaverint, sequestraverint, vel occupare præsumpserint: vel hęo mandaverint, vel arrestata receperint, vel prædictis scienter dederint auxilium, consilium, vel favorem, publice, vel occulte: Universitates autem, quæ in prædictis culpabiles fuerint, eo ipso interdictum ecclesiasticum incurrunt.

Sed ex *Clemen. 1. de immunit. Eccles.* tota illa Constitutio Bonifacii VIII. cum suis declarationibus revocata est, & abrogata, ut notant *Gemin. Joan. Andr. Franc. & Anchar. in dict. c. Clericis*, quamvis *Barbos. ibi n.* 2. contrarium sentiat.

II. Hodie ex Bulla Cœnæ Domini *cap.* 17. excommunicatio Papæ reservata fertur contra eos, qui sequestrant fructus, vel proventus pertinentes ad ecclesiasticas personas ratione beneficiorum, seu Ecclesiarum: itaque, si illa deposita essent de talibus fructibus, seu proventibus, incurrent sequestrantes illam censuram.

III. Sequestrantes, vel occupantes deposita, sive ecclesiasticarum personarum, sive locorum piorum, hodie incurrunt excommunicationem Papæ reservatam latam in Concil. Triden. *sess.* 22. *c.* 11. *de reform.* & clerici consentientes, vel cooperantes, incurrunt ultra hanc excommunicationem, privationem beneficiorum, & inhabilitatem ad hujusmodi eo ipso; & patroni si talia fecerint, privantur eo ipso jurepatronatus: dixi *verbo Usurpatio cap.* 1.

CAPUT I.

Dolum, vel fraudem committentes.

I. COndemnatus in judicio civili de dolo ex persona propria, incurrit infamiam juris, *l. 1. ff. de his, qui not. infam.* & consequenter fit irregularis, ut dixi *part. 1. c.* 33. §. *Tertio modo.* Et idem est, si pactus fuit, ne ageretur contra ipsum de dolo, vel ut ab actione desisteretur, ut *d. leg.* 1. Et idem est, si condemnatus fuerit criminaliter de dolo, idest crimine stellionatus, *leg. Infamem ff. de pub. Jud.*

Limita, quod ratione doli non incurrit infamiam condemnatus, quando actio de dolo, seu dolus purgari potest, seu interesse reparari per aliquam aliam actionem, verb. gr. mandati, vel negotiorum gestorum; quia tunc non potest agi actione de dolo civiliter, neque criminaliter, tanquam de crimine stellionatus, *gloss. Bart. & Doctores communiter in leg. Et eleganter*, §. 1. *ff. de dolo*, *Ofasch. decis.* 137. *n.* 17. Imo secundum multorum sententiam, etiamsi tunc possit agi crimine stellionatus, non fieret damnatus infamis, nec irregularis, *Boss. de crim. stellionat. in fin. Menoch. lib. 5. præsumpt. 3. n. 2. in fin.* & hanc veriorem ait *Farinac. conf. crimin.* 114. *n.* 56.

Limita secundo, quod quælibet causa etiam injusta, & bestialis excusat a dolo, & ejus pœna, *gloss. in leg.* 1. §. *Justus ff. de abig.* requiritur tamen ut ea causa sit aliquo modo colorata, & non frivola, *Aret. con.* 141. *n.* 25. *Decian. conf.* 11. *n. 6. lib.* 2. *Rota decis.* 58. *in fin. in collect. Farinac. de contr. & crimin.*

CAPUT I.

Donationes prohibita.

Vide *verbo Munera*, & *verbo Concubinatus*.

CAPUT I.

Duellum committentes clerici.

I. CAp. 1. *de clericis pugnan. in duello*, habetur: si clericus duellum sponte obtulerit, vel oblatum susceperit, sive victor, sive victus fuerit, de rigore juris est merito deponendus: sed evadere poterit depositionis sententiam, si cum eo ejus Episcopus duxerit misericorditer dispensandum: dummodo ex ipso duello homicidium, vel membrorum mutilatio non fuerit subsecuta; quia scilicet tunc esset irregularis ex homicidio voluntario, a solo Papa dispensabilis.

Ex hoc textu multi Doctores dicunt, clericum pugnantem in duello incurrere suspensionem latæ sententiæ, ita *Sylvest. verb. Suspensio n.* 11. *Angelus n.* 12. *Armilla vers.* 10. *Tabiena n. 7. vers.* 10.

Contraria tamen est communis, quod non sit suspensus ipso jure, sed suspendendus perpetuo, seu deponendus: ita *Navarrus c.* 27. *n.* 156. *vers. Quarto est*, *Suar. de censur. disp.* 31. *sect.* 4. *n.* 48. *Henriq. lib.* 13. *c.* 39. *n.* 23. *Filiuc. tract.* 29. *n.* 161. *Salzedo ad Diaz in c.* 100. *vel* 93. *Manuel. in summa tom. 1. cap.* 73. *in fin. Sanchez in decal. lib.* 1. *c.* 39. *n.* 18. *Barbos. in dict. c.* 1. *n.* 5. Sed quidquid sit de hac decretali, hodie alias etiam censuras incurrit, & pœnas clericus in duello, ut infra.

II. Ex Bulla Pii IV. quæ est 11. *Ea, quæ a Prædecessoribus*, fertur excommunicatio latæ sententiæ, Papæ reservata, & privatio beneficiorum ecclesiasticorum, & dignitatum, & inhabilitas ad illa, vel alia ipso facto contra clericos pugnantes in duello, aut provocantes, vel id tentantes, vel locum dantes, aut comitivam præstantes, vel chartas duelli subscribentes, affigentes, publicantes, faventes, consulentes, vel adstantes: & dispensatio super his reservatur Papæ.

Nota, quod licet hæc Bulla loquatur de duello formato

tantum, ut *Navarr. conf. 2. de purgat. vulg. & Cherubin. super eadem Bulla schol.* 1. tamen hodie est extensa cum suis pœnis ad duellum ioforme, seu minus solemne per Bullam Clem. VIII. 11. *Illius vices*, de qua *infra c.* 4. ita *Navarr. ibi Sanchez lib. 2. in decal. cap. 39. n. 27. Barbos. in dict. c. 1. de cler. pugn. n. 3.*

III. Ex Concilio Trident. *sess. 25. c. 19.* statutum est, ut clerici pugoantes io duello, non solum excommunicationem, sed & proscriptionem omnium bonorum, & juris infamiam incurraot: & Doctores communiter expoouot illam particulam *incurrant*, esse latæ sententiæ, quia est imperativi modi temporis præsentis; ita *Suarez de censur. disput. 23. sect. 7. n. 11. Sanch. lib. 2. c. 39. in decal. n. 26.* ubi plurimos allegat Doctores pro hac sententia, contra quosdam: & de lata seotentia interpretatus est hunc locum Trideotioi Gregor. XIII. in sua Constitutione, de qua *infra*. Item, si moriantor in conflictu, perpetuo careant ecclesiastica sepultura, ait Trid. *ibid.*

Nota primo, qood licet hoc decretum Tridentini loquatur de duello formato tantum, seu solemni, ut *Navarr. consil. 2. de purg. vulg. n. 1. & 4. Bern. Diaz. in praxi c. 104. Cherubin. super Bulla Greg. XIII. 78. Sanchez loco cit. n.22.* tamen est exteosum cum suis pœnis ad duellum informe, seu diffidatiooem, per Bullam præfatam Gregor. XIII. & Clem. VIII. *Illius vices*, ut etiam notat *Barbos. in dict. c. 1. de clericis pugn. in duello n. 3.*

Dicitur autem duellum formatum, seu solemne, quod fit publica auctoritate, scilicet principe daote campum fraocum, & conditiooe, seu conclusione interveoiente de loco, armis, patrinis, spectatoribus, & tempore, ut *Salzedo ad Diaz. in praxi c.103. §. Circa & Sanch. loco cit. n. 22. Filiuc. tract. 15. n. 10.* Duellum autem minus solemne, est singulare certamen, condicto solum tempore & loco, ut *DD. cit.*

Nota secundo, quod hodie ex hoc Triden. decreto clerici pugnantes in duello, etiam ooo secuta morte, vel mutilatiooe, suot irregulares tatione infamiæ juris, ut supra: est tamen verum, quod pœna ista infamiæ, & consequentis irregularitatis, non ligat in conscientia aote sententiam declaratoriam, secuodum probabiliorem, *Filiucc. tract. 29. n. 32. lib.2. in decal. & Azor. tom. 3. lib.2. c.6. §.Tertio notandum*; multi tameo putant, sufficere notorietatem: dixi *part. 1. c. 33. §. Primo modo*.

Sed etsi secuta fuerit declaratoria criminis, tamen super hac pœoa potest Episcopus dispensare, juxta ea, quæ dixi supra *n.* 1. quia Bulla Clemeotis VIII. solum reservavit Papæ absolutionem a censuris propter duellum incursis, ot dicam iofra *cap.* 4. & Bulla Pii IV. solum reservat dispensationem super pœna privationis beneficiorum, & dignitatum, & inhabilitatis ad ista.

CAPUT II.

Duellum subditi Ecclesiæ Romanæ in temporalibus committentes, & cooperantes.

I. EX Bulla Pii IV. *Ea, quæ a Prædecessoribus*, est Constit. 21. omnes subditi in temporalibus Ecclesiæ Romanæ pugnaotes in duello, aut provocaotes ad illud, aut attentantes: item locum concedentes, comitivam præstantes, chartas duelli subscribentes, aut publicantes; item adstantes, certantes, adhærentes, faventes, coosulentes, incurruot ipso facto; primo pœnam excommooicatioois Papæ reservatam; secundo iosamiæ juris perpetuæ; tertio criminis læsæ majestatis; quarto, damnationis memoriæ, & confiscatioois bonorum, & devolotioois feudorum; quinto, loca, ubi fuerit duellum celebratum, ipso jure remanent interdicto supposita.

Nota, quod hæc Constitutio fuit confirmata ex Bulla Gregorii XIII. *Ad tollendum* 78. & Bulla Clementis VIII. *Illius vices*: & quamvis hæc Bulla loquatur tantum de duello formato, tamen per dictas Constitutiones est extensa cum suis pœnis ad duellum minus solemne, seu diffidationem, *Sanch. lib. 2. in decal. cap. 39. n. 27. Cherubin. super hac Bulla Pii IV. schol. 1. Diaz. in praxi c. 104. n. 33. Barbos. in c. 1. de cleric. pugn. in duell. n. 3.*

Nota secundo, quod pœoa criminis læsæ majestatis iotelligitur quoad pœoas temporales, non quoad spirituales latas in *c. Felicis de pœnis in 6.* ita *Comitol. lib. 6. q. 12. in 3. dubio*.

CAPUT III.

Duellum formatum committentes, vel procurantes, quicunque, & cooperantes.

I. EX Bulla præfata Pii IV. omnes Imperatores, & Regibus inferiores, si in duello pugnaverint, vel provocaverint, vel irritaverint, auxilium, consilium, favoremve dederint, vel adstantes fuerint, seu interessentes duello, aut chartas subscripserint, aut publicaverint, vel de illis se intermiserint, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam.

Nota, quod hæc Constitutio, & pœna procedit contra supradictos provocantes, vel cooperantes ad doellum, etiam effectu non subsecuto, etiamsi noo sit ventum ad locum, *Filiuc. tract. 29. n. 171.*

Nota secundo, quod hæc Constitutio est confirmata a Gregorio XIII. & Clem. VIII. ut dixi *cap. præcedenti*.

II. Ex *Trid. sess. 25. de reform. c. 19.* quicunque ad tale duellum formatum in terris suis inter christianos locum concesserit, etiamsi sit Rex, aut Imperator, eo ipso est excommunicatus, ac jurisdictione, & dominio civitatis, castri, aut loci, in quo, vel apod quem duellum fieri permiserit, si illa ab Ecclesia obtineat, privatus intelligitur; & si loca feudalia sint, directis dominis statim acquiruntur.

Qui vero pugnam commiserint, & eorum patrini incurruot pœnam excommuoicatioois latæ seotentiæ, & proscriptionis omoium bonorum, & perpetuæ juris infamiæ, & ut homicidæ juxta Sacros Canones puniendi, & si in ipso conflictu decesseriot, statuit Concilium, ut perpetuo ecclesiastica careant sepultura.

Illi vero, qui consilium io caosa duelli, tam in jure, quam in facto dederint, aut alia ratione ad id quemquam suaseriot, item spectatores, excommunicationis, atque perpetuæ maledictionis vinculo teneantur, non obstante quocunque privilegio, seu prava consuetudine, etiam immemorabili.

Nota primo, quod sopradictæ pœnæ latæ per verbum *Incurrant*, sunt latæ senteotiæ, ut dixi supra *cap. 1. n. 3.* Illa autem pœoa privationis sepulturæ lata per verbum *Careat*, aliquibus non videtur latæ sententiæ, ut in simili dicunt *Doctores c. Omnis utriusque de pœniten. & remiss.* & testatur *Suar. de Sacram. Euchar. disput. 70. sect. 3. in fin. Layman de Sacr. Euch. c. 5. n. 10.* tamen in casu oostro est latæ sententiæ,

Primo, ex jure commuoi, quia cum agatur de duello formato, atque adeo publico, & moriens io conflictu, moriatur in actuali peccato mortali, seu impœoitentia finali, caret ecclesiastica sepultura, ot nullo modo possit in sacro sepeliri, nisi signa dederit contritionis, & pœoitentiæ; ita *Eman. Sà verbo Sepultura n. 3.*

Secnodo, quia ex Bulla Clementis VIII. 11. de qua infra, aperte est latæ seoteotiæ, ob illam particulam, *privatos esse volumus*.

Tertio, dum dicit *perpetuo*, ostendit, non posse per sigoa pœnitentiæ evadi, nisi Papa dispenset; & habetur in *c. 1. de torneamen.* unde etiamsi fuerit absolutus a censura io articulo mortis, & viaticum receperit, adhuc remanet privatus ecclesiastica sepultura, ut probatur in *dict. c. 1.* & ibi *gloss. not.*

Quarto, quia magis commonis sententia tenet verbum *Careat*, esse latæ seotentiæ, ut *Tiraquell. in leg. Si unquam, verbo Revertatur n. 161. Barb. de diction. ver. Careat*, & ita tenet *Peregrin. de duello quæst. 7. n. 4.* & ita censuit Sacra Congregatio, & observat etiam Sacra Pœnitentiaria, quæ io facultatibus absolvendi io casibus duelli, de incursis, seu commissis usque ad diem receptionis litterarum, declarat, absolutionem non suffragari, quominus ecclesiastica careant sepultura, si ex duello decedaot.

☞ *Hæc tamen declaratio non requiritur in formulario S. Pœnitentiariæ.* ☜

Hoc autem, quod dicit Tridentinum de morieote in conflictu, ampliant aliqui, etiamsi moriatur ex coonflictu, idest ex vulnere accepto in conflictu, etsi post conflictum moriatur: ita *Peregrin. ibid.* contra tenet *Sancius select. disp. 36. n. 9. Diana resolut. 54. miscell. 2. tom. 1.* & favere videntur verba Coocilii ibi: *in ipso conflictu, cap. 1. in fin. de torneam.* ubi dicitur, *si quis ibi mortuus fuerit, quamvis ei poscenti pœnitentia non denegetur* (imo neque viaticum, ut *ibi not. glos.*) *ecclesiastica tamen careat sepultura*: tameo ex identitate rationis æstimo primam senteotiam veriorem, & juxta seosum Sacræ Congregationis: & facit, quia alias frustra imposita esset hæc pœna, cum idem efficeret excommunicatio

a duel-

a duellante incursa; & hanc tenet Sacra Pœnitentiaria, ut patet ex stylo supradicto.

Nota secundo, quod hanc excommunicationem, & pœnas non incurrunt principales ex Tridentino, nisi actu pugnaverint; cooperantes similiter, ut dantes locum, & suadentes, & spectatores incurrunt solum pœnas effectu pugnæ subsecuto, quia accessorie puniuntur: ita *Comitol. lib. 6. quæst.* 13. §. *Sicut autem*, *Sanch. lib.* 2. *in decal. c.* 39. *n.* 31. tamen incurrunt dictas pœnas ex vi Constitutionis Pii IV. de qua supra, & Clement. VIII. de qua dicam *n.* 3. infra.

Nota tertio, quod excommunicationes latæ in dicto Tridentini decreto, non sunt reservatæ Papæ, ut *Toletus* notat *lib.* 1. *c.* 41. §. 6. *Filiuc. tract.* 14. *n.* 96. *tract.* 29. *n.* 166. *Sanch. c.* 39. *n.* 27. sunt tamen aliunde reservatæ ex Bulla citata Pii IV. et Clementis VIII. et de hac dicam infra *cap. ult.*

Nota quarto, quod spectatores hoc loco dicuntur, & incurrunt in excommunicationem, qui ex proposito, & tanquam testes, seu approbatores spectant, tanquam sua præsentia cohonestantes, vel ex curiositate palam intervenientes, quia multum animos augent ad pugnam: non autem incurrunt, qui obiter transeuntes aspiciunt, ut declaravit Gregorius XIII. in sua Constitutione, de qua *cap. seq.* ita *Sanch. cap.* 39. *n.* 31. *Reginal. lib.* 21. *tract.* 2. *n.* 77. *Delrio disq. magic. lib.* 4. *c.* 4. *n.* 26. Item neque qui spectant clam ex occulto loco, non visi a certantibus, vel adstantibus, *Less. lib.* 2. *c.* 4. *n.* 83. *dub.* 11. *Eman. Sà verb. Duellum n.* 3. Non tamen incurrunt irregularitatem ex homicidio ibi secuto, vel mutilatione, nisi fuerint spectatores ex conventione; secus si ex sua propria curiositate, *Cardin. in Clem. Ne agro*, §. *Porro de statu Monac. Castren. cons.* 355. *vol.* 2. *Henricus Boich. in cap. Clericis n.* 9. *in fine*, *ne cleric. vel monach.*

III. Ex Bulla Clementis VIII. *Illius vices*, 11. innovatæ sunt omnes supra relatæ Constitutiones, & Decreta contra duellantes, & cooperantes: et ibi Clemens congessit, seu recapitulavit omnes pœnas in illis latas, easque extendit contra omnes, non solum pugnantes in duello, sed et provocantes, suadentes, equos, arma, commeatus præbentes, comitantes, chartulas, libellos, litteras, nuncios mittentes, scribentes, aut quomodolibet circa ista cooperantes, socios, de industria spectatores, patrinos, fautores, defensores, locum præbentes: et in summa contra omnes, qui hujus criminis quandocunque participes fuerint, seu prædictis se quoquo modo immiscuerint, etiamsi neque effectus pugnæ sit subsecutus, neque accessus ad locum, et etiamsi diffidatio non fuerit parti adversariæ intimata, si per eos cooperantes non steterit, quominus intimata fuerit: ita statuit, ut omnes prædicti incurrant dictas pœnas, præsertim excommunicationis Papæ reservatæ: et si in ipso conflictu obierint, sepultura ecclesiastica privatos esse voluit, et loca, in quorum territoriis id facinus scientibus, et permittentibus Dominis, Magistratibus, Populo, vel Senatu, admissum fuerit, eo ipso supponit interdicto Papæ reservato.

☞ *Prima sententia, quam Auctor supra amplectitur n.* 11. §. Hoc autem, *hodie omnino tenenda est ex declaratione Bened. XIV. Constit.* Detestabilem 5. *Idus Nov.* 1752. *ubi circa hoc, & alia ad duellum spectantia statuitur*, ibi — Si quis in duello, sive publice, sive privatim indicto, hominem occiderit, sive hic mortuus fuerit in loco conflictus, sive extra illum, ex vulnere in duello accepto, hujusmodi homicida, tanquam interficiens proximum suum animo præmeditato, ac deliberato ad formam Constit. fel. record. Prædecess. nostri Bened. XIII. *quæ incipit* Ex quo divina *data vi. Idus Jun. anno Domini* 1725. ab ecclesiasticæ immunitatis beneficio exclusus, et repulsus omnino censeatur; itant a cujuscunque sacri, aut religiosi loci asylo, ad quod confugerit, servatis tamen de jure servandis, extrahi, et judicis competentis Curiæ pro merito puniendus tradi possit, et debeat: super quo nos Episcopis, aliisque superioribus Antistitibus, ad quos respective pertinet, et pertinebit in posterum, necessarias, et opportunas facultates præsentium quoque tenore impertimur.

Quin etiam, vivente adhuc altero in singulari certamine graviter vulnerato, si percussor in locum immunem se receperit, ex quo, eveniente illius morte, fugam arripere, et legum severitatem evadere posse prospiciatur, volumus, et respective permittimus, ut quatenus periti ad inspiciendum vulnus acciti, grave vitæ periculum adesse retulerint, percussor ipse, prævio semper decreto Episcopi, et cum assistentia personæ ecclesiasticæ ab eodem Episcopo deputatæ, ab hujusmodi loco immuni extractus, sine mora carceribus mancipetur: ea tamen lege judicibus indicta, ut illum Ecclesiæ restituere debeant, si vulneratus superstes vivat ultra tempus a legibus, quæ de homicidio sunt, constitutum; alioquin in easdem pœnas incidant (*excommunicationis scilicet latæ sententia, Papæ reservatæ*) quæ in memoratis Bened. XIII. litteris constitutæ sunt adversus illos, qui delinquentem in aliquo ex casibus ibidem expressis ex indiciis ad id sufficientibus sibi traditum restituere recusent, postquam is in suis defensionibus hujusmodi indicia diluerit.

Præterea decernimus, ac declaramus sepulturæ sacræ privationem ex sacrosancta Tridentina Synodo inflictam morientibus in loco duelli, et conflictus, incurrendam perpetuo fore, etiam ante sententiam judicis a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, sive duellum publice, sive privatim indictum fuerit; ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta pœnitentiæ signa dederit, atque a peccatis, et censuris absolutionem obtinuerit; sublata Episcopis, et Ordinariis locorum super hac pœna interpretandi, ac dispensandi facultate. —

Ulterius proscripsit has propositiones.

I. — Vir militaris, qui nisi afferat, vel acceptet duellum, tamquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se, suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ, ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa, et pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum. —

II. — Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam. —

III. — Non incurrit ecclesiasticas pœnas ab Ecclesia contra duellantes latas Dux, vel officialis militiæ, acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ, et officii. —

IV. — Licitum est in statu hominis naturali acceptare, et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit. —

V. — Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam potest statui civitatis male ordinatæ, in qua nimirum vel negligentia, vel malitia magistratus justitia aperte denegatur. —

Alex. VII. sub die 24. *Septem.* 1665. *jam damnaverat sequentem propositionem la* 2. *in ordine inter alias ab eodem proscriptas.*

— Vir equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. —

Inflixitque pœnas in eam docentem, & ad praxim deducentem, quas vide in fine Additionis ad cap. 1. *verbo* Missa. ☜

CAPUT IV.

Duellum minus solemne committentes, diffidantes, & cooperantes.

I. IN Bulla Gregorii XIII. 78. *Ad tollendum*, statutum est, ut omnes, qui ex condicto statuto tempore, in loco convento, singulare certamen commiserint, etiamsi nulli patrini, aut socii ad id vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullæve provocatoriæ litteræ, aut denunciationis chartulæ præcesserint, teneantur pœnis a Tridentino Concilio propositis, perinde ac si publico, & consueto abusu, idest, solemniter regulare certamen inivissent: item ut locorum domini, qui tale certamen permiserint, aut quantum in se fuerit, non prohibuerint: item omnes illud mandantes, instigantes, dantes scienter auxilium, consilium, favorem, equos, arma, pecunias, commeatum, & alia subsidia; item ex composito spectatores, & se socios quovis modo præbentes, eisdem censuris, & pœnis subjaceant, etiamsi principales, qui ad locum destinatum propugnaturi accesserunt, impediti pugnam non commiserint, si per ipsos cooperantes, ut supra, non steterit quominus pugna committeretur.

Nota primo, quod ex hac Bulla excommunicatio extensa, non est reservata, sed est reservata ex Bulla Clementis octavi, ut infra.

Nota secundo, quod de essentia diffidationis est provocatio ad pugnam condicto tempore, & loco, ut patet ex hac Bulla: & si alterum horum deficiat, non est locus huic Constitutioni, *Sanch. lib.* 2. *c.* 39. *n.* 28. *Floron. de Duello c.* 2. sufficit autem pactum tacitum, seu virtualiter de tempore, & loco, *Sanchez ibid.* unde non est diffidatio, si videns inimicum, continuo provocat, ut evaginet gladium, & pugnent

gnent secum, *Sanch. ibi*, *Filiuc. tract.* 15. *n.* 107. & 110. quia hic non intervenit consensus liber alterius, seu pactum, seu conditio; si tamen ob praecedentes offensas quis inveniens inimicum, diceret, vis hic experiamur armis, & illa acceptet, probabilius est, esse sufficientem diffidationem ad poenas istas, *Farinac. q.* 119. *n.* 24. quamvis contrarium sentiat *Sanch. n.* 28. At si ex praesenti causa, & extemporanea rixa quis alterum statim calore iracundiae invitet ad aliquem locum ad pugnam incontinenti habendam, & illuc se conferant, & dimicent, non est diffidatio, sed rixa, *Farinac. n.* 24. *Joseph Ludovic. dec. Lucen.* 11. *n.* 10. *Graff. lib.* 1. *de casib. reserv. cap.* 7. *n.* 27. *Cherubin. super Bulla* 11. *Clem. VIII. schol.* 1. plures allegat *Diana resol.* 1. *tract.* 6. *miscel.* §. *Dico undecimo tom.* 2. secus est, si dixisset, ibi me expecta: quia tunc condicitur locus, & tempus, ita *Scordia theorem.* 392. *in selec. Consil.* §. *Idem dicitur*, & *alii praecitati*.

Nota tertio, quod locus diffidationis ex hac Bulla non incurrit interdictum, sed tamen illud incurrit ex Bulla Clementis octavi, ut statim dicam.

II. Ex Bulla Clementis octavi 11. *Illius vices*, extensae sunt poenae omnes latae ex Constitutione Pii IV. & Greg. XIII. & Concil. Trident. ad omne singulare certamen, etiam privatum, seu minus solemne; & ad omnem provocationem, et cooperationem, attentatum, etiam non secuta pugna, neque accessu ad locum, et ad omnes cooperationes circa chartulas, vel nuncia diffidationis; etiamsi non fuerint dictae provocationes intimatae adversario, si per ipsos cooperantes non stetit, quominus intimarentur. Itaque statuit Clemens VIII., istos omnes incurrere eo ipso excommunicationem Papae reservatam, et infamiam juris, et privationem ecclesiasticae sepulturae, et loca certaminis eo ipso incurrere interdictum Papae reservatum, ex dicta Bulla.

Limita supradictas Constitutiones, ut non dicatur diffidatio, si invitatio facta est ad certamen pugnis faciendum sine armis, et sine periculo vulneris, aut gravis laesionis, *Filiuc. tractat.* 15. *n.* 107. *Bonac. de cens. disp.* 2. *quaest.* 6. *punct.* 3. *n.* 9.

CAPUT V.

Duelli, & diffidationis absolutio, qualiter, & a quibus danda.

I. EX decreto S. Congregationis Episcoporum, et Regularium jussu Clementis VIII. edito, et approbato a Paulo V., de quibus dixi *verbo Absolutio c.* 3. *n.* 3. prohibitum est omnibus habentibus privilegia in quacunque verborum forma absolvendi a casibus Papae reservatis, ne in Italia extra Urbem possint absolvere a casibus duelli, et diffidationis in terminis Concilii Tridentini, et Constitutionis Gregorii XIII. de quibus supra dictum est *cap.* 3. & 4. Quod si praetextu privilegiorum praesumpserint absolvere, extra mortis articulum, absolutio est nulla, et incurrunt excommunicationem Papae reservatam, poenam privationis officiorum, & beneficiorum, & inhabilitatem ad talia, a solo Papa dispensabilem.

Itaque hodie in Italia privilegia habentes praefata, non possunt absolvere principales, si pugnaverint; cooperantes autem, scilicet secundarie, non possunt absolvere, quoties principales accesserunt ad locum pugnae, licet ea non fuerit subsequuta, si per eos cooperatores non stetit, quominus sequeretur, quia in istis solis casibus, & terminis incurrunt poenas *ex Trident. Concil. & Constit. Gregor. XIII.* In aliis autem casibus licet illi omnes incurrant excommunicationem Papae reservatam ex *Bulla Clement. VIII. undecima*: tamen non sunt per illam, neque per illud decretum impedita eorum privilegia; ita *Graff. lib.* 1. *de cas. reserv. c.* 7. *n.* 20. 26. *Reginal. lib.* 21. *n.* 83. *Filiuc. tract.* 29. *n.* 167. *Comitol. lib.* 6. *quaest.* 17. *n.* 2. *Bonac. de censur. disp.* 2. *quaest.* 6. *punct.* 1. *num. ult.* & *de cens. in part. dis.* 2. *quaest.* 3. *punct.* 48. *n.* 40.

☞ *Nota, quod ex Constit. Bened. XIV. cit. antecedenti c.* 3. *cum excommunicatio in ea lata contra principales, & complices duelli, sit reservata Summo Pontifici in toto orbe catholico, non amplius ab ea absolvere possunt extra Italiam habentes privilegia absolvendi a casibus Papalibus.* ☜

II. Ex Bulla Clementis Octavi 11. supra allegata, §. 7. statutum est, ut a censuris duelli, & diffidationis nemo possit absolutionem obtinere, nisi poenitentia, & satisfactione congrue peracta: quocirca advertendum, quod si ad duellum, vel diffidationem provocans, vel libere acceptans, occidatur, vel mutiletur, nulla sibi, nec haeredibus facienda est restitutio, quia censetur praevidisse periculum, & condonasse. Si autem qui acceptavit coacte, metu infamiae, aut alterius gravis nocumenti, occidatur, occidens tenetur ad restitutionem; & secundo loco cooperantes tenentur. Haec omnia probantur *l.* 1. §. *Cum arietes*, *ff. si quadr. paup. fecisse dic. Azor. tom.* 3. *lib.* 5. *c.* 3. *quaest.* 7. *Layman lib.* 3. *tract. de injusta corp. laesione c.* 6. *n.* 5. *Tannerus tom.* 3. *disp.* 4. *quaest.* 8. *n.* 102. *Luis. Turrian. de Justit. disput.* 28. *dub.* 4. *n.* 9. Quod autem ait Clemens de praecedenti poenitentia, & satisfactione, intelligitur, quando absolutio datur extra mortis articulum: & intelligendum est, quando sine gravi incommodo potest ille satisfacere ante absolutionem; & loquitur de absolutione danda a Sede Apostolica, non autem imponit formam aliis habentibus privilegia sine tali restrictione.

CAPUT I.

Ecclesiarum incendiarii, & violatores.

Vide *verbo Incendiarii.*

CAPUT II.

Ecclesiasticarum rerum rapina, vel furtum.

Vide *verbo Sacrilegium, cap.* 3. & 4. & *verbo Incendiarii.*

CAPUT III.

Ecclesiasticorum bonorum usurpatio.

Vide *verbo Usurpatio.*

CAPUT IV.

Ecclesiarum pollutio.

Vide *verbo Sacrilegium cap.* 5.

CAPUT I.

Electio ecclesiastica facta ab excommunicatis, vel suspensis.

ELectio ecclesiastica fieri non potest a persona excommunicata, vel suspensa ab officio, alias est nulla, *Sayr. lib.* 4. *c.* 5. *n.* 6. *Ugolin. tab.* 2. *de excomm. c.* 11. §. 2. *n.* 5. & 12. *Suar. tom.* 4. *de relig. lib.* 2. *c.* 5. *n.* 9. *Miranda man. par.* 2. *q.* 23. *art.* 8. *in princ.* & de excommunicato habetur in *c. ult. de Cleric. excomm.* de suspenso autem habetur *in c. Cum dilectus de consuet. Abb. & Doctores in c. Cum inter R. de elect.* & confirmatio talis electionis est nulla, *c. Ad probandum, ibi Canonistae, de re judic. Ugolin. loc. cit.*

Limita primo, quod non obest electioni suffragium excommunicati, vel suspensi, si non erat vitandus, scilicet nominatim denuntiatus, vel notorius clerici percussor, & aliorum suffragia erant sufficientia; quia alii non tenebantur eum vitare, *Suarez loc. cit. c.* 5. *n.* 9. *Ugolin. n.* 12. *Covar. in c. Alma par.* 1. §. 7. *n.* 9. *Sayr. lib.* 2. *c.* 6. *n.* 6. *de censur.* Imo etsi esset vitandus, sed non admissus scienter unanimi conspiratione, seu consensu, sed ignoranter, vel coacte, tunc electio est valida, si alia suffragia habilium erant sufficientia, quia utile per inutile non vitiatur, nisi ob culpam communicantium cum vitando, *Abb. in cap. ult. de procur. n.* 3. 4. & 7. & est sententia *Innoc.* ibi communiter recepti, ut testatur *Abbas ibid. n.* 6. & tenet *Suar. loc. cit.* & communem ait *Suar. de cens. disp.* 14. *sect.* 2. *n.* 17. & probatur ex *dict. c. finali, de procur.* Itaque, ut vitietur electio ob censuram, requiritur, ut major pars capituli sciverit, eum esse vitandum, & quod potuerit repellere eum, & non repulerint, ut *Innoc. in c. Illa n.* 3. *Abbas n.* 7. *de elect.* & *Sayr. lib.* 2. *c.* 6. *n.* 5. hanc veriorem asserit, & ab hac non esse recedendum ait *Suarez de censur. loc. cit. n.* 17. idque statutum est in odium, & poenam admittentium talem prohibitum ad electionem, *Sayr. ibi n.* 5.

CA-

CAPUT II.

Electio ecclesiastica per sortes facta.

Electio ecclesiastice per sortes est prohibita, *c. Ecclesia de sortileg.* sed debet fieri vel scrutinio, vel compromisso, vel inspiratione, *c. Quia propter 42. de elect.*

Amplia, ut neque licitum sit, si eligantur sortibus aliqui, ex quibus aliquis postea scrutinio eligatur, *Suar. tom. 1. de relig. tract. de superstit. lib. 2. c. 12. n.* 8. neque licitum sit, si eligantur sortibus compromissarii, qui postea eligant, *Sanchez lib. 2. in decal. cap.* 38. *n.* 71.

Limita, quod regulariter electio ecclesiastica per sortes est valida, tametsi illicita, nisi in casibus a jure expressis, quibus decernitur irrita.

Primus casus est in electione ad Ecclesias, seu prælaturas, per *c. Quia propter, cit. Sanchez cit. n.* 83. *Suar. n.* 10. *Layman lib.* 4. *tract.* 10. *c.* 3. *n.* 9. *Abb. in dict. c. Ecclesia n.* 5. *de sortileg.* & multo magis in electione Papæ, & dixi *verbo Conclave c.* 4. Et quidem in electione ad cathedrales, electores ea vice potestate eligendi privandi, non tamen sunt ipso jure privati, ut *gloss. not. in dict. c. Quia propter, verbo Priventur, & ibi Abb. n.* 3. In electione autem Papæ electores, & electi varias pœnas latæ sententiæ in tali casu incurrunt, ut dixi *verbo Conclave c.* 4. & 5.

Secundus casus est in electione superiorum, & officialium regularium, quia fieri debet per secreta suffragia, quæ nunquam publicentur, alias est irrita; & is, qui se aliter eligi permittit in superiorem regularem, efficitur inhabilis eo ipso ad omnia officia in Religione obtinenda, ex Trident. *sess.* 25. *de regular. cap.* 6. An autem sit valida pro foro conscientiæ electio facta contra dictam formam Trident. multi affirmant, donec cassetur, *Roderic. q. regular.* 27. *art.* 10. *tom.* 1. *Eman. Sà electio n.* 5. *Navar. conf.* 8. *n.* 3. & *conf.* 9. *n.* 2. *de elect. Innoc. in cap. Quod sicut de elect.*

In primo tamen casu non esset nulla electio facta per sortes mediate, id est eligendo per sortes compromissarios, qui eligant suffragio, seu consensu, non scrutinio: etenim *cap. Quia propter* irritans electionem factam, nisi scrutinio, compromisso, aut inspiratione, intelligitur de electione immediata, & hac ratione, servata videtur forma *cap. Quia propter:* ita *Suar. lib.* 2. *cap.* 12. *citato, n.* 10. *in fin. Sanchez n.* 83. *text. in dicto cap. fin. de sortileg. ibi gloss.* Et idem est in electione Papæ, quia si ad sortitionem concurrant omnium vota, ut per illam eligantur compromissarii, qui eligant Papam, satis servatur forma *cap. Quia propter*, & Bullæ Gregor. XV. Secus autem in electione per scrutinium, quia si fiat per sortes etiam mediate, v. g. eligendo per sortes quatuor, vel quinque, ex quorum numero unus per suffragia eligatur ad Ecclesiam, vel Pontificatum, nulla erit. Ratio est, quia illa prima, seu præambula electio, est pars actus electionis, cum fiat communiter, seu capitulariter, & habet effectum electionis negativum, seu exclusivum aliquorum, & affirmativum eorum, qui sic per sortes eliguntur: ideo non salvaretur forma requisita scrutinii; & in electione quidem ad Papatum incurrent omnes pœnas, & censuras latas in Bulla Gregorii XV. *supra cit.*

At exclusio aliquorum, & inclusio aliorum, ex quibus unus eligatur in Papam, si fiat ex privata conventione Cardinalium, seu eligentium, non irritat electionem, etiamsi per sortes fieret, sed eligentes incurrerent in excommunicationem Papæ reservatam latam in Bulla Gregor. XV. §. *Cardinales præterea*; tamen electio non esset irrita, ut dixi, quia ille tractatus pactionalis non est pars electionis, cum privata fiat potestate: multo magis irrita erit electio per sortes præambula, capitulariter facta, restringens electionem ad certum numerum, quia non salvatur scrutinium, neque secreta suffragia dici possunt.

CAPUT III.

Electio, vel postulatio, vel nominatio ad Ecclesias, vel dignitates, vel parochias, de persona, ætatem, & qualitatem requisitam non habente: aut ad alia beneficia de indigno.

I. IN Concil. Lateranensi sub Alex. III. relato in *cap. Cum in cunctis* 7. *de elect.* statutum est, ut nullus in Episcopum eligatur, nisi qui trigesimum annum ætatis exegerit, & de legitimo matrimonio sit natus, & vita, scientiaque commendabilis demonstretur. Inferiora autem ministeria, ut puta decanatus, archidiaconatus, & alia, quæ curam habent animarum annexam, & parochiæ, nullus omnino suscipiat, nisi qui vigesimum quintum ætatis annum attigerit, & scientia, ac moribus commendatus existat. Deinde addit, clerici si contra formam istam quemquam elegerint, & eligendi tunc potestate privatos, & ab ecclesiasticis beneficiis triennio noverint se suspensos. Episcopus autem, si contra hæc fecerit (scilicet quando ad eum collatio pertinet) aut consenserit fieri, in conferendis prædictis officiis, & beneficiis potestatem amittat, & per capitulum, aut Metropolitanum, si capitulum concordare nequiverit, ordinetur.

Nota primo, quod ait de ætate triginta annorum completorum requisita ad episcopatum, idem confirmatum a Tridentino *sess.* 22. *cap.* 2. *in princ.* Vide *Garziam part.* 7. *cap.* 4. *num.* 76. Quod autem ait de ætate 25. annorum cœptorum pro beneficiis habentibus curam animarum principaliter annexam, idem habetur Trident. *sess.* 24. *cap.* 12. *de reform.* & Bulla Pii V. *In conferendis*, de qua *Garzias part.* 9. *cap.* 2. *a num.* 1. Quod vero ait de natalibus legitimis, vide quæ dicam infra *verbo Illegitimi cap.* 2.

Nota secundo, quod pœnæ illæ prolatæ, seu statutæ contra clericos, qui contra formam prædictam scienter elegerint, secundum communem sententiam intelliguntur procedere solum in clericos eligentes ad episcopatum, non autem ad illa inferiora ministeria: ita *Navar. cap.* 27. *n.* 155. *Vruald. de suspens. n.* 66. *S. Anton.* 3. *part. tit.* 27. *cap.* 4. §. *Eligentes, Tabien. ver. Suspensio* §. *Sexto casu* 6. *in fin. Palud. in* 4. *distin.* 18. *quæst.* 7. *art.* 2. *casu* 1. *Anan. in dicto cap. Cum in cunctis*, §. *Clerici num.* 1. *Anchar. & Imola ibid. Henriq. lib.* 13. *cap.* 39. §. *Secundo, Abbas n.* 4. *Sayr. lib.* 4. *c.* 15. *n.* 11. *Sanchez in opuscul. seu consil. lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 6. *n.* 25. & probatur *cap. Si compromissarius de elect. in* 6. & probatur ratione, quia beneficia, seu officia inferiora episcopatu, non solent esse electiva, sed collativa.

Tamen alii dicunt illas pœnas procedere generaliter etiam contra eligentes ad officia inferiora præfata, quia textus non distinguit, & quia aliquando etiam ista sunt electiva: ita *Suarez de cens. disp.* 31. *sect.* 3. *n.* 10. *Bonac. de censur. in part. disp.* 3. *quæst.* 4. *punct.* 1. *n.* 1. & *Tolet. lib.* 1. *cap.* 48. §. *Sexto, versu Hæ decretales*, & tenet *gloss. in cap. Quanquam, de elect. verb. Secus*: sed non recedo a communi in materia pœnali. In hoc omnes conveniunt, ut non procedat in electione Papæ, ut notat *Sayr. loco cit.* §. *Primo, Tolet. loco cit.* & communem ait *Zabarella num.* 3.

Item adverte, quod pœna suspensionis secundum omnes, est latæ sententiæ, *Sanchez n.* 16. *in fine ibidem*, cum aliis. Intelligitur autem solum de beneficiis, quæ habent in eadem Ecclesia, ad quam fuit facta electio, *Sanchez n.* 20. cum communis item pœna privationis vocis activæ, seu juris eligendi pro ea vice, est latæ sententiæ, & ligat ante sententiam declaratoriam; primo quia non requirit factum hominis ad sui executionem: deinde, quia est pœna levis, cum sit pro illa vice tantum, & quia, cum scienter elegerit indignum, imputet sibi, cum functus sit officio suo: & ita *Sanchez n.* 16. *cum Abb. Hostien. Sylv. & aliis*: item illa suspensio non procedit contra Episcopum habentem jus eligendi: ita *cap. Si compromissarius*, §. *Hujusmodi de elect. in* 6.

Nota tertio, quod Episcopus si conferat beneficia, seu officia curam animarum principaliter annexam habentia personis non habentibus illa requisita ætatis, scientiæ, & morum probitatis, punitur pœna privationis potestatis conferendi dicta officia, & beneficia, ut in *tex. cit. cap. Cum in cunctis*, & ita *Abb. ibid.* §. *Clerici n.* 4. & *Zabarella ibid.* §. *fin. n.* 1. Alii intelligunt, quod Episcopus si confirmet electum ad episcopatum contra formam præfatam, tunc privatur potestate conferendi beneficia in ea Ecclesia: ita *Sanchez num.* 27.

An autem illa pœna sit latæ sententiæ, *Abb. ibid. n.* 6. *vers. Non obstante*, ait esse latæ sententiæ, quia illud verbum *Amittat*, non indiget facto hominis ad sui executionem: & idem alii tenent, quos allegat *Tiraquellus in leg. Si unquam, verb. Revertatur n.* 151. tenet *Sanch. n.* 27. Sed magis communis ait, esse ferendæ sententiæ, ut idem *Tiraquellus* testatur, & sequitur *n.* 154. & plurimos congerit *num.* 153. & hæc est verior.

Nota quarto, quod istæ pœnæ *cap. Cum in cunctis*, non

procedunt in electione attentata, seu suffragio præstito, nisi actus electionis sit consummatus, ut *cap. Perpetuo, de elect. in 6.*

Nota quinto, quod istæ pœnæ procedunt non in qualibet electione indigni, sed tantum, stante defectu natalium, ætatis, scientiæ, vel morum; & quidem non de omni defectu scientiæ, vel morum, sed tali, ob quem electio, seu collatio sit ipso jure irrita: ita *Sanch. n.* 58. probatur in *eo cap. Cum in cunctis*, dum ait, eo casu eligentes ipso facto remanere privatos jure eligendi ea vice: unde supponit collationem, seu electionem fuisse nullam ipso jure ex tali defectu morum, vel scientiæ; quæ autem litteratura, seu doctrina, & scientia requiratur ad validam promotionem, dixi *verbo Ordo cap. 9.*

Quæres, quandonam electio indigni sit nulla ipso jure? respondeo primo: aliqui indistincte dicunt, semper esse nullam: ita *Abbas in cap. Cum in cunctis num. 6.*

Secundo, alii dicunt, tunc esse nullam, quando ille erat, vel censura impeditus, vel irregularis, aut infamis, saltem infamia facti: ita *Castropalao tom. 2. de relig. tract. 13. disp. 4. punct. 5. n. 3. & 4.* & multi DD. apud eum, & apud *Garziam part. 7. cap. 8. n. 47. & Sanch. cons. lib. 6. c. 3. dub. 5. n. 10.*

Tertio, alii dicunt tunc ratione infamiæ, seu criminis esse nullam electionem, seu collationem, quando est infamia, saltem facti, de crimine digno depositione a beneficio: ita *Navarr.* quem sequitus *Sanchez consil. lib. 2. cap. 1. dub.* 18.

Quarto, alii dicunt, absolute non esse nullam ratione infamiæ facti, sed tantum ubi ex eo fit, vel censura impeditus, vel irregularis, aut ipso jure inhabilis: ita *Garzias loco cit. n.* 47. ubi plures alios allegat, & *n. 66.* ampliat, etiamsi sit crimen depositione dignum: tres postremæ sunt omnes probabiles. Vide *verb. Ludus cap.* 4. Illud autem certum est, pro foro externo sufficere, si eligatur dignus, etiam omisso digniori, ne alias aperiatur via litibus innumeris, ut *Rota recent. part. 5. decis.* 40. Quod est verum regulariter: nam excipere debemus electionem, seu nominationem factam post examen in concursu ad parochias: Episcopus enim tenetur magis idoneum renunciatum eligere; alias enim datur appellatio ab irrationabili judicio Episcopi, ut *ex Trid. sess. 24. cap. 18. de reform. & Bulla Pii V. In conferendis*: qua in re vide *Rotæ decis. sup. citatam*, ubi optime materiam declarat: & vide, quæ dixi circa hanc materiam *sup. verb. Beneficium cap.* 10.

☞ *Circa electionem dignioris attendenda est expressa definitio Concilii Triden. sess. 24. cap. 1. de ref. etiam extra concursum, videlicet electores* — alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint. — *Ac insuper propositio 47. inter alias proscripta ab Innoc. XI. 2. Mar. 1679.* — Cum dixit Concilium Tridentinum: eos alienis peccatis communicantes, mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles, ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent; Concilium, vel primo videtur per hoc digniores, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo, vel secundo, locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus — *Qua obligatio eligendi digniorem nedum locum habet in electionibus Episcoporum, & Cardinalium, de quibus expresse loquitur Concilium, sed etiam in electionibus jurisdictionem quasi episcopalem habentium, uti sunt Abbates, Commendatarii, Archimandritæ, aliique Prælati Nullius diœcesis, ac Prælati Regulares, ut cum communi Joan. Cardenas in* Crisi theologica *super eadem Innoc. propositione cap. 2. num.* 51. ☜

II. Ex *cap. Compromissarius 37. de elect. in 6.* Si compromissarius a capitulo constitutus ad eligendum Episcopum, eligat scienter indignum, ut supra, (idest natalibus, ætate, scientia, aut moribus) eligendi potestas revertitur ad capitulum, & compromissarius incurrit eo ipso pœnam suspensionis a beneficiis, quæ habet in Ecclesia offensa.

An autem capitulares, si scienter ratam habeant talem electionem, & ipsi incurrant in pœnam *dict. cap. Cum in cunctis*? aliqui negant, ut *Suar. de cens. disp. 31. sect. 3. n. 9. Bonac. loco supra cit. q. 4. punct. 3. n. 5.* sed communis affirmat, ut *gloss. in dict. cap. Compromissarius*, per illum *text. Tolet. lib. 1. cap. 48. §. 6. Sayr. lib. 4. cap. 15. n. 15. Marius Alterius tom. 2. disp. 13. cap. 2. col. 4.*

III. *Extrav. un. de postulat. prælat.* prohibet, postulari minorem 27. annis, saltem inchoatis, ad Ecclesiam cathedralem: vel religiosum professum Ordinis Mendicantis ad quascunque Ecclesias cathedralibus inferiores extra suum ordinem: & si secus fuerit attentatum, actus sunt irriti ipso jure; & scienter postulantes, eo ipso privantur potestate postulandi, & eligendi, ea vice, & suspensionem incurrunt, ut supra, per triennium a beneficiis, quæ in ea Ecclesia obtinent, ad quam talem ineptum postularunt: postulati autem, si hoc suum negotium in Romana Curia fuerint prosecuti, facientes illud Papæ in consistorio proponi, scientes se non attigisse 27. annum, incurrunt ineligibilitatem, seu inhabilitatem ad omnia beneficia, & dignitates ecclesiasticas, & impostulabilitatem ad illa, usque ad 35. annum. Cæteri vero seculares, & religiosi extra suorum administrationes ordinum, perpetuo sunt ineligibiles, & impostulabiles, & inhabiles ad omnia beneficia, & dignitates ecclesiasticas.

Iste textus est satis obscurus: nam aliqui ita intelligunt: ut nullus secularis postuletur ante 27. annum ad episcopatum, nullus religiosus Ordinis Mendicantis ad ullam Ecclesiam inferiorem cathedrali extra suum ordinem itidem ante 27. annum postuletur, alias incurrant pœnas, ut ibi: ita *Bonac. de censur. in partic. disput. 3. quæst. 4. punct. 1. n. 4.* Alii intelligunt, prohiberi postulari seculares ad cathedrales; religiosos autem Mendicantes ad quascunque Ecclesias extra suum ordinem, in utroque casu si sint minores 27. annis cœptis; & quod contra postulantes incurrunt pœnas &c. ita *Barbos. in dict. Extrav.* Sed verior mihi videtur ad litteram lectio, ut ad cathedralem nullus, sive regularis, sive secularis, postulari possit, qui 27. annum non attigerit; Regulares vero Mendicantes, etiam majores 27. non possint postulari ad Ecclesias cathedralibus inferiores extra suum ordinem: ita *Marius Alterius tom. 2. tract. de sup. disput. 13. cap. 5. in fin.* & consonat *Clement. 1. de elect.* ubi Regulares eligi non possunt ad prælaturam alterius Religionis, sed solum ad episcopatum: sed ut notat ibi *Cardin. n. 57. & Lap. in cap. Quorundam de elect. in 6.* possunt postulari a Papa, nisi sint religiosi Mendicantes.

Alia etiam obscuritas est circa pœnam postulati ad Ecclesias inferiores, ob illam particulam, *seculares, & religiosos*, cum non possit adaptari secularibus: ideo æstimo, esse mendum, & redundare illam particulam *seculares*.

IV. Nota, quod postulantes scienter indignum ex aliis defectibus expressis *in cap. Cum in cunctis*, non incurrunt in pœnam *cap. Cum in cunctis*, neque dictæ extravag. sed solum amittunt ipso jure jus postulandi, & eligendi facultatem pro illa vice; secundum probabiliorem, quam tenent *Azor. part. 2. lib. 6. cap. 17. quæst. 6. Cuccus tit. de postul. prælat. n. 55. Layman lib. 4. tract. de benefic. cap. 52. n. 8. Abb. cap. 2. n. 2. de postul. prælat.* & communem dicit *Wamesius cons. 17. n. 2. de elect.*

Adverte autem, quod postulatio fieri non potest de laborante impedimento, super quo non solet jure ordinario dispensari a Papa, *Azor. quæst. 9. Cuccus n. 15. Layman n. 8.*

V. Incurrunt in pœnas *cap. Cum in cunctis*, patroni ecclesiastici, idest, jus patronatus ecclesiasticum habentes, præsentantes scienter indignum, seu inhabilem contra illum *text.* Secus in patrono laico, ut dicam *verbo Patronus c. 6.* quamvis laicus patronus privetur & ipse ea vice ipso facto jure præsentandi, ut *ibid.* dicam.

☞ *Vide Additionem infra c. VI. verbo* Patronus. ☜

VI. Item incurrunt in pœnas dicti *cap. Cum in cunctis*, ecclesiastici habentes jus nominandi, si ex ea nominatione indigni sequatur vera, & realis electio, *Sayr. cap. 55. n. 15. lib. 4. de censur.* ut *c. Perpetuo de elect. in 6.* & *supra* dixi *not.* 4.

VII. Conferens, eligens, nominans, vel præsentans indignum, scilicet habentem defectum circa ordines, vel scientiam, vel ætatem, si scienter id faciat, non solum actus est irritus, sed ea vice privatur ipso jure potestate conferendi, eligendi, nominandi, seu præsentandi, & jus illud conferendi, eligendi &c. ea vice devolvitur, seu totum remanet penes alios concollatores, seu coelectores, compatronos &c. ut habetur in *cap. Dudum il primo de elect.* & ibi *gloss. not. verb. In ordinibus & ibi Abb. n. 10. & 55. & Rot. decis. 625. n. 3. part. 2. rec.* & hæc decretalis *Dudum* dispositio habet locum in omni beneficio ecclesiastico, ut

notat

notat *Abb.* & *Rota ibi*. Et nota *ex eo tex. cum Abb. & Rota ibi*, quod si electores, vel patroni &c. se diviserunt in duas partes, & pars major elegit indignum, minor autem pars elegit dignum, eodem scilicet contextu, seu scrutinio; electio, præsentatio, nominatio &c. facta a minori parte, est valida, & talis est confirmandus, seu instituendus. Secus, si non se divisissent in duas partes, sed multi eorum utrumque nominarunt: ita *Rota ibi*.

CAPUT IV.

Electionem per calumniam impugnans.

I. IN *cap. 1. de elect. in 6. §. Adjicientes, juncta §. Sed si pars*, statutum est, ut in electionibus ad dignitates, personatus, & canonias, si quis electionem, postulationem, vel provisionem factam impugnet, objiciens aliquid contra formam, scilicet eam non servatam asserendo, vel personam electi, vel eligentis, & propter hoc ad Sedem Apostolicam appellatum sit, opponens, & defendens, & alii, quorum interest, vel per se, vel per procuratorem intra mensem iter arripiant ad Sedem Apostolicam: & si is plene non probaverit quod objicit in personam, a beneficiis ecclesiasticis triennio noverit se suspensum: ad quæ si infra illud tempus propria temeritate se ingesserit, eo ipso perpetuo iis privatus existat, absque spe dispensationis, nisi manifestissimis constiterit documentis, quod ipsum a calumniæ vitio causa probabilis sufficiens excusaret: & qui plene non probat objecta, condemnandus est in expensis. De hac materia, & pœnis, vide *Bernard. Diaz in praxi cap. 68. n. 3. & 4. Barbos. in dicto cap. 1.*

Nota, quod in *cap. Si compromissarius 37. eodem tit. in 6.* declaratum est, suspensionem procedere solum a beneficiis, quæ calumniator habet in Ecclesia sic offensa: & quod in hac suspensione non continentur Episcopi.

☞ *Circa hanc assertionem ita sentit Ludovicus de Ameno* de delict. & pœn. tom. III. tit. 5. §. 4. n. 13. — Limitat Thesaur. de pœn. par. 2. verb. *Electio* c. 4. vers. *Nota quod*, istam dispositionem non procedere de beneficiis universaliter, sed tantum de iis, quæ excipiens (qui deficit in probatione exceptionis) possidet in illa Ecclesia, contra cujus Prælati &c. electionem excepit, & citat pro hac limitatione cap. *Si compromissarius de elect. lib. 6.* sed pace doctissimi viri, hoc verum non est: siquidem capitulum illud loquitur solum de compromissario (qui non fit Episcopus) qui elegerit scienter indignum; debet enim, juxta dispositionem Concilii Lateranensis 3. sub Alexandro III. cap. 3. subire, ipso jure, pœnam suspensionis a beneficiis per triennium: & cum Concilium illud loquatur de beneficiis indefinite, clarum est, quod intendebat de omnibus. Sed Bonifacius VIII. in citato capitulo inducit limitationem, redigendo dictam suspensionem ad ea sola beneficia, quæ obtinebat in illa Ecclesia, pro qua electionem de indigno fecerit, ut patet legenti textum illius capituli §. *Restringitur*. Inepta autem est extensio talis limitationis ad casum nostrum. — ☜

Nota secundo, quod impugnata electione ante confirmationem, si contra formam sit oppositum, electus tenetur probare, se rite electum: si autem post confirmationem contra formam opponatur, opponens probare tenetur: si autem oppositum sit contra personam, semper onus probandi incumbit opponenti, per *dict. cap. 1. & cap. Si compromissarius cit. Mascard. verb. Electio concl. 91. cum Butr. Innoc. & Compostell.*

CAPUT V.

Electores electo intra tempora legitima non præsentantes electionem.

I. IN *cap. Ne pro defectu de elect.* statutum est, ut Ecclesia cathedralis, aut regularis ultra tres menses non vacet; intra quos, si (justo impedimento cessante) electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eligendi potestate careant ea vice, & ad proximum superiorem facultas eligendi devolvitur.

Nota primo, quod ista pœna privationis incurritur ipso jure, absque aliqua sententia, *Abb. ibi n. 3.*

Nota secundo, quod si electus intra tres menses non acceptat, ex tunc incipit novum trimestre, ut per *gloss. in dict. cap. verb. Ea vice.*

Nota tertio, quod religiosi habentes communicationem privilegii Clementis IV. non subjiciuntur huic pœnæ, ut *Barbosa in dict. cap. Ne pro defectu n. 2. cum DD. allegatis.*

II. In *cap. Cupientes, §. Cæterum de elect. in 6.* sic electores intra octo dies, postquam commode poterunt, electis præsentare distulerint electiones ipsas, concorditer, vel in discordia celebratas, culpabiles, quoad se totaliter a processus prosecutione excluduntur, idest, ipso jure, ut ibi *gloss. verb. Excludentes*, & per triennium continuum sunt suspensi a beneficiis, quæ ipsi obtinent in Ecclesia offensa: & si interim temere se in illis ingerant, ipso jure eisdem perpetuo privantur. Et idem decernitur de postulantibus, si postulatis non præsentaverint, ut supra, postulationem: ipsis tamen electis, vel postulatis propter illam moram non generatur præjudicium.

Nota, quod textus loquitur de electione, & postulatione ad cathedrales, & regulares Ecclesias, quorum Prælatorum confirmatio ad Sedem Apostolicam pertinet, vel ob immediatam subjectionem, vel ob devolutam appellationem.

Limita, quod in electione Prælatorum Religionum multarum, hodie non currunt hæc tempora, neque locum habent hæ pœnæ, *Roderic. quæst. Regul. 52. art. 13. tom. 2. Barbos. ubi supra*: item in religiosorum electionibus factis de gremio suo, non requiritur expressa acceptatio, propter votum obedientiæ, *Suar. tom. 4. de relig. lib. 2. cap. 6. in fine*. Potest tamen electus recusare (si ei non fiat præceptum in virtute sanctæ obedientiæ) ex causa rationabili, *Angel. verb. Electio n. 30. Sylvest. verb. Electio 1. q. 19. Miranda man. tom. 2. q. 23. art. 31.*

CAPUT VI.

Eligentes, & electionem acceptantes per abusum laicæ potestatis.

Vide verbo *Beneficium cap. 8.*

CAPUT VII.

Electionis, vel nominationis, vel collationis denegatæ causa vexans personas, aut loca.

CAp. *Sciant cuncti de elect. in 6.* qui clericos, vel quaslibet alias personas ecclesiasticas, ad quas in Ecclesiis, monasteriis, aut aliis piis locis, spectat electio, pro eo, quod rogati, seu alias inducti, aliquem, pro quo inducebantur, eligere noluerint, præsumpserint gravare per se, vel per alios, sive eosdem, sive consanguineos eorumdem electorum, aut ipsas Ecclesias, seu loca supradicta, spoliando beneficiis, aut aliis eorum bonis, seu alias injuste persequendo; sciant se ipso facto excommunicationis sententia innodatos; sed non est reservata.

Amplia, ut idem sit in vexante ob denegatam nominationem, aut præsentationem, si pertineat ad personam ecclesiasticam ratione Ecclesiæ: & idem est de postulatione, institutione, & confirmatione; quia hæc omnia æquivalent in hac Constitutione favorabili: ita tenet *gloss. hic verb. Alios, & Geminian. ibid. Navarr. cap. 27. n. 122. Suarez. disp. 23. de censur. sect. 4. n. 4. cum Angelo, & Sylv. Sayrus lib. 3. c. 34. n. 8.* ubi plures allegat, *Toletus lib. 1. c. 38. §. Tertia*.

CAPUT VIII.

Electionem præfectæ monialium monasterii turbantes.

CAp. *Indemnitatibus §. Postremo de elect. in 6.* in electione monialium in abbatissam, vel priorissam, quando scilicet priorissa est superior totius conventus, hi qui ad dirigendas moniales in tali electione evocantur, abstineant ab illis rebus, quæ possent inter easdem moniales in tali electione discordiam generare, aut exortam nutrire; alias excommunicationis sententiæ eo ipso se noverint subjacere. Hæc excommunicatio non est reservata.

Advertendum, quod si is, qui superior est, qui præest isti electioni, etiam non vocatus, intersit, & perturbet moniales, dum interest, incurrit hanc censuram: non autem alii, qui superiores, seu Prælati non sunt, si non vocati, interfint, & perturbent, *Barbos. in d. cap. §. Postremo n. 21. cum gloss. Cajet. & Rainer.*

Adverte secundo *cum Barbos. ibid. n. 9.* quod ex Bulla Greg.

Greg. XV. edita anno 1622. statutum est, ut Episcopus possit per se, vel per alium electioni abbatissarum, & praefectarum monasterii, etiam exempti, interesse cum superioribus monasterii exempti, sed absque illius monasterii impensa: non ideo tamen pertinebit confirmatio ad Episcopum, si monasterium est exemptum, ut declaravit Sacra Congregatio, *Barbosa ibidem*.

De qualitatibus requisitis ad abbatissam, seu praefectam, & modo, quo Praelatus praeesse debet electioni, vide *Trid. sess. 25. de regul. cap. 7.* vide etiam Bullam Greg. XIII. 80. *Exposcit*, ubi praefecta monasterii monialium in Italia, & insulis adjacentibus eligi valide non potest, si non vacavit ab omni praefectura, saltem triennio: potest tamen, Praelato praecipiente, continuare officium, tanquam vicaria post triennium, usque ad electionem novae praefectae ad modicum tempus, *Miranda par. 3. q. 7. art. 9. Roderic. q. reg. 16. art. 3. in fin. tom. 1.* At Sixtus V. sua Constitutione relata *a Miranda ibi, & a Roderico d. quaest. 16. art. 2.* decrevit, dictam ordinationem Gregorii XIII. pro monialibus Sanctae Clarae observari ubique etiam extra Italiam, utque sub poena excommunicationis latae sententiae praefecta, finito triennio, teneatur dimittere officium illud; & quod sequenti triennio, neque illud, neque aliud officium, superioritatem, seu auctoritatem habens annexam, possit obtinere, quod intelligunt, & limitant praedicti Auctores eodem modo, ut confirmari possit tanquam vicaria ad modicum tempus, usque ad novae praefectae electionem.

☞ *Quoad interessentiam Episcopi in electione Abbatissae monialium Regularibus subjectarum, notandum est ex decreto Cong. Conc. 26. Apr. 1725. in Tyburtina, ut in Thesauro Resolut. ejusdem Congr. tom. 4. pag. 47. quod interesse debeat cum his limitationibus.*

I. Quod non possit ope Vicarii generalis, aut cancellarii exquirere voluntates, vel recipere, aut adnotare vota monialium eligentium, sed haec omnia praestari debeant a superiore regulari; sciente tamen, & audiente eodem Episcopo.

II. Quod nequeat suffragium ferre, sicuti & neque superior regularis, sub poena nullitatis electionis.

III. Quod ejus cancellarius, durante scrutinio, neque intra Ecclesiam permanere possit, nec alii quicunque, etiam religiosi ejusdem ordinis, exceptis superiore, & scrutatoribus.

IV. Quod confirmatio electionis fieri tantum debeat a superiore regulari, tanquam a Praelato immediato. ☜

CAPUT IX.

Electioni de se factae ad praelaturam extra suum monasterium religiosi consentientes sine licentia sui superioris.

IN *c. Si religiosus 27. de elect. in 6.* statutum est, ut si religiosus sine licentia superioris sui, petita, & obtenta, praesumpserit consentire electioni ad praelationem aliquam extra suum Ordinem, vel Ecclesiam, idest, monasterium celebratae; talis consensus non teneat, & in poenam praesumptionis illius electio hujusmodi ipso facto viribus vacuetur omnino: & additur *ibi*, ut superior religiosi possit, etiam solus, sine consensu capituli concedere dictam licentiam.

Superiorem autem hoc loco aliqui dicunt, esse solum Summum Pontificem, qui licentiam talem dare possit, ita *Gloss. in dict. cap. Si religiosus, verb. Obtenta, cum Host. Abb. Jo. Monacho, & Archid.* Alii dicunt, esse superiorem immediatum localem, ita *Paul. in Clem. 1. eod. tit. Calder. cons. 3. de Regul. Laym. tract. de Praelator. canon. elect. q. 197.* Alii, quorum sententia est tenenda, dicunt hic de illo superiore intelligi, in cujus manibus fit professio in tali Religione, seu cujus auctoritate religiosus ad professionem admittitur, sive ille sit Praelatus localis, ut abbas, sive sit provincialis, vel generalis, juxta statuta cujusque Religionis: ita optime docent *Gemin. in dict. cap. Si religiosus n. 7. Franc. not. 3.* & probatur *c. Quam sit, §. Pariter 18. q. 2.* & facit regula *leg. Nihil tam naturale, & leg. Fere quibuscunque ff. de regul. jur.* Addit *Gem. & Laym. ibid.* quod si religiosus eligatur ad praelaturam, quae sit sub jurisdictione Episcopi, vel Archiepiscopi, etiam illius consensum requiri.

In *extrav. Si religiosus de elect.* additum est, quod si post electionem tali religioso electo praesentatam, nec ipse electus, neque electores dictam licentiam obtinuerint intra tempus pro illius superioris praesentia, vel absentia moderandum; electus sit ipso jure privatus jure ex dicta electione quaesito, & electores ex tunc ad aliam electionem procedere libere possint.

Adverte, quod hodie in multis Religionibus Praelatus non potest dare talem licentiam transeundi ad aliam Religionem, seu ad praelaturam extra suam Religionem, ut dixi *supra c. 3. n. 3.* & infra *verbo Religiosi c. 4. §. 13.*

Adverte secundo, quod cum privatio juris electi in primo casu sit poenalis, & contra praesumentem illata, non procedit, nisi dolus interveniat, ut dixi *par. 1. cap. 15. §. Amplia praemissam*. Obligat autem haec poena in foro conscientiae statim, ut dixi supra *par. 1. c. 29.*

Adverte tertio, quod stante cassatione dictae electionis in poenam electi ipso jure, non revalidatur per licentiam postea obtentam, a superiore concessam: ita *Gemin. hic n. 8. per regulam, non firmatur 18. in 6.* puto tamen, quod si de novo, electione repetita, eligeretur post talem licentiam, valida esset electio; quia haec decretalis non inhabilitat talem electum perpetuo, sed solum irritat illum actum: vide quae dixi *par. 1. cap. 27. in fin.* Unde cum impedimentum non sit perpetuum, novo consensu partium reparari potest electionis primae nullitas, ut *Gloss. in d. c. Non firmatur in fin.* neque enim electores privati sunt eligendi potestate, cum non fuerint in culpa; & licet ipse ob dictam praesumptionem videatur effectus indignus electione ad praelatoram, non tamen irrita redditur electio, nisi in casibus a jure expressis, ut dixi supra *cap. 3. §. Quaeres quando*; ita *Gemin. in c. Quanquam, de usur. n. 6. vers. Et ad haec*, ubi ait, quod per illam particulam, *aliter electio facta non teneat*, non fiunt electores ineligibiles active, sed possunt reparare, & convalidare electionem, adhibita debita forma.

Adverte quarto, quod translatus de uno ad aliud Ordinem, etiam ad effectum, ut sit ibi Praelatus, debet de novo ibi profiteri, ut *Miranda par. 1. quaest. 31. art. 22. Sanch. in decal. lib. 5. c. 4. n. 12. & 13. Suarez tom. 4. de relig. lib. 2. c. 3. n. 11. text. in c. Nullus 26. ibi Canonistae de elect. in 6.* nisi sit Ordo uterque ejusdem regulae, & observantiae: vide infra *verbo Religiosi cap. 4.*

CAPUT X.

Electio religiosi Ordinis Mendicantis ad praelaturas extra suum Ordinem.

Vide *supra c. 3. n. 3. & infra verbo Religio c. 4.*

CAPUT XI.

Electio superiorum regularium, & officialium, ut fiat per secreta suffragia, & absque suffragiorum supplementis.

IN *Tridentino sess. 25. de regul. cap. 6.* cautum est, ut – in electione superiorum quorumcumque, abbatum temporalium, & aliorum officialium, ac generalium, & abbatissarum, atque aliarum praepositarum, quo omnia recte, & sine fraude fiant, omnes praedicti eligi debeant per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur: nec in posterum liceat, provinciales, aut abbates, priores, aut alios quoscuoque titulares, ad effectum electionis faciendae, constituere, aut voces, & suffragia absentium supplere. Si vero contra hujus decreti constitutionem aliquis electus fuerit, electio sit irrita, & is, qui ad hunc effectum se in provincialem, abbatem, aut priorem creari permiserit, deinceps ad omnia officia in Religione obtinenda inhabilis existat. –

Nota primo, quod poena illa inhabilitatis est latae sententiae, quia verbum, *existat*, excludit ministerium hominis, & significat eo ipso induci, ut *Sayr. de censur. lib. 1. c. 11. n. 9.* Intelligitur autem, poenam procedere solum contra supradictos titulares constitutos ad effectum electionis faciendae. Et adverte, quod Sacra Congregatio, ad dictum Decretum, ut refert ibi *Barbos. n. 3.* declaravit, quod abbates, & priores titulares, qui habent titulos veros, seu habitu, etsi non actu, quia scilicet eorum monasteria sunt occupata ab hostibus, ut a turcis, seu alias ab eorum possessione vi excluduntur, habent vocem in capitulo, etiam ad eligendum.

Nota secundo, quod ex vi hujus decreti electio irrita redditur,

ditur, si fuerint quidem in scrutinio secreta suffragia, sed in patentibus, & confirmatione electi nomina suffragantium fuerint expressa, ut declaravit Sacra Congregatio, ut ait *Suarez tom. 4. de relig. lib. 2. cap. 5. num.* 11. Non est tamen necesse, ut suffragia dentur in scriptis clausa, sed possunt etiam voce dari coram tribus, vel quatuor scrutatoribus, *Garzias p. 5. c. 4. n.* 189. *Suar. n.* 10. nisi aliud sit cautum ex speciali Constitutione alicuius Religionis, ut Minorum de Observantia, & Bulla Sixti V. *Roderic. tom. 2. quæst.* 51. *art.* 8.

Nota tertio, quod, stante hoc decreto, aliqui dicunt, hodie non posse eligi superiores Regularium per viam compromissi in unum, aut plures; quia sic non essent secreta suffragia. Alii plures tenent, adhuc fieri posse, quia Tridentinum loquitur in casu quo electio fiat per scrutinium, sicut ut plurimum contingit, neque derogavit juri communi, *c. Quia propter §. Vel saltem, de elect. & c. Indemnitatibus §. Cæterum, eodem tit. in 6.* vide *Garz. par. 5. c. 4. n.* 204. *Roder. in summ. par. 1. c.* 102. *n.* 2. *& c.* 105. *n.* 3. *in fin. Barbos. in dict. c. Quia propter, n.* 7. *&* 29. *& in dict. c. Indemnitatibus n.* 7. *& de potest. Episc. pag. 2. alleg.* 100. *in append. & ad Concil. Trident. super eod. decr. c.* 6. *n.* 10.

☞ *Ita etiam sentit Remigius Muschat Cl. Reg. Schol. Piar. instit. Canon. part. 1. lib. 1. tit. 6. de elect. n.*28. *dummodo & hoc scrutinium fiat per secreta suffragia.* ☜

Sed quæres, an irritetur electio, si aliquis ex suffragatoribus privatim alicui revelaret, se tali suffragium dedisse? respondeo: variæ sunt sententiæ: aliqui dicunt, intentionem Concilii esse, ut non manifestentur suffragia, neque publice, neque occulte, seu privatè; ita tamen, quod si manifestentur publice, & capitulum consentiat, seu permittat, electio sit nulla: si autem privatè, aut sine consensu capituli, tunc non sit nulla electio, nisi suffragium istius fuerit necessarium ad numerum, & causa fuisset talis manifestatio illius electionis; quia hoc solum suffragium est cassandum, & non alia, ne sit in potestate unius particularis subvertere cuamlibet electionem, per *c. fin. & ibi not. de prec. ita Navarr. consf. 9. de elect. Roderic. quæst.* 51. *regular. artic.* 9. *tom.* 2. *Miranda tom. 1. manual. quæst.* 13. *art.* 16.

Alii vero rectius dicunt, mentem Concilii esse absolute non publicari suffragia, ut sive ab uno, sive a multis revelatio fiat, sive publice, sive privatim, electio sit nulla, si publicatio, seu manifestatio fiat in actu electionis, vel ante consummationem, seu publicationem, vel ante confirmationem electionis inclusive, & non ultra; & ita declarasse Sacram Congregationem ait *Suar. to. 4. de Relig. tract. 1. lib.* 52. *c.* 5. *n.* 12. *Garz. par. 5. de benef. c. 4. n.* 193. qui tamen dupliciter limitat: primo, ut non irritetur, si id faciat quis in fraudem, ut subvertat electionem, *Garzias n.* 194. secundo, ut non irritet si propalatio solo verbo fiat, aut taliter, ut non possit inde certo sciri, an vere tali dederit suffragium, *Garz. n.* 196.

Nota quarto, quod ait Concilium de non supplendis suffragiis absentium, intelligendum esse, ut non possint suppleri a præside electionis, vel capitulo propria auctoritate, sed bene per procuratorem constituntum cum speciali mandato, ut Sacra Congregatio declaravit, *Garzias num.* 169. *Roderic. loco cit. art.* 6. Hic advertit *Garzias num.* 199. non posse mandatum in scriptis dari de suffragio dando certæ personæ; quia sic esset publicatio suffragii; sed bene potest separatim oretenus hoc mandare: tamen si ille non pareat huic mandato, & alteri det suffragium, valet electio, seu suffragatio; quia mandatum formale externum est generale; sed peccat graviter, ita *Garz. n.* 202.

☞ *Ex decreto Cong. Conc. sub die 3. Decembr. 1644. in una Bulgariæ relato a Matthaucci c. XVIII. Official. Curiæ quoad elect. Prælat. n. 19. absentium vota in electione Regularium non possunt suppleri per titulares, aut procuratores; & in Constit. Innoc. XII.* Christifidelium 16. *Febr.* 1694. *statuitur, ne in eadem electione recipiantur vota absentium, sive Cardinalium Protectorum, sive cujusque alterius, & nec a SS. Congregationibus subrogentur, neve loco absentium vocalium alii suppleantur, derogando cuicunque contrariæ consuetudini, etiam centenariæ, & immemorabili.*

Ulterius ex ejusdem Pontificis Constitut. Nuper 23. *Nov.* 1697. *superiores locales eo ipso, & absque ulla declaratione habere nequeunt in electionibus capitulorum provincialium vocem activam, & passivam, nisi prius exhibeant juratum attestationem de implemento missarum; sicut nec Provinciales, Vicarii, & visitatores provinciarum, in capitulis generalibus, ut in additione ad cap. 1. verbo* Missa *num.* 9. *&* 10. ☜

Nota quinto, quod si electio fiat contra dictam formam Tridentini, pro foro conscientiæ, multi dicunt, validam esse, si omnia jure naturali requisita interveniant, donec per sententiam cassetur, *Navarr. dicto consil.* 8. *&* 9. *Roderic. tom. 1. quæst.* 27. *art.* 10. *Eman. Sà verbo Electio n.* 5. de communi testatur *Miranda man. par. 1. quæst.* 23. *art.* 30. *in fin.* Vide quæ dixi *par. 1. cap.* 35.

CAPUT XII.

Electio Papæ.

Vide *verbo Conclave cap. 1. & seqq.*

CAPUT XIII.

Electus se ingerens ante confirmationem.

Electus se ingerens, antequam fuerit confirmata electio, privatur jure quæsito per electionem, *c. Avaritiæ de elect. Abb. in cap. Cum Ecclesia num.* 8. *eod. tit.* & hanc pœnam esse latæ sententiæ, magis communem sententiam esse ait *Tubien. verb. Electio quæst.* 26. *n.* 21. item incurrit in alias pœnas, & censuras, de quibus dicam infra *verbo intrusus cap.* 1.

Limita, ut non procedat in electo Generali Religionis, seu ordinis regularis, quia si canonice electus fuerit a capitulo generali, eo ipso est vere Prælatus, & potest se ingerere, nulla requisita Apostolica confirmatione; nam ex vi confirmationis Constitutionum Religionis, tacite censetur a Sede Apostolica confirmatus, seu pro confirmato habetur, *Sorbus in compend. verb. Confirmatio n. 1. Miranda man. tom. 2. quæst.* 23. *art.* 32. *conclus.* 3. *Suarez tom. 4. de relig. lib.* 2. *cap.* 8. *in fin.*

Adverte tamen, quod cum Generalis Ordinis regularis non accipiat specialem confirmationem a Sede Apostolica, ideo etiam post electionem ab ipso acceptatam, poterit in manibus eligentium, seu capituli generalis renuntiare, juxta *c. Si electio de elect. in 6. c. 2. §. Sicut, de transl. Episc. Innoc. in c. Cum venissent de rest. in integ. Canonistæ communiter in dict. c. Si electio*, & de communi testatur *Parif. de resign. lib. 7. quæst. 1. n.* 79. Item, non obstante dicta virtuali confirmatione, poterit Generalis deponi, seu destitui a capitulo generali ex causis a jure, & Constitutionibus expressis, absque speciali licentia Papæ; quia cui concessa est institutio, eidem censetur concessa destitutio, ut *c. Cum ex injuncto, & ibi Glo. ult. de hæret. Parif. de resign. lib. 7. quæst.* 10. *n.* 25. *et* 26.

☞ CAPUT I.

Eleemosynarum collectionem religiosis Ordinum Mendicantium prohibentes.

IN *c. Nimis prava 17. de excessib. Prælat. vetitum fuit a Greg. IX. locorum Ordinariis, ne impedirent religiosos, præsertim Ordinum Prædicatorum, & Minorum, intra eorum diœceses degentes, eleemosynas ad sui sustentationem colligere, neve fidelibus interdicerent, quin eas iis conferrent, nulla tamen adjecta pœna. Verum ex Constit. Sixti IV.* Sacri 26. *Jul.* 1479. *iidem Ordinarii, si intra triduum requisiti, prohibitionem non revocaverint, eo ipso incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & suspensionem a regimine, & administratione: aliis vero quicunque his inferiores, excommunicationem, quæ tamen non est reservata.*

Ad tramites hujus Sixtinæ Constitut. Cong. Conc. pluries declaravit, non posse Episcopos, neque directe, neque indirecte id Regularibus prohibere, ut ex l. 12. *decret. pag.* 32. 1620. *in Poligan.* 24. *Sept.* 1622. *dict. lib.* 12. *pag.* 110. *In Beneventana* 7. *Jul.* 1646. *lib.* 18. *pag.* 144. *& in Senonen.* 28. *Febr.* 1654. *lib.* 19. *pag.* 316.

Si vero quæstuare velint per seipsos extra diœcesim, ubi conventus sui Ordinis non habent, tenentur ostendere Ordinario licentiam suorum superiorum; imo & consensum ab eodem obtinere, ut in dictu Poliganen. loc. cit. vide Matthaucci Offic. Cur. cap. 43. *per totum.* ☜

CAPUT I.

Episcopi consecratio illegitima.

I. SI Episcopus a paucioribus, quam tribus Episcopis consecretur, nulla est consecratio, *Gloss. in cap. Ne Episcopi, de tempor. ordin.* & ibi *Abb. n. 1.* & eam tenet *Ugo, & Archid. in c. Porro 66. dist. Coninch. disp. 20. n. 58.* ubi ait, materiam hujus consecrationis esse trium Episcoporum manus impositionem, & hanc esse communem Canonistarum ait *Sanch. consil. lib. 7. c. 1. dub. 15. n. 26.* & probatur *can. Porro 66. dist.*;

Contrariam tamen sententiam, scilicet quod etiam ab uno Episcopo facta, consecratio valida sit, ex *can. Apost.* ait probabiliorem *Sanch. loc. cit. n. 27. cum Turrecr. Palud. Guido, Armill. & Greg. Lopez*, & est communior Theologorum, & hanc tenet *Silv. verb. Consecratio Prel. in princ. S. Anton. 3. p. tit. 14. c. 16. §. 9. S. Thom. in 4. dist. 24. quæst. 3. art. 1. ad 5. Durand. ibi quæst. 3. Azor. tom. 2. §. 3. c. 30. quæst. 3.* dicunt enim, quod unus Episcopus perficit consecrationem, alii duo sunt assistentes, ut pars integrans, & coadjutores, ut in pontificali. Unde sequitur, quod consecratus ab uno, vel duobus, erit suspensus (donec suppleatur, quod omissum est) ab executione ordinis episcopalis, *de sacr. non iteran. c. 1. & 3.* quod si sic ministraret, secundum primam sententiam fiet irregularis, non secundum posteriorem, ut infra *verb. Ordo c. 13. & 32.*

☞ *Hinc secundam sententiam amplexos etiam fuisse Romanos Pontifices, & in praxim redegisse, ostendit Bened. XIV.* l. 13. cap. 13. n. 1. & seqq. de Synod. Diœc. edit. Pat. an. 1756. *quippe quia ibi* — frequenter indulta elargiuntur, ut in remotioribus regionibus, in quibus haud facile tres Episcopi una convenire possunt, ordinandus consecrationis munus recipiat ab uno Episcopo, duabus ipsi assistentibus dignitaribus, vel duobus etiam simplicibus sacerdotibus: quod porro nullatenus præstarent, nisi probabiliorem arbitrarentur sententiam illam, quæ asserit, validam, firmamque, ac tantummodo illicitam esse ordinationem, quam unus peregerit Episcopus; ideoque in sua potestate esse, illiciti actus notam ab ea removere, impertiendo facultatem, ut ab uno tantum Episcopo expleri possit. — *Eidem sententiæ adhæsit nostris etiam temporibus Clemens XI. proposito enim dubio a quodam Episcopo in relatione status suæ Ecclesiæ, an valide consecratus fuisset, propterea quod, dispensatus a Papa, ut consecrari posset ab uno tantum Episcopo cum assistentia duorum sacerdotum in dignitate ecclesiastica constitutorum, consecratus fuerit ab uno Episcopo, altero dumtaxat sæculari presbytero assistente: auditis nonnullorum eximia sacrorum canonum scientia conspicuorum votis, ratam, firmamque, sed illicitam dictam consecrationem pronuntiavit, salutaribus pœnitentiis tam ordinatori, quam ordinato injunctis, ut ex ipsius litteris ad eumdem Episcopum datis die 26. Novemb. 1718. Hanc autem semper fuisse constantem Ecclesiæ praxim ex ea maxime patet, quod (sunt verba Benedicti* loc. cit. n. 4.) — plures in sacra antiquitate occurrunt Antistitum ordinationes ab uno tantum Episcopo peractæ, quæ redarguuntur quidem uti illicitæ, sed minime rejiciuntur ut irritæ, ac nullæ: neque vero uspiam legitur, Episcopum ab uno Antistite consecratum, jussum fuisse consecrationis munus iteraro recipere ab Episcopo, cui alii duo Episcopi cooperarentur. — ☜

In *c. Nec Episcopi de temp. ordin.* ne Episcopi sine Metropolitani permissu, nec Metropolitanus sine tribus, vel duobus comprovincialibus Episcopis præsumant Episcopum ordinare; itaut alii Episcopi comprovinciales admoneantur epistolis, ut se suo responso significent consensisse.

II. Si quis Episcopus suffraganeus consecretur sine consensu sui Metropolitani, vel Metropolitanus sine Primaris consensu, non recipit executionem ordinis, sed est suspensus, donec dispensetur cum illo; quia in re tam gravi necessario requiritur consensus ejus, sub cujus est jurisdictione; valet tamen consecratio: ita *Innoc. in dict. c. Ne Episcopi n. 2. Sylvest. verb. Consecratio 1. n. 2. q. 1. Sanchez*, qui plures allegat, *consil. lib. 7. cap. 1. dub. 5. n. 18.*

Hæc vera sunt de jure communi: sed hodie consecrationes fiunt ex commissione Papæ speciali, quia dispositiones cathedralium, & superiorum Ecclesiarum hodie ad Sedem Apostolicam pertinent pleno jure, ut *in Pontificali Romano tit. de Consec. Episcop. elect. part. 1. tit. 22.* & dicam infra *verbo Resident. cap. 1.* ideo si sine ejus commissione quis esset consecratus, esset ipso jure suspensus per supradicta.

Hujus autem censuræ absolutio, seu dispensatio ex natura sua est de reservatis Papæ: tamen posset Episcopus ille, qui jam haber litteras suæ provisionis (scilicet Ecclesiæ) expeditas, possessionem illius adipisci, servatis, servandis, juxta ea, quæ dicam infra, *verbo Gratia c. 2.* & tunc committere, seu subdelegare suo confessario facultatem, ut se absolvat, & dispenset vigore facultatis sibi competentis ex *Trid. sess. 24. cap. 6. de reform.* ut dixi *part. 1. cap. 23. in fin. & cap. 24.* Etenim hæc suspensio ab executione ordinis episcopalis non prohibet exercitium jurisdictionis, etiamsi supponatur fundata in ordine episcopali, quia sunt distincta; & in pœnis non fit extensio, ita *Sayr. lib. 4. cap. 4. n. 11.* Et quamvis suspensus ab officio non possit obtinere beneficium, ut *Garzias part. 7. cap. 14. n. 1.* tamen cum jam habeat titulum, non videtur prohibitus possessionem illius adipisci, cum intentione absolutionem procurandi; multo minus illicitum erit in ea perseverare, ut *Garzias par. 8. cap. 1. n. 82.*

☞ *Ex cap.* Provida 44. *de elect. in 6. confirmans, ac consecrans electum ad episcopatum, non præmissa inquisitione de appellatione interposita ad Sedem Apostolicam, incurrebat ipso facto suspensionem per annum a confirmatione, & consecratione Episcoporum: verum cum hodie eorum confirmationes, & consecrationes non amplius fiant a Metropolitano respectu suorum Suffraganeorum, sed devolutæ sint ad Romanum Pontificem, ut ex Conc. Trident., & Pontificali Romano ostendit* Vanespen Jur. Eccles. part. 1. tit. 12. cap. 4. de confirm. Episcop. & tit. 15. cap. 1. de consecrat. *eorumdem, hæc pœna locum amplius non habet, ut eam perperam nonnulli Auctores referunt inter suspensiones adhuc existentes.* ☜

CAPUT II.

Episcopus consecrationem differens ultra tempora a jure permissa.

EX *Calcedon. Concil. can. Quoniam quidam 75. dist.* Episcopus a die electionis intra tres menses consecrari debet: & idem statuit *Pelag. Pap. can. Quoniam quidam 100. dist.* & *Tridentinum sess. 23. cap. 2. de reform.*

I. Ex *eod. Concil. Chalcedon. loc. cit.* Episcopus ultra tres menses differens consecrationem recipere, si nulla causa necessaria excusetur, condemnationi ecclesiasticæ subjacere debet, & fructus Ecclesiæ viduatæ apud œconomum reservandi: hæc autem condemnatio ecclesiastica a Pelagio Papa sancita, est ferendæ sententiæ, ut infra.

II. In *can. Quoniam quidam* 100. *dist.* a Pelagio Papa statutum est, ut si ex Episcopi electi negligentia provenerit, ut Ecclesia ultra tres menses viduata remaneat, scilicet non recipiendo consecrationem, sit communione privandus, quousque, aut episcopatum dimittat, aut se consecrandum offerat; quod si ultra quinque menses distulerit per suam negligentiam, non consecretur amplius, sed Metropolitani sui judicio cedat. Istæ omnes pœnæ sunt sententiæ ferendæ.

III. Sed ex *Trident. sess. 23. c. 2. de ref.* quicunque præfecti Ecclesiis cathedralibus, vel majoribus, etiam Romanæ Ecclesiæ Cardinales, si munus consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur: si autem totidem aliis mensibus id facere neglexerint, Ecclesiis eo ipso sint privati.

Nota primo, quod hæ pœnæ non procedunt, si necessitate, seu impedimento gravi, & insuperabili fuerit Episcopus præpeditus, per dictum *c. Quoniam quidam, Henriq. lib. 10. c. 34. n. 2. Sanch. consil. lib. 7. c. 1. dub. 15. n. 13.* cum aliis per eum allegatis: & facit illud verbum Tridentini, *neglexerint*, quod non dicitur de impedito: & tempus incipit currere a die confirmationis, seu provisionis apostolicæ, ut *Sanchez ibid.* intellige litteris expeditis, *Henriq. lib. 10. c. 23. n. ult.*

Nota secundo, quod pœna dictæ privationis fructuum ligat in foro conscientiæ ante omnem sententiam, ut patet ex *Trident.* ita *Navarr. cap. 25. n. 118.* quia constituitur est Episcopus sub ea conditione, vel modo; vel quia non fecit, quod debuit, ut esset idoneus minister. Quamvis aliqui dixerint, non teneri in foro conscientiæ ante declaratoriam restituere fructus istos, quia est lex pœnalis, privans jure quæsito: ita *Henriq. lib. 10. c. 23. n. ult. in text. & comment. lit. V. X.* & probabile ait *Less. c. 34. n. 103.* Sed prima est tenenda, ut patet ex ordinatione S. D. N. Urbani VIII. de qua infra.

Nota tertio, circa pœnam privationis episcopatus, qua tenetur

netur illum dimittere in foro conscientiæ ante declaratoriam, quia non est pura pœna, sed privatio, seu caducitas ob defectum debiti implementi modi, seu conditionis pertinentis ad formam collationis episcopatus: ita *Boer. decis.* 223. *Navarr. c.* 25. *n.* 118. quamvis contrarium teneat *Henriq. loco cit, cap.* 23. *in fin.* quod probabile ait *Less. loco cit.*

Nota quarto, quod olim erat introductum, ut peterent, & obtinerent Episcopi a Sede Apostolica prorogationem ultra sex menses ad consecrationem accipiendam: sed *Trident. sess.* 7. *c.* 9. statuit, ne ultra sex menses concedatur prorogatio: unde non valeret gratia talis, nisi cum speciali derogatione hujus decreti, *Sanch. lib.* 7. *cons. c.* 1. *dub.* 15. *n.* 13.

Nota quinto, quod S. D. N. Urbanus VIII. in Brevi reformationis Sacræ Pœnitentiariæ, prohibuit Majori Pœnitentiario, & cæteris officialibus Pœnitentiariæ super pœnis præfatis Concilii Tridentini dispensare, scilicet ut non valeant titulum revalidare, vel fructus condonare.

☞ *Circa hanc facultatem vide Constit. Bened. XIV.* Pastor Bonus *in fine hujus Operis* §. 20. *&* 21. ☜

CAPUT III.

Episcopus se ingerens episcopatui, litteris non expeditis, & Clerus eum recipiens.

Vide *verbo Gratia cap.* 2.

CAPUT IV.

Episcopus se ingerens in aliena diœcesi sine licentia.

I. IN *cap. Quoniam in plerisque de offic. Ordin.* post generalem prohibitionem factam a Concilio Lateranensi, ne duo Episcopi sint in una, eademque diœcesi, vel civitate, etiam diversarum linguarum, & rituum, & post illam exceptionem, quod ob necessitatem populi duplicis ritus, vel bilinguis, constituat Episcopus vicarium sibi Episcopum pro tali lingua diversa, vel ritu, subdit: *Si quis aliter se ingesserit, excommunicationis se noverit mucrone percussum:* deinde alias pœnas ferendæ sententiæ decernit in contumacem.

☞ *Vide Constit. Bened. XIV.* Etsi Pastoralis *6. Maji* 1742. §. 9. *n.* 19. 20. *&* 21. ☜

☞ *Nota, quod quamvis in cap.* Si Episcopus 1. de Paroch. & alien. Paroch. *statuatur, dividi debere episcopatum inter Episcopum substitutum Episcopo in hæresim lapso, & inter hunc reversum, & ex dispensatione receptum; credit hic Fagnanus, aliter S. Sedem hodie Episcopo substituto in simili casu provisuram; alias esset, ut loquitur Innoc. III. in cit. cap.* Quoniam, *tamquam monstrum cum duobus capitibus in uno corpore.* ☜

Nota primo, quod illa excommunicatio procedit, sive Episcopus se ingerat in aliena diœcesi populi diversi ritus, vel linguæ, aut unius, & ejusdem, quia illa particula, *si quis aliter*, refertur ad illam generalem prohibitionem præcedentem, ita *Sayr. lib.* 3. *c.* 32. *n.* 3. *Angel. verb. excom.* 7. *n.* 3. Imo aliqui putant, procedere contra quemcunque assumentem sibi vicariam in aliena diœcesi potestatem, etiamsi non sit Episcopus, ita *Anan. in dict. c. Quoniam n.* 2. *Anchar. n.* 4. *Imol. n.* 5. Contra tamen alii putant, solum procedere contra usurpantem jura episcopalia in diœcesi, seu civitate diversarum linguarum, vel rituum diversorum; ita *Cajet. excom. n.* 68. *Majol. lib.* 4. *c.* 2. *n.* 10. *Navar. c.* 27. *n.* 114. *Tabien. excom.* 5. *casu* 16. Sed prima mihi videtur probabilior, & procedit sive se ingerat per actum ordinis, vel jurisdictionis, ut patet ex dictis: & procedit etiamsi se ingerat in aliena diœcesi de licentia illius Episcopi, si intendat, se coepiscopum esse sine licentia Papæ. Hæc tamen excommunicatio nulli est reservata ex vi hujus textus.

Nota secundo, quod de jure communi Episcopus non tenetur assumere vicarium generalem, si ipse solus sit sufficiens: neque datur manutentio, aut præscriptio populo, aut clero, contra Episcopum, ut teneat vicarium generalem, quia sumus in facultativis, ita *Rota Cavaler. decis.* 418. *n.* 10. *cum Caputaq. Put. & Mohedan.* & tenet *Gennen. in praxi c.* 70. *n.* 3. *Barbosa super dict. c. Quoniam n.* 5. quidquid contra dicat *Abb. in dict. cap. Quoniam, Azor. tom.* 2. *lib.* 3. *c.* 43. *quæst.* 2. *Boer. dec.* 437. *n.* 6. *Sbrozz. de offic. Vic. lib.* 1. *quæst.* 57. *& alii apud eundem.*

Nota tertio, quod sicut repugnat, duos esse Episcopos in una diœcesi, ita etiam repugnat, duas esse cathedrales in eadem civitate, ut *Calderinus consil.* 2. *de præscriptione, Rota decisione* 318. *n.* 2. *parte* 1. *novissimarum*, de qua re dicam infra plenius *cap.* 6.

II. Si Episcopus se ingerat in aliena diœcesi, intentione sibi usurpandi, seu acquirendi jurisdictionem episcopalem, incurrit in excommunicationem latam, & reservatam in Bulla Cœnæ Domini *cap.* 17. & in *Trid. cap.* 11. *sess.* 22. *de reform.*

Adverte autem, quod neque in hanc, neque in illam excommunicationem incurret per usurpationem solius nominis Episcopi talis loci, si se non ingerat, *Bonac. de censur. in partic. disp.* 1. *quæst.* 18. *punct.* 2. *n.* 5.

III. *Trident. de refor. sess.* 6. *c.* 5. statuit, ut nulli Episcoporum liceat, cujusvis privilegii prætextu, pontificalia in alterius diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario subjectas tantum: si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio pontificalium, & ab eo ordinati ab exequutione ordinum sint ipso jure suspensi. Istæ censuræ a Tridentino latæ, non sunt reservatæ.

☞ *Idem vetitum est etiam sex Episcopis Cardinalibus suburbicariis ex Constit. Alexandri VII.* Apostolica solicitudo *7. Augusti* 1662. *sub infrascriptis pœnis*, ibi — Denique in sex episcopatibus prope Urbem, in quibus non sunt Suffraganei, quicunque ad minores, vel sacros Ordines volent promoveri, cum litteris dimissoriis sui Ordinarii; ad memoratum Vicarium, & non ad alium Antistitem directis, ad Urbem accedant, ibique, & non alibi ordinentur, servata in omnibus forma superius præscripta. Ubi vero sunt Suffraganei, nemo ad aliquem ex majoribus Ordinibus assumatur, nisi prius, præter ea, quæ a sacris canonibus, & ejusdem Concilii decretis sancita sunt, ad minus per decem dies a dictis sacerdotibus in Urbe deputatis, in eorum ædibus inclusus, ut supra, fuerit educatus, ac litteras testimoniales eorumdem sacerdotum ad ipsum Suffraganeum detulerit. Suffraganeus autem, qui contra fecerit, ab exercitio pontificalium per annum; promoti vero, tam ab eisdem Suffraganeis, quam etiam in Urbe, non servata forma præsentis Constitutionis, ab executione ordinum sic susceptorum, donec Nobis, & Successoribus nostris Romanis Pontificibus visum fuerit, ipso jure sint suspensi. —

Stante hac Alexandri dispositione, iidem sex Cardinales nequeunt in Urbe suos subditos ad ordines promovere, etiam per seipsos, absque expressa licentia Eminen. Vicarii, quamvis ordinariam suam residentiam Romæ habeant: & moderna contraria opinio, utpote falso fundata in fictione juris, quod scilicet capella palatii eorundem Cardinalium Romæ existentis censeretur per fictionem juris adhærere ipsorum episcopatui, reprobata est a Bened. XIV. *tanquam contraria Conc. Trid. Constit. Alex. VII.* Apostolica *7. Aug.* 1662. *& praxi inconcussæ, ut ex ejusdem epistola, typis data, incipien.* Nell' ultima udienza *15. Febr.* 1753. *ad Emin. Guadagni Urbis Vicarium, quæ asservatur in secretaria ejus tribunalis de mandato Pontificis lib. Decretorum dict. anni pag.* 56.

Formam autem præscriptam in cit. Constit. §. *Vide infra in Additione ad c.* 29. *verbo* Ordo. ☜

Nota, quod pontificalium nomine veniunt actiones propriæ ordinis episcopalis, ut collatio ordinum, consecrationes vasorum, & Ecclesiarum, & virginum, & Chrismatis, & Confirmatio, & benedictio vestium, & corporalium, *Sanch. consil. lib.* 7. *c.* 1. *dub.* 50. *Sayr. lib.* 4. *c.* 16. *n.* 29. *Barbos. alleg.* 6. *n.* 5. Item omnes actus sacerdotales, quatenus exercentur cum apparatu pontificali, idest mitra, & baculo, *Sayr. & Barbos. ibid.* Item dicunt Doctores, incurrere Episcopum in pœnam Tridentini, etiam conferendo primam tonsuram, quia dicunt venire nomine pontificalium, *Sayr. lib.* 4. *c.* 16. *n.* 29. *Saldezo ad Diaz c.* 26. *lit. A. Sanch. consil. lib.* 7. *c.* 1. *dub.* 50. *n.* 2. cum aliis: est communis, quamvis aliqui contrarium teneant, ut *Henriq. lib.* 3. *c.* 6. *n.* 3. eamque sententiam probabilem ait *Bonac. tract. de suspens. in partic. q.* 1. *punct.* 12. *n.* 2. sed improbabilem ait *Sanch. loco cit.*

Nota secundo, quod Episcopus nullam censuram incurrit, exercendo pontificalia in sua diœcesi erga personas alterius diœcesis citra collationem ordinum, v. gr. si conferat sacramentum Confirmationis, aut velum sacrum moniali, aut similia, quia nullo jure cautum, quamvis peccet, ita *Armilla verbo Confirmatio n.* 3. *Palud. dist.* 7. *quæst.* 4. *n.* 3. *Tabiena confirmat.* §. 1. *in fin. Sylvest. verbo Confirmatio, in fine, Vivald. de Sacr. Confirmat. n.* 30. *Henriq. l.* 3. *c.* 6. *n.* 6. quidquid aliqui contra teneant, Episcopum etiam in hoc casu suspen-

sio-

fionem incurrere, quos allegat *Barbof. de poteft. Epifcop. allegat.* 30. *n.* 14.

An autem Epifcopus incurrat in præfatas cenfuras, fi fe ingerat in territorium Prælati exempti, vel habentis propriam diœcefim, quamvis non fit Epifcopus, dicam *cap. feq.*

An autem Abbas fe ingerens in diœcefi, exercendo pontificalia fine licentia, incurrat cenfuram fufpenfionis, dic ut infra *verbo Ordo c.* 21. & 23. ex quibus apparebit, quod fi fit adhuc Abbas, incurrit fufpenfionem: fi vero non fit Abbas, nifi folo nomine, fit irregularis, tanquam ufurpans actum ordinis, quem non habet.

CAPUT V.

Epifcopus fe ingerens in loco exempto, vel nullius diœcefis.

ADvertendum eft, locum exemptum ab Epifcopi jurifdictione poffe tripliciter dici.

Primo improprie, & per accidens, cum ratione tantum perfonarum exemptarum, dicitur exemptus, ut fere omnia monafteria Regularium; vere enim loca illa funt in, & de diœcefi Epifcopi; & Prælatus regularis habet jurifdictionem in perfonas fine territorio, *Roderic. quæft. regul.* 59. *art.* 1. *tom.* 2. *Suarez de cenfur. difp.* 5. *fect.* 4. *n.* 6. *Filiucc. & Salas infra allegati:* & idem dicendum de omni fimplici privilegio exemptionis a poteftate diœcefani, ita *Rota decif.* 324. *n.* 2. 3. & 6. *recent. part.* 1. In multis tamen cafibus etiam in Regulares exemptos Epifcopus jurifdictionem habet, ut *Henriq. lib.* 7. *cap.* 24. *n.* 2. *Barbofa de poteft. Epifcop. alleg.* 74. *cum pluribus feqq.*

Secundo modo dicitur locus proprie exemptus, quando Prælatus, Epifcopo inferior, habet in eo loco plenam jurifdictionem epifcopalem, ut plurimum cum temporali conjunctam, fed eft intra fines epifcopatus alicujus, feu diœcefis, *Rot. part.* 1. *recent. decif.* 683. Epifcopus tamen habet etiam ibi jurifdictionem in multis cafibus, ut *Seraph. decif.* 311. & *Rot. diverf. part.* 1. *decif.* 744. *Gonzal. gloff.* 43. *n.* 190.

In loco igitur exempto, five primo, five fecundo modo, Epifcopus dicitur effe, ut in propria diœcefi, & refidens in diœcefi fua, *Gonz. glof.* 43. *n.* 187. & poteft ibi exercere pontificalia, & cathedram habere, per *Clem.* 2. *de privil. Rota p.* 2. *recen. decif.* 238. unde in hoc videtur derogatum *c. Abbatem* 18. *quæft.* 2. qui canon defumitur ex *epift. S. Greg.* 43. *lib.* 4. *c.* 87. *indic.* 13. ubi prohibetur miffas publicas, feu folemnes non poffe ab Epifcopis celebrari in Ecclefiis monachorum: cathedram tamen ad modicum tantum tempus ibi habere debet, quia non debet mutari fine caufa, *c. Placuit, ut nemini* 7. *quæft.* 1. *Gemin. & Franc. in cap. Cum Epifcopus de offic. ord. in* 6. *Gonzal. n.* 192. & dummodo non deroget in aliquo juri exemptorum, ut *dict. Clem. in fin.*

Non poteft autem Epifcopus in loco exempto fecundo modo exercere jurifdictionem contentiofam, feu tribunal erigere, per *c. Cum Epifcopus, de offic. ord. in* 6. *Rot. diverf. decif.* 145. *n.* 1. *part.* 2. *tom.* 1. fecus in loco exempto primo modo, ut *Roderic. fupra cit. Salas de leg. difput.* 14. *fect.* 6. *n.* 85. *Filiuc. tract.* 11. *n.* 149. & communem ait *Suar. loco cit.*

Tertio modo dicitur locus nullius diœcefis, quando fcilicet Prælatus loci habet epifcopalem jurifdictionem in fubditos clericos, & laicos loci, & locus non eft intra fines alicujus diœcefis, vel in extremo, verbi gratia ad littus maris; & dicitur habere propriam, feu particularem diœcefim, ut declarat *Rota decif.* 683. *per totam:* & quidem in favorabilibus venit nomine diœcefis, & Prælatus continetur nomine diœcefani, *Rota decif.* 324. *n.* 1. ubi ait etiam, quod talis exemptus Prælatus, feu locus non dicitur effe de diœcefi, neque in diœcefi, & dicitur etiam nullius diœcefis, *Rota ibi n.* 3. at in odiofis non venit, fed venit nomine Ordinarii loci, *Cochier. de jurifd. in exempt. lib.* 1. *quæft.* 1. *n.* 7. 8. & 9. Hujufmodi autem exemptio non poteft ulla præfcriptione, etiam immemorabili, acquiri; fed folum ex fpeciali Papæ privilegio, vel præfcriptione cum titulo putativo, jufto errore caufato, & cum verba privilegii credebantur hoc fignificare; quia folus Papa poteft feparare partem a diœcefi: alias igitur præfcriptio non procedit, quia effet irrationabilis; quia duo capita non poteft habere unum corpus, fcilicet una diœcefis, ita *Rot. dict. decif.* 324. *n.* 2. 6. 8. 11. & 12. & vide, quæ dicam infra *cap.* 6.

Epifcopus ergo in hoc territorio nullam habet jurifdictionem, nifi in tribus cafibus, fcilicet quoad vifitationem, nam vifitatur talis locus a viciniori Epifcopo, *Trid. feff.* 24. *cap.* 9. *de refor.* & quoad licentiam, & cognitionem fuper caufa extractionis reorum de loco facro, ex Bulla Greg. XIV. & tertio in cafu præfcriptæ jurifdictionis, vel privilegii: *Rota diverf. par.* 2. *tom.* 1. *decif.* 207. *n.* 5.

Ex his apparet, quod Epifcopus, fi fe ingerat contra jura in loco nullius, primo incidit in fufpenfionem latam a Tridentino contra exercentem pontificalia in aliena diœcefi, & in excommunicationes latas in Conc. Lateran. in Bulla in Cœna Domini, & Triden. fecundum diftinctiones allatas *cap. præc.* refpective; & ita in terminis de fufpenfione tenet *Cochier. lib.* 2. *q.* 1. *n.* 7.

Si autem fe ingerat in loco exempto, primo, vel fecundo modo contra jura, tunc incurrit in excommunicationem latam in Trident. & in Bulla in Cœna Domini contra ufurpantes jurifdictionem Ecclefiarum; fi tamen fe ingerat non ut ad illum actum tantum, fed animo acquirendæ, vel prætendendæ jurifdictionis talis in genere, feu ad univerfitatem caufarum, ut dixi *cap. præc.* nullam autem fufpenfionem incurrit, exercendo pontificalia in illis locis, imo ut dixi, licite poteft exercere.

CAPUT VI.

Epifcopatuum, vel Archiepifcopatuum erectio, vel divifio facta fine auctoritate Sedis Apoftolicæ.

I. CAp. 1. *dift.* 101. ftatuit Sancta Synodus Calcedonenfis, ne duo Metropolitani fint in eadem provincia, neve provincia una in duos Metropolitanos dividatur; quod fi qui Epifcopi attentaverint per pragmaticam fanctionem (ideft Principis fecularis Conftitutionem) provinciam dividi, ut duo inveniantur Metropolitani, ftatuit Sancta Synodus eos cadere de proprio gradu.

Nota, quod hæc pœna eft depofitionis, non autem irregularitatis, ut *Majol. lib.* 3. *cap.* 23. *n.* 15. & eft latæ fententiæ, ob particulam *Cadere*, quæ non indiget judicis minifterio, fecundum multorum fententiam, quos allegat *Tiraquell. in leg. Si unquam, verbo Revertatur n.* 186. etfi ipfe contrariam dicat probabiliorem cum pluribus, quos allegat *n.* 187. qui tamen fere omnes loquuntur de particula *Cadant*, quæ eft futuri temporis; hic autem eft temporis præfentis, quæ regulariter eft latæ fententiæ. Procedit autem hæc pœna, etiamfi divifio fiat fine decreto judicis laici, ut *Turrecrem. ibidem in fin.* non tamen ea pœna obligat ante fententiam, faltem declaratoriam: dixi *par.* 1. *cap.* 27.

Nota fecundo, quod nova metropolis ecclefiaftica non poteft erigi fine fpeciali Papæ auctoritate, *Turrecrem. & præpof. Mediol. ibid.*

II. In Concilio Lateranenfi, ut *cap. Quoniam in plerifque*, §. *Prohibemus de offic. ordin.* Innocentius III. prohibuit, ne una, eademque civitas, five diœcefis diverfos Pontifices habeat, tanquam unum corpus diverfa capita, quafi monftrum: fed fi ibi fit populus diverfarum linguarum, vel rituum, Epifcopus illius loci affumat fibi vicarium Epifcopum pro tali diverfa lingua, vel ritu: & fi quis aliter fe ingefferit, excommunicationis fe noverit mucrone percuffum. Quæ excommunicatio non eft refervata ex eo textu; fed eft refervata in Bulla in Cœna Domini, & ex Concilio Tridentino; quia talis intendit ufurpare jura epifcopalia alterius Ecclefiæ, ut dixi *fupra cap.* 4.

Nota, quod duæ cathedrales in una civitate, tanquam duo capita dari non poffunt, aut duo Metropolitani in eadem provincia, *Hoftien. in can. Cum contingat n.* 1. *de foro competen. Rota decif.* 324. *n.* 11. *par.* 1. *Recent. & decif.* 318. *n.* 1. *par.* 1. *noviff.* Item non poteft aliquis Prælatus, ut Abbas, præfcribere jurifdictionem epifcopalem cum territorio, ut fit nullius diœcefis, exiftens intra fines alicujus diœcefis, ne fint duo capita in eadem diœcefi, quia eft monftrum: neque immemorabilis id poteft efficere, *Rota Recent. decif.* 324. *n.* 11. *par.* 1. fed folus Papa id poteft ftatuere, *Hoftien. in cap. Cum contingat, verf. Mihi videtur de for. compet.* Et hac ratione Epifcopus Fefulanus habet Florentiæ unam Ecclefiam cum tota parochia, & ibi habet fuum tribunal, quoad fubditos fibi; ut *Gemin. in cap. Statutum*, §. *Cum vero n.* 3. *de refcr. in* 6. & *Rot. diverf. tom.* 1. *par.* 2. *decif.* 207. *n.* 5.

Nota fecundo, quod diœcefes non funt diftinctæ fecundum terminos dominiorum temporalium, fed aliquando ex-

ce-

cedun tur ab illis, ut *cap.* 1. 10. *dist. ex epist.* 18. *Innocentii Primi*, quia ut ibi dicitur, ad necessitatum mundanarum mobilitatem non debet Dei Ecclesia commutari, *gloss. in Clem. Ne Romani* §. *Sane*, *verbo Diœcesim de elect. Hostien. in cap. Super eo de Paroch. Seraphin. decis.* 1337. unde sequitur, quod licet augmentato Regno in provincia accessoria, Rex eadem habeat jura, & privilegia, quæ in Regno principali, & provincia accessoria iisdem utatur legibus, & privilegiis, quibus Regnum, cui accessit, *Bar. in leg. Si convenerit*, §. *Si nuda ff. de pign. act.* tamen non procedit quoad spiritualia; nam si Rex habet jus nominandi, vel præsentandi ad Ecclesias, non habebit hæc privilegia in provincia noviter acquisita, nisi Papa id specialiter concedat, per *dict. cap.* 1. *dist.* 10.

Nota tertio, quod fundatio Ecclesiæ cathedralis, vel metropolitanæ, est de reservatis Papæ, ut neque Apostoli sine Petri commissione, fundare potuerint, *gloss. in cap. Si quis nesciat*, *verbo Apostolos*, 21. *dist. Archid. & Turrecrem. & Gemin. ibid. Jo. Ant. Delph. in tract. de ecclesiast. potest. tit. de Cardinal. conclus.* 1. *vers.* 3. *Baron. in notis ad Martyrologium super festo S. Jacobi* 25. *Julii*.

CAPUT VII.

Episcopi ad Curiam venientes.

Vide *verbo Curia cap.* 11.

☞ CAPUT I.

Evangeliorum librum laicis ad osculum offerentium pœna.

QUamvis aliquibus in locis usque ad seculum duodecimum consueverit Evangeliorum librum exhiberi ad osculum nedum sacerdoti, qui missam celebrabat, sed etiam toti clero, & adstanti populo; ab anno tamen 1221. sub 8. Idus Mar. vetitum fuit ab Honorio III. ne deinceps offerretur cuiquam laico, etiam principatus honore fulgenti, nisi Sacro Oleo esset perunctus; sancivitque, ut præsumentes illum laicis exhibere, si præmissa monitione, non parerent, compescerentur per censuram ecclesiasticam ab hujusmodi præsumptione cessare, appellatione remota, ut ex epistola ejusdem Pontificis sub dictis anno, & die ad Pelagium Episcopum Albanensem, suum in partibus Romaniæ tunc Legatum, relata a Raynaldo ad an. Christi* 1221. *& Honorii an.* 5. *n.* 28. *Verum de recentiora ritu, erudite demonstrat cum Perimezio, viro eruditissimo, Benedict. XIV.* lib. 2. de Sacrosancto Missæ Sacrificio cap. 7. num. 13. – Evangelium Papæ, Cardinalibus, Sedis Apostolicæ Legatis ad osculum ubique locorum offerri: Patriarchis vero, Archiepiscopis, & Episcopis in sua cuique diœcesi: Principibus vero ex tolerantia, numquam tamen laicis inferiorum ordinum. –

Datur hic decretum generale Cong. Rituum, relatum in Appendice Concilii Romani celebrati a Bened. XIII. an. 1725. *pag.* 173. *edit. Rom.* 1751., *tenoris, qui sequitur* – Cum plures Sacra Rituum Congregatio, inhærendo decretis, alias editis, & signanter in Lucerina die 22. Novembris 1664. 28. Septembris 1675. & 13. Martii 1688. declaraverit, nullo modo dandum esse Evangelium ad osculandum secularibus, etiam Præsidibus, in celebratione Missarum: necnon eis prohibuerint usum baldacchini, & præsertim in Acernina die 27. Jun. 1666. in Baren. 5. Martii 1667. & 17. Junii 1684. Marsicen. Polignanen. & Mileten. 1667. Hieracen. die 2. Octobris 1683. & Biteeten. 23. Septemb. 1684. ac insuper denegaverit assistentiam in presbyterio, & specialiter in Materanen. 24. Januarii 1665. in Melphitana 15. Junii 1665. & Baren. 20. Novemb. 1677. & 22. Februarii 1687.

Eminentissimi, & Reverendissimi DD. Cardinales, eidem Sacræ Congregationi præpositi, mandarunt, ut prædicta decreta, prohibentia personis secularibus osculum Evangelii, usum baldacchini, & assistentiam in presbyterio, renoventur; & copiæ illorum transmittantur Archiepiscopis, & Episcopis &c. eisdem injungendo, ut illa intimari faciant superioribus Ecclesiarum suæ diœcesis, tam secularibus, quam regularibus; & in casu transgressionis, procedant, etiam contra Regulares, auctoritate ejusdem Sacræ Congregationis, ad pœnam interdicti, & ita decreverunt &c. die 13. Martii 1688.

A. Card. Cibo.

Bernardinus Casalius Sacr. Rit. Congreg. Secret. – ☜

☞ CAPUT I.

Fabricæ S. Petri deputatos molestantium pœna.

EX *Constit. S. Pii V. Eaigit Idib. Septem.* 1570. §. 11. *locorum Ordinarii, etiam S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales, aliæque personæ, quavis auctoritate, etiam apostolica, fungentes, & cujusvis alterius dignitatis, status, ordinis, & conditionis existentes, incurrunt suspensionem a divinis, & excommunicationem latæ sententiæ* (*qua tamen nulli reservata sunt*) *si audeant, & præsumant dictos deputatos molestare, vel eos impedire, quominus suas exequantur facultates* – vel in his se directe, vel per indirectum ingerere, vel intromittere. – ☜

CAPUT I.

Falsum.

I. CRimen falsi est publicum, *leg.* 1. *ff. de publ. judic. ibi gloss. &* §. *Item lex Cornelia*, *Inst. de publ. Jud. Clarus* §. *Falsum in princip.* unde condemnatus in judicio de falso, cum ea sit causa famosa, incurrit infamiam juris, *leg.* 1. *ff. de his, qui not. infam. leg. Infamem*, *ff. pub. Jud.* & consequenter est irregularis, *Majol. lib.* 5. *cap.* 36. *n.* 2. & confirmatur, quia omne crimen enorme depositione dignum, si notorium fuerit, reddit infamem infamia juris, & irregularem, secundum probabiliorem, ut dixi *par.* 1. *cap.* 33. §. *Tertio modo.* Est autem crimen falsi enorme, & depositione dignum, ut *Majol. ibid.* & late *Bernard. Diaz. & Salzedo in addit. ad cap.* 96. *praxis crimin. verbo Detrudatur*.

Amplia, ut procedat etiam contra falsificantes litteras, seu patentes Ordinariorum, seu publicorum officialium, *leg. Eos ibi DD. ff. ad leg. Cornel. de fals.* quando scilicet sunt in forma probanti, *Abbas in cap. post n. Cessione de prob. n.* 5. *Felin. n.* 3. *in fin. Guid. Pap. decis.* 481. *Osasc. decis.* 71. *n.* 10.

Limitat tamen *Diaz. ibid. n.* 1. non procedere de falso probato via exceptionis, seu incidenter (quamvis tunc sit infamis infamia facti tantum, ut *Majol. loc. cit*) ex text. in *l. Lucius ff. de his, qui not. inf.*

Limita secundo, quod super hac infamia, & irregularitate potest Episcopus dispensare, ut dixi *verb. Ordo c.* 16. *n.* 10.

II. Falsitatem committens in judicio, causam amittit, *cap. Olim* 25. *de rescr. leg. In fraudem*, §. *Quoties apud fiscum*, & ibi *gloss. not. verbo Cadat ff. de jure fisci*, *Card. in d. c. Olim*, *not.* 12. *n.* 7. *Boer. quæst.* 291. *n.* 2. ubi air communem sententiam: & amplia, ut procedat etiam in causa beneficiali, ut habetur *in d. cap. Olim*, *& ibi not. Cardin. & Boer. loc. cit.* Et quidem, si falsitas sit commissa circa acta publica ipsius causæ, scilicet falsificando processum, certa est, & communissima sententia, quod falsificans, seu falso utens, amittit causam: si autem falsificatio sit circa testes, vel instrumenta, magis communis sententia est, quod non amittat causam; ut de magis communi testatur *Boer. ibi n.* 3. & communem ait *Vantius de nullit. tit. de nullit. sent. ex def. process. n.* 114. *Clar. in praxi*, §. *Falsum vers. Item propter*.

An autem hæc pœna amissionis causæ committatur, seu incurratur ipso jure; aliqui negant, dicentes requiri sententiam privationis, ita tenet *Bal. in d. cap. Olim n.* 8. & consentiunt *multi DD.* dicentes, quod verbum *cadat* (quo utitur *dict. lex In fraudem*) intelligitur futuri temporis, & non est latæ sententiæ, sed ferendæ; quos in magno numero allegat, & sequitur *Tiraquell. in leg. Si unquam*, *verbo Revertatur n.* 187. *&* 188. *C. de rev. don.* alii tamen dicunt, hanc pœnam esse latæ sententiæ, propter verbum *cadat*, quod est imperativi modi temporis præsentis, ita *Barbat. in dict. cap. Olim*, quem sequitur *Boer. dict. q.* 291. *n.* 2. & quod verbum *cadat* significet canonem latæ sententiæ, tenent *plurimi apud Tiraquell. loc. cit. n.* 186. *& Barbos. de diction. ver. Cadat*, *cum Moneta*, *& Pereira*.

Sed dico primo, quod etiam posita hac secunda sententia, ea pœna non ligat in foro conscientiæ ante sententiam declaratoriam amissionis causæ, seu impositionis perpetui silentii, ut *Boer. ibidem*. Deinde dico, quod licet ob falsitatem in actis pars amittat causam, non tamen per hoc adversarius obtinebit, nisi docuerit de jure suo; quia ad obtinendum, non sufficit probare non jus adversarii, nisi probetur de jure actoris: ita probatur *in d. cap. Olim in fin. & ibi*

& ibi late, *Felin. n. 9. Boer. dict. quaest. 291. in fin. Burat. decis. 47. n. 12.*

Unde si, vertente lite super causa possessionis beneficii, alter ex conlitigantibus falsam produceret collationem, omne jus sive in re, sive ad rem amitteret, tamen adversario beneficium non adjudicaretur, nisi probaret de jure suo. Dico tertio *cum allegatis a Boer. ibi n. 3.* quod producens falsa acta suae promotionis ad ordines, scilicet patentes Ordinarii falsificatas, non amitteret privilegium clericale, si vere esset ordinatus, quamvis aliter a jure puniatur, *ut supra dixi*.

III. Testis repertus falsus, seu perjurus in uno articulo, in totum repellitur, *Rota decis. 664. n. 5. par. 1. Rec.*

CAPUT II.

Falsatio per artem alchimiae.

Extravag. *un. de crimine falsi*, inter communes: qui chimicum, seu alchimicum aurum, vel argentum facit, aut fieri mandat, secuto effectu, ant facienti ministrat scienter; & praesertim, qui monetam ex auro, vel argento alchimico faciunt, seu fabricant, aut fieri mandant, incurrunt poenam infamiae juris eo ipso, & tenentur pauperibus erogare tantundem probae monetae ponderis metalli.

Et amplia, ut procedat etiam de utente scienter tali moneta, aut auro, vel argento alchimico in damnum tertii, ut docet *Joannes Crotus tract. de testibus, in rubr. in causis civilibus quis possit esse testis n. 197.*

Amplia secundo, quod licet illa poena erogationis simpli in pauperes ibi videatur indigere ministerio judicis, & sic sit ferendae sententiae; tamen obligat in foro conscientiae ante sententiam jure naturali, in quantum sit secutum damnum tertii, cui restitui nequeat, ut quia, facta diligentia, adhuc sit ignotus: si enim ei, vel haeredibus restitui potest, eisdem delinquens restituere tenetur, per ea quae habentur in *cap. Cum tu, de usuris, & ibi Doctores, & Less. lib. 2. cap. 14. n. 49. Molina tom. 2. disp. 746.*

Limitant multi Doctores, ut haec Constitutio non absolute damnet, & puniat artem alchimicam, sed tunc solum, quando quis praetendit facere verum aurum, vel argentum, & illud pro vero expendere; etenim hoc est peccatum grave injustitiae, quia non potest efficere verum aurum, vel argentum; secus si tale pro tali venderet, idest pro alchimico, & non ad pretium veri auri, vel argenti, quia non habet auri, & argenti perfectionem, neque virtutes, licet ad aliquid sit utile, & participet multum de vero auro, & argento: & ideo non licet solvere debita auro alchimico, ut *S. Thomas 2. 2. quaest. 77. art. 2. ad 1.* Et ita hanc sententiam tenent *Albertus Brunus tract. de monetae augment. praesuppos. 1. n. 13. Farinac. quaest. crim. 115. de crim. laesae majestatis Sylvest. verbo Alchimia n. 4. Joannes Crotus de testibus, rub. in causis civilibus quis possit esse testis n. 197.* qui ita limitat hanc extravagantem.

Alii dicunt, illam extravagantem non damnare artem chimicam, nisi quando vel fieret ope daemonis, vel quando non valeret efficere verum aurum, & argentum; si autem posset efficere, non esset prohibita, nec punita; quia dicunt, hanc artem faciendi verum aurum, & argentum, esse possibilem, & veram in se, licet in hoc, vel in illo non sit semper vera: ita *Tabiena verbo Alchimia, Oldrad. cons. 74. Fabian. de Monte tract. de empt. quaest. 5. Abb. in cap. 2. de fortil.* & hanc communem dicit *Hieronym. Zanet. tract. de foro conscien. n. 131.* & hanc sententiam probat *Mart. Delrio disq. magic. lib. 1. cap. 5. quaest. 4. pag. 40. col. 1.* Alii vero dicunt, per hanc extravagantem absolute damnari artem alchimiae, quia est exposita multis fraudationum periculis, & quod saepe diabolus se illi operationi ingerat: ita *Sanch. in decal. lib. 2. cap. 40. n. 51. cum Valent. & Pereira*. Sed prima opinio, tanquam media, & distinguens, mihi videtur probabilior, & magis communis. Addit autem *Mart. Delrio loco cit. pag. 40. & 42. in fin.* hanc extrav. non esse usu receptam, sed contrario usu abolitam: quod verum puto, saltem quoad poenas ibi inflictas, quia videmus, publice tales alchimistas tolerari, & a multis principibus aestimati. Merito tamen in foro conscientiae communiter illicitam hanc artem censendam esse ait *idem Delrio concil. 2. ibi*.

CAPUT III.

Falsantes monetam Regis Galliae.

Extravag. *un. Joann. XXII. de crimin. falsi*, lata est excommunicatio Papae reservata contra falsantes monetam in Regno Galliae, & locis vicinis, aut extra fabricantes, aut ementes, & in Regnum Galliae portantes, aut eudeotes monetam extra Regnum Galliae in locis vicinis sub signo Caroli Regis Francorum: loquitur de eam facientibus scienter.

Adverte, quod aliqui dicunt, istam excommunicationem hodie non habere locum, quia putant eam fuisse latam contra adulterantes monetam dicti Regis Caroli, aut illo dominante, in praejudicium ejus Regni: ita *Filiuc. tract. 15. n. 76.* Alii tamen putant etiam hodie procedere, ut *Bonac. de cens. in partic. disp. 2. quaest. 3. punct. 50.*

☞ *Poenas falsantium monetas in Urbe, aliisque locis S. Romanae Ecclesiae mediate, vel immediate subjectis, necnon degentium intra fines Italiae vide infra cap. 1. verbo* Moneta: *sicuti & falsantes syngraphas & cedulas montis Pietatis*. ☜

CAPUT IV.

Falsificatio litterarum Apostolicarum, vel falsarum usus, vel impetratio.

I. In *cap. Ad falsariorum de crim. falsi*, falsificantes litteras Apostolicas per se, vel alios, itemque fautores illorum, & defensores, incurrunt excommunicationem eo ipso. Item utentes talibus litteris, si laici sint, incurrunt excommunicationem, neque absolvi possunt, donec satisfecerint competenter; & idem statuit de impetrantibus, idest litteras procurantibus jam falsatas, non tamen falsari procurantibus, ut *Abb. antiq. ibi*. Non sunt reservatae istae excommunicationes, nisi ratione satisfactionis praerequisitae, ut *Sayr. lib. 3. cap. 10. n. 7.* Sed hodie est reservata quoad ipsos falsantes, non quoad cooperantes, & utentes, ex *cap. 6. Bullae Coenae Domini*, ut dicam *infra*.

An autem procedant praedicta de falsatione in parte non substantiali, multi negant, tamen plures affirmant: *vide Felinum in cap. Ex parte, il primo n. 18. circa medium, de resc. Sayrum lib. 3. cap. 10. n. 11. Tolet. lib. 1. cap. 22. §. Aliud dubium, Suar. de cens. disp. 21. sect. 2. n. 46.* prima communis Theologorum, secunda communis Canonistarum.

II. Clerici, qui fuerint deprehensi falsarii, omnibus officiis, & beneficiis ecclesiasticis perpetuo sunt privati ipso jure, ut in dicta extrav. & de communi testatur *Azor. part. 2. lib. 7. cap. 17. §. Quintum crimen.* & docet *Garzias de benef. part. 11. cap. 10. n. 170. Gonzal. gloss. 15. n. 73.* & sic sunt ipso jure depositi. Et additur in dicta extrav. ut clerici deprehensi, idest convicti falsarii, degradentur realiter, & seculari potestati tradantur, puniendi secundum jura civilia: sed haec poena in dict. decretali restringitur ad eos, qui per se falsitatis vitium exercuerint; non autem procedit contra cooperantes. Sed nota hic ex illa particula *exercuerint* non requiri consuetudinem, seu exercitium proprie dictum, sed sufficit etiam unus actus ad omnes supradictas poenas decretalis hujus, *Farinac. q. 151. n. 31. Barbos. in dict. cap. Ad falsariorum n. 7.* & clericus ob dictum crimen falsationis litterarum Papae est morte puniendus, ut *not. gloss. in d. cap. Ad falsariorum n. 14. per leg. Ubi falsi C. ad leg. Cor. de fal.* Mandans etiam hoc supplicio puniendus, sicut principalis, ut *Farin. q. 151. n. 12. Barbos. ibi n. 15.*

Ex *sup. relata Extrav.* notandum est, quod licet de jure antiquo falsificator litterarum Apostolicarum a solo Papa esset judicandus, & ideo ab Ordinariis ad Sedem Apostolicam vinctus mittendus, *cap. In memoriam 19. dist. ibi DD. & cap. 2. de rescr.* tamen hodie, si constat de falsificatione, ab Ordinario suo puniendus, nec remittendus est: ita *Prep. ibi & Canonistae in dict. cap. 2.* Imo, quod hodie absolute non sit mittendus ad Curiam Romanam, nisi ab Ordinario fuisset carceratus ex commissione Papae: ita *Felin. in dict. cap. 2. & Anan. ibi*.

III. Ex *Bulla in Coena Domini cap. 6.* excommunicantur falsarii litterarum Apostolicarum, etiamsi in forma Brevis. Item falsarii supplicationum gratiam, vel justitiam continentium per Romanum Pontificem, aut Vicecancellarium, aut Regentem, aut alium de mandato ejusdem Pontificis signatarum. Item falso fabricantes litteras Apostolicas, etiam

iam in forma Brevis. Item falso signantes supplicationes sub nomine ejusdem Pontificis, aut Vicecancellarii, aut gerentium vices prædictorum. In hac tamen excommunicatione non sunt comprehensi mandantes, aut cooperantes, ut notat *Barbos. in dicto cap. Ad falsariorum n. 4.* cum ibi allegatis, neque continet utentes litteris falsificatis ab alio, *Bonac. hic punct. 3. n. 7.* Hæc excommunicatio est Papæ reservata in eadem Bulla.

Super hac autem vide Expositores in *cap. 6. Bullæ in Cœna*, ut *Suar. Ugolin. Filiuc. Sousam, Duardum &c.*

☞ *Nota, quod hæc excommunicatio afficit etiam Episcopos, aliosque majori dignitate præditos, ut ex §. Cæterum ejusdem Bullæ.* ☜

An autem duplicem excommunicationem incurrat, qui & litteras Apostolicas erasit, & in illis postea aliquid adscripsit, vide *part. 1. cap. 8. §. Respon. ad 2. & §. Secundus casus.*

IV. Ex Constitutione Papæ Innocentii X. *In supremo justitiæ*, dat. *die 8. April. ann. 1653.* supra dictæ Constitutionis, sanctionesque innovatæ, extensæ, & declaratæ sunt: primo, ut super hoc crimine procedatur, sicut super atrocissimis: secundo, ut ultra supradictas pœnas, rei hujus criminis incurrant etiam pœnam ipso facto confiscationis omnium bonorum, etiam devolutionis jurisdictionalium, feudalium, emphiteuticorum, & privationis omnium officiorum, etiam titulo oneroso collatorum: tertio, ut comprehendantur omnes personæ cujuscunque gradus, etiam speciali nota dignæ, nemine excluso: quarto, ut hoc crimen, & pœnæ procedant non solum contra falsantes litteras Apostolicas sub plumbo, vel forma Brevis sub annulo piscatoris, sed etiam falsarii supplicationum, cedularum motus proprii, ac mandatorum de expediendo manu Papæ, vel per concessum ab officialibus signatorum, etiamsi de iis litteræ nullæ in forma Brevis, vel plumbi expediantur, neque consueverint expediri. Item falsificantes quascunque concessiones, in quibus adsit subscriptio Papæ, vel officialium, super quibus litteræ in forma Brevis, vel sub plumbo expediri solent. Item falsarii datarum in præmissis ab officialibus appositarum. Item falsificantes registra supradictorum originalium, seu libros illorum, scilicet, ut in prædictis omnibus, crimine, & pœnis censeantur comprehensi, non solum ipsi falsificantes, sed & mandantes, complices, mediatores, auxiliatores, fautores &c. quicunque, non obstantibus quibuscunque &c.

CAPUT V.

Falsantes litteras Ordinariorum.

NUlla excommunicatio, aliave censura est latæ sententiæ contra falsantes litteras aliorum Ordinariorum, *Navarr. conf. 30. n. 3. de temp. ordin.* nisi in casu, quo quis promovetur ad ordines per falsas commeodatitias, vel dimissoriales; in quibus casibus incurritur suspensio, ut dicam *infra, verbo Ordo cap. 16.* Incurritur autem infamia juris, & irregularitas ab eo, qui damnatus fuerit in judicio ob falsificatas litteras Ordinariorum, ut dixi *supra cap. 1.* vide etiam infra, *verbo Ordo cap. 16. n. 10.*

De variis modis deprehendendi falsitatem litterarum Ordinarii, eamve excusandi, ut ob defectum subscriptionis, vel ob rasuram, vel ob ceram nimis recentem &c. vide *decis. 42. in collect. Farinac. de contract. & crimin.*

CAPUT VI.

Falsum præsumptum curialium, accipientium litteras Apostolicas de manu alterius, quam destinati officialis.

IN *cap. Dura de crimin. falsi*, prohibetur, ne quis accipiat litteras Apostolicas ab alterius manu, quam constituti officialis, nisi sit persona magnæ auctoritatis, quæ per nuncium ad hoc missum ad Cancellariam, recipiat: contrarium faciens, si laicus fuerit, subjacet excommunicationi eo ipso – si clericus, officii, & beneficii suspensione damnetur – Hæc excommunicatio nulli est reservata, & non ligat, nisi morantes in Curia, qui per se possunt accipere litteras expeditas de manibus officialium immediate, *Abb. Antiquus in dict. cap. Dura, Panormit. ibi n. 2.* Imo hæc excommunicatio, & prohibitio hodie abiit in desuetudinem, ut testatur *gloss. ibi, Hostien. in summa tit. de crim. falsi, §. Porro, vers. Octavo*: & de communi testatur *Marius Alterius lib. 5. disp. 7. cap. 5. in fin.*

CAPUT I.

Fidei professionem, & juramentum fidelitatis omittentes.

I. CAp. *Quoniam 100. dist.* Papa Pelagius statuit, ut si Metropolitani a die suæ consecrationis, ultra tres menses distulerint ad Sedem Apostolicam mittere pro fidei professione facienda, & pallio accipiendo, commissa sibi careant dignitate, & post trinam monitionem potest de alio Metropolitano provideri ab iis, quibus competit, ut *ibi*.

Hæc pœna privationis videtur inferri ipso facto propter verbum *Careat*, quod est latæ sententiæ, secundum veriorem, & magis communem, quam probat latissime *Tiraquell. in leg. Si unquam, verbo Revertatur n. 161. & 166.* tamen ad eam incurrendam in casu nostro requiritur monitio canonica, ut patet ex textu. Imo neque ipso jure erit depositus, sed deponendus per sententiam, ut exponunt ibi *gloss. Archid. & Turrecr. super verbo Careat*: & ait *Tiraquel. loco cit. n. 166.* verbo *Careat*, pro subjecta materia posse esse ferendæ sententiæ.

II. *Extravag. 1. de elect. inter commun. §. fin.* Episcopi, Abbates, Prælati, priores, & alii monasteriorum regimina exercentes, si solitum fidelitatis juramentum, & obedientiæ Sedi Apostolicæ non præstiterint, donec illud præstent, nihil percipiant de proventibus earum Ecclesiarum, seu monasteriorum; & quidquid per eos actum fuerit, viribus non subsistat.

Ex hoc nota, quod isti Prælati, donec præstiterint prædictum juramentum fidelitatis, neque jurisdictionem exercere, neque fructus percipere possunt; non quod sit suspensio ista, sed quod eis jus perfectum a Papa non conceditur, quandiu non præstant tale juramentum: & ideo hæ pœnæ videntur obligare in foro conscientiæ; quamvis dicat *Barbos. in dict. Extrav. n. 3. cum Navar. & Joan. Valero*, pœnas illas non ligare in foro conscientiæ: sed contra, istæ non sunt proprie pœnæ, nec privatio juris perfecte qualiti, sed imperfecte ob defectum conditionis; ut quamvis titulum acquisierint, non tamen exercitium, nisi posita illa conditione, ut dixi *supra* in simili *verbo Episcopus cap. 2.* & dicam infra *§. Limitant.*

Nota secundo, quod hodie istæ Constitutiones pœnales contra promotos ad cathedrales, omittentes fidei professionem, & juramentum, non habent locum, quia hodie Episcopi præstant hæc ante litteras expeditas ex Trid. *sess. 24. cap. 1. de ref.* & Bulla 6. Greg. XIV. *Onus*, & idem est de provisis ad alias dignitates consistoriales; & omnes tempore informationum hæc præstant, ut in ea Bulla Gregorii.

III. Trid. *sess. 24. cap. 12. de ref.* statuit, ut provisi de beneficiis quibuscunque, curam animarum habentibus, teneantur ad minus intra duos menses a die adeptæ possessionis, in manibus Episcopi, vel eo impedito, coram generali ejus vicario, seu officiali, orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, & in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondere, & jurare: provisi autem de canonicatibus, & dignitatibus in Ecclesiis cathedralibus, non solum coram Episcopo, seu ejus officiali, sed etiam in capitulo idem facere teneantur, intra duos scilicet menses supradictos, currentes a die adeptæ possessionis; alioquin supradicti omnes fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.

Amplia ex hoc textu, quod non juvatur, neque excusatur a restitutione iste transgressor per regulam de triennali, neque usucapione triennali; quia Tridentinum statuit, possessionem non suffragari: ita *Sanchez lib. 2. in decal. cap. 5. n. 11. & 12.* Intellige si teneamus, eum obligari in conscientia, vel secuta declaratoria: ita *Sanchez ibid.*

Amplia, quod cum dicat, possessionem non suffragari, sequitur, quod iste non solum amittit fructus præbendæ, sed etiam distributiones, non solum in futurum, sed etiam intra duos menses illos; quia ante professionem non potuit haberi pro præsente, ita *Rota pa. 2. recent. dec. 157. cum Navar.* & cum declaratione Sacræ Congregationis. Alii tamen dicunt, non amittere distributiones, si interfuit, sed solum fructus præbendæ, ita *Barbos. ad dictum cap. 12. Tridentin. n. 11. & littera F.* ubi plures allegat DD. cum declaratione Sacræ Congregationis.

☞ *Ita etiam decisum legitur a Congreg. Concil. 9. Feb.* 1726.

1726. *in* Cathacen. *ut in Thesauro Resolut. ejusd. Cong. tom. 3. pag.* 271. ☜

Illud est certum, quod etiamsi postea profiteatur, non recuperabit fructus de præterito amissos, *Sanch. dict. cap. 5. num.* 5.

Limita, quod in hanc pœnam non incurrit, qui inculpabiliter omisit prædicta præstare, sed solum si cum culpa mortali omisit, quia sunt pœnæ negligentis, *Navarr. consil. 12. de jurejur. Sanchez in decal. lib. 2. cap. 5, n.* 10. *Garzias part. 3. de benefic. cap. 3. n.* 68. tamen debet postea facere professionem, & juramentum præstare quam primum ad acquirendos fructus in posterum, *Garzias n.* 30. sed sufficere ad effectum, ut pro foro conscientiæ satisfecisse censeatur, si illam professionem, & juramentum præstiterit alia occasione post adeptum beneficium, in manibus Episcopi, vel vicarii, ut occasione doctoratus, vel in Synodo, etiamsi non cogitaverit de dicto Tridentini præcepto, dicunt *Navarrus consil. 12. de jurejur. Rodericus quæst. regul. 72. art. 3. tom. 2. Sanchez lib. 2. cap. 5. n. 6.* Et quamvis hodie per Bullam Pii IV. *Injunctum* 89. statuta sit certa forma, ut non satisfaciat dictæ obligationi per aliam formam; tamen ex Bulla ejusdem Pii IV. 88. *In sancrosancta*, eadem forma est præscripta professionis fidei, & juramenti pro promovendis ad gradum doctoratus.

☞ *Consuetudo non emittendi hanc professionem minime excusat respectu provisorum a Sede Apostolica, ut probat Bened. XIV. Instit. Eccles.* 30. §§. – Nos quidem, *&* Quod si parochus. – ☜

Limitant etiam *Sanch. n.* 10. *& Navarr. dicto consil.* 12. quod illa pœna privationis fructuum non ligat in foro conscientiæ ante sententiam declaratoriam; quia est lex pœnalis, privans jure quæsito: sed verior est contraria ex dictis supra *n.* 2. quia non est privatio pure pœnalis, sed conventionalis, & privat jure perfecte quæsito, sed sub modo illo: ita in terminis *Garzias n.* 35. *cum Ledesma*, *Barbosa litt. X.*

Limita tertio, quod non propterea in hoc delinquens, privatur titulo beneficii; imo possessio ei suffragatur ad titulum quoad regulam de triennali, *Garzias n.* 33. cum Sacra Congregatione, & aliis Doctoribus.

Restitutio autem prædicta fabricæ, vel pauperibus fieri debet, ut *Sanch. n.* 10. *in fin. cum Azor.* & faciunt ea, quæ dixi supra *cap. 32. quæst. 3. pa.* 1. sed contrarium docet *Garz. par. 7. cap. 4. n. 40. &* 44. scilicet si fructus canonicatus solvantur à mensa capitulari, tunc ad canonicos alios pertinent per jus non decrescendi, & idem ait *Barbos. lit. AA. ibi.*

☞. *Condonatio fructuum male perceptorum ob non emissam fidei professionem, fieri nequit ab Ordinario, sed a Sede Apostolica; quæ eos condonare solet, si omissa, vel male emissa fuerit bona fide, injuncta aliqua eleemosyna arbitrio Episcopi, vel confessarii, juxta plura exempla relata in folio* Cong. Conc. 17. *April.* 1728. *in Toletana, ut in cit. Thesaur. tom. 4. pag.* 175. *cum onere tamen eam emittendi, vel repetendi, si male emissa fuerit, coram capitulo, & Episcopo, juxta decreta dictæ Cong. relata in Capuana Profes. fidei 6. Decem.* 1738. *tom. 8. Thesaur. pag.* 221. *Item tenentur repetere provisi Romæ, qui ex indulto Cong. Conc. illam emiserunt coram Urbis Vicario, quando ob locorum distantiam coram Episcopo, & capitulo intra duos menses a die possessionis, emittere non potuerunt, ut de praxi testatur Bened. XIV. Instit. Eccles.* 6.

Parochi vero, si eam emiserint Romæ coram Datario, neque amittunt fructus, neque coram Episcopo tenentur illam repetere, ut ex decreto Cong. Conc. relato in Tolentina 26. Maji 1739. ad dub. IV. in dict. Thes. tom. 9. pag. 48. 54. *&* 162. *col. 2. in fine.* ☜

IV. Ex Bulla, *Injunctum* 89. Pii IV. facta est extensio supradicti decreti Concilii Tridentini, ut non solum supradicti provisi de beneficiis curatis, aut canonicatibus, & dignitatibus in Ecclesiis cathedralibus, sed etiam provisi de monasteriis, conventibus, domibus, & aliis quibuscunque locis regularium, quorumcumque ordinum, etiam militiarum, teneantur fidei professionem, & juramentum fidelitatis emittere, secundum formam in eadem Bulla narratam, sub pœnis supradictis, a Tridentino statutis.

Adverte, quod in his decretis, scilicet Tridentini, & Bulla Pii IV. non continentur Episcopi, neque promoti ad dignitates extra Ecclesias cathedrales, vel regulares, existentes sine cura animarum, ut patet ex contextu.

Adverte secundo, quod aliqui Doctores dicunt, dictam Bullam Pii IV. non esse usu receptam, quoad Prælatos regulares, quos allegat, & sequitur *Diana resol. 78. tract. 2. tom.* 2. sed hoc intelligendum est de Prælatis regularium, quibus non conferuntur a Sede Apostolica Ecclesiæ, seu monasteria in titulum ad vitam, sed ad tempus, v. g. per electionem a capitulis, vel aliam provisionem a suis superioribus: & ita concordantur Doctores, quos pro utraque parte allegat *ibi Diana*.

V. Ex Bulla Pii IV. 88. *In sacrosancta*, statutum est, ut promovendi ad gradus doctoratus, cathedras, aut magisteria cujuscunque facultatis, etiam grammaticæ, publice, vel privatim exercitaturi, vel regimina universitatum, faciant professionem fidei cum juramento fidelitatis, & obedientiæ Summo Pontifici, in manibus Ordinarii, seu ejus vicarii, secundum formam ibi præscriptam; alias promotio est nullius momenti, tam in judicio, quam extra, ut ibi habetur §. 6. & promoventes aliquem ad gradus doctoratus, vel lecturas, seu cathedras facultatum, non præmissa per promovendos dicta professione, & juramento, incurrunt eo ipso, Antistites quidem interdictum ab ingressu Ecclesiæ; inferiores autem excommunicationem latæ sententiæ, & privationem dignitatum, beneficiorum, feudorum ecclesiasticorum, & inhabilitatem ad illa, & alia hujusmodi.

Adverte, quod ait *Diana cum Portel., & Roderico*, etiam regulares promovendos ad cathedras, seu lectiones philosophiæ, aut theologiæ, teneri ad prædictam professionem, nisi illa Bulla alicubi non sit usu recepta; ibi enim superiores promoventes non incurrunt dictæ Bullæ pœnas: *ita Diana loco cit. resolut. 78. tract. 2. tom.* 2.

☞ *Licet ex Tridentino, citatis Constit. Pii IV. & decretis Cong. Conc. relatis in Cathacen. 9. Februarii 1726. non teneantur ad hanc professionem canonici collegiatarum, aliique beneficia, etiam simplicia, obtinentes; tenentur tamen vigore legum in omnibus fere diœcesibus statutarum. Sic in locis, quos complectitur Concilium Romanum, celebratum a Bened. XIII. ann. 1725. ad eam tenentur sequentes, sub pœnis latis in Pii IV. Constit.* In sacrosancta, *aliisque Episcoporum arbitrio statuendis.*

I. – Episcopi, aliique de clero, recens ecclesiasticis de beneficiis provisi, aut sacris ordinibus initiati, in diœcesana Synodo primo celebranda. II. Dignitates, & canonicatus obtinentes post adeptam possessionem, tum in manibus Episcopi, vel ejus vicarii generalis, tum in capitulo infra bimestre. III. Beneficia cum animarum cura habentes, post ipsorum possessionem, infra idem tempus, in manibus tantummodo Episcopi, vel vicarii generalis, prout, & in alterutris manibus. IV. Quicunque alia beneficia simplicia obtinentes. V. Item novus vicarius generalis, vicarii foranei, procuratores, & promotores fisci episcopalis, cancellarii, ceterique ministri ejusdem curiæ. VI. Novi concionatores etiam regulares. VII. Novi confessarii, etiam monialium. VIII. Docentes publice, vel privatim theologiam, philosophiam, jus canonicum, aut civile, vel inferiores quaslibet disciplinas, etiam grammaticam. IX. Ac tandem medicinam, & chirurgiam exercentes. –

Hactenus de professione fidei jure humano præcepta. Ceterum jure naturali, & divino ad eam, etiam externam, obligantur omnes fideles, dum illam exigit honor Dei, aut religionis, & Ecclesiæ catholicæ, aut salus proximi, Matth. 10. vers. 32. – Qui confitebitur me &c. – *ideoque attendenda est, quo ad externam, sequens propositio proscripta ab Innoc. XI. die 2. Martii 1679. sub pœnis in eam docentes &c. & ad praxim deducentes, prout in fine Additionis ad cap. 1. verb.* – Missa – *quæ est in ordine la*

18. – Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & fidei gloriosum consulo: tacere, ut peccaminosum per se, non damno. –

Quoad internam vero professionem fidei, attendendæ sunt sequentes, pariter proscriptæ sub iisdem pœnis in eas docentes &c.

Ab Alex. VII. 24. Septemb. 1665. quæ est in ordine la

1. – Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum, ad eas virtutes pertinentium. –

Ab eod. Innoc. XI. die, qua supra, quæ sunt in ordine la

4. – Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens, ductus opinione minus probabili. –

16. – Fides non censetur cadere sub præcepto speciali, & secundum se. –

17. – Satis est, actum fidei semel in vita elicere. –

19. – Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium. –

20. – Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem. –

21. – Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem, stat cum notitia solum probabili revelationis: imo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus. –

22. – Non nisi fides unius Dei, necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita remuneratoris. –

23. – Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo, ad justificationem sufficit. –

64. – Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum fidei: & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi. –

65. – Sufficit, illa mysteria semel credidisse. –

Ab Alex. VIII. die 7. Decemb. 1690. sub pœnis, quibus supra, quæ sunt in ordine la

8. – Necesse est, infidelem in omni opere peccare. –

11. – Omne quod non est ex fide christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est. –

12. – Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; & etiamsi videantur credere, non est fides divina, sed humana. – ☜

☞ CAPUT II.

Fidei disputationem publice, vel privatim assumentes laici.

HUjusmodi disputationem iis prius inhibuit *Innocen. IV. Constit.* Noverit 15. *Jun.* 1254. *& Alex. IV. sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ, ut cap.* Quicunque 2. *de hæret. in 6.* §. Inhibemus. *Postremo Nicolaus III. Constitut.* Noverit 5. *Mar.* 1280. §. 19. Item firmiter: *quæ quidem prohibitio intelligenda est non de disputatione in rebus fidei mere materiali, quæ fieri solet exercitii gratia inter catholicos, quo melius veritas eliciatur, erroresque propulsentur, sed de formali, quæ scilicet habetur a catholicis cum hæreticis, vel infidelibus ad eos convincendos: quam laici, etiam docti, assumentes, peccant graviter, & excommunicari possunt, ut animadvertit Card. Petra tom. 3. commentar. ad Constit. Apost. cit. Constit. Nicolai n. 18. & seqq. Quamvis ceteroqui jure naturæ prohibita sit etiam clericis indoctis. Subdit tamen idem Petra n. 23. hanc disputationem non prohiberi laicis* – in casu necessitatis, aut evidentis utilitatis; veluti si nullus esset ecclesiasticus idoneus, qui hæretico simplicem plebem seducenti opponeretur, vel si disputationem suscipiat, rogantibus clericis ..... sive catholici sint in locis, ubi permixtim vivitur cum hæreticis. – ☜

CAPUT I.

Furtum, aut Rapina.

I. FUrti, aut de vi bonorum raptorum suo nomine damnatus, vel pactus, scilicet transigendo, efficitur ipso jure infamis, *leg. 1. ff. de his, qui notan. inf. ibi gloss. verbo Qui furti.* Et procedit tam de jure civili, quam canonico, verb. gr. in clerico condemnato furti, vel rapinæ, *Bern. Diaz in praxi c. 92. n. ult. textus in c. In infames, & cap. Nos sequentes 6. quæst.* 1. & notat ibi *Glos. & Ber. Diaz loc. cit.* quod omnis infamis de jure civili, est infamis de jure cannnico, nisi ubi contrarium sit expressum: quod etiam docet *Garzias be benef. par. 7. c. 8. n.* 11. cum pluribus Doctoribus.

II. Et consequenter iste est irregularis per *c. final. de furt. ibi Danonista* communiter, *Borgas. de irregular. p. 6. tit. de furt. n. 8. Foller. in praxi crimin. p. 2. cap. 21. de furtis n. 8.*

Amplia, ut procedant prædicta, sive fuerit damnatus in judicio civili, sive criminali, *Bal. in c. At si lerici n. 15. de judic. Felin. in c. Qualiter, il secondo n. 23. vers. 2. est pœna de accusat.*

Limita, quod Episcopus potest super hac infamia, & irregularitate dispensare, ut ministret promotus, vel ut promoveatur, quia est de criminibus minoribus adulterio: ita *c. At si clerici de judic. §. 5. de adulter. Abbas n. 4. §. De adulteriis, Borgas. loc. cit. n. 7.* qui dicunt, Episcopum posse indirecte dispensare super tali infamia, dum dispensat, ut talis promoveatur.

Nota, quod ex causa furti tenentur ad restitutionem non solum fur, & cooperantes, *cap. Qui cum fure de furt.* sed etiam is, qui tenetur ad rei custodiam ex officio, ut tutor, vel depositarius; nisi probet, furtum factum esse illius rei, & sine culpa sua commissum esse, ut late probat *Rota part. 2. Recent. decis. 762. n. 2. & seqq.* ad quod probandum non sufficit querela, vel acclamatio, vel probare, ostium fractum esse, quia hæc omnia possunt studiose fieri ad expilationem contegendam, *Rota ibi n. 4. & 6.*

☞ *Propositiones circa furtum proscriptæ ab Innocentio XI. sub die 2. Martii 1679. sub pœnis in eas docentem, & ad praxim deducentem, quas vide in fine Additionis ad cap. 1. verbo* Missa, *sunt in ordine la*

36. – Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi. –

37. – Famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt. –

38. – Non tenetur quis sub poena peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis. –

39. – Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati. – ☜

CAPUT II.

Furtum, aut rapina rerum sacrarum.

Vide *verbo Sacrilegium cap. 3. & 4.* & *verbo Incendiarii cap. 1. & 2.*

CAPUT I.

Gratia Papæ utentes, litteris non expeditis.

I. QUamvis de jure communi gratia, sive Papæ, sive principis secularis indigeat ad sui validitatem scriptura, seu litteris, ut Doctores, quos in magno numero congerit *Sanch. de matrimonio lib. 8. disput. 29. n. 1.* & præsertim de stylo Curiæ apparet ex regulis Cancellariæ, *regula 27. & regula 31. & regula 52.* tamen hoc procedit regulariter loquendo, solum pro foro externo: nam pro foro conscientiæ probabilior sententia ait, non exigi scripturam per se loquendo de jure communi, ut *Sanchez ibid. num. 2.* ubi plurimos allegat; ex quibus constat esse magis communem, & tenet *Garzias part. 4. c. 2. n. 37.* Sed adverte, quod defectus expeditionis litterarum non invalidat, sed suspendit gratiam; ideo, etiam lite pendente, potest pars, cui objicitur, litteras expedire, dummodo ante sententiam litteræ sint expeditæ, *Garzias ibi num. 29. Sanch. n. 9. Cassad. super reg. Cancell. decis. 36. n. 2.* & dummodo jam ante litem, seu jus adversario quæsitum, supplicatio signata, esset registrata, & parti tradita, *Gonzal. glos. 15. §. 2. n. 33.* antea enim per signaturam nullum jus considerabile est acquisitum, *ita Gonz. ibi.*

Item non procedit in provisionibus Ordinariorum, quia ad earum valorem, neque pro foro externo requiritur scriptura, ut de communi testatur *Paris. de resig. lib. 8. quæst. 2. n. 21.* sed solum requiritur scriptura authentica, cum agitur de præjudicio tertii, *Garz. part. 8. cap. 4. per totum.*

Quod autem dictum est, valere pro foro interno gratiam, litteris non expeditis, non habet locum in certis casibus.

Primus est, quando gratia spiritualis a Papa est concessa absque signatura, vivæ tantum vocis oraculo, collegiis, capitulis, ordinibus, institutis, societatibus, vel earum personis, tam secularibus, quam regularibus: hæc enim neque pro foro interno valet quidquam, ut constat ex Bulla Gregorii XV. *Romanus Pontifex*, die 1. Julii 1622. & Urbani VIII. *Ad perpetuam*, die 20. Decembris ann. 1631. est 27.

Circa hunc primum casum, nota primo, quod procedit solum de concessis ante hasce Constitutiones revocatorias, ut patet ex eisdem. Nota secundo, quod vivæ vocis oracula dicuntur, quæ ab initio sine litteris, vel supplicatione signata, concessa sunt viva voce alicui Religioni &c. etiamsi postea privilegia illius omnia fuissent per Bullam pontificiam confirmata, etsi vivæ vocis oracula essent nominata

ibi in genere, si non fuere in indiviuo expressa: quia confirmatio solummodo roborat, cum suis præexistentibus qualitatibus; non autem confirmata alterat, aut extendit, aut extrahit de natura sua, *Seraph. decis.* 981. *num.* 5. *Rota in posth. Farin. part.* 1. *decis.* 752. *in fine*. Nota tertio, quod vivæ vocis oracula hic revocata sunt, etiamsi talis universitas habuisset privilegiorum confirmationem cum clausula; *Ut revocari ea non possent, nisi facta eorum individuali mentione*, vel etiam cum clausula, , *Quoties emanarent litteræ revocatoriæ, toties eadem privilegia restituimus, & de novo concedimus*; quia quamvis hæc clausula operetur, ne censeatur, talibus privilegiis derogatum per aliud privilegium alteri concessum privative, etiam cum clausulis derogatoriis specialibus, idest *Non obstantibus quibuscunque, etiam in quacunque verborum forma*, & similibus, ut *Seraph. decis.* 1271. tamen non suffragatur, quando privilegiis derogatur per viam legis generalis, quia tunc sufficit, quod in ea lege sit clausula derogatoria specialis, ut est in istis Constitutionibus Gregorii, & Urbani, ita *Felin. in c. Nonnulli n.* 4. *de rescrip.* & late *Gonzal. in regul.* 8. *Glos.* 36. *n.* 31. cum communi sententia. Nota quarto, quod vivæ vocis oracula hic revocata, non censerentur revixisse per supervenientem confirmationem privilegiorum cum clausulis derogatoriis validissimis, nisi essent vivæ vocis oracula expressa hoc nomine suo generico, quia confirmatio, ut dixi, non concedit de novo, sed supponit in esse, quod confirmat; ita *Rot. dec.* 597. *per totam part.* 1. *post. Farinec.* Nota quinto, quod hæ Constitutiones Gregorii, & Urbani non revocant vivæ vocis oracula, quæ jam erant effectum sortita, ut patet ex *text. Constit.* ubi ea posita est exceptio. Dicenda sunt autem effectum sortita illa, quorum actus omnino jam erant consummati, vel quorum actus sunt successivi quidem, sed futuri sunt necessario connexi cum præteritis, & quasi indivisibiles, seu inseparabiles; vel quorum actus sunt quidem futuri, & divisibiles, sed in illis erat jam acquisitum jus parti in re, vel ad rem firmum, & certum, & non solum eventuale, ut docet *Bar. in leg. Omnes populi n.* 40. 41. 43. & 47. *Felin. in c. Novit. n.* 2. *vers. Sed nihilominus de judic.* & ibi etiam *Abb. n.* 26.

Item non comprehendunt vivæ vocis oracula concessa ex causa onerosa; quia talia privilegia non revocantur per quascunque clausulas derogatorias plenissimas, nisi expresse, & specifice derogentur, *Sanchez de matrim. l.* 8. *disp.* 33. *n.* 8. & nisi adsit causa sufficiens ad derogandum, quæ sufficiat ad tollendum jus quæsitum privatorum, seu ad tollendum jus gentium, *Abb. ibi Sanchez. n.* 3. quæ tamen in dubio non præsumitur, *Sanch. ibi*: vel nisi privilegium longe excedat causam illam onerosam, *Seraphin. decis.* 518. *n.* 2. & 3. *Ozasch. decis.* 139. *n.* 10. qui tamen excessus in dubio non præsumitur, *Seraph. ibi n.* 4.

Item non censentur revocata vivæ vocis oracula declaratoria privilegiorum per litteras concessorum, seu dubiæ mentis Constitutionis Pontificis; quia declaratoria nihil de novo inducit, *Rot. par.* 1. *recent. decis.* 281. Secus, si esset declaratoria ultra vim verborum, quia ea proprie dicitur extensio, ideo contineretur in revocatione ista, diceretur que jus dispositivum, non declarativum, *Rota n.* 140. *n.* 15. *in collect. Rubei*.

Secundus casus est, quando gratia est in forma commissaria, quia non valeret sine litteris, *Sanchez n.* 10. *loc. cit.*

Tertio, alii sunt casus, in quibus Papa inhibet sub censuris, & pœnis usum gratiæ ante litteras expeditas, de quibus infra dicendum.

☞ *Clemens XII. Const.* Romanus Pontifex 12. *Febr.* 1731. *revocavit varias facultates, & indulta, concessa per vivæ vocis oraculum, vel rescripta suorum Decessorum; non tamen concessa per quasvis litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis expeditas, aut rescripta a SS. Congregationibus edita, & a prædecessoribus Pontificibus approbata; necnon ab officio S. Pœnitentiariæ quomodolibet concessa.* ☜

CAPUT II.

Gratia Ecclesiarum, vel monasteriorum utentes, litteris non expeditis, vel non ostensis.

I. Extrav. *Injunctæ de elect. inter communes*, Episcopi, & alii superiores Prælati, necnon abbates, priores & cæteri monasteriorum regimina exercentes, qui apud Sedem Apostolicam promoventur, aut confirmationis, consecrationis, vel benedictionis munus recipiunt, non præsumant ad Ecclesias, vel monasteria accedere, vel bonorum ecclesiasticorum administrationem accipere absque litteris dictæ provisionis; nullique eos absque dictarum litterarum ostensione recipiant, aut eis pareant, vel intendant: si secus præsumptum fuerit, gesta per hujusmodi provisos eo tempore sunt irrita, nec possunt quidquam tales provisi interim percipere de proventibus earum Ecclesiarum, seu monasteriorum: capitula vero, & conventus Ecclesiarum, vel monasteriorum illorum, & alii quicunque ipsos absque dictis litteris recipientes, vel eis obedientes, tamdiu sunt suspensi a beneficiis, donec super hoc a Sede Apostolica gratiam obtineant.

II. Ex Bulla Alexandri V. & Julii II. Constit. 4. *Romani Pontificis*, statutum est, ut Prælati de Ecclesiis secularibus, vel regularibus provisi, ut supra, sive in titulum, sive in commendam, teneantur intra annum a die provisionis eis factæ in Curia Romana litteras expediri facere, easque recipere: ante earum vero expeditionem non præsumant de regimine, seu administratione Ecclesiarum illarum, bonorumve, tam in spiritualibus, quam in temporalibus ullatenus se ingerere, sub pœna privationis Ecclesiarum, seu monasteriorum, & omnis juris quæsiti ex dicta provisione pontificia, ipso facto incurrenda: & alias omnia acta per eos, tam scienter, quam ignoranter irrita decernit.

Adverte circa supradictas Constitutiones, quod si quis contra fecerit ignorantia invincibili, seu bona fide, non incurrit pœnam privationis tituli, sed fructuum, & acta erunt nulla; sed tenetur quamprimum litteras expediri facere, ut patet ex *dict. Bulla Julii II.* etenim in hac materia requiritur dolus, seu mala fides, *Rota decis.* 387. *n.* 1. & 2. *par.* 2. *noviss.* & admittitur purgatio moræ, *Rota ibi n.* 5. Sed si possedit talem Ecclesiam per triennium bona fide ex sola signatura sibi collatam, seu obtentam, revalidatur ei titulus, ut non indigeat alia provisione: ita *Rota loc. cit. n.* 3. *Sanch. opusc. lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 29. *n.* 2. *cum Rota, Rebuffo, & Gomez*; & multo magis triennio fructus bona fide perceptos præscribit, ut dicam infra *c.* 7.

Adverte secundo, quod in his Constitutionibus non continentur Cardinales, ut *Gomez in proœm. regul. Can. quæst.* 4. §. *Tertius casus*, *Gonzal. regul.* 8. *gloss.* 24. *n.* 6. *Barbosa in dicta Extrav. injunctæ n.* 5. ubi cum pluribus Doctoribus ostendit, Cardinales ante captam possessionem, & ostensionem litterarum posse jurisdictionem exercere, & *Barbosa de potest. Episc. par.* 1. *tit.* 1. *c.* 4. *n.* 9.

Adverte tertio, ex his Constitutionibus esse abrogatum jus antiquum, quod habetur in *c. Nihil* 44. *de elect.* ubi Prælati electi in concordia valde remoti, ut ultra Italiam, statim ante confirmationem poterant administrare, ut notat *Abb. ibi, & Cardin. Mandag. tract. de elect. part.* 1. *cap.* 56. *Oldrad. consil.* 246. Item est correctum illud jus, quo olim Episcopus post confirmationem poterat Jurisdictionem exercere, *Barbos. loc. cit. cap.* 4. *n.* 9. *Azor. lib.* 3. *cap.* 29. *tom.* 2.

Adverte quarto, quod hæ pœnæ non procedunt, quando Episcopus ante litteras expeditas se ingerit vigore Brevis Apostolici, quo conceditur ei, ut interim possit exercere, quæ sunt jurisdictionis, non ordinis, dummodo intra sex menses faciat litteras expediri.

Adverte quinto, quod illa suspensio a beneficiis intelligitur de illis beneficiis, quæ recipiens talem Episcopum, seu Prælatum, habet in illa Ecclesia, seu monasterio; quia suspensio ista fertur ob causam, quæ illam tantum Ecclesiam respicit: ita *Suarez disp.* 27. *de censur. sect.* 1. *n.* 12. & 13.

Adverte sexto, quod ordinatus a tali Episcopo male recepto, non recipit ordinis executionem (quia ejus acta sunt irrita) donec cum eo dispensetur.

Adverte septimo, quod istæ Constitutiones non procedunt in alios obtinentes beneficia ecclesiastica, non regularia, sed secularia, præter episcopatus.

Adverte octavo, quod istæ pœnæ obligant in foro conscientiæ ante declaratoriam; quia non privant jure perfecte quæsito, per ea, quæ dixi supra, *verbo Fidei professio cap.* 1. *n.* 2. quamvis contra teneat *Barbos. in dicta Extravag. Injuncta n.* 3. *cum Navarro, & Joanne Valero*.

Adverte nono, istas Constitutiones solum loqui de provisis in Curia Romana.

CA-

CAPUT III.

Gratia beneficiorum utentes, litteris non expeditis, praetextu mandati de adipiscenda; & officiales dicta mandata concedentes, litteris non expeditis.

I. EX Bulla Pauli III. quæ est 1. vel 49. *Cum nobis*, quæ habetur *in append. ad* 3. *tom. Laertii Cherubini pag.* 26. statutum est, quod is, cui a Summo Pontifice gratia super beneficio aliquo facta est, ut collationis, vel institutionis &c. si ante litterarum expeditionem capiat beneficii possessionem prætextu mandatorum ab officialibus Curiæ factorum juxta formam supplicationum signatarum, amittat fructus perceptos ex dicto beneficio, eosque teneatur restituere in utroque foro, & ad illud beneficium perpetuo efficiatur inhabilis ipso facto, itaut in utroque foro teneatur illud dimittere.

II. Similiter ex eadem Bulla cautum, ne judices Curiæ Romanæ, prætextu supplicationum signatarum, & registratarum super provisionibus beneficiorum, concedant litteras, seu mandata de adipiscenda possessione, litteris provisionis non expeditis; & ne alii officiales, notarii, & scribæ se rogent de talibus actis, neque talia acta scribere, authenticare, aut partibus tradere præsumant: alias notarii, & scribæ incurrant excommunicationem Papæ reservatam ipso facto, & aliis pœnis puniantur temporalibus ipso facto, scilicet prima vice incurrant pœnam 25. ducatorum, & suspensionis a perceptione emolumentorum suorum officiorum, applicandorum Basilicæ Sancti Petri: secunda autem vice incurrant pœnam privationis ipsorum officiorum.

Limita, quod hæ pœnæ temporales non obligant in conscientia ante sententiam declaratoriam, & executionem a judice faciendam, ut dixi *prima parte*.

Limita, ut non procedant ista, nisi de provisionibus in Curia Romana: & non procedunt, quando in gratia fuit apposita clausula, ut earumdem supplicationum sola signatura sufficiat, ut patet ex eadem Bulla; neque procedunt de Episcopatibus.

Limita etiam, ut non procedant pœnæ, si bona fide ex sola signatura quis possessionem adeptus, triennio possedisset, quia juvatur regula de triennali, & revalidatur titulus, ut dixi *cap. præced.*

III. Ex Constitutione Urbani VIII. dat. die 20. Julii ann. 1641. statutum est, ne notarii, vacabilia officia non habentes, transumpta litterarum Apostolicarum, vel supplicationum signatarum facere possint, notarii autem vacabilia officia obtinentes, non faciant talia transumpta, nisi postquam ab officialibus sint registratæ litteræ; alias incurrant ipso facto pœnam 100. scutorum monetæ, & falsi, & privationis officiorum; nisi id facerent de licentia Datarii, in scriptis obtinenda.

IV. Innocentius X. in sua Constit. dat. die 3. Februar. ann. 1652. innovavit prædictas Constitutiones Pauli, & Urbani, statuentes, ut nulli notarii ex iis, quibus transumpta facere permissum est, faciant transumpta supplicationum signatarum, vel motuum propriorum, aut ea in actis causarum, aut in expeditionibus, aut supplicationibus inserant, nisi ubi adest clausula, *in Motibus propriis, & supplicationibus, ut sola signatura sufficiat*. Item nec inserere possint in expeditionibus litteras non integraliter expeditas, & registratas, collationatas, & subscriptas, sub pœna latæ sententiæ excommunicationis Papæ reservatæ, & privationis officiorum: & partes iis utentes, incurrant supradictas pœnas latas a Paulo III.

CAPUT IV.

Gratia beneficiorum utentes, litteris non expeditis, extra prætextum mandati de adipiscenda.

EX Bulla Julii III. quæ est 33. Bullar. Laertii, *Sanctissimus*, & referunt *Azor. par.* 2. *lib.* 7. *c.* 1. *quæst.* 2. *Barbos. alleg.* 57. *n.* 248. *de potest. Episc.* statutum habetur, ut impetrantes beneficia a Sede Apostolica titulo collationis, vel confirmationis, aut unionis, aut alio, si ante litteras expeditas dictorum beneficiorum possessionem apprehenderint per se, vel per alium, aut ratam habuerint per alium suo ipsorum nomine apprehensam, sint ipso facto privati omni jure in dictis beneficiis quæsito, & illa beneficia remaneant Pontifici reservata; & ea, una cum fructibus, etiam in conscientiæ foro, restituere teneantur, ut non suffragetur eis regula de triennali: & fiunt inhabiles ad illa eadem per novam provisionem obtinenda.

Adverte, quod hæc Constitutio non loquitur de episcopatibus, sed de inferioribus beneficiis. Adverte etiam, quod istæ pœnæ non incurruntur, quoties non proceditur cum mala fide, sed ex conscientia bona: ideo tunc suffragabitur regula de triennali, ut dixi supra *c.* 2. *cum Sanch. opusc. lib.* 1. *dub.* 29. *n.* 2. & cum aliis Doctoribus: fructus tamen ante litterarum expeditionem percepti, restituendi erunt, ut dicam infra *cap.* 7. nisi præscripti sint.

CAPUT V.

Gratia beneficiorum retinendorum utentes promoti ad Ecclesias, seu monasteria, litteris non expeditis.

EX Bulla Julii III. *citata cap. præced.* statutum est, ut si aliquis promovendus ad Ecclesiam, ut episcopatum, collegiatam, abbatiam, prioratum (cum alias de jure communi vacent ejus beneficia ante obtenta ipso facto post adeptam possessionem talis Ecclesiæ, seu monasterii, ut *c. Cum in cunctis* §. *Primo de elect. c. Presbyteros* 16. *quæst.* 1. *Garzias p.* 1 *t. c.* 6. ubi de Episcopis, & *c.* 7. ubi idem probat de abbatibus, & prioribus, & Prælatis episcopalem jurisdictionem habentibus) si inquam iste obtineat a Papa gratiam retinendi dicta beneficia sua, & talis Prælatus post assecutam possessionem Ecclesiæ, seu monasterii, retineat ea beneficia, litteris non expeditis, tametsi supplicatione signata, incurrit ipso facto in has pœnas: primo tanquam intrusus, fructus non facit suos, sed tenetur ad eorum restitutionem: secundo non juvatur regula de triennali, seu annali: tertio irrita est illa gratia retinendi dicta beneficia, & dimittere tenetur, & ad ea perpetuo inhabilis remanet.

Amplia, ut hæc Constitutio procedat etiam in Cardinalibus promotis ad Ecclesias, vel monasteria, ut patet ex tenore Bullæ ibi, *Si episcopali, patriarchali, aut alia majori dignitate præfulgeat*.

Limita, ut non propterea cadat a jure quæsito per gratiam signatam, & publicatam in Cancellaria super dicta Ecclesia, vel monasterio, dummodo illud non apprehendat, litteris non expeditis, ut dictum ex *c.* 2. quia non est jure cautum; et ratio est, quia Ecclesia, tanquam dignior, et magis principalis, non debet vacare per assecutionem, et retentionem minus principalis beneficii; et ista non est incompatibilitas proprie in primo genere, licet vacent ipso jure beneficia per assecutionem episcopatus, abbatiæ, prioratus, ut supra, *Garz. loco cit. c.* 6. *n.* 43.

CAPUT VI.

Gratia beneficii utens, litteris expeditis, sed sine manu legitimi executoris.

IN *c. Eum, qui de præbend. in* 6. *versic. Insuper*, qui alicujus beneficii provisionem obtinuit, et litteras expeditas accepit, si propria auctoritate absque ministerio executoris possessionem accipiat, intrusus dicitur, et amittit eo ipso omne jus, quod in eo beneficio habebat, de communi sententia testatur *Navarr. consil.* 6. *n.* 1. *de renunc.* ubi etiam ait, quod obtinens Breve executoriale, si litteras non ostendat judicibus deputatis ad executionem, sed ipse per se possessionem accipiat, intrusus est; et allegat Doctores in *c. Super eo, il* 2. *de appell. Rota decis.* 19. *de concess. præb. in novis*.

Limita, ut hæc pœna non procedat in foro interno, quia erit tutus, si litteræ erant expeditæ, et non amittit jus suum, licet peccet: *Navarr. loc. cit. n.* 1. *per c. Si tibi absenti, de preben. in* 6. Et procedit, etiamsi in Brevi executoriali, seu litteris, adsit clausula, *constito tibi prius &c.* quia non requiretur nova immissio, quia non suspendit illa conditio titulum, sed immissionem in possessionem per manum executoris faciendam: et quod illa pœna privationis non liget ante sententiam declaratoriam, ait *Archid. in dict. c. Eum, qui, & ibi Gemin. n.* 6. *in fin. Joan. Andr. & Franc. ibid. in* §. *Insuper, in princ.* Imo, quod ille textus puniat tantum violentam possessorem, et quod iste non dicatur violentus, sed furtivus, tenent *glos. ibi verbo Violento. Joan. Andr. & Gemin. n.* 9. saltem si possessio erat vacua, ut ait *Lapus ibid. &* Fran-

Franchus col. 4. Imo, quod etiamsi non vacuam possessionem ingrediatur, iovitis possessoribus, sed oon resistentibus, non incurrat pęnam illam, ait *Castropalao tom.* 2. *tract.* 13. *disp.* 2. *punct.* 33. *in fin.*

CAPUT VII.

Gratia pensionis utentes, litteris non expeditis tempore legitimo.

I. QUamvis multi Doctores dixerint, pensionarium posse exigere pensionem reservaram in foro conscientiæ per solam signaturam, si certus sit de concessione, seu reservatione, etiam ante litteratum expeditionem, ut *Navar. cons.* 6. *n.* 1. *de renunc. Gigas de pension. quæst.* 34. *n.* 4. *Sarnen. Mandos. Henriq. apud Garziam p.* 4. *cap.* 2. *n.* 35. *&* 36. tameo contraria sententia est vera, et tenenda, saltem attento stylo Curiæ, quia tempore Gregorii Decimitertii cępta est apponi clausula illa, *vigore litterarum desuper expediendarum, nec alias persolvenda*; ut *Garzias n.* 39. Deinde a tempore Sixti V. cępta est apponi clausula illa, *vigore litterarum desuper conficiendarum, nec antea, & alias præsens reservatio nulla sit eo ipso*, *Garzias n.* 41. Deinde a tempore Clem. VIII. cępta est apponi illa clausula, *vigore litterarum Apostolicarum infra novem menses proximos expediendarum, nec alias; & alias præsens reservatio nulla sit eo ipso*. Unde sequitur, quod si pensionarius exigat ante litterarum expeditionem pensionem, vel post expeditionem factam post novem menses; etiam in foro conscientiæ privatur omni jure suo, tenetur restituere percepta, etiamsi postea litteræ expediantur; neque illi clausulæ potest renunciari de consensu partium, quia est ad favorem officialium Cancellariæ, *Garzias n.* 41. & ita sæpius est a Rota decisum, ut *Mantica decis.* 286. *dec.* 300. *per totam, & Rota decis.* 270. *n.* 1. *par.* 2. *recent. Rota decis.* 68. *n.* 4. *par.* 1. *posthum. Farinac. decis.* 387. *par.* 2. *posthum.*

Limita, ut oon procedat illa clausula, seu pœna in pensionibus Palatinorum, seu familiarum Papæ, quia in earum reservatione apponitur clausula, *ut sola signatura sufficiat*, ut *Garzias n.* 34.

Limita secundo, quod facile datur restitutio adversus lapsum novem mensium, ut *Garzias ibi*.

Limita tertio, quod a dicta pœna privationis juris pensionis excusatur, qui bona fide, ignorantia invincibili exegit pensionem ante litteratum expeditionem; quia est lex pœnalis: tenebitur tamen ad restitutionem illorum fructuum perceptorum ante expeditionem litterarum, sed poterit præscribere triennali possessione, seu retentione bona fide: ita *Rota decis.* 387. *n.* 3. *&* 4. *par.* 2. *post Farinac.* Et quamvis *Mantica dict. decis.* 300. dicat, hanc privationem non esse pœnalem, sed ob defectum formæ, ideo non excusari qualibet causa; tamen etiam ipse concedere videtur, excusari ob ignorantiam invincibilem, quia est aliquo modo pœna, ut privatio juris cœpti acquiri. Item oon irritatur dicta reservatio, si ipse intra tempus solvit jura Caucellatiæ; quia illa lex est irritans ob favotem officialium Cancellariæ, ut consequantur sua emolumenta, eisque non fraudentur; unde si eis est satisfactum, cessat finis illius pœnæ, & clausulæ irritantis, *Rota ibi n.* 7. *dict. decis.* 387. *cum aliis ibi relatis*, quia sufficit per æquipollens, esse satisfactum menti Pontificis, *Rota divers. decis.* 15. *n.* 3. *lib.* 3. *dict. decis.* 387.

Limita quarto, ut brevi tempore per novem menses possit purgare moram, litteras expediendo, v. gr. intra 15. vel 16. dies, *Rota ibi n.* 5. *cum Caputaquen. & Sarnen.*

II. Excommuoicationem Papæ reservatam incurrere exigentem, & solventem pensionem, litteris non expeditis post sex menses a die concessionis, seu reservationis, ait *Sanchez lib.* 8. *de matrim. disp.* 29. *n.* 6. *in fin. cum Corduba, Manuele, Vega.*

Sed adverte, quod hoc solum procedit, quando ex pacto præcedenti inter resignantem, & resignatarium esset de pensione sic solvenda conventum; quia tunc incurrunt in pęnas simoniæ confidentialis, ex Bulla Pii V. 85. *Intolerabilis*, §. 3. ot notat *Corduba quæst.* 166. *in fin. Paris. de confid. quæst.* 49. *Garzias par.* 4. *c.* 2. *n.* 45. & procederet, etiamsi solveretur pensio ante dictos sex menses, ex stylo supra relato. Si autem non præcessisset pactum de solvenda pensione sine beneplacito apostolico, vel ante litterarum expeditionem, sed sponte resignatarius solveret pensionem indebitam, non incurrerent in pęnas simoniæ prædictas in foro conscientiæ, quamvis pro foro externo præsumerentur simoniaci confidentiales, ex *dict. Bulla loco cit. Garzias ibid.*

CAPUT VIII.

Gratia subreptio, vel obreptio in Curia Romana.

NOta, quod obreptio, vel subreptio in rescripris gratiæ Principis, vel Legati de latere, vitiat gratiam ipso jure, secus in rescriptis justitiæ, oisi opponente adversario, *Sanchez lib.* 8. *de matrim. disp.* 21. *n.* 3. *Garzias de benef. p.* 8. *c.* 2. *n.* 1. *Paul. Layman lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 22. *n.* 17. *Buratt. decis.* 74. *n.* 6. Item secus in provisionibus, seu concessionibus Ordinariorum, quia ibi non dicuutur gratiam facere, sed ex officio providere, secundum communem Doctorum sententiam, quos allegat, & sequitur *Garzias de benef. par.* 8. *cap.* 3. *n.* 3. quam ostendit procedere etiam in licentiis, & dispensationibus, & absolutionibus a censuris, quæ ab Ordioariis, seu Episcopis conceduntur, ut apud eum *a n.* 3. *ad* 12. Unde infert *n.* 8. *&* 9. cum Auctoribus per ipsum citatis, non dici ordinatum sine dimissorialibus sui Ordinarii, qui dimissorias obtinuit falsa patrimonii, aut bonarum qoalitatum assertione; atque ita ostendit Ordinarii provisionem non irritari ob subreptionem, seu inficiationem circa aliquam qualitatem, etiam a jure communi requisitam; dummodo tamen a jure alias non sit irritata provisio, ex defectu qualitatis illius. Quamvis contraria sententia, scilicet Ordinarii quoque provisionem per subreptionem, vel obreptionem obtentam, nullam esse, sit satis probabilis, quam tenent *Sanch. loco cit. n.* 4. & alii multi apud *Garz. n.* 9. *&* 11. Item, quod absolutio a censura per subreptionem, seu falsam assertionem, circa causam, ob quam lata fuerat, obtenta, sit invalida, tenent *multi DD. quos allegat Garzias n.* 11. & tenet *Sayr. de cens. lib.* 2. *cap.* 21. *n.* 27. ubi plures allegat.

Sed bene distinguit *Rota, decis.* 7. *de sent. exc. in nov. & Vall. decis.* 1. *verb. Absolutio*, ut absolutio ex falsa causa impetita a censura ab homine, valida sit, ut non possit reintrusio fieri, nisi cum nova sententia: secus si sit censura lata a canone, seu a jure.

Amplia primo, quod licet, quando materia gratiæ est dividua, eatenus vitietur gratia ob subreptionem, quatenus intrat subreptio, & eatenus sustineatur, quatenus vera facta est expressio, v. gr. si quis impetravit pensionem super beneficio gravato alia pensione, & non est facta expressio integræ quantitatis illius; erit valida reservatio secunda, quatenus concurrit cum quantitate prioris expressa: tamen si gratia, ut puta pensionis, est concessa sub conditione, v. gr. dummodo remaneant tot titulati, aut cum clausula, nec aliter &c. per subreptionis vitium, etiam in qualibet minima parte, gratia in totum vitiatur, ut *Rota apud Rubeum, decis.* 169. *per totam*.

Amplia secundo, quod subreptio, vel obreptio vitiat gratiam, etiamsi per ignorantiam, & bonam fidem contingat; quia non est pęna, sed defectus intentionis, & voluntatis Principis, *Sanch. n.* 19. *Layman n.* 18. *Filiuc. tract.* 10. *n.* 339. sed quando est dolosa, vitiat in totum: si bona fide, vitiat tantum capitula illa, in quibus contingit veritatis mutatio, *c. Super litteris* 20. *de rescript. c. Si eo tempore, eo. tit. in* 6.

Amplia tertio, quod si gratia sit a Papa concessa ex sobreptione, oon revalidatur, oeque sanatur vitium per causam falsam expressam, ex post facto verificatam; quamvis sanetur defectus gratiæ concessæ a Papa scientet ob causam illegitimam, seu insufficientem, si superveniat causa sufficiens: ita *Sanch. opusc. lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 6. *n.* 14.

Amplia quarto, quod in gratiosis omnis supreptio, etiam minima, vitiat, etiamsi Papa idem esset alias concessurus, *Rot. par.* 1. *noviss. decis.* 435. *n.* 1. cum allegatis: unde sequitur, quod impetrata dispensatio de contrahendo, vel alienando, non juvat pro contracto, vel alienato, vel e contra, *Rota ibi n.* 1.

Item ex hoc sequitur, quod vitium obreptionis non sanatur per supervenientiam qualitatis ementitæ, *Rota Recent. par.* 1. *decis.* 158. *n.* 2. *&* 3.

Amplia quinto, quod est subreptio, sive alias Princeps non esset concessurus, vel non tam facile, *Rota decis.* 70. *n.* 1. *in collec. Farin. de contrac.* ubi etiam *n.* 3. quod ad hoc probandum, an Papa esset difficilius concessurus, inspiciendus est stylus Curiæ: onde si in supplicatione plures causæ fuerunt oarratæ ad facilius impetrandum, omnes sunt verificandæ, ut *dixi par.* 1. *cap.* 30.

Limita primo, quod tunc solum dicitur subreptio, vel obreptio, quando aliquid reticetur veri, vel exprimitur falsum,

fum, ita quod si fuisset veritas expressa, Princeps, judicio prudentum, non censeretur illam gratiam concessurus, vel non eodem modo, ut *Sanchez. disp. 21. n. 17. Garzias par. 6. cap. 2. n.* 200. ubi de communi testatur; vel etiam quando jura, aut stylus Curiæ talem circumstantiam exprimi volunt, tanquam conditionem, sine qua non, *Bellarm. decis.* 698. *Sanch. n. 13. Mascard. de probat. conclus.* 846. *n. 2. Layman n.* 18. quotiescunque enim efficitur per facti alterationem, ut Papa deviet a stylo Datariæ &c. dicitur subreptio, *Rot. decis.* 105. *n. 1. par. 2. Recen. cum alleg.*

Non tamen irritat gratiam subreptio, seu reticentia circa qualitates extrinsecas, quæ neque de jure, neque de stylo Curiæ exprimendæ sunt, etiamsi Princeps, iis cognitis, privata affectione non esset gratiam concessurus, *Sanch. dict. n.* 17. *cum allegat.*

Limita etiam secundo, quod subreptio ob præjudicium tertii sanatur consensu ejus, de cujus interesse agitur, *Rota Seraph. decis.* 268. *n.* 7. ubi plurimos Doctores congerit in *cap. Super eo, de off. deleg.* item tollitur vitium subreptionis a Papa per clausulam, quod non possit dari de subreptione &c. & juvat pro foro externo, donec Papa os aperiat parti in Signatura Gratiæ, *Caputaq. decis.* 218. *par.* 3. *Garz. par. 6. c. 3. n. 98. Gonz. gloss. 66. n. 19. & 53.* An autem juvet etiam in foro conscientiæ ante oris apertionem, negat *Garz. ibi:* sed puto, spectandam esse intentionem Papæ, ut *Caputaq. decis.* 128. *par.* 1. & ad eum pertinet suam intentionem declarare, *leg. Neratius consultus, ff. de reg. jur.*

II. Ex Bulla Pii V. 21. *Cum sicut*, curiales, scriptores, & solicitatores, qui ut facilius dispensationem impetrent, mutant narrationis substantialia, unde gratia redditur irrita, incurrunt pœnas latas contra falsarios litterarum apostolicarum; atque ideo sunt excommunicati, secundum *Gloss. & Cardin. in Clem. de consang. Gig. de pension, quæst. 6. n. 11. Navarr. cap. 27. n. 141. Henriq. lib. 12. de matr. cap. 3. n. 7.*

Sed contraria sententia est communis, quia illa Bulla tantum disponit, eos puniri pœna falsi pro foro externo: neque isti possunt dici falsarii litterarum apostolicarum, neque supplicationis signatæ, sed falsarii narrationis supplicationis solius oblatæ, ideo non incidunt in pœnas falsariorum dictarum litterarum, & supplicationum, inter quas est excommunicatio, ut dixi *supra verbo Falsum*, & ita tenent *Manuel. tom. 1. summ. cap. 239. in fin. Vega tom. 1. summ. cap.* 88. *casu 4. Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 21. n. 58. Filiuc. tract. 16. n.* 185. *Sayr. lib. 3. cap. 11. n.* 5. ubi plurimos allegat.

III. Alii dicunt, dictos impetrantes per subreptionem litteras apostolicas, incurrere excommunicationem latam *in c. Ad falsariorum de crimine falsi*, contra impetrantes litteras falsas, si illi sub nomine alterius facto supplicent, & impetrent litteras: ita tenet *Marius Alter. lib. 5. disp. 7. cap. 5. in princ. tom.* 1. sed contra est tenendum, ut *Sayr. ibid. n. 5. & Filiuc. n.* 186. quia isti dicuntur veras litteras impetrare per falsum extrinsecum, scilicet litteras subreptitias, non autem falsificare.

IV. Subripientes expeditionem litterarum apostolicarum gratuitam, faciendo in eis exprimi, impetrantem habere illas qualitates, ob quas solent litteræ apostolicæ talibus gratis concedi, ut esse commensalem, aut nepotem Cardinalis, aut abbreviatorem, & scriptorem litterarum apostolicarum, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam; & gratia, seu concessio facta per tales litteras, est nulla, ex Bulla Innoc. VIII. Constit. 7. vel xt. *Cum sicut, Barbos. alleg.* 5c. *n.* 118. *Cherubin. in Compend. ejusdem Bullæ, Rota divers. decis.* 176. *n. 1. par.* 3. ubi allegat ad hoc *extrav. Alexandri, & Leonis.*

☞ *Hanc eandem excommunicationem inflixit, nedum in tales mentientes, sed etiam in officiales, prædicta fieri procurantes, seu permittentes Leo X. Constit.* Inhærendo 20. *Febr.* 1517. *nec in articulo mortis absolvendos sine prævia satisfactione: quos insuper perceptione suorum emolumentorum per annum continuum privavit.* ☜

Amplia, ut procedat, etiamsi ille procurasset ad hunc effectum se fieri commensalem, seu familiarem Cardinalis, quia illa qualitas affectata ei non suffragatur, *c. fin. de Verbor. signific. ibi Gloss. verbo Quæsiti propterea, vel recepti, & ibi Joan. Andr. n. 2. Gemin. n. 5. Auchar. n. 5.*

Limita, quod is, pro quo impetratæ sunt tales litteræ subreptitiæ quoad gratuitam expeditionem, si fuit fraudis ignarus, triennalis regulæ beneficio frui poterit, per ea, quæ *Gomez. in reg. de trien. q.* 51. *Sanchez consil. lib. 2. cap. 1. dub.* 31. *n.* 15.

Subripiens litteras gratuito, ficta qualitate personæ oratoris, tenetur restituere officialibus Cancellariæ quidquid solvendum vere erat, non ementita dicta qualitate pro expeditione litterarum; quia salva debet esse merces officialibus: nam etsi litteræ fuerint irritæ, tamen per eos non stetit, & ipsi suam operam impenderunt: secus est in impetrante litteras falsificatas, aut falsante eas, *Navar. consil.* 10. *de sponf. consil.* 29. *de pœnit.* quia nihil tenetur solvere, cum officiales non expedierint litteras veras: item secus in eo, qui per obreptionem, vel subreptionem, compositionem minorem, aut nullam solvit pro dispensatione in Dataria, quia hic tenebitur quidem solvere mercedem officialibus, non tamen compositionem, seu condonationem, quia nulla fuit gratia; & etiamsi impetret postea revalidationem in Pœnitentiaria, non tenetur de jure communi solvere jura ista Datariæ, quia Pœnitentiariæ gratia gratis conceditur, ex *Bulla reformationis Pii V.* & quia solum valet pro foro conscientiæ: ita *Navarr. ibid. & Sanch. lib. 8. dis. 34. n. ult. de matrim.*

Sed hodie in hoc aliud est cautum ex speciali Urbani VIII. Summi Pontificis ordinatione ad coercendam malitiam fraudantium Datariam, ut in certis casibus non revalidet Pœnitentiaria, nisi solutis juribus Datariæ. Restitutio autem, quæ fieri debet officialibus Cancellariæ, fieri debet ipsi collegio Cancellariæ, etiamsi aliqui sint mortui, *Navarr. consil. 10. n. 3. & 6. de injur. & damn. dat.* quia debitum est respectu collegii immediate, & idem manet collegium, per *leg. Proponebatur ff. de judic.*

De subreptione gratiæ beneficii, vel pensionis ob valorem falso expressum, dicam infra *verb. Valor. cap.* 1.

☞ *In decreto Innoc. XII.* Ut occurratur 4. *Jun.* 1692. *relata in ejus Bullario, statuitur, ut si quis ..... —* preces, sive supplices libellos in materia gratiæ, & justitiæ alicui ex Sac. Congregationibus Urbis quomodolibet obtulerit, seu præsentaverit, itaut ab eadem S. Cong. vel in totum, vel in parte fuerint rejectæ, aut alias ipsa S. Cong. mediante præfata præsentatione precum, præventa, manus quomodocumque desuper apposuerit, nequeat ullo modo idem negotium, causam, vel petitionem ad alteram ex Sac. Congregationibus, etiam mediante rescripto Sanctitatis suæ (quod in hoc casu importune, & subreptitie Sanctitas sua censeri voluit extortum) sub quovis prætextu, causa, vel quæsito colore, etiam simplicitatis, & ignorantiæ, deferre, vel alias primam Congreg. sponte a principio aditam declinare: alias rescripta, decreta quæcunque, indulta, gratiæ, litteræ, resolutiones, vel provisiones a secunda, sive altera Congr. impetrata, vel impetranda, necnon litteræ apostolicæ, quas illorum, vel illarum vigore desuper expediri contingeret, haberi debeant omnino pro subreptitie extortis, nulliusque pœnitus sint roboris, vel momenti, nec ullatenus in judicio, vel extra suffragari possint, & valeant, perinde ac si nunquam emanassent. — ☜

☞ CAPUT IX.

Circa gratiæ divinæ efficaciam in doctrinam SS. Augustini, & Thomæ censura.

C*Lem. XII. Constit.* Apostolicæ providentiæ 2. *Octob.* 1733. *in qua, celeberrimæ Constitutionis* Unigenitus *mentione præmissa, ita hujusmodi censuram prohibet —* Nos paterna quoque solicitudine inhærentes, magnopere dolemus, tenebras a dissensionis filiis effusas nondum ex quorumdam mentibus satis esse discussas, sed plerosque etiam nunc intolerabili pertinacia contendere, censuris laudatæ Constitutionis doctrinam SS. Augustini, & Thomæ de divinæ gratiæ efficacia esse perstrictam. Ut igitur nullas charitatis partes, ad revocandos errantes, nobis reliquas faciamus, universis, & singulis christifidelibus, quacunque dignitate, etiam episcopali, & majori fulgentibus, in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus, & sub canonicis pœnis mandamus, ne disputantes, aut docentes sive in scholis, sive in concionibus, sive scriptis editis, sive aliter propositiones defendant, aut enuncient, quæ antedictas Novatorum calumnias firmare, & promovere possint. Mentem tamen eorumdem Prædecessorum perspectas habentes, nolumus, aut per nostras, aut per ipsorum laudes thomisticæ scholæ delatas, quas iterato nostro judicio comprobamus, & confirmamus, quidpiam esse detractum cæteris catholicis scholis, diversa ab eadem in explicanda divinæ gratiæ efficacia sentientibus, quarum etiam erga hanc Sanctam Sedem præclara sunt merita,

 quo-

quominus sententias ea de re tueri pergant, quas hactenus palam, & libere nbique, etiam in hujus Almæ Urbis luce docuerunt, & propugnarunt. Quamobrem fel. recor. Pauli V. & aliorum Prædecessorum nostrorum, ad restringendum dissentionum fomitem, vestigia prosequentes, & saluberrima mandata renovantes, auctoritate quoque nostra omnibus, & singulis superius expressis interdicimus, & prohibemus sub iisdem pœnis, ne vel scribendo, vel disputando, vel alia qualibet occasione notam, aut censuram ullam theologicam iisdem scholis, diversa sentientibus inurere, aut eorum sententias conviciis, & contumeliis incessere audeant, donec de iisdem controversiis hæc Sancta Sedes aliquid definiendum, ac pronunciandum censuerit. Pacem siquidem, quam cum veritate diligendam Dominus præcipit, inter catholicæ Ecclesiæ filios fovere, & communire debemus, & curamus, ut conjunctis, diversatum licet scholarum, studiis, firmius sit adversus erroris insidias præsidium. –

Propositiones proscriptæ circa materiam gratiæ ab Alexandro VIII. die 7. Decem. 1690. sub pœnis in eas docentes &c. & ad praxim deducentes, prout infra cap. 1. verb. Jejunium, *quæ sunt in ordine la*

4. – Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus, & solis fidelibus. –

5. – Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis, nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum; adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficienti. –

6. – Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere a gratia sufficienti – *Libera nos Domine*. –

CAPUT I.

Habitum clerici, vel religiosi militares dimittentes.

I. Clericus in minoribus, etiam non conjugatus, omnino deferens habitum, & tonsuram clericalem, amittit omnia privilegia clericalia, ut dixi *verbo Apostasia cap. 4. in princ. & n. 6.* item clericus in sacris, vel beneficiatus habitum deponens, & secularibus negotiis se immiscens, & tertio monitus, non resipiscens, privatur privilegio Canonis, ut ibi *dixi n. 7.* item clericus in minoribus conjugatus, si in habitu, & tonsura non incedit, amittit omne privilegium clericale, ut dixi *ibi n. 6.*

II. In Bulla Sixti V. 92. *Cum Sacrosanctam*, statutum est, ut clerici, etiam in minoribus, vel prima tonsura, beneficia, aut pensiones obtinentes, etiam conjugati, aut exempti, tonsuram, & habitum clericalem, vestes scilicet talares; vel si milites sint, habitum suæ militiæ convenientem deferre debeant; & in futurum talibus solum beneficia conferri, aut pensiones reservari possint, qui actu clerici existant, in habitu clericali, & tonsura, vel militibus in habitu suo convenienti incedentibus: alias provisio, seu reservatio sit nulla: & hoc quidem, ut prærequiratur clericatus, est certum, etiam de jure communi, alias collatio est irrita, *Garz. par. 7. cap. 1. quæst. 1. & n. 15. Eman. Sa, verb. Benefic. num. 32.*

Item, ut clerici, si habitum, aut tonsuram non gestaverint, & milites habitum suæ Religionis, ut supra, ipso jure sint privati omnibus beneficiis ecclesiasticis, nulla monitione, aut sententia expectata, & beneficia habentes talibus pensionibus gravata, non teneantur ulterius eas solvere; & ea beneficia sic amissa perpetuo remaneant collationi Sedis Apostolicæ reservata.

Amplia, ut ad has pœnas sufficiat, si quis semel in publico sine causa rationabili incedat sine habitu clericali, seu militari, *Garz. par. 7. cap. 1. num. 1. Vrvald. in dictam Bullam num.* 10.

Limita, quod Sixtus V. in alia Bulla *Pastoralis* §. 6. declaravit, pensionarios non teneri ad habitum clericalem, nisi postquam pensiones exigere cœperint, vel per eos steterit, quominus exigant, vide *Garziam de benef. par. 1. cap. 5. num.* 13.

Limita secundo, ex eadem Bulla §. 2. declaratum esse a Sixto V. ut non contineantur in dicta pœna, & præcepto habitum gestandi pensionem habentes, non excedentem 60. ducatos auri de Camera, vide *Garziam num.* 12.

Limita tertio, ut non contineantur familiares Papæ in inferioribus ministeriis deservientes, ut *ibi* §. 3.

Limita quarto, ut nullam pœnam, neque peccatum committat clericus, non gestans habitum, & tonsuram ob aliquam necessitatem, seu ob aliquod grave incommodum vitandum, ut *cap. penul. ibi gloss. verbo Causa timoris de vit. & hon. cleric. Capell. Tholos. decis.* 104. *Cherubin. super ea Bulla Sixti V. 92. Schol.* 2.

Limita quinto, quod etsi ex vi verborum Bullæ videatur hæc privatio ligare etiam pro foro conscientiæ ante declaratoriam, quia infertur defectu conditionis, seu modi requisiti ab initio, & quia videtur pœna mere privativa, non requirens factum hominis positivum ad sui consummationem, & ita *Garzias n. 14. Filiucc. tract. 47. cap. 7. n. 5.* tenent tamen probabile esse, illam pœnam privationis beneficiorum, & pensionum, non habere locum in foro conscientiæ ante declaratoriam, neque teneri ad restitutionem fructuum ante declaratoriam, quia est pœna privans jure quæsito, & possesso: ita *Azor. tom. 2. lib. 8. cap. 10. quæst. 3. Navarr. consil. 3. de vit. & honestat. Ledesma apud Garziam par. 1. cap. 5. n. 14. & Garzias par. 3. cap. 1. n. 24.* ait forte non esse usu receptam eam Constitutionem quoad pœnam privationis, vel incapacitatis ob non delationem habitus, & tonsuræ in tanto rigore. Alii autem dicunt, ad eam pœnam privationis requiri monitionem, & contumaciam pro foro conscientiæ; ita *Castropalao tom. 2. tract. de beneficiis disp. 1. punct. 11. §. 10. n. 10. & Azor. loco cit.* Alii tamen putant, eam pœnam ligare in foro conscientiæ. Certum est, quod beneficiatus poterit denegare pensionem, excipiendo ex hac Bulla, ubi sit usu recepta in hoc rigore: quod est intelligendum, quando incipit pensionarius publice sine habitu incedere, *Garzias par. 7. cap. 1. n. 19.*

☞ *Vide Additionem post cap. 3. hoc eodem verbo.* ☜

CAPUT II.

Habitum Religiosi dimittentes.

Ex *cap. 2. Ne cler. vel mon. in 6.* ut periculosa evagandi materia religiosis subtrahatur, cautum est a Bonifacio VIII. ne de cetero aliquis religiosus tacite vel expresse professus, habitum Religionis suæ dimittat; si quis autem horum temerarius violator extiterit, excommunicationis sententiam incurrat ipso facto, quæ tamen non est reservata. Hunc textum late examinat *Sanchez in decal. lib. 6. cap. 8. a n.* 39. ubi notat, ad hanc censuram incurrendam requiri, ut dimissio habitus sit temeraria, & apta, attentis circumstantiis, ad periculose evagandum: unde si regularis dimittat habitum injuste vexatus, ut fugiat occulte, recurrendo ad superiorem mediatum, cum aliter non possit sibi consulere, si injustitia vexationis sit manifesta, non incurrit in hanc censuram, ut dixi *verbo Religiosus cap. 5. & cap. 7.*

Hinc etiam ait *Suar. tom. 4. de Relig. tract. 1. lib. 3. cap. 1. n. 27.* dimissionem habitus intra claustra, per se loquendo, non esse peccatum mortale, & in omni casu, etiamsi fiat animo evagandi, non inducere pœnam hanc excommunicationis.

Sed quæres, qui possit licentiam dare, seu dispensare ad habitum regularem dimittendum? respondeo, quod si agatur de dimissione ad modicum tempus, ex causa rationabili, potest Prælatus ipsius religiosi licentiam dare, ut *Suar. eod. tom. 4. tr. 1. lib. 1. cap. 5. n. 17.* si autem agatur de dimissione perpetua, ut remanendi in seculo in habitu clericali, solus Papa concedere potest hanc dispensationem, ut *Suar. dict. c. 5. n. 17. Navar. cons. 70. n. 5. & 10. de Regul. & Sanch. in decal. lib. 4. cap. 20. n. 22. in fin.* Et idem dicendum de licentia remanendi sine habitu ad longum tempus, ut *Suar. & Sanch. ibi*: quia inquiunt, esse rem gravissimam, & valde a religioso statu alienam. Neque potest Papa hanc licentiam dare, seu dispensare, nisi ex magna causa, ut cum necessarium judicetur ad subveniendum gravi necessitati parentum, ita *Sanch. dict. cap. 20. n. 22.* vel ad scandala gravia avertenda, *cap. Deus qui, de vit. & honest. Cler.* vel causa gravis infirmitatis, quando aliter commode curari non potest, ut patet ex *formula Sacræ Pœnitentiariæ, tit. facultas absolvendi, & dispensandi, cap. 6.* & per ea, quæ *Sanchez lib. 6. in decalog. cap. 7. n. 82.* item ob graves molestias, & persecutiones in sua Religione, & dissensiones, cum magna difficultate inveniendi benevolos receptores in alia Religione, etiam laxiori, ut *Sanch. ibi cum Navarro*: item, quoties id necessarium esset pro magno bono publico patriæ, seu Regni, seu Ecclesiæ, seu pro salute spirituali populi alicujus, ut conversione ad fidem, ut *Menoch. de arbit. casu 504. n. 16.*

16. & facit *dict. cap. Deus, qui*. Quod si Papa prædictam dispensationem concederet sine justa causa, talis religiosus non esset tutus coram Deo, quia agitur de obligatione juris divini: ita *Menoch. ibi n. 1. Sanch. dict. cap. 7. n. 51. & 67.* Ad modicum autem tempus potest concedi licentia, etiam ex causa non gravi, sed mediocri, quia habitus non est de substantia religiosi status, ita *Suar. n. 13. & 15.* Unde poterit etiam interim officia sacerdotalia exercere, ut *dict. cap. Deus*: potest tamen etiam Prælatus concedere licentiam habitum deponendi ad longum tempus, indirecte, seu in consequentiam, quando necessarium fuerit ad exequendum munus sibi injunctum ab eodem, ut si mittat eum ad prædicandum inter hæreticos, seu infideles, ut *Suar. dict. cap. 5. n. 17. lib. 1. tom. 4. de Relig.* per *dict. cap. Deus, qui*: aliter vero licentiam dare non potest superior, ut *Triden. sess. 25. cap. 19. de Regul. & sess. 14. cap. 11. de ref.* Adde, quod neque religiosus, effectus Episcopus, potest dimittere habitum suæ Religionis, alias incurrit in prædictam excommunicationem, ut tenet magis communis DD. sententia apud *Sanch. lib. 6. cap. 6. num. 23.*

CAPUT III.

Habitum prophanum clerici, & religiosi gestantes.

I. IN *Clem. 2. de vit. & honest. cleric.* Clemens V. in Concilio Viennensi statuit pœnas contra clericos, & religiosos virgata, vel partita veste publice utentes, idest diversis coloribus texta, seu varia, *Suarez de censur. disp. 31. sect. 3. n. 1.* vel ut alii dicunt, veste bordata, scilicet virgis diversi coloris ornata; ita *Avila tract. de suspens. disput. 5. dub. 8. casu 11. Henriq. lib. 13. c. 39. n. 3. lit. A.* Pœnæ autem sunt ibi latæ sententiæ, scilicet contra clericos beneficiatos, suspensio per sex menses a perceptione fructuum beneficiorum suorum; contra non beneficiatos non sacerdotes, inhabilitas per sex menses ad obtinenda beneficia ecclesiastica. Contra dignitates autem, aut personatus, aut beneficium curatum habentes, est suspensio per annum a perceptione fructuum suorum beneficiorum. Contra sacerdotes vero, & religiosos, inhabilitas per annum ad beneficia obtinenda.

II. Item in *eadem Clementina* prohibetur, ne dignitates, aut personatus, aut curati, aut sacerdotes, aut religiosi infulam, aut pileum lineum publice portent in capite, alias easdem pœnas respective ipso facto incurrant. Intelligunt autem Doctores pileum lineum, pileolum, seu birretum lineum, quale est quod nocte haberi solet, ut *Card. ibid. Angel. verbo Clericus 4. n. 2. Sylv. verbo Clericus 2. num. 1. & alii.*

Limita autem, dictæ Clementinæ omnes supradictas pœnas, & prohibitiones, ut non procedant, si ex rationabili causa prædictæ vestes gestarentur, ut infra dicam.

III. Item *in eadem Clementina* prohibetur supradictis usus epitogii, seu tabardi soderati usque ad oram, & ita brevis, quod vestis inferior notabiliter videatur: & statuit, ut clerici seculares, & religiosi administrationem habentes, teneantur intra mensem illud dare pauperibus; alii autem religiosi superioribus illud consignare: alias beneficiati, modo, distinctioneque prædicta, suspensionem, alii vero inhabilitatem respective incurrant eo ipso: sed hoc etiam limita, nisi ex rationabili causa illud gestaretur, ut *Cardin. ibi*, & intellige, quando publice utantur, secus si domi, ut Doctores supra citati exponunt.

Nota, quod licet aliqui Doctores dicant, pœnas dictæ Clementinæ esse desuetas, ut *Henriq. & Avila loco cit.* tamen contra est *Triden. sess. 14. cap. 6. de ref.* ubi dictam Constitutionem innovat.

☞ *Addit etiam, ut si postquam dicti omnes moniti fuerint, etiam per salum publicum edictum, talem habitum non deposuerint, coerceri possint per suspensionem ab ordinibus, & beneficia, ac fructibus beneficiorum: & si semel correcti, iterum deliquerint, etiam per privationem officiorum, & beneficiorum.*

Ex Clementina 1. Ne in agro §. Si quis *de statu Monachor. monachi nigri non utentes vestibus præscriptis, si sunt superiores, suspenduntur per annum a beneficiorum collatione, si subditi, suspenduntur ab administratione: quam si non habent, redduntur inhabiles tam ad ipsam, quam ad beneficium ecclesiasticum, quæ est lata sententia.*

Nota etiam, quod licet clerici in minoribus non beneficiati, non teneantur incedere in habitu clericali, si tamen incedant in habitu, & tonsura, & supradictas vestes ferant, incurrunt in easdem pœnas, ut constat ex *eadem Clem. Angel. & Sylvest. loco cit. num. 2.*

IV. Ex *Concilio Constantiensi* sub Martino V. *sess. 43. in fin. tit. de vita, & honest. cleric.* prohibetur clericis, & Regularibus, ne manicas ad cubitum pendentes, & longas vestes cum magna, & sumptuosa superfluitate, etiam fissas retro, & in lateribus cum fodraturis ultra uram excedentibus, habeant, dum intersunt divinis officiis: & contra facientes beneficia, vel officia in Ecclesia habentes, pro qualibet vice incurrant eo ipso suspensionem a perceptione proventuum ecclesiasticorum per mensem; & fructus fabricæ illius Ecclesiæ applicentur: vide de hac re *Bernard. Diaz. cap. 78. num. 5. praxis.*

☞ *Hodie ex Constit. Bened. XIII.* Catholicæ Ecclesiæ 6. Non. Maji 1725. *quicunque beneficiati in hoc delinquentes, privari possunt beneficiis per citationem, domi dimissa copia, si sint in diœcesi; vel ad valvas, si extra: & beneficia reservantur provisioni S. Sedis, juxta Constitut. Sixti V.* Cum sacrosanctam.

Insuper ex mero facto incessus in habitu laicali, etiam absque prævia sententia declaratoria privationis beneficiorum, ac etiam nulla præmissa citatione, aut monitione, ipso facto privantur omnibus fructibus, quos sub pœna lethalis culpæ illico tenentur integros restituere in commodum fabricæ Ecclesiarum, in quibus beneficia erecta sunt; sublata facultate & ipsi majori pœnitentiario eosdem condonandi.

CAPUT I.

Hæresis externa.

I. HÆresis per actum externum inducit, primo pœnam excommunicationis jure communi latam, *cap. Acatius 24. quæst. 1. cap. Ad abolendam, cap. Excommunicamus il primo, de hæreticis cap. Noverit, de sent. excommun.* quæ licet ex prædictis locis non sit reservata, ut notat *Cajet. verbo Excommunicatio, cap. 1. Sanchez lib. 2. in decal. cap. 9. n. 2. Navar. cap. 27. n. 52. & consil. 1. de constit. n. 41. quæst. 14.* tamen hodie reservatur Papæ in Bulla in Cœna Domini *cap. 1.*

☞ *Neque absolvi potest ab alio, licet potestatem habeat absolvendi ab omnibus casibus Papæ reservatis, ut concedi solet tempore Jubilæi, nisi expressa mentio de ea facta fuerit, ex Decreto Alexand. VII. 23. Mart. 1656.*

Item dicendum de casibus contentis in Bulla Cœnæ, nisi exprimantur in concessione, ut probat P. Theodorus a Spiritu Sancto de Jubilæo cap. 9. num. 20. §. 2. ☜

II. Hæreticus efficitur infamis infamia juris, *cap. Alieni 2. quæst. 7. cap. Infames 6. q. 1. Sanch. lib. 2. cap. 26. a n. 1. Farinac. de hæresi quæst. 189. n. 56.*

III. Irregularis quoque efficitur hæreticus, *cap. 2. de hæret. in 6.* ubi dicitur, hæreticos ad nullum officium ecclesiasticum admittendos, & irritum decernitur, quod in contrarium actum fuerit: & expressius in *Epistola 22. Innoc. I. cap. 1. ad Episc. Maced.* ubi etiam revertentes ad fidem catholicam ab hæresi, remanent irregulares, ut promoveri nequeant; & est communis sententia: vide *Sanchez lib. 2. cit. cap. 25. n. 2. Layman tractatu de irregular. cap. 4. nu. 11. in fine.*

Hoc tamen dictum multi limitant, ut reversus ad fidem catholicam, non sit irregularis, si hæresis non fuit notoria, ut *Layman loca cit. & Sayr. lib. 7. cap. 12. n. 16. Garz. de benef. p. 11. cap. 10. n. 83. cum seq. Avila, Philiarc. Perez. Eman. Sà, Henriquez, apud Sanctarell. tract. de hæresi cap. 25. n. 2.* idem tenent *P. Cornejo, Hurtado, & Tanner. apud Dian. par. 4. tract. 2. resol. 46.* sed contraria est probabilior, & communior, quam tenet *Suar. de cens. disp. 43. sect. 1. Sanch. Sanctarel. & Diana loc. præalleg. cum aliis DD.*

Item aliqui limitant, ut non procedat in conversis, etiam ab hæresi notoria, in regionibus palam infectis, ubi hæreses impune grassantur, *Navarr. consil. 1. de constit. q. 14. n. 42. Layman tract. de irregul. loco cit. c. 4. n. ult. in fin. & lib. 2. tract. de fide cap. 16. n. ult. §. 6. Sanch. lib. 2. c. 9. n. 9.*

IV. Privationem etiam incurrunt hæretici omnium officiorum, & beneficiorum ecclesiasticorum, *cap. Miramur 24. quæst. 1. cap. Ad abolendam §. 1. de hæret. Sanch. lib. 2. cap. 26. n. 6. Suarez de fide, disp. 21. sess. 5. n. 20.* & inhabilitatem ad omnia illa, & similia: sed multi limitant, ut procedat

cedat de hæresi publica tantum, *Sanch. cap. 26. n. 1. Garz. par. 11. cap. 10. n. 81.*

☞ *Circa privationem beneficiorum notandum, quod ex decreto Cong. univers. Inquisitionis emanato* 18. *Jul.* 1558. *& relat. a Ludovico de Ameno de delict. & Pœn.* tom. III. tit. 2. §. 7. num. 53. *quantum ad titulum privantur statim a commisso crimine absque ulla declaratione judicis : quantum ad possessionem vero, requiritur declaratio de crimine hæresis patrato ; quia cum in cap.* Ad Abolendam 9. *de Hæret. dicatur* — Si clericus est, totius ecclesiastici ordinis prerogativa nudetur ; & sic omni beneficio, & officio spoliatus ecclesiastico secularis relinquatur arbitrio potestatis animadversione debita puniendus --, li *nudetur*, & *puniendus* sunt verba futuri temporis, ideoque indicant, & requirunt factum judicis. -- ☜

Item privationem incurrunt omnium officiorum publicorum, & dignitatum laicalium, & inhabilitatem ad hujusmodi consequenda, *leg. Infamiam, C. de decur. lib. 10. cap. Ut commissa, §. Privandi, de hæret. in 6. Sanch. lib. 2. cap. 26. n. 6.*

☞ *Quæ autem sint hæc officia, recensentur in c.* Excommunicamus 13. §. Credentes *de Hæret. & circa eorundem privationem, attendenda est eadem distinctio, ut supra de beneficiis, de Ameno* loco cit. num. 54.

Circa Regulares vero hæresis reos, pœnitentiatos a S. Officio, vide infra cap. VI. verb. Hæresis. ☜

Item incurrunt privationem omnium bonorum, & jurium suorum, & actionum, quæ confiscantur ipso jure, *leg. Manichæos §. 1. C. de hæret. cap. Excommunicamus, il 1. §. Damnati de hæret. cap. Cum secundum leges de hæret. in 6. Clemen. 2. eod. titul. Suarez de fide, disp. 22. sect. 2. Sanch. lib. 2. cap. 22. n. 7.*

Hinc etiam hæretici privantur jure patriæ potestatis in suos filios ; & sic filii ipso jure sunt emancipati, & sui juris effecti, *cap. 2. §. fin. de hæret. in 6.* uxor, aut vir liberatur a subjectione, & obligatione debiti matrimonialis ; & si judicio Ecclesiæ talis fuerit separatus, tunc, etiam marito, vel uxore ad fidem catholicam reverso, non tenebitur reddere debitum conjux innocens, si religionem ingredi malit, *cap. ult. de convers. conjug. Sanchez lib. 2. cap. 24. n. 6. Layman lib 4. tract. de fide, cap. 16. n. 4. §. 6.* Similiter servi liberi fiunt, & subditi solvuntur juramento fidelitatis, & jure subjectionis, *Sanchez lib. 2. cap. 24. n. 13.*

Limita, quod præfatæ pœnæ temporales non procedunt contra hæreticos regionum palam infectarum ; *Navarr. cons. 12. n. 10. & 12. de hæret. Henriq. lib. 14. cap. 5. n. 4. Layman lib. 4. tract. de fide cap. 16. §. Sexta est, & tract. de irregular. cap. 4. in fin.* quando scilicet sunt tolerati, nec est bellum indictum : neque procedit de bonis fidelium sub Principe hæretico, vel infideli, etiamsi bellum sit indictum, ut de bonis christianorum subditis Regis Angliæ, vel turcis : vide infra *verbo Schismatici cap. 1.*

V. Immunitate ecclesiastica loci sacri non fruitur reus hæresis, ex Bulla Gregorii XIV. de qua dicam *verbo Immunitas cap. 1.*

VI. Inhabilis semper remanet ad confessiones secularium audiendas sacerdos, qui semel poblice, vel secrete abjuravit de hæresi formali ; etiamsi ei fiat generalis abolitio, seu gratia, ex decreto Pauli IV. relato a *Majolo lib. 5. cap. 46. n. 3. & 6.*

VII. Item, si quis fuerit deprehensus semel in schismate, vel hæresi, vel confessus, vel convictus de his, talis in Pontificem Romanum nunquam eligi potest, alias electio esset nulla ; neque tractu temporis, aut longa possessione revalidabitur ; & quilibet, quandocunque apparuerit hoc crimen, ab ejus obedientia discedere potest, nulla super his declaratoria expectata, ex Bulla Pauli IV. 19. *Cum ex Apostolatus* : & sic habes unam exceptionem, quæ potest opponi contra electionem Papæ, licet regulariter nulla objici possit : & de hoc vide *Azor. lib. 4. c. 5. quæst. 7. p. 2.*

VIII. Denique hæreticus moriens, privatur ecclesiastica sepultura : de qua te vide infra *verbo Sepultura cap. 4.* ubi de pœna sepelientis hæreticum ; & de alia, quod locus ille perpetuo remanet pollutus, & irreconciliabilis, *cap. 2. de hær. in 6. in princ.*

IX. Filii hæreticorum diversas pœnas incurrunt, ut dicam infra *cap. 3.*

X. Relapsus in hæresim, quam abjuravit, vel postquam se purgavit a suspicione vehementi, tradendus est Curiæ seculari, puniendus ab illa, *cap. Ad abolendam §. Illos quoque de hær.* sed si erat solum suspectus leviter, si relabatur, non est pœna relapsorum puniendus, *cap. Accusatus de hæret. in 6.*

☞ *Ad hæresim externam spectat nedum externa tantum fidei negatio ad evitanda dira supplicia, & mortem, sed etiam simulatio falsæ religionis, verbis, aut factis, ut cum communi optime demonstrat clarissimus Auctor Paulus Gabriel Antoine, Societ. Jesu* in Tractatu de virtutib. theolog. cap. 3. *& insignis theologus Philippus de Carboneano, meritissimus Provincialis Romanæ Provinciæ, Ord. Minor. Regul. Observantiæ, a quo in fine cit. cap. enumerantur capita, quibus, vel facto, vel implicite catholica fides violari videtur ; quæque placet hic transcribere.*

-- Primo itaque fidem facto suo negare dicitur, qui ea faciat, quæ ad falsi numinis, hæreticique hominis obsequium, & cultum referantur ; is enim facto suo falsam religionem profitetur : atque hanc ob rem sup. Inq. decretis an. 1626. & an. 1669. definitum est, nullo modo licere christianis, nec ulla causa, aut motivo posse permitti, aut tolerari, ut operam suam navent, ædificandis, instaurandis, verrendisque templis, falsis numinibus, vel auctoribus falsarum sectarum dicatis ; aut eorumdem purgandis parietibus, & pavimentis, mundandis altaribus, aperiendis, claudendisque foribus. Atque hinc sequitur, rei de se malæ operam dare, ac facto negare fidem, qui idola, quæ infideles colant, construant, vel falsi numinis imagines pingant ; quippe falsis numinibus famulatum præbent, iisque, si non per se, per alios saltem, obsequium, cultumque exhibent.

Secundo, facto fidem negat, qui ea faciat, quæ ritum falsum, sacrilegumque cultum comprobent, ratumque habeant : id enim est fidem orthodoxam, quæ hæc damnat, contemnere, falsamque religionem opere profiteri. Ratum vero habent ritum, falsumque cultum, qui in schismaticorum, hæreticorum, infideliumque templis, organa, vel alia instrumenta pulsent, metros canant, aut concinendos componant, vel artem musicam alio modo exerceant .... *Vide Constit. Bened. XIV. — Omnium sollicitudinum.* —

Tertio, qui facto aliquo orthodoxam religionem in odium fidei contemnat : ut qui, imperante infidele principe, in catholicæ fidei contemptum sacros ritus spernat, carnes, quo prohibentur tempore, comedat, immolatis utatur, christianorum templa evertat, ex equo descendat, dum ante fores transit templi idolorum, ex decret. suprem. Inq. 1674. Is, & fidei professionem omittit, quam vigente illo principis præcepto, quod vim interrogationis habet, palam facere debet, & fidem ipsam exteriori contemptu negat.

Quarto, qui vestem induat, quæ ex instituto hominum, usu recepto, & approbato, falsæ sectæ professorem, sive falsæ religionis ministrum designet, ut lineam vestem talarem, quæ mahumetanis sacerdotibus est propria, vel fasciam quandam, qua apud Indos idolorum sacerdotes utuntur : is enim hoc modo falsæ sectæ professorem sese ostendit, ac virtualiter saltem, fidem negat : decret. suprem. Inq. 8. Julii 1630.

Quinto, qui nomina turcica, quorum nec memores esse deberent per labia sua, assumunt : abominanda infidelium templa, quæ moschæas vocant, frequentant : ecclesiasticorum jejuniorum dies carnium esu profanant, & hæc eo fine, ut mahumetani credantur, opera faciunt ; quæ mendacium in re gravissima continent, & virtualem fidei negationem, maxima cum Dei injuria, proximique scandalo, includunt : quemadmodum legitur Constitut. — *Inter omnigenas — tom. 1. Bull. pag. 32. in qua SS. D. N. Bened. XIV.* abusus damnat nonnullos, fidei puritati contrarios, qui in Regno Serviæ, finitimisque regionibus in christianam religionem irrepserunt ; atque decernit, eos -- *qui obstinate in hujusmodi via impiorum pergere velint, incapaces esse sacramentorum in vita : & si impœnitentes decesserint, suffragiorum post mortem ; ad quæ nullus Ecclesiæ minister illos admittere præsumat ; alioquin a proprio Episcopo canonicis pœnis plectendus erit.* --

His iisdem pœnis contentis in can. 3. Concilii *Albaniæ celeb. an. 1730. sub Clem. XII. dictus Bened. Constitut.* Quod Provinciale 1. *Augusti* 1754. *multandos præcipit christifideles Provinciæ Albaniæ sub turcarum ditione versantes, qui turcicis, seu mahumetanis nominibus, quæ nunquam sibi imposita fuerant, ob quamcunque, vel tributorum exemptionem, & immunitatem, vel liberi commercii commodum, vel evitan-*

tandarum pœnarum caufam fe nuncupari — patiuntur.

Sexto, qui ritus ufurpent falfæ religionis proteftativos, hujufmodi ufu errores contra chriftianam fidem, quos indicant, fefe approbare demonftrant, ac falfæ fectæ profeffores exterius manifeftantur. — *Vide cit. Conftit. Inter omnigenas.* —

Nota, fi ritus indifferentes occurrant, tutius eft, ut catholici, quoad fieri poffit, ab illis abftineant, ne cultu peregrino, & Ecclefiæ catholicæ ignoto, verum Deum venerentur. Nunquam vero licet: — *Gentilium ritus adoptare, eofque in chriftianos ufus convertere, inconfulta Apoftolica Sede*, — ut Conft. decernitur antea laud. — *Omnium folicitudinum.* —

Implicite contra orthodoxæ fidei confeffionem peccat, qui dum debitus Deo honor id poftulet, libere orthodoxam fidem non profitetur, fed tacet, atque filentio fuo alios in fufpicionem ducit, fe, vel fidem negare, vel eam profiteri erubefcere: in Deum enim injuriofus eft, qui veritatem ab ipfo revelatam libere confiteri erubefcit. Primo ita peccat, qui interrogatus a publica poteftate de fua religione, taceat. 1. fi interrogatio fit in odium Religionis: fi enim ob politicas ftatus rationes fieret, ut pecunia v. g. a catholicis extorqueretur, debitus Deo honor ex confeffionis filentio non fubtraheretur. 2. fi filentium, attentis circumftantiis, non appareat omnibus implicita orthodoxæ fidei confeffio.

Secundo peccat etiam, qui interrogatus a privata perfona, fidem palam non fateatur in iis circumftantiis, in quibus, confeffionis omiffione, Deus injuria afficeretur, & proximus pateretur fcandalum (hæc enim duo femper vitare tenemur): ut fi interrogatus, profpiceret ex fuo filentio, fluctuaturos in fide catholicos audientes, vel infideles chriftianos derifuros, quod fidem chriftianam palam confiteri erubefcerent.

Tertio: quamquam perfecutio in odium fidei adverfus orthodoxos excitata in Deum injuriofa fit, & interrogationem, quæ ad fidem confitendam cogit, involvat; tamen, ut optime Auctor demonftravit, qui eam fuga declinare ftudeat, non modo non negat, fed ipfo facto fidem quodammodo fatetur. Fuga autem non modo licita, fed quandoque etiam neceffaria eft. 1. Quoties fideles timent, prævidentque periculum fuccumbendi tormentorum atrocitati, fidemque negandi: nam qui hujus periculi confcius, tyranni fævitiam non devitaret, Deum tentaret, qui ficut non deficit in neceffariis, ita non abundat in fuperfluis. 2. Quando perfona neceffaria, ac maxime utilis fit communi Ecclefiæ bono, ut Auguftinus *tract. 46.* in *Joannem* exemplo demonftrat Apoftoli Pauli, qui ob Ecclefiæ utilitatem fe furori Præpofiti Damafci fubduxit. 3. Declinandum martyrium eft, dum prævideatur nemini profuturum, fed tyrannum magis irritandum fore, & crudelius in chriftianos fævirurum. 4. Licite etiam Epifcopi, parochi, & miffionarii fugiunt, ac quandoque fævientem tyrannum declinare debent, fi in ipfos folos fæviat, ac alii miniftri adfint, qui relictis ibi chriftianis fpiritualia fubfidia fuppeditare poffint. — *Manifeftum eft*, — inquit *S. Thom. lect. 3. in cap. 10. Joan.* — *quod fi quæratur fola perfona Prælati, poffunt alii loco ipfius ad gregis cuftodiam deputari, qui vice fui confolentur, & gubernent gregem: unde fi fic fugiat, non dicitur dimittere oves; & hoc modo, & cafu fugere licet.* — Imo expedit aliquando hæc fuga, fi ea impediri poffit, ne tyrannus in alios quoque chriftianos fæviat; vel fi redire poffe fperent majori cum fructu. Sed paftoribus, facrifque miniftris fugere non licet, fi oves eorum indigent fpirituali fubfidio, fi periculum fit, ne difpergantur, & fidem amittant, ac fi ex eorum fuga fcandalum paterentur fideles, atque infideles contemnendi Religionem occafionem fumerent: tum enim non folum charitatis, verum etiam juftitiæ debito tenentur rudes inftruere, dejectos roborare, & erigere, nutantes confirmare, omnefque ad dimicandum totis viribus, pro Dei gloria, & honore adhortari. Hinc propofito dubio, — *An ad evitandum periculum, liceat miffionariis a miffione difcedere abfque licentia Sacræ Cong.?* — an. 1646. Sac. Cong. de Propaganda Fide refpondit, — *Tempore perfecutionis, effe magis neceffariam paftorum præfentiam, ne fideles pervertantur.* —

Quarto, dum infideles, vel hæretici facras imagines conterant, & crucifixum contumeliis afficiant, tenentur fideles palam orthodoxam fidem profiteri; debent enim, quoad fieri poffit, injuriam Deo, & facris imaginibus irrogatam propulfare, ac per publicam confeffionem palam facere, orthodoxam fidem, facrafque imagines honore dignas effe. Seclufo vero periculo contemptus, licet miffionariis facras imagines donare infidelibus, qui iis delectentur, tum amicitiæ, pacifque fovendæ gratia, tum ad eos alliciendum ad amplectendam fidem, ex decret. fuprem. Inq. 1674. Nefas vero eft, ex eodem decreto, iis facros libros, ac vafa facra tradere, qui in Religionis contemptum uti poffint.

Quinto, dum infideli, vel hæretico magiftratu imperante, chriftianorum Ecclefiis, ædibus, aliifque locis libelli affiguntur, orthodoxæ Religioni detrahentes, eamdemque contumeliis, & calumniis deturpantes, orthodoxi præcepto illo, quo illatam Deo injuriam vindicare, ac fublatum ei honorem reftituere tenentur, in ea neceffitate conftituuntur, ut fchedas auferre, libellis refpondere, ac ad judices delati, palam orthodoxam fidem profiteri debeant. At fcripturis, quæ non publica auctoritate, fed privata fiunt, quæque evangelicos miniftros injuriis, calumniifque afficiunt, & orthodoxæ fidei adverfantur, miniftri facri contraria opponere non prohibentur; dum tamen inde imminere non videant gravioris perfecutionis periculum. Satius tamen erit injurias, calumnias, & blafphemias patienti animo ferre, ac negative fe habere, fuprem. Inquif. decret. 1674. ☜

☞ *Notanda infuper funt fequentia ad hanc eamdem materiam fpectantia.*

— *Feria V. die X. Maji MDCCLIII. in Congreg. generali Sanctæ Romanæ, & univerfalis Inquifitionis Sancti Officii &c.*

Super dubiis propofitis a quodam miffionario civitatis Tenos in Peloponnefo, & a Sacra Congregatione de Propaganda Fide ad S. Officium trafmiffis per ejus R. P. D. Secretarium die 24. Martii ejufdem anni: Sanctiffimus, auditis votis Eminentiffimorum, decrevit.

Ad primum, nempe: *an liceat catholicis latinis concedere, vel permittere, ut in eorum Ecclefiis miffam celebrent presbyteri græci ritus, fchifmatici, & hæretici, atque hos admittere in funeribus catholicorum defunctorum.* Quoad primam partem dicti dubii refpondendum: *non licere:* maxime cum Patriarchæ Conftantinopolitani commemorationem faciant, & feftum celebrent infamis Palamas: id enim perinde eft, ac confentire eorum hæreticis ritibus, & communicare cum eis in eorum facris, fchifmatico, & hæretico furfure pollutis; aut faltem occafionem præbere catholicis ad latinas intervenientibus Ecclefias communicandi cum hæreticis in divinis rebus, aut ad minus fcandalum concipiendi. Quo vero ad fecundam partem ejufdem dubii, quatenus fchifmatici comitantes funera catholicorum, *meram præfentiam materialem* exhibeant caufa honoris civilis erga defunctos, non fe immifcentes precibus, ac ritibus catholicis, quibus mos eft funera offerre, & defunctos ad fepulchrum deducere, *tolerari poffe:* quatenus vero in illa functione *proprios ritus adhibeant*, vel noftris fe immifceant, *non licere*, *nec effe permittendum.*

Ad fecundum, nempe: *an liceat catholicis græci ritus, non habentibus catholicam Ecclefiam ejufdem ritus, communicare in divinis cum græcis fchifmaticis, & hæreticis: non licere:* quia in cafu propofito confugere poffunt ad Ecclefiam catholicam latinorum, & in defectu facerdotis catholici ritus græci a facerdotibus latinis facramenta fufcipere.

Ad tertium, nempe: *an liceat confeffariis, vel facerdotibus latinis adminiftrare Sacramentum Pœnitentiæ græcis catholicis, communicantibus in divinis cum græcis fchifmaticis:* non licere extra cafum extremæ neceffitatis.

Pro majori vero inftructione ejufdem miffionarii, aliorumque miffionariorum, tranfcribi mandavit id, quod Sanctiffimus ad materiam docuit in ejus tractatu de Synodo Diœcefana *lib. 3. cap. 5. ibi*, & nihilominus ea eft mifera noftrorum temporum conditio, ut multis in provinciis, in quibus hærefes, aut dominantur, aut graffantur impune, duram catholici fubeant neceffitatem cum hæreticis converfandi, & familiariter agendi. Verum, quamvis juxta præfentem difciplinam, inductam a Martino V. in celebri Extravagantium, *Ad evitanda*, de qua nonnulla inferius, liceat catholicis cum hæreticis, modo non fint expreffe, & nominatim denunciati, libere converfari, & cum iifdem communicare in rebus mere prophanis, & civilibus; non idcirco tamen arbitrari debent catholici, fas quoque fibi effe cum iifdem hæreticis confortium habere etiam in rebus facris, & divinis: fiquidem Paulus V. poft maturam rei difcuffionem, neutiquam licere definivit, catholicis regni Angliæ hæreticorum templa adire, ritibufque intereffe, quos inibi exercent, uti legere eft in duobus decretis ab eodem

N n Pon-

Pontifice editis, uno scilicet anni 1606., altero anni 1607., quæ referuntur a Cardinali Lauræa *in 3. sentent. part. 2. tom. 3. disp. 11. art. 9. §. 4. n. 292.* Haud equidem ignoramus, non deesse theologos, ab omni culpa absolventes catholicos, qui cum hæreticis, & schismaticis, nominatim non denunciatis, communicant in divinis, atque etiam sacramenta ab iisdem recipiunt, dummodo hæ simul concurrant rerum circumstantiæ: primo scilicet, ut ad prædictam communicationem catholicos adigat gravissima, & urgentissima causa: secundo, aut hæretici, aut schismatici, a quibus sacramenta exposcunt, sint valide ordinati, & sacra administrent ritu catholico absque ulla admixtione ritus damnati: tertio, ut communicatio cum iisdem in divinis non sit externa protestatio falsi dogmatis, qualis erat ingressus in protestantium Ecclesias, cum catholicis Angliæ illum inhibuit Paulus V., ideo quippe Regis edicta omnes adire jusserant hæreticorum templa, ut tali pacto se cum protestantibus sentire faterentur: quarto demum, ut catholicorum cum hæreticis communicatio in divinis, nulli scandalum ingerat: verum in primis prædicta theologorum sententia suos habet adversarios, neque ab omnibus admittitur tanquam in praxi secura: deinde, ea etiam admissa, cum omnes enumeratæ circumstantiæ simul, & conjunctim adesse debeant, ut catholicorum cum heterodoxis in rebus sacris societas omni vacet culpa, quemadmodum docent Sylvius *in 3. par. Sancti Thomæ tom. 4. quæst. 64. art. 6. quæst. 3. conclus. 3.* Cardinalis de Lugo de Fide *disput. 22. sect. 1. n. 11.* Thomas a Jesu, *tractatu de omnium gentium salute procuranda lib. 8. part. 2. §. 4. vers.* Sed major est difficultas *pag. 556.* Cardinalis Albitius *de inconstantia in fide cap. 18. n. 30. & seqq.* Cardinalis Gottus *in 2. 2. Sancti Thomæ, quæst. 4. dub. 6. §. 3. n. 2., & quæst. 3. de Infidelibus comparate ad fideles dub. 3. §. 2.* ideirco fere impossibile est, usu venire, ut a flagitio excusari valeant catholici sese in rebus sacris, cum hæreticis, & schismaticis admiscentes: quamobrem Sacræ Urbis Congregationes, Sancti Officii videlicet, & de Propaganda Fide, illicitam semper reputarunt communionem, de qua est sermo, doctamque concinnarunt instructionem, Nobis in minoribus tunc degentibus, qualemcunque nostram operam navantibus ad missionarios, cum opus fuerit, transmittendam, ubi rationes expenduntur, propter quas, vix unquam accidere potest, ut in praxi sit innoxia catholicorum cum hæreticis communicatio in divinis. ☙

CAPUT II.

Hæreticorum receptatores, defensores, fautores, & credentes hæreticis.

I. Excommunicationem majorem incurrunt latam in *c. Excommunicamus, il primo, §. Credentes de hæret. & c. Noverit 49. de sent. excomm.* & licet ex dictis capitibus non sit reservata, est tamen hodie reservata in Bulla Cœnæ Domini *cap. 1.* & ad hanc censuram incurrendam non est necesse, quod principalis, idest hæreticus, sit denunciatus nominatim, quia hæ actiones secundariæ per se primo puniuntur, *Sanch. lib. 2. c. 10. n. 6. Suarez de fide disp. 24. sect. 2. n. 7.*

Limita, ut procedat, si dictæ actiones fiant ob causam hæresis formaliter; secus si ob consanguinitatem, vel amicitiam, vel misericordiam, *Sanch. ibi n. 4.* cum communi; nisi talis favor, seu communicatio redundaret in favorem hæresis, *Suarez de fide dis. 24. sec. 1. n. 9. Farinacc. q. 182. n. 132.*

Item receptatores, fautores, & defensores hæreticorum, si communicent cum illis nominatim denunciatis, incurrunt excommunicationem aliam majorem etiam in Bulla Cœnæ, ratione participii in crimine, si communicent cum eo in causa hæresis, seu ob hæresim, *c. Nuper, de sententia excommunicationis*: item incurrunt ratione dictæ excommunicationis, ultra excommunicationem majorem supra dictam, etiam excommunicationem minorem, per *cap. Excommunicamus, cap. Sicut Apostoli, cap. Qui communicaverit 11. q. 3.* quia istæ duæ causæ, & excommunicationes sunt separatæ ab illa primo loco recensita, & non sunt sublatæ, vel transfusæ per *cap. 1. Bulla in Cœna Domini*, ita *Filiuc. tract. 16. n. 39.*

II. Item prædicti incurrunt eo ipso irregularitatem, *c. 2. §. Hæretici, de hæret. in 6. Sanch. c. 25. n. 7. lib. 2. Suar. de cens. dis. 43. sect. 1. n. 5.*

III. Iidem, si per annum insordescant in excommunicatione præfata, eo ipso sunt infames juris infamia, *dict. cap. Excommunicamus, §. Credentes*, & Constitutione Friderici Imperatoris, *extravag. prima, & auth. Credentes de hæreticis*, *Suar. de fide dis. 24. sect. 1. n. 15.* multi tamen dicunt, ad hanc pœnam requiri declaratoriam insordescentiæ præfatæ, *Azor. tom. 1. lib. 8. c. 13. quæst. 8. Sanchez lib. 2. c. 26. n. 1. & seq. Farinac. de hæresi q. 189. n. 56. Caputaquen. decis. 90. par. 2. verbo Infamia.*

IV. Item ipsi, eorumque filii diversas pœnas incurrunt, de quibus dicam *cap. seq.*

V. Præterea prædicti delinquentes, cum ex insordescentia prædicta infames effecti fuerint, fiunt inhabiles ad omnes actus legitimos, *Gloss. in dict. §. Credentes super verb. Sit etiam intestabilis*: unde non admittuntur ad publica consilia, neque ad vocem activam, aut passivam, neque ad testimonium, nisi cum tortura, & nisi in criminibus exceptis; neque ad agendum in judicio, neque ad postulandum, neque ad officium tabellionis, neque ad querelam inofficiosi testamenti.

VI. Item prædicti credentes, fautores, defensores, receptores non gaudent immunitate ecclesiastica loci sacri, sed extrahi possunt, juxta Bullam Gregorii XIV. ubi excipit a tali privilegio hæresis reos; inter hæresis autem reos numerantur etiam dicti cooperantes, & omnes suspecti vehementer de hæresi, *Farin. tract. de immunit. n. 175. Bonac. tract. de immun. n. 21. §. 4. Diana resol. 38. tr. 1. tom. 1.*

VII. Denique isti carent ecclesiastica sepultura, adeo, ut eos sepeliens incurrat in censuras, & pœnas, de quibus *c. 2. in princ. de hære. in 6.* de quibus vide infra *verbo Sepultura c. 4.* & locus ille perpetuo remanet pollutus, & irreconciliabilis *dict. c. 2.* dixi *ibid.*

VIII. Contra scienter præsumentes receptare, vel defendere, vel favere personæ, vel credere, vel dogmatizare dogmata alicujus hæretici deprehensi, vel confessi, vel convicti, si hæreticus iste sit Episcopus, vel Cardinalis, vel Legatus, aut Comes, vel Baro, vel Dux, vel Imperator, incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, & juris infamiam, & fiunt intestabiles; & si sint clerici, incurrunt eo ipso privationem Ecclesiarum, beneficiorum, dignitatum, & officiorum; & tam ipsi, quam laici incurrunt privationem dominiorum suorum, & bonorum omnium, & bona ista primo occupanti catholico conceduntur ex *Bulla 19. Pauli IV. §. 5.* quæ licet non reperiatur ibi publicata, tamen fuit publicata ex *Bulla Pii V. 22. §. 3.* in qua fuit confirmata, ut notat *Cherubin. in apostilla ad dictam Bullam Pauli IV.*

CAPUT III.

Hæreticorum, eisque credentium, fautorum, receptatorum, aut defensorum filii.

I. Filii istorum sunt infames infamia juris, secundum multorum sententiam, quia idem in filiis reorum læsæ majestatis humanæ, *leg. Quisquis §. Filii, C. ad leg. Jul. Majest.* ergo a fortiori in filiis reorum læsæ majestatis divinæ, ita tenent *Simanch. cath. inst. tit. 29. n. 13. Castro, Covarr. Molina, Graff. Locat.* & alii apud *Sanchez lib. 2. cap. 28. n. 4. in decal.*

Contraria videtur probabilior, quia nullibi in eos est statuta pœna, neque in pœnalibus arguendum a majoritate rationis: ita tenet *Menoch. consil. 808. n. 44. Suar. de censur. disput. 48. sect. 3. n. 2. Sanchez in decal. ibid. n. 12. c. 34. n. 8.* unde constat, eos posse testimonium ferre in judicio, ut *Sanchez ibid. c. 27.*

II. Filii prædictorum usque ad secundam generationem per lineam paternam, & usque ad primam per lineam maternam, sunt irregulares, ut promoveri non possint ad ordines, dummodo parentes ipsi defuncti fuerint impœnitentes, *c. Quicunque, §. Hæretici, de hæreticis in 6. c. Statutum il secondo, eod. tit. in 6. Sanch. lib. 2. c. 28. n. 7. Majol. lib. 5. c. 46. n. 4. Suar. de fide disp. 24. sect. 1.* & hanc irregularitatem ex delicto vocat *Tolet. lib. 1. c. 69. c. 69. Tertio in fin.*

Limita, ut possint ministrare in susceptis ante paternam hæresim. *Sanch. cap. 28. n. 10.* imo, quod geniti ante hæresim nullo modo sint irregulares, ait *Sanchez c. 27. n. 13. & 14. Laym. de irregul. c. 4. n. 11. §. Dico secundo.*

Limita secundo, ut non procedat de filiis istorum in regionibus, in quibus palam, & impune hæreses grassantur, *Henriq. lib. 4. c. 5. n. 4. Sanch. lib. 2. c. 27. & c. 28. n. 28. in fin.*

Eman.

Eman. Sà verb. Hæresis n. 4. Filiuc. tract. 22. n. 227. Layman de irregul. c. 4. §. Notât vero.

Limita tertio, ut solum procedat, si delictum paternum sit notorium jure, vel facto, *Sanch. c. 17. n. 28.* cum multis Auctoribus.

III. Item prædicti filii sunt inhabiles ad beneficia, & officia publica *c. 2. §. Hæretici de hæreticis in 6.* vide *Sanc. l. 2. c. 27. n. 1. Avilam de cens. par. 7. dis. 4. dub. 3.* & idem de filiis judaizantium baptizatorum; quia inhabiles sunt ad beneficia juxta distinctionem dictam *sup. n. 2. Rota decis. 307. par. 2. noviss.* ubi *n. 2. & 6.* ait, non procedere hanc pœnam, quandocunque parentes judaizantes fuerint Ecclesiæ reconciliati, seu reincorporati.

IV. Item privantur paterna hæreditate *ipso* jure, quia ipso jure bona sunt devoluta fisco, etiam quoad legitimam *c. Vergentis de hæreticis, c. Cum secundum de Hæreticis in 6. Sanch. lib. 2. c. 16. n. 25. & 26.* multas habet limitationes hæc propositio, quas vide apud *Sanch. lib. 2. c. 16. Farinac. quæst. 190. §. Primo de hæresi, Barbos. in dict. cap. Vergentis n. 12.*

CAPUT IV.

Hæresis suspecti.

Suspecti vehementer de hæresi non gaudent immunitate ecclesiastica loci sacri, ut dixi *supra cap. 2. n. 6.* nullam tamen incurrunt censuram, regulariter loquendo, ob solam suspicionem vehementem, neque cogendi sunt petere absolutionem ab excommunicatione ob hæresim, si vere non habuerunt talem errorem: suspecti autem violenter censentur in foro externo indigere excommunicationis absolutione, *Pegna in directorio fol. 486. Umbert. in praxi Inquis. verb. Suspicio, Portel. responsorum par. 1. c. 28. n. 9.* incurrunt autem pœnas aliquas suspecti hæresis, si fuerint pœnitentiati, vel si abjurare coacti fuerint, ut dicam *infra cap. 6.*

☞ *Qui inter cæteros puniendi sint, ut suspecti de fide, vide supra cap. 1. verb.* Conventicula. ☜

CAPUT V.

Hæresis suspecta dogmata prædicantes.

Vide *verbo Prædicatio cap. 1.*

CAPUT VI.

Hæresis, vel suspicionis hæresis causa pœnitentiati, vel abjurantes, ad quæ inhabiles maneant.

I. Irregulares sunt pœnitentiati a Sancto officio ob hæresim formalem confessam in judicio, vel extra; quia semel hæreticus, etiam post reconciliationem remanet irregularis, ut dixi *supra c. 1. n. 3.* secus autem est in pœnitentiatis ob suspicionem, etiam vehementem, de hæresi, quia post purgationem, etsi fuerint publice pœnitentiati, non remanent irregulares; nam per purgationem tollitur hæresis præsumptio, seu suspicio, præsumpta juris infamia, *Simanc. Cath. instit. tit. 55. n. 3. Zanchi de hæretic. cap. 20. n. 6. Genuens. in praxi cap. 45. n. 5. cum allegatis.*

Inhabilis remanet perpetuo ad confessiones secularium audiendas quicunque semel abjuravit ob hæresim formalem, non ob solam suspicionem, etiam vehementem, ex decreto Pauli IV. refert *Masolus lib. 5. cap. 46. n. 6. in fine, & Genuens. cap. 45. n. 2. et 3.*

Inhabiles sunt perpetuo regulares ad omnia officia, & gradus suæ Religionis, quibus pro delictis ad S. Officium pertinentibus, pœnitentiæ genus aliquod impositum fuerit, exceptis pœnitentiis salutaribus; remanet hæc inhabilitas, etiam expleto tempore pœnitentiæ, vel gratia illius obtenta; nisi expresse in S. Congreg. coram Papa, vel ab ipso Papa rehabilitati fuerint: & si contra hoc decretum promoti fuerint, promotio est nulla, & promoventes incurrunt ipso facto pœnam privationis suorum officiorum, & vocis activæ, & passivæ; super qua pœna dispensari non poterunt ab alio, quam a Papa, vel eadem S. Congreg. coram Papa. Hæc constituta in decreto S. D. N. Urbani VIII. in S. Congreg. Generalis Inquisit. *anno 1626. feria 5. Octobris.*

CAPUT VII.

Hæresis, vel aliter ad Sanctum Officium pertinentes Regularium causas superiores ipsorum ne cognoscant, sed subditos suos hæreticos, vel suspectos denuntient, et aliorum denuntiationes non retardent.

Ex Bulla Pauli V. 16. vel 19. vel 26. edita die 1. Sept. an. 1606. *Romanus Pontifex*, primo revocatæ sunt omnes facultates Prælatis regularium concessæ cognoscendi causas ad Sanctum Officium pertinentes; & mandatum, ut religiosi hæretici, vel suspecti de hæresi denuntientur Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis vicinioribus; & præceptum est superioribus regularibus illorum, ne tales denuntiationes retardent; imo ipsi eos denuntient, quos hæreticos, vel suspectos noverint, absque alia consultatione, Inquisitoribus, vel vicinioribus locorum Ordinariis, ut supra.

Quod si superiores præfati regularium tam Generales, quam alii, huic Constitutioni non paruerint, incurrant pœnas ipso facto privationis dignitatum, & officiorum suorum ordinum, & vocis activæ, & passivæ, & inhabilitatem perpetuam ad hujusmodi, & omnes censuras, & pœnas latas contra fautores hæreticorum, et impedientes Sanctum Officium; & in specie incurrant excommunicationem in dicta Constitutione latam, Papæ reservatam: & adduntur ibi clausulæ derogatoriæ plenissimæ.

☞ *Hæc Constitutio innovata, & ampliata fuit ab Alex. VII. Constit.* Licet alias 8. *Jul.* 1660. *ubi sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis, statuitur*

I. Ut sub hac obligatione comprehendantur superiores regulares cujuscunque ordinis, & instituti, etiam Societatis Jesu.

II. Ut teneantur denuntiare quoscunque religiosos, tam sibi subditos, quam non subditos — hæreticos, vel de hæresi quomodocunque etiam — *LEVITER SUSPECTOS — ipsis interdicendo, ne eosdem suos subditos ad S. Officium recurrentes, vel recurrere, aut accedere volentes, molestent, vexent, aut alio quovis modo, sive directe, sive indirecte, retrahant, aut dissuadeant; imo eos monere debeant, — UT IPSI QUOQUE EIDEM DECRETO OMNINO PAREANT, ET ALIOS CHRISTIFIDELES, ETIAM CONFRATRES SUOS, AD PARENDUM HORTENTUR, ET SUADEANT. —*

III. Ut sub iisdem pœnis in superiores a Paul. V. ut supra inflictis, præfati subditi — absque ulla participatione, etiamsi nulla petita venia a superioribus, etiamsi nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmissa fuerit — *omnino teneantur ad denuntiandum quoscunque, etiam confratres, ac superiores, etiam primarios, suos ejusdem Ordinis, & Religionis, quos noverint esse de fide quomodolibet, ETIAM LEVITER SUSPECTOS* — ac insuper debeant — *omnes, & quoscunqe etiam alios, a se consilium, ut supra, petentes monere, & obligare ad denuntiandum* — Nec possint — *illos a denuntiando sub dictæ fraternæ correctionis, vel alio quovis prætextu retrahere, aut retardare.*

IV. Ut — sub iisdem pœnis, ipso pariter facto incurrendis, superiores omnes præfati — *legi curent hoc decretum semel singulis annis Kalend. Mar. in publica mensa, vel in capitulo ad hoc specialiter convocato, illiusque exemplar in publico loco affigi, & conservari.* ☜

CAPUT I.

Homicidium.

Homicidium aliud est ex publica, aliud ex privata potestate: quod ex publica potestate juste fit, aliud ex bello, aliud judicio justo perficitur, & utrunque reddit homicidam irregularem ex lenitatis defectu: de quibus dixi *verb. Bellum cap. 1. n. 2.* & *verbo Judicis laici munus.*

Homicidium, quod privata potestate fit, aliud est inculpabile, aliud vero culpabile: inculpabile aliud est necessarium, aliud omnino casuale.

Homicidium privatum necessarium, si contingat ob defensionem vitæ, seu corporis proprii, cum moderatione scilicet inculpatæ tutelæ, non inducit irregularitatem ullam: hæc hodie est certa doctrina ex *Clemen. Si furiosus de homicidiis*, quidquid alii dixerint antiquiores, vide *Lessium lib. 2. c. 9. n. 41. Clav. Regiam Sayr. lib. 1. cap. 6. n. 6. Tolet. lib. 1. c. 82. §. Primum*, & procedit, etiamsi occidens sit clericus, ut *Gloss.*

Gloss. in dict. Clem. verbo Nullam, & ibi Canonistæ communiter, & de communi testatur *Farinac. quæst. criminal.* 125. *n.* 27. *&* 130. & in dubio, an necessaria fuerit talis defensio, saltem ab occisore necessaria credita, standum est assertioni ipsius juratæ, si non habeat contra se juris præsumptionem, *Gloss. in dict. Clem.* 1. *verbo Non valens, et ibi Bonif. Vitalin. n.* 36. *facit cap. Si vero* 4. *de sent. excommun.* Si autem sit commissum ob defensionem necessariam vitæ alterius innocentis, vel reipublicæ cum moderatione inculpatæ tutelæ, quando scilicet lege naturali, vel divina obligatur quis ad talem defensionem innocentis, probabilius est, non inducere irregularitatem, juxta *Sylvest. verbo Bellum quæst.* 2. §. *Adde tu*, *Covarr. in Clemen. Si furiosus par.* 3. §. *unic. n.* 5. *Molin. tom.* 1. *disp.* 109. *Avil. par.* 7. *disp.* 5. *sect.* 3. *dub.* 5. *Genuens. cap.* 34. *praxis num.* 16. *Layman lib.* 3. *tract. de homicid. cap.* 9. *num.* 2. plures alios allegat, & sequitur *Bonac. tract. de irregul. quæst.* 4. *punct.* 6. *n.* 11. *&* 12. ubi ponit exemplum de occidente invasorem patris, aut matris &c. & alios etiam allegat *Farin. q.* 125. *n.* 278.

Imo generaliter etiam in casu, quo quis non tenetur occidere invasorem alterius innocentis, sed tamen licite potest occidere, non induci irregularitatem, est probabilior sententia, *Petr. Navarra lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 409. *Covarr. ibid. n.* 5. *Less. n.* 73. *Molina disput.* 72. *tom.* 4. *Suarez disp.* 46. *de censur. sect.* 3. *n.* 9. *Reginal. lib.* 2. *c.* 5. *n.* 60. *Coninch. de irregul. n.* 88. & multi alii recentiores.

Quamvis contraria sit magis communis, scilicet, quod occidens ad defensionem necessariam alterius, vel reipublicæ, licet non peccet, occidendo, tamen fiat irregularis ex defectu lenitatis, ut testatur *Farinac. quæst. crimin.* 125. *n.* 280. *Suar. sect.* 3. *n.* 6. *in fin.* qui ideo ait, tutius esse impetrare dispensationem: & in terminis de occidente ob defensionem patris, aut alterius conjuncti, tenet *gloss. in dict. Clem. verbo Suum, & alii Canonistæ ibi*, *Farin. loc. cit.*

Similiter, si quis occidat ad defensionem necessariam proprii honoris, aut bonorum temporalium cum moderatione inculpatæ tutelæ, quando scilicet bona sunt magni momenti, neque aliter postea recuperari posse videntur, multi docent, non induci irregularitatem, ut *Soto lib.* 5. *quæst.* 1. *art.* 8. *Covarr. ibi n.* 6. *Castro de lege pœnali lib.* 2. *c.* 14. *Petrus Navarr. lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 418. *Less. c.* 9. *n.* 73. *Sayr. lib.* 6. *c.* 17. *n.* 22. *Suarez disp.* 46. *sect.* 2. *Tanner. tom.* 4. *disp.* 18. *n.* 86. *&* 88. quia ex homicidio privato licito dicunt, non induci irregularitatem ex defectu lenitatis, sed solum ex publica potestate commisso: & ampliant multi, etiamsi defendens sit clericus, vel religiosus; quos allegat, & sequitur *Barbosa in c. Suscepimus* 10. *n.* 2. *de homic.* sed contraria est magis communis, quod fiat homicida irregularis ex defectu lenitatis, ex *Suar. et Farinac. loc. cit.* & tenet *Villadieg. cap.* 6. *n.* 76. *Henriq. de irregul. c.* 11. *n.* 3. *litt. D. Avila loc. cit. dub.* 4. §. *Denique*. *Navar. cap.* 27. *n.* 213.

Quæ dicta sunt de defensione honoris, vel bonorum sui ipsius, procedunt eodem modo pro necessaria defensione honoris, vel bonorum proximi, ut *Bonac. de just. tract. de homic. pun.* 11. *n.* 1. *cum ibi cumulatis DD.* quia probabilissimum est, non incurri irregularitatem, occidendo: vide tamen declarationes Alexandri VII. in Indice Hispano librorum prohibitorum.

☞ *Circa occisionem ad defensionem bonorum temporalium magni momenti, non levis est controversia, an licita sit, & in quibus concurrentibus circumstantiis, quas vide in Antoine clarissimo Auctore Societatis Jesu* tract. de justitia & jure cap. 2. quæst. 9. *qui occisionem ad defensionem proprii honoris, & famæ, nemini omnino probat licere. Circa hæc duo capita vide infra propositiones a Summis Pontificibus merito proscriptas.* ☜

Homicidium autem omnino casuale absque culpa causantis illud, nullam inducit irregularitatem, secundum communem sententiam Doctorum, *Farinac. quæst.* 126. *part.* 1. *n.* 57. ubi ait, ab hac sententia non esse recedendum, & multos allegat: probant *Suarez disput.* 46. *sect.* 2. *Less. c.* 9. *n.* 73. *Tanner. tom.* 4. *quæst.* 10. *disput.* 6. *n.* 110. *&* 211. quia talis actus non est humanus, sed involuntarius.

Homicidium vero privatum culpabile, aliud est casuale, aliud voluntarium: casuale rursum, aliud est habens culpam intrinsecam theologicam, idest, quando est in causa prævisum periculum homicidii, sed non directe volitum: aliud est non habens culpam intrinsecam theologicam, sed legalem, seu a jure imputatam, ex eo, quod dederit homicida operam rei illicitæ, & periculosæ in ordine ad talem eventum, quamvis operans adhibuerit sufficientem diligentiam, ne sequeretur effectus homicidii. Et advertendum est, quod quando causa est periculosa talis effectus (idest homicidii) ut plurimum tunc homicidium dicitur non casuale, sed voluntarium: quando vero est periculosa, ut in paucioribus, idest raro causans homicidium, tunc dicitur homicidium casuale, si non fuit prævisum: ita *Archid. in c. De occidendis* 23. *quæst.* 5. *Cajet.* 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 8. *ad* 2. *Tolet. lib.* 1. *c.* 77. *n.* 4. *&* 5. *Suarez de cens. disp.* 44. *sect.* 1. *n.* 4. *Filiuc. tract.* 29. *n.* 117. *Bonac. de irregul. quæst.* 4. *pun.* 8. *n.* 1. juxta probabiliorem, contra alios apud *Bonac. ibi n.* 2. *relatos*.

I. Homicidium casuale cum culpa theologica mortali causat irregularitatem: est certa sententia, *Farinac. quæst.* 126. *n.* 74. *Suarez disput.* 45. *sect.* 6. *Laym. lib.* 3. *tract. de hom. c.* 10. *n.* 3. Si vero sola interveniat culpa venialis, probabilior, & magis communis sententia est, non inducere irregularitatem ut si in causa operans, habuit levem suspicionem, seu scrupulum de talis effectus periculo, & ita *Sotus lib.* 5. *de just. quæst.* 1. *art.* 9. *Petr. Navar. lib.* 2. *c.* 1. *n.* 69. *Tanner. tom.* 4. *disp.* 6. *q.* 10. *n.* 217. *cum Valent. Toleto, & Eman. Sà*, *Sayr. lib.* 7. *cap.* 6. *n.* 13. *Less. c.* 9. *n.* 73. *Farin. q.* 125. *n.* 337. 408. *&* 418. ubi plures allegat. Contrarium tamen tenent plures, quos vide apud *Dianam resol.* 20. *miscell.* 2. *tom.* 1. tenet *gloss. in c. Significasti* 1. *de homic. Abb. in c. Quæsitum de pœnit.*

Homicidium casuale cum culpa sola legali causat irregularitatem in casibus a jure expressis, *Sayr. lib.* 7. *c.* 6. *n.* 7. *Suarez disp.* 45. *sect.* 6. *n.* 9. *Laym. c.* 10. *n.* 3. ut in clerico causante mortem arte chyrurgiæ per sectionem, vel adustionem; de quo vide *verbo Chyrurgia*. & in hoc casu res est certa. Item alius casus in *cap. ult. de homic. in* 6. ubi mandans percuti, prohibendo, ne occidatur, secuta morte, fit irregularis, *Suarez sect.* 2. *n.* 3. Tertius casus in *c. Sicut* 20. *de homic.* ubi si clericus, vel religiosus colludat cum muliere prægnante, eam trahendo per cingulum, secuto abortu fœtus animati ex ea causa, est irregularis, *Sayrus cap.* 6. *n.* 15. *Suarez loco cit.*

In aliis autem casibus a jure non expressis, quod dans operam rei illicitæ periculosæ talis effectus, etiam adhibita quavis diligentia, fiat irregularis, tenent *S. Thomas* 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 8. *ibi Corrad. & Cajet. Palud. in* 4. *dist.* 25. *q.* 3. *Gabr. dist.* 25. *quæst.* 14. *art.* 3. *Navarr. c.* 27. *n.* 219. *Majol. lib.* 5. *c.* 48. §. 3. *Tolet. lib.* 1. *c.* 81. §. *Prima*, *qui operam*, & alii: & hanc esse communem sententiam testantur *Farin. in fragmen. verb. Irregularitas n.* 516. *Sayr. lib.* 7. *c.* 5. *n.* 12. Quamvis contra, quod non fiat irregularis, si adhibuit sufficientem diligentiam, teneant *Castro, lib.* 2. *de lege pœnal. c.* 14. *Sot. lib.* 5. *de just. quæst.* 1. *art.* 9. *Bart. Medina* 1. 2. *quæst.* 173. *art.* 8. *Valen. tom.* 2. *disp.* 6. *quæst.* 3. *punct.* 3. *Covar. in Clem. Si furios. part.* 2. §. 4. *n.* 9. *Tannerus tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 10. *n.* 216. *& Laym. cap.* 10. *n.* 1. *cum Aragon. Sayr. Gutier.*

Homicidium privatum, voluntarium culpabile causat irregularitatem, ut *c. fin. de temp. ordin. ibi Doctores c.* 1. *& aliis seqq. de homic. Triden. sess.* 14. *c.* 7. *de reform. & sess.* 24. *c.* 6. *de reform. Farin. quæst.* 119. *n.* 56. *Suar. disp.* 44. *sect.* 2. *Garz. de benef. part.* 7. *c.* 11. *n.* 24. *Layman lib.* 3. *tract. de homic. c.* 4. *a n.* 1. Et hæc quidem irregularitas, de qua hactenus hoc capite dictum est, immediate provenit ex homicidio ipso, non ex sententia, neque infamia: unde etiamsi occultum sit homicidium, habet locum, ut *gloss. in c. fin. de temp. ordin. Farinac. quæst.* 119. *n.* 56.

Item ex *Triden. Conc. sess.* 14. *de ref. cap.* 7. voluntarius homicida specialiter redditur irregularis, & indispensabilis, tam ad ordines, quam ad beneficia, etiam non curata. Unde hodie non potest admitti doctrina *Innocentii*, *Jo. And. Anan. Butr. &c. in cap. Cum nostris de conc. præb.* dicentium, quod irregularitas orta ex solo jure positivo, non impedit acquiri beneficium, seu jus in illo, quamvis non possit illud licite retinere, nisi dispensationem obtineat: & patet ex Trid. ibi, esse privationem, & inhabilitatem latæ sententiæ ex particula illa perpetuo careat beneficio, ut dixi *sup. verb. Duellum cap.* 3. *n.* 2.

II. Aliam quoque irregularitatem incurrit quis ex homicidio voluntario, ratione infamiæ juris, quam contrahit, secuta scilicet sententia condemnatoria de homicidio, tanquam dolo malo commisso, quia tunc intrat pœna legis Corneliæ de sicariis, cujus judicium publicum est, & condemnatum reddit infamem *leg.* 1. *ff. de publ. Jud. leg.* 1. *ff. de his, qui not. infam. Sanchez lib.* 6. *consil. cap.* 3. *dub.* 6. *n.* 20. *Ugolin. de irregul. cap.* 60. §. 3. Si autem homicidium non dolosum, sed culpabile tantum esset, non irrogaret hanc pœnam infamiæ condemnato, quia neque ordinarium legis Corneliæ judicium locum habet in tali casu, ut *Boss. tit. de homic. n.*

71.

71. *Farinac. quæst.* 119. *n.* 26. neque extraordinarium judicium infamxt, si dolum non punit, ut dixi *verbo Dolus*.

III. In terris autem Ecclesiæ Romanæ omnes homicidæ, quorum delictum fuerit notorium jure, aut facto, aut famosum, si illa infamia sit orta ex indiciis certis, & evidentibus, ex quibus possit procedi ad condemnationem, etiamsi non fuerint condemnati, vel si fuerint adversum sententiam restituti a Pxpa, sunt, & remanent perpetuo infames infamia juris, & omni dignitate privati, & ab omnibus actibus legitimis suspensi, & ex Bulla Pii II. *Ad retinendas*, quæ est 8. *apud Cherubinum* & ita exponitur a *Rota*, *Seraph. decis.* 393. *n.* 8. Intelligitur autem de homicida doloso, non autem culpabili tantum, per ea, quæ *Carrer. de homicid. n.* 19. *Boss. loco supra cit.*

IV. Privationem beneficiorum ecclesiasticorum homicida ipso facto, per se loquendo, non incurrit, ut de communi testatur *Azor. lib.* 7. *c.*18. *quæst.* 1. *tom.* x. & late probant *Sanch. opuscul. lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 14. *n.* 6. *cum seqq. Farinac. quæst.* 119. *n.* 63. *Garzias part.* 11. *c.* 10. *n.* 39. Tamen, si beneficium requirat personale exercitium, seu servitium Ordinis sacri, tenetur procurare dispensationem super irregularitate quamprimum. Quod si nolit, vel non possit impetrare, tenetur sub peccato mortali, & ex justitia dimittere beneficium: dum autem non est in mota, potest aliquo tempore illud retinere, dum procurat dispensationem, *Suarez de cens. disput.* 40. *sect.* x. *n.* 19. cum communi sententia, *& Regin. lib.* 30. *n.* x4. *Sanch. opusc. loc. cit. dub.* 15. In aliqnibus autem casibus homicida ipso facto beneficium amittit; ut primo ex abortu: de quo vide *verb. Abortus:* secundo ex assassinio, dixi *verb. Assassinium:* tertio in occidente Papam, vel Cardinalem, dixi *verb. Majestas cap.* x. quarto in occidente Episcopum, dixi *verb. Injuria c.* 4. quinto in occidente suum Prælatum, vel conbeneficiatum, ut dicam *c. seqq.* sexto in occidente aliquem in odium Sancti Officii, ut dixi *verb. Inquisitio c.* 3.

V. Inhabilitatem ad beneficia incurrit homicida quilibet ratione irregularitatis: sed specialem inhabilitatem indispensabilem incurrit homicida voluntarius, Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. *de refor.*

Quæres, quis possit dispensare super prædictis homicidii irregularitatibus, & pœnis? respondeo, olim de jure communi Episcopus poterat dispensare, etiam cum homicida voluntario occulto, ut ministraret in susceptis, & ut beneficium simplex obtinere posset: vide *Lopez ad Diaz. in praxi cap.* 97. §. *Hodie autem:* sed hodie eum homicida voluntario etiam occulto, solus Papa dispensare potest: at cum homicida casuali occulto Episcopus potest dispensare; cum publico vero solus Papa dispensat, seu committit dispensationem, *Trident. sess.* 14. *cap.* 7. *de refor. & sess.* x4. *cap.* 6. *de refor.* vide de hac re *Garziam part.* 7. *c.* 11. *n.* x6. *Farinac. quæst.* 119. *n.* 62. qui agunt diffuse. Potest tamen etiam Episcopus dispensare cum homicida casuali publico ad ministrandum in minoribus Ordinibus antea susceptis, & ad obtinendum beneficium simplex, ut de magis communi *Farin. n.* 61. eodemque modo solum potest Episcopus dispensare super homicidio voluntario justo, seu super defectu lenitatis, *Garzias n.* 34. cum communi sententia.

An autem Prælati regulares cum suis religiosis dispensare possint in prædictis, vide *Dianam ref.* 44. *&* 45. *tract.* x. *tom.* x.

An vero homicidium in rixa perpetratum, non ad vitæ defensionem, neque præmeditatum, sed tamen directe volitum ab eo, qui non fuit auctor rixæ, sed provocatus fuit verbis, & subito iracundiæ calore occidit provocantem, dicendum sit voluntarium, vel potius casuale, itaut Episcopus vigore dicti decreti Concilii Tridentini dispensare possit in occultis; duæ sunt sententiæ. Prima est magis communis, & probabilior reputata, quod sit voluntarium, ut patet ex *Bonacin. de irregular. quæst.* 4. *pun. ult. n.* 6. *Diana resol.* 19. *tract.* 1. *miscell. tom.* 1. Et facit, quod Juristæ communiter dicunt, hoc homicidium esse dolosum, seu voluntarium simplex, distinctum scilicet a doloso, seu voluntario deliberato, seu præmeditato, seu ex proposito, seu a *sangue freddo*, ita *Clarus* §. *Homicid. n.* 1. *vers. Dolosum autem*, *Menoch. de Arbitr. casu* 361. *n.* 15. *&* 18. *Farinac. quæst.* 126. *n.* 5. *&* 6.

Secunda sentententia asserit, dicendum esse homicidium casuale, & ideo Episcopum modo prædicto posse dispensare, quia homicida ex subita ira non censetur habuisse animum occidendi perfecta deliberatione, seu omnino libera voluntate, ut *l. Quidquid calore*, *ff. de reg. jur.* ita docent *Perez*, *Henriq. & Eman.* quos allegxt, & sequitur *Avila de cens. & irregul. par.* 7. *disp.* 6. *sect.* 2. *dub.* 1. §. *Præterea dico*, *Coninch. de cens. disp.* 18. *n.* 111. *Diana loc. cit. Salzedo ad Diaz in praxi canon. cap.* 97. *lit. B.* §. *Erit sane*. Et quod hoc sit dicendum homicidium mxgis casuxle, quam voluntarium, & ideo pœna tantum extraordinaria puniendum dicunt *Alberic. in leg. Si in rixa n.* 1. *ff. ad leg. Corn. de sicar. Cyn. in leg. Is, qui cum telo n.* x. *C. eod. Socin. cons.* 178. *vers. Primo quia lib.* 2. *Farinac. quæst.* 126. *n.* 48. ubi ostendit, esse magis communem, *&* 49. ubi ait, esse veriorem. Et hæc sententia in casu nostro est probabilis, præsertim quia facultas dispensxndi generaliter concessa, est favorabilis, & late interpretanda, quatenus extenditur lata verborum significatio, ut *Sanchez de matr. lib.* 8. *dis.* 2. *n.* 2. *cum allegatis*: & negari non potest, quin provocatio, & subita ira multum diminuant de ratione voluntxrii, ut *Boss. tit. de homic. n.* 50. *& ex præcitatis*, & quia percutiens in rixa, non censetur in dubio habuisse animum occidendi, *Farinac. quæst.* 12. *n.* 106. *cum Menoch. & aliis*.

☞ *Cum nonnulli DD. relati a Diana, loco citat. prout supra* §. An autem, *asserant, Prælatos regulares dispensare posse super irregularitatibus, & pœnis, de quibus Auctor in* §. Quæres, *etiam vi communicationis privilegiorum cum illis Ordinibus regularibus, quibus directe, & expresse hujusmodi privilegia concessa sunt* (*quorum tamen tenores sunt semper speciatim inspiciendi*) *ersnectu dictorum Regularium tali participatione gaudentium, lectorem remitto* (*prout remisi in Additionibus meis ad Institutiones canonicas Remigii Maschat* part. II. tit de homicid. vulunt. pag. 516. col. 2.) *ad sequens Cong. Conc. responsum, a me recognitum, quod cum integra supplicis libelli serie refera, prout reperitur in regestis ejusdem S. Cong. lib. decret.* 35. *pag.* 145. — Dubia facultatis absolvendi, & dispensandi 14. Apr. 1685.

Omnibus, & singulis Cong. S. Mauri, Ordinis S. Benedicti personis concessum est a selic. recot. Summis Pontificibus, Gregorio Papa XV. Bulla data an. 16x1. & Urban. Papa VIII. an. 16x8. uti, frui, potiri, & gaudere omnibus, & singulis privilegiis, gratiis, & libertatibus concessis Congreg. Cassinensi, S. Victorii, & omnibus quibuscunque Ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium, Milttiarum, & Hospitalarium.

Concessa est eadem PP. Cassinensibus facultas absolvendi in utroque foro, & dispensandi super censuris, irregularitatibus, & inhabilitatibus monachos suos, qui ante religionis ingressum, homicidiis voluntariis, aliisque patratis facinoribus, irregularitates, & censuras incurrunt; ut patet ex Brevibus Eugenii Papę IV. Romæ Kal. Aprilis Pontificatus an. XI. Innoc. Papæ VIII. Kal. Novemb. Pontificatus an. III. beatæ mem. Pii Papæ V. idibus Jul. an. 1571. datis.

Concessa est eadem facultas PP. Congreg. Montis Oliveti a Pio Papa IV. Bulla data anno 1560. die 24. Maji Pontificatus anno primo.

Sed & PP. Prædicatoribus Dominicanis, Bulla Julii Papæ II. data an. 1510. Pontificatus an. VII.

Nec non & PP. Societatis Jesu, Bullis Pauli Papæ III. an. 1549. 15. Kal. Novemb. Pontificatus an. XV. & Gregorii Papæ XIV. an. 1591. datis.

Cum itaque PP. Cong. S. Mauri data fuerit facultas ab Urbano Papa VIII. utendi, gaudendi, & fruendi omnibus privilegiis aliis Congreg. & Ordinibus concessis, non solum per participationem, & extensionem, sed perinde ac si illa omnia in specie eidem Congr. concessa essent, Procurator Generalis ejusdem Cong. humiliter instat, declarari

Primum. An superiores dictæ Cong. licite, valideque possint absolvere in utroque foro, ac dispensare super irregularitatibus, & censuris suorum monachorum per homicidia, vel in bello, vel in jurgiis, aliisque motibus, quasi indeliberatis, contractis?

Secundum. An eos possint rehabilitare ad susceptionem Ordinum, dignitatum, & prioratuum, seu capellaniarum regularium?

Sac. &c. Ad utrunque respondit. *Negative*. ☜

☞ *Propositiones circa homicidium proscriptæ ab Alex. VII. sub die* 24. *Sept.* 1665. *& ab Innoc. XI. sub die* 2. *Martii* 1679. *sub pœnis in eas docentes &c. & ad praxim deducentes, quas vide in fine Additionis ad cap. I. verb.* Missa.

Ab Alexandro, quæ in ordine sunt 17.

17. — Est licitum religioso, vel clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit; uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi

religioso, vel ejus Religioni publice, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur. –

18. – Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. – Non peccat maritus, occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam. –

Ab Innocentio, quæ in ordine sunt la

13. – Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare; non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum. –

30. – Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum est, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis, fugiat. –

31. – Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. – Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoactum habemus, & quæ nos possessuros speramus. –

33. – Licitum est tam hæredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicuti & jus habenti in cathedram, vel præbendam, contra eorum possessionem injuste impedientem. –

Alias circa Abortum vide verbo Abortus. ☜

CAPUT II.

Homicidium in personam Cardinalis.

Vide *verbo Majestatis læsæ cap. 2.*

CAPUT III.

Homicidium in personam Episcopi.

Vide *verbo Injuria cap. 4.*

CAPUT IV.

Homicidium, vel mutilatio in personam clerici, vel Sacerdotis.

I. EXcommunicationem Papæ reservatam incurrit qui clericum interficit, & mutilat, ex *cap. Si quis suadente 17. quæst. 4.* Vide *verbo Injuria cap. 2.*

II. Item ex *cap. In quibusdam de pœnis*, si alicujus Ecclesiæ patroni, aut vicedomini, aut advocati, aut feuda, aut alia beneficia, seu jura ecclesiastica, vel temporalia ejusdem Ecclesiæ habentes, per se, vel per alium occidere, aut mutilare præsumpserint rectorem, aut clericum illius Ecclesiæ, juspatronatus, advocatiam, vicedominatum, feudum, beneficium, seu jus illud prorsus amittant.

Hæc pœna est latæ sententiæ; quia licet verbum *amittant* sit futuri temporis, tamen adjuncta particula *prorsus*, operatur privationem ipso facto, seu ipso jure, ut *Tiraquellus in leg. Si unquam, verbo Revertatur n. 71. C. de rev. don. Sanchez de matrim. lib. 3. disp. 53. n. 8.* & in terminis *Abb. in d. cap. In quibusdam n. 7. Garz. de benef. par. 11. cap. 10. n. 57. Barb. alleg. 57. n. 24.* & communem dicit *Tolet. lib. 1. cap. 88. n. 7. vers. Octavo*, & de praxi Sacræ Pœnitentiariæ testatur *P. a Costa in notis ad consil. Navarr. 28. vel 13. de pœnitent. & remiss.* non tamen tenetur, etiam in foro conscientiæ, homicida sponte dimittere dicta jura ante sententiam, saltem declaratoriam criminis, ut dixi supra *par. 1. cap. 30. in princ.* Item licet *gl. in d. decretali* dicat, jus patronatus, vel feudum devolvi, & reverti ad Ecclesiam; tamen non est verum, si feudum, vel jus patronatus non sit acquisitum ab ipso homicida, sed avitum, vel transversale; tunc enim, etsi ejus filii, & posteri sint privati illo jure, tamen non redibit ad Ecclesiam: sed devolvetur ad alios agnatos vocatos in investitura, vel fundatione, *Henric. in dict. cap. In quibusdam num. 24.*

Limita autem hanc pœnam, ut non procedat in causa secundaria, seu cooperante minus principaliter ad homicidium, v. gr. consulendo, seu indicando locum, per ea, quæ *Navarr. cap. 27. n. 51.*

Limita secundo, ut amittat solum beneficia, & jura, quæ habet ab eadem, seu in eadem, non in diversa Ecclesia, *Farinacc. quæst. 119. num. 68. Barbos. alleg. 57. num. 225.*

Limita tertio, ut non procedat in occidente clericum quemcunque, sed solum clericum illius Ecclesiæ, a qua, seu in qua occisor, seu mutilator, dictum jus, seu beneficium obtinet, ut patet ex *text.* & ita *Hostien. in dict. cap. in verb. Prorsus, & Soccin. ibid. num. ult.*

Limita quarto cum *Cardin. hic*, quod pœnæ hujus decretalis intelliguntur latæ in casu homicidii, aut mutilationis voluntarie, non casualiter commissi, propter illud verbum *Præsumpserit*, quod requirit plenam advertentiam, seu voluntarium perfectum, seu dolum malum, ut *Sanchez de matrim. lib. 9. dis. 32. num. 36. & 38.* non enim dicitur homicidium dolosum, nisi quis sciens, & volens occidat, scilicet directe intendens occidere, *Clarus in §. Homicid. vers. Dicitur etiam, & vers. Dolosum autem*, & tale *Farinac. quæst. crimin. 126. par. 1. n. 2. tex. in leg. Respiciendum, §. fin. ibi gloss. ver. Aut casu, ff. de pœnis*, & quod verbum *Præsumpserit* importet d lum, tenet *Rota, Cavaler. de.is. 1. n. 1. & 2. cum Cardin. & Navarr.*

III. Item ex *eodem cap. In quibusdam de pœnis*, additur, ut ad hæredes dictorum delinquentium nihil perveniat de dictis juribus, quæ ipsi amittunt, sed Ecclesiæ eidem devolvantur, ut *gloss. ibi not.*

IV. Item in eodem textu statuitur, ut posteritates talium delinquentium usque ad quartum gradum in clericorum collegium nullatenus admittantur, neque in domibus regularibus alicujus prælationis assequantur honorem, nisi cum eis fuerit misericorditer dispensatum.

Declara primo, ut intelligatur tantum de posteritate per lineam masculinam, *Soccin. ibi n. 34. Zabar. n. 15. cum Joann. Andr. Abb. n. 2.*

☞ *Hac pœna, juxta magis communem receptam sententiam, ex decreto Cong. Concilii 2. Aug. 1628. relat. a Bened. XIV. lib. XIII. de Synodo Diœces. cap. 24. num. 21. edit. Pat. an. 1756. non afficiuntur filii ante patratum homicidium progeniti.* ☜

Declara secundo ob particulam illam, *nullatenus admittantur*, esse pœnam latæ sententiæ, *Abb. ibi n. 7. cum communi*, & quod dictio *nullatenus* irritet actum ipso jure, late probat *Sanch. opusc. lib. 7. cap. 1. dub. 38. n. 3. cum multis DD.* & dicam infra *verbo Ordo cap. 11. prope finem.*

Declara tertio, quod ait, non admittendos in collegium clericorum, ex hoc illos filios esse irregulares, ut non possint ad clericatum promoveri, *gloss. ibi ver. Prælationis, Abb. n. 1. Joan. Andr. Anchar. Zabar. & Soccin. in summario text.* consequenter isti sunt inhabiles ad beneficia, tum ex dicta irregularitate, tum etiam per se primo, dum *text.* prohibet in collegium clericorum admitti, ita *P. a Costa ad dict. consil. Navar. 28. de pœnitent. Soccin. in d. cap. num. 40.*

Declara ultimo, dispensationem dictis filiis posse ab Episcopo concedi ex causa aliqua rationabili, *glos. ultima in d. cap. In quibusdam, & ibi Barbos. n. 4.* quia textus non reservat dispensationem, sed illam indefinite permittit.

Ex dictis declarari potest praxis Sacræ Pœnitentiariæ, quæ omnibus laicis, qui presbyteros publice occiderunt, ultra publicam pœnitentiam, quam illis imponere solet, declarat, ut remaneant privati feudo, vel emphyteusi, si ea habebant ab Ecclesia, in qua presbyter ille occisus, intitulatus erat, utque eidem Ecclesiæ devolvantur. Præterea declarat, ut filii ipsorum delinquentium non possint ecclesiastica beneficia obtinere; quam praxim reprobat *Navarr. consil. 28. de pœnit.* tanquam nullo jure subnixam; eam vero defendit *P. a Costa ibidem*. Sed distinguendum est: quia illa pœna privationis jurium, & inhabilitatis filiorum non debet intelligi procedere, nisi in occidente clericum, vel presbyterum ejusdem Ecclesiæ, a qua occisor habebat dicta jura; aliis autem clericis, vel presbytericidis non videtur injungenda talis pœna, quia ipso jure non est imposita, & Pœnitentiaria solum in præmissis declarat pœnas incursas a jure, ut *P. a Costa ibid.* fatetur: præsertim hodie cum post reformationem Pii V. & aliorum Pontificum, Pœnitentiarius Major non habeat jurisdictionem externi fori. Imo puto, neque obligari in conscientia pœnitentem sponte a se abdicare dicta jura, sed solum si exigatur; neque aliter cogendum a Pœnitentiario minore, vel Majore. Vide *Covarr. in epit. in 4. decretal. par. 2. cap. 6. §. 8. n. 10.* qui ait, quod ubi lex imponit pœnam privationis bonorum ipso jure, non debet eam confessarius exigere,

gere, ut pœnitens eam ultro exolvat; sed solum intendit Sacra Pœnitentiaria intimare pœnitenti, per suam absolutionem, non esse ei remissam pœnam privationis, & inhabilitatis supradictæ, quatenus eam de jure incurrit, quominus in eum exequi possit.

VI. In *cap. 2. de pœnit. & remiss.* qui presbyterum occiderit, convictus, usque ad ultimum tempus vitæ suæ militiæ cingulo careat, & absque spe conjugii maneat. Hæ pœnæ videntur latæ sententiæ, quia verbum *Careat* est latæ sententiæ, secundum magis communem, ut testatur *Tiraquell. in leg. Si unquam, verbo Revertatur n. 166.* & alii, quos allegat, & sequitur *Barbosa de dictionibus cap. 40. verb. Careat.* Sed titubat *Abb. in dict. cap. 2.* quia ait, debere privari cingulo militiæ, deinde ait, quod Ecclesia eum privavit: certe cum agitur de jure quæsito amittendo, requiritur sententia declaratoria. Similiter verbum *maneat sine spe conjugii*, est latæ sententiæ, quia non indiget facto hominis positivo ad executionem: vide *Tiraquell. n. 205.*

Ex quibus inferunt Doctores primo, quod presbytericida, si sit religiosus militaris, perdit cingulum, seu militiam, & consequenter amittit privilegium clericale, & remanet mere laicus, subjectus laico foro; ita *Roderic. quæst. regular. 62. art. 5. tom. 2. Bobadilla Polit. lib. 2. cap. 17. n. 86.* & idem dicunt de doctore, *Abb. in dict. c. 2. vers. Secunda pœna, Barbos. ibidem*, ut possit privari eo gradu, scilicet per sententiam judicis ecclesiastici, seu privatus declarari.

Secundo inferunt Doctores, quod presbytericida incurrit impedimentum matrimonii impediens, non irritans, *Sanch. lib. 7. disp. 6. n. 9.* Sed hodie hoc impedimentum est desuetudine abrogatum, ut nulla sit opus dispensatione, *Sanchez lib. 7. disp. 17. n. 8. Conin. disp. 30. n. 25. de Sacram. Navarr. cons. 9. n. 5. Laym. de matrim. imped. cap. 15. §. Quartum:* & rationem puto, quod hæc pœna hic imposita est, tanquam canone pœnitentiali, ratione publicæ pœnitentiæ, & solemnis, qua durante, non licebat matrimonium contrahere, ut *cap. De his vero 33. quæst. 2. Majol. lib. 3. cap. 3. de irregul. n. 2.* hodie autem cessarunt solemnes istæ, & publicæ pœnitentiæ. Et idem æstimo dicendum de pœna prædicta amissionis cinguli militiæ, quia solemniter pœnitentibus illicitum erat cingulum militiæ assumere, ut *dict. cap. De his vero*; quia debebant lacrymis vacare: & ita intelligit *Innoc. in d. cap. 2.* & non dissentit *Abb. ibid. §. Secundo potest intelligi*, dicentes, has pœnas ex hoc textu fuisse imponendas in foro pœnitentiali: & facit, quod textus in principio, & eodem contextu pœnitentiam 11. annorum imponi præcipit; & quia textus situatur non sub *rub. de pœnis*, sed *de pœnitentiis, & remissionibus*; non ergo pertinent ista ad forum contentiosum: & hanc veriorem ait *Cardin. in dict. cap. 2.* qui etiam notat, hanc pœnitentiam non procedere in homicidio casuali, sed voluntario, de qua re dixi supra.

CAPUT V.

Homicidium in personam conjugis.

I. MAchinatio in mortem sui mariti, vel suæ uxoris ad effectum postea contrahendi cum alio, vel alia, reddit inhabilem ad sic contrahendum, *cap. Si quis vivente 31. q. 1. & c. 1. de convers. infidel.* & sic nota, quod ista duo copulative requiruntur ad causandum istud impedimentum, *Rota decis. 63. n. 1. in collec. Farin. de contract. & crimin.* ubi habes, qualiter probari istud impedimentum, ad impediendum matrimonium, vel dirimendum: & quidem, si utroque machinante, mors conjugis sequatur, eo ipso adest impedimentum dirimens, a solo Papa dispensabile: si autem solus vir, vel sola uxor machinetur, & cooperetur mortem suæ uxoris, aut viri, non participante in hoc, illo, vel illa, cum qua matrimonium intenditur de futuro, non causat impedimentum istud, nisi etiam concurrat crimen adulterii inter ipsos, *cap. Super hoc de eo, qui duxit in matr.* vide *Sanch. lib. 7. disp. 78. Coninch. disp. 41. dub. 5. Gutier. de matr. c. 105. a n. 1.*

II. Adde obiter aliam pœnam, quam incurrit occidens conjugem suum, vel suam; privatur enim omni lucro, quod alias morte illius naturali consequeretur, ut lucro dotis, vel donatione propter nuptias, *leg. Si ab hostibus §. Si vir ff. solut. matr. Menoch. de arbitr. in addit. ad casum 356. n. 109. & 110. Farinac. q. 120. n. 58. & 59.* item privatur omni legato, hæreditate, vel donatione causa mortis; quod est generale in omni occidente talem suum benefactorem, per *leg. Cum ratio §. final. ibidem Bar. ff. de bon. damn. Farin. q. 120. n. 23.*

Sed quæres, an hæc pœna liget ipso jure, etiam in foro conscientiæ, & cui applicentur talia bona? respondeo: legata, fideicommissa, & donationes causa mortis, ipso jure censentur nuda voluntate revocata, etiam pro foro conscientiæ, ab ipso occiso, ob ingratitudinem; & sic homicida tenebitur, etiam pro foro conscientiæ, ultro restituere hæredibus occisi, non autem fisco: ita *Sanch. lib. 4. opusc. c. 1. dub. 48. n. 7. cum communi.*

De hæreditate ex dispositione legis ab intestato obveniente, communis sententia est, non privari ipso jure, sed per sententiam, ut plurimi, quos allegat *Sanch. loc. cit. n. 4.* & tunc fisco applicatur, ut Doctores apud *Sanch.*

De hæreditate autem testamento obveniente, multi Doctores apud *Sanch. d. n. 4.* dicunt, ipso jure amitti, & sic ad hæredes ab intestato pertinere, aut ad vulgariter substitutos: sed magis communis ait, non amitti, nisi per sententiam, & ideo fisco applicari, ut *Sanch. n. 5. & 6.* cum allegatis, quia testamentum non revocatur nuda voluntate.

De lucris autem aliis, ut dotis, & donationis propter nuptias, aliqui distinguunt, quod si obveniant ex dispositione legis, non amittuntur ipso jure; si ex pacto, vel contractu, amittuntur ipso jure, quia videtur annexa tacita ista conditio; si non ipse mortem causaverit: plures allegat *Sanch. n. 4. & 5. & n. 14.* ubi hanc tenet: alii tamen dicunt, etiamsi ex dispositione legis deferatur, ipso jure amitti, quia illud lucrum censetur delatum sub ea conditione, nisi matrimonium solvatur culpa istius; ita *Ruinus tom. 5. consil. 11. n. 2. & 3. Clarus §. Homicidium, versic. Privatur etiam, Farinac. q. 120. n. 62.* & hæc verior videtur.

CAPUT IV.

Homicidium in personam sui ipsius.

Vide *infra verb. Manus.*

CAPUT I.

Horas canonicas non recitans beneficiatus.

IN Concilio Lateranen. sub Leone X. *sess. 9. §. Statuimus*, statutum est, ut quilibet habens beneficium, si post sex menses ab obtento beneficio, officium divinum non dixerit, legitimo cessante impedimento, beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro rata omissionis recitationis officii, & temporis; sed eos, tanquam injuste perceptos, in fabricas hujusmodi beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur.

Hoc decretum confirmatum est a Pio V. Bulla 135. *Ex proximo*, & declaratum: nam ibi dicit: qui uno, vel pluribus diebus omnes horas intermiserit, omnes fructus amittat, qui illi, vel illis diebus corresponderent, si quotidie dividerentur; item addit, quod si beneficiatus una die integrum officium prætermittat, pro dimidia officii parte prætermissa dimidiam restituat partem fructuum illi diei correspondentem: dimidiam autem partem officii declaravit esse matutinum, & laudes; alias vero sex horas constituere aliam dimidiam, pro quarum singularum omissione sextam partem fructuum illius diei amitti declaravit, idest, sextam illius dimidiæ diurnæ: unde qui omittit unum nocturnum, aut laudes, tenetur restituere octavam partem fructuum totius diei 24. horarum, qui autem unam horam diurnam omittit, tenetur restituere partem, ut supra, omnium fructuum 24. horarum.

Item declaravit idem Pius quod ille, qui primis sex mensibus non recitaverit, nisi legitime fuerit impeditus, grave peccatum committit, licet non teneatur ad restitutionem fructuum perceptorum, quia Ecclesia eam condonat, ut *Sanch. opusc. lib. 2. c. 2. dub. 82. n. 7. & 10.* vide *Suar. tom. 2. de relig. lib. 4. de horis canon. c. 30. n. 2. Layman lib. 4. tract. de benefic. c. 5.* & vide *Garziam de benefic. par. 3. c. 1. n. 7. & seqq.* hæc autem, tanquam pœna conventionalis, obligat in foro conscientiæ ante sententiam, ut de communi testatur *Layman ibi §. Tertium*, & rem certam esse testatur *Sanch. n. 8.* apud quem vide dilucidam hujus materiæ explicationem *a dub. 58. usque ad dub. 113.*

☞ *Propositiones circa omissionem horarum canonicarum proscriptæ, sub pœnis in illas docentes &c. & ad praxim dedu-*

centes, quas vide in fine Additionis ad cap. 1. verbo Missa, *primo ab Alex. VII. sub die 24. Septemb. 1665. & 18. Mart. 1666. quæ sunt in ordine la*

20. — Restitutio a Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna. —

21. — Habens capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.

33. — Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascunque eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit. —

34. — In die Palmarum recitans officium paschale, satisfacit præcepto.

35. — Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti, & crastino.

Ab Innocentio XI. quæ est in ordine la 54. sub die 2. Martii 1679.

— Qui non potest recitare matutinum, & laudes, potest autem recitare horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem. —

CAPUT II.

Horis non interveniens, vel non psallens Choro addictus.

Vide *verbo Residentia cap. 3.*

☞ *Quia in cit. c. 3. nulla mentio fit de onere psallendi in choro, ideo sequentia addendo duxi.*

Concilium Trid. sess. 24. cap. 12. de refor. §. Omnes, *statuit choro adstrictos compellendos esse per se, & non per substitutos divina obire, atque in choro hymnis, & canticis Deum laudare: ideoque licet præsentes sint, tamen, nisi una cum aliis alta voce psallant, præbendarum, ac distributionum fructus suos minime faciunt, & ad eorum restitutionem tenentur, quavis consuetudine in contrarium non obstante: nisi forte illis præsto sit legitimum, ac vigens apostolicum privilegium, ut declaravit Bened. XIV. Constit.* Cum semper *ad universos Italiæ Ordinarios* §. 24. 19. *Aug.* 1744.

Ex decretis Cong. Conc. per extensum relatis ab eodem Pontifice in suis Instit. Eccles. Instit. 107. §. 3. *notandum, quod ex cit. Triden. decreto non est sublata facultas sese invicem substituendi; dummodo eodem tempore substituens, & substitutus eidem servitio adstricti non sint; & dummodo substituentes non sint absentes a civitate, ejusque suburbiis: neque ea abutantur: licet ad substituendum causa non requiratur: qua tamen facultate uti nequit coadjutor.*

CAPUT III.

Horas non recitans pensionarius.

Ex Bulla Pii V. 135. *Ex proximo*, statutum est, ut pensionem habens ecclesiasticam, idest, non titulo seculari, sed clericali, teneatur recitare officium parvum B. Virginis; & si id non recitet, teneatur ad restitutionem, scilicet fabricæ Ecclesiæ beneficii, vel pauperibus, ut dixi *supra par.* 1. *c.* 32. vide *Garziam par.* 1. *cap.* 5. *n.* 67. *Sanch. opuscul. lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 63. ubi *n.* 5. ampliat, procedere etiam in conjugato, qui ex privilegio obtinet pensionem clericalem: item amplia, ut procedat etiam io habente pensionem, non excedentem sexaginta ducatos, licet non teneatur deferre habitum clericalem, ex Constit. Sixti V. quæ est 31. vide *Garziam n.* 12.

Ampliant etiam multi DD. ut procedat io eo, qui habet nudum titulum pensionis, scilicet super capite ipsius reservatæ ad favorem, seu utilitatem alterius, qui omnes fructus percipiat; quia dicunt, sibi imputare debere, & quia alias nullus diceret officium pro tali pensione, quia percipiens fructus, ipse non tenetur, cum ejus jus sit mere temporale, ita *Navarr. Pala. Cordub. & Henriq. apud Sanch. consil. dub.* 77. *n.* 1. *& dub.* 78. *n.* 1. *cap.* 2. *lib.* 2. *supra cit.*

Contra tamen, quod cum hæc reservatio, & separatio fiat pontificia auctoritate, dispensatum censeatur, ut neuter recitare teneatur, quia non potest imputari consentienti in nudum titulum, cum non sponte, sed jussus consentiat, ita *Sanch. dub.* 77. *n.* 4. *& dub.* 78. *n.* 3. & alii apud ipsum: & verior mihi videtur; quia communiter tenent Theologi, quod qui sine suo facto nullos fructus percipit, non tenetur recitare, *Layman cap.* 5. *n.* 4. *tit. de benef.* & alii communiter.

☞ CAPUT I.

Jejunium ecclesiasticum.

Docentes, defendentes, edentes sequentes propositiones, aut de iis, etiam disputative, publice, aut privatim tractantes, nisi forsan impugnando, ipso facto incurrunt excommunicationem Papæ reservatam; prohibenturque in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione divini judicis, eas ad praxim deducere, ex decretis Alex. VII. die 24. Septemb. 1665. & 18. Martii 1666. in quibus eædem proscriptæ fuerunt: sunt autem in ordine la

23. — Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat: puta, quia non vult se subjicere præcepto. —

29. — In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium. —

30. — Omoes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii; nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio. —

31. — Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt, equitando, utcunque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant. —

32. — Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in quadragesima obliget. —

CAPUT I.

Illegitimi ad clericatum non promovendi.

I. Illegitimus quilibet est irregularis, ut ad ordines, seu clericatum promoveri non debeat, *cap.* 1. *eod. tit. in* 6. & procedit, etiamsi occultum sit vitium natalium, *cap. Nisi cum pridem*, §. *Non tamen de renuntiat.* ita de communi testatur *Tolet. lib.* 1. *cap.* 52. *n.* 1. *Layman lib.* 1. *tractat. de irregular. cap.* 5. *n.* 1. *Gutier. canon. qq. cap.* 13. *n.* 20. *Sayrus lib.* 6. *c.* 10. *n.* 36.

Si autem illegitimus ordines reciperet sine dispensatione, peccaret mortaliter, & esset suspensus eo ipso ab executione ordinis suscepti, quod maneret adhuc irregularis: unde hæc suspensio non est censura aliqua, sed ipsa irregularitas perseverans, *Sayr. lib.* 6. *de irregul. cap.* 10. *n.* 37. quamvis *Majol. lib.* 4. *cap.* 33. *n.* 2. putet, incurrere veram suspensionis censuram, sed communiter rejicitur.

III. Ordinans autem illegitimum scienter, secundum aliquos, est suspensus a collatione ordinum, per *c. Cum Wintoniensis de elect.* ita *Majol. lib.* 1. *c.* 7. *n.* 2. *Sayr. lib.* 6. *c.* 10. *n.* 37. §. *Secundo*: sed veritas est, nullam adesse censuram latæ sententiæ, sed ferendæ suspensionis, ut dicam *verb. Ordo c.* 9. *&* 10. *& c. Cum Wintoniensis* loquitur de eligentibus scienter indignum ad Ecclesiam, non ad ordines promoventibus: & quamvis ex Bulla Sixti V. *Sanctum, & salutare*, contra male promotos, & promoventes, ordinans illegitimum, incurreret eo ipso suspensionem ab executione pontificalium, & ab ingressu Ecclesiæ, tamen hæc Constitutio fuit in hoc abrogata per Bullam Gregor. XIV. *Circumspecta: vide Sayr. cap.* 11. *n.* 4. *Suarez de cens. disp.* 50. *sect.* 5. *num.* 12.

Limita, quod legitimatus legitimatione canonica, scilicet ea, quæ a solo Papa fit, poterit ad ordines promoveri, neque est irregularis, sed censetur legitimus quoad omnia, quatenus fieri possit sine præjudicio tertii, cui esset jus quæsitum; ut *c. Per venerabilem, qui filii sint legitimi, Sayr. lib.* 6. *c.* 11. *n.* 6. *Garzias de benef. par.* 7. *c.* 2. *n.* 45. cum pluribus allegatis: sed hoc est verum in legitimatione per se concessa: secus est in ea, quæ consequitur ad dispensationem, quam Papa concedit, dispensando in radice matrimonii; prout dispensare censetur eo ipso, quod dispensat *ad remanendum in matrimonio nuliter contracto propter impedimentum dirimens*; tunc enim proles ante dispensationem ex tali matrimonio irrito suscepta, eo ipso legitimatur ad omnes effectus, etiam temporales, etiam in præjudicium filiorum, qui forte nati essent ex primis nuptiis legitimis, & in præjudicium aliorum omnium, etiam venien-

nientium ab intestato, ut late probat *Rota*, *Rec. par. 2. dec. 687. n. 16. Rota Recent. par. 1. dec. 166. n. 5. decis. 191. n. 4. dec. 455. n. 12.* & ubique reprobat opinionem *Sanch.* contrarium tenentis *lib. 8. de matr. dis. 7. n. 25.* dicentis, per solam clausulam, *remanendum in eo matrimonio*, non censeri Papam dispensasse in radice matrimonii: alias etiam Rota dictam opinionem *Sanchez* reprobavit apud *Seraph. decis. 1121. n. 3.* ubi *per totam* Rota etiam probat, quod Papa licet non possit, altero conjuge jam defuncto, approbare matrimonium, seu revalidare ad remanendum, cum termini non sint habiles; tamen potest dispensare etiam tunc in radice matrimonii, ad effectum legitimationis prolis ad omnes effectus spirituales, & temporales; etsi non semper quoad jus succedendi, ob præjudicium eorum, quibus est jus jam quæsitum in hæreditate, & idem tenet *Navarr. conf. 2. qui fil. sint leg. Corrad. de disp. lib. 8. cap. 3. num. 51. Rota dict. decis. 687. n. 13.* item sufficit pro legitimatione prolis susceptæ a parentibus, inter quos non aderat impedimentum matrimonii, ipsum subsequens matrimonium, *c. Tanta, qui filii sint legit. ibid. Canonistæ communiter, Ugol. de irregularitate c. 44. §. 3.* sed etsi proles esset suscepta extra figuram matrimonii a parentibus, inter quos tunc aderat impedimentum irritans, tamen si obtineatur postea dispensatio a Papa, ad effectum inter ipsos contrahendi, cum decreto legitimationis prolis susceptæ, & suscipiendæ, tunc vigore hujus subsequentis matrimonii, & decreti, proles efficitur legitima ad omnia, idest tam ad spiritualia, quam ad temporalia, ubique, idest etiam in terris Imperii: quia Papa solus in materia matrimonii, & consecutivis, habet plenam potestatem; & potest extendere jus canonicum, seu Constitutionum *dict. cap. Tanta*, etiam ad hunc casum, & majorem tribuere vim huic matrimonio, vigore dispensationis, contrahendo, quam alias habeat de jure communi: ita *Rota Recent. part. 1. decis. 166. n. 5. & 6. & dec. 191. n. 4.* quibus locis testatur, hanc esse veram, & communem, & stylo Curiæ receptam, cum *Covarr. in 4. decreti part. 2. cap. 8. §. n. 18. Mantica de conject. lib. 11. tit. 12. n. 8. Gabr. lib. 1. conf. 21. n. 14.* quidquid in contrarium teneat *Sanch. de matr. lib. 8. dis. 7. n. 14.* cujus sententiam falsam esse ait *Rota dict. n. 5. & 4.*

Amplia hanc doctrinam, ut per tale decretum, proles legitimata remaneat etiam ad effectum excludendi venientes ab intestato, etiamsi matrimonium postea non effectuetur, non ob mutationem voluntatis eorumdem parentum, sed ob aliquam causam involuntariam, v. g. mortem alterius ex illis, ita tenuit *Rota*, *& sæpius* judicavit, ut *Seraph. decis. 1121. a n. 1. cum ibi allegat, & Rota part. 1. divers. decis. 207. n. 2. & 3. & alii DD.* quos allegat, & sequitur *Corrad. de dispens. lib. 8. cap. 2. n. 28. & 33.*

Item amplia, quod quando Papa dispensat ad remanendum, filii eo ipso sunt legitimi, qui nati erant ex irrito matrimonio, etiamsi non interveniat novus consensus conjugum, *cap. Quia circa de consang. & affin.* quia per talem dispensationem Papa facit, illud matrimonium reputari validum ab initio. Nec obstat clausula, mandans eos de novo in facie Ecclesiæ contrahere; quia hoc mandatur non ex necessitate, sed ad vitandum scandalum: ita *Rot. decis. 687. n. 10. & 12. part. 2. recen.* dummodo dispensatio sit petita utriusque consensu.

Item per ingressum Religionis, idest professionem, naturalis legitimus efficitur, ut possit ad Ordines promoveri, *cap. 1. de fil. presb. Ugolin. loc. cit. §. 4.* Et licet Sixtus V. in Bulla *Cum de omnibus*, & Bulla *Ad Romanum*, huic juri communi derogaverit; tamen ejus Bullæ in hoc fuere abrogatæ a Gregorio XIV. Bulla 3. *Circumspecta*, *Suarez disputat. 50. sect. 5. n. 4. Cherubin. super Bulla citata Gregorii XIV.* Item potest Episcopus dispensare cum illegitimo, ut promoveatur ad minores Ordines, *cap. 1. de fil. presb. Garzias n. 48.* cum ibi allegatis. Item, ut ministret etiam in sacris, quos bona fide suscepit, & hoc esse certum ait *Layman lib. 1. tract. de irregularitate cap. 5. n. 2. Sayrus lib. 6. cap. 10. n. 37.*

Hic meminisse oportebit, quod natus ex muliere habente maritum, præsumitur filius mariti, & non adulteri, & sic præsumitur legitimus, etiamsi contra eum concurrant conjecturæ nominationis, & tractationis pro filio ab adultero, vel etiam assertionis matris; aut etiam similitudinis vultus adulteri, ac frequentis accessus, seu consuetudinis adulterinæ; imo etiam concubinatus, seu retentionis mulieris in domo adulteri, si non erat prohibitus accessus mariti ad uxorem. Sed dicens illegitimum, seu spurium, in casu isto probare debet absentiam mariti coarctatam loco, & tempore, quo potuisset filius de eo concipi, per *leg. Si vicinis C. de nup. leg. Quia semper ff. de in jus voc.* Hæc omnia habet *Rota decis. 164. part. 1. collect. posth. Farinac.* neque standum assertioni matris, *Masc. concl. 1022. n. 17. Menoch. de arb. cas. 89. n. 28.* Vel probare debet, quod sit illegitimus per famam, seu communem reputationem, concurrentibus aliis adminiculis, seu conjecturis gravibus; alias enim fama sola non sufficit contra eum, qui est in quasi possessione legitimæ filiationis, *Gozadin. conf. 13. n. 30. Ruin. conf. 52. n. 2. vol. 5. Rota dict. decis. 164. n. 9. Buratt. decis. 1. n. 12.* nisi essemus in antiquis, idest quando ageretur de probanda filiatione illegitima, existente supra 60. annos: tunc enim sufficit probare famam, etiam sine adminiculis, *Buratt. decis. 725. n. 3. & 4.* Adverte tamen, quod in omni casu, quando constat de fama illegitimorum natalium, talis est censendus illegitimus, & irregularis, si agatur de eo promovendo, etiam ad ulteriores Ordines, nisi famam purgaverit juramento, & rationibus contrariis famæ, *Joan. Andr. & Præp.* quos allegat, & sequitur *Masc. concl. 832. & 10. tex. in cap. Decodens de purgat. can. ibi gl. verbo Purgatione.* De Infantibus autem expositis, an censeantur illegitimi, & irregulares, multi DD. negant, ut *Anan. in cap. 1. de inf. exp. & alii*, quos allegat, & sequitur *Barbosa ibi §. Verum*, ubi ait, hanc esse magis communem sententiam. Sed alii frequentiori calculo affirmant, eos esse censendos illegitimos, quos allegat, & sequitur *Garziae part. 7. cap. 2. n. 8. & 9.* & hanc communem ait *Layman lib. 1. tract. de irregular. c. 5. n. 4.* & tenet *Rota*, *Seraph. decis. 1081. n. 3.* ubi de expositis hospitali Sancti Spiritus: prima tamen sententia non caret probabilitate, etiam in praxi, *Garz. ibi*, *Diana resol. 22. tract. 1. miscell. tom. 1. & resol. 6. in addit. ad tom. 2.*

In hoc fere omnes conveniunt, quod si talis fuerit bona fide ordinatus, poterit sine scrupulo celebrare, *Sayr. lib. 6. cap. 10. n. 39. in fin. Garz. n. 11. Layman n. 4. Achill. decis. 1. qui fil. sint leg. n. 15. & 16.* Item, quod etiam de promovendo possit Episcopus dispensare cum istis, *per c. Tanta qui fil. sint leg. Sayr. n. 39. Laym. ibi.*

Filii vero nati ex matrimonio irrito, etiam incestuoso, sed bona fide contracto in facie Ecclesiæ, præviis denuntiationibus, juxta formam juris, idest *c. fin. §. Si quis vero, de clandes. despon. & Triden. Concilii sess. 24. c. 1. de refor. matr.* legitimi sunt ad omnes effectus, *cap. Ex tenore, qui filii sint legit. l. Si vicinis, C. de nup. Barbosa in dict. §. Si quis vero, n. 8. Sanch. de matr. lib. 8. dis. 34. n. 46. & lib. 3. dis. 42. n. 1. & seqq.* & de magis communi testatur *Rota decis. 280. part. 2. rec. Farinac. quæst. crim. 149. n. 139.* ubi testatur de communi sententia: & sufficit, quod sit bona fide contractum ab uno saltem ex parentibus, idest a patre, vel a matre; utque filii, stante ea bona fide, sint geniti; ut de communi testatur *Farin. ibi n. 140.* & late *Barbosa in cap. Ex tenore cit. n. 4. Rota dict. decis. 280. n. 1. Caval. decis. 10. n. 3. & 4.*

Filii quoque nati ex matrimonio irrito defectu assistentiæ veri proprii parochi, bona fide contracti, legitimi sunt, *Sanch. lib. 3. dis. 42. n. 5. Rota dict. decis. 280. n. ult. part. 2. rec.*

Quando etiam probaretur, quod filii nati essent ex matrimonio contractu publice coram alieno parocho, seu sacerdote; etiamsi positive non constaret, quod præcessisset licentia proprii parochi, aut Episcopi, sive ejus vicarii generalis, tamen filii præsumendi essent legitimi adversus tertium, ver. gr. consanguineum, & censerentur habere intentionem fundatam, & præsumptionem pro se, quod licentia prædicta intervenerit; & fundans intentionem suam in illa negativa, teneretur eam directe probare, ut *Cephal. conf. 47. n. 2. vol. 1. Mascard. de probat. concl. 985. n. 3. Sanch. de matr. lib. 3. dis. 27. n. 5.* quia potuit parochus concedere licentiam cuilibet sacerdoti assistendi matrimonio, etiam in aliena parochia, *Sanch. dis. 19. n. 15. Gutier. de matr. c. 62. n. 5.* ideo præsumendum est ad favorem conjugatorum, & filiorum, quod ea licentia fuerit concessa, ita *Lapus allegat. 126. n. 1. & ibi Mandosius* ait communem. Multo magis, si conjuges fuissent personæ honestæ, & bonæ famæ, & multum temporis intercessit, ita ut proprius parochus scivisse censeatur, & nullam moverit controversiam, *Lapus ibi*, *Innoc. & alii Canonistæ in cap. Super his de accus.*

Illud nota, quod filia, jussu patris matrimonium irritum contrahens, præsumitur, id fecisse bona fide, *leg. Liberorum*,

§. *Excusatur ff. de his, qui not. infam.* ergo filii sunt legitimi. Adde etiam, quod matrimonium contractum ea hora, seu tempore, quo dispensatio Papæ jam expedita erat in forma gratiosa super impedimento irritante, validum est, & filii sunt legitimi, etiamsi tempore contractus contrahentes ignoraverint, dispensationem tunc expeditam esse, *Rota dict. decis.* 280. *num.* 5. *part.* 2. *recen.*

Denique adverte, quod causa legitimorum natalium est fori ecclesiastici, & non laicalis, *cap. Lator ibi gloss. verbo Quæstione nativitatis, & ibi Abb. num.* 2. *qui fil. sint legit. Rota part.* 1. *noviss. decis.* 117. *num.* 4.

☞ *Nota circa dispensationem cum illegitimis pro recipiendis sacris Ordinibus, quod cum in litteris Apostolicis apponatur clausula* — Dummodo paternæ incontinentiæ imitator non sit — *ex decret. Cong. Conc.* 23. *Decemb.* 1596. *relat. a Bened. XIV. lib. XIII. de Synod. c.* 24. *n.* 22. *huic* — non aliter per Episcopum executorem satisfit, quam in quærendo, quod nihil bonis moribus indignum compererit. Quod, si integro decennio dispensandus probe vixit, — *debet* — exequi litteras dispensationis, quamvis prius incontinentiæ nomine suspectus esset. Sed hoc casu — *debet Episcopus* — accuratius inquirere ad diluendam prioris vitæ suspicionem. — ☜

CAPUT II.

Illegitimi ad beneficia, & dignitates non promovendi.

ILlegitimi sunt inhabiles ad beneficia, etiam simplicia, obtinenda, ratione irregularitatis, propter quam non possunt ad Ordines promoveri, *cap.* 1. *de fil. presb. in* 6. *gloss. in cap.* Nimis, *verbo Sedis Apostolicæ de fil. presb. Ugolin. de irregularitate cap.* 44. §. 1. *n.* 5. *Garzias part.* 7. *cap.* 2. *n.* 1. Potest tamen Episcopus dispensare cum promoto ad minores, vel primam saltem tonsuram, scilicet ex dispensatione sua, ut obtinere possit beneficium simplex, *dict. cap.* 1. *de fil. presbyt. in* 6. ad beneficia autem, curam animarum habentia, solus Papa cum illegitimo potest dispensare, *dict. cap.* 1. *de filiis presb. in* 6.

An autem dispensatus ab Episcopo ad minores, vel primam tonsuram, eo ipso reddatur dispensatus ad beneficium simplex, vel dispensatus ad curata beneficia: nonnulli affirmant, quia illegitimus non est incapax beneficii illius, nisi ratione irregularitatis, ob quam non potest ad Ordines promoveri; & ita docent *Henriquez lib.* 14. *de irregularitate cap.* 8. *n.* 10. & alii, quos tacito nomine refert *Azorius tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 3. *quæst.* 4. & quod dispensatus ad Ordines, censeatur dispensatus ad beneficia simplicia, eo quod conveniat talibus Ordinibus, tenet *Sayr. lib.* 7. *de irregul. cap.* 14. *n.* 22. *in fin.* ait tamen, non censeri ex hoc dispensatus ad dignitates, aut curata beneficia: alii dicunt, quod dispensatus ad Ordines sacros, censetur dispensatus ad beneficia simplicia; secus si ad minores tantum sit dispensatus, quia de jure communi nemo debet ordinari, nisi ad titulum beneficii, & ita tenet *Sanch. de matr. lib.* 8. *disp.* 1. *n.* 27. cum multis Canonistis. De pensione autem quid, dicam infra: sed communis sententia negat, ut testatur, *Azor. ibidem quæst.* 4. & 5. & tenet *Avila part.* 7. *disput.* 3. *dub.* 6. §. 4. *Notandum*, & plurimi, quos allegat, & sequitur *Garz. part.* 1. *cap.* 2. *n.* 68. quia dispensatio est stricti juris, & irregularitas illa intelligitur auferri, solum quoad expressa: & facit, quod habetur in *dicto cap.* 1. *de fil. presbyt. in* 6. §. *Ille vero*. Quod si Papa dispenset cum illegitimo ad beneficium, non potest per hoc, nisi unum obtinere, quia dispensatio est exorbitans, inquit textus, & tanquam odiosa restringenda: & dictam communem sententiam probat, servari de stylo Curiæ *Corrad. de dispens. l.* 1. *cap.* 5. 15. & 25.

An autem illegitimus, obtinens beneficium bona fide, absque dispensatione, juvetur regula de triennali, communior affirmat, ut *Sanchez in opusc. lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 31. *n.* 24. Et procedit etiam hujus regulæ beneficium in prælaturis, & dignitatibus, *Sanchez ibi dub.* 29. *n.* 7.

II. Similiter illegitimus est incapax pensionis ob irregularitatem: sed an dispensatus ad Ordines remaneat capax pensionis, aliqui dicunt, esse incapacem, nisi super hoc etiam dispensetur: & hanc probabiliorem ait *Castropalao tom.* 2. *de religione tract. de benefic. disp.* 1. *punct.* 11. §. 3. *n.* 5. & tenet *Rebuff. in praxi titulo de dispensatione ad plura n.* 65. ubi ait, illegitimum dispensatum ad beneficia, non censeri dispensatum ad pensionem, per *c. Quamvis de preben. in* 6. tamen contrariam probabilem ait *Castropalao ibidem*, & ita tenet *Rota decis. Seraph.* 1264. *n.* 2. ubi plures referuntur decisiones; & affert rationem Rota, quia illegitimus non est incapax pensionis, nisi ra-tione defectus ad clericatum; unde inquit, dispensatum ad clericatum, non indigere ulla dispensatione ad pensionem; & idem habet *Rota Buratti decis.* 53. *n.* 2. excipitque pensiones super beneficio parentum, ex Trid. *sess.* 25. *cap.* 1. *de ref. Burat. ibid. n.* 4. & *idem* tenet *Rota part.* 2. *noviss. decis.* 12. ubi assignat rationem, quia pensio est quid magis temporale, quam spirituale.

III. Præterea illegitimus est inhabilis ad prælaturas, dignitates ecclesiasticas, & personatus, *tex. in cap.* 1. *de fil. presbyt. & cap. Nimis, eodem tit.* nisi per dispensationem Sedis Apostolicæ cum eo dispensetur, ut *dicto cap. Nimis, Garzias part.* 7. *cap.* 2. *n.* 53. ubi plures. Et amplia, quod etiam professus in religione, licet eo ipso fiat legitimus, quoad alia, non tamen quoad prædicta, *dict. cap. de filiis presbyterorum*.

Amplia, quod etiam dispensatus in sæculo a Papa ad obtinendum curatum beneficium, si fiat religiosus, adhuc non potest fieri Prælatus regularis sine nova dispensatione, ut *Navarr. Miranda, & Sayr.* quos refert *Barbos. in dict. cap. Nimis num.* 3.

Amplia, secundum magis communem, ut neque eligi possit monialis illegitima in Abbatissam, seu præfectam monasterii, per *cap. Indemnitatibus, §. Sane, vers. Verum, si quæ de election. in* 6. hanc communissimam ait *Sanch. lib.* 5. *in decal. cap.* 5. *n.* 19. ubi plurimos allegat, & magis communem ait *Barbos. in cap.* 1. *de fil. presbyt.* & hanc in praxi tenendam ait *Suarez tom.* 4. *de relig. lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 14. Quamvis contrarium teneant multi, ut *Miranda tom.* 3. *tract. de Monial. quæst.* 3. *art.* 3. male allegans *Jan. Andr. Gemin. Felin. & Anchar.* qui hoc non dicunt. Sed id alii tenent, quos allegat *Diana resolut.* 101. *tract.* 2. *tom.* 2. qui ait, ita a S. Congreg. declaratum, quia Abbatissa, cum non habeat jurisdictionem ecclesiasticam, sed potestatem œconomicam, non est proprie prælationem, aut dignitatem habens: sed non potest negari, quin saltem habeat personatum. Præterea, ut ait *Garzib. de aut. leg. lib.* 7. *n.* 302. id rationi consonat, quia Abbatissa debet præ cæteris pollere opinione castitatis, *cap. Juvenculas, ibi glos. verbo Sexagenarium*, 20. *q.* 1. in illegitima autem est præsumptio paternæ incontinentiæ, *cap. Litteras de fil. presbyt.*

Limita, quod legitimatus per subsequens matrimonium, est habilis ad omnes dignitates, etiam ad Cardinalatum, & Papatum, ut *Ugolin. de irregul. cap.* 34. §. 3. *cum Vivio, Adven. & Natta*.

IV. Si quis autem illegitimus electus fuerit in Episcopum scienter, electio est nulla, & clerici electores eo ipso sunt privati potestate eligendi pro illa vice, seu vacatione, & suspensi triennio a beneficiis, *cap. Cum in cunctis in princ. juncto §. Clerici sane, de elect. & cap. Innotuit* 20. *eod.* ait. Item Episcopus confirmans talem electum, incurrit, secundum aliquos, in pœnas privationis juris beneficia conferendi in ea Ecclesia; de his dixi *verbo Electio cap.* 3.

Quod autem dicitur, si scienter eligant, ampliant Doctores, etiamsi ex ignorantia crassa, vel supina: & ideo ipsi tenentur probare ignorantiam probabilem, seu justam, ut *dict. cap. Innotuit, ibi gl. verbo Ignorantiam, & ibi Barbos. n.* 22. *cum Tiraq.*

V. Illegitimi filii clericorum, seu presbyterorum, etiam dispensati a Papa ad beneficia, adhuc intelliguntur remanere inhabiles ad obtinenda beneficia in ea Ecclesia, in qua pater eorum beneficium habuit, vel habet, *cap.* 2. 3. & 4. *de fil. presbyt. & Trident. sess.* 25. *cap.* 15. *de ref.* ubi additur, ut neque in ea Ecclesia possint quandocunque ministrare, neque pensiones obtinere super beneficiis, quæ pater eorum habet, vel obtinuit: & de hac re vide *Garziam par.* 7. *cap.* 3. *a n.* 1. *Castropal. tom.* 2. *de relig. tract.* 12. *punct.* 11. §. 9. *n.* 6. & *Sanchez opusc. lib* 2. *cap.* 2. *dub.* 56.

☞ *Ex Decretis Cong. Conc. relat. a Bened. XIV. lib. XIII. de Synod. diœc. cap.* 20. *filius illegitimus patris jam defuncti, neque potest audire confessiones in Ecclesia, quam pater, uti parochus, obtinuit: quod locum habet, etiamsi parochiam, intermedia persona, obtinuerit. Non prohibetur autem, quominus possit esse cappellanus amovibilis, ubi pater fuit pariter cappellanus amovibilis. Item pater legitimus potest obtinere, etiam immediate, beneficium filii illegitimi defuncti. Insuper nepos legitimus ex patre illegitimo progenitus, capax est beneficii, quod avus antea possedit. Capax pariter est beneficii filius legitime natus ex patre naturali legitimato.* ☜

CA-

CAPUT III.

Illegitime natis, etiam legitimatis, relinqui, vel dari non possunt a clericis bona, etiam patrimonialia, neque a laicis bona ecclesiastica.

I. EX Bulla 117. Pii V. *Quæ ordini*, statutum est, ne fieri possint testamenta, donationes, legata, & quæcunque dispositiones, tam in ultima voluntate, quam inter vivos, de rebus, seu bonis ecclesiasticis, seu spiritualibus (ut sunt beneficia, & pensiones) sive temporalibus (ut sunt pecuniæ, & stabilia) ac etiam de acquisitis ex redditibus, vel officiis ecclesiasticis, sive eorum occasione, sive aliter acquisitis, ut sola industria, vel labore, in quacunque quantitate ad favorem quorumcunque illegitimorum, vel legitimatorum, sive sint filii proprii ipsius disponentis, sive alieni; itaut neque ex testamento, neque ab intestato, neque inter vivos talia bona, sive allodialia, sive feudalia, vel emphyteutica ecclesiastica, percipere possint illegitimi, neque ipsorum consanguinei, vel conjuges, tam ipsis illegitimis viventibus, quam defunctis: neque titulo paupertatis, vel dotis, aut alterius pii operis, neque a persona particulari, neque ab universitate, neque directe, neque indirecte, vel immediate, vel mediate, ut per circulum: & revocantur omnia privilegia super his dispositionibus faciendis, vel percipiendis concessa. Excipiuntur tamen hospitalia, v. gr. expositorum, vel orphanorum, quia ea capacia remanent.

II. Denique decernit, quod si quis contra hanc prohibitionem disponat ad favorem personarum taliter incapacium, dispositio illa sit nulla ipso jure in totum, id est, non solum quatenus est ad favorem dictorum illegitimorum &c. sed etiam quatenus sit ad favorem aliorum quorumlibet; & nemo possit talia bona retinere vigore talis dispositionis, nec præscriptione juvari, aut alio juris præsidio; sed recuperari possint ab iis, ad quos alias de jure pertinerent, v. gr. ab hæredibus venientibus ab intestato, si sint bona patrimonialia, vel mixta, vel a successoribus beneficiorum, si sint ecclesiastica, neque alias ad spolium Cameræ pertineant, ut etiam probat *Bulla Pauli V. infra cit.* & si illi negligant recuperare, locorum Ordinarii illa bona apprehendant, & dispositioni Sedis Apostolicæ reservent: ex quibus apparet, hanc pœnam ligare ipso jure in foro conscientiæ, & in foro contentioso.

Sed nota, quod Sixtus V. Bulla 100. §. 15. absolute Cameræ Apostolicæ applicavit relicta illegitimis contra Constitutionem Pii V. postea Paulus V. Bulla 18. *In eminenti*, statuit ut relicta (contra hanc Pii V. Constitutionem) illegitimis a curialibus, incolis, & civibus originariis Urbis Romæ, ibi, vel intra 10. milliaria decedentibus, ad venientes ab intestato pertineant; dummodo non relinquantur illegitimis a se genitis, nec sint bona ecclesiastica.

De jure autem communi filius spurius, præter necessaria alimenta, nihil potest capere, neque in foro conscientiæ retinere, *Less. lib. 2. cap. 19. n. 58.* imo si hæres institutus fidem accommodavit de restituendo filio spurio testatoris, non tenetur exequi, & potest sibi retinere, donec a fisco privetur; ita *Less. n. 60. & 61.* si tamen hæres sciens se non obligari, nihilominus tradat spurio, spurius poterit retinere, *Less. n. 62. & 63.* At vero illa applicatio facta Cameræ a Sixto V. obligat in conscientia, quia non est pœnalis, sed definitiva, sicut in aliis casibus jure spolii ibi a Sixto numeratis, & quia subrogatur Camera in locum hæredum legitimorum; & tenent in simili *Azor. tom. 2. lib. 8. cap. 2. quæst. 3. Filiucc. tract. 43. cap. 4. n. 22.*

III. Idem Pius V. alia Bulla *Ad Romanum*, declaravit, supradictam Constit., & prohibitionem procedere etiam de bonis patrimonialibus clericorum, ut illegitimis, vel legitimatis relinqui non possint.

Advertendum, quod licet ista Bulla videatur valde indistincte loqui, & multum se extendere, tamen satis moderate, & stricte intelligitur a Doctoribus, itant nihil immutet, seu corrigat de jure communi, sed solum de jure privilegiato extra jus commune, seu non clauso in corpore juris communis, quia nulla in ea Bulla adest derogatio juris communis: ita *Quaranta verbo Illegitimi in addit. Rota divers. decis. 214. par. 2. n. 1. & decis. 505. n. 5. par. 1. Cherubin. schol. 2. super ea Bulla, Seraphin. decis. 478. n. 4. & decis. 1958. per totam, Filiuc. tract. 43. c. 4. num. 35.* Adde, quod neque derogat juri succedendi, provenienti ex lege municipali, seu Regni, ex quo alicubi illegitimi, deficientibus filiis legitimis, succedunt, si non sint spurii, *Rota decis. 319. num. 5. par. 1. noviss.* itaque dicunt in summa, hoc solum decerni per istam Bullam, ut clerici non possint disponere ad favorem illegitime natorum de bonis mere ecclesiasticis, vel mere patrimonialibus, vel mixtis, idest acquisitis proprio labore, occasione officii clericalis: laici autem non possint disponere ad favorem illegitime natorum de bonis ab Ecclesia protectis, sive ex privilegio, sive ex contractu, ut sunt feudum, & emphyteusis ecclesiastica: ita *Quaranta, & Rota loco cit.*

Hinc etiam dicunt, non obstante ea Bulla, illegitimos posse capere etiam a patre clerico, titulo necessariorum alimentorum, quando scilicet jure naturæ debentur, & ex canonica æquitate, *c. Cum haberet, ibi Canonistæ, de eo, qui duxit in matrim. Quaranta loc. cit. §. Quamvis, Rota apud Rubeum decis. 30. n. 36. Filiuc. n. 36. c. 4.* quando scilicet aliunde non habet, unde se alat, ut *DD. ibi, & Rota decis. 224. n. 5. par. 2. Recent. Cravett. consil. 199. n. 1.* & ad hunc effectum non attenditur industria, seu quod lucrari possit ex operis suis, propter fragilitatem humanæ potentiæ, quæ facile variatur tempore, ut senio, morbo &c. sed attendendum est, an habeat ex redditibus, *Rota ibi, Cravett. n. 2. & alii apud eos citati*: & nota, quod æquitas *dict. c. Cum haberet*, procedit etiam in foro laico in terris Imperii, *Rota apud Rubeum dicta decis. 30. n. 34.* sic etiam dicunt, valere dispositionem, qua pater de bonis laicalibus disponeret ad favorem illegitimi ex non damnato coitu, pro ea quantitate, quam de jure communi potest pater illi relinquere, *Rota divers. decis. 487. n. 1.*

Item dicunt, posse illegitimum capere ab extraneis, si non contemplatione talis filiationis relinquatur eidem, *Rota diversor. decis. 505. n. 5. par. 1. cum allegatis.*

☞ *Circa alimenta danda filiis illegitimis, & legata, seu relicta favore consanguineorum eorumdem illegitimorum, vide a me firmata in Additionibus ad Instit. Canon. Maschat part. 1. pag. 596. col. 2.* ☜

Item dicunt, hic nomine clericorum non contineri clericos conjugatos, neque clericos in minoribus, beneficium ecclesiasticum non habentes, nisi disponant de rebus acquisitis ex bonis ecclesiasticis, & ex pensionibus, vel officiis, vel beneficiis ecclesiasticis, *Rota diversor. decis. 487. part. 1. n. 2. Cherubin. scholio 2. cit.*

Item asserunt, quod licet illegitimus sit incapax successionis in emphyteusi ecclesiastica, jam concessa, tamen potest eam de novo acquirere: ita *Seraph. d. decis. 478. n. 3.*

Denique dicunt, illam pœnam irritationis totius dispositionis, etiam pro parte alias licita, seu ad favorem aliorum ultra illegitimos factæ, non habere locum, nisi in dispositione, quæ de jure privilegiario fieret, ut a clerico vi facultatis testandi de bonis ecclesiasticis: ita *Navar. in eandem Bullam n. 7. in fin.*

Limita etiam præfatas Constitutiones, ut non procedant, quando filius illegitime natus, fuisset a Papa legitimatus in amplissima forma, & restitutus ad primæva jura naturæ, tanquam vere, & non ficte de legitimo matrimonio natus; tunc enim ei debetur legitima etiam super bonis ecclesiasticis sui patris clerici, de quibus habet pater privilegium testandi, *Rota Recent. par. 1. decis. 653. per tot.*

De materia illegitimorum, & quid capere possint inter vivos, vel ex testamento, vel ab intestato de jure communi, vide *Sanch. opusc. lib. 4. cap. 3. per totum, Molinam disp. 166. tom. 1. Less. c. 19. dub. 6. Barbos. in d. c. Cum haberet, de eo, qui duxit*: & de pœna privationis, seu confiscationis hæreditatis, seu legati ob fidem tacite accommodatam de iis restituendis filio spurio incapaci, qualiter obliget in conscientia, late tractat *Sanchez ibid. dub. 20. & 21.*

CAPUT IV.

Illegitimos, vel legitimatos admittens ad habitum, vel professionem religiosam.

SIxtus V. Bulla 71. *Cum de omnibus*, statuit, ut illegitimi, nati ex incestu intra tertium gradum, vel ex sacrilegio propter votum solemne, non possint recipi ad habitum, vel professionem religiosam, etiamsi essent legitimati a Papa, vel Imperatore: et si contra fieret, statuit, professionem nullam esse, & superiores admittentes incurrere excommunicationem Papæ reservatam: ad habitum tamen conversorum,

idest

ideſt famulorum, ſeu oblatorum pro humilioribus miniſteriis, recipi permiſit: alios autem illegitimos conceſſit, recipi poſſe, præcedente ſcrutinio, ſeu informatione, ſeu teſtimonio de vita, & moribus, in capitulo generali, vel provinciali, approbatione intercedente: ita tamen, ut remaneant inhabiles ad gradus, & dignitates ſui Ordinis: et ſi contra hanc formam reciperentur, decrevit, profeſſionem nullam, & recipientes incurrere excommunicationem Papæ reſervatam.

Excipit autem alia Bulla ſequenti *Ad Romanum*, ab hac prohibitione legitimatos per ſubſequens matrimonium ſecundum jus commune, & declaravit, contra hæc decreta irritantia non intrare tacitam profeſſionem: denique derogavit omnibus privilegiis Ordinum legitimandi ad dignitates, & gradus Religionis.

II. Sed Greg. XIV. Bulla 3. *Circumſpecta*, ſtatuit moderationem dictarum Conſtitutionum Sixti V.

Primo enim reſtituit privilegia Religionibus, olim conceſſa, legitimandi, etiam ad honores, & gradus, & dignitates: ſecundo, ſuſtulit nullitatem profeſſionis in omnibus prædictis caſibus: tertio conceſſit, ut illegitimi quicunque, etiam licite recipi poſſint, præcedente ſcrutinio ſupradicto, dummodo filius illegitimus, in Religione, in qua pater, ſive ante, ſive poſt nativitatem dicti filii profeſſus fuerit, ipſo patre vivente, non admittatur: quarto ſtatuit, ut illegitimi non admittantur, niſi cum conſenſu Generalis, vel Provincialis, & quod ſcrutinium, & approbatio fiat in capitulo generali, vel provinciali: at in Religionibus, in quibus receptio pertinet ad particularia monaſteria, quia habent jus filiationis, debeant, & poſſint recipi cum ſcrutinio talis capituli localis, ſeu conventus, & ſuperioris localis: & quod non recipiantur ad profeſſionem, niſi plena inquiſitio fiat de his, & in capitulo eodem referantur, & approbentur.

III. Item Bulla Clem. VIII. *In ſuprema*, quæ eſt 83. reduxit ad terminos juris communis dictas Sixti Conſtitutiones, auferendo inhabilitatem illegitimorum ad habitum, & profeſſionem, & nullitatem profeſſionis, ſive ob dictam inhabilitatem, ſiva ob formam prædictam non ſervatam ſcrutinii, ut ſupra; ſalvis remanentibus pœnis, ſtatutis a Sixto contra ſuperiores admittentes ad habitum, vel profeſſionem, non ſervata forma illa, ſcilicet ſcrutinii præcedentis.

Harum Conſtitutionum explicationem vide apud *Roderic. quæſt. regul. tom. 3. q. 8. art. 5. Cherub. in Bullam cit. Greg. XIV. Sanch. de matrim. diſp. 37. lib. 7. num. 55. Beya part. 4. reſpon.* 18.

☞ CAPUT I.

Imagines Jeſu Chriſti, B. Virginis, Angelorum, & quorumcunque Sanctorum, ſculpentes, aut pingentes habitu peculiari alicujus Ordinis regularis, aut alio modo in Eccleſia catholica non conſueto: & ſic ſculptas, & pictas ab Eccleſiis non removentes.

EX *Conſtit. Urbani VIII.* — Sacroſancta Tridentina — 15. *Mart.* 1642. *puniri poſſunt, & debent, quicunque illi ſint, ſeculares, & regulares, quomodolibet exempti, etiam Societatis Jeſu, & S. Joannis Hieroſolymitani, tam a locorum Ordinariis, quam a Nunciis, & Legatis a latere, tanquam in hoc delegatis a Sede Apoſtolica, quacunque appellatione remota, juris remediis ordinariis, & extraordinariis, ac cenſuris eccleſiaſticis, aliiſque pœnis eorum arbitrio, prævia unica monitione: & quoad loci ſuperiores regulares, etiam privationis officii, & vocis activæ, & paſſivæ.* ☜

CAPUT I.

Immunitatem localem eccleſiaſticam violantes, offendendo eos, qui ad Eccleſias confugiunt.

I. EXtrahens reum de loco ſacro, aut ei in loco ſacro exiſtenti aliquid nocumenti inferens in perſonam, aut bona, quæ ſecum intulit, incurrit in excommunicationem, ex Bulla Greg. XIV. *Cum alias*, quæ eſt 7. §. 9. ibi — ſi quis quacunque dignitate, vel auctoritate præditus, quidquam præter, aut contra hujus noſtræ Conſtitutionis tenorem attentare præſumpſerit, declaramus, eum ipſo facto cenſuras, & pœnas eaſdem incurrere, quæ contra libertatis, & immunitatis eccleſiaſticæ violatores per ſacros Canones, & Conciliorum generalium, noſtrorumque Prædeceſſorum Conſtitutiones ſunt promulgatæ — & ita inferri excommunicationem latæ ſententiæ, per hæc verba teſtantur *Genuenſ. in praxi cap. 17. n. 1. & Farinacc. de Immunit. Eccleſ. n. 311. & Caſtropal. tom. 2. de Relig. tract. 11. diſput. un. punct. 12. num. 13.*

De jure autem communi, præſcindendo ab hac Bulla, nulla erat in hoc caſu cenſura latæ ſententiæ, ſed ferendæ, ut *Farinac. n. 312.* cum plurimis, quos allegat *num. 311. & Suar. tom. 1. de Relig. lib. 3. cap. 13. Sanchez opuſc. lib. 3. cap. un. dub.* 32. qui ponit praxim pro locis, quibus non viget Bulla Gregor. XIV.

Neque obſtat *cap. Definivit 17. quæſt.* 4. ubi, ſi quis extraxerit reum de loco ſacro, aut aliquid nocibilitatis eidem ibi exiſtenti intulerit, excommunicationi eccleſiaſticæ ſubjaceat: nam reſpondetur illum eſſe Canonem Concilii Toletani, non œcumenici, ſed provincialis.

Hæc autem excommunicatio ſecundum veriorem, & ſtylo Curiæ receptam, eſt reſervata Papæ; quia excommunicatio jure lata contra violantes libertatem Eccleſiæ, eſt reſervata Papæ, & probat *Farinac. n. 315. Barboſ. allegat. 50. n. 167. Duard. in Bulla Cœnæ lib. 2. can. 15. q. 10. n. 19.* Eſt contra *Genuen. c. 22. n. 3. Bonac. in decal. diſp. 3. quæſt. 7. §. 6. n. 8. Dianam reſol. 41. tract. 1. de Immun. eccleſ.* & hodie res eſt certa ex decreto S. Congreg. Immunitatis, anno 1631. edito, & ex decreto Clemen. VIII. *decr. de Caſib. reſervat.* cum derogatione ad omnia privilegia, ut dixi *verbo Abſolutio cap. 3. n. 4.*

Procedit autem hæc excommunicatio, etiam in attentantes extrahere, etiam effectu non ſubſecuto, ut patet ex Bullæ verbis, *Farinac. n. 322. Diana reſolut. 15. tract. 1. tom. 1.* item procedit contra quoſcumque extrahentes, vel offendentes, ſive ſint perſonæ publicæ, ſive privatæ: & quidem ſi privatæ perſonæ extrahant, vel offendant ex mandato magiſtratus, res eſt certa, ut *Farinac. n. 324.* ſi autem privata tantum poteſtate, ut ex inimicitia, dubia eſt quæſtio: nam aliqui dicunt, non incurrere in hanc cenſuram, quia Bulla Gregorii ſolum loquitur de lædentibus immunitatem eccleſiaſticam publica poteſtate, ut patet legenti: & ita tenet *Gambacurt. lib. 8. c. 7. n. 4. & 5.*

Præſcindendo autem ab hac Bulla, de jure communi extrahens, occidens, percutiens, vulnerans, aut alias offendens exiſtentem in Eccleſia ex privata auctoritate, non eſt ipſo jure excommunicatus, ſed excommunicandus, ut *Abb. in cap. Cum pro cauſa num. 5. poſt gloſſ. Innoc. & Joan. Andr. ibid. de ſent. excomm. Card. ibi in princ. Anchar. n. 4. Felin. n. 3.* ſed ſi loquamur in ordine ad actum extractionis de loco ſacro, æſtimo, locum eſſe pœnis hujus Bullæ: quod etiam tenet *Bonac. de cenſ. in partic. diſput. 2. quæſt. 3. punct. 16. §. 14. n. 9. Caſtropal. n. 4. loc. cit. Farinac. n. 324. cit.* & eſt communis, & idem *Bonac. in decal. diſp. 3. quæſt. 7. pun. 9. n. 9. Genuen. in praxi c. 17. n. 5. & 6.* & conſentit *Filiuc. tract. 15. n. 148. in fine*, dum ait, hanc cenſuram quoad perſonas eſſe univerſalem: & ita ſæpe videmus, tales ab Ordinariis locorum declarari in dictam excommunicationem incurriſſe: ſecus aliqui dicunt, ſi ſolum quis ibi eum offenderet privata poteſtate, ut vulnerando, aut occidendo, non ex intentione, ſeu cauſa extrahendi; quia tota Bulla Gregorii loquitur ſolum de violatione immunitatis in ordine ad extractionem. Sed contrarium tenuit, & declaravit S. Congreg. Immunitatis, nempe, quod etiam in hoc caſu incurratur excommunicatio; & faciunt rationes allatæ *a Genuenſ. loc. cit. n. 5.* quia hæc eſt materia favorabilis, & eſt ſecundum mentem legis, cum utterque caſus ſit a jure communi parificatus; & ita practicatur paſſim ab Ordinariis locorum. Sed hæc ſententia debet intelligi, procedere, quando offenderet quis eum, qui pro ſua ſecuritate ad Eccleſiam confugit, ut ſupra citati loquuntur: ſecus ſi eſſet alia de cauſa in Eccleſia, ſcilicet rixa ibi ſuborta, ſequerentur vulnera, & cædes. Verum eſt, quod mutilans, vel occidens in Eccleſia, vel ſacro cœmeterio, etiam privata poteſtate incurrit pœnam privationis immunitatis loci ſacri, ut infra dicam.

☞ *Ex decretis Cong. Immunitatis in Capuana 2. Maji 1673. lib. 1. decr. ejuſdem Cong. pag. 796. & in Lucerina 13. Maji 1698. lib. 1. pag. 188. relatis a Riccio verb.* Extractio confugitorum *n. 14.* — In extractione facta, vel attentata privata auctoritata, non intrat Bulla Gregoriana, ſed can. *Definivit 35. cauſ. 17. quæſt. 4.* — ☜

Incurrens autem in dictam excommunicationem, non eſt abſolvendus, donec reſtituat reum loco ſacro, ut *Sanch. lib.*

6. o-

6. opusc. cap. 1. dub. 7. n. 1. cum Paz. & Greg. Lopez, Farinac. de Immunit. n. 311. in princ.

Limita hanc excommunicationem, ut non procedat in octo casibus exceptis in Bulla Gregorii, seu in octo generibus delinquentium: nempe in publicis latronibus, & grassatoribus viarum, & depopulatoribus agrorum; & iis, qui homicidia, vel mutilationes membrorum in Ecclesiis, eorumque cœmeteriis committere non verentur (idest voluntarie committunt, non autem si casualiter, ut *Farinac. de Immunit. n. 240. Diana resol. 11. tract. 1. de immun. tom. 1.*) & iis, qui proditorie proximum suum occiderunt; & reis assassinii, aut hæresis, aut læsæ majestatis in personam ipsiusmet Principis: in istis ergo casibus rei prædicti non fruuntur immunitate ecclesiastica; sed extrahi poterunt, servata tamen forma tradita in eadem Bulla; alias incurritur excommunicatio prædicta: vide *Farinac. n. 341. cum seq. Sperell. decis. 48. 104. 105. & 185.*

Et tunc non tenetur Episcopus, vel vicarius generalis, dans licentiam extrahendi, exigere cautionem de impunitate corporali rei extrahendi, neque irregularitatem incurret, si mors extracti sequatur, ut patet ex eadem Bulla. Extra casus autem prædictos nullus Prælatus, neque Episcopus potest dare licentiam extrahendi reum invitum, alias incurret in eandem censuram, ex eadem Bulla Gregorii, quæ in hoc correxit jus commune, & ita *Farinac. n. 344. & Castropal. punct. 13. n. 2.*

Advertendum tamen, quod si quis in Ecclesia, vel cœmeterio occideret, vel mutilaret ad sui defensionem, vel provocatus, non incurreret in hanc privationem immunitatis; secus si in rixa, sed ipse non esset provocatus, *Bonac. in decal. loc. cit. punct. 6. §. 2. n. 1. in fin. Farinac. in append. de immun. n. 240.*

II. Irregularitatem incurrunt clerici, & Episcopi, tradentes reum Curiæ seculari in casibus non exceptis, non præmissa cautione, et protestatione impunitatis circa corpus rei, si inde mors rei, aut mutilatio sequatur, *Suarez de censur. disput. 47. section. 1. num. 11. Sayr. lib. 6. cap. 18. num. 5. Roderic. quæst. regular. 52. artic. 4. tom. 2.* Si autem cum protestatione, et cautione præfata illum tradant, non incurrunt in casibus etiam non exceptis, irregularitatem de jure communi, quia id licitum est, eisque permissum, ut *cap. Id constituimus, & cap. Reum 17. quæst. 4.* At cum ex Bulla Gregorii, scilicet, ubi est usu recepta, hodie non liceat tradere reum in casibus non exceptis, ut supra dixi; puto, eos incidere in irregularitatem; quia illa protestatio est contraria facto: et protestatio in actu illicito non relevat, maxime cum sit actio per se periculosa; et quia peccarent non solum contra Religionem, violando Ecclesiæ immunitatem, sed etiam contra justitiam, et jus rei, eum spoliando jure, quod ei Summus Pontifex, seu Ecclesia concedit, *c. Reum ad Ecclesiam 17. quæst. 4.* et probabiliorem ait *Sanchez opusc. lib. 3. c. un. dub. 17. n. 2.* et magis communem ait *Farin. n. 321.* Si tamen clerici non defendant, sed permittant eum extrahi, habendo se mere negative, tunc non puto, eos incurrere irregularitatem, quia non peccant contra justitiam, sed contra charitatem: neque enim tenentur eo officio tueri reum ob jus reo competens, sed Ecclesiæ: et ita concordari possunt opiniones contrariæ.

Cavendum est etiam clericis, dum volunt reum tueri in loco sacro, ne id faciant armis, seu alias cum periculo effusionis sanguinis (quia Ecclesia non est defendenda more castrorum) sed vel fores claudendo, aut reum retinendo, & abstrahendo de manibus illorum &c. etiam laicos ad hoc auxilium vocando, vel per censuras ecclesiasticas tuendo immunitatem Ecclesiæ, ut *Suar. lib. 3. cap. 13. n. 4. Sanch. opusc. lib. 6. cap. 1. dub. 7. Bellect. part. 1. de favore clericorum reali §. 4. num. 43. Layman. lib. 4. tract. de Immun. cap. 3. n. 14.* Itaque si mors sequatur, aut mutilatio ex facto clericorum dissidentium, ipsi erunt irregulares.

Infamiam quoque juris, & irregularitatem incurrit, qui damnatus fuerit in judicio de crimine hoc violatæ immunitatis Ecclesiæ; quia est crimen publicum, & capitale, & læsæ majestatis, ut *l. Fideli, & l. Præsenti, c. de his, qui ad Ecclesias confugiunt, & S. Gregor. epist. 54. lib. 11. c. In primis, §. De persona Januarii 2. quæst. 1.* damnatus autem de crimine læsæ majestatis, aut alio publico judicio, efficitur infamis, & irregularis, *l. 1. §. Removet de postul. leg. 1. vers. Qui judic. ff. de his, qui not. infam. leg. Infamem ff. de publicis judiciis.* Et idem est de damnato pœna, seu judicio capitali; quia ex genere pœnæ infamia juris eo ipso afficitur, *dict. l. 1. §. Removet, & §. Secundo loco, ff. de postul. leg. Cognitionum, ff. de var. & extraordin. crimin.*

☞ *Præter octo superius recensitos casus, reos ab asylo excludentes, Bened. XIII. Const.* Ex quo divina *6. Idus Jun. 1725. addidit sequentes. I. falsificantes litteras apostolicas: II. ministros montium pietatis, aut banchi, furtum, aut falsitatem ibidem committentes, ut pœnæ ordinariæ locus sit: III. conflantes, adulterantes, vel tondentes quascunque monetas aureas, vel argenteas, etiam Principum exterorum, si in loco, ubi crimen admittitur, liberum habeant usum, & commercium; vel dictas monetas conflatas, adulteratas, aut detonsas scienter ita expendere, et erogare præsumentes, ut fraudis conscii, atque participes censeri possint: IV. ac tandem illos, qui sub nomine Curiæ alienas domos ingressi, rapinas ibi committunt cum homicidio, aut mutilatione alicujus ex domesticis earundem domorum, vel etiam exteri, quem ibi forte reperiri contigerit.*

Clemens vero XII. Const. In supremo *1. Febr. 1734. excludit ab immunitate etiam quoscumque ecclesiasticos, homicidii reos, declaratque omnes, tam laicos (mulieribus etiam comprehensis) quam ecclesiasticos, qui in ditione Sedi Apostolicæ mediate, vel immediate subjecta, ex causa, & occasione homicidii, etiam in rixa commissi, cum armis, seu instrumentis, suapte natura aptis ad occidendum, insignisti, & processati, vel in contumaciam banniti & condemnati fuerint, dummodo homicidium non fuerit casuale, vel ad propriam defensionem, immunitatis præfatæ beneficio minime gaudere. Declarat insuper homicidii reos natu minores xxv. majores vero xx. annis tam laicos, quam clericos, atque omnes, & singulos, sive laicos, sive clericos, qui mandatum, consilium, instigationem, auxilium, cooperationem, aut aliam operam occisori præbuerint, ex quorum singulis pravis actibus homicidium evenerit, in dicta Benedict. Const. comprehensos esse, ac deinceps censeri debere.*

Bened. XIV. Const. Officii nostri *idib. Mar. 1750. declarat, prædictos omnes (regularibus, & militibus etiam comprehensis) non obstantibus militaribus privilegiis, non gaudere asylo, licet homicidium commissum non fuerit cum armis, ad mortem inferendam aptis, sed etiam cum baculo, & saxo, quamvis in rixa, si actus prodierit ex odio, & nocendi animo; sicut si secuta fuerit mors ex vulnere inflicto cum gravi vitæ periculo juxta relationem chirurgi, ad illud inspiciendum acciti, ita ut vulnerans interim extrahi possit, servatis servandis, e loco immuni, nec eidem restituendus, donec elapsum fuerit tempus a legibus constitutum, intra quod vulneratus superstes vixerit.*

En altera Const. Bened. XIV. Detestabilem *4. idus Nov. 1752. excluditur etiam ab ecclesiasticæ immunitatis beneficio reus homicidii in duello perpetrati: quam Const. vide supra in Additionibus meis post cap. 3. verb.* Duellum.

Circa extractionem reorum ab asylo, & consignationem Curiæ sæculari, ne erretur in modo, & forma eos extrahendi, attendenda est regula præscripta a Bened. XIII. cit. Const. Ex quo divina §. Quotiescunque, *ibi* — Tunc Curia ecclesiastica ad ejusdem delinquentis extractionem ab Ecclesia, aliisve locis immunibus, ope, ac medio suorum executorum, implorato etiam, quatenus opus sit, brachii secularis auxilio, & cum interventu personæ ecclesiasticæ ab Episcopo deputandæ, procedere teneatur, extractumque ad suos carceres asportari, ac ibi sub tuta custodia detineri curet, & faciat: ubi vero ex processu informativo, desuper conficiendo, constet de crimine excepto, ac insuper adversus eundem extractum talia resultent indicia, ut crimen ab eo fuisse patratum moraliter credi possit (quæ quidem indicia juxta regulas juris vocantur ultra torturam) eo tandem casu præfatum extractum ministris, & officialibus Curiæ secularis tradere, & consignare possit, ac debeat: exacta tamen, receptaque prius ab ipsis obligatione, in forma juris valida, restituendi extractum Ecclesiæ, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Nobis, ac pro tempore existenti Romano Pontifici reservatæ, quatenus idem extractus indicia contra ipsum acquisita in suis defensionibus purget, ac diluat: quod si ea minime purgaverit, & vere delinquens repertus fuerit, Curiæ sæculari in ipsum tali casu, ut juris esse censuerit, agere, atque procedere liceat. —

In contrafacientes autem accessit declaratio Bened. XIV. cit. Const. Officii nostri, *ibi* — Contrafacientes quoque, & transgressores, easdem omnes pœnas, quæ in præallegatis Constitutionibus indictæ sunt, omnino incurrere statuimus, atque sancimus; decernentes, in numero transgressorum hujusmo-

jusmodi, eos etiam esse, & censeri, qui in spretum ecclesiasticæ auctoritatis, & canonicarum sanctionum, præscripto ad superiores ecclesiasticos recursu posthabito, Ecclesias, & loca immunia obsidere præsumunt, ac impediendo, ne ad illos, qui sacro confugio se tuentur, alimenta deferantur: sive aliter, eosdem in Curiæ secularis potestatem se dedere cogunt; Nos enim eos, qui talia ausi fuerint, sive confugientes hujusmodi de exceptis delictis, sive de aliis non exceptis inquisiti sint, omnes, & singulas pœnas, atque censuras adversus ecclesiasticæ immunitatis violatores de jure, ac in prædictis Constit. Apostolicis latas, atque statutas, incurrere decernimus, ac declaramus. —

In hac eadem Const. præscriptus est modus extrahendi reos delicti excepti, perpetrati in una ditione, & rei confugiunt ad locum immunem in alteram, ibi — Mandamus, ut si hujusmodi confugientes delictum aliquod ex iis, quæ in apostolicis Constit. præfatis excepta sunt, in temporali Romanæ Ecclesiæ dominio patraverint, indicia ad capturam requisita, ac Episcopo diœcesano, seu respective viciniori illius loci, in quo delictum commissum fuit, excipiantur, seu cumulentur, eaque ad Episcopum alterius loci, in quo delinquens asylum cœpit, sine mora transmittantur; ut hic nimirum, quatenus traditioni præfatæ locus esse debeat, extractionem delinquentis a loco immuni, auctoritate sua, & cum interventu personæ ecclesiasticæ fieri mandet. Eadem ratione, si in præfatis aliorum Principum ditionibus, in quibus traditionis prædictæ consuetudo viget, ejusmodi delictum commissum fuerit, quod sive in vim Gregorianæ, aut Benedictinæ Constitutionis, sive ratione concordati cum Apostolica Sede initi, sive extensionis alterius Constitutionis Clementis XII. ab eadem Apostolica Sede specialiter impetratæ, pro excepto haberi debeat: volumus, & statuimus, ut Episcopus ille, ad quem ratione loci delicti commissi, id pertinere dignoscitur, memorata indicia, ad capturam requisita, cumulari faciat, eaque transmittat ad Episcopum ditionis ecclesiasticæ, intra cujus jurisdictionis fines illius delicti reus asylum delegit; ut hujus scilicet Antistitis auctoritate, alisque servatis, servandis, a confugii loco extrahi, ac si ita res feret, externæ postulanti Curiæ valeat consignari. —

Præcipit tamen in extractione, & reliquis omnibus servari dictas Constitutiones, & concordata.

Circa extractionem hereticorum a loco immuni in causa heresis, attendenda est Constit. Bened. XIV. in epistola ad Inquisitores S. Inquisitionis, Elapso 20. *Febr.* 1751. *qua confirmatur Constit. Joannis XXII.* Ex parte 13. *Aug.* 1316. *in ea enim Bened. præscribit iisdem Inquisitoribus modum extrahendi a loco immuni reos heresis, certiorato Episcopo, vel ante, vel post capturam, prout secreti servandi lex postulaverit, ne illi indicia communicentur: si vero agatur de aliis criminibus, tam exceptis, quam non exceptis a beneficio asyli, quorum cognitio spectat ad eorum tribunal, quia patrata sint ab iis, qui ejusdem tribunalis jurisdictioni subsunt, præcipit, servanda esse in eorum extractione, quæ in sequentibus Constit. Bened. XIII. & Clem. XII. sancita sunt. Addit insuper, reos delictorum non exceptorum, fugitivos ex triremibus, vinculis, vel alio pœnæ loco, gaudere pariter privilegio asyli, si effugerint, quando e manibus ministrorum justitiæ liberi essent, nisi obtenta sit ab Apostol. Sede, vel ab Episcopo, hoc indulto donato, facultas pro illorum recuperatione.*

Nota I. nomine publici latronis, intelligi nedum qui viis publicis per insidias, sed etiam qui in domibus privatis homines vi aggrediuntur, eos spoliando, & cædem, aut vulnera se defendentibus infligendo.

Nota II. nomine publici grassatoris, venire aggredientem, & spoliantem in viis publicis viatores absque cæde, & vulneratione: cui accensentur etiam piratæ, & hujusmodi publici deprædatores. Ut autem quis dicatur latro, & grassator publicus, sufficit etiam unus actus, si sequatur mors, aut mutilatio invasi, prout declaravit Bened. XIII. cit. Constit. §. 3. si vero non sequatur mors, aut mutilatio, requiruntur saltem duæ, vel plures grassationes, Remig. Maschat. Instit. canon. par. 2. tit. 49. de Immunit. eccles. n. 2.

Nota III. nomine depopulatoris agrorum, venire nedum nocturnum, sed etiam diurnum, ut ostendi in Additione ad cap. 1. *verb.* Depopulator.

Nota IV. sub nomine committentium homicidium, vel mutilationem membrorum in Ecclesia, ex cit. Constit. Bened. XIII. §. 4. comprehendi etiam illos — qui stantes in Ecclesia, vel cœmeterio, interficiunt stantes extra Ecclesiam, vel cœmeterium, aut ipsis membrum mutilant; & qui stantes extra Ecclesiam, aut cœmeterium, occidunt stantes intra Ecclesiam, vel cœmeterium, aut iis membrum mutilant; & qui confugientibus vim inferunt, atque ipsos ab Ecclesiis, alioque loco immuni violenter extrahunt, & abducunt. —

Nota V. nomine homicidæ proditoris, ex §. 6. cit. Constit. venire etiam illum, qui præmeditato, ac deliberato animo interficit proximum suum: unde non requiritur, ut homicidium præmeditatum fiat sub specie simulatæ amicitiæ.

Nota VI. circa assassinos, attendendam esse declarationem allatam in Additione ad cap. 1. *verbo* Assassinium.

Nota VII. perplexam quidem, & veterem quæstionem esse, an Judæi, & Pagani indistincte ad Ecclesiam confugientes, etiam timore pœnarum tantum, non zelo Fidei, & Religionis, gaudeant asyli jure. Negativam sententiam tuentur nonnulli DD. videndi apud Fagnanum lib. 3. tit. 49. cap. 6. n. 59. & seqq. *verum contrariam sententiam veriorem esse docet idem Fagnan.* loc. cit. n. 61. *immunitatis enim privilegium non conceditur intuitu personarum, sed propter decus, & reverentiam, quæ locis divino cultui destinatis debetur. Hanc eandem sententiam amplexa est S. Cong. Immunit. juxta plura decreta, & præsertim in Sarzan. 26. Sept.* 1651. lib. 4. decret. ejusdem Cong. pag. 161. *& in Pisauren. 26. Mar.* 1686. *ut* lib. 3. decret. pag. 550. *ubi quæstio erat de Judæo capto a birruariis sub tecto, seu stillicidio Ecclesiæ.*

Nota VIII. quod cum neque ex Constit. Greg. XIV. Cum alias: *neque Bened. XIII.* Ex quo divina: *neque Clementis XII.* In supremo justitiæ: *nec tandem Bened. XIV.* Officii nostri, *idib. Mar. 1750. Religiosi confugientes, sive ad Ecclesias sui Ordinis, sive ad quascunque Ecclesias, & monasteria aliorum Ordinum, priventur jure asyli pro delictis non exceptis in dictis Constitutionibus, nullo fundamento dici potest, eo non posse gaudere, cum non debeant esse deterioris conditionis, quam ceteri rei, etiam gravioris criminis, juxta decret. S. Cong. Immunit. in Fulignaten. 9. Mar. 1639. & in Neapolitana 11. Octobr. 1692. Et quamvis in Æsina 19. Apr. 1701. declaratum fuerit ab eadem Cong. Provincialem Ordinis Minorum Obser. Reform. non incurrisse excommunicationem pro extractione sui religiosi ab Ecclesia Æsina ejusdem Ord., indeque per rescriptum ad preces Procuratoris Generalis, a Clem. XII. indulta fuerit 19. Septemb. 1734. Provincialibus, & Guardianis Ordinis facultas ducere faciendi delinquentes religiosos, & contumaces ab Ecclesiis eorum respective conventuum ad claustrales carceres; hæc tamen revocata fuit per organum Secretariæ memorialium, ut vocant, 28. Jul. 1776. ad instantiam ejusdem S. Cong. Immunit. cum expressa declaratione, ut in similibus refugii, & extractionis casibus procedatur juxta terminos juris, prout legitur in originali Mandato, in scriptis transmisso a Card. Corsini, tunc memorialium Secretario, Commissario generali Ordinis: unde corrigendi sunt Auctores in contrarium scribentes, & maxime Matthæucci, Official. Cur. cap. 24. quoad Immunitat. n. 19. fisus cit. decreto Cong. an. 1701. ut supra revocato.* ☜

☞ CAPUT II.

Immunitatem, seu exemptionem ecclesiasticam violantes, imponendo munera personalia, sordida, servilia ecclesiasticis.

Ecclesiastici sunt exempti a muneribus personalibus, sordidis, seu servilibus laicalibus, *leg. 2. C. de Episcopis, & clericis, cap. Generaliter, cap. Placet 16. quæst. 1. cap. Non minus, ibi Cardin. n. 3. 7. & 8. de immuni. ecclesiast.* ut a fossatis faciendis, cloacis, aut viis purgandis personaliter, & ab angariis, seu oneribus proprio corpore ferendis, ut in cophino serviendi ad constructionem murorum &c.

Imponens igitur talia onera ecclesiasticis personis potestate laicali, incurrit, primo excommunicationem latam in *cap. Non minus, §. Si autem Consules de immunitate Ecclesiarum*, quæ tamen non incurritur, nisi quis commonitus, non destiterit, sed perseveraverit in contumacia, & non est absolvendus, donec satisfecerit competenter; postea poterit absolvi a proprio pastore: hæc autem censura extenditur etiam ad fautores talis delicti; ita *in dict. cap. Non minus.*

Secundo, incurrit in excommunicationem latam, & Papæ reservatam in Bulla Cœnæ Domini *cap.* 18. contra imponentes onera personis ecclesiasticis sine speciali Papæ licentia, aut ea exigentes, aut sic imposita, etiam a sponte dantibus, & conceden-

cedentibus recipientes, & contra eos, qui per se, vel per elios prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eis auxilium, consilium, favoremve præstare non verentur: cum enim Bulla loquatur de oneribus quibuscunque, comprehendit etiam onera, seu munera ista personalia servilia, quæ pretio æstimabilia sunt, *Navarr. consil.* 8. *de censib.* quia hæc munera etiam onera appellantur, *tex. in leg. Non minus*, *& leg. Munus*, *ff. de verb. signif.* & ita tenent in casu nostro *Sylv. excomm.* 7. *n.* 77. *Marius Alter. tom.* 1. *disp.* 19. *lib.* 5. *cap.* 2. *col.* 3. *Molina disp.* 672. *tract.* 2. *Laym. lib.* 4. *tract.* 9. *c.* 9. §. 9. *n.* 2. *contra Filinc. tract.* 16. *n.* 291.

Tertio, incurrit in excommunicationem latam in eadem Bulla Cœnæ *cap.* 15. contra facientes ordinationes contra libertatem ecclesiasticam, & eas publicantes, eisve utentes.

☞ *Ex cap.* Eos qui 5. *de immunit. in* 6. *incurrebant ipso facto eamdem excommunicationem*, *sed non reservatam*, *Domini temporales*, *prohibentes* – suis subditis, ne Prælatis, aut clericis, seu personis ecclesiasticis quidquam vendant, aut emant aliquid ab eisdem; neque ipsis bladum molant, coquant panem, aut alia obsequia exhibere præsumant. – *Hodie tamen attendendum est cit. c.* 15. Bullæ Cœnæ. ☜

CAPUT III.

Immunitatem ecclesiasticam violantes, imponendo ecclesiasticis munera personalia, honesta, vel indifferentia secularia.

Ecclesiastici sunt exempti a muneribus personalibus honestis, *leg. Placet* 17. *C. de Episcopis*, *& cleric. toto tit. Ne clerici*, *vel Mon. secul. neg. se immisc.* ut a munere legationis subeundæ, aut decurionatus, aut judicis &c. Item a muneribus personalibus indifferentibus, ut *leg.* 2. *C. de Episcop. et cleric. cap. Generaliter* 16. *quæst.* 1. ut a tutelæ munere, vel militiæ, vel custodiæ murorum &c.

Imponentes autem munera supradicta, sive honesta, sive indifferentia, id faciendo per viam statuti, decreti, vel ordinationis, seu præcepti, incurrunt in excommunicationem latam in *c. Noverit*, *et c. Gravem de sent. excomm. et in Bulla Cœnæ c.* 15. de qua re dicam *verbo Lex*. Item imponentes onera illa indifferentia, ut expeditionis militaris, custodiæ &c. incurrunt excommunicationem latam in *c. Non minus de immun. eccles.* ubi est sermo de expeditionibus, & *c. Gravem cit.* ubi est sermo de custodia loci; & *cap.* 18. Bullæ in Cœna Domini, juxta ea, quæ dixi *cap. praeced.*

Limita, quod in casu necessitatis extremæ, vel quasi extremæ, cum vires laicorum non sufficiunt, tenentur etiam ecclesiastici subire onera prædicta indifferentia, personalia, etiam mixta, cum erogatione, scilicet patrimonii, ut ad custodiam murorum, & similia, quæ omnino non repugnent statui clericali: & imponi debent, seu ordinari ab Episcopo cum cleri consensu, causa cognita ab eisdem; & dummodo non adsit tempus recurrendi pro licentia ad Sedem Apostolicam, ita *c.* 2. *et c. Non minus*, *de immunitate Ecclesiar. Innoc. in dict. c.* 2. *n.* 1. *Abb. n.* 6. *Joann. Andr. n.* 1. *Hostiens. n.* 1. *Butr. n.* 5. *Layman lib.* 4. *tract.* 9. *c.* 6. *n.* 7.

Imponentes autem munera honoris ecclesiasticis, non incurrunt in excommunicationem *c. Non minus*, neque in *cap.* 18. Bullæ in Cœnæ Domini: quia ibi excommunicantur imponentes onera personis ecclesiasticis: appellatione autem onerum, non veniunt honores, si non habeant conjunctam erogationem patrimonii, nam isti honores, officia dicuntur, non onera, *leg. Rescripto*, *leg. Cui munerum*, *ff. de mun. et hon. Abbas in cap. Non minus n.* 12. *de immunit. Eccles. Molin. disp.* 661. *n.* 11. *tract.* 2.

II. In *cap. Neque* 88. *distin. et c. Cyprianus* 21. *quæst.* 3. nominans in testamento clericum in tutorem, haoc pœnam incurrit, ut in morte ejus oratio pro ipso fieri non debeat. Intelligitur autem de clericis in sacris, vel beneficiatis, & dummodo constet, testatorem id dolo fecisse, non bona fide, & quod imponentes de hoc facto decesserit: ita *Turrecrem. in dict. c. Neque*; imo hunc canonem pœnalem in desuetudinem abiisse, & ad solum terrorem, pro eo tempore emanasse, ajunt *gloss. ibi Laud. Turrecrem. Archid. et Præpos.*

De hac autem materia, an, & quomodo ecclesiastici tutelæ officio fungi possint, aut debeant, vide *Sanchez lib.* 6. *in decal. c.* 14. *n.* 24. *et in opuscul. lib.* 6. *cap.* 7. *dub.* 6. *Canonistas in cap.* 1. *de oblig. ad ratiocin.*

CAPUT IV.

Immunitatem ecclesiasticam violantes, imponendo ecclesiasticis onera, patrimonialia, personalia, vel mixta, & publicani ea exigentes, & ecclesiastici illis consentientes.

Ecclesiastici sunt immunes a muneribus patrimonialibus, quæ scilicet cum erogatione patrimonii subeuntur, sive sit munus patrimoniale personale, quod imponitur personæ, non habita ratione patrimonii quantitatis, ut capitatio, pedagium, & guidagium; sive sit patrimoniale mixtum, quod solvitur, & imponitur, ratione habita patrimonii quantitatis, sive hoc mixtum onus imponatur ipsis rebus, ut vectigalia, portoria, gabellæ, sive imponatur personis pro rebus, ut superiodictum, vel collecta, de quibus *Canonistæ in c. Non minus de immun. Eccles. Petr. Antibol. tract. de muneribus. part.* 2. *n.* 4. *&* 5. *Remig. Gonni de charit. subs. quæst.* 61. *Suar. disp.* 23. *de censur. sect.* 4. *n.* 23. *Beiluga in speculo princ. rub.* 46. §. *Donum*, *&* §. *Restat videre*, *&* §. *Sunt & alia*, *Ugolin. in c.* 18. *Bullæ in Cœna Domini*. Quod autem ecclesiastici fiot immunes a dictis oneribus, habetur in *c. Non minus*, *c. Adversum de immun. eccles. cap.* 1. *eod. tit. in* 6. *Clement. unic. eod. tit. c. Quanquam de censib. in* 6. *Auth. Item nulla*, *cum leg.* 2. *C. de Episc. & clericis*: & plene hæc examinat *Rota part. noviss. decis.* 42. ubi *a n.* 11. advertit, quod ecclesiastici tenentur ad onus mere reale a laicis suis prædiis impositum, antequam transirent ad ecclesiasticos, quando scilicet fuit impositum, ut onus certum, reale, perpetuum, invariabile, ut est tributum: secus si sit impositum dictis prædiis onus reale, sed non perpetuum, & est variabile, juxta occurrentes necessitates, plus, & minus: & dicitur imponi per æs, & libram: atque, si talia prædia transeunt postea ad ecclesiasticos, fiunt libera a tali onere, non obstante, quod talis redditus, seu impositio fuerit locata arrendatariis cum hypotheca: multo magis, quando fuerunt onera imposita a laicis subditis ratione bonorum, idest personis pro rebus, ut supra dictum est; quia si ea bona transeant ad ecclesiasticos, fiunt libera a tali onere, etiam arrendatariis locato cum hypotheca, ita *Rota ibi n.* 11. 12. *&* 13.

I. In *c. Non minus de immun. eccles.* ex Concilio Lateran. sub Alexandro III. consules, & rectores, & alii, qui potestatem habere videntur, prohibentur onera quæcunque imponere ecclesiasticis, nisi ex judicio, & consensu Episcopi, & cleri, judicantibus, in communi necessitate non posse laicorum solas facultates sufficere, sed subsidia ab ecclesiasticis conferenda. Si autem dicti consules, & alii contravenerint, & commoniti, desistere noluerint, tam ipsi, quam fautores eorum excommunicationi se noverint subjacere, nec communioni reddendi, donec satisfactionem fecerint competentem.

Limita, quod secundum veriorem, hic textus non loquitur de pedagiis, seu gabellis, quæ pro contractibus, vel pro transitu personarum, aut rerum solvuntur, seu imponuntur, sed tantum de iis, quæ universaliter exiguntur pro personis, aut rebus: ita *Cajetan. excommun.* 40. *in fin. Tabien. excom.* 5. *casu* 18. *n.* 6.

In *cap. Adversus de immun. eccles.* Innocentius III. confirmavit dictum decretum Concil. Lateranen.: sed primo declaravit, ut in communi necessitate supradicta, quando non suppetunt bona laicorum, etiam judicio Episcopi, & cleri, non possunt laici exigere subsidia præfata ab ecclesiasticis, nisi consulatur prius Summus Pontifex, & ab eo consensus, seu licentia obtineatur: secundo extendit decretum Concilii Lateranen., & censuram, ut procedat etiam contra successores in officio dictorum onera imponentium, nisi intra unum mensem a die successionis, Ecclesiæ satisfecerint: item tertio declaravit, eam excommunicationem durare, etiam officio deposito: quarto declaravit, sententias, & statuta talium, excommunicationem præfatam incurrentium, nullius esse momenti in perpetuum; quia, ut notat *gloss. ibi verb. Tempore valitura*, sententia lata ab excommunicato, nulla est.

De his decretalibus agunt, & explicant, ultra Canonistas *ibid. Cajet. verb. Excommun. cap.* 40. *Tabien. excomm.* 5. *casu* 18. *Sayr. lib.* 3. *de censur. c.* 34. *n.* 3. *Luis. Turrian. disput.* 44. *de just. dub.* 3. *Suarez disput.* 21. *sect.* 2.

II. In *c. Clericis de immun. Ecclesiarum in* 6. Bonifacius VIII. excommunicationem Papæ reservatam profert contra omnes, absque Sedis Apostolicæ licentia imponentes, aut exigentes, aut recipientes, etiam a sponte dantibus, onera patri-

trimonialia ecclesiasticis personis, ut collectam, æstimum, tributum, decimam, mutuum, donativum, subsidium &c. quovis colore: & extendit hanc pœnam ad dantes in prædictis auxilium, consilium, vel favorem publice, vel occulte.

Item fert excommunicationem, similiter Papæ reservatam, contra omnes ecclesiasticas personas, etiam Prælatos, qui prædicta onera sine Papæ licentia laicis solvunt, etiamsi sponte, vel titulo donationis, aut se soluturos promittunt, aut impositioni consentiunt. Item fert interdictum contra universitates, quæ in præmissis culpabiles fuerint; & absolutionem ejus similiter Papæ reservat, & derogat omnibus privilegiis concessis quibuscunque, in quacunque verborum forma: notat autem *gl. in Clem. un. de immun. eccles. in figur. casus*, *dictam decretalem c. Clericis*, editam esse a dicto Pontifice in odium Philippi Regis Franciæ, quia conferebat beneficia in suo Regno; propter quam Constitutionem orta sunt multa scandala, ut infra dicam.

Limita similiter hanc Constitutionem, ut non procedat de pedagiis, seu gabellis, quæ exiguntur pro contractibus, ut transitu personarum, aut rerum, sed solum de oneribus, quæ universaliter exiguntur pro personis, aut rebus: ita *Cajet. excomm. c. 40. Tabiena excommun. casu 18. n. 6. Molina disp. 670. n. 3. Joan. Monac. in dict. c. Clericis*, quia caput *Clericis* adjicit ad *c. Non minus*, & de eadem materia loquitur.

Hanc Constitutionem Bonifacii ex parte correxit Benedictus XI. in *Extrav. Quod olim*, *de immunit. eccles. inter communes*, statuens, ut censuræ latæ contra ecclesiasticos, non habeant locum contra sponte solventes: sed solum contra imponentes, & recipientes; quamvis peccent ecclesiastici; sic sponte solventes, sine licentia Papæ: reliqua autem dictæ Constitutionis firma esse voluit: sed Clemens V. in *Clem. un. de immunit. eccles.* propter quædam scandala exorta occasione dictæ Constitutionis Bonifacii, & Benedicti, amplius derogavit, & in totum abrogavit, utramque reducens ad terminos Concilii Lateranensis, ut in *c. Non minus*, *& c. Adversus*, de quibus supra, ut explicant *Joan. Andr. Gemin. & Anchar. in dict. c. Clericis*.

Sed iterum in Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess. 9.* in Bulla reformationis Curiæ, & aliorum, §. *Et cum a jure*, innovata fuit Constitutio Bonifacii, ut militet excommunicatio contra imponentes onera patrimonialia ecclesiasticis, & contra exigentes, & recipientes ea, etiam a sponte dantibus; & interdictum contra universitates in tali re culpabiles: & insuper innovata fuit excommunicatio, & pœna depositionis, ipso jure lata contra ecclesiasticos talibus consentientes, aut sponte dantes, sine licentia Papæ.

Addunt, ut prædicta facere præsumentes, sint ipso jure infamabiles, & inhabiles ad omnes actus legitimos; unde etiam erunt irregulares; & hoc decretum, etiam hodie esse in vigore nonnulli Doctores æstimant, ut *Sanch. opusc. lib. 2. cap. 4. dub. 56. n. 1.* ubi propterea infert, Episcopos, qui vident laicos injuste imponentes, vel exigentes gabellas ab ecclesiasticis, & ultro consentiunt, incurrere excommunicationem, & pœnas ibi statutas: alii dicunt, hoc decretum Leonis X. non innovare pœnas *c. Clericis* (revocatas per *Clemen. unicam supra citatam*) contra ecclesiasticos solventes, sed contra Prælatos consentientes, & contra laicos imponentes, vel recipientes: ita *Garz. par. 2. c. 3. n. 16.* alii autem magis communiter dicunt, censuras latas in dicto Lateranensi Concilio sub Leone X. non fuisse usu receptas: ita *Cajet. verbo Excommunicatio in fin. Bartholom. Carranza in fine Summæ Concilii Lateranen. Navarr. c. 27. n. 111. et 148.* et licet videantur hodie omnes supradicti Canones, et Concilia edita in favorem ecclesiasticarum personarum, & libertatis Ecclesiæ, innovata a *Concilio Trident. sess. 25. c. 20. de reform.* & singulis annis innoventur cum suis pœnis, & censuris in Bulla Cœnæ *cap.* 18. cum expressa mentione, etiam Concilii Lateranensis supradicti Leonis X. tamen Trident. non innovat expresse pœnas, & censuras. At vero Bulla in Cœna Domini innovat eas tantum, quatenus sunt latæ contra onera ecclesiasticis imponentes, eaque imposita exigentes, aut a sponte dantibus recipientes. Unde hodie contra ipsos ecclesiasticos solventes, seu consentientes nulla censura est latæ sententiæ. Prædictas autem Constitutiones explicant *S. Antoninus 3. par. tit. 24. c. 26. Angel. verb. Excommun. 7. casu 5. Tabiena excommun. 5. c. 18. Sylvest. excommun. 7. n. 21. Navar. c. 27. n. 95. & 115. Tolet. lib. 1. c. 29. Reginal. lib. 9. n. 375. Suar. disp. 22. sect. 3. n. 16.*

III. In *cap. Quanquam de cens.* Bonifacius VIII. specialiter excommunicat personas singulares quascunque, & interdicit universitates exigentes, extorquentes, vel compellentes Ecclesias, vel ecclesiasticas personas per se, vel per alium, nomine proprio, vel alieno ad pedagia, vel guidagia, pro ipsorum personis, aut rebus, quas non negotiationis causa, sed ad usum deferunt: & prohibet, eos absolvi, donec plenarie restituerint, & de transgressione satisfecerint competenter, derogando omni contrariæ consuetudini, seu corruptelæ.

Deinde Clemens V. *in Clem. Præsenti de censib.* confirmat dictam Constitutionem *cap. Quanquam*, addendo, ut Diœcesani, postquam eis constiterit, aliquos in dictam excommunicationem, seu interdictum incidisse, eos omnino publicent, vel a suis subditis taodiu faciant publicari, donec illi sic male exacta restituant, & de transgressione faciant competenter.

Ampliatur hæc Constitutio, ut procedat in omni gabella, tam scilicet ratione personarum transitus, quam contractus, vel illationis, vel extractionis rerum, ut *Card. in d. Clement. & Imola ibi n. 13. Sylv. verb. Excomm. 9. n. 47. Molina disp. 670. n. 3.* imo multi probabiliter dicunt, *c. Quanquam*, procedere etiam in omni munere publico, quod a potestate temporali laicis imponi solet, quia hic pedagii nomen late accipitur pro omni onere patrimoniali, tam personali, quam mixto, ut *Navarr. cap. 27. n. 61. Ugolin. in c. 5. Bullæ Cœnæ Domini*, §. *2. Vival. ibid. casu 5. Suar. de censur. disp. 21. sect. 2. n. 41. Quaranta verb. Vectigal vers. Ut autem*: sed alii contra dicunt, non procedere in tributis, æstimis, collectis &c. & hæc videtur probabilior, quam tenet *Cajet. verbo Excommun. c. 40. Molina disp. 670. n. 3. Armilla verb. Excommun. n. 11. Sayr. de censuris lib. 3. cap. 9. n. 10. Graff. lib. 3. cons. 1. de cens. n. 20. Ugolin. §. 3. in c. 5. Bullæ vers. Postremo, & vers. 2. Afficit, Tolet. lib. 1. c. 21. §. 1.* quia alias ista decretalis fuisset superflua, cum melius esset per præcedentes provisum: quia hæc excommunicatio, & interdictum non sunt reservata Papæ post præstitam satisfactionem, & non incurruntur ipso facto ob solam impositionem, aut a sponte dantibus receptionem, sed requiritur, ut gabella ab invitis petatur, & obtineatur: ita *Cajet. excommun. cap. 39. Suar. de cens. disput. 23. sect. 4. n. 21. Navarr. c. 27. n. 128. Ancharan. in Clement. Præsenti, de censib. n. 7. Bonifacius de Vitalin. ibidem n. 9. & 11. Sayrus lib. 3. c. 9. n. 8. & 9.* Hodie censura hæc excommunicationis est Papæ reservata absolute, ut statim dicam.

IV. Ex *c. 18. Bullæ in Cœna Domini* fertur excommunicatio specialiter Papæ reservata contra imponentes collectas, decimas, taleas, præstantias, vel alia onera personis, aut bonis ecclesiasticis, aut ipsorum ecclesiasticorum, sine speciali, & expressa Papæ licentia; & contra eos, qui talia onera exigunt quocunque modo, vel colore, aut ea sic male imposita a sponte dantibus, & concedentibus recipiunt; & contra eos, qui talia per se, vel per alios, directe, vel indirecte facere, exequi, vel procurare, vel in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscunque sint conditionis, etiam Imperatores, vel Episcopi: & super his innovantur omnes Canones, etiam in Lateranensi Concilio novissimo editi, cum suis censuris, & pœnis.

Declara primo, ut procedat hæc excommunicatio etiam contra imponentes, aut recipientes onera super bonis patrimonialibus clericorum, ut patet ex Bulla ibi, *ac eorum bonis*, *ut Sayr. lib. 3. cap. 22. n. 9. Suarez disp. 23. sect. 4. n. 21. Quaranta verb. Vectigal. versic. Item ex ejusdem*, *Ugol. super hoc c. 18.* §. 3. est communis sententia, etiamsi non fuerint ad eorum titulum ordinati, *Tolet. lib. 1. c. 29. Garzias de benef. par. 2. c. 3. Barbos. alleg. 13. n. 1.* de communi testatur *Filiuc. tract. 16. n. 298. Layman lib. 4. tract. 9. c. 6. n. 9.* etiamsi sint clerici in minoribus, sed in habitu, & tonsura incedant, ut *Less. c. 33. n. 8. Gutier. lib. 1. pract. quæst. 7. Quaranta loco cit. ampliat. 1.* & alii apud *Dianam resolut. 35. & 36. tract. 2. de immunit. tom. 1.* dummodo non sint conjugati, ut Doctores *in c. Ex parte*, *de clericis conjug. Layman c. 7. n. 4. ex Tridentin. sess. 23. c. 6. et c. un. de cleric. conjugat. in 6.* & dummodo non sint bona negotiationi exposita, ut *cap. final. de vita, et honest. cleric. c. Quanquam de cens. in 6. Clem. Præsenti, eodem tit.*

Declara secundo, ut procedat de oneribus patrimonialibus quibuscunque, sive sint onera rebus ipsis imposita, sive personis, ut pedagia, & guidagia, ut colligitur ex verbis Bullæ; & ita docent *Sylvest. excommun. 7. §. 77. excomm. 32. Molin. disp. 670. n. 3. vers. Postremo hodie, tom. 3. Alterius lib. 5. disp. 19. cap. 2. §. Sed oritur, Layman c. 9. n. 2. §. 9. Vivaldus super casu 18. Bullæ n. 1. in emendatis, Ugolin. ibid. §. 1. vers. 3. Afficit, Suarez disp. 23. sect. 4. n. 23. de censur.*

De-

Declara tertio, ut secundum magis communem sententiam non incurrant hanc censuram exigentes onera patrimonialia ab ecclesiasticis, nulla lege, vel statuto, vel edicto imposita, sed propria sua audacia, seu avaritia, quia textus Bullæ videtur loqui de exigentibus imposita: tamen tales incurrunt excommunicationem *c. Quanquam de censib. in 6.* si erant onera personalia, ut pedagia; vel in excommunicationem *c. Clericis, de immunit. eccles. in 6.* si erant onera mixta, ut vectigalia, seu gabellæ, de quibus censuris supra dixi: & ita de communi testatur *Bonac. super Bulla Cœnæ quæst. 19. punct. 1. n. 6. cum Sayr. Quaranta, Ugolin. Duard. Vivald. Tolet. Suar. Reginal. Sousa:* contra tamen, quod etiam non imposita exigens, incurrat in hanc censuram, tenent probabilius *Angelus verb. Excommun. 7. casu 23. Tabien. excomm. 5. casu 21. Sylv. excommunic. 9. n. 46. §. 21. excommun. Alterius cap. 3. §. 2. animadvert. Suar. disp. 21. sect. 2. n. 99. Molina disp. 670. Filiuc. tract. 16. n. 289.* quod satis probatur ex ipso Bellæ contextu.

Declara quarto, ut neque ob communem necessitatem, & utilitatem teneantur ecclesiastici ad collectas, nisi quando laici non sufficiunt; & ita si clerus convocatus consentiat, non solus Episcopus, & capitulum: item quod tunc prius Papa consulatur, & eo consentiente, exactio non fiat per laicos ministros, sed ecclesiasticos: hæc omnia plene probat *Rota par. 2. noviss. decis. 42.* excipe tamen, ut licitum sit ecclesiasticis cum consensu Episcopi solvere talia subsidia in casu gravissimæ necessitatis urgentis, cum periculum est in mora, ut pauperes fame, aut peste, aut alia calamitate moriantur, & non sufficiunt facultates laicorum, *cap. Gloria Episcopi 12. q. 2. Barbos. alleg. 95. n. 58. Duard. de cens. §. 1. q. 22. n. 39. Quaranta verb. Alien. n. 42. Rota par. 1. Recen. decis. 72.* sed non possunt soli laici imponere, sed requiritur etiam consensus cleri, ut eis imponatur, & eis renuentibus, cogendi sunt ab Episcopo, *Rota ibi n. 4.*

Declara quinto, ut non sit illicitum clero alicujus civitatis (cum non habeat bursam communem) etiamsi non faciat per se collegium, se coadunare pro suo interesse, ut causa litis contra Episcopum, & indicere sibi ipsis collectam pro expensis faciendis; ita tamen ut collecta non exigatur nisi a volentibus solvere, quamvis, obtenta victoria, possint exigere pro rata etiam ab invitis, ne cum alienis expensis commodum sentiant, *Rota apud Rubeum decis. 148. n. 6.* sicut etiam potest clerus pro communi necessitate sibi ipsi imponere collectam, sed non comprehendere exemptos, *Rot. decis. 72. par. 1. Rec.*

CAPUT V.

Immunitatem religiosorum Mendicantium violantes.

EX Bulla Pii V. *Dum ad uberes 11.* fertur excommunicatio contra exigentes onera realia, vel personalia, vel mixta quæcunque a religiosis Mendicantibus, eorumve bonis: quæ excommunicatio non est reservata ex vi istius Bullæ: est tamen reservata ex vi Bullæ in Cœna Domini, proxime supra explicata: & hæc exemptio non est revocata per Bullam Gregorii XIII. 9. *In tanta rerum*, ut testantur *Quaranta verbo privil. regular. pag. 416. Roderic. quæst. 74. art. 16. tom. 2. Sorbus in compend. priv. fol. 451. Cherub. super eadem Bulla Pii V. & Greg. XIII.*

CAPUT VI.

Immunitatem violantes piorum locorum, patrimonialia, aut personalia illis onera imponendo, vel exigendo.

LOca pia, etiam laicalia, licet sint subjecta jurisdictioni laicæ, sunt immunia a muneribus, seu oneribus publicis, ut vectigalibus, collectis &c. *Auth. Item nulla communitas, C. de Episcopis, & clericis:* ex Concilio autem Lateranensi in *cap. Non minus de immunit. eccles.* damnatur secularium potestatum audacia, qui fossata, sive expeditiones, sive alia, quæ arbitrantur agenda, de bonis Ecclesiarum, & clericorum, & pauperum Christi usibus deputatis, volunt fere universa compleri: & statuitur, ut si consules, aut alii de cætero ista commiserint, & commoniti, desistere noluerint, tam ipsi, quam fautores eorum excommunicationi se noverint subjacere, nec communioni reddantur, donec satisfactionem fecerint competentem.

I. Ex hoc textu inferunt multi Doctores, quod imponentes onera personalia, vel patrimonialia locis piis, etiam laicalibus, eaque exigentes, incurrunt in excommunicationem prædictam, propter illam particulam, *& pauperum Christi usibus deputatis*: ita tenent *Cardinalis ibi n. 5. Cajet. verbo Excommunic. 40. Tabiena excommun. 5. casu 18. n. 2. Barbos. alleg. 75. n. 35.* imo *Luis. Turrianus de Just. dis. 44. dub. 4.* putat, tales etiam incurrere in excommunicationem Bullæ in Cœna Domini *c. 18.* sed certum est, eos non contineri in *dict. c. 18.* imo probabile est, neque contineri in *dict. c. Non minus*, quia intelligitur de bonis tantum ecclesiasticis, quæ dicuntur pauperum Christi usibus deputata, quibus quarta pars de eorum redditibus eroganda est, ut *cap. Vobis, cap. Concesso, cap. Quatuor 12. quæst. 2.* & hoc secundum jus commune antiquum: imo quidquid beneficiatis singulis annis superest de redditibus ecclesiasticis, oneribus Ecclesiæ supportatis, ad congruam suam sustentationem, pauperibus erogandum est, ut *Less. lib. 2. c. 4. n. 943. Molina dis. 144. tract. 1. Layman lib. 4. tractat. de benefic. c. 3. n. 3.* cum communi: & quod bona Ecclesiarum dicantur bona pauperum, *text. in c. Si privatum 12. q. 1. & cap. Quia juxta 16. q. 1.* ubi dicuntur *patrimonia pauperum*, & *c. Decimæ 16. quæst. 1.* Decimæ dicuntur tributa egentium animarum: & ita dictum *c. Non minus*, intelligunt *Hostien. ibi, & Abb.* & probabilem ait *Card. ibidem*.

II. An autem incurrant excommunicationem latam in *c. 5.* Bullæ in Cœna Domini contra imponentes nova vectigalia, seu pedagia, vel ea augentes, aut imponi, vel augeri prohibita exigentes? respondeo, si ea expresse imponerentur locis piis, incurrerent imponentes, & exigentes in eam censuram, quia illegitime essent imposita: si autem a Principe legitime essent imposita generaliter suis subditis, & exactor ea exigeret a locis piis exemptis, non incurreret in hanc censuram, ut *Suarez de censur. dis. 21. sect. 2. n. 43. Ugolin. super c. 5. Bullæ, §. Qui caput, n. 4. Navar. c. 27. n. 61. Sayr. lib. 2. c. 9. n. 11.*

☞ CAPUT I.

Imperii Romani, vacante Sede, Vicarii nomen, seu officium, sine licentia assumentes, vel retinentes.

EX *Extravaganti Joannis XXII. c. unic.* Si Fratrum *tit.* Ne Sede vacan. *incurrebant excommunicationem, nemini tamen reservatam, cujuscunque conditionis, & dignitatis ii extitissent, sive patriarchalis, vel cujusvis alterius superioris, seu episcopalis, vel regiæ; sicuti & ipsis, ut talibus obedientes, & in hoc consilium, vel favorem dantes, nisi intra duorum mensium spatium resipuissent. Loca vero, communitates, universitates, civitates, aut villæ, ipsorum hujusmodi nomen, & officium retinentium, jurisdictioni subjecta, ecclesiasticum interdictum.*

Hoc quidem ita servandum esset, cum juxta hanc Joannis decretalem ad Summum Pontificem -- Imperii prædicti (dum vacat) jurisdictio, regimen, & dispositio devolvantur, & ea ipse, durante ipsius vacatione Imperii, per se, vel alium, seu alios exercuisse noscatur in Imperio memorato -- *Verum contrarium in praxi servatur ob Bullam auream (ita dictam a sigillo aureo ob ipsa pendente) seu sanctionem pragmaticam, auctoritate Caroli IV. Imperatoris cum consensu Statuum, & Ordinum Imperii latam, & promulgatam an. 1356. vi cujus Vicarii Imperii sunt semper duo Electores, videlicet Comes Palatinus, & Dux Sassoniæ. Unde hæc pœna non amplius locum habet; ac proinde delenda etiam est a numero censurarum, quam nonnulli Doctores referunt in earundem catalogo.* ☜

CAPUT I.

Incendiarii quorumlibet locorum, & violatores Ecclesiarum.

I. IN *c. Tua nos de sent. excomm.* incendiarii, ex quo sunt per Ecclesiæ sententiam publicati, pro absolutionis beneficio ad Apostolicam Sedem sunt mittendi, sicut clericorum percussores mittuntur; sed in *cap. Pessimam 23. quæst. 8.* dicitur -- si quis malo studio, aut vindictæ cupiditate ignem apposuerit, excommunicetur, et si mortuus fuerit incendiarius, careat sepultura ecclesiastica -- item in *c. Si quis membrorum 23. quæst. 8.* -- incendia domorum faciens, & mandans, aut consentiens, si coram Episcopo requisitus, repa-

reparate damnum noluerit, ab Ecclesia se privatum agnoscat. —

II. Ex his juribus aliqui absolute dicunt, incendiarios esse ipso jure excommunicatos; ita *Julius Clarus in praxi §. fin. quæst. 77. n. 19.* quod probari videtur *dict. c. Tua nos*: hæc sententia non recipitur, nisi ex consuetudine loci habeantur pro excommunicatis, *Sylvester verb. Incendiarii n. 2.* alii dicunt, nullos incendiarios esse ipso facto excommunicatos, sed excommunicandos: ita *Suar. de cens. disp. 22. sect. 2. n. 17. Cajet. verb. Excommunicatio c. 22. Tolet. lib. 1. c. 35. n. 5. Sylvest. verb. Sacrilegium, Navarr. c. 27. n. 74. Eman. Sà verb. Excommun. Papæ reserv. n. 7. Sayr. de cens. lib. 3. c. 29. n. 8.* & videtur probari *dict. c. Pessimam*: alii autem distinguunt, quod incendiarii Ecclesiarum, vel locorum religiosorum, seu ecclesiasticorum, sunt ipso facto excomunicati; & incendiarii aliorum locorum sunt excommunicandi: sed tam hi, quam illi, quoties fuerint declarati ab Ordinario excommunicati, excommunicatio erit Papæ reservata: ita *gloss. in dicto cap. Tua nos, verb. Publicati, Abbas in dict. cap. Tua, Turrecrem. in dict. c. Pessimam n. 1. Sylvest. verb. Incendiarii n. 2. Less. c. 45. n. 22. lib. 2. Azor. tom. 1. lib. 9. c. 27. quæst. 11.* dicens, licet hoc aperto jure non probetur, esse tamen consuetudine receptum: tenet *Layman lib. 4. tract. 10. c. 7. n. 19. Tannerus tom. 4. disp. 5. quæst. 8. n. 18.* qui testatur, esse communem sententiam, tenent *Farinac. quæst. 110. n. 15. & Salzedo ad Diaz in praxi c. 108. in noviss. impress.* ubi ait, communem, & tenet *Barbos. in dict. c. Tua n. 4.*

Amplia, quod etiam mulier incendiaria denuntiata, non potest absolvi, nisi a Papa, *Sayr. loc. cit. n. 9. Graff. lib. 2. de casib. reserv. c. 23. n. 8.*

Amplia secundo, quod neque Legatus a latere potest tales denuntiatos absolvere, *Abbas c. Ad eminentiam n. 4. de sententia excommun. S. Anton. part. 3. tit. 25. n. 11. Sylv. excommunic. 7. n. 14. §. Septima vers. Secundo, Sayr. loc. cit. n. 10.*

Amplia secundum aliquos, ut sufficiat incendiarios denuntiari edicto contra incertos, *Suar. n. 18. Filiuc. tract. 15. n. 53.* sed magis communis requirit nominatim esse declaratos, *gloss. in dict. cap. Tua nos, Cajet. c. 22. Navarr. loc. cit. Sayr. n. 12.*

III. Ex *eodem cap. Pessimam* aliqui dicunt, incendiarios quorumlibet locorum, & cooperantes, incurrere interdictum ab ecclesiastica sepultura: alii dicunt, eos incurrere interdictum ab ingressu Ecclesiæ, si contumaces fuerint, non satisfaciendo, ab Episcopo moniti, per *dict. c. Si quis membrorum*, ita tenet *Suar. disp. 22. sect. 2. n. 15. in fine, Filiuc. tract. 15. n. 53.* sed verius est, non esse interdictum ullum latæ sententiæ, sed ob impœnitentiam, seu contumaciam notoriam carere ecclesiastica sepultura, sicut alii notorii peccatores defuncti in impœnitentia.

IV. Ex *cap. Super eo de raptoribus*, violatores manifeste Ecclesiarum, & raptores, si in vita satisfacere noluerunt, & in morte satisfacere non potuerunt, neque cavere de satisfactione per hæredes facienda, admittendi sunt ad Sacramentum Viatici, & ad ecclesiasticam sepulturam, scilicet, in loco sacro; sed nullus clericorum eorum sepulturæ interesse potest, aut eleemosynam pro eis accipere: sed de hoc *infra* dicam *cap. seq. n. 2.*

Modus autem absolvendi incendiarios est in *dicto cap. Pessimam* statutus, ut cogantur prius damnum reparare, & jurare, se amplius non facturos incendia, & imponenda illis pœnitentia peregrinationis transmarinæ, ut in servitio Dei per annum permaneant Hierosolymis, vel in Hispania, scilicet militando contra infideles, ut *Turrecrem. n. 1. in dict. c. Pessimam*; sed non est amplius in usu hæc pœnitentia publica; ideo de forma absolvendi vide *c. seq. n. 2.*

V. Incendiarii quando fuerint in judicio definitiva sententia de hoc crimine condemnati, scilicet, de incendio, dolo causato, incurrunt juris infamiam, quia hoc est crimen publicum, & capitale, ut *lib. 1. ff. ad leg. Corneliam de sicar. leg. Qui ejus ff. de incend. ruin. naufr. leg. Capitalium, §. Nonnunquam ff. de pœnis*: & consequenter taliter damnati fiunt irregulares, ut dixi *part. 1. c. 33. §. 2.*

In dubio autem incendium non præsumitur dolo malo causatum; & ideo onus probandi incumbit adversario, quod fuerit dolo causatum, *leg. Quoties 18. §. Qui dolo ff. de prob. leg. Dolum, C. de dolo, Menoch. præsumpt. lib. 4. c. 12. n. 2. & lib. 5. c. 3. per totum, Barbos. allegat. 51. n. 75. Magon. de if. 111.* præsumitur autem dolus, si clam fiat, *Menoch. lib. 5. cap. 3. n. 107.* vel si manifesto cum periculo ignem quis applicavit, *Menoch. ibidem n. 97.* in dubio tamen, constito de incendio, præsumitur culpa; quia incendium est de iis, quæ sine culpa evenire non solent: ideo dominus domus, seu prædii, seu rei, quæ incendio periit, habet intentionem fundatam contra rei detentorem, apud quem incensa est, ut *Rota part. 2. noviss. decis. 62.* & ideo excipiens de casu inculpato, debet probare suam exceptionem, *Rot. ibi*; sed si dominus rei ageret principaliter ratione damni emergentis emendandi, quod ex incendio provenit, ipsi incumbit onus probandi damnum, ita *Rot. ibi.*

Quando vero quis teneatur ad restitutionem ob culpam solam, vide *Rot. decis. 104. ibid.* ubi, quod si convenitur ex contractu, ut locati, non tenetur, nisi adsit saltem lata, vel levis culpa, si autem lege Aquilia de damno dato, tunc etiam de levissima in committendo tenetur.

CAPUT II.

Incendiarios, seu violatores Ecclesiarum, aliorumve locorum absolvens, seu ad divina admittens, non servata juris forma.

I. IN *c. Pessimam 23. quæst. 8.* Episcopus absolvens incendiarium, non servata forma ibi præscripta, scilicet, præviæ satisfactionis, juratoriæ cautionis, & pœnitentiæ, ibi præscriptæ, impositionis, damnum restituat, & per annum ab officio episcopali abstineat. Hanc esse suspensionem latæ sententiæ, ait *Marius Alterius tom. 2. tract. de suspen. disp. 16. cap. 3. in fine*: sed verius est, esse simplex præceptum; quia verba non sonant censuram: unde transgressus, non esset irregularis; ita *Reginal. lib. 3. tract. 2. n. 182. Filiuc. tract. 20. n. 215.* imo, hoc præceptum non videtur obligare ad pœnam ante sententiam, *Sanch. lib. 9. de matr. disp. 30. n. 1. & ult.* imo hodie ille textus non videtur usu receptus, quia pœnitentia, de qua ibi imponenda peregrinationis, seu militiæ, non est in usu.

II. In *c. Super eo de raptoribus*, qui violenter insurrexerunt in rapinas, & notorii Ecclesiarum violatores, non sunt absolvendi, nisi restituant prius, vel si non possunt, saltem idonee caveant, si possunt: quod si id non faciant, cum possint, non sunt admittendi ad pœnitentiam, & sacramenta; & absolutio alias foret nulla propter particulam *pœnitentiæ beneficium penitus denegetur*, ut infra dicam. *Quod* si in vita satisfacere noluerint, & in morte, neque satisfacere, neque cavere idonee potuerint, admittendi quidem sunt ad sacramenta, & sepulturam in loco sacro; sed nullus clericorum eorum sepulturæ interesse potest, aut eleemosynam pro eis accipere; & clerici, vel sacerdotes contra præmissam formam attentantes, idest, admittentes illos ad pœnitentiam, vel sepulturæ interveniendo, aut eleemosynas accipiendo contra prædicta, ordinis sui damnum irrecuperabiliter patiantur, & ecclesiastico beneficio careant. Per hæc autem verba inferri videtur

Primo, quod absolutio data contra formam prædictam, erit nulla propter illam particulam *penitus denegetur*, quæ particula *penitus* habet vim latæ sententiæ, & decreti irritantis, ut *Tiraquell.* cum magis communi tenet *in leg. Si unquam, verbo Revertatur n. 105. & 106.* & maxime, quia in eo textu adest illa particula, *Si pœnitentiar dare attentaverint*, quæ significat actum de facto, & de jure nullum. Et confirmatur, quia, ut ait *Tiraquellus n. 108.* idem valet particula *penitus*, & particula *nullatenus*; & particulam *nullatenus*, ait esse latæ sententiæ, & decretum irritans continere: at vero, si canone dicatur *nullatenus absolvatur*, multi dicunt, fore nullam absolutionem, ut *Suar. de censur. disput. 7. sect. 5. n. 44. & Layman lib. 1. tractat. de censur. excommun. cap. 6. n. 8. contra Coninch. de cens. dips. 14. n. 209. Marius Alterius tom. 1. disput. 4. lib. 4. cap. 4. column. 8.* & in terminis de verbo *Penitus*, quod valeat actus in contrarium, tenent nonnulli, quos allegat *Tiraquellus n. 108.*

Secundo, inferri videtur ex eo textu, clericos transgressores talis præcepti, incurrere privationem beneficii ipso facto: quia particula *Careat*, est latæ sententiæ, secundum magis communem, quam probat *Tiraquell. verbo Revertatur loco cit. n. 161. Vezin. tom. 2. commun. opin. lib. 9. tit. 34. nu. 354. Gama tract. de sacram. præst. quæst. 5. n. 17. Sayr. in clavi Regia lib. 3. cap. 8. n. 26.* tamen contrarium tenet *Abb. in dict. c. Super eo n. 2. Anan. n. 5. Bernard. Diaz in praxi cap. 109. in noviss. impress. n. 2.* qui dicunt, talem transgressorem esse privandum beneficio: & hoc puto verius; quia, ut ait *Tiraquell. n. 166.* verbum *Careat* nonnunquam ex sub-

subjecta materia judicatur sententiæ ferendæ: & talis est meo judicio conjectura, quando profertur simul cum alia pœna ferendæ sententiæ, quasi in illius consequentiam, ut in textu nostro; cum pœna depositionis ibi statuta per illa verba, *Ordinis sui damnum patiantur*, sit sententiæ non ipso jure latæ, sed ferendæ, ut *Abb. & Diaz ibi* docent; & patet ex verbo *Patiantur*: dicunt tamen *Abbas*, *& Bernard. Diaz supra cit.* quod licet Episcopus non possit dispensare cum sic deposito, poterit tamen super beneficii privatione dispensare cum incendiario non deposito.

CAPUT I.

Incestus pœna.

I. INfamis ipso jure efficitur, quicunque de crimine incestus fuerit judicio condemnatus: quia est crimen publicum, ut *Corrad. de incestis nupt. n.* 13. *&* 14. *Farinac. quæst.* 149. *n.* 1. unde lata sententia, reus notatus remanet juris infamia, *leg.* 1. *ff. de his qui notan. infam.* Quod si incestus culpabilis contingat sub figura matrimonii, scilicet, in gradibus prohibitis, tunc secundum multos Doctores taliter contrahentes incurrunt juris infamiam ipso facto, absque sententia, ut dixi *verb. Matrimonium cap.* 5. sed adverte, quod si incestus contingat sub figura matrimonii, in facie Ecclesiæ, servata forma Concilii Trid. scilicet denuntiationibus, si accedat juramentum ipsorum, quod bona fide contraxerint, tunc præsumitur ignorantia juris, & facti, non tamen semper, sed arbitrio judicis, *leg. fin. ibi gloss. ff. de ritu nupt. leg. Octavi*, *§. Fratres*, *ff. unde cognat. Farinacc. quæst.* 149. *n.* 203. *&* 204.

☞ *Ludovicus de Ameno* tom. III. tit. 4. §. 6. num. 17. *solide probat*, *incestuosum quemcunque*, *etiam absque figura matrimonii*, *esse ipso jure*, *& facto infamem*, *& non requiri sententiam condemnatoriam*, *sed solum declaratoriam*, *si crimen non sit notorium*, *si vero sit notorium*, *non opus esse declaratoria*; *cum notorietas facti suppleat declaratoriam judicis*. ☜

II. Irregularis igitur fiet vir consequenter in prædictis casibus infamia juris affectus, *Turrecr. in cap. Nec eam n.* 3. 35. *quæst.* 2. *Farinac. q.* 149. *n.* 136. imo cum incestus sit crimen depositione dignum, ut *Bernard. Diaz in praxi cap.* 87. *Farinac. n.* 34. consequenter, ubi fuerit hoc crimen notorium, reddet reum infamia juris notatum, & irregularem, ut de communi testatur *Sayr. de censur. lib.* 7. *cap.* 12. *n.* 12. de qua dixi *part.* 1. *c.* 33. *§. Secundo modo*. Est autem hoc crimen dignum depositione sola verbali, non autem degradatione, ut *c. Non debet* 30. *quæst.* 1. *Barbosa alleg.* 110. *n.* 10. nisi propter incorrigibilitatem, aut forte propter enormitatem scandali, ut dixi *part.* 1. *cap.* 27. *in fin.*

☞ *Citatus Can. Non debet*, *non loquitur de vero*, *& proprio incestu*, *sed de coitu cum filia spirituali ex baptismo* (*seu collato*, *seu ab eodem levata*) *aut ex Pœnitentiæ Sacramento*. ☜

III. Excommunicationem quoque incurrit incestum committens, & quidem, etiamsi incestus fuerit a laico, sine velamine matrimonii: aliqui dicunt, excommunicationem adesse latæ sententiæ: ita tenet *Duenas regul.* 150. *ampliat.* 1. & plures, quos allegat, & sequitur *Farinacc. q.* 149. *n.* 16. & videtur tenere *Paul. Grillan. in tract. de pœnis omnifor. coitus quæst.* 2. *n.* 4. & facit *cap. Si quis cum matre* 33. *quæst.* 2. ibi *anathematis percutitur ictibus*.

Sed contraria est communior, & vera, extra figuram matrimonii incestum committentes non incurrere excommunicationem latæ sententiæ, sed ferendæ ob incestum, *cap. De his*, *qui incesti* 35. *q.* 3. *gloss. in d. cap. Si quis cum matre*, *verbo Percutitur*, *& gloss. Clem.* 1. *de consanguinit. verbo Matrim. & Vitalin. ibid. n.* 28. *Faber. in §. Si adversus in fin. Inst. de incest. nupt. Angel. tract. malefic. versic. Che hai adulterata n.* 68. *Sanch. de matrim. lib.* 7. *disp.* 48. *n.* 5. *Salzedo ad Diaz in praxi c.* 87. *§. Laicus*.

☞ *Recte perpensis tribus cit. Textibus*, *nulla in his legitur inflicta excommunicatio contra incestuosos*, *sine velamine matrimonii*, *ne ferendæ quidem sententiæ*; *nam can.* De his *est de matrimonio incestuoso*, *ut constat ex tota illa quæstione*: *Canon* Si quis cum matre *aperte loquitur de habente propriam matrinam in conjugium*, *ideoque in iis agitur de incestuosis sub figura matrimonii*: *Gloss. vero hujus Canonis nihil dicit de simplici incestu*, *sicuti nec Gloss. cit. Clementinæ*: *& quamvis in can.* Incestuosi 3. *caus.* 35. *q.* 8. *legatur*, *quod incestuosi* – non osculentur, nec salutentur – *& ideo tamquam excommunicati habendi sint*; *dict. can. loquitur de contrahentibus nuptias incestuosas*, *ut ibi Gloss. Verum tamen est*, *quod simplex incestuosus excommunicari posset*, *quoties haberet concubinam*, *& monitus*, *non desisteret*; *quod esset ratione concubinatus*, *non incestus*. ☜

At vero incestus sub figura matrimonii habet pœnam excommunicationis latæ sententiæ, non propter ipsum incestum effectuatum, sed propter ipsas nuptias incestuosas, hoc est in gradu prohibito, etiam copula non secuta, contractus, ut *Clem. un. de consanguin. & affin. Sanch. loco cit. n.* 6. de qua excommunicatione vide *verbo Matrimonium cap.* 5. ubi dixi, requiri scientiam, seu dolum ad hanc excommunicationem incurrendam, & non esse reservatam Papæ, ut *Salzedo loc. cit.* testatur de communi.

IV. Privatur ipso facto jure petendi debitum conjugale incestum committens cum consanguineis suæ uxoris, vel sui mariti, *cap.* 1. *de eo*, *qui cognovit consangu. ux.* sed hodie non privatur jure petendi debitum, nisi incestus fuerit cum consanguineis conjugis in primo, vel secundo gradu, propter Tridentini decretum, *sess.* 24. *cap.* 4. ubi restrinxit affinitatem ex copula fornicaria, ut non impediat matrimonium, nisi in primo, & secundo gradu: & Sacra Congregatio declaravit, idem esse quoad impedimentum petendi debitum in casu nostro, ut *Sanchez lib.* 9. *dis.* 27. *num.* 14.

An autem procedat hæc pœna etiam in conjuge a consanguineo viri, metu gravi cognita; aliqui negant, alii probabilius affirmant, ut *Sanchez lib.* 9. *dis.* 31. *n.* 4. certe, si vi comprimatur, non procedit hæc pœna, *Sanchez lib.* 7. *dis.* 15. *n.* 50. *& dis.* 64. *n.* 17. Limita etiam, quod dicta pena non militat, si maritus, vel uxor incestum commiserit cum propriis consanguineis, *Sanch. lib.* 9. *dis.* 32.

Super ista pœna potest Episcopus cum suis subditis dispensare ad petendum debitum, *Sanch. lib.* 8. *de matr. dis.* 12. *n.* 13. *Barbos. de potest. Episcop. alleg.* 37. *n.* 12.

V. Impedimentum matrimonii contrahendi cum qualibet persona ipso facto incurrit incestum committens cum propriis consanguineis, vel conjugis, *cap. Si quis cum matre* 33. *q.* 2. *cap. Litteris* 12. *in fin. de præsumpt. cap.* 1. 2. *&* 3. *de eo*, *qui cogno. consang. Sanchez lib.* 7. *dis.* 15. *n.* 6. *&* 7. *Salzedo ad Diaz in praxi cap.* 87. *§. Laicus*: & procedit etiam de incestu commisso contra jus publicæ honestatis, ut cum consanguineis sponsæ, vel sponsi in primo gradu, *dict. cap. de eo*, *qui cognovit consang.*

Limita primo, quod secundum aliquos Doctores hodie non procedit hæc pœna, nisi incestus sit commissus in primo, vel secundo gradu, secundum probabiliorem sententiam, ex Tridentin. *sess.* 24. *c.* 4. *de matrimonio*: ita *Sanch. dis.* 15. *cit. n.* 4. *Coninch. disp.* 30. *n.* 25. *de Sacrament. matrimon.* tamen contraria est magis communis, ut apud *Sanch. dis. ibidem*, *& Filiucc. tract.* 10. *par.* 2. *n.* 280. quod scilicet usque ad quartum gradum consanguinitatis extendatur.

Limita secundo, quod hoc impedimentum non est irritans, seu dirimens matrimonium, *Sanchez dicta disp.* 15.

Limita tertio, ut requiratur ad hanc pœnam incestus formalis, idest scienter commissus, ut tex. *in d. cap.* 1. *de eo*, *qui cognovit*.

Limita quarto, quod hodie hæc pœna, seu impedimentum desuetudine videtur sublatum, ut non sit necesse petere dispensationem, regulariter loquendo, *Sanch. lib.* 7. *dis.* 17. *n.* 8. *&* 9. *in fine & lib.* 8. *dis.* 25. *n.* 8. *circa medium*, *Coninch. dis.* 30. *n.* 25. unde neque in dispensatione ad petendum debitum tenetur, qui habet jus dispensandi, injungere, ut si supervixerit conjugi, maneat cælebs, nisi ubi talis pœna sit usu recepta, ut notatur in *Compend. privil. Societ. nostræ*, *verb. Dispensatio* §. 8. posset tamen, si vellet, eam injungere, ut *Garzias de benef. par.* 8. *c.* 3. *n.* 35. Stylus autem Sacræ Pœnitentiariæ hanc penam observari vult, & injungit in dispensatione ad petendum debitum: & stylus Datariæ eam injungit in dispensatione super consanguinitate usque ad quartum gradum, ubi intercesserit copula incestuosa, *Garzias loco cit. n.* 36. *Sanch. lib.* 8. *dis.* 25. *n.* 8. Quis autem, & ob quam causam, possit dispensare super hoc impedimento, aliisve non dirimentibus, vide *Sanch. dict. dis.* 17. *a n.* 13. *de matr.*

VI. Incestum committens cum consanguineis, vel affinibus suis usque ad quartum gradum, ex matrimonio, vel cum persona, cum qua habet jus publicæ honestatis, vel cum affinibus in primo, & secundo gradu, ex copula fornicaria, incurrit speciale impedimentum matrimonii contrahendi cum persona eadem, cum qua incestus commissus est;

est; ita ut dispensatio a Papa concessa super impedimento consanguinitatis, vel affinitatis, non expressa copula incestuosa, habita cum eadem persona, sit subreptitia, & nulla, ex decret. Trident. Concilii *sess.* 24. *cap.* 5. *de reform. matrim.* ubi contrahentes matrimonium scienter in gradibus prohibitis separentur, & careant spe dispensationis: idque in eis multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausi fuerint: & quamvis istud decretum solum loquatur, quando matrimonium est contractum, vel etiam consummatum in gradibus prohibitis, tamen ex stylo Curiæ extenditur ad omnem copulam incestuosam, etiam sine matrimonii signra, *Sanch. lib.* 8. *dis.* 23. *n.* 8. *Garzias de beneficiis par.* 8. *cap.* 3. *n.* 36. *Gutier. de matr. cap.* 124. *n.* 13. *&* 14. & procedit secundum veriorem, etiamsi sit habita sine cogitatione matrimonii contrahendi, *Garzias n.* 66. cum declaratione Sacræ Congregationis: imo si copula sit habita ex intentione facilius obtinendæ dispensationis matrimonialis, tunc adest speciale impedimentum, ut necesse sit exprimere eam intentionem; alias esset subreptitia dispensatio, cum ipsi copulam exponant pro causa facilioris dispensationis, ut *Sanch. num.* 38. *Garz. n.* 93. *&* 97. *Gutier. loco cit.*

Adde, ut litteræ reddantur subreptitiæ, & irritæ, etiamsi copula subsequatur post expeditionem litterarum in forma commissaria (quando scilicet non fuerat narrata in supplicatione) quandocunque subsequatur, antequam confessarius exequatur, idest actu dispenset: ita declaravit *Sacra Congreg. apud Barbos. super ee cap.* 5. *Trid. lit. D. & Garzias ibi n.* 69. imo etiamsi copula præcedens in supplicatione narrata sit, sed repetita post decretum separationis a delegato factum, reddit litteras subreptitias, *Garzias par.* 8. *cap.* 3. *n.* 92. *Cerrad. de dispens. lib.* 8. *cap.* 5. *n.* 38. §. *Ceterum* ex declaratione Pauli V.

Verum est, quod si copula est occulta, sufficit petere in Dataria dispensationem super gradibus, & in Pœnitentiaria super copula incestuosa, *Sanchez dis.* 25. *n.* 11. *&* 12. *Coninch. dis.* 33. *n.* 83. & tunc servabitur forma in Brevi reformationis Sacræ Pœnitentiariæ, statuta a S. D. N. Urbano VIII. Quod si copula sit publica, sed intentio illa sit occulta, impetrari debet in Dataria dispensatio etiam super intentione; quia ille actus internus componit cum actu externo, & illum informat, ut non possit ab eo moraliter separari, & cadit sub eadem potestate, sub qua actus externus de se malus per talem intentionem, *Suar. de censur. dis.* 4. *sect.* 2. *n.* 22. *Coninch. dis.* 13. *n.* 72.

☞ *Circa prædictam malitiosam intentionem, vide Const. Bened. XIV.* Pastor bonus §. 42. *in fine hujus Operis.* ☜

Adde, quod ista dispensatio super gradibus, stante copula incestuosa, regulariter non conceditur in Dataria in forma pauperum, nisi cum clausula, pœnitentia peracta; & tunc si fraus aliqua fieret, non adimpleta scilicet pœnitentia, dispensatio esset subreptitia & nullius momenti, ut probat *Pirrhus Corrad. in praxi dispensat. lib.* 8. *c.* 6. *n.* 53. *& seq.* quia ablativum absolutum importat conditionem, qua non impleta, delegatus nullitet agit, *Put. decis.* 429. *lib.* 1. *Caputaq. decis.* 125. *&* 150. *par.* 1.

VII. Filii incestuosi, infames sunt, secundum aliquos Doctores, per *c. Conjunctiones* 35. *q.* 2. *&* 3. ibi *infamia eos notamus*: unde videntur infamia juris notati: & ita eos infames esse volunt *Anton. Gomez in leg. Tauri* 80. *n.* 15. *Gilland. de pœnis omnif. coitu q.* 2. *n.* 8. *Majol. de irreg. lib.* 3. *cap.* 1. *n.* 13. sed contraria mihi verior videtur, quod non sint infames ipso jure proprie dicta infamia, quia nullo jure cautum est: & tex. in *dict. c. Conjunctiones* obscure loquitur, & intelligitur a Canonistis ibi notare infamia non filios, sed parentes, ut *Archid. ibi, & Turrecrem. n. ult.* quare dicendi sunt infames tantum infamia facti, vel juris secundum quid, sicut de aliis illegitimis dicunt Doctores, & de communi testatur *Tiraquell. de nobilit. cap.* 15. *n.* 4. *Mascbard. verb. Testis, conclus.* 1362. *n.* 1.

Dixi *secundum quid*, quatenus habentur viles, & repelluntur a multis actibus, & officiis publicis, & successionibus, sicut infames; & ita *Covar. pract. quæst. c.* 19. *n.* 6. *lib.* 4. *Molin. tract.* 5. *dis.* 7. *num.* 5. *Calderin. consil.* 2. *de fide instr. Tiraq. n.* 30. *Mascard. ubi supra*: & facit, quod Doctores, qui dicunt, incestuosos esse infames, se fundant in *Authen. ex complexu, C. de incest. nup.* ubi ait textus, neque filios nominandos eos, qui ex damnato coitu nascuntur, qui spurii vocantur; & tamen spurii alii quilibet non dicuntur infames infamia juris, proprie loquendo, ut *Mol. et Covar. l. c.*

☞ *Licet in hoc Opere agatur de solis pœnis spiritualibus, placet tamen hic referre etiam corporalem pœnam a Sixto V. inflictam in Urbe, & toto ecclesiastico statu contra sequentes incestuosos, ut magis intelligatur, quanta sit hujus criminis turpitudo, & deformitas. Itaque justissimus Pontifex in Const.* Volentes *non. Apr.* 1587. *statuit*, ut — Quicunque ausu nefario, scienter matrem, & filiam, sive duas sorores germanas carnaliter cognoverit, etiamsi eæ, earumve altera publicæ meretrices fuerint, sive clam, sive palam, aut figura matrimonii talem crimen admiserit, sive etiam cum altera earum legitimo matrimonio conjunctus extiterit, pœna ultimi supplicii plectatur.

Qua itidem pœna mulier puniatur, quæ sciens matrem, aut filiam, vel sororem suam, cum aliquo viro rem habuisse, eidem viro ipsa quoque sui corporis copiam fecerit.

Similiter volumus, unamquamque mulierem, etiamsi instigante humani generis hoste, eo devenerit impudentiæ, ut corpore publice quæstum faciat, quæ cum patre, & filio, sive cum duobus germanis fratribus, scienter se carnaliter commiscuerit, sive a prædictis sciens se carnaliter cognosci permiserit, etiamsi eorum alteri legitimo toro copulata fuerit, pœna ultimi supplicii puniri.

Idque etiam in eum virum volumus observari, qui sciens, patrem, aut filium, vel fratrem suum cum muliere aliqua rem habuisse, ipse etiam eandem mulierem carnaliter cognoscere non erubuerit. — ☜

CAPUT I.

Indulgentiam plenariam concedentes religiosi.

C*Lem.* 1. *de privil.* religiosi a pœna, & culpa (ut ipsi dicunt) absolvere aliquem præsumentes, excommunicationis sententiam incurrunt ipso facto, Papæ reservatam; eosque locorum Ordinarii, postquam de hoc eis constiterit, debent excommunicatos facere denuntiari, donec de absolutione ipsorum eis fuerit facta fides, nullo eisdem religiosis super hoc exemptionis, vel alio privilegio suffragante.

Nota quod absolvere a pœna, & culpa, secundum modum loquendi Regularium, idem est, quod a pœna Purgatorii absolvere, idest Indulgentiam plenariam concedere, ut ait *Sylv. excomm.* 7. *n.* 41. *Suar. de censur. disp.* 22. *sect.* 4. *n.* 19. *Sayr. lib.* 3. *de censur. c.* 29. *n.* 38.

Nota secundo, quod ad incurrendam hanc excommunicationem sufficit, si religiosus Indulgentiam plenariam concedat, etiamsi non absolvat a peccatis sacramentaliter: ita *Sylvest. loc. cit. Suar. n.* 20. *Marius Alter. lib.* 5. *disp.* 22. *c.* 3. *vers.* 6. *notan.* est contra *Cardinalem, & Zenzelinum* ibi, qui utrumque requiri putant, idest, & absolvi sacramentaliter, & Indulgentiam plenariam concedi.

Quæres, an religiosus in isto casu incurrat excommunicationem contra usurpantes jurisdictionem Sedis Apostolicæ, latam in Bulla Cœnæ *cap.* 17. et posset videri alicui affirmative dicendum, quia ad solum Pontificem Romanum pertinet concedere Indulgentiam plenariam, ob plenitudinem potestatis, *c. Cum eo in fin. de pœnit. & remiss. & Extrav. Unigenitus, eod. tit. Vitalin. hic n.* 86. & *c.* 17. *Bullæ*; procedit etiam contra usurpantes jurisdictionem spiritualem, ut *Doctores ibid.* tamen contrarium tenendum est, quia illa Bulla Cœnæ excommunicatio non procedit contra usurpantes jurisdictionem delegatam; alias etiam absolventes a casibus reservatis Papæ, incurrerent in eandem excommunicationem, quod nemo dixit, et de hoc dixi *verbo Usurpatio c.* 3.

☞ *Nota propositiones ab Alex. VII. proscriptas sub die* 24. *Septemb.* 1665. *sub pœnis in eas docentes &c. & ad praxim deducentes, quas vide infra in fine Additionis ad cap.* 1. *verbo Missa, quæ sunt in ordine la*

36. — Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata post Concilium Tridentinum. —

37. — Indulgentiæ concessæ Regularibus, et revocatæ a Paulo V. hodie sunt revalidatæ. — ☜

CA-

CAPUT II.

Indulgentias publicantes porrigentibus manus adjutrices, vel ob quæstum.

PIus V. Bulla 99. *Quam plenum*, statuit, ne in aliquo Regno, civitate, vel loco, quocumque prætextu publicentur Indulgentiæ ob quæstum, seu ad quas consequendas solvenda sit aliqua eleemosyna alicui personæ, vel loco: & qui secus egerint, seu attentaverint, Episcopi, etiamsi Cardinales fuerint, ab ingressu Ecclesiæ, & perceptione fructuum suarum Ecclesiarum tandiu maneant suspensi, donec satisfactione prævia, a Sede Apostolica absolvantur. Inferiores vero Episcopis sententiam excommunicationis incurrant, Papæ reservatam; decernendo irritum, & inane quidquid in contrarium contigerit attentari.

Inde idem Pius V. Bulla 30. *Etsi Dominici*, revocavit omnes Indulgentias quibuscunque concessas, pro quibus consequendis prorrigendæ essent manus adjutrices.

Limita, non esse revocatas Indulgentias concessas, pro quibus consequendis debeat fieri aliqua eleemosyna pauperibus indeterminatis: nam & hoc injungi solet in Bullis Jubilæi.

Limita secundo, quod non incurrit in hanc censuram mandans, publicari Indulgentiam ob quæstum, si non fuerit publicata, quia verbum *Attentare*, quando agitur de usurpatione potestatis, seu de exercitio actus nulli, sed irriti, est intelligendum de actu consummato, licet inefficaci: & ita *Bonac. dis. 2. q. 3. punct. 30. n. 7. de censur. in partic.* quia minus debemus recedere a jure communi, quam sit possibile: de jure autem communi pœna latæ sententiæ incurrenda, intelligitur solum de actu consummato, non autem de solo conatu, seu attentato, *Joan. Andr. in novella in c. Perpetua, de elect. in 6.* & late *Felin. in tract. 1. Conatus absque effectu an puniatur n. 5. Fallen. 4.* aliam etiam Constitutionem pœnalem a Pio V. editam contra promulgantes Indulgentias pro eleemosyna vide *verbo Simonia c. 11.*

☞ CAPUT I.

Infeudandi civitates, & loca Ecclesiæ Romanæ, eidem mediate, vel immediate subjecta, tractatus habentes, eorumque infeudationem Papæ per se, vel per alium insinuantes, aut suadentes.

EX *Constit. S. Pii V.* Admonet 4. *Kal. Apr.* 1567. §. 3. *excommunicationem Papæ reservatam ipso facto incurrunt, pœnamque læsæ majestatis, etiam in primo capite, confiscationis bonorum, privationisque dignitatum, ac beneficiorum, quicumque ii sint, etiam Episcopi, & Cardinales: quam Constit. confirmarunt Greg. XIII. Constit.* Inter cetera, *Sixtus V. Const.* Quanta, *Greg. XIV. Const.* Romanus Pontifex, *Innoc. IX. Const.* Quæ ab hac S. Sede, *ac Clem. VIII. Const.* Ad Romani Pontificis, *ubi §. 7. & 8. declarationem Greg. XIV. tanquam destruentem Const. S. Pii, alienandique occasionem præbentem revocavit; declaravitque a cit. Pii Const. prohiberi infeudationes, & prorogationes investiturarum, etiam ex causa necessitatis, aut evidentis, & veræ utilitatis factas, & faciendas, civitatum, & locorum in ea contentorum, tam numquam antea in feudum concessorum, quam prius infeudatorum, ac postmodum devolutorum, nondum devolutorum.*

Nota cum Laertio Cherubino ad cit. Const. Pii tom. 2. quæ est la 35. in ordine, in locis dari prohibitis in feudum, non comprehendi terras, & loca confiscata ob delicta, de quibus Greg. XIII. Const. 65. Tanta, *& Sixtus V. Const. 6.* Hoc nostri: *nec loca, quæ Cameræ Apostolicæ emit a Baronibus juxta Const. Clem. VIII.* Justitiæ.

Ex Const. Bened. XIV. Concreditum 12. *Jun.* 1748. *Legati Apostolici in provinciis Ditionis ecclesiasticæ nequeunt concedere in emphyteusim, aut feudum bona Cameræ Apost. devoluta: neque restitutiones in integrum adversus caducitates incursas, aut purgationes moræ: nec condonationes, aut compositiones super responsionibus non solutis. Possunt tamen concedere renovationes, expleto termino convento in prioribus investituris; sicuti & consensum præstare in alienationibus bonorum, quatenus eorum utilibus possessoribus facultas ipsa alienandi, idest per contractus inter vivos nuncupatos in alios transferendi concessa est; ut in Ducatu Ferrariensi; sub iisdem tamen pactis, & conditionibus semper faciendis, quibus iidem primi utiles possessores tenebantur; & dummodo hujusmodi alienationes non fiant in fraudem ipsius Cameræ, & ad pervertendam, atque frustrandam dictorum bonorum, seu jurium devolutionem, quæ ob deficientiam successorum in investituris comprehensorum, & ad eas vocatorum, imminere dignoscatur.* ☜

CAPUT I.

Injuria in quemlibet.

INfamiam juris incurrit condemnatus actione injuriarum pœnali, sive civili, sive criminali, *c. Cum te, de sent. & re jud. leg. 1. ff. de his, qui not. infam. Abb. in d. c. Cum te n. 1. Bernard. Diaz in praxi c. 69. n. 6.* & consequenter irregularis erit taliter condemnatus, ut dixi *par. 1. c. 33.*

Amplia, ut procedat etiam in eo, qui pulsatus actione injuriarum, transegit cum actore, ut *dict. leg. 1. ff. de his, qui not. infam.* sed tu vide *dict. cap. 33.*

Ampliant secundo multi Doctores, ut procedat, etiamsi injuria sit levis, idest non atrox, dummodo pertingat ad peccatum mortale: ita *Innoc. Hostien. in dict. c. Cum te*, & communem testantur *Cardin. ibid. Felin. n. 9. Salzedo ad Diaz. loc. cit. lit. B. Suar. commun. opin. lib. 1. n. 79. Farin. q. 105. n. 65. Barbos. in dict. c. Cum te*, & probatur in *dict. c. Cum te*, ubi in casu injuriæ levis postulatum fuit beneficium restitutionis: sed contraria sententia est magis communis, eamque communem ait *Clarus §. Injuria, versic. Item condemnatus*, qui plures allegat, & plurimos congerit *Tiraquell. tract. de judiciis in reb. exiguis vers. 64.* potest autem Episcopus in hia dispensare, ut *c. At si clerici, §. De adulteriis, de judic.*

Dicitur autem injuria atrox, vel re ipsa, ut si sit illatum vulnus notabile, aut fractio ossium, aut similis gravis læsio, indigens magna opera medicorum, & medicinalium, *Navar. c. 27. n. 92. Cardin. in cap. Ad eminentiam, de sent. excomm. ibi Anch. n. 2. Sayr. lib. 3. c. 28. n. 6. de cens. Menoch. de arbitr. cas. 263.* facit §. *Atrox, inst. de injur.* vel atrox dicitur ex circumstantiis, ut a loco, a tempore, a qualitate personarum, ab eventu, a modo, ut *leg. Aut facta ff. de pœn. & dic. §. Atrox*, & supra citati DD. & supra dicta probat *Speculat. tit. de legat. §. Nunc dicemus vers. Quando, & ubi, n. 8. Genuen. in praxi cap. 80. n. 3.*

Ante condemnationem igitur, injuriam atrocem inferens, non efficitur irregularis, etiamsi fuerit vulnus grave, seu sanguinis effusio, sive intervenerit mors, vel membri mutilatio, *Abb. in c. 1. n. 8. & 9. qui cler. vel vov. & ibi Cardin. Præp. & alii, Rotæ par. 2. novis. decis. 438. n. 3.* ubi procedit etiam in vulnere, clerico illato.

☞ *Nota, quod licet ex hoc capite non fieret irregularis ante condemnationem, fieret tamen, ex vulgatis, ratione homicidii, vel mutilationis, si alterutrum intervenisset.* ☜

CAPUT II.

Injuria per violentam manus injectionem in clericos, vel religiosos.

I. IN *c. Si quis suadente Diabolo 17. q. 4.* habetur Constitutio hujusmodi Innocent. II. in Concilio Lateranensi *c. 15.* – si quis suadente diabolo, in clericum, vel monachum manus violentas injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum præsumat illum absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat –. Ex quo textu habetur excommunicatio latæ sententiæ contra injuriose manum injicientes in clericos, vel religiosos; quia licet verbum *subjaceat*, tanquam futuri temporis, in aliquibus casibus sit sententiæ ferendæ, ut apud *Tiraquell. in leg. Si unquam, verbo Revertatur n. 149.* tamen, regulariter loquendo, est latæ sententiæ, ut *Tiraquell.* ibi late probat cum multis juribus, & Doctoribus: & expresse sic habetur de hoc *can. Si quis suadente*, in *cap. Quod translationem, de officio leg.* hunc autem canonem post alios late explicat *Barbos. in dict. c. Si quis*, & multi ab eo allegati.

Amplia, quod nomine clerici continetur & is, qui solam habet primam tonsuram, *Sayr. lib. 3. c. 26. n. 4. Barbos. loco cit. n. 9.* & procedit, etiamsi non habeat requisita Concilii Tridentini ad utendum privilegio fori, ut declaravit Sacra Congregatio apud *Barbos. ibid.* Nomine autem

monachi intalliguntur nmnes religiosi, etiam late dicti, idest, etiamsi non emittant tria vota substantialia, dummodo sit eorum Religio a Sede Apostolica approbata; ot Doctores, quos allegat *Diana resol. 61. tract. 1. tom. 2.*

Amplia secundo, ut contineatur clericus, & monachus, non solum vivus, sed etiam mortuus, nt injuriose ejus cadaver percutiens, incurrat in hanc censuram: ita *Tolet. lib. 1. cap. 31. §. Quarto debet in fine, Felin. in cap. A nobis, il secondo n. 4. de sent. excommun. Alber. Brunus de augm. n. 95. Duena, regula 99. ampliat. 6. Barbos. n. 47.* quamvis contrarium teneat *Henriq. lib. 14. c. 3. n. 8. lit. B.*

Amplia tertio, ut contineatur clericus, & monachus, percutiens gravitar se ipsum ex odio, seu indignatione contra seipsum, non ex spiritu mortificationis, seu pœnitentiæ: est communis sententia, ut testatur *Grammat. decis. 44. n. 2. Clarus §. fin. q. 77. n. 3,* tenet *Farinac. q. 128. n. 25.* & plures allegat *Diana resolut. 81. tract. 5. Miscell. tom. 2.* quamvis contrarium, quod scilicet percutiens seipsum non incurrat in hunc Canonem, teneant *Barbos. in cap. Contigit, il primo, de sent. excommun. Graff. lib. 1. de casibus reservat. c. 8. n. 23. Turrian. de censur. lib. 3. disp. 29. dub. 2. Diana loco cit. Nald. tract. quæst. n. 24. cum Bald. & aliis Canonistis, Mantua Dial. 125.* & probabilem ait *Suarez disp. 22. de censur. sect. 1. n. 59.*

Ampliatur quarto, ot ex juris dispositione, & interpretatione extendatur Canon non solum ad ipsum percutientem, seu violentiam inferentem, sed etiam ad mandantem, consulentem, incitantem, consentientem, & non impedientem, cum ex officio impedire tenetur: imo, secundum magis communem, etiamsi non teneatur ex officio, *cap. Quanta, c. Mulieres, §. ultim. de sent. excommun.* & extenditur etiam contra ratam habentem percussionem, ejus nomine factam, *c. Cum quis, de sent. excommun. in 6.* vide *Sayr. lib. 3. c. 26. n. 22. Suar. de censur. disp. 22. sect. 1. n. 55. Avil. par. 2. c. 5. disp. 3. dub. 6. Molinam disp. 52. tract. 3. Coninch. disp. 14. dub. 15. de cens. Barbos. in dict. c. Si quis suadente n. 40. cum seqq.*

Amplia quinto, quod notorios percussor clerici, vel monachi, est omnino vitandus ab omnibus, juxta *extrav. Martini V.* ut dixi supra *verbo Censura c. 4.* alias communicans cum illo, incurrit excommunicationem minorem, ut dixi ibi.

Amplia sexto, quod licet causa hæc injuriæ in personam ecclesiasticam per violentiam, sit mixti fori, tamen, etiamsi judex laicus prævenisset, nihilominus posset judex ecclesiasticos procedere contra laicum istum, qui injuriam intulisset, ad sententiam excommunicationis declaratoriam, *Marta de Jurisd. par. 2. c. 27. n. ult.*

Absolutio igitur hujus excommunicationis est Sedi Apostolicæ reservata, ut in textu: sed limita primo, quod Episcopus de jure communi potest quemlibet absolvere, quando percussio est levis, idest neque enormis, neque mediocris, *cap. Pervenit, de sent. excomm. ibi gloss. & Abb. Sayr. lib. 3. c. 28. n. 35. Molina disp. 57. cit. Laym. lib. 1. tract. de excomm. c. 5. n. 9. Genu. in praxi c. 80.* ubi late hanc materiam declarat, & *Barbos. in dict. cap. Si quis n. 77. cum seqq.*

Adde, quod hæc facultas non solum competit aliis Prælatis, habentibus episcopalem jurisdictionem a Papa, secundum communem, *Sayr. lib. 3. c. 28. n. 2.* sed, secundum probabilem, etiam vicario generali, ut tenet *Bonac. disp. 2. q. 4. punct. 5. n. 4.* qui alios allegat, & tenet *Molina disp. 59. n. 4. tract. 3.* contrarium tamen *Abbas, & Angel.* quos sequitur *Sayr. ibi;* quia *textus* ad Episcopum verba dirigit; quod est intelligendum, nisi specialiter sit mandatum, *Sbroz. de offic. Vicar. quæst. 180. lib. 2.*

II. Potest Episcopus absolvere a percussione mediocri, quando percussio est facta inter clericos in communi viventes, ut *c. Quoniam de vit. & honest. cleric. Barbos. n. 80. Molina disp. 57. n. 3. Sayr. n. 7.* item potest Episcopus absolvere a mediocri officialem Principis, qui ratione officii turbæ arcendæ, clericum mediocriter percussit, *c. Si vero de sent. excomm.* & idem de ministris justitiæ dicendum, si ratione sui officii exercendi percutiunt, per eum *text. & ibi DD. Suarez disp. 22. de cens. sect. 1. n. 70. cum Cajet. Laym. loc. cit. n. 10.* Hæc autem facultas cum sit magis limitata, non competit vicario generali, nisi ex speciali mandato, *Sbroz. loco cit.*

III. Potest absolvere Episcopus quemcunque, etiam ab enormi, habentem impedimentum perpetuum accedendi ad Sedem Apostolicam, ut *cap. De cætero, cap. Quamvis, de sent. excomm. & cap. Mulieres eod. tit.* & quidam dicunt procedere, etiamsi impeditus possit recurrere per litteras, vel nuncium ad Sedem Apostolicam pro absolutione, *Barb. in dict. cap. Si quis 17. q. 4. n. 90.* sed vide *par. 1. cap. 24.*

Item religiosi possunt absolvi a suo Prælato a mediocri percussione, ut *dict. cap. Cum illor. eod. tit.* imo etiam a proprio confessario, approbato a suo Prælato, quatenus ejus Religio habeat privilegium absolvendi a casibus reservatis Episcopo a jure communi, ut dicam infra, & ita *Sayr. lib. 8. cap. 28. n. 12.* non tamen potest Prælatus, aut confessarius suos religiosos absolvere ab enormi, *cap. Cum illorum cit. Sayr. lib. 3. cap. 28. n. 13.* nisi forte habeat Religio amplius privilegium, *Sayr. ibi:* & nota, quod dicto privilegio *cap. cum illorum* non est derogatum per decretum Clementis VIII. de quo infra. Non posset tamen confessarius absolvere religiosum a mediocri, ubi esset casus reservatus proprio superiori.

Item potest absolvere Episcopus ab enormi quemlibet habentem impedimentum adeundi Sedem Apostolicam, etsi non perpetuum, sed diuturnum; sed tunc absolvet ad reincidentiam, seu cum conditione, ut cessante impedimento, quamprimum poterit, accedat ad Sedem Apostolicam, *cap. De cætero, de sent. excommun. cap. Eos, qui, eodem tit. in 6.* vide *Sanch. in decal. lib. 2. cap. 13. n. 30. Suarez loc. cit. n. 80.* Hæc facultas non competit vicario generali, nisi ex speciali mandato, *Sbroz. loc. cit.*

Ex decreto Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, jussu Clementis VIII. ii, qui privilegia habent absolvendi a casibus Papæ reservatis, non possunt in Italia, extra Urbem Romam, absolvere a casu injicientium violentas manus in clericos, juxta canonem, *Si quis suadente 17. q. 4.* ac juris dispositionem, seu extensionem supradictam *n. 1. Amplia tertio*: alias si contravenerint, incurrant in censuras, & pœnas, de quibus dixi *verbo Absolutio c. 2. n. 3.*

☞ *Circa hos Privilegiatos vide notata supra cap. 3. verb.* Absolutio. ☜

Sed limita, quod non obstat hoc decretum, quominus possint absolvere a levi percussione, cum sit de jure communi ejus absolutio Episcopis concessa, & non Papæ reservata: ita *Graff. de casibus reservatis cap. 8. n. 9. & 10. Filiuc. tract. 15. n. 34.* quod est verum, nisi Episcopus sibi etiam hunc casum reservaret, ut patet eodem decreto.

☞ *Nota, quod licet in supra cit. can.* Si quis suadente *præcipiatur, ut percussor clerici, vel monachi accedere debeat ad Urbem pro obtinenda absolutione, quod idem præcipitur in cap.* Tua nos 19. *de sent. excom. tam pro hoc, quam pro incendiario, postquam per sententiam fuerit declaratus excommunicatus, de quo Auctor supra cap. 1. verb.* Incendiarius; *hodie tamen hujusmodi personalis accessus non amplius præcipi solet, nisi in gravioribus quibusdam excessibus, quorum circumstantiæ maximum populo scandalum ingerant; ut in percussione proprii parochi, & similibus, juxta stylum S. Pœnitentiariæ: & tunc quidem, non ut tales delinquentes Romæ absolvantur, cum ab eadem S. Pœnitentiaria remittantur* in forma missi *ad eorum Ordinarios pro absolutione, sed ut aliquantulam peragant pœnitentiam commissi delicti, unde ceteri magis a similibus perpetrandis facinoribus retrahantur. Pro abortu autem, etiam occulto, a presbytero perpetrato, dicta S. Pœnitentiaria committere solet intra Italiam confessario facultatem eum absolvendi; injuncto tamen onere accedendi intra certum tempus ad limina Apostolorum.* ☜

CAPUT III.

Injuria afficiens Papam, vel Cardinalem in personam.

Vide *verbo Majestatis læsæ crimen.*

CAPUT IV.

Injuria in personam Episcopi.

IN *Clem. 1. de pœnis*, habetur Constitutio Clementis V. in Concilio Viennensi, qua statuit, ut si quis suadente diabolo, in hoc sacrilegii genus proruperit, quod quemvis Pontificem (idest Episcopum, jam consecratum, ut communiter ibi DD. exponunt) injuriose, vel temere percusserit, aut ceperit, seu bannierit, vel hæc mandaverit fieri, aut facta ab aliis rata habuerit, vel socius in his fuerit facientis, aut consilium, aut favorem dederit, vel scienter defensaverit facientem: primo sit ipso facto excommunicatus,

tus, a qua excommunicatione non possit absolvi, nisi per Summum Pontificem, scilicet, mortis articulo excepto.

Secundo, a feudis, locationibus, officiis, & beneficiis spiritualibus, & temporalibus, quæ ab Ecclesia, cui offensus Episcopus præest, obtinet, cadat ipso facto, eaque ad eandem Ecclesiam libere revertantur.

Tertio, ipsius filii per lineam masculinam descendentes, usque ad secundam generationem, reddantur ipso facto inhabiles ad ecclesiastica beneficia in civitate, & diœcesi ejusdem Episcopi obtinenda, omni spe dispensationis adempta.

Quarto, terra ipsius offendentis, & cooperantis (ut supra) si non ultra unam diœcesim extendatur, usque ad condignam satisfactionem ejusdem domini, ecclesiastico subjaceat interdicto: itemque locus quilibet, in quo captus Episcopus detinebitur, quandiu detentio ipsa in eodem loco duraverit, ecclesiastico subjaceat interdicto. Quod si terra illius duas, vel plures diœceses contineat, tunc diœcesis domicilii principalis ipsius delinquentis, & illa, in qua fuerit delictum commissum, si sua sit, & duæ aliæ ejusdem domini eidem loco magis vicinæ, interdicto subjaceant supradicto: item civitas, quæ aliquid prædictorum commiserit in proprium Episcopum, interdicto subjaceat memorato, donec satisfecerit; & ejus magistratus, & officiales omnes, culpabiles existentes, incurrant excommunicationem, a qua non possint absolvi, nisi a Sede Apostolica.

Hoc autem interdictum est latæ sententiæ, ut constat ex verbo *Subjaceat*, ut dixi supra *c.* 2. *eodem verbo Injuria*: & ita in terminis *Bonifac. de Vitalin. in hac Clement.* t. *n.* 70. *Henriq. lib.* 3. *cap.* 43. *n.* 5. *vers.* 6. *Navarr. c.* 27. *n.* 169. Quod autem dicit textus de terra ipsius delinquentis, intelligitur terra ipsius, sive ipse illius fuerit dominus, sive gubernator, ut *Suar. disp.* 37. *sect.* 1. *n.* 9. *& gloss. in dict. Clem.* 1. *verbo Si sua*, ubi se remittit ad notata *in c.* 1. *de postulat. Prælat. verbo Terram propriam*, ubi ait, hoc verbum *Suum* accipi ibi late, ut sufficiat, si sit de jurisdictione illius, licet non sit in ejus proprietate.

Quinto, delinquentes, ut supra excommunicati, denuntiandi sunt publice, & solemni forma anathematis, singulis festis, donec satisfecerint; & cum absolvendi fuerint, cavere debent idonee de parendo pœnæ inferendæ, & de peragenda pœnitentia injungenda: formam autem solemnem anathematis ibi ponit textus, & tractat *Suarez de censur. disput.* 8. *sect.* 3. *n.* 2. *&* 3.

Sexto, ex *c.* 11. *Bullæ in Cœna Domini*, fertur excommunicatio, specialiter Papæ reservata, contra injuriam inferentes in personam Episcopi, quæ partim excedit, partim exceditur ab illa, quæ fertur in *dict. Clemen.* 1. quia in Clementina 1. excommunicantur bannientes Episcopum de quocunque territorio, sed in Bulla Cœnæ non continentur, nisi bannientes Episcopum de terra, in qua jurisdictionem habet, seu jus aliquod idem Episcopus: item in *Clement.* 1. excommunicantur etiam ratum habentes, non autem in Bulla Cœnæ: e contra in Bulla Cœnæ excommunicantur hostiliter insequentes Episcopum, qui non continentur in *Clem.* 1. in aliis autem actionibus conveniunt, ut apparebit ex *cap. seq.*

Septimo, occidens Episcopum, tenetur *leg. Pompeja de parricid.* ut *Plath. epit. lib.* 1. *c.* 22. *n.* 22. *Farinacc. quæst.* 112. *num.* 131.

Octavo, civitas occidens proprium Episcopum, privatur dignitate episcopali, *c. Ita nos* 25. *q.* 2. *Plac. & Farinacc. ibidem*, sed hæc pœna non est latæ sententiæ, ut patet ex textu, & non videtur procedere, nisi adsit frequentia talis delicti in ea civitate, ut saltem bis occiderit Episcopos, ut colligitur ex textu, & ibi notat *gloss. verbo Usum*, neque enim pœnæ offendentis Cardinalem, *c. Felicis de pœn. in* 6. militant contra offendentem Episcopum, *Farinacc. loc. cit.*

CAPUT V.

Injuriam inferens in personam præcipuorum Ecclesiæ Prælatorum.

I. IN *cap.* 11. *Bullæ in Cœna Domini* excommunicantur interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedis Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis diœcesibus, territoriis, terris, seu dominiis ejicientes, necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium, vel favorem.

Nota ex hoc textu, quod princeps, si bannierit de regno suo Episcopum, non habentem in eo regno diœcesim, neque dominium ullum, neque jus legationis, seu nunciaturæ officium, non incurrit in hanc censuram, ut *Navarr. c.* 27. *num.* 67. *Ugolin. in eod. cap.* 11. *Bullæ* §. 1. *num.* 4. *Duard. quæst.* 9. *num.* 6.

II. In *cap. Felicis de pœnis in* 6. fertur excommunicatio, & aliæ pœnæ contra injuriam inferentes in personam Cardinalis, & a fortiori, si in personam Papæ injuria inferatur: de qua re vide *verbo Majestatis læsæ crimen cap.* 2.

III. Occidens Nuncios, seu Legatos Papæ, vel alterius principis, incurrit crimen læsæ majestatis; unde damnatus est infamis, & irregularis: quam conclusionem declara, ut apud *Farinacc. quæst.* 112. *a n.* 160.

CAPUT I.

Inquisitionem contra hæreticam pravitatem Domini, & magistratus temporales, requisiti si fuerint, non adjuvantes, aut impedientes, aut de causis S. Officii cognoscentes.

I. IN *cap. Inquisitionis* 18. *de hæret. in* 6. præcipitur potestatibus secularibus, & Dominis temporalibus, ut Episcopis diœcesanis, & Inquisitoribus contra hæreticam pravitatem a Sede Apostolica deputatis pro defensione fidei, pareant, & intendant in investigandis, capiendis, & diligenter custodiendis, vel ad carceres Sancti Officii deducendis per suum territorium sine mora, & in potestatem Sancti Officii tradendis hæreticis, eorumque fautoribus, receptatoribus, & defensoribus, quando ab Episcopis, & Inquisitoribus prædictis fuerint requisiti.

Secundo præcipitur eisdem, ut ab Episcopo, vel Inquisitore de hæresi condemnatos, & sibi, tanquam Curiæ seculari puniendos relictos, statim recipiant, indilate supplicio debito punien los, non obstante appellatione quacunque: tertio, ne cognoscant, vel judicent, quoquo modo de crimine hæresis, cum sit crimen ecclesiasticum, neque carceratos pro eodem crimine, seu captos liberent, sine licentia, seu mandato Episcopi, vel Inquisitoris: quarto, ne alias Diœcesanorum, vel Inquisitorum judicum sententiam, seu processum directe, vel indirecte impedire præsumant, vel se eis opponere. Quod si contra prædicta fecerint, ipsi, & ii, qui scienter in tali contraventione dederint auxilium, consilium, vel favorem, excommunicationis noverint se mucrone percussos (quæ est latæ sententiæ, ut notant *Tiraquell. in leg. Si unquam n.* 72. *verbo Revertatur*, *C. de revoc. don. Barbos. in dict. c. Ut Inquisitionis*) et si per annum eam excommunicationem animo sustinuerint indurato, ex tunc velut hæretici condemnentur.

De hac re vide *Carrer. in praxi tit. de hæretic.* §. *Circa secundum n.* 56. *Simancham Cath. inst. tit.* 23. *n.* 9. *Sayr. lib.* 3. *cap.* 34. *n.* 29. *Filiuc. tract.* 14. *n.* 159. *Barbos. loco cit.* qui *n.* 7. ampliat, ut neque incidenter possint seculares judices de hæresi cognoscere, propter illam particulam, *quoquo modo*.

Amplia etiam, quod non excusatur judex, volens cognoscere de causa hæresis, vel differens animadvertere in reum, sibi traditum a Sancto Officio, per protestationem, quam facit Inquisitor, dicens, *ut judex laicus misericorditer se cum eo gerat &c.* quia Ecclesia protestationem facit sui affectus, idest si fieri possit, & nisi aliter conveniret: ita *Lorca* 2. 2. *S. Thom. quæst.* 11. *art.* 4. *disp.* 49. *n.* 9.

☞ *Hanc eamdem cognitionem prohibuit pro diversis locis Alex. IV. Constit.* – Ad audientiam – 13. *Kal. Feb.* 1260. *Innoc. VIII. Constit.* – Dilectus – 30. *Septem.* 1486. *Leo X. Constit.* – Honestis – 15. *Feb.* 1521. *ac Julius III. ut infra*. ☜

Limita, quod hæc censura, non est reservata, quatenus ex vi hujus Constitutionis.

II. Ex decreto Pii V. *Sanctissimus Dominus*, est apud *Cherubin. Constit.* 1. *ejusdem Papæ*, fertur excommunicatio contra omnes magistratus, & officiales, barisellos, & alios ministros fori secularis ubique locorum Christianæ Reipublicæ, si non obedient Cardinalibus Inquisitoribus generalibus, in his, quæ pertinent ad Sanctum Officium.

Limita, quod non procedit excommunicatio illa contra Dominos temporales locorum, v. gr. principes, barones, quia eos ibi ad parendum rogat, non autem præcepto illos pœnali

si astringit, ut notat *Bonac. de censf. in partic. disput. 2. q. 10. punct. 9. in fine*.

Limita etiam, quod hæc censura non est Papæ reservata, quatenus manat ex hac Constitutione; an autem aliunde sit reservata, infra patebit §. *seq.*

III. Judices laici cognoscentes de crimine hæresis, incurrunt in excommunicationem latam in Bulla Cœnæ *cap. 14.* ubi excommunicantur judices laici, se interponentes in causarum spiritualium, aut illis annexarum cognitione: de qua re vide totra, *verbo Jurisdictio cap. 9.*

Judices laici impedientes executionem decretorum Inquisitoris, & partes ad hunc effectum recurrentes ad eosdem judices laicos, incurrunt in excommunicationem reservatam in Bulla Cœnæ Domini, *cap. 13.* dixi *verbo Jurisdictio cap. 14. n. 3.*

☞ *Julius III. Constit.* – Licet a diversis – 15. *Kal. April.* 1551. *jam inflixerat excommunicationem, Papæ reservatam, latæ sententiæ, in impedientes Inquisitores in eorum inquisitionis negotio, & consilium, auxilium, aut favorem, ad id dantes, ac insuper in se ingerentes in hæresis crimine cognoscendo vel judicando: qua pœna declaravit, etiam ligari ipsos diœcesanos Episcopos, & Inquisitores; si laicos de eodem crimine, fecum quomodocunque cognoscere, aut judicare permiserint.* ☜

CAPUT II.

Inquisitionis Sanctum Officium impedientes, aut in causis ad Sanctum Officium pertinentibus se intromittentes superiores religiosorum.

Vide *supra*, *verbo Heresis cap. 7.*

CAPUT III.

Inquisitionis Sanctum Officium impedientes per violentiam.

EX Bulla 82. Pii V. *Si de protegendis*, ad reprimendam audaciam impiorum hominum, qui malis artibus Sanctum Officium subvertere, ministrosque ejus a functionibus suis disturbare moliuntur, statutæ sunt multæ pœnæ latæ sententiæ, contra omnes, sive universitates, sive singulares, sive sint privati, sive potestatem publicam habentes, qui aliquem ex Inquisitoribus, advocatis, procuratoribus, notariis, aliisve ministris Sancti Officii, aut Episcopum io sua diœcesi, id munus exercentem, aut accusatorem, denuntiatorem, vel testem in causa fidei quomodocunque productum, vel evocatum occiderint, vulneraverint, dejecerint, vel perterrefecerint; aut bona quævis dicti Officii, aut ministrorum expugnaverint, invaserint, incenderint, expilaverint; aut scripturas, aliave instrumenta combusserint, diripuerint, interverterint, aut ea incendio, aliove modo asportaverint; aut in conflagratione, expugnatione, direptione, etiam inermes, capiendi, vel comburendi, sive supprimendi causa fuerint, aut res, vel personas servari, defendive prohibuerint, aut carcerem, aliamve custodiam publicam, vel privatam effregerint, vinctum extraxerint, seu emiserint, aut capi prohibuerint, vel receperint, aut in prædictis auxilium, consilium, vel favorem præstiterint, etiam effectu non subsecuto.

Statuit igitur Pius V. *ibidem*, ut supradicti incurrant eo ipso, primo excommunicationem per illa verba *Sit anathemate præsentis canonis auctoritate ligatus*, quæ significant excommunicationem majorem, ut *c. Cum Ecclesia, ibi gloss. verbo Anathematis de immunit. eccles. Sayr. de censur. lib. 1. cap. 2. n. 5. & 6. Suar. de censur. disp. 8. sect. 2. n. 4. & 5.* & est latæ sententiæ, per particulam illam, *Sit ligatus*: ita *Tiraquell. in leg. Si unquam verbo Revertatur n. 184.* & in terminis nostris *Barbos. allegat. 50. n. 121. Sayr. lib. 3. c. 31. n. 7.* secundo, reatum læsæ majestatis, & privationem omnis dominii, feudi, dignitatis, & omnium bonorum, necnon omnium officiorum, & beneficiorum ecclesiasticorum, & infamiam juris incurrunt: tertio, filii istorum paternæ infamiæ sint subjecti, & privati omni successione, donatione, legato, sive propinquorum, sive extraneorum, eisque portæ nunquam pateant dignitatum: quarto, ut nullus dictorum reorum, qui prædicta in contemptum, & odium Sancti Officii commiserint, admitti possit ad excipiendum, vel se purgandum, seu defendendum, nisi per claras tantum probationes: quinto, ut qui pro talibus reis veniam petere, aut alias intercedere tentaverint, incurrant in pœnas, in quas incidunt fautores hæreticorum, de quibus dixi *verbo Heresis c. 2.* feato, ut absolutio, dispensatio, & rehabilitatio in prædictis casibus sint Papæ reservata: imo, ut etiam a Papa concessa, intelligantur nulla, & invalida, nisi fuerint concessa semestri post assumptionem ad Pontificatum, precibus verificatis apud supremum Romæ Inquisitionis Officium, ea certa Papæ scientia, & propriæ ipsius manus signatura.

Notat *Bonac. de censur. particul. dis. 2. quæst. 2. punct. 13. n. 3.* pœnas prædictas locum habere, etiamsi Sanctum Officium procedat non in causa fidei, seu hæresis, sed alia qualibet, ad ejus jurisdictionem pertinente: illa enim verba *In causa fidei*, solum procedunt, quoad testem offendentes, seu impedientes, ut supra productum, scilicet, in causa fidei.

CAPUT IV.

Inquisitionis contra hæreticam pravitatem officiales, si aliquem concutiant.

I. *Clement. 2. de heret.* præcipitur tam ipsorum Inquisitorum, quam Episcoporum, & capitulorum, sede vacante, super hoc deputatis commissariis quibuscunque, ne prætextu officii Inquisitionis, quibusvis modis illicitis ab aliquo pecunias extorqueant: quod, si secus fecerint, excommunicationis sententiæ eos subjacere decernitur ipso facto, a qua non possint absolvi, præterquam in mortis articulo, donec illis, a quibus extorserint, plene satisfecerint, nullis privilegiis, aut remissionibus super hoc valituris.

Amplia, quod licet textus videatur loqui solum de commissariis Inquisitorum, & Episcoporum, Sanctum Officium exercentium, tamen communis sententia intelligit, hanc pœnalem Constitutionem etiam procedere contra ipsos Inquisitores, si ipsi concutiant, seu pecunias extorqueant injuste, *Suarez de censur. disp. 23. sect. 5. n. 24. gloss. in dict. Clemen. not. 2. ibi Imola, & Bonifac. & Anchar. n. 5. Angel. excomm. 7. casu 42. Sylvest. excomm. 9. casu 42. n. 81.* sed Episcopi, & alii Prælati, episcopalem jurisdictionem habentes, eorumque vicarii, vel vicarii capitulares, sede vacante, hic non continentur, quia non sunt ibi expressi, neque in genere, neque in specie, & non continentur in odiosis nomine Inquisitorum, *Sanchez in decalogum lib. 2. cap. 20. n. 6.*

Limita, quod hæc Clementina solum punit crimen concussionis, scilicet extorsionis, prætexto hujus publici officii; non autem, si extorsio fiat alio prætextu, ut notat *Bonif. ibid. n. 49. Suar. loc. cit.* neque procedit, si reus sponte offerat munus, ut mitius tractetur, quam ipse mereatur, *Sanchez loco cit.* sed neque esset locus pœnæ, si quis offerret munus Inquisitori &c. ad redimendam injustam vexationem; si tamen illa vexatio non inferretur ad effectum pecuniæ extorquendæ, seu muneris; quia hoc non est crimen concussionis: ita *Bonifac. ibid. Suarez loco cit. Sanclarell. de heresi cap. 40. n. 29. in fin.*

Nota denique, quod ista excommunicatio non est reservata, satisfacta parte, *Bonif. in dict. Clem. n. 99. Cardin. ibid. verbo Inquisitoribus n. 5. Imola n. 9.* Satisfactio autem consistit in simpli restitutione, vel illius depositione in loco tuto, vel apud fidum confessarium, ut ipse restituat, si creditor sit absens, *Sanch. n. 18. ubi supra*. Et quamvis textus hic prohibeat, & irritet omnem remissionem, seu condonationem restitutionis, tamen non prohibet retrodationem, quam concussus faceret officiali, post satisfactionem, & realem restitutionem sibi factam; ut in simili de distributionibus, *Bonac. de horis canon. quæst. 5. punct. 4. n. 10.*

☞ *Circa condonationem distributionum vide addita ad c. 3. verb.* Residentia. ☜

CAPUT V.

Inquisitores, & Episcopi, vel substituti in causa fidei, seu Sancti Officii, aliquem vexantes injuste, aut conniventes.

CLem. 1. §. *Verum, quia nimis de heret.* statutum est, quod si odii, gratiæ, vel amoris, lucri, aut commodi temporalis obtentu, contra justitiam, & suam conscientiam, Episcopus, aut Inquisitor, aut alii, ab eis substituti ad executionem Sancti Officii, omiserint contra quenquam procedere, ubi fuerit procedendum, super hæretica pravitate,

te, aut obtentu eodem pravitatem ipsam, vel impedimentum officii sui alicui imponendo, eum super hoc præsumpserit quoquomodo vexare; Episcopus, aut Episcopo superior, suspensionis ab officio per triennium; alii vero excommunicationis sententiam ipso facto incurrant: a qua quidem excommunicatione, nisi per Romanum Pontificem (excepto mortis articulo,) & tunc satisfactione præmissa, absolutionis beneficium nequeant obtinere, nullo in hac parte privilegio suffragante.

Nota, quod suspensio contra Episcopos lata hic, expresse non reservatur; tamen cum sit lata ad certum tempus, intra illud est de jure communi Papæ reservata, ut *gloss. in dict. Clemen. verbo Excommunicationis sententia*, *Suar. de cens. disput.* 29. *sect.* 1. *n.* 15. *Gutier. can. quæst. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 6. *Barbos. in eadem Clem. n.* 39.

II. Nota, quod dictas pœnas non incurrunt prædicti, si omittant procedere, non odio, vel favore, sed timore alicujus mali, seu damni, *gloss. ibid. verbo Obtentu*, *Imola n.* 17. *Barbos. n.* 40.

Nota tertio, quod dictas pœnas incurrunt etiam ob actum internum, idest odii, vel amoris; vel quia lex potest punire, & punit hic actum externum, de se malum, gestum cum tali intentione mala, ut *Suar. de censur. disp.* 4. *sect.* 2. *n.* 21. qui ideo putat, non fore locum huic pœnæ, si Inquisitor imponat pœnam justam, etiamsi rigorosam; vel secundum alios, lex hic punit actum internum, quatenus actus internus est ratio actus externi, externumque modificat, afficit, depravat, & corrumpit; ita in terminis *Salas de legib. disp.* 9. *sect.* 1. *n.* 7. *Cajet. verbo Excomm. cap.* 3. *Sayr. in clavi regia lib.* 3. *c.* 6. *in fin. Barbos. hic n.* 38.

CAPUT VI.

Inquisitionis, seu Sancti Officii processus, aut alia secreta revelantes.

I. IN *cap. Statuta* §. *Et ut eorumdem*, *de heret. in* 6. cautum est, ut pro majori securitate testium accusatorum in Sancto Officio, Inquisitores, & Episcopi illud exercentes, quando communicant processus Sancti Officii Consultoribus suis, possint illis injungere secretum sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda.

Adverte, quod hic secretum sumitur non absolute, idest, quod pauci tantum, seu non amplius quinque norunt, prout docent *Specul. tit. de notor. crim.* §. 7. *Cardin. Clem.* 1. §. *Porro de haret. & Clem.* 2. *eo tit.* sed respective, ut dicatur secretum revelari, cuicunque dicatur, qui illud non noverat, ita *Gemin. in dict. c. Statuta* §. *Et ut n.* 4. *post Archid.* & ita *Director. Inquis. part.* 2. *super dict. cap. Statuta n.* 5. *ver. Secretum*.

II. Aliunde autem dicti Consultores, & alii de Congregationibus Sancti Officii, incurrunt excommunicationem ex præceptis generalibus, & ordinationibus Papæ, revelando secreta earundem.

III. Revelantes supradicta secreta incurrunt pœnas perjurii, propter juramentum, quod solet a prædictis exigi, de quibus pœnis dicam *infra verbo Perjurium*.

IV. Revelans secretum, ut supra, si ex eo sequatur aliquod damnum alicui, ut accusatori, testi &c. tenetur restituere quanti illius intersit, etiamsi præter ejus intentionem damnum sequatur; quia dedit operam rei illicitæ, & ratione talis periculi prohibitæ, *Anchar. in dict. c. Statuta* §. *Et ut*, *n.* 2. *per c. Sicut nobis de testib. Sylvest. verbo Secretum n.* 1. *Petr. Navarr. lib.* 2. *cap.* 4. *n.* 459. *Molina tom.* 4. *tract.* 4. *dis.* 5. *Azor. tom.* 3. *lib.* 13. *c.* 31. *dub.* 3.

☞ *Ex decreto Clem. XI.* 24. *April.* 1710. *incurrunt excommunicationem, Papæ reservatam, etiam procurantes, ut dicti Inquisitores, & ministri secreta revelent circa causas, & materias, quæ agitantur in tribunali ejusdem S. Officii.* ☜

CAPUT VII.

Inquisitores, & substituti Sancti Officii confiscantes bona Ecclesiarum.

Vide *verbo Confiscatio cap.* 1.

☞ CAPUT VIII.

Inquisitores S. Officii munera recipientes.

EX decreto ejusdem Clementis XI. an. 1701. *excommunicationem, Papæ reservatam, incurrunt recipientes munera ab inquisitis, aut ab eorum consanguineis, & amicis in causis ad S. Officium spectantibus: sicuti & a patentatis cujuscunque generis pro litteris patentalibus, etiam in minima quantitate. Quæ pœna extenditur quoque ad ministros Inquisitionis Romanæ.* ☜

☞ CAPUT I.

Insordescentia in censuris.

I. INsordescentia, seu insurdescentia annalis in censura excommunicationis latæ extra causam hæresis, reddit suspectum de hæresi, ut contra eum ab Inquisitore procedi possit, ex *cap. Cum contumacia de heretic. in* 6. *Triden. sess.* 25. *c.* 3. *in fin. de refor.* vide *Salzedo ad Diaz in praxi c.* 116. *in fin. Menoch. de arbitr. casu* 416. *n.* 52. & 53. non potest tamen condemnari, ut hæreticus, sed cogi debet ad se purgandum, ut suspectus de levi, *Sayr. lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 10. *Gonzal. in regul. Cancell. gloss.* 15. *n.* 108. qui ita intelligi ait *Triden. loc. cit.* Quod si purgare se noluerit, & pertinaciter perseveret in excommunicatione, fit suspectus vehementer: et si in eo statu persistat alio anno, declarandus erit hæreticus, tanquam ex violenta præsumptione, *Pegna part.* 1. *direct. q.* 47. *n.* 7. & 8.

II. Insordescens per annum in excommunicatione lata in causa hæresis, ipso jure habendus est ut hæreticus, *c. Cum contumacia de her. in* 6. *ibi gloss. & omnes DD. Auth. Gazaros Cod. de hereticis*, *gloss. in cap. Excommunicamus il primo de hareticis*, *verbo Condemnetur*, *ibi Hostien. n.* 7. & 8. *Abbas n.* 11. *Soccin. n.* 14. *Butr. n.* 17. *Joann. Andr. nu.* 4. *Anchar. n.* 4. *Anan. n.* 6. Requiritur tamen ad hunc effectum sententia declaratoria, prævia citatione ad se purgandum de vehementi, ut *dict. c. Cum contumacia*, & *DD. allegati a Barbos. ibi n.* 2. *Farin. cons. crim.* 140. *n.* 6. *Castropal. tom.* 1. *tract.* 4. *disp.* 1. *punct.* 2. *n.* 7. (qui notat ad hæc requiri, ut iste contumax sit suspectus suspicione probabili, delatus, vel diffamatus) *Pegna in direct. part.* 3. *tit.* 13. *de modo terminandi processum*, *Gonzalez gloss.* 15. *n.* 101. Si autem contumax, jam esset convictus de hæresi formali, tunc etiam ante annum, si citatus intra 30. dies non compareat, damnabitur definitive, ut hæreticus, *Pegna loco cit. pag.* 190. *Schol.* 69. §. *Si primo modo*.

III. Insordescens per annum in excommunicatione in causa criminali lata, habetur pro convicto de eo crimine, *Farinac. lib.* 1. *quæst.* 18. *n.* 39. *Gonzal. regul.* 8. *gloss.* 15. *nu.* 106. & 108. *cum allegatis*; secus in causa civili secundum veriorem, ut *Gonzal. ibid.* quamvis alii contra teneant, ut *Salzedo ad Diaz c.* 110. *n.* 4. *vel c.* 118. *n.* 4. *in noviss. editione*. Itaque in causis criminalibus in foro canonico, non potest contumax damnari sententia definitiva, nec haberi pro convicto in absentia, nisi citatus sub pœna excommunicationis insordescat per annum, ut ait *Abb. in t. Veritatis n.* 21. *de dolo*, & *cont.* & de communi testatur *Clarus quæst.* 44. §. *Licet autem*, & *docet Diaz in praxi c.* 118. *n.* 4.

IV. Ex regula Cancellariæ 66. *de insordescentibus*, decernitur, ut generalis absolutio a censuris in litteris Apostolicis apponi solita ad earum effectum, non suffragetur, primo non parentibus rei judicatæ: secundo incendiariis: tertio violatoribus Ecclesiarum: quarto falsariis litterarum, vel signaturarum Apostolicarum, & eis utentibus, & fautoribus, & receptatoribus eorum: quinto res vetitas ad infideles deferentibus: sexto violatoribus ecclesiasticæ libertatis: septimo via facti Apostolicis mandatis temere non obtemperantibus, vel executionem eorundem impedientibus: si propter præmissa septem capita, aut aliquod eorum excommunicati a jure, vel ab homine, per quatuor menses

scienter hujusmodi sententiam excommunicationis sustinuerint.

V. Insordescens in censura excommunicationis, vel suspensionis per annum, & ultra, secundum aliquos Doctores, est privatus ipso jure beneficiis: ita *Menoch. de arbitr. casu 416. n. 52.* sed hoc alii dicunt, verum esse, si erat excommunicatus ob crimen privatione dignum, alias non; ita *Salzedo ad Diaz in praxi cap. 118. n. 5. in noviss. edit.* Verum communis sententia tenet, non induci per insordescentiam privationem ipso jure, nisi sit excommunicatus ob causam, cui ipso jure sit annexa privatio; & tunc requiri sententiam declaratoriam: ita *Gonzalez n. 104. gloss. 15. Seraph. decis. 285.* quod si erat crimen, ob quod de jure venit privandus, tunc ob insordescentiam posse per sententiam privari: ita *Seraph. ibid. n. 1.* si autem non erat crimen privatione dignum, sed ipse post annum ob insordescentiam citatus a Sancto Officio, ut suspectus de hæresi, fuit contumax, tunc privandum per sententiam, ut hæreticum præsumptum, *Seraph. ibid. n. 3.*

VI. Insordescenti in excommunicatione per annum, etiamsi in articulo mortis fuerit absolutus, potest ecclesiastica sepultura denegari, ut sepeliatur in loco prophano, *Genu. in prax. c. 7. in addit.*

VII. Insordescenti in censura sæpe aggravatur eadem censura: primus casus, excommunicatus a delegato Papæ, finita delegatione, potest absolvi ab eodem delegato intra annum; post annum autem a solo Papa delegante absolvi potest, *c. Quærenti de offic. deleg. ibi Barbos. n. 2. cum aliis:* secundus casus est, de vexante ob censurarum sententias, ut post duos menses censura sit reservata Papæ, ut dixi *verbo Censura n. 22.* Item insordescenti nonnunquam ita aggravatur censura, ut aliam ipso facto incurrat graviorem, ut in *c. 1. de censuris:* vide *verbo Usura c. 7. & in Extrav. Ambitiosæ*, de qua vide *verb. Alienatio c. 1. et alibi*,

Limita supradictas pœnas, ut ille solum intelligatur insordescens, qui animo pertinaci, & indurato, seu in contemptum clavium, quia scilicet, noluit obedire, seu se subjicere clavibus, perseverat prædicto tempore in censura, *c. Cum bonæ de æt. & qual. Rota decis. 196. n. 2. apud Farinac. in collect. decisionum crimin.* Secus ergo, si ex alia causa, etiam irrationabili, distulit petere absolutionem, seu parere, *Rota ibid. n. 3. cum gloss. in cap. Metropolitanum 2. quæst. 7.* & aliis juribus: vel si fecit instantiam pro absolutione, sed non potuit obtinere, *Rota ibid. n. 4.* vel si fuit absolutus medio tempore, etiamsi ad reincidentiam, *Rota ibid. n. 5. & Seraph. decis. 1285. n. 4. & 5.*

☞ *Nota, quod quamvis censuratus non persistat in contumacia, non ideo in foro conscientiæ solutus est a censura: & contraria propositio proscripta est ab Alex. VII. sub die 18. Martii 1666. la 44. in ordine.*

— Reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ. —

Quam si quis docuerit &c. & ad praxim deduxerit, incurrit pœnas, quas incurrunt docentes &c. alias propositiones proscriptas, prout in fine Additionis ad cap I. verbo Missa. ☜

CAPUT I.

Interdictum violantes, & alia de interdicto.

Vide *verbo Censura*.

☞ CAPUT I.

Jocalia, aliaque ornamenta ad usum Pontificis, & Sacri Palatii retinentes, eosque non revelantes.

Vide caput III. verbo Camera Apostolica §. Similis censuræ. ☜

CAPUT I.

Interpretationes aliquarum legum ecclesiasticarum prohibitæ.

I. IN Clementinam *Exivi de Paradiso de Verb. signif.* glossantes, secundum aliquos, incurrunt excommunicationem non reservatam: ita ait *Collector Bononien. c. ult. n. 54.* allegans *S. Antoninum 3. p. tit. 24. cap. 69.* sed contrarium est veritas, quia idem *S. Antoninus* ait, eam excommunicationem fuisse sublatam per eam Constitutionem *Joann. XXII.* Deinde Extravag. Nicolai III. in qua fundatur dicta censura, non fert excommunicationem contra glossantes *Clem. Exivi*, sed contra glossantes *cap. Exiit, qui seminat de Verb. signific. in 6.* unde error est, & æquivocatio manifesta, & de facto multi Canonistæ glossarunt dictam Clementinam.

II. *Cap. Exiit, qui seminat de verb. Signif. in 6. §. Itaque*, habentur hæc verba — sub pœna excommunicationis, & privationis officii, & beneficii, districte præcipimus, ut præsens Constitutio, cum ipsam legi contigerit, sicut prolata est, sic fideliter exponatur ad litteram; concordantiæ, contrarietates, & diversæ, vel adversæ opiniones a lectoribus, seu expositoribus nullatenus inducantur, & super ipsa Constitutione glossæ ne fiant, nisi grammaticales: glossantes vero in scriptis aliter Constitutionem ipsam, & Doctores, & lectores, dum docent in publico, ex certa scientia deliberata, intellectum Constitutionis hujus depravantes, facientes quoque commentum, scripturas, libellos, ac ex certa scientia, ac deliberate determinantes in scholis, seu prædicantes contra prædictas, excommunicationis sententiæ se noverint subjacere, a qua per neminem, nisi per Romanum Pontificem possint absolvi. —

Nota, quod contra glossantes non animo impugnandi est excommunicatio ferendæ sententiæ, sed contra glossantes, seu publice interpretantes animo impugnandi, est excommunicatio latæ sententiæ: sed hodie est sublata hæc excommunicatio per aliam Constitutionem Joannis XXII. *Extrav. Quia nunquam de Verb. signif.* & notat *S. Anton. ubi supra & Cardin. in d. Clem. Exivi*,

III. In Constit. 52. Pauli V. incip. *Facultatum*, habetur, quod interpretantes facultatem aliquam a Sede Apostolica concessam sæpius intrandi clausuram monialium, contra declarationem ibi factam, incurrunt in censuras, & pœnas latas a Concilio Trident. & Constitutionibus Apostolicis contra intrantes clausuram monialium, sine licentia: sed intelligendum est de interpretatione non speculativa, sed practica, opere secuto per ingressum, ut non recedamus a jure communi sine necessitate.

IV. In Tridentinum Concilium glossas, aut commentaria, aut annotationes, aut scholia, aut aliquod interpretationis genus quocunque modo edere, etiam sub prætextu majoris corroborationis, sine Papæ auctoritate, prohibitum est per Bullam 73. Pii IV. *Benedictus Deus*, §. *Ad vitandam:* transgressores autem hujus prohibitionis ex eadem Bulla incurrunt eo ipso, Prælati quidem interdictum ab ingressu Ecclesiæ; alii vero excommunicationem. Deinde idem Pius IV. erexit Sacram Congregationem Cardinalium super executione decretorum dicti Concilii, præcipiens sub pœna privationis officiorum latæ sententiæ, ut mandatis dictæ Sacræ Congregationis a quolibet pareatur. Postea Sixtus V. Bulla 74. *Immensa*, concessit eidem Sacræ Congregationi facultatem dictum Concilium interpretandi circa mores, consulto tamen Summo Pontifice, reservans Papæ interpretationes circa fidei dogmata,

Limita, quod non prohibetur quis per supradicta alicubi interpretationem dicti Concili edere doctrinalem accidentaliter, seu obiter, seu incidenter in aliquo casu particulari, in suis libris, & tractatibus de alia materia, sed prohibetur edere interpretationes principaliter factas, & ex professo, *Suar. de cens. dis. 23. sect. 7. n. 12. Henriq. lib. 7. cap. 29. n. 4. Filiuc. tract. 14. n. 91. Sayr. lib. 3. c. 35. n. 21.* neque prohibetur interpretatio viva voce in scholis, etiam ex professo, ut *Barbos. alleg. 50. n. 133.* neque prohibetur interpretatio in scriptis privatæ utilitatis causa, non edita in publicum, ut *Bonac. de censur. in partic. disput. 2. q. 2. punct. 17. n. 3.* qua ratione non prohibetur quis declarationes Sacræ Congregationis habere privatim, aut privatim alteri communicare, *Bonac. ibid.* An autem declarationes Sacræ Congregationis habeant vim legis, si non fuerint publice, & universaliter editæ, ita ut ligent etiam inter alios, quibus factæ non sunt: aliqui affirmant, ut *Cherubin. super Bulla citata Pii IV. 73. Roderic. quæst. regul. 11. artic. 6. tom. 1.* alii contra tenent, ut *Salas de leg. dis. 2. sect. 8. n. 48. & sect. 9. n. 53. & dispst. 12. sect. 1. n. 8. cum Navarro, & aliis.* Illud est certum, quod Sacra Rota declarationibus Sacrarum Congregationum semper plurimum defert, nec eas ullo modo in dubium revocare solet; nec requirit eas in actis produci; quia cum sint declarationes definitivæ, & vim legis

legis habentes, sufficit eas allegare adinstar juris communis, ut apud *Buratt. decis.* 479. *n.* 20. *&* 21. quæ intelligas, dummodo certo aliter constet de declaratione tali, ac tali edita, seu emanata; nec enim facile credendum est Auctoribus, eas referentibus, cum sæpe reperiantur non fideliter relatæ.

V. In Bulla Urbani VIII. *edita anno* 1643. *die* 19. *Novembr.* super retinendo secreto in causis Sacræ Rotæ, lata est excommunicatio contra declarantes, seu interpretantes dictam Constitutionem, aliter, seu præterquam verba sonant, ut dicam infra *verb. Secretum cap.* 4.

CAPUT I.

Intrusio in beneficium ecclesiasticum.

I. INtrusus, idest, qui sine canonico titulo in beneficium ecclesiasticum se ingerit, incurrit excommunicationem latæ sententiæ Papæ reservatam, contra usurpantes bona, aut reditus, aut jura beneficiorum ecclesiasticorum, de qua in Tridentino *sess.* 22. *c.* 11. *de reform.* Imo statim atque fructus aliquos, seu proventus perceperit, incurrit in excommunicationem latam in Bulla Cœnæ *c.* 17. quæ strictius est Papæ reservata, *Filiucc. tract.* 16. *n.* 125. Imo quod se intrudens, seu usurpans beneficium, in quo sint fructus pendentes, incurrat in dictam excommunicationem Bullæ, tenet *Marius Alterius tom.* 1. *dis.* 18. *lib.* 5. *c.* 1. *colum.* 6. §. *Sed circa.*

Amplia, quod prædictæ excommunicationes procedunt etiam contra usurpantes beneficium vacans, seu fructus beneficii vacantis, *Suar. dis.* 21. *de censur. sect.* 2. *n.* 97. *Navarr. c.* 27. *n.* 70. *versu* 6. *Sayr. de censur. lib.* 3. *c.* 21. *n.* 4. *Filiucc. n.* 217. aliqui tamen tenent, in hoc casu non habere locum excommunicationem Bullæ prædictæ, sed Tridentini tantum, ut *Cajet. verbo Excommunic. c.* 27. *Tolet. lib.* 1. *c.* 9. *n.* 6. illud mihi certum videtur, non ligari dictis censuris eum, qui titulum haberet coloratum a legitimo collatore, quia non dicitur proprie intrusus; & beneficium non dicitur vacans de facto, sed de jure tantum, ut infra dicam.

II. Intrusus omnimoda intrusione, idest non provisus a legitimo collatore, seu provisore, non juvatur circa tale beneficium retinendum regula de triennali, ut apparet ex ipsa regula 36. Cancellariæ, ubi regula ista solum suffragatur pacificis possessoribus ex titulo per provisionem Apostolicam, vel ordinariam ab eis factam, ad quos talis beneficii provisio pertinebat: iste enim proprie dicitur intrusus in pœnalibus, & de eo solo leges pœnales intelligendæ sunt, ut de communi testatur *Gomez in dict. regula de trienn. q.* 47. *in fine*, *&* *quæst.* 48. alii autem intrusi, habentes scilicet titulum coloratum, sed vitiatum ex aliqua alia causa, ut ob irregularitatem, vel censuram, vel ob delictum, inducens privationem ipso jure &c. fruuntur regula de triennali, si non sit tale beneficium reservatum dispositioni Sedis Apostolicæ ex reservatione generali in corpore juris clausa, ut patet ex eadem regula; & ita *Gomez loc. cit. q.* 47. *Sanch. consiliorum lib.* 2. *c.* 1. *dub.* 31. *num.* 20.

Ampliu, quod ejus acta, etiam vigore publicæ potestatis, sunt nulla; neque communis error suffragatur, deficiente titulo colorato, ut tenet communis, quam sequitur *Sanch. de matr. lib.* 3. *disp.* 22. *n.* 49.

III. Intrusus intrusione proprie dicta, nullo unquam tempore præscribit beneficium, quia beneficium ecclesiasticum non potest obtineri sine canonica institutione, ut *c.* 1. *de reg. juris in* 6. & ita notat *gloss. ibid. verb. Beneficium*, *&* *ibi Barbos. n.* 6. & quod titulus beneficii sit impræscriptibilis, late *Selva de beneficiis par.* 3. *quæst.* 21. *n.* 5. *in fine*. Potest tamen præscribi ab alia Ecclesia jure proprietatis, ut *Selva ibid.* secus est in eo, qui de manu legitimi collatoris beneficium accipit bona fide, is enim juvatur regula de triennali, ut dixi *par.* 1. *cap.* 30. §. *Quæro quarto*.

IV. Intrusus tenetur fructus perceptos restituere, tanquam fur, & prædo: & non solum ipse, sed etiam ejus hæredes ad hanc restitutionem tenentur, quia sunt fructus male percepti, *gloss. in cap. Dudum, il secondo, verbo Furtum, ibi Abb. n.* 19. *de elect. Rota par.* 2. *Recen. decis.* 103. quod si tituli revalidationem impetrare velit, debet in supplicatione exprimere, si fructus percepit, ut *Sanchez opusc. lib.* 2. *c.* 3. *dub.* 119. *n.* 12. alias gratia esset subreptitia, quia perceptio fructuum aggravat intrusionem. Intrusus improprie, si bona fide fructus percepit, & triennio sic retinet bona fide, eos præscribit, *Sanch. consil. lib.* 2. *c.* 3. *dub.* 16. *n.* 20. ante triennium autem tenetur restituere, quatenus locupletior effectus sit, ut *Sanch. num.* 18. *&* 19. *ibid.*

V. Intrusus, qui occupat beneficium ecclesiasticum propria auctoritate, seu temeritate, eo ipso jus, quod ad dictum beneficium, vel in illo habebat, amittit, *cap. Eum, qui* 18. *de præb. in* 6. *cap. Avaritiæ de elect. in* 6. ubi electus, si ante confirmationem, vel præsentatus ante institutionem se ingerit, privatur ipso jure quæsito per electionem, seu præsentationem, vide *Gonzalez reg.* 8. *gloss.* 15. *n.* 58. & procedit non solum de intruso proprie dicto, idest sine titulo colorato, sed etiam cum titulo colorato a legitimo provisore collato, ut *Barbos. in dict. c. Eum, qui n.* 2.

Amplia, ut dicatur intrusus, etiamsi non assecutus sit possessionem pacificam, neque majoris partis fructuum, sed sufficit, quod aliquem actum fecerit soli beneficiato competentem, ut locare, vel primitias percipere &c. licet ad privationem, & incompatibilitatem requiratur pacifica possessio, etiam majoris partis fructuum: ita in terminis *Rot. par.* 2. *noviss. decis.* 151. *n.* 7.

Limita, quod pro foro conscientiæ non amittit jus ante quæsitum, nisi secuta sententia declaratoria, *Lessius c.* 35. *n.* 187. *in fine*, *&* 188. *lib.* 2. *&* *Archid. in dict. cap. Eum, qui*, *&* *ibi Geminian.* §. *Insuper*, *num.* 5. *in fin.*

Limita secundo, ut non procedat in eo, qui se intrudit in possessionem non beneficii, sed prædii beneficii, *Barbos. num.* 4.

Limita tertio, quod ad hanc pœnam requiritur dolus, seu præsumptio, ut *dict. c. Eum, qui*, *&* *c. Avaritiæ*: ideo quælibet causa, etiam fatua, excusat, *Barbos. in dicto cap. Avaritiæ*, *Mascard. de probat. verb. Intrus. num.* 18.

VI. Intrusus efficitur inhabilis ad illud idem beneficium legitime impetrandum: unde si in supplicatione reticeat vitium intrusionis, gratia erit subreptitia, *Felin. in c. Postulasti n.* 14. *&* 15. *de rescript. Selva de benefic. par.* 3. *q.* 11. late *Sanchez opusc. lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 21. *n.* 8. ubi *n.* 10. notat, ideo esse inhabilem ad alia beneficia: & procedit hæc pœna in quolibet intruso, idest etiam late dicto, seu cum titulo colorato a legitimo collatore, sed vitioso, seu irrito, ut *Sanch. n.* 2. Super hac autem pœna, seu inhabilitate solus Papa dispensare potest, *Sanch. n.* 9. ubi tamen ait, in casu occulto posse Episcopum dispensare, ex *Trid. sess.* 24. *c.* 6.

Limita, ut procedat ista inhabilitas, durante injusta detentione, quia Doctores loquuntur de confirmatione possessionis intrusi, ut per *Felinum ibidem*: unde poterit, dimittendo prius illud beneficium, valide impetrare de novo, ut infra dicam.

Intrusus non subrogatur in jus alterius, habentis in eo beneficio jus legitimum, *c. Cum jamdudum*, *ibi Doctores de preben. Salzedo ad Diaz in praxi c.* 51. & habetur *regul. Cancellar.* 29. *de subrogandis collitigantibus*.

Limitant aliqui, quod poterit effugere hanc pœnam, si dimittat possessionem beneficii, antequam petat se in jus alterius subrogari, ita *Rebuff. de subrogand. collitig. n.* 25. *Salzedo loco cit. c.* 51. *in fin.*

VII. Intrusus in beneficium curatum, vel personatum, vel dignitatem ecclesiasticam violenter, seu scienter, ipso jure privatur beneficio incompatibili, quod prius legitime obtinebat, ut alio curato, vel personatu &c. *c. Eum, qui*, *de præbendis in* 6. *junct. c. De multa*, *de præbend.* & ratio est, ob illam incompatibilitatem, & tacitam, seu interpretativam dimissionem.

Amplia primo, ut procedat etiam de intruso in quodcunque beneficium incompatibile in primo genere, ut si essent duæ Capellaniæ in eadem Ecclesia, seu alias duo beneficia uniformia sub eodem tecto, *Mantica decis.* 118. aut alias ita incompatibilia, ut ipso jure per assecutionem secundi vacet primum, *Mantica ibi n.* 1. *&* 2. *cum Archid. Gemin. & Fran. in d. c. Eum, qui*.

Amplia secundo, ut procedat non solum contra intrudentem se violenter, sed etiamsi clam injuste, *Mantica ibi n.* 5. *&* 6.

Amplia tertio, ut licet *text. in d. c. Eum, qui*, loquatur de eo, qui violenter, aut alias scienter injuste se intrudit, tamen procedit etiam contra intrudentem se ignorantia juris, quia talis ignorantia scientiæ æquiparatur, *gloss. ibi, verb. Scienter*, *&* *Probus ad Monach. n.* 2. *Mantica decis. cit. n.* 6. *&* 7. *cum aliis DD.* & ita *Rot. par.* 2. *noviss. decis.* 151. *n.* 8. ubi quod sola ignorantia facti excusat in terminis *d. c. Eum, qui*.

Am-

Amplia quarto, ut procedat hæc privatio prioris beneficii, etiamsi esset ad illius titulum ordinatus, nec haberet aliunde sustentationem, quia sacri Canones prohibentes talis beneficii renuntiationem, loquuntur de renuntiatione voluntaria, non de pœnali, seu necessaria, ita in terminis *Rota par. 2. noviss. decis. 151. n. 6.*

Limita, quod non procedit hæc pœna pro foro conscientiæ ante declaratoriam sententiam, quia nullitas secundi tituli non invalidat primum, ita *Lessius c. 35. n. 188. lib. 2.*

Limita etiam, quod non privatur episcopatu per intrusionem in quodcunque beneficium, *Gemin. in d. c. Eum, qui num. 4.*

Limita tertio, ut non procedat in eo, qui data opera se intrudit in novum beneficium, ut faciat vacare primum curatum, cujus dimissionem, seu resignationem liberam nolebat Episcopus acceptare, *Gemin. in d. c. Eum, qui*, & *ibi Lapus*, & *Anchar. in princ.* quia causa affectata non suffragatur.

CAPUT II.

Intrudens se in beneficium, quod legitime obtinuit, sed litteris nondum expeditis, vel non obtentis.

Vide *verbo Gratia cap. 2. 3. 4. & 5.*

CAPUT III.

Intrudens se in beneficium jam obtentum, & litteris expeditis, sed sine manu legitimi executoris.

Vide *verbo Gratia cap. 6.*

CAPUT IV.

Intrusus præsumptus ob non ostensionem tituli, inquirente Ordinario.

I. IN *c. Ordinarii, de offic. Ord. in 6.* statuit Gregorius X. ut Ordinarii locorum subditos suos plura beneficia habentes incompatibilia in primo genere, compellant, ut intra tempus ab ipsis assignandum, dispensationem Apostolicam retinendi incompatibilia hujusmodi ostendant; alias ea tanquam vacantia a legitimis collatoribus aliis conferantur. Si autem dubium emergat de valore dispensationis, Ordinarius negotium ad Sedem Apostolicam discutiendum remittat.

Hæc Constitutio est innovata a *Conc. Trid. sess. 7. cap. 5. de refor.* & extensa ad beneficia incompatibilia etiam in secundo genere. Vide quæ dixi *verbo Beneficia, cap. 7.*

II. *Extrav. Ut quos virtutis, §. Ut autem, de off. Ord.* præceptum est Ordinariis locorum sub pœna suspensionis ab ingressu Ecclesiæ, ipso facto incurrenda, ut procurent ab obtinentibus beneficia incompatibilia in primo genere dispensationes Apostolicas exhiberi: sed hæc Constitutio non videtur facta per modum legis universalis, sed edicti pro ea vice; sed neque ea pœna usu recepta videtur, neque a Tridentino innovata.

Amplia supradicta, quod Episcopus potest facere edictum, ut omnes beneficiati intra certum tempus ostendant titulum suorum beneficiorum, sub pœna privationis eorundem, ipso facto incurrenda, ob præsumptam intrusionem, ut *dict. cap. Ordinarii, Bernerd. Diaz regula 236. Paris. de resign. lib. 1. quæst. 14. n. 35. Barbos. de potest. Episc. alleg. 57. n. 222. & in d. cap. Ordinarii, n. 3. Mascard. de probat. concl. 1378. verbo Possessio.*

Amplia, ut non possint clerici se tueri contra hujusmodi edicta per regulam de triennali, quia etiam ea regula fundatur in titulo colorato, a legitimo collatore emanato: ita *Barbos. in d. cap. Ordinarii, n. 4. Mascard. loc. cit.*

Limita I. quod circa beneficia non incompatibilia, Episcopus non debet proponere talia edicta, in antiquis inquirendo, nisi in initio suæ promotionis; vel si diu fuit in captivitate absens, quia tunc est periculum intrusionum: ita *Abb. in cap. Licet Heli, n. 23. de simon. Anan. n. 28. & Hostien. ibid. & Mascard. loc. cit. n. 8.* Alias igitur clerici non tenebuntur per talem inquisitionem probare directe, & concludenter titulum non incompatibilis beneficii; sed præsumptive etiam solo suo juramento, *Abbas n. 23. loc. cit. post Hostien. & Cardin. in d. c. Licet Heli, n. 6. Felin. num. 3. 4. & 12.*

Limita secundo, quod quando ipse Ordinarius, aut alius tertius constitueret se adversarium, seu actorem contra beneficiatum, tunc non teneretur possessor ostendere titulum, *Mascard. n. 12. 13. & 27.*

☞ CAPUT I.

Inventarium bonorum ecclesiasticorum.

EX *Constit. S. Pii V.* Muneris nostri 1. *Mar.* 1571. *Archiepiscopi, & Episcopi utriusque Sciciliæ jubentur quotannis conficere inventarium athenticum omnium actorum, causarum, & negotiorum criminalium, etiam mixtorum ad eorum Curiam spectantium, illudque, modo ibidem præscripto, penes se custodire, donec super iis fuerit judicatum, & quicumque* — testimonia, processus, scripturas, & instrumenta hujusmodi quocunque modo violaverit, corruperit, subtraxerit, combusserit, suppresserit, ac jusserit id fieri, seu auxilium, consilium, vel favorem præstiterit — *declaratur eo ipso privatus omni dignitate, officio, & beneficio, & inhabilis ad futura: notarium vero delinquentem in prædictis, vult falsariorum pœnis subjacere.*

Ex Constit. vero Sixti V. Provida 29. *Apr.* 1587. *quæ habetur impressa in Appendice Concilii Romani celebr. ann. 1725. sub Bened. XIII. jubentur omnes Ordinarii, per Italiam tamen dumtaxat constituti, ut intra annum a die notitiæ dictæ Constit. conficiant inventarium omnium bonorum ecclesiasticorum pertinentium ad loca, quibus ipsi præsunt, inobedientesque suos subditos censuris, & pœnis ecclesiasticis ad illud conficiendum, & confectum ad se deferendum compellant, nulla tamen adjecta pœna in eosdem Ordinarios.*

Sed in cit. Concil. Romano tit. 12. cap. 1. hæc inventarii confectio præcipitur in virtute S. Obedientiæ, pariter infra annum, post promulgationem ejusdem Concilii juxta methodum, & instructionem impressam in dicta Appendice, sub pœnis (ferendæ tamen sententiæ) interdicti contra capitula, & collegia, suspensionis contra clericos sacris Ordinibus initiatos, & excommunicationis contra laicos, & clericos in minoribus constitutos, cum onera iis, ad quos dicta inventarii confectio spectat, illud infra eundem annum exhibendi Romæ Pontifici; extra vero propriis Episcopis, pro illius recognitione, & approbatione.

Ulterius cap. 2. ejusdem tit. præcipitur, ut quorumlibet inventariorum fiant duo authentica exemplaria, alterum in archivio Apostolico Romæ; extra vero in Episcopali conservandum: alterum penes interesse habentes, in archivio tamen propriæ Ecclesiæ; quo si quis careat, in alio vicinioris parochiæ.

Insuper cap. 3. jubentur Episcopi invigilare, ut quotannis per ipsorum Curiæ notarium conficiatur inventarium authenticum omnium ejusdem Curiæ processuum, tam civilium, quam criminalium, instrumentorum etiam, ac cæterarum quarumcunque causarum: cap. autem 5. eod. tit. infligit easdem pœnas (ea excepta, qua S. Pius puniri voluit notarium) impositas ab eodem Pio, in scripturas, dictaque instrumenta surripientes, cæterosque supra enunciatos delinquentes.

Nota, quod, attenta generali regula confectio inventarii in hoc provinciali Concilio, ut supra præcepta, arctare dumtaxat deberet Rectores, & administratores bonorum ecclesiasticorum, existentium in locis, quos complectitur idem Concilium: verum post Constitutionem ejusdem Benedicti Maxima vigilantia 18. *Kal. Julias* 1727. *arctat omnes intra Italiam, & adjacentes Insulas degentes.*

In hac igitur injungitur, tam erectio archivorum, quam enunciata inventarii scripturarum confectio infra sex menses a die notitiæ hujus Constit. juxta methodum, & instructionem traditam, tum in citata Appendice, tum in hac eadem Constit. sub præcepto S. Obedientiæ, & sub pœna quoad Ordinarios, usum pontificalium habentes, suspensionis ab eorum usu, arbitrio Summi Pontificis: quoad capitula cathedralium, & collegiatarum interdicti: quoad reliquos ecclesiasticos seculares, in sacris constitutos suspensionis a divinis: quoad Regulares utriusque sexus suspensionis ab officio, & privationis vocis activæ, & passivæ: quo ad seculares excommunicationis majoris: quarum pœnarum (quæ tamen sunt ferendæ sententiæ) absolutio, & relaxatio reservatur Papæ.

Præcipit insuper, ut tam Ordinarii, quam superiores regulares in suis visitationibus peculiariter inquirant, an singu-

la

la ibidem ordinata circa dicta archivum, & inventarium servata fuerint, ac serventur, & pœnis supra expressis inobedientes ad eorum observantiam compellant: atque ut de eadem hac observantia in capitulis provincialibus, & generalibus superiores regulares rationem exigant.

Nota, quod si prædicti omnes, ad quos spectat, non confecissent infra dictos sex menses præscriptam archivi erectionem, & inventarii confectionem, non inde ab ea facienda eximuntur; cum enunciatum tempus statutum fuerit, non ad extinguendam, sed ad accelerandam obligationem: quoties enim Pontifex præcipit, ut in visitationibus inquiratur, an singula ordinata circa dictam obligationem servata fuerint, ac serventur, inobedientesque pœnis coerceri, consequens est, ut etiam elapso statuto termino, executioni omnino mandari debeat. ☜

CAPUT I.

Irregularis Ordines exercens.

I. Aliqui putant, quod irregularis, si celebret, seu ministret in sacris Ordinibus, novam incurrat irregularitatem: sed contraria sententia est communis, ut dixi *verbo Ordo*, *cap.* 10.

CAPUT I.

Judices laici justitiam facere, vel præbere brachium seculare Judicibus ecclesiasticis requirentibus negligentes.

I. *Cap. Administratores* 23. *quæst.* 5. administratores secularium dignitatum, qui ad Ecclesiarum tuitionem, pupillorum, ac viduarum protectionem, rapaciumque refrenationem constituti esse debent, quoties ab Episcopis, & ecclesiasticis viris conventi fuerint, eorum quærimonias attentius audiant, examinent, corrigant: quod si Dei timorem præ oculis non habentes, negligere, post secundam, & tertiam monitionem, inventi fuerint, omni se noverint communione usque ad condignam satisfactionem privatos.

Declara primo, ut nomine administrorum hic contineantur non solum Judices, & magistratus, sed etiam Principes, ut *glofs. ibi*, & *Turrecr. n.* 1. & *Suar. de censur. disput.* 23. *sect.* 2. *n.* 1. quamvis contrarium sentiat *Tolet. lib.* 1. *c.* 37. *in princ.*

Declara secundo, quod procedit hæc pœna, sive isti judices in causa ad eorum forum pertinente justitiam facere negligant, sive in causa ecclesiastica brachium seculare, requisiti ab Ordinario ecclesiastico, præbere noluerint, ut *Archid. ibi*, & videntur verba textus utrunque casum complecti; tamen *Suar. loc. cit. n.* 4. tenet, solum esse sententiæ latæ censuram, quando judex ex justitia tenetur subvenire oppresso, ut in primo casu; non autem si de charitate tantum, ut in secundo.

An autem procedat hæc pœna in omni casu, quo laicus judex justitiam facere negligit, vel in casibus tantum ibi expressis, idest cum agitur de injuria facta Ecclesiis, vel viduis, vel pupillis, vel de rapinis? respondeo: aliqui in iis casibus procedere putant, & in aliis vitiis publicis, quæ perturbant rempublicam, ita *Suar. loc. cit. n.* 1. alii absolute intelligunt de omni peccato, ubicunque tenetur judex laicus justitiam facere: ita *Tolet. loc. cit.* & facit, quod Episcopus potest procedere contra quemcunque ob mortale peccatum vitandum, ut *Felin. cap.* 1. *de pact. Bart. in Extrav. Ad reprimen. verbo Denuntiatione n.* 10. *Navar. cons.* 2. *de off. Ordin.*

Declara tertio, quod ista est excommunicatio latæ sententiæ, incurrenda post canonicam, seu trinam monitionem, ut communiter intelligunt interpretes; *Gloss. ibi verb. Privatos*, *Tolet. & Suarez loc. cit. Barbos. alleg.* 50. *n.* 170. tamen ex consuetudine, intelligitur sententiæ ferendæ, & non latæ, ut *Turrecr. ibid. Tolet. loc. cit. Suarez n.* 3. & ita servatur in praxi, quando judex ecclesiasticus invocat brachium seculare, ut judex non parens, non censeatur excommunicatus, sed excommunicandus, ut *Menoch. de arbit. lib.* 2. *casu* 452. *n.* 2. *Bernard. Diaz in praxi c.* 254. *n.* 10. & *n.* 20. de qua invocatione brachii secularis vide *Genuens. in praxi c.* 36. *Ricc. resolut.* 89. §. *Amplia* 3.

Magistratus laici requisiti præstare brachium seculare Sancto Officio, seu Inquisitori contra hæreticam pravitatem, si id negligant facere, incurrunt in pœnas, de quibus in *cap. Ut Inquisitionis de hæret. in* 6. vide *supra verbo Inquisitor cap.* 1.

CAPUT II.

Judicis laici munus clerici exercentes.

In *cap. Clericis, ne clerici, vel mon.* hæc habentur — jubemus sub interminatione anathematis, ne quis sacerdos officium habeat Vicecomitis, aut Præpositi secularis: si quis autem contra hæc venire præsumpserit, & commonitus, emendare noluerit, excommunicationi subjaceat. —

Nota, quod hæc excommunicatio est latæ sententiæ, ob particulam *Subjaceat*: ita *gloss. ibid. verbo Excommunicationi*, *Cajet. excommunic.* 16. *Navarr. cap.* 17. *n.* 117. *Suar. de cens. disp.* 23. *sect.* 3. *n.* 22. *Tolet. lib.* 1. *cap.* 37. §. 5. *Sayr. lib.* 3. *cap.* 32. *n.* 6. *Molina tract.* 3. *disp.* 8. *Barbos. in dict. cap. Clericis n.* 7. est communis sententia: sed ad eam incurrendam requiritur antecedens monitio canonica, idest trina, vel unica pro tribus, cum intimatione prædictæ censuræ incurrendæ, ut *Suar. loco cit. n.* 23. *gloss. in cap. Sacro*, *verbo Competenti de sent. excommun. Laym. lib.* 1. *tract. de censur. c.* 6. *n.* 4. *Sayr. lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 32.

Nota secundo, quod aliqui extendunt hanc Constitutionem pœnalem ad omnes clericos: ita *Hostien. ibi*: & de communi testatur *ibi Abb. n.* 8. sed alii extendunt solum ad clericos in sacris, ut *Angel. Sylv. & Tabien. apud Sayrum n.* 6. *Navarrus ubi supra*, *Abb. loc. cit. Tolet. loc. cit.* sed verior, & hodie magis communis tenet, hanc pœnam solum in sacerdotibus locum habere, ita *Barbos. in dict. cap. Clericis n.* 6. *in fin. cum Suar.* & *Filiuc.* & de communi testatur *Sayr. n.* 6. *in fine*.

Nota tertio, quod sacerdotes incurrunt eam pœnam solum, si sint officiales principum secularium cum jurisdictione ordinaria, *Cajet. loco cit. Sylv. n.* 28. *loco cit. Tolet. loco cit.* §. *Adverte*, *Abb. in dict. c. Clericis n.* 10. *Barbos. n.* 6. unde non prohibentur esse consiliarii principum, *Abb. Sylv. Sayr. & Tolet. loco cit.* neque prohibentur in causa civili, sibi semel, aut iterum delegata a seculari potestate judicare, *Cardin. in dict. c. Clericis*, §. *Jubemus*, *Abb. n.* 11.

Nota quarto, quod hæc excommunicatio non est reservata, *Cajet. Sayr. Suar. loco cit.* quia illa monitio prævia non reddit per hoc excommunicationem latæ sententiæ a jure sub conditione monitionis monenti reservatam, *gloss. in Clement. ultim. in fin. de stat. monac.*

Nota quinto, quod textus non irritat acta: valent igitur processus, & sententiæ sacerdotis illicite exercentis laicam potestatem ordinariam mandatam, *Abb. in cap. Decernimus n.* 7. *de judic. ibid. Dec. n.* 78. *Covarr. in Clem. Si furiosus part.* 2. §. 5. *n.* 8. *in fin.* intellige, nisi fuerit denuntiatus excommunicatus ob eam causam, aut nisi pars exceperit contra eum de excommunicatione hujus canonis incursa, *Navar. cap.* 27. *n.* 21. *Gutier. can. quæst. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 82. *Less. lib.* 2. *c.* 29. *n.* 57. *text. in cap. Exceptionem de excep. & cap.* 1. *eod. tit. in* 6. quamvis *Sanchez consil. lib.* 3. *c.* 1. *dub.* 18. ait, sententiam excommunicati denuntiati, seu vitandi, validam esse pro foro conscientiæ, si alias sit justa.

II. Irregularis fiet clericus, si proferat sententiam sanguinis, secuto effectu mutilationis, aut mortis, *cap. Ex litteris*, *versic. Nos autem*, & *ibi gloss. ult. de excessib. Prælat. Abb. in cap. Clericis n.* 3. *ne clerici*, *vel mon. & ibi alii Canonistæ* communiter, & Theologi cum *S. Thoma* 2. 2. *q.* 40. *artic.* 2. *Sayr. lib.* 6. *de censur. cap.* 15. *n.* 1. ubi multos allegat, *Suar. de censur. disput.* 47. *sect.* 1. & hæc irregularitas in clericis non solum dicitur ex defectu lenitatis, sicut in laicis, sed etiam ex delicto, cum in eam incidant ex facto contra canonum prohibitionem gravem, ut *dict. cap. Ex litteris*, & ita *Valen. tom.* 3. *dis.* 3. *quæst.* 16. *pun.* 4. *Tannerus tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 10. *n.* 211. *Avila part.* 7. *disp.* 6. *sect.* 5. *dub.* 5. §. *Sed contra*, qui notat, talem irregularitatem non dici ex delicto, quasi ex homicidio injusto, sed ex delicto ob Ecclesiæ præcepti transgressionem: & propter hanc irregularitatem, licet clericus non privetur ipso jure beneficiis jam obtentis; tamen est illis omnino a suo Ordinario per sententiam privandus, vel ad dimittenda compellendus, *per dict. cap. Ex litteris*, & *dict. cap. Clericis*, *Ugolin. de irregular. cap.* 65. §. 2. *n.* 2. *Paris. de resign. lib.* 5. *quæst.* 3. *n.* 183. *Garzias de benef. part.* 11. *cap.* 10. *n.* 47. Ad obtinenda autem omnino inhabilis efficitur omnis irregularis, nisi sit irregularitas ex defectu membro-

rum superveniens; nam hic potest obtinere simplex beneficium, *Sanch. opusc. lib. 2. cap. 2. dub.* 14. fructus autem beneficii quæsiti ante delictum facit suos, *Garz. n.* 48. quid autem de distributionibus? vide *Garz. n.* 50.

An autem clericus, aut laicus fiat irregularis ex ipsa assumptione officii judicis criminalis, etiam non secuta morte, vel mutilatione, multi affirmant: ita *Hugo, antiquus Canonista in c. Si quis post* 51. *dist. Specul. tit. de dispens. §. Justa, versic. Sed quid de judice, S. Anton. par.* 3. *tit.* 28. *cap.* 2. *Tolet. lib.* 1. *cap.* 38. *n.* 9. *Salzedo ad Diaz in praxi cap.* 102. *super verbo Punien. littera C. Foller. in praxi par.* 2. *cap.* 24. *Majolus lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 3.

Contraria tamen sententia est communis, quam tenet *Abbas in dict. c. Clericis n.* 3. *Diaz dict. cap.* 102. *Farinac. in fragmen. verbo Clericus n.* 391. & de communi testatur *Suarez disput.* 47. *sect.* 1. *n.* 3. & *Sayr. lib.* 6. *c.* 16. *n.* 5. Prima autem sententia potest intelligi, ut procedat in hoc sensu, ut talis censeatur irregularis præsumptive, donec ipse docuerit, mortem, aut mutilationem non esse secutam ex sua causa; vel ratione periculi effectus hujusmodi futuri; quia dum pendet judicium coram ipso inchoatum, non potest promoveri, *Henriq. lib.* 14. *c.* 12. *n.* 8. *Majol. lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 4. vel quod, durante tali officio, & non dimisso, sit irregularis, sicut alii publica officia exercentes, obligati reipublicæ ratione pacti, vel juramenti, vel ratiociniorum: sed hæc non est proprie irregularitas, cum tolli possit de facto absque dispensatione, videlicet deposito officio, & rationibus redditis, *Suarez loco cit. n.* 3. *Sayr. lib.* 6. *c.* 14. *n.* 6.

Super irregularitate autem prædicta ex defectu lenitatis, solus Papa, communiter loquendo, dispensare potest, *Navarr. c.* 27. *n.* 217. *Tolet. lib.* 1. *cap.* 88. *vers.* 3. *Suar. disput.* 47. *sect.* 6. *n.* 12. imo Papa, deputando clericum ad officium judicis, vel consultoris criminalis, eo ipso censetur dispensationem præservativam eidem concedere, *Sanchez lib.* 8. *de matr. disput.* 4. vide supra *verbo Bellum cap.* 1. *n.* 2.

Limita, quod Episcopus potest dispensare, secundum magis communem, ad minores recipiendos, vel ad ministrandum in iisdem, jam ante susceptis, *Anan. Butr. Hostien. & Abbas in c.* 2. *de cleric. pugn. in duello, Majol. lib.* 5. *cap.* 51. *n.* 4. *Barbosa allegat.* 39. *n.* 59. & 62. est contra *Garziam de benefic. par.* 7. *c.* 11. *n.* 34. & *alios*: item potest Episcopus dispensare cum promoto ad obtinendum beneficium simplex, *dicto cap.* 2. *de cleric. pugn. in duello, Garz. ibidem.*

CAPUT III.

Judices, gratia, vel muneribus justitiam corrumpentes.

Vide *verbo Munera c.* 4. 5. & 6. & *part.* 1. *c.* 37. *in fine.*

CAPUT I.

Juramenta exigentes, eaque præstantes, de observandis iniquis statutis, vel consuetudinibus.

IN *cap.* 1. *de jurejur. in* 6. Nicolaus III. damnat consuetudines, & statuta, quibus observatur, ne canonici ad canonicatus possessionem, Prælati ad Ecclesias, officiales ad officia recipiantur, nisi prius juramento præstito de observandis illarum universitatum statutis, & consuetudinibus, scriptis, vel non scriptis, intelligendo etiam de illicitis, impossibilibus, vel libertati ecclesiasticæ contrariis. Et declarat Pontifex, in juramento generali prædicto ea non contineri, neque præstari posse de illis juramentum: et si præstitum fuerit, nullius esse momenti; cum juramentum non sit vinculum iniquitatis, neque servandum sit cum Divinæ Majestatis offensa.

Adde, quod peccat mortaliter, peccato irreligiositatis, qui talia juramenta præstat, vel requirit, si habet animum observandi illicita, seu injusta, nisi parvitas materiæ excuset; si autem non habet animum observandi, peccat mortaliter, peccato perjurii: vide *Suar. lib.* 3. *de juramento cap.* 19. *n.* 3. *tom.* 3. *de relig.* & *Sanch. lib.* 3. *in decal. cap.* 4. *n.* 26. *Layman lib.* 4. *tract. de juramento, & perjur. cap.* 14. *n.* 9.

Ex Bulla Gregorii XIII. quæ est 93. *Inter Apostolicas*, confirmata est dicta Constitutio Nicolai Papæ, & extensa, ut procedat etiam de juramentis, seu observantiis, obviantibus decretis Concil. Trid. Item, ut procedat, sive juramenta præstentur ante possessionem, sive post illam adeptam: item derogat omni consuetudini, etiam immemorabili, quia est corruptela.

Deinde statuit, ut exigentes talia juramenta illicita, seu impossibilia, seu contraria prædictis juribus ecclesiasticis, incurrant Episcopi, seu pontificali dignitate prædití, suspensionem a divinis: universitates autem ecclesiasticæ, idest capitula, & conventus, eorumque Ecclesiæ, & loca omnia laicalia, incurrant interdictum, scilicet personale, vel locale respective: singulares autem personæ Episcopis, aut Pontificibus inferiores, incurrunt excommunicationem, & inhabilitatem ad officia, & beneficia obtinenda. Absolutionem, & dispensationem in prædictis pœnis reservat Summo Pontifici.

Postremo statuit, ut scienter præstantes talia juramenta, incurrant eo ipso pœnam privationis usus, & commodi rei, & gratiæ, cujus causa juraverint illicite, idest beneficii, officii, aut prælaturæ.

Observari facientes, vel observantes statuta, vel consuetudines contra libertatem ecclesiasticam, incurrunt excommunicationem latam in jure communi, & in Bulla Cœnæ, ut dixi *verbo Consuetudo cap.* 1. & *verbo Lex cap.* 1. unde etiam in casu nostro exigentes super his juramenta, & utentes, & exequentes, incurrunt in easdem censuras.

Exempla autem juramenti contra libertatem ecclesiasticam habentur in *cap. Petitio vestra n.* 1. *de jurejur.* ubi damnatur juramentum, quo ecclesiasticus jurat principi laico de non stando contra illum ullo modo, si intelligatur, quod non possit stare, etiam juste; ut quando usurpat jura, aut bona Ecclesiarum: item, generaliter loquendo, tale est omne juramentum, quo ecclesiastici cogerentur jurare principi laico fidelitatem, nisi ratione feudi, ut *Abb. in dicto c. Petitio tua n.* 1. & *text. in c. Nimis de jurejur. ibi, Anan. Hostien. & Imola.*

Sed limita, quod licitum est ecclesiasticis præstare juramentum fidelitatis laico principi exigenti, non absolute coactum, sed sub conditione voluntarium, si in tali territorio morari velint, propter securitatem status, seu reipublicæ; sed intelligendo, ut juramentum non præstetur, tanquam superiori, sed tanquam comparti reipublicæ per modum contractus, ut habetur casus in *Concilio Tolet.* 10. *cap.* 2. *Suarez de defens. libertatis eccles. lib.* 6. *cap.* 1. *Salas de leg. disp.* 96. *tract.* 14. *n.* 96. *in fin.* sic etiam dicunt aliqui Doctores, licitum esse ecclesiasticis, & laicis incolis loci occupati a tyranno, etiam hæretico, qui legitimum principem expulit, eodem invasore possessore cogente, ei præstare juramentum de eo juvando contributionibus, excubiis, & fossionibus, & ceteris operis indifferentibus præstandis, & de vitandis præjudiciis pro posse suo, non animo eidem auxilium ferendi, quatenus hæreticus, vel invasor, sed animo, quatenus metu gravi adstringuntur, præstandi ei opera illa indifferentia; neque Pontifex censetur invitus: ita *Molanus, & Layman infra citandi.*

Non tamen possunt jurare animo præstandi talia auxilia in casu, quo resultaret grave damnum catholicæ religionis, aut legitimi sui principis, vel in casu, quo, si non præstarentur, magna utilitas insurgeret Principi justo, vel reipublicæ christianæ; ita *Molanus lib. de fide, & juram. opusc. ult. Layman lib.* 2. *tit. de charitate tract.* 3. *cap.* 13. *§. Secundo resolves.*

Alias enim sic jurantes, si de facto talia auxilia præstarent, incurrerent in excommunicationem latam in *Bulla in Cœna Domini*, vel *ex c.* 1. si hæc auxilia præstent principi hæretico, bellum gerenti contra catholicos causa hæresis, ut *Sanch. lib.* 2. *in decal. cap.* 10. *n.* 5. *Suar. de fide disp.* 24. *sect.* 1. *num.* 9. *Farinac. quæst.* 182. *n.* 132. vel ex *cap.* 7. *ejusdem Bullæ*, si dicta auxilia præberent hæreticis a Sede Apostolica expresse, seu nominatim declaratis: de qua re dixi *verbo Arma.*

Similiter illicitum est juramentum, quo ecclesiastici, vel laici jubentur jurare fidelitatem Principi temporali, seu laico, recognoscendo eum in caput Ecclesiæ, quia tale juramentum est hæreticale, & schismaticum, ut *Suar. tract. de defens. fidei Cathol. tit. de forma juram.* ubi duas Bullas Pauli V. refert similia damnantis juramenta: unde in tali casu jurantes incurrerent excommunicationem ex *cap.* 1. *Bullæ in Cœna Domini* latam contra hæreticos, & schismaticos, eorumque fautores, de quibus dixi *verbo Hæresis, & verbo Schisma.*

CA-

☞ CAPUT II.

Juramentum exigentes judices de veritate dicenda a reis, dum uti principales criminaliter examinantur.

EX *Concilio Romano celebrato sub Bened. XIII. an. 1725. tit. 13. c. 2. in iis locis, quos idem Concilium complectitur, nequeunt contra eosdem reos sententiam proferre, ibi e-nim examen, sive constitutum, & acta omnia, eo ipso nulla, & irrita, omnique carere effectu declaratur.*

Nota I. Illud ab eis exigere posse, cum examinantur, tanquam testes, quoad alios.

Nota II. In aliquibus locis extra ea, quæ in dicto Concilio continentur, dori quidem hoc juramentum ex introducta consuetudine, non vero vi alicujus legis canonicæ, vel civilis, cum nullus citari possit textus, a quo præscribatur, ut post Amenum loc. mox citand. asseritur etiam in cit. c. 2. Concilii Roman. Nullo nunquam jure præceptum : *& quamvis in Clementina Sæpe contigit 2. de Verbor. signific. præcipiatur præstatio juramenti de veritate dicenda, hoc tamen intelligendum est de testibus, non de reis in criminalibus, ut ex integra textus lectura.*

Nota III. Eandem hanc consuetudinem exigendi juramentum a reis, esse patentem periculi aleam, cum, ut loquitur Ludovicus de Ameno Pract. crimin. par. 1. tit. 19. §. 4. verbo Reus *n. 16. ibi* -- Ad nihil inserviat, nisi ad committenda peccata, & Deum offendendum tot perjuriis. Nonne enim crederetur reo, suum crimen confitenti, licet minime jurasset ? certe quod sic. Quid ergo acquiritur Fisco per tale juramentum ? nil prorsus. Quis autem est reus, qui juratus, dicat de plano veritatem contra se ? certe ex decem millibus non invenietur forte, nisi unus, & ceteri omnes perjurio divinam veritatem offendent : cum ergo nil boni, aut utilis ex tali juramento derivet, sed tantum mala, & peccata, deberet illud aboleri -- *quidquid in contrarium senserit Domin. Ursaya* Instit. crimin. lib. 3. tit. 2. n. 15. & seqq. *de crimin. Perjurii.*

An autem nullitas inducta a cit. Conc. Rom. restringatur ad rei dumtaxat constituta, seu potius ad totum processum, placet hic transcribere sequens votum clarissimi Viri Flavii Delphini, Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis reorum Advocati.

-- Requisitus, ut meum sensum panderem super dubio excitato in causa cujusdam inquisiti, in vincula pro crimine gravissimo conjecti, de quo confessus se reddidit in constitutis, delato tamen juramento veritatis dicendæ contra præscriptum Concilii Romani *tit. 13. de Jur. Juran. cap. 2.* expresse mandantis, sub pœna nullitatis actorum juramentum de veritate dicenda non amplius in posterum reis esse deferendum -- *An stante juramento inquisito delato contra expressam prohibitionem d. Concilii, acta omnia nulla sint, & irrita ?* -- sicuti nulla cadere valet hæsitatio, quin constituta, actaque omnia eisdem subsequnta nulla sint, & irrita.

Difficultas unice residet in eo, an nullitas actorum per Concilium inducta, restringatur tantummodo ad constituta, super quibus cadit prohibitio deferendi juramentum, aliaque acta ipsis constitutis consecutiva, seu potius totum processum infringat, irritumque reddat. Et prima facie fundata dici posse videtur intentio Fisci pro validitate processus informativi, utpote præcedenter ad constituta, nullamque a constitutis dependentiam habentis compilati. Siquidem sanc. mem. Benedictus XIII. in vetanda delatione juramenti reis constituendis, nil aliud habuit pro objecto, & fundamento demandatæ prohibitionis, quam quod experientia docuerit, & quotidie demonstret, juramentum istud neque necessarium, neque utile Fisco, neque contrarium esse eisdem reis, qui patrata scelera, ut plurimum negant, ut legitur in procemio conciliaris dispositionis, ibi -- *Quia tamen in hoc quotidiana, sicuti est, experientia compertum, nec in Fisci favorem, neque contra reos ipsos, qui ut plurimum patrata a se negant delicta, utilitatis aliquid elici non ignoratur, adeo ut peculiari in hac facti contingentia, nedum talia deinceps juramenta exigendi necessitas non adesse probetur, imo potius, ne illa penitus exigantur sacri ipsa juramenti ratio postulet, ac suadeat* --. Qualis ratio præ ceteris in consideratione habetur a Doctoribus illis, qui firmiter sustinent, non esse reis juramentum de veritate dicenda deferendum ; tum quia injustum quoad ipsos reos, tum quia frustraneum, & inutile respectu Fisci, prout plene, & latissime materiam tractans, tenet Terent. Fanton. in suo celebri voto relat. a Bonfin. ad bannimenta generalia *cap. 12. append. unica*, cum quo concordat Dolphus *allegat. 187. per tot.* jure dici potest, mentem Summi Pontificis, prohibentis delatte in posterum reis juramentum de veritate dicenda, altam profecto non fuisse, quam infringendi, reddendique irrita una cum examinibus, & constitutis reorum, quibus fuit præstitum juramentum, acta omnia eisdem consecutiva, utpote provenientia a radice infecta, nunquam vero illa præcedenter facta, & quæ necessaria sunt pro informatione Curiæ super delicto, quod prætenditur commissum.

Præsertim quia non desunt magni nominis Doctores, firmantes, ne dum licitum esse, imo necessarium reis juramentum deferre de veritate dicenda, ut vi ejusdem obstringantur ad fatenda delicta, de quibus gravati comperiuntur in processu informativo ; cumque stylus inoleverit in omnibus tum Urbis, tum totius Status ecclesiastici tribunalibus usque ad diem editæ conciliaris Constitutionis deferendi reis juramentum de veritate dicenda, ab hujusmodi stylo, & consuetudine nequeat ullo pacto recedi, prout rationibus, & auctoritatibus firmat Raynald. in suis observat. crimin. c. 20. *supplet. prima tit. An juramentum veritatis dicendæ, quod solet deferri reis, conveniat per Edictum tolli :* ubi referendo votum Teren. Fanton. superius laudati, & rejiciendo rationes, & fundamenta in eodem perpensa, dicit, -- *non esse mutanda ea, quæ formam certam semper habuerunt.*

Ex quibus merito inferri potest absque ulla verborum impropriatione, ac immutatione sensus Constitutionis prædictæ, prohibitionem in ipsa contentam deferendi reis juramentum sub pœna nullitatis actorum, intelligendam esse de actis illis, super quibus cadit juramentum, aliisque ab illis descendentibus, non autem de aliis præcedenter tactis, & separatis a constitutis ; potissimum, quia Constitutio isthæc considerari cum debeat in linea constitutionis odiosæ, & correctoriæ, tanquam destructiva inconcussæ praxis, & consuetudinis, religiose semper a tribunalibus omnibus observatæ, sat est, ne contravenium dici queat dispositioni conciliariæ, ut suum sortiatur effectum quoad acta illa, super quibus cadit, & consecutiva sunt juramento contra formam in Concilio Romano præscriptam reis delato ; nunquam vero quod irrita reddantur acta, & jura per Fiscum super delicto præcedenter ad constituta reorum in processu informativo acquisita.

Tantoque certius, quia cum processus informativus separabilis sit, nullamque, ut diximus, dependentiam habeat a constitutis reorum, omnis æqui, bonique ratio postulat, quod nullitas a Constitutione demandata inficiat tantummodo constituta ipsa, & acta ab eisdem descendentia : secus autem processum informativum, juxta vulgatam regulam, quod utile per inutile non vitietur.

Verum hisce non obstantibus, crederem prohibitionem Concilii Romani in dicto titulo XIII. *de Jur. Juran. cap. 2.* deferendi reis juramentum sub pœna nullitatis actorum, integrum involvere processum, si sedulo, matureque perpendatur, quod postquam in ipsa declaratum, & expresse vetitum fuit, non esse in posterum in examinandis, & constituendis reis, ipsis deferendum juramentum de veritate dicenda, immediate subjungitur -- *Alias examen, sive constitutum, & acta omnia nullo sint* -- quis dictio -- *OMNIA* -- utpote universalissima, nullam admittit restrictionem, integrumque processum usque tunc compilatum, complectitur, ut tradunt *gloss. in capit. Ut circa, verbo Omnia de elect. in 6. Bartol. in leg. Generali §. Uxori ff. de usufruct. legat. Rolan. cons. 27. n. 22. & cons. 76. n. 46. tom. 4. Aloysius Riccius decis. Cur. Archiepis. Neapolitan. decis. 287. num. primo cum seqq. Rot. decis. 417. num. primo, & 2. par. 4. & decis. 269. num. 9. par. 5. Recent.*

Signanter, quia cum Summus Pontifex contentus minime fuerit nullitatem restringere ad examen, & constituta reorum, sed insuper voluit, & mandavit, quod cum constitutis reorum acta omnia nulla essent, & irrita.

Utique verba ista arctari nequeunt intra cancellos constitutorum, actorumque subsequentium, sed pernecesse complexiva dici debent actorum omnium ratione dictionis, *Et*, quæ copulat acta præcedenter facta cum constitutis, & eisdem actis derivantibus, juxta dispositionem *tex. in leg. Et quia juncta ff. de Jurisd. omnium Judic. & docent Gratus cons. 11. n. 4. lib. primo, Succin. Jun. cons. 71. n. 4. volum. 3.*

Mas-

Mascard. de probat. conclus. 1265. n. 32. Gratian. discept. foren. cap. 147. n. 16. Rota decis. 308. n. 3. cor. Ludovis.

Neque diversa fieri valet interpretatio, si reflectatur, quod verbis illis, *Acta omnia nulla sint*, immediate subsequuntur alia, *eo ipso, & irrita*, qualis dictio *EO IPSO* cum operetur, quod in actu ipso præstiti reis juramenti examen illius, & constitutum una cum actis omnibus nulla sint, nulliusque roboris, juxta naturam, vim, & efficaciam dictionis *eo ipso*, quæ ipso jure, & ipso facto, absque ullo judicis ministerio annullat, & infringit totum id, quod gestum erat, ut docent Abbas in *cap. Si diligenti n. 8. de for. competen. Felin. in cap. Rodulphus vers. ult. Non obstat de restrict. Decius cons. 138. in princip. Roman. cons. 417. n. 9. Sala de legib. tract. 4. quæst. 96. disput. 16. sect. 8. post n. 29. versic. Propria verba sunt*; satis evidenter ostenditur, supradicta verba *nulla sint eo ipso, & irrita* referri non posse, neque de aliis actis verificari, quam de illis præcedenter ad constituta expletis, videlicet de processu informativo, qui viam aperit, & fundamentum præbet, ut reus subjici valeat examini, & super crimine interrogari, quod ex processu jam compilato constat perpetrasse.

Idque redditur manifestissimum, si considerentur verba illa immediate subsequentia, innegabiliter totum processum inficientia *omnique careant contra reos effectu*; nemo autem unus est, qui ignoret, si reus fateatur delictum commisisse, hanc confessionem non prodesse Fisco, neque reo nocere, quotiescunque confessio verificata in substantia non remaneat ex parte ante, videlicet a processu informativo, præcedenter constructo, ex quo probationes resultent, reum confessatum crimen commisisse; & per consequens, quod confessio a fonte veritatis descendat; sicuti nil prodest reo negare delictum, quoties ex processu informativo desuper compilato per indicia sufficientia, & legitime probata, constet delictum commisisse, ut valeat examini rigoroso subjici ad habendam veritatem, seu potius quando probationes, & indicia acquisita sint adeo plena, & concludentia, quæ reum negantem delictum, revera illud commisisse convincant contra eundem, ad pœnam saltem extraordinariam devenire, patrato sceleri congruentem.

Si igitur Summus Pontifex Benedictus XIII. in toties laudata sua conciliari Constitutione expresse præcipit, mandat, & statuit, quod acta omnia eo ipso non solum nulla sint, & irrita, sed etiam quod *omni careant contra reum effectu*: quis est, qui non percipiat, verba ista aliter intelligi non posse, quam de processu informativo; si enim iste in statu validitatis remaneret, utique acta omnia nulla, & irrita dici nequirent, neque omni carere possent effectu contra reum, quia, firmo remanente processu informativo, in quo unice sistit fundamentum intentionis Fisci, posset iterum reus ex juribus, & indiciis contra eundem acquisitis in processu iterum examini subjici, & super prætenso crimine constitui, & negans moneri, & indicia contra ipsum militantia contestari, & sive confessus, sive negativus, libere permissum esset Fisco contra eundem procedere, vel ad pœnam ordinariam confessati criminis, vel ad examen rigorosum, si negativus; seu ad pœnam extraordinariam, si indicia metam torturæ excedant, & sic frandata in omnibus remaneret mens, intentio, & littera dispositionis conciliaris, quod acta omnia nullius sint roboris, & efficaciæ, omnique careant contra reum effectu, quod utique dicere absurdum foret, & monstruosum.

Et ita juris esse censeo, salvo semper &c.

Flavius Delphinus Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis reorum Advocatus. --

Propositiones ad Juramentum spectantes, proscriptæ ab Innoc. XI. sub die 2. Martii 1679. sub pœnis in illas docentes &c. & ad praxim deducentes, quas incurrunt docentes &c. alias propositiones proscriptas, prout in fine Additionis ad c. 1. verbo Missa, *sunt in ordine la*

24. Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

26. Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocunque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodcunque aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologiis, est quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum; ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

28. Qui mediante commendatione, vel munere ad magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum. ☜

CAPUT I.

Jurisdictionem laici exercentes contra libertatem ecclesiasticam, onera ecclesiasticis imponendo.

Vide *verbo Immunitas, cap. 2. & seqq.*

CAPUT II.

Jurisdictionem laici exercentes contra immunitatem ecclesiasticam, extraendo reos de loco sacro.

Vide *verbo Immunitas, cap. 1.*

CAPUT III.

Jurisdictionem laici exercentes contra libertatem ecclesiasticam, decretis generalibus, seu edictis, legibus, statutis, & consuetudinibus.

Vide *verbo Lex*; & *verbo Consuetudo*; *& verbo Juramentum.*

CAPUT IV.

Jurisdictionem laici exercentes contra libertatem ecclesiasticam, decretis, seu præceptis specialibus quibuscunque; item partes ea procurantes.

ALiqui putant in tali casu incurri censuram excommunicationis, latam in *cap. Noverit, & cap. Gravem de sent. excomm.* ut *Genuen. in praxi cap. 16. n. 1. Cavaler. decis. 372. n. 1.* Sed adverte, quod hoc solum procedit, quando judex laicus aliquid decerneret contra libertatem ecclesiasticam, juxta statutum, vel consuetudinem loci, ut *Rota decis. 10. par. 2. posth. Farin.* quia in his terminis tantum loquuntur jura prædicta.

Alii putant, in casu prædicto incurri in excommunicationem latam in Bulla Cœnæ Domini *c. 15.* ubi excommunicantur facientes ordinationes, seu decreta in genere, vel in specie, contra libertatem ecclesiasticam, & iis utentes, ita *Marius Alterius disput. 16. cap. 3. col. 4. Duard. super dict. cap. 15. quæst. 22. Filiuc. tract. 16. n. 267.* Sed alii contra æstimant, *dict. cap.* Bullæ solum loqui de decretis generalibus, seu per modum legis, ut cum universitati præcipitur; non autem cum inter duos litigantes decernitur, si non decernatur ratione alicujus statuti, vel consuetudinis, ut dixi *verbo Lex. n. 2.* In multis tamen casibus variæ censuræ incurruntur per talia decreta, & procurationem illorum, ut dicam *capitibus sequentibus.*

CAPUT V.

Jurisdictionem ecclesiasticam Ordinariorum turbantes, seu impedientes quicunque.

EX *c. 16. Bullæ in Cœna Domini*, excommunicationem, Papæ reservatam incurrunt, qui Archiepiscopos, aliosque superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscunque judices ordinarios quomodolibet hac de causa directe, vel indirecte carcerando, vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, consanguineos, vel affines, impediunt, quominus sua jurisdictione ecclesiastica utantur, secundum quod Canones, & Sacræ Constitutiones ecclesiasticæ, decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini, statuunt.

Amplia secundum multorum sententiam, ut procedat hæc excommunicatio, sive impedimentum præstetur via jurisdictio-

ctionis laicæ, sive ecclesiasticæ, sive privata auctoritate, quia verba sunt satis generalia: & ita tenet *Ugolin. loco citato* §. 1. *n.* 1. *Marius Alterius tom.* 1. *disput.* 17. *c.* 1. *colum.* 2. *Filinc. tract.* 16. *c.* 10. *quæst.* 9. *in fin.* & hoc vidi sæpius practicari, & excommunicatas denunciari ab Ordinariis privatas personas, impedientes, v. gr. exequutionem aliquam personalem, vel realem de ipsorum decreto faciendam.

Tamen contra, quod hoc capite solum excommunicentur impedientes via laicæ potestatis publicæ, seu jurisdictionis, tenent *Navarr. c.* 27. *n.* 71. *vers. Declaratio prima*, *Suar. de censur. disput.* 21. *sect.* 2. *n.* 75. *Duard. hoc loco*, *quæst.* 3. *Graff. p.* 1. *lib.* 4. *capit.* 18. *n.* 139. *Bonacin. hoc loco*, *quæst.* 17. *punct.* 1. *n.* 7.

Limita, quod non continetur hic impediens usum passivum jurisdictionis, v. g. lacerando cedulones, vel cogendo partes ad renuntiandum, ut dicam *infra cap.* 11. *cum Graffio*.

CAPUT VI.

Jurisdictionem ecclesiasticorum Ordinariorum laica potestate impedientes.

I. EX *cap. Non minus de immunitate Ecclesiarum*, in diversis mundi partibus consules civitatum, & rectores, necnon alii, qui potestatem habere videntur, jurisdictionem, & auctoritatem Prælatorum ita evacuant, ut nihil potestatis in suis videatur hominibus remansisse: quo circa sub anathematis districtione fieri de cetero talia prohibemus; si autem de cetero talia commiserint, & commoniti, desistere noluerint, tam ipsi, quam fautores eorum excommunicationi se noverint subjacere; nec communioni reddantur, donec satisfactionem fecerint competentem.

Amplia, quod sufficit una monitio cum dilatione competenti, *Sylv. verb. Excommun.* 9. *n.* 12. *Tolet. lib.* 1. *capit.* 37. §. 2. *Cardinal.* in *dicto cap. Non minus in fin.*

Amplia secundo, ut procedat ea pœna, etiamsi laici non impediant totaliter, seu etsi non in totum evacuent ecclesiasticam Prælatorum jurisdictionem, sed sufficit, si in aliquo turbent, seu impediant, *Abb. Cardin. & Anan. in dict. cap. Non minus*, *Angelus verbo excommunicatio* 7. *casu* 5. *n.* 7.

Limita, quod hæc excommunicatio post satisfactionem non erit reservata, tamen reservatur ex *c.* 16. *Bulla in Cœna Domini*, ut dixi *cap.* 5. & *in seqq. capitibus*.

CAPUT VII.

Jurisdictione quacunque, vel privata potestate, causarum ecclesiasticarum cursum impedientes, vel ad laicum judicium avocantes.

I. EX *c. Quoniam de immunit. Eccles. in* 6. primo prohibetur, ne quis aliquem in foro ecclesiastico delegato, vel ordinario litigantem, vel litigare volentem super causa ecclesiastica, seu ad forum ecclesiasticum ratione personæ, vel negotii, vel rei, de jure, vel consuetudine pertinente, per se, vel per alium, ad desistendum, vel in foro seculari de ea litigandum directe, vel indirecte compellat, seu compelli faciat, vel procuret, sive vexando judices, vel partes, aut propinquos illorum, in persona, vel bonis, aut aliter quomodocunque; nec per se, nec per alios impediat, quominus coram judicibus ecclesiasticis justitiam valeant obtinere; neque ad prædicta facienda det consilium, auxilium, vel favorem: si quis autem contra præsumpserit, excommunicationi se ipso facto noverit subjacere, a qua nisi, tam judici, cujus cognitio fuerit impedita, vel usurpata, quam parti, de injuria, damnis, expensis, & interesse, prius per eundem integre fuerit satisfactum, nullatenus absolvatur. Unde apparet, alias absolutionem fore nullam, ob particulam *nullatenus*, secondum probabiliorem, quam tenet *Archidiac. in dict. c. Quoniam*, *Sayr. lib.* 2. *cap.* 18. *n.* 10. *Suar. disp.* 7. *de censur. sect.* 5. *n.* 44. *Layman lib.* 1. *tract. de excommun. c.* 6. *n.* 8. contra *Marium Alterium tom.* 1. *disput.* 4. *lib.* 4. *cap.* 4. *colum.* 8. *Joan. Andr. & Gemin. in dicto cap. Quoniam*; qui putant, textum non irritare absolutionem datam ab eo, qui jure ordinario poterat alias absolvere.

Item ex eodem textu apparet, hanc pœnam procedere, sive impedientes sint publicæ, sive privatæ personæ, ut *Joan. Andr. ibi n.* 1. *Gemin. n.* 2. *Franc. n.* 3. & de communi testatur *Marius Alterius tom.* 1. *disput.* 17. *cap.* 1. *colum.* 2. Denique constat ex eodem textu, eam censuram non esse reservatam Papæ post satisfactionem præstitam, ut supra.

II. Secundo ex eodem *c.* 14. *Bullæ in Cœna Domini*, excommunicationem, Papæ reservatam, incurrunt qui per se, vel per alios, beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales, vel spiritualibus annexas, ab auditoribus, vel commissariis Apostolicæ Sedis, aliisque judicibus ecclesiasticis avocant, illarumque cursum, ac personas, & universitates, dictas causas prosequi volentes, impediunt, ac se de illarum cognitione, tanquam judices interponunt, etiamsi talia facientes sint præsides, cancellarii, aut consiliarii quorumcunque principum, etiam Regum, & Imperatorum.

Advertendum primo, non solum trahentes ad suum tribunal laicum incurrere in dictam excommunicationem *c.* 14. sed etiam consilium, favorem, aut assensum præstantes, ex eodem *c.* 14. unde Doctores dicunt, etiam contineri advocatum, si scienter id faciat: itemque ipsos ecclesiasticos consentientes voluntarie se trahi: ita *Navarr. consil.* 1. *n.* 81. *de const. Cokier de Jurisd. in exemptos*, *p.* 4. *quæst.* 75. *n.* 3. & 7. & tenet *Duardus*, & *Alterius apud Bonacc. hic quæst.* 15. *punct.* 1. *n.* 26. qui tamen de ipsis, qui sponte consentiunt se trahi, contrarium tenet; quia ait, has accessorias actiones intelligi de iis, quæ se tenent ex parte trahentis auctoritative.

Advertendum secundo, quod aliqui Doctores docent, hanc excommunicationem, seu canonem 14. procedere solum de turbantibus modis prædictis jurisdictionem judicum Sedis Apostolicæ, & illam particulam *aliis judicibus ecclesiasticis*, intelligunt de similibus, scilicet judicibus Sedis Apostolicæ, alio nomine nuncupatis: ita *Ugolin. & Alterius*, quos sequitur *Bonacc. hoc loco quæst.* 15. *pun.* 1. *n.* 7. contraria tamen tutior videtur, ut de omnibus judicibus ecclesiasticis loquatur, quam tenet *Sousa hoc loco cap.* 14. *Bullæ n.* 1. *Duard. quæst.* 7. *n.* 1. *Filinc. tract.* 16. *n.* 250. *Diana resolut.* 55. *tract.* 1. *tom.* 2.

Adverte tertio, quod hic Canon solum loquitur contra talia facientes publica auctoritate: ita *Navarr. c.* 27. *n.* 71. *Suar. disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 75. *Sayr. lib.* 3. *c.* 18. *n.* 5. *Ugolin. c.* 14. *Bullæ* §. 1. *vers. Quæ excommunicatio*, *Bonac. n.* 5. & 17. est communis sententia. Item intelligunt Doctores, hic solum agi contra prædicta facientes auctoritate publica laicali, non ecclesiastica: ita *Navar. n.* 71. *Cajet. excomm. c.* 29. *Sayr. l.* 18. *n.* 2. *Marius Alterius disp.* 15. *c.* 1. *lib.* 5.

III. Nihilominus, etiam privati, seu partes talia procurantes a laica potestate fieri, incurrunt in alias excommunicationes, & pœnas latas in jure communi, & in Bulla Cœnæ Domini, & aliis Constitutionibus, contra trahentes aliquem a foro ecclesiastico ad laicum, vel recurrentes ad laica tribunalia contra ordinationes judicum ecclesiasticorum, vel impedientes, seu turbantes jurisdictionem ecclesiasticam; de quibus dicam *infra c.* 8. *et* 10. Similiter & prædicti judices, & officiales, incurrunt etiam per supradicta in alias censuras, de quibus dicam in dictis capitibus.

CAPUT VIII.

Jurisdictionem ecclesiasticam impedire, seu forum ecclesiasticum eludere procurantes partes conventæ per recursum ad laicam potestatem, procurando inhibitiones, seu mandata; at aliter cooperantes.

CIrca pœnas recurrentium ad tribunalia sæcularia in causis ecclesiasticis dixi multa *supr. verb. Curia cap.* 8. Et notandum, quod judices laici sunt incapaces jurisdictionis in personas ecclesiasticas, & ecclesiasticas causas, ita ut neque consuetudo immemorabilis initii in hoc suffragetur, *Canonistæ c. Causam de præscrip. Felin. in cap.* 2. *de major. et obedien. Rot. decis.* 10. *de consuet. in antiq. Rota part.* 2. *noviss. dec.* 8. *n.* 4. & patet ex Bulla in Cœna Domini, in qua derogatur consuetudinibus, etiam immemorabilibus.

I. Tales incurrunt excommunicationem latam in *cap. Noverit*, *et c. Gravem de sent. excommun.* tanquam præbentes causam, ut per decreta aliqua, seu ordinationem violetur libertas ecclesiastica, ut dixi *supra c.* 4. *Rota Cavaler. decis.* 372. *n.* 1. *Genuens. in praxi c.* 16. *n.* 1. quod est intelligendum, quando aliqua fuerint decreta, seu sententiæ subsecutæ, juxta statuta, vel consuetudines introductas contra libertatem ecclesiasticam, ut *Rota decis.* 10. *n.* 2. *part.* 3. *posth. Farinac.* nam ita loquitur *c. Noverit*, *et c. Gravem*.

II. Ex *cap.* 16. *Bullæ in Cœna Domini* excommunicantur ii, qui post Ordinariorum, aut ab eis delegatorum sententias, & decreta, aut alias fori ecclesiastici judicium eludentes, ad cancellarias, & Curias seculares recurrunt, & ab illis inhibitiones, & mandata, etiam pœnalia Ordinariis, aut delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, & qui decernunt, & exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & favorem in eisdem.

Amplia, quod in hanc censuram incurrit recurrens ad dictum effectum impediendi judicem ecclesiasticum, sive post decreta illius judicis ecclesiastici, sive per anticipationem, seu præoccupationem recurrat: est probabilior sententia, *Reginal. & Filiuc.* quos sequitur *Bonac. quæst.* 17. *pun.* 1. *n.* 23. *Ugolin. super hoc c.* 16. *Bullæ, vers. Ac etiam eos,* contra *Duardum quæst.* 1. *& Alterium cap.* 2. *col.* 2.

Amplia secundo, ut secundum probabiliorem, incurrat recurrens, etiamsi non potuerit obtinere intentum prohibitionis, seu mandati a judice laico, ut *Alterius colum.* 2. *&* 3. *Reginal. lib.* 9. *n.* 369. *Bonac. n.* 28. contra *Navarr. Filiuc. Vival. Ugolin. & Duard. apud Bonac. allegatos*:

Amplia tertio, ut procedat etiam contra appellantes a judice ecclesiastico ad laicum, super possessorio rei spiritualis, ad impediendum, ne ecclesiasticus judex aliquid innovaret; quia etiam tale possessorium ad ecclesiasticum judicem pertinet, *Rota decis.* 10. *part.* 2. *posth. Farinac.* quidquid dixerint *multi DD. allegati a Rota ibi n.* 8. Neque hoc ne suffragari potest consuetudo, etiam cum fama privilegii, ut ait *Rota ibi n.* 16. per *cap. Novit. de sent. excomm. & per Bullam in Cœna Domini*, nisi re vera constet de talibus privilegiis non revocatis, ut *Rota ibi n.* 20.

Amplia quod canones antiqui (recensiti a Gratiano, ut *cap. Filiis, & ibi gloss. verb. Regis* 16. *quæst.* 7. *cap. Principes, cap. Regum, c. Administratores* 23. *quæst.* 5. tales recursus ad injustitias ecclesiastici judicis manifestas coercendas) vim non habent; quia, vel sunt hodie correcti, vel potius nunquam vim legis habuere, cum non sint pontificii: neque decretum Gratiani fuit unquam approbatum a Sede Apostolica, tanquam authenticum, *Rota noviss. dict. decis.* 10. *n.* 13. *part.* 2.

Limita, ut licitus sit recursus ad Curiam secularem, ad effectum solum protestandi de incompetentia, *Rota apud Rubeum decis.* 240. *n.* 14. Item, si recursus fiat ad invocandum auxilium ad tuendam suam possessionem, seu ad impediendam violentiam, non tanquam via juris, seu per inhibitiones, citationes, & decreta; sed tanquam de facto, in eo casu, quo quis posset privatorum auxilium advocare, *Rota ibid. n.* 28. *&* 29. Item, si fiat recursus ad Curiam secularem in casibus aliis, a jure expresse permissis, ut in causa feudi laicalis, *cap. Ceterum de judic.* & quando judex ecclesiasticus invocat brachium judicis secularis, in casibus, scilicet a jure permissis, ut *cap. Ut officium §. Compescendi de hæret. in* 6. *& alibi*.

Limita, quod judices, & executores, & cooperantes incurrunt in hanc censuram, quando tales inhibitiones fiunt ad instantiam partis recurrentis ad laicum tribunal: nam quando id agunt ex officio prætenso, alias incurrunt excommunicationes, de quibus dixi *cap.* 6. 7. & dicam *c.* 11.

CAPUT IX.

Jurisdictionem laicam exercentes in personas ecclesiasticas, illas trahendo ad suum laicum tribunal in causa civili, vel criminali; & partes id procurantes, & alii cooperantes.

I. EX Bulla Martini V. quæ est Constit. 10. *Ad reprimen.* §. 4. & ex *Bulla in Cœna Domini cap.* 15. fertur excommunicatio Papæ reservata contra laicos, potestatem habentes, qui personas, vel universitates ecclesiasticas ad suum tribunal, seu forum, seu audientiam trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directe, vel indirecte, præter juris canonici dispositionem: & ampliatur ex dicta Bulla Martini, & extenditur ad dantes in his auxilium, consilium, vel favorem, sive sint publicæ, sive privatæ personæ; unde a fortiori continebitur actor, procurator, vel advocatus instans, & trahi procurans: non tamen continebitur actor, aut alius, privata potestate procurans, in excommunicatione prædicta Bullæ in Cœna Domini: sed solum continentur, qui publica auctoritate id faciunt, ut patet ex textu Bullæ: ita *Ugolin. ibi* §. 1. *n.* 11. *Duard. quæst.* 10. *n.* 2. *Sayr. lib.* 3. *c.* 19. *n.* 6. *Reginal. lib.* 9. *n.* 356. *Navar. c.* 27. *n.* 71. *Suar. de censur. disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 78. Officiales autem, ut cursores, satellites &c. continentur in utraque excommunicatione, secundum magis communem, quia utuntur publica potestate, *Sayr. n.* 6. *Duard. quæst.* 28. *n.* 4. *Reginal. n.* 356.

Limita, ut non incurrant trahentes, vel procurantes trahi prædictas personas in casibus a jure canonico permissis, ut in causa feudi laici, ut *cap. Ceterum de judic. c. Verum de foro compet. Jul. Clarus §. Feudum quæst.* 90. *n.* 8. *Sayr. lib.* 3. *cap.* 19. *n.* 5. *Genuens. in praxi c.* 8. *n.* 4. Item in aliis casibus, quibus personæ ecclesiasticæ amisere privilegium fori, ut dixi *verbo Apostasia ab ordine*, & in aliis locis, seu criminibus.

Limita secundo, ut non incurrant trahentes ex speciali privilegio Papæ, non revocato; & multi dicunt, sufficere constantem famam talis privilegii cum consuetudine ab immemorabili, *Suarez. lib.* 4. *defen. lib. Eccles. c.* 34. *n.* 17. *& de censur. disput.* 21. *sect.* 2. *n.* 109. *Layman lib.* 4. *tract.* 9. *c.* 10. *n.* 2. *Tuscus verbo Judex n.* 46. *in fin. Gabriel. comm. concl. lib.* 5. *tit. de præscr. concl.* 1. *n.* 17. *&* 18. An autem talia privilegia censeantur per ultimas clausulas Bullæ Cœnæ revocata, multi affirmant, multi negant apud *Dian. resolut.* 6. *tract.* 2. *tom.* 2. *& resol. ult. tract.* 1. *tom.* 2. Sacra autem Rota tenet, esse revocata, ut *decis. n.* 24. *par.* 2. *posth. Farinac.* ubi latissime hæc materia tractatur & privilegia examinantur Regum, & Principum.

Ex *cap. Quoniam de immunit. eccles. in* 6. alia fertur excommunicatio contra eos, qui aliquem coram judice ecclesiastico suo competente litigare volentem cogunt ad litigandum in foro seculari; de qua re dixi *cap.* 7.

Item ex *cap.* 14. *Bullæ in Cœna Domini*, fertur excommunicatio contra laicos judices, avocantes ad suum tribunal causas spirituales, vel annexas a judicibus ecclesiasticis: de qua re dixi *dict. c.* 7.

Item ex *cap.* 19. *Bulla in Cœna Domini* fertur excommunicatio contra judices, & officiales procedantes personas ecclesiasticas, seu in causa criminali contra eas procedendo; de qua dicam *infra c.* 10.

Ex *Auth. Statuimus, cap. de Episc. et cleric.* quæ sumitur ab extravagante Friderici *de statu, & consuet.* §. *Item statuimus*, nullus ecclesiasticam personam in civili, vel criminali causa trahere ad judicium seculare præsumat contra canonicas, & imperiales Constitutiones: quod si secus fecerit, actor a jure suo cadat, judicatum non teneat, judex sit ex tunc judicandi potestate privatus.

Nota, quod prima illa pœna, scilicet amissionis causæ, seu juris secundum multos non est latæ sententiæ, per ea, quæ dixi supra *verbo Falsum cap.* 1. *& verbo Curia cap.* 8. sed hodie est certum, esse latæ sententiæ, ut dixi dicto *cap.* 8. secunda autem pœna privationis officiorum est latæ sententiæ, & ipso facto operatur, ut *Tiraquell. in leg. Si unquam verbo Revertatur n.* 141. *C. de revoc. donat. Barbos. de diction. verbo Ex tunc*, qui alios allegat.

Ecclesiastici ecclesiasticos trahentes ad tribunal laicum, varias pœnas incurrunt, de quibus dixi *dict. verbo Curia cap.* 8.

Item tam ecclesiastici, quam laici, trahentes ecclesiasticos ad tribunal laicale, statim atque aliquod decretum judicis, saltem citationis, obtinuerint contra ecclesiasticam personam ad hunc effectum; itemque ipsi judices decernentes, & officiales exequentes, videntur incurrere in excommunicationem latam in *cap.* 15. *Bullæ in Cœna Domini*, & in *cap. Noverit, & cap. Gravem de sent. excomm.* ut dixi *supra cap.* 4. quod si pars litigans via appellationis trahat collitigantem ad tribunal seculare ab ecclesiastico, incurrit in excommunicationem latam in *cap.* 14. *Bullæ in Cœna Domini*, de qua dixi *verbo Appellatio*.

Item laici principes, & judices exercere procurantes jurisdictionem in personas ecclesiasticas, si id faciant, æstimantes, se uti spirituali jurisdictione, aut spiritualem jurisdictionem posse in illo acquirere, aut se gerentes pro spirituali capite, incurrunt excommunicationem latam in *cap. Quoniam de immunit. ecclesiast. in* 6. *et in Tridentini sess.* 22. *c.* 11. *et in Bulla in Cœna Domini cap.* 17. contra usurpantes jurisdictionem ad ecclesiasticos pertinentem: de qua dixi *verbo Usurpatio*.

Communiter loquendo, laici superiores æstimant se sola jurisdictione laicali contra ecclesiasticos procedere: tamen pro foro externo præsumi possunt velle usurpare spiritualem jurisdictionem ex *dict. c. Quoniam*.

CA-

CAPUT X.

Jurisdictione laica abutentes, procedendo in personas ecclesiasticas ad capturam, vel pœnas corporales; et ad ea cooperantes, vel non impedientes.

Judices laici, & officiales, & alii quicunque se interponentes, aut immiscentes super captura, vel carceratione, vel inflictione pœnæ alicujus corporalis per contactum corporis, vel torturæ contra personam ecclesiasticam, incurrunt in excommunicationem latam in *cap. Si quis suadente 17. q. 4. et c. Nuper de sent. excomm.* quæ est Papæ reservata, ut dixi *verbo Injuria cap. 2.* & procedit etiam in carceratione facta sine corporis læsione, seu violentia, ut *dict. c. Nuper, et ibi Canonistæ*: item dicti judices incurrunt in alias censuras latas contra trahentes personas ecclesiasticas ad suum tribunal, de quibus dixi *cap. praeced.*

II. Item Episcopi, & Prælati cognoscentes suos clericos capi, vel carceratos esse a judice laico, & non impedientes, saltem per censurarum denuntiationem, aut aliter, prout de jure, incurrunt in excommunicationem eandem *c. Si quis suadente*, per *c. Quantæ, de sent. excommun. et cap. Dilecto, eodem tit. in 6. Gennens. in praxi cap. 6. n. ult. in fin. Bologn. in leg. Ut vim, n. 81. ff. de just. et jur.*

Imo secundum probabilem sententiam, omnes, qui impedire talia potuere, etiamsi ex officio impedire non tenerentur, si non impediant, incurrunt in eandem censuram Papæ reservatam, ex *cap. Si quis suadente*, ut *dict. c. Quantæ, et cap. Dilecto, & ibi Canonistæ* magis communiter tenent.

III. Ex Bulla 3. Urbani VI. quæ incipit, *Quia sicut*, fertur excommunicatio contra omnes Principes, Duces, Marchiones, Dominos terrarum, & officiales, & alios jurisdictionem laicam habentes, & consiliarios eorum, præsumentes bannire, aut proscribere personas ecclesiasticas: item contra mandantes, vel eorum nomine facta, rata habentes vel ad ea dantes auxilium, consilium, vel favorem: item fertur interdictum contra universitates, & communitates ea facientes, & contra civitates, & loca dictorum dominorum talia præsumentium, in quibus ea facta fuerint. Absolutionem autem earum censurarum idem Urbanus reservat Papæ, cum clausula, *non obstantibus*.

IV. Sed latius in Bulla Cœnæ Domini *cap.* 19. fertur excommunicatio, Papæ reservata, contra judices laicos, & officiales, seu notarios, scribas, executores, quomodocunque se interponentes in causis criminalibus contra personas ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illos proferendo, vel exequendo, sine speciali, seu expressa licentia Sedis Apostolicæ: item contra eos, qui licentiam hujusmodi ad casus non expressos extendunt, vel alias ea perperam abutuntur; etiamsi tales fuerint consiliarii, senatores, præsides, cancellarii, aut aliter nuncupati.

V. Ex *Auth. Statuimus, cap. de Episcopis, et Clericis*, pœnæ diversæ sunt latæ contra judices, & partes, trahentes aliquem ecclesiasticum ad suum forum seculare in causa civili, vel criminali, & consequenter contra laicos processantes personas ecclesiasticas in criminalibus causis, ut dixi *supra cap. 9.*

CAPUT XI.

Jurisdictione laica compellens partes actrices ad revocationem decretorum, sententiarum, seu litterarum judicum ecclesiasticorum, vel ad absolutionem a censuris, seu pœnis.

I. Ex *c. 14. Bulla in Cœna Domini*, excommunicantur laici judices, magistratus, cancellarii, & consiliarii quicunque, qui partes actrices, quæ causas beneficiales, & decimales, ac alias spirituales causas, & spiritualibus annexas auditoribus, & commissariis Apostolicis, aliisque judicibus ecclesiasticis committi fecerunt, vel committi faciunt, compellunt ad revocandum, & revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, a censuris, & pœnis in illis contentis, absolvi per statutum, vel alias.

Nota primo, quod dubium est, an hæc excommunicatio hic feratur solum ad tuenda acta judicum Apostolicorum, an vero etiam omnium judicum, ut dixi supra *cap. 7. in explicatione alterius partis ejusdem Canonis 14. Bullæ in Cœna Domini*: ubi etiam alias addidi declarationes, quæ pertinent etiam ad hanc partem.

Nota secundo, quod hic non excommunicatur compellens judicem ipsum ecclesiasticum ad revocanda sua acta, seu sententias: incurrit tamen iste in alias excommunicationes, de quibus dixi *cap. 4. cum seqq.* & *verbo Censura, cap. 21. & 22.*

An autem impediens usum passivum jurisdictionis ecclesiasticæ, ut supra, cogendo partem, incurrat in excommunicationem latam contra impedientes jurisdictionem ecclesiasticam ordinariam, de qua *supra cap. 5. & 6.* respondeo negative, ut *Graff. par. 1. lib. 4. cap. 18. n. 139.* quia jam judex functus est officio suo: secus tamen, si cogeret judicem ad revocationem actorum, *Bonac. q. 17. punct. 1. n. 2.*

Nota tertio, quod compellens, non incurrit hanc censuram, nisi effectu secuto; quia alias non dicitur ille compulisse, neque hic compulsus, qui vel non fecit revocari acta, vel saltem non præstitit assensum; sed dicitur conatus, & non coactu, seu compulsio, ut *Sanch. lib. 4. in decal. cap. 4. n. 19.* unde *Alterius hoc loco disp. 15. cap. 2. lib. 5.* ait, compellere, est aliquem invitum ad aliquid faciendum inducere; itaque requiritur effectus: sufficiet tamen assensus præstitus ad revocandum, quando compulsio fuit facta ad talem assensum extorquendum; quia hoc est objectum immediatum, & principale talis compulsionis.

II. Item compellentes partes actrices ad dictam revocationem actorum, seu decretorum fori ecclesiastici, per statutum, seu aliam ordinationem, incurrunt in censuras latas contra facientes ordinationes contra libertatem ecclesiasticam; quia sic saltem indirecte impediunt recursum ad tribunal ecclesiasticum, vel usum talis jurisdictionis: de quibus censuris dixi supra *cap. 4.*

CAPUT XII.

Jurisdictione laica, vel privata potestate, cogentes ad revocationem censurarum, vel absolutionem, aut impediens illarum observationem.

Vide *verbo Censura cap. 21. & 22.*

CAPUT XIII.

Jurisdictione laica, vel privata auctoritate, impedientes litteras, seu gratias a Sede Apostolica impetrari, vel pro negotiis ad Curiam Romanam accedi.

I. In *cap. Gravem de sent. excom.* fertur excommunicatio contra laicos, qui faciunt statuta pœnalia contra clericos, vel laicos, impetrantes litteras Apostolicas ad judicem ecclesiasticum contra laicum: & quamvis ille textus videatur loqui in casu particulari reipublicæ Pisanæ, & videatur esse excommunicatio sententiæ ferendæ, non latæ sententiæ; tamen sacra Ruta intelligit, esse excommunicationem latæ sententiæ, ut *decis. 10. n. 2. par. 2. posth. Farinac. & Cavaler. decis. 372. n. 1.* verum hodie tales statuentes, & alii cooperantes, incurrunt in excommunicationem latam in Bulla Cœnæ contra facientes statuta contra libertatem ecclesiasticam, ut dicam infra *verbo Leges c. 2.*

II. Item ex *c. 13. Bullæ Cœnæ Domini*, excommunicantur qui quomodolibet quibuscunque personis in genere, vel in specie præsumunt directe, vel indirecte prohibere, statuere, mandare, ne pro negotiis prosequendis, seu gratiis, vel litteris impetrandis, ad Romanam Curiam accedant, seu recursum habeant, seu gratias ipsas, vel litteras a Sede Apostolica impetrent, seu impetratis utantur, & qui eas apud se, aut notarios, aut alias quomodolibet retinere præsumunt.

Advertendum, quod hic excommunicantur, non solum qui publica auctoritate ea præstare impedimenta præsumunt, sed etiam propria privata potestate, & voluntate, ut *Navarr. cap. 27. n. 68. Duard. quæst. 9. n. 18. super dict. cap. 13. Bullæ, Bonac. punct. 3. n. 4. super eo cap.* & alii, quos allegavi *verbo Curia cap. 5.*

CAPUT XIV.

Jurisdictione ecclesiastica, vel laica, vel privata auctoritate, impedientes executionem litterarum, aut decretorum Apostolicorum, vel aliorum judicum Ecclesiasticorum, & ad eum effectum ad secularia tribunalia recurrentes.

I. EX Bulla Innoc. VIII. quæ est 17. *Officii nostri*, statutum est, ut si ii, contra quos commissæ fuerint causæ in Curia Romana, citationes, seu alia mandata gratiæ, vel justitiæ exequi impediant; vel procurent, ut adversarius renuntiet beneficio, aut alteri juri suo, aut pro tali impeditione ad curiam secularem recursum fecerit; causam perdant, & omne jus, quod in illa habebant; & efficiantur inhabiles ad beneficia sic renuntiata: alii vero, quos causa non tangit, si ad hæc cooperati fuerint, incurrant excommunicationem Papæ reservatam: notarii autem recusantes instrumenta executionum dare parti roganti, incurrant reatum perjurii, & executionem officii tabellionatus amittant, fiantque infames eo ipso, donec gratiam obtineant super pœnis hujusmodi.

Adverte, quod aliqui DD. dicunt, per hanc constitutionem recurrentes ad laicalia tribunalia incorrere privationem beneficiorum ipso facto, ut apud *Rotam decis.* 83. *n.* 1. *&* 2. *in collect. Rubei*, sed gratis dicitur, & nullibi id probari potest.

II. Ex Bulla Leonis X. quæ est Const. 30. *In supremi*, primo revocantur omnia privilegia Prælatis ecclesiasticis, & communitatibus locorum concessa de non exequendis litteris Apostolicis ante approbationem, seu placitum ipsorum: deinde prohibetur omnibus Episcopis, & Prælatis ecclesiasticis sub pœna excommunicationis Papæ reservatæ, & communitatibus locorum sub pœna interdicti Papæ reservati, ne præsumant impedire judices, notarios, tabelliones ab executione litterarum Apostolicarum: item præcipitur quibuscunque personis, etiam Regibus, Imperatoribus, & Episcopis, ne ad tale impedimentum consilium, auxilium, favoremve præstare præsumant, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Papæ reservatæ: item ut transgressores a dictis excommunicationibus in articulo mortis absolvi tantum possint, præstita satisfactione: item præcipitur communitatibus locorum, ne tales inobedientes, seu transgressores recipiant; alias ea loca incurrant interdictum eo ipso, donec illi ibi permanserint, & triduo post discessum eorum, si nondum extiterint absoluti: item excommunicatio, & interdictum profertur latæ sententiæ contra ecclesiasticos, qui statuta synodalia, vel provincialia, quibus tale impedimentum decernitur, non delent, & absolutio Papæ reservatur. De hac Bulla vide *Rebuff. super Bulla in Cœna Domini c.* 9. *Marium. Alterium tom.* 1. *disp.* 14. *lib.* 5. *cap.* 2. *col.* 5.

Adverte, quod ait, non posse reum absolvi in articulo mortis, nisi prævia satisfactione, intelligendum, si satisfacere possit; & sufficiet cautio idonea, si eam præstare possit, alias sufficiet juratoria, *Sanchez lib.* 2. *in decal. c.* 20. *n.* 19. & multos allegat *Diana resol.* 24. *miscell.* 2. *tom.* 1.

Adverte etiam, quod licet in actione principali non contineantur, nisi publicæ personæ, idest Prælati, & communitates, tamen quod attinet ad cooperantes, continet etiam privatas personas.

III. Ex *Bulla in Cœna Domini cap.* 14. excommunicantur ii, qui impediunt quomodolibet executionem litterarum Apostolicarum, seu executorialium, processuum, & decretorum prædictorum (scilicet Sedis Apostolicæ, seu Auditorum, & commissariorum Papæ, & aliorum Judicum Ecclesiasticorum) circa causas spirituales, vel spiritualibus annexas, vel suum ad id favorem, consilium, vel assensum præstant, etiamsi prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsi ad Summum Pontificem informandum (ut dicunt) supplicaverint, nisi supplicationes hujusmodi coram eodem Pontifice, & Sede Apostolica legitime prosequantur, etiamsi talia committentes fuerint præsides, cancellarii, consiliarii quorumcunque parlamentorum, aut Principum, etiam Regum, & Imperatorum, vel Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarii, seu Vicarii.

Advertendum primo, quod magis communis sententia tenet, hoc loco non solum agi de impedientibus executionem litterarum, & decretorum Apostolicæ Sedis, vel judicum Sedis Apostolicæ, sed aliorum quorumcunque judicum ecclesiasticorum in causis spiritualibus, vel annexis propter particulam illam, *aliisque Judicibus*, quæ in principio in *eodem cap.* 14. *Bullæ* apposita est: ita tenet *Sousa ibid. n.* 1. *Duard. quæst.* 7. *n.* 1. *Filiuc. tract.* 17. *n.* 250. *Diana resolut.* 55. *tract.* 1. *tom.* 2. contra *Ugolin. & Alterium*, quos sequitur *Bonac. quæst.* 15. *punct.* 1. *n.* 7.

Advertendum secundo, quod hic textus quoad principales delinquentes, seu impedientes, procedit solum contra eos, qui auctoritative id faciunt, idest sua publica potestate, seu jurisdictione laica; non autem si privata potestate, vel ecclesiastica utantur, quia solum loquitur contra laicos officiales: ita *Suar. de censuris disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 75. *Ugolin. hic cap.* 14. §. 1. *versic. Quæ excommunicatio*, *Navarr. cap.* 27. *n.* 71. *Sayr. lib.* 3. *cap.* 18. *n.* 2. *&* 5. *Filiuc. tract.* 16. *n.* 245. est communis.

Advertendum tertio, quoad actiones secundarias, seu cooperationes per favorem, consilium, & assensum, Doctores magis communiter asserere, intelligendum hunc textum de ea facientibus sua publica laicali potestate, ut si sint judices, vel consiliarii, vel cancellarii &c. ita *Suar. n.* 76. *Sayr. n.* 2. *Filiuc. n.* 245. *Bonac. disput.* 15. *punct.* 1. *n.* 25. *&* 26. & facit illa particula, quæ statim additur in textu, *etiamsi prætextu violentiæ prohibendæ*: quæ verba conveniunt personis publicis, non privatis: est contra aliquos, quos allegat ibi *Bonac. n.* 26. qui putant, ibi contineri etiam privata auctoritate facientes, & partes actrices instantes pro tali impeditione, vel reos consentientes: quæ sententia est probabilis: sed etiam, stante priori sententia, partes, & alii ad impedimentum præfatum cooperantes, incurrunt in alias excommunicationes latas in jure communi, & in Bulla Cœnæ: de quibus dixi supra *cap.* 4. *& seqq.*

IV. Ex *Bulla in Cœna Domini cap.* 13. excommunicantur omnes tam ecclesiastici, quam seculares, qui appellant, vel alias recurrunt ad Curiam secularem a futura executione litterarum gratiæ, vel justitiæ, vel quorumcunque decretorum, quæ a Papa, & Sede Apostolica, Legatis, Nunciis, Præsidibus palatii Papæ, & auditoribus, & commissariis Cameræ Apostolicæ, aliisque judicibus, & Delegatis Apostolicis emanaverint; & a laica potestate, instante etiam Fisci procuratore, vel advocato, appellationes hujusmodi admitti, ac *litteras*, seu decreta præfata capi, & retineri faciunt: item qui illa impediunt, vel prohibent exequutioni mandari *simpliciter*, vel nisi cum suo beneplacitu, vel examine; aut prohibent, seu impediunt notarios super tali exequutione instrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cujus interest, tradi: item qui partes, seu eorum agentes, consanguineos, affines, familiares, notarios, executores, subexecutores litterarum, & decretorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, vel detinent, aut a civitatibus, locis, aut regnis ejiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, vel comminantur per se, vel per alios publice, vel occulte.

Nota, quod procedit ista excommunicatio contra appellantes, seu recurrentes, etiamsi appellatio non fuerit admissa a laica potestate, *Filiuc. tract.* 16. *n.* 199. *Bonac. quæst.* 14. *pun.* 1. *n. ult.*

Nota secundo, quod procedit contra aliter etiam impedientes executionem litterarum Apostolicarum, seu decretorum, ut supra, sive impedimentum præstetur publica, vel privata potestate, secundum magis communem, quam tenent *Navarr. Vivald. Ugol. Sousa*, *Alter. Duard. super eo cap. Bullæ*: nihilominus contraria verior videtur; quia textus solum loquitur de procurantibus, seu causantibus ea impedimenta publica potestate, seu publicæ potestatis auxilio: ita tenet *Sayr. lib.* 3. *c.* 17. *n.* 6. *Graff. lib.* 4. *c.* 18. *n.* 107. *Filiuc. n.* 202. & probabilem ait *Bonac. punct.* 2. *n.* 10.

☞ *Ex Constit. Julii III.* Rationi congruit 22. *Feb.* 1550. *infligitur etiam excommunicatio Papæ reservata in quomodolibet impedientes executionem litterarum Sac. Pœnitentiariæ, sicuti & ad id auxilium, ac consilium dantes.*

CA-

CAPUT XV.

Jurisdictionem, seu cognitionem in causis Sancti Officii usurpantes magistratus temporales, vel impedientes.

Vide *verbo Inquisitio cap.* 1.

CAPUT XVI.

Jurisdictionem, seu cognitionem in causis Sancti Officii usurpantes, vel impedientes Superiores Regularium.

Vide *verbo Hæresis cap.* 7.

CAPUT XVII.

Jurisdictionem Sancti Officii impedientes per violentiam.

Vide *verbo Inquisitio cap.* 3.

CAPUT XVIII.

Jurisdictionem ecclesiasticam, vel laicam ad ecclesiasticos, vel pia loca pertinentem usurpantes, & alii huic usurpationi consentientes.

IN *cap.* 17. *Bullæ in Cœna Domini* fertur excommunicatio Papæ reservata contra usurpantes jurisdictionem quamcunque, pertinentem ad Sedem Apostolicem, vel ad ecclesiasticas personas, ratione Ecclesiarum, monasteriorum, vel beneficiorum ecclesiasticorum, de qua dixi *verbo Usurpatio cap.* 3.

Item in *cap.* 20. *Bullæ in Cœna Domini* excommunicantur usurpare præsumentes jure, & jurisdictionem supremam alicubi ed Ecclesiam Romanam pertinentie, vel ad id euxilium, consilium, vel favorem præstantes, vide *verbo Romana Ecclesia*.

In *cap.* 11. *Trident. sess.* 22. *de reform.* fertur excommunicatio Papæ reservata, & aliæ pœnæ contra usurpantes jurisdictionem Ecclesiarum, eut piorum locorum, & contra clericos usurpationi consentientes, de qua re dixi *verbo Usurpatio cap.* 3.

CAPUT XIX.

Jurisdictionem usurpantes in exemptos ab ordinaria jurisdictione, & exempti usurpationi consentientes.

I. SI Ordinarius ecclesiasticus usurpare contendat jurisdictionem in exemptos, v. g. Regulares, aut alios Sedi Apostolicæ immediete subjectos, primo incurrit excommunicationes contra usurpantes jurisdictionem ecclesiasticam, latas in Tridentino, & Bulla Cœnæ Domini, de quibus dixi *cap. præcedenti*: & in Tridentino continentur etiam usurpationi consentientes: secundo juxta aliquos Doctores incurrit in excommunicationem latam in Bulla in Cœna Domini, *cap.* 20. contra occupare, eut detinere præsumentes jura ad Romanam Ecclesiam pertinentia, vel supremam jurisdictionem Romanæ Ecclesiæ competentem, aut illam perturbare, aut vexere, aut in his euxilium, consilium, vel favorem præstantes; unde etiam incurrunt in hanc pœnam ipsi exempti, usurpationi consentientes, secundum eosdem Auctores: ite tenet *Erasm. Cokier. tract. de jurisd. in exemptos par.* 4. *quæst.* 4. *quæst.* 75. *n.* 1. & 7. sed contra est, quie communiter Doctores intelligunt, in *dict. cap.* 20. agi de usurpatione juris, & jurisdictionis temporalis ed Romanam Ecclesiam elicubi pertinentis: ita *Sayr. lib.* 3. *cap.* 24. *n.* 5. *Suar. de censur. dis.* 21. *sect.* 2. *n.* 104. & de communi testatur *Bonac. quæst.* 21. *punct.* 1. *n.* 15.

Illud verius est, quod religiosi Prælati, seu officiales consentientes usurpationi jurisdictionis in exemptos, seu subjectioni illi; itemque Prælati usurpantes talem jurisdictionem, incurrunt in *Extravag. Ambitiosa*, de quibus dixi *verbo Alienatio cap.* 1. quia hæc renuntiatio exemptionis est alienatio prohibita rei ecclesiasticæ, *cap. Cum tempore de arbitris, ibi Host. & Abbas n.* 3. & quia hoc jus repotatur inter immobilia, per *d. cap. & gloss. in c.* 2. *verbo jura, de rebus Eccles. non alien. in* 6. & *text. in c. Nulli, extra eod. tit. & ibi Imola, & Redoan. eod. tract. tit. de alienat. redituum, & jurium n.* 22. & telis renuntietio est magni momenti, *dict. c. Si diligenti, de foro compet.*

Adveriendum est tamen, quod exemptio a jurisdictione Ordinarii amittitur præscriptione quadraginta annorum; dummodo intervenerit scientia, & patientia superioris, cui exemptus subjiciebatur, & ejus, in cujus favorem principaliter hoc privilegium erat concessum; ita ut non sufficiat scientia substituti, seu officialis, *Cokier. de jurisd. Ordin. in exemptos par.* 3. *quæst.* 12. *n.* 1. 2. & 3. *cum ibi alleg.* imo quando exempti subjiciantur immediete Papæ, non potest præscribi eb Ordinario contra hoc privilegium, nisi spatio centum annorum, *Cokier. ibi n.* 6. imo si in privilegio Apostolico exemptionis adest clausula irritans, nullo tempore poterit præscribi, *Cokier. ibi n.* 11. *vers. Fallit autem.*

CAPUT XX.

Jurisdictionalia loca quæcunque Ecclesiarum, vel piorum locorum alienantes.

Vide *verbo Alienatio cap.* 4.

CAPUT I.

Legatos Sedis Apostolicæ impediens, vel offendens.

I. IN *Extravag. un. de consuet.* contra eos, qui de cetero impedire præsumpserint Legatos, aut Nuncios, quos ad quascunque partes Sedes Apostolica transmiserit, fertur sententia excommunicationis eo ipso incurrendæ: & contra regna, terras, & loca quælibet subjecta dominis, impedientibus hujusmodi Legatorum, seu Nunciorum officium, fertur sententie interdicti ipso facto incurrendi, tandiu duraturi, quandiu domini prædicti in contumacia perstiterint, non obstantibus quibuscunque indultis, & privilegiis, etiam Imperatoribus, aut Regibus concessis in quacunque verborum forma.

Amplia, ut procedat non solum contra impedientem Legatos, & Nuncios, quominus accedant ed ejusdem terram, missos pro tali officio, sed etiam quominus illac transeant alio missos, *Suar. disp.* 23. *de censur. sect.* 6. *n.* 4. *Toletus lib.* 1. *c.* 25. §. *Undecima, Marius tom.* 1. *disp.* 12. *lib.* 5. *c.* 8.

Amplia secundo, ut neque sit licitum Principibus, vel Magistratibus discutere facultates, & potestates Nuncii Apostolici, sed solis judicibus ecclesiasticis, ut apud *Dianam resol.* 67. *tract.* 2. *de immun. tom.* 1. ubi plures allegat. Verum est, quod tenetur Legatus ostendere Principi litteras legationis. Sed quamvis Princeps non teneatur Legatum Papæ admittere, nisi probet legationem per ostensionem litterarum, hoc fallit in Legato e latere, eut elio nobilissimo, & noto Principi, ad quem mittitur, ut de communi testatur *Mascard. verbo Ambassiatores, concl.* 84. *n.* 2.

Limita primo, ut non teneatur Princeps admitttere Legetum Papæ cum probabili periculo sui status, ut *Mascard. ibid. n.* 1.

Limita secundo, quod hæc excommunicatio non est hic reservata.

II. Sed ejiciens Legatum, vel Nuncium Papæ, jam receptum ad aliquod territorium destinatum pro munere legationis exercendo, incurrit in excommunicationem latam in Bulla Cœnæ Domini *cap.* 11. non tamen illem incurrit impediens transitum, vel non admittens, *Navarr. c.* 27. *n.* 149. *Tolet. lib.* 1. *c.* 25. §. *Undecima, Filiucc. tract.* 16. *n.* 238. *Bonac. super eo c.* 11. *quæst.* 12. *punct.* 1. *n.* 7. nisi id feciat carcerando, vel detinendo, vel percutiendo, vel occidendo, aut mutilando, aut hostiliter persequendo, ut patet ex eodem textu: & de hac vide *verb. Injuria cap.* 5.

III. Nihilominus impediens Legatos, seu Nuncios, non edmittendo ed locum destinatum, vel non concedendo transitum, incurreret in excommunicationem latam in *cap.* 16. Bullæ in Cœna Domini, contra impedientes Prælatos, ne sua jurisdictione ecclesiastica ordinaria utantur, si teles erant Legeti, seu Nuncii destiueri ad regimen alicujus territorii, seu regni; quia isti habent ordineriam jurisdictionem, *c. Legatus de officio legati in* 6. secus, si solum ad negotium extraordinarie essent missi, quia ibi non sunt judices ordina-

 rii,

rii, ut *Abb. in rub. de offic. leg. Azor. tom. 2. lib. 5. c. 27. q. 5. Laym. lib. 1. tract. 4. c. 7. n. 21.* de hac excommunicatione vide *verbo Jurisdictio cap. 5.*

Qualem jurisdictionem habeant Legati a latere, dixi *part. 1. cap. 34.*

CAPUT I.

Legenda a Regularibus in publica mensa, vel capitulo.

I. DEcretum Clemen. VIII. *de largitione munerum prohibit. religiosis*, quotannis legendum, ut dixi *verbo Munera cap.* 10. & quidem ex ipsa Constitutione Clem. nulla erat pœna latæ sententiæ contra superiores negligentes; sed hodie ex Bulla S. D. N. Urbani VIII. est apposita, ut dixi *verb. Munera c. 10. in fin.*

II. Decretum Sacræ Congregationis Concilii *de celebratione Missarum*, editum *anno* 1625. *die* 21. *Junii*, legendum est a Regularibus in publica mensa sexto quoquo mense, idest feria secunda post primam Dominicam Adventus, & feria sexta post octavam Corporis Christi: alias superiores, qui legi non fecerint, incurrunt pœnam privationis officiorum, & vocis activæ, & passivæ.

☞ *Dictum decretum confirmatum fuit ab Innoc. XII. ut in Additione ad c. 1. verbo* Missa. ☜

III. Ex decreto Sacræ Congregationis generalis Inquisitionis coram SS. D. N. Urbano VIII. *Anno* 1633. *die 7. mensis Julii*, superiores cujuscunque Ordinis, Congregationis, Societatis regularis, aut cujusvis alterius instituti, quantumvis exempti, & privilegiati, tenentur perpetuo semel in anno tempore determinato, in publica mensa, vel in capitulo, ad hoc specialiter convocato, & insuper in quocunque generali, vel provinciali capitulo, seu conventu, suos subditos admonere de injuncta omnibus observantia, & executione Constitutionum, & decretorum Apostolicorum ad Sanctum Officium pertinentium; & præsertim eorum, de quibus in dicto decreto fit expressa mentio; alias superiores negligentes commonere, incurrunt in pœnam privationis officiorum, & vocis activæ, & passivæ.

IV. Ex decreto Sacræ Congregationis Concilii, bis in anno legendum est in publica mensa decretum ejusdem Sacræ Congregationis de apostatis, & ejectis, (quod est *n. 26. inter Constit. Urbani VIII. in Bullario*) cum alio decreto Clemen. VIII. ibi annexo: sed nulla pœna est circa hanc partem apposita latæ sententiæ.

☞ *Item semel in anno, idest Kalen. Martii legenda est in publica mensa vel in capitulo, ad hoc specialiter convocato, Constitutio Alex. VII.* Licet alias 8. *Jul.* 1660. *de obligatione denuntiandi hæreticos, vel de hæresi leviter suspectos, in terminis, & sub pœnis, ut in Additione post Cap. VIII. verbo Hæresis num.* 4. p. 143

Item legendum est semel in anno feria VI. post Octavam Assumpt. B. Virg. in locis, ut supra, ac insuper in quocumque generali, vel provinciali capitulari congressu, juxta præscriptum Congreg. generalis Inquisitionis sub die 15. Decem. 1633. de legendis aliis pontificiis Constit. Decretum ejusdem Congreg. confirmatum a Bened. XIV. 5. Aug. 1745. contra sacerdotes tam seculares, quam regulares cujuscunque instituti, congregationis, et societatis, etiam de necessitate exprimendæ, abutentes sacrificio Missæ ad sortilegia, vel in actu sacramentalis confessionis, sive illius occasione, aut prætextu, ad turpia solicitantes: ex quo decreto præter pœnas a jure, & Apostol. Constitutionibus, & signanter a Sixto V. & Greg. XV. contra eosdem inflictas, incurrunt perpetuam inhabilitatem ad præfati sacrificii celebrationem.

Item de mandato S. Cong. super Disciplina regulari sub die 15. Martii 1758. bis etiam in anno legenda est in publica mensa ipsius epistola encyclica ad Procuratores generales omnium regularium Ordinum transmissa, super catechismo circa doctrinam christianam quolibet die dominico explicando Operariis conversis, & præsertim in respicientibus regulas, & votum paupertatis.

CAPUT I.

Legum, & consuetudinum iniquarum observationem jurantes, vel jurari facientes.

Vide *verbo Juramentum.*

CAPUT II.

Leges, vel statuta, vel ordinationes facientes contra ecclesiasticam libertatem, & cooperantes.

I. LEges, statuta, decreta, ordinationes &c. contra libertatem ecclesiasticam, sunt ipso jure nulla, *cap. Ecclesia, cap. Quæ in ecclesiarum de constit. c. Noverit, c. Gravem de sent. excomm. c. ult. de immunit. Eccles. in 6. & Cod. de sacros. Eccles. Auth. Cassa.*

Dicitur autem ordinatio esse contra libertatem ecclesiasticam, quando per eam laici contra ecclesiasticos fiunt audaciores, & ecclesiastici timidiores, *Bart. & Angel. in leg. 1. §. Qui onerandæ ff. quarum rerum act. non detur, Abb. in dicto c. Noverit, Felinus in c. Ecclesia, num. 99. de const.* seu, ut alii explicant, quando tali ordinatione derogatur juri communi, vel privilegio Ecclesiarum, ut *dicto c. Ecclesia, & ibi Canonistæ, Suar. de censur. disput. 21. sect. 2. n. 93.* ut cum superior laicus statuit aliquid de re, aut persona ecclesiastica, aut onera imponit ecclesiasticis, aut in illos, aut Ecclesias aliter suam jurisdictionem extendit, sive ea præjudicia directe, sive indirecte inferat per illam ordinationem, vide *Suar. de legib. lib. 3. cap. 34. n. 3. Tolet. lib. 1. cap. 38. Layman lib. 4. tract. 9. cap. 9. n. 3. Canonistas in dict. c. Ecclesia, & in aliis juribus supra cit.* Et probabilius est, etiam dici contra libertatem Ecclesiæ ordinationem illam, qua Ecclesiis, seu ecclesiasticis præjudicatur in iis, quæ illis competunt, vel jure gentium, vel naturali, etiamsi non ut corpori spirituali, sed ut comparti reipublicæ temporalis, seu ratione convictus politici, ita *Cardin. in cap. Adversus §. Ceterum n. 4. de immunit. Eccles. Sayr. lib. 3. c. 34. n. 17. Lapus alleg. 92. n. 3. Tolet. lib. 1. c. 37. §. Libertas, Suar. disp. 21. de censur. sect. 2. n. 93. Vivald. super cap. 18. Bullæ n. 8.*

Non est tamen proprie contra libertatem Ecclesiæ, *quando* derogatur privilegio particulari, seu juri alicujus Ecclesiæ, ut *Suar. disp. 21. sect. 2. Navarr. cap. 27. n. 119. Sayr. lib. 3. c. 19. n. 9. Ugolin. super c. 15. Bullæ Cœnæ Domini §. 4. versu 7.* tamen etiam tunc videtur, esse statutum contra libertatem ecclesiasticam, quatenus usurpatur jurisdictio contra res, vel personas ecclesiasticas, ut *Diana resol. 60. tract. 2. tom. 1.* cum multis per eum adductis.

II. *Cap. Noverit 49. de sent. excommun.* excommunicatio est latæ sententiæ contra eos, qui fecerint servari statuta, vel consuetudines introductas contra ecclesiasticam libertatem, nisi ea de capitularibus, seu libris statutorum fecerint amoveri, hanc autem particulam *nisi ea &c.* DD. magis communiter intelligunt disjunctive, idest, & contra eos, qui ea statuta non delent, ita ut alterutra actio sufficiat ad incurrendam hanc excommunicationem: ita multi, quos allegat, & sequitur *Sayrus de censur. lib. 3. c. 34. n. 5.* ubi ait, esse magis communem, & tenet *Toletus lib. 1. cap. 37. §. Septima, Abb. in eod. c. Noverit, & Felinc. tract. 14. n. 266.* est contra Cajet. *verb. Excommun. c. 31. Armill. verb. Excommun. num. 31. Suar. loco inf. cit. n. 80. & 81. Navarr. c. 27. n. 119.*

Item contra scriptores, & statutarios talium statutorum: item contra consules, potestates, rectores, consiliarios locorum, ubi talia statuta, aut consuetudines edita fuerint, vel servata: item contra eos, qui secundum illa præsumpserint judicare, aut in publicam formam scribere judicata. Hæc excommunicatio non est ex hoc textu reservata, ut *Suarez de censur. disput. 21. sect. 2. n. 79. Tolet. lib. 1. cap. 37. §. Septima.*

Quod autem hic dicitur de officialibus locorum, ubi statuta edita fuerint, vel servata, intelligunt *DD. ibi*, quando ipsi non contradixerunt, de qua re vide quæ dixi *par. 1. cap. ult.*

Nota ex *gloss. hic verbo Infra duos menses*, quod licet textus det terminum, ad delenda dicta statuta duorum mensium, hodie tamen non procedit, quia intelligitur illa dilatio solum quoad edita ante hanc Constitutionem: ita *Suar. n. 80. & hic Canonistæ* communiter, *Tolet. loc. cit.*

Similis excommunicatio habetur in *c. Gravem de sent. excom-*

communis. quæ quamvis ibi videatur esse sententia promulgaturia, tamen Doctores eam intelligunt esse declaratoriam, seu Canonem latæ sententiæ, ut *Genuens. in praxi c.* 16. *n.* 1. *Rota decis.* 10. *pars.* 2. *posth. Farin. n.* 2.

Sed limita, quod ista jura ferunt excommunicationem contra violantes libertatem ecclesiasticam per viam legum, statutorum, edictorum, aut consuetudinum, (aut sententiarum vi dictarum legum, seu præceptorum generalium latorum) non autem habet locum in præceptis particularibus contra libertatem ecclesiasticam factis, quia loquuntur tanquam de jure permanenti: ita *Navarr. cap.* 27. *n.* 119. §. *Declaratio prima*, *Cajet. verbo Excomm. casu* 31. *Tolet. lib.* 1. *c.* 37. §. *Septima habetur*, *Marius Alterius lib.* 5. *disput.* 16. *c.* 4. *volum. ult. in fin. Rota dict. decis.* 10. *n.* 2. *Soccin. in d. cap. Noverit n.* 5.

Ex *cap.* 15. *Bullæ in Cœna Domini*, excommunicantur qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quævis alia decreta, in genere, vel in specie, ex quavis causa, & quovis colore, etiam prætextu cujusvis consuetudinis, aut privilegii, vel alias quomodolibet fecerint, ordinaverint, publicaverint, vel factis, & ordinariis usi fuerint, unde libertas ecclesiastica tollitur, aut in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quovis modo restringitur, seu Summi Pontificis, & Sanctæ Sedis Apostolicæ, & quarumcumque Ecclesiarum juribus quomodolibet directe, vel indirecte, tacite, vel expresse præjudicatur. Et ex §. *Declarantes* ejusdem Bullæ nulla absolutio eis suffragatur; nisi prius dicta statuta, seu decreta, seu ordinationes publice revocaverint, & de capitularibus cassaverint, & de tali revocatione, & cassatione Papam certioraverint.

Nota, quod excommunicatio procedit solum de legibus, statutis, & præceptis generalibus, seu permanentibus; *Navarr. c.* 27. *n.* 119. unde decreta in specie hic intelligenda, quæ sunt de aliqua speciali materia, vel expresse de personis ecclesiasticis, ut *Ugolin.* §. 3. *vers.* 4. *Bonacin. quæst.* 16. *sect.* 2. *punct.* 1. *n.* 2. & 37. contra aliquos, qui putant, etiam contineri decreta specialia, seu præcepta particularia, ut *Filiuccius n.* 267. & *Duard. quæst.* 22.

Nota secundo, quod incurrunt in hanc censuram, qui utuntur talibus statutis, seu ordinationibus; aut judices secundum ea judicantes, aut procedentes, aut publicani exigentes, ut *Sayr. lib.* 3. *c.* 19. *n.* 10. *Duard. quæst.* 24. *n.* 1. *super hoc c.* 15. *Bulla*, *Alterius c.* 3. *column.* 8. *Filiucc. tract.* 16. *n.* 268.

Nota tertio, quod continentur hic statuta, & ordinationes, quæ sunt contra jura, seu privilegia particularia alicujus Ecclesiæ, etiamsi eo casu non dicantur contra ecclesiasticam libertatem, & ideo non contineantur in *c. Noverit supra citat.* ita *Ugolin.* §. 6. *Sayr. lib.* 3. *c.* 19. *n.* 9. *Duard. quæst.* 26. *n.* 1. *Bonac. n.* 40. *Suar. disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 90. *in fin.*

Nota quarto, quod hic continentur etiam ecclesiastici Prælati, statuentes contra libertatem Ecclesiæ, sua ecclesiastica potestate, aut statuentes contra jura Ecclesiarum, ut *Sylv. immun.* 2. §. 7. *versu* 9. *quæritur*, *Marius c.* 3. *column.* 1. *in fin.* quamvis alii putent, hic solum agi de laica potestate, *Navarr. c.* 27. *n.* 71. *vers. Prima declaratio*, *Vivald. in candelab. super hoc cap.* 15. *in fin.*

Nota ultimo, quod hic non continentur consuetudines, nisi quibus corroborentur statuta, & ordinationes prædictæ; ita *Suar. n.* 86.

III. In *Auth. Cassa C. de Sacros. Eccles.* statuitur, ut qui per annum contumaces fuerint in non revocandis statutis contra ecclesiasticam libertatem factis, de capitularibus delendo, bona eorum impune per totum Imperium ab omnibus occupentur: requiritur tamen declaratoria, ut dixi *verbo Assassinium*, & *p.* 1. *c.* 38. & *Auth. Item quæcunque*, *C. de Episc. & Cleric.* si quis per annum obsorduerit in excommunicatione incursa ob præfatam violationem libertatis Ecclesiæ, incurrit bannum imperiale, a quo non extrahitur, nisi absolutione ecclesiastica præcedente a censura. Hæc autem pœna banni imperialis personalis, operatur, ut reus sit privatus omni juris beneficio, & conversatione civium Romanorum; sed non ideo est infamis, nisi infamia facti: ita *Baldus in dict. Auth. Item quicunque cum Guil. & Jaco. Butrig.* requiritur tamen declaratoria, ut dixi.

IV. In *eadem Authent. Cassa*, statutarii, & scriptores, & judicantes secundum statuta contra libertatem ecclesiasticam, sunt ipso jure infames, & privati ipso facto omni jurisdictione; unde eorum actus sunt nulli.

Limita, quod supradictæ pœnæ extravag. Friderici de stat. & consuet. de quibus in dictis Auth. procedunt solum pro statutis conditis contra privilegia concessa Ecclesiis per Constitutiones Papæ, vel Imperatoris, ut *Baldus in leg. Privilegia n.* 1. *C. de Sacros. Eccles. Salic. n.* 3.

V. In *cap. Gravem de sent. excommun.* statuentes contra ecclesiasticam libertatem, si contumaces existant, privantur feudis, quæ ab Ecclesia tenent, propter felloniam, seu ingratitudinem: & hanc pœnam esse latæ sententiæ, ut solum indigeat declaratione, tenet *Abb. in cap. Gravem n.* 4. *de sent. excommun.* neque illa recuperabit per absolutionem a censura, *Gaffr. & Cardin. in dict. c. Gravem n.* 4.

CAPUT I.

Lenocinium.

I. DE lenocinii crimine condemnatus in judicio, est infamis ipso jure; quia est publicum judicium legis Juliæ, de adulteriis, *leg. Marit.* §. *Plectitur ff. ad leg. Jul. de Adulter.* ita *Menoch. de Arbitr. casu* 534. *n.* 45. *Farinacc. q.* 143. *n.* 13. qui ampliant, procedere tam de jure civili, quam de jure canonico.

Imo lenocinium exercens, idest non semel, aut iterum, est ipso facto, & ipso jure infamis ante omnem sententiam condemnatoriam, *leg.* 1. *ff. de his, qui not. infam. leg. Palam ff. de ritu nupt.* ita distinguunt Doctores, ut *gloss. in leg. Athletas*, *vers. Ait Prætor ff. de his, qui not. infam. Mascard. de prob. verb. Testis*, *concl.* 1362. *num.* 22.

II. Omnia pacta, & conventiones, & contractus initi inter lenones, & mulieres, quæstus causa prostitutas, sunt nulla ipso jure, nec possunt lenones repetere, si quid ob eam rem mulieribus eisdem dedere, *Auth. De lenonibus* §. *Sancimus*, & §. *Præconizamus*, *ibi gloss. verbo Fidejussor*, *Menoch. casu* 534. *n.* 59. *Farinacc. quæst.* 143. *n.* 14. quia ob turpem causam data sunt.

III. Domi suæ receptans lenonem, vel ei domum locans, permittens ibi lenocinium exerceri, perdit domum, *dict. Auth. De lenonibus* §. *Præconizamus*, *Farinac. num.* 29. sed non obligat hæc pœna ante declaratoriam.

IV. Pater prostituens filiam, aut dominus ancillam, aut aliter peccandi necessitatem illis imponens, privatur patria, seu dominica potestate; nam jura concedunt eis ita oppressis facultatem recurrendi ad judicem secularem, vel ecclesiasticum, idest Episcopum, qui eas liberet a tali necessitate, cogendo scilicet eos ad emancipationem, & manumissionem, *leg. Si lenones*, *C. de spectac. & lenonen. lib.* 11. *ibi Joan. de Platea*, & *Farinacc. quæst.* 144. *n.* 53. & poterit filia eo casu implorare officium judicis, ut sibi decernantur alimenta, ut *Jo. de Platea*, *ibi n.* 1. item pater in tali casu amittit usumfructum adventionum in bonis filiæ, ut *Jo. de Platea n.* 4. *Farinacc. n.* 54. & quamvis hæ pœnæ non sint latæ sententiæ, sed ferendæ, habent tamen vim latæ sententiæ, quia tribuunt actionem parti læsæ: facit *leg. Qui actionem*, *ff. de regular. jur.*

V. Leno quibus casibus efficitur infamis, ut supra dictum est, iis etiam irregularitatem incurrit, *Majol. lib.* 5. *c.* 41. *n.* 3. *Menoch. de Arbitr. casu* 534. *Farin. quæst.* 144. *n.* 75. quæ irregularitas est ex delicto: sed aliam irregularitatem incurrit leno ex defectu, idest, ex bigamia, scilicet si maritus, cognito adulterio uxoris, cum ea carnaliter copuletur, *cap. Si cujus*, *cap. Laici uxor.* 84. *dist. Sanchez lib.* 7. *de matrim. disput.* 84. *n.* 15. ad hanc autem irregularitatem nulla requiritur sententia, etiam declaratoria.

Limita modo prædictam pœnam infamiæ, primo numero positam, non procedere, nisi delictum fuerit consummatum, idest secuta fornicatione: alias enim dicitur crimen extraordinarium, & non legis Juliæ, *leg.* 1. §. 1. *ff. de var. & extr. crim. Farinac. n.* 33. pœnæ tamen *n.* 2. & 4. positæ, non requirunt delictum consummatum.

Limita secundo, quod maritus quidem lenocinii reus fit, & infamis efficitur, etiam per unum actum, etiamsi non ob quæstum: si vero fuerit extraneus, non dicitur proprie leno, nec incidit in *leg. Juliam*, nec fit infamis, nisi aut ex consuetudine lenocinatus fit, etiamsi non causa quæstus, nempe saltem ter sic agendo, vel semel quæstus gratia: ita *Menoch. de arbitr. casu* 534. *n.* 49. *Farinac. quæst.* 144. *n.* 35. *cum seqq.*

☞ *Pro uberiori notitia, placet hic referre alias pœnas, tam canonicas, quam temporales a Conciliis, & Romanis Pontificibus inflictas contra lenocinii reos, seu cooperantes alienæ libidini exercendæ.*

I.

I. Itaque, si sint mariti, qui consentiant adulterio uxorum (quod quidem æquiparatur lenocinio) ex Concilio Illiberitano can. 70. relato a Gonzalez lib. 5. cap. Si vir 3. de adult. *arcendi erant in morte a communione, nisi eas reliquissent, & decem annis pœnitentiam egissent, utpote rei, & illarum peccati participes, juxta phrasim Concilii Arelatensis, relati in cit. cap.* Si vir : *ex Constit. vero Sixti V.* Ad compescendum *30. Octob. 1586. si re ipsa illas prostituerint, aut induxerint, ut quæstus, aut alia quavis causa, adulteria exerceant, plectendi sunt ultimo supplicio.*

II. Si sint parentes, qui filiam, ut supra prostituerint, in cit. Constit. præcipitur, pari in eos pœna animadverti.

III. Si tandem sint quæcunque aliæ personæ utriusque sexus, Romæ degentes, in Constit. Pauli IV. Sanctissimus *(quæ est la 18. in ordine apud Bullar. Laert. Cherub. edit. Romæ 1617. pag. 739.) statuitur, etiam juxta Constit. Innocentii IV.* Pro humani generis *(de qua mentionem facit idem Paulus) ut omnes, qui Romæ degentes* -- aliquam puellam, aut aliam juvenculam ex ejus patria, aut alio loco, in quo tunc honeste viveret, vestes, aut alia id genus bona eis pollicendo, seu quavis alia corruptione seduxeriot, easque, aut aliquem puerum in eadem Urbe quomodolibet prostituerint, tanquam omni privilegio cujuscunque ordinis, vel dignitatis ..... privati, & nudati, ac per leges seculares ipso jure, & facto condemnati per ordinarios Papæ judices seculares .... irremissibilitet hoc modo puniantur.

§. 1. Lenones videlicet, & lenæ, circa prostitutionem masculorum versantes, & cum eis circa prostitutionem ipsam agentes, vel consentientes: necnon lenones, & lenæ puellam, seu aliam juvenculam invitam assumentes, & ad necessitatem nutrientes, ac postmodum prostituentes, & lucrum ex ejus prostitutione captantes, quotquot fuerint, ultimo supplicio afficiantur.

§. 2. Hi vero, qui corrupto comite, stuprum puero suaserint, aut puellam virginem super violatione ejus pudicitiæ interpellaverint, seu ad hoc ei quicquam donaverint, vel pretium, ut id assequerentur, dederint, aut domum ad hoc eis commodaverint, seu quicquid aliud ad effectum præmissorum fecerint, flagitio perfecto, capitali pœna plectantur, eo autem imperfecto, in aliquam insulam deportentur, & inibi perpetuo relegentur: & qui in præmissis comites corrupti fuerint, eisdem pœnis subjaceant.

§. 3. In cœteris vero casibus lenones, & lenæ hujusmodi, qui de cetero lenonicii artem exercuerint, fustibus per Urbem publice cæsi, ab hac Urbe perpetuo exulare cogantur.

§. 4. Et qui domos suas eisdem lenonibus, vel lenis de cetero scienter locaverint, vel si ignorantet id fecerint, nisi postquam hoc eis notificatum fuerit, illos expulerint, domum sic locatam eo ipso amittant, & ea realiter, & cum effectu priventur, & spolientur: & insuper pœnam mille scutorum auri ab eis auferendorum, & in pios usus convertendorum, ipso facto incurrant. --

Nota I. Sixti Constitutionem locum habere in Urbe tantum, ut ex ipsius declaratione in fine §. 1.

Nota II. Ad incurrendam pœnam ibi statutam, requiri, quod uxor, vel filia pluries lenocinio mariti, vel patris fuerit prostituta: quamvis tam maritus, quam pater lenones dicantur, licet semel respective permittant, eas alterius libidini inservire, ut animadvertit Ursaya Instit. Crimin. lib. 3. tit. 5. de crimin. carn. num. 40.

Nota III. Ad perfectam rationem lenocinii requiri, ut hoc suum sortitum sit effectum; quod scilicet libidinis exercitium secutum fuerit, ut etiam animadvertit Auctor §. Limita modo.

Nota IV. Quod quamvis ad rigorosum lenocinium requiratur, quod fiat causa lucri; in Urbe tamen respectu parentum, & respective maritorum, ex cit. Sixti Constit. semper est tale, etiam ex quacunque alia causa.

Nota V. Ex cit. Constit. Innoc. & Pauli IV. clericos lenones privari ipso facto omni beneficio clericali, & ex citan. edicto infamiam incurrere, ex clarissima utriusque lectura, ac proinde etiam irregularitatem, quæ ex vulgatis, oritur ex infamia.

Nota VI. Quod Sixti Constitutionem, una cum illa Pauli IV. Benedictus XIV. in suo robore permanere declaravit, ac expresse innovavit; & a judicibus exacte servari mandavit, etiam quoad ultimum supplicium, in casibus in dictis Constit. expressis, ut ex edicto ejus jussu publicato ab Eminentissimo Card. Guadagni, Urbis Vicario 13. Sept. 1736. in quo ulterius contra reos simplicis lenocinii infliguntur sequentes pœnæ, in eadem Urbe valituræ, videlicet.

I. Carceris decem annorum, juxta diversitatem sexus, in parentes, fratres, aliosque, quibus de jure competit custodia earum puellarum, si rei reperti fuerint dicti lenocinii: septem vero annorum ad triremes, aut respective carceris, si conniventes tantum extiterint, relicto judicibus arbitrio puniendi etiam eorum negligentiam, in illas custodiendo.

II. Item septem annorum ad triremes, & respective carceris, ut supra, in famulos, famulas, aliosque salario conductos, quorum mediatione, auxilio, & consilio stuprum secutum fuerit.

III. Item quinque annorum ad triremes, & totidem carceris respective, in quoscunque alios simplicis lenocinii reos, data facultate judicibus hanc pœnam ad majus tempus extendendi, juxta diversas casuum circumstantias.

IV. Tandem, ut omnes supraenunciati, sive lenocinii rei, sive conniventes, antequam ad triremes mittantur, aut carceri mancipentur, per Urbem cum solitis infamiæ insignibus circumducantur, inscripta ante pectus in membrana delicti specie.

Quæ actio competere possit tam defloratis puellis, quam parentibus, fratribus, aliisque, ad quos de jure spectat earundem custodia, si reperti fuerint, vel lenocinii rei, vel conniventes ipsarum deflorationi. vide infra in Additionibus meis post cap. 1. verbo Stuprum. ☚

CAPUT I.

Libelli famosi.

I. Reus libelli famosi, secuta sententia condemnatoria, efficitur de jure infamis, *leg. Ob carmen ff. de testibus, cap. Si testes 4. quæst. 3.* ex quibus juribus etiam habes, hanc esse duriorem infamiam juris, qoia reddit intestabilem active, & passive, *Majol. lib. 3. c. 1. n. 15.*

II. Irregularis consequenter erit talitet condemnatus, ob infamiam juris, *Molina tom. 1. disput. 137. §. Damnatus ob libellum, Majol. loco cit.*

Nota, quod hæc pœna ordinaria libelli famosi a Pio V. Bulla 147. *Romani Pontificis*, extensa est ad varios casus, de quibus ibi, & declarantur a *Farinac. consil. crimin. 145.* inter quos est, ut contineantur, non solum componentes, dictantes, scribentes, sed etiam retinentes.

III. In *cap. Quidam maligni 5. quæst. 1.* S. Gregorius Magnus monitorium edidit contra incertos, qui libellum famosum ediderant contra Castorium notarium, & responsalem ipsius Papæ, ut exire, & se prodere tenerentur, & vel probare crimina ingesta, vel se retractare; alias essent excommunicati eo ipso: sed quia illud fuit edictum in casu particulari, non autem fuit constitutio; ideo hodie nulla est regulariter pœna excommunicationis latæ sententiæ contra delinquentes hujusmodi, ut *Menoc. de arbitr. casu 263. n. 34. & 35. Filiuc. tr. 40. n. 81. Bonac. de censur. particul. disp. 2. q. 3. pun. 36. n. 8.* & patet ex *cap. Si qui 5. quæst. 1. ibi Archid. & alii Canonistæ.*

Ex illo autem textu bene probatur, litteras cæcas, idest sine nomine scribentis, continentes crimen alicujus, sive in publicum editas, sive Prælato missas, nullam vim habere, neque ex eis posse inquisitionem fieri, neque formari processum, ut late probat *Roderic. quæst. regul. 6. ar. 10. tom. 2.* & est *text. in cap. Inquisitionis §. Tertiæ, de accus.* imo sumenda est inquisitio contra auctores talium litterarum, tanquam reos famosi libelli, ut *gloss. in dict. §. Tertiæ verbo In occulto, Roderic. d. ar. 10. in fin.* imo compelli possunt per censuras ecclesiasticas, seu monitoriis ad propalandum se ipsos, ut vel crimen probent, vel famam restituant diffamatis, ut patet ex *illo cap. Quidam maligni*, & tenebuntur sub peccato mortali in omni casu se ipsos prodere, & retractare publice, quando aliter non censeatur posse consuli injuste infamatis; non enim sufficiet contrarios libellos edere sine nomine, seu sine subscriptione auctoris, quos edidisse ipse infamatus credere posset, ita *Suar. de cens. dis. 4. sect. 4. n. 16. Filiuc. tract. 40. n. 84.*

Tamen extat excommunicatio latæ sententiæ contra eos, qui libellos famosos, vel cantilenas, vel rhithmos edere, vel retinere, vel publicare præsumunt in infamiam status Ordinis Prædicatorum, vel Minorum; & non possunt absolvi, nisi Sedi Apostolicæ personaliter se præsentent, ex Bulla Alexandri IV. *Ex alto, Cajet. excomm. cap. 81. §. 3. Sylv. excomm. §. 48. Sayr. Clav. Regia lib. 12. c. 4. n. 9.*

☞ *Circa personalem accessum ad Sedem Apostol. vide a me dicta supra pag. 229. §.* Nota. ☜

Et

Et amplia, ut procedat etiam in favorem aliorum Regularium, habentium communicationem privilegiorum cum prædictis, *Sayr. ibid. Filiuc. tr. 15. n. 126. Bonac. de restit. disp. 2. quæst. 4. punct. 9. n. 9.* qui alios allegat.

Limita, quod non procedit contra cantilenas decantantes, aut aliter detrahentes, sed solum loquitur Bulla de libellis, seu scripturis: ita *Banacin. ibid. n. 9. in fin. cum Graffio.*

Limita etiam, quod non procedit de libellis editis contra aliquem religiosum particularem, sed solum contra ipsum Ordinem in communi: ita *Sayr. loco cit. cum Salon. & Medina.*

Item extat excommunicatio lata ex Bulla Gregorii XIII. *Ascendente Domino*, contra impugnantes Institutum, & Constitutiones Societatis JESU, quam explicat *Bonas. ibid. de censur. partis. disp. 2. quæst. 3. punct. 35.*

Quæres an licitum sit ei, qui prætendit, se injuste excommunicatum, aut interdictum, publice proponere in scriptis causas se ipsum justificantes: respondeo, ut dixi supra, *part. 1. c. 22.*

☞ *Licet regulariter nulla sit hodie excommunicatio latæ sententiæ contra reos libelli famosi, ut bene asserit Auctor n. 3. laicos tamen, & clericos excommunicari posse sentit Ludovicus de Ameno* tom. 3. de delict. & pœn. tit. 5. §. 5. n. 47. & 48. *se fundans* in Can. Si qui inventi 3. caus. 5. quæst. 1. *sacerdotes vero tam seculares, quam regulares, publicantes libellos famoses contra Episcopos, excommunicari, & insuper flagellari, juxta* cit. can. 3. *& juxta disposita in antiquo canone* Qui in alterius 1. eadem caus. & quæst. *simul tamen asserens cum communi, hanc flagellationis pœnam jam recessisse ab aula.*

Animadvertendum vero est, can. Si qui inventi *loqui dumtaxat de iis, qui inventi fuerint famosos libellos in Ecclesia ponere: & canonem* Qui in alterius *relatum a Gratiano sub nomine Hadriani, non videri sumptum ex pontificio jure, notavit Antonius Augustinus in notis ad capitula ejusdem Hadriani.* ☜

CAPUT I.

Libros hæreticorum, hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine Papæ licentia scienter legens, retinens, imprimens, vel defendens.

QUi aliquid ex prædictis committit, incurrit in excommunicationem latam in Bulla in Cœna Domini, *c. 1.* atque ideo speciali modo Papæ reservatam. Hujus autem capitis explicationem vide apud *Suarez disp. 20. sect. 2. tract. de fide, Sanchez in decal. lib. 2. c. 10. Filiuc. tractat. 16. n. 45. Quaranta verbo Libri, in suo Compend. Layman lib. 2. tract. de fide cap. 15.*

Imo etiam extra Bullam in Cœna Domini extat excommunicatio latæ sententiæ contra legentes, vel habentes libros hæreticorum, ex Bulla Pii IV. quæ est 77. *Dominici*, de qua *Becanus tract. de fide, c. 15. quæst. 8. n. 4. & 5.* sed non est reservata, neque extenditur ad imprimentes, vel defendentes.

Advertendum primo, ad hanc excommunicationem incurrendam sufficere, si liber auctoris hæretici unum errorem contineat obiter, *Sanch. loc. cit. num. 34. cum Suar. de cens. disp. 21. sect. 2. n. 10. & Bonac. de censur. in partic. dis. 1. quæst. 2. punct. 4. n. 22.* contra *Sayr. Graff. Seusam*, quorum sententiam in Germania servari ait *Layman lib. 2. tract. 1. c. 15. §. Sed dubium est.*

Secundo advertendum, quod defendens librum hæretici, ut supra, non ratione hæresis, idest non defendendo ipsam hæresim, incurrit præfatam excommunicationem ex Bulla in Cœna Domini: si vero defendat aliquam hæresim in libro illo contentam, duplicem incurrit excommunicationem, ex eadem Bulla *c. 1.* quia scilicet & hæreticus est, & libri, ut supra, defensor: per ea, quæ *Ugolin. super eadem Bulla, vers. Et generaliter n. 3. Sanchez lib. 2. c. 10. n. 7.*

CAPUT II.

Libros hæreticorum quoscunque, vel libros, aut scripta quorumcunque auctorum, etiam catholicorum, ob hæresim aliquam in eis inscriptam, aut ob falsi dogmatis suspicionem damnata, & prohibita, legentes, vel habentes, priusquam fuerint expurgata, & permissa.

TAles incurrunt in excommunicationem latam in Bulla 77. *Dominici*, & in Bulla 82. *Cum inter* Pii IV. ut in *calce Indicis librorum prohibitorum in regula 10. in fin.* sed hæc excommunicatio non est reservata, ut *Becanus 2. 2. de fide §. 15. quæst. 8. n. 4. Suarez de fide disp. 20. sect. 2. n. 29. Layman lib. 2. tract. de fide c. 15. n. 8. §. Inter has, Filiuc. tract. 16. n 42. Bonac. de censur. particul. dis. 1. quæst. 2. pun. 4. n. 2.* & non procedit contra imprimentes, vel defendentes, *Filiuc. n. 42.* neque procedit contra legentem librum alicujus catholici auctoris, in quo reperitur hæresis, seu error, si liber nondum est notatus, nec prohibitus ab Inquisitoribus; debet tamen legens quamprimum deferre librum hujusmodi ad Inquisitorem, ut notetur, donec expurgetur, *Suar. de fide disp. 20. sect. 2. num. 9. Filiuc. tract. 16. n. 43.*

Imo, etiamsi talis liber fuerit prohibitus ab Inquisitore aliquo particulari, & non notatus in Indice Romano, legens talem librum, non incurrit in excommunicationem latam in Bullis prædictis, & ex Indice, sed ex edicto ipsius Inquisitoris, prohibentis in suo territorio, *Filiuc. tract. 16. n. 44. in fin.* neque procedit præfata excommunicatio contra legentes, vel habentes libros catholici auctoris propter solam obscœnitatem prohibitos, quia nulla est lata in tali casu censura, *Filiuc. n. 43. Layman cap. 15. n. 8.* & patet ex *Regula 7. Indicis*, & *ex Bulla citata Pii IV. 77.* §. 3. neque procedit contra legentes, vel habentes cum licentia legitima.

☞ *Nota circa retentionem librorum prohibitorum sequentem propositionem, proscriptam ab Alexand. VII. 18. Martii 1666. sub pœnis in eam docentes &c. & ad praxim deducentes, quas vide in Additione ad cap. 6. verb.* Confessio; *quæ est in ordine la*

45. – Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usquedum, adhibita diligentia, corrigantur. – ☜

CAPUT III.

Libros, aut scripta imprimens, aut imprimi faciens sine approbatione, seu licentia superiorum, ad quos pertinet.

I. EX Concilio Lateranensi sub Leone X. *decreto* 3. Leonis Papæ ejusdem, quod habetur etiam in Bullario Cherub. Constit. 12. Leonis X. *Inter felicitudines*, cautum est, ne quis præsumat librum, aut scripturam quamcunque imprimere, aut imprimi facere, nisi in Urbe Roma cum approbatione Vicarii Urbis, & Magistri Sacri Palatii: in aliis autem diœcesibus cum approbatione Episcopi, & Inquisitoris loci, ubi fit impressio, examine eorundem, aut alterius ab ipsis deputati præcedente: quæ approbatio præstanda est in scriptis, propriæ manus subscriptione, gratis, & sine dilatione: *si* quis autem sine tali approbatione libros imprimere, aut imprimi facere præsumpserit, incurrit ipso facto pœnam excommunicationis, & amissionis librorum, (qui etiam publice comburendi sunt) & pœnam 100. ducatorum, fabricæ S. Petri applicandam, & suspensionem annalem ab exercitio typographi.

Nota, quod hæc Constitutio Leonis cum suis pœnis non fuit a principio usu recepta, ut ait *Suarez de censur. disput. 23. sect. 7. cum Cajet. verbo Excommunic. in fin. Navarr. cap. 27. n. 111. & 148. Tolet. lib. 1. c. 40. in fin.* tamen fuit ex parte innovata a Tridentino *sess. 4. decreto de editione librorum*, & in totum innovata quoad prædicta *in Regula Indicis* 10. sub Clem. VIII. *Filius. tract. 14. n. 83.*

Nota secundo, quod hæc excommunicatio non est reservata, *Suar. ibi Tolet. lib. 1. c. 41. §. 1.* aliæ pœnæ, ut supra, non obligant ante declaratoriam sententiam. De hac etiam Constitutione, & pœnis tractat *Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 17. q. 2.*

II. SS. D. N. Urbanus VIII. in Constitutione, quæ est 50. in Bullario, *Sanctissimus*, decrevit, ne quis, degens in Statu Sedi Apostolicæ mediate, vel immediate subjecto,

libros de quavis materia tractantes, & ubicunque a se compositos, audeat alio deferre, vel mittere imprimendos, nisi cum expressa in scriptis approbatione Eminentissimi Cardinalis Vicarii, & Magistri Sacri Palatii, si in Urbe Roma; si vero extra Urbem existat, cum Ordinarii, & Inquisitoris loci illius, sive ab iis deputatorum facultate, & licentia operi præfigenda: & libros, quos aliter imprimi contigerit, ipso facto, absque alia declaratione prohibitos esse decrevit: non obstantibus &c.

In hoc tamen casu nota, quod non incurruntur aliæ pœnæ latæ sententiæ, ut excommunicatio &c. de quibus *n.* 1. dictum est, si alias liber esset impressus cum approbatione, & licentia superiorum loci impressionis, ut patet ex eisdem decretis.

Nota etiam, quod Pontifex loquitur de degentibus in Statu Ecclesiæ Romanæ, non autem ubiter, seu per transitum, seu ad breve tempus ibi existentibus, quia degere significat habitare, ut §. *pen. inst. de usu, & hab. & ibi DD.* communiter; unde si ibi sit animo permanendi ad aliquod tempus notabile, ut saltem ad majorem partem anni, dicitur degere ibidem, *l. Milites* 15. *C. de test. mil.* & dicitur habitare, ut late *Sanchez de matr. lib.* 3. *disp.* 23. *n.* 12.

CAPUT IV.

Libros manuscriptos ante approbationem vulgantes.

IN *regula* 10. *Indicis:* qui libros manuscriptos vulgant, nisi antea examinati, probatique fuerint, iisdem pœnis subjiciuntur, ac imprimentes, de quibus *cap. præced.* dictum est: unde excommunicationem incurrunt prædictam ipso facto ex *Concilio Lateranensi*, *Suarez de censur. disput.* 23. *sect.* 7. *n.* 3. *Filiuc. tract.* 16. *n.* 83.

Limita, quod intelligitur ista prohibitio pœnalis de divulgatione, seu communicatione publica, seu editione, quæ æquivaleat impressioni; non autem de communicatione privata, seu ad privatum usum per manus, quomodo communicantur passim lectiones theologiæ, aut conciones: quia diversa diligentia adhibenda in editione publica, atque in communicatione privata: ita *Suar. n.* 3. *Filiuc. n.* 83. *Azor. lib.* 8. *c.* 17. *q.* 4. *Sorbus de privil. Mendic. verb. Imprimere*, *Roder. q. regul.* 104. *art.* 1. *tom.* 2.

Limita secundo, quod hæc excommunicatio non est reservata, ut patet ex textu.

CAPUT V.

Libros de rebus sacris sine nomine Auctoris, aut sine examine, & approbatione imprimentes, imprimi facientes, vendentes, retinentes, scripto communicantes, aut vulgantes.

QUi aliquid ex præmissis committit, incurrit in excommunicationem, & pecuniariam pœnam latæ sententiæ in Concilio Lateranensi novissimo, de quo supra dictum *cap.* 3. ita statuit *Concilium Tridentinum sess.* 4. *decreto de editione sacrorum librorum*; ubi additur, ut Regularium libri ultra examen, & approbationem Ordinarii, habere debeant licentiam, & recognitionem eorundem regularium superiorum.

Limita, quod hæc excommunicatio non est reservata, *Tolet. lib.* 1. *c.* 41. *Suar. de censur. disput.* 23. *sect.* 7. *n.* 1.

Limita secundo, quod non dicitur liber sine nomine Auctoris, si edatur sub nomine universitatis, ut collegii Conimbricensis, vel sub nomine præfecti, seu rectoris talis academiæ, *Azor. tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 17. *quæst.* 3.

CAPUT VI.

Libros astrologiæ judiciariæ, vel aliarum divinationum legentes, habentes, imprimentes.

Vide *verbo Superstitio cap.* 1. *n.* 2. *&* 3.

CAPUT VII.

Libri, vel scripta de Conceptione B. Virginis.

Vide *verbo Conceptio cap.* 1.

CAPUT VIII.

Libri, vel scripta, continentia doctrinam de confessione sacramentali inter absentes.

Vide *verbo Sacramentum cap.* 1.

CAPUT IX.

Libros, tractatus, vel compositiones de auxiliis divinis edentes, retinentes, legentes, vel imprimentes.

I. EX decreto Urbani VIII. edito in Sacra Congregatione Generalis Inquisitionis *an.* 1625. *die* 22. *Maji*, præceptum est, ne quis imposterum audeat imprimere, vel quovis modo in lucem edere libros, tractatus, vel compositiones ex professo, vel incidenter, aut quovis prætextu, vel modo, de materia auxiliorum divinorum tractantes, sine expressa, & speciali licentia a Sanctitate Sua in dicta Sacra Congregatione obtinenda, donec aliter &c. utque contravenientes incurrant ipso facto, absque alia declaratione, pœnas privationis dignitatum, & officiorum, vocisque activæ, & passivæ, facultatisque publice legendi, & interpretandi. Libros vero, quos in futurum contra hoc decretum edi contigerit, eo ipso absque alia declaratione, tanquam expresse prohibitos haberi voluit: impressores autem pœna amissionis librorum, & aliis arbitrariis teneri voluit.

II. Ex alio decreto ab eodem Summo Pontifice edito in dicta Sacra Congregatione *an.* 1641. *die* 1. *Augusti*, juxta secundam editionem, præceptum est sub pœna excommunicationis, quoad singulares personas, & interdicti ecclesiastici, quoad collegia, & universitates latæ sententiæ, & pœnis aliis ferendæ sententiæ, ne quis audeat imposterum imprimere, nec quoquo modo in lucem edere libros, tractatus, compositiones ex professo, vel incidenter, sive in theologicis, sive in philosophicis, agentes de concursu causæ primæ cum secunda, aut quavis occasione, vel modo, de materia divinorum auxiliorum, seu de gratia, & libero arbitrio tractantes, nisi cum expressa, & speciali licentia a Summo Pontifice in dicta Sacra Congregatione Sancti Officii obtinenda; donec aliter a Sede Apostolica super hac materia fuerit ordinatum.

Item sub eadem pœna excommunicationis, latæ sententiæ, mandavit, ne quis absque licentia supradicta retinere, aut legere possit librum assertum Cornelii Jansenii, cui titulus est Augustinus, nec alias compositiones, theses, & scripturas, occasione dicti libri editas, materiam eandem divinorum auxiliorum concernentes.

Absolutionem autem excommunicationis, & interdicti in casibus supradictis Summo Pontifici, & eidem Sacræ Congregationi reservavit; non obstantibus quibuscunque privilegiis, etiam Bullæ Cruciatæ, Jubilæi, etiam generalis, & facultatibus missionariorum, ac aliis a Sede Apostolica emanatis, seu emanandis, quibus omnibus Sanctitas Sua in hac parte derogavit.

☞ *Vide Constitutionem ejusdem Urbani* In eminenti *6. Martii* 1641. *in qua inserta leguntur supra cit. decreta. Circa hanc Const. proscripta fuit sequens propositio ab Alex. VIII. die 7. Decem. 1690. sub pœnis in eam asserentes &c. prout in fine Additionis ad cap.* 1. *verbo* Missa, *quæ est in ordine la*

. 31. – Bulla Urbani VIII. – *In eminenti* – est subreptitia. – ☜

CAPUT X.

Libros, & Laminas Granatenses, vel libros de his tractantes, retinentes, imprimentes, vulgantes, aut eos in concionibus, aut responsis allegantes &c.

URbanus VIII. anno 1639. *die* 5. *men. Maji* in Congregatione Sancti Officii decretum edidit, & publice promulgari fecit, in quo ob periculum falsorum dogmatum, primo libros inventos, attributos S. Joanni Evangelistæ, & Laminas plumbeas, attributas Sancto Jacobo Apostolo, eorumque versiones suspendit, & earum versionibus, seu interpretationibus fidem aliquam adhiberi prohibuit, donec de eis a Sede Apostolica fuerit definitum; & omnia

omnia scripta, & libros de his ex professo tractantia penitus suspendit, ut nec legi, nec teneri possint, sed statim Ordinariis, vel Inquisitoribus consignari mandavit. Alii vero libri, vel scripta obiter de dictis laminis, eorumque doctrina mentionem facientia, nullam habeant fidem in ea parte, & quoad eam, expurgari debeant: aliter inter suspensos, & prohibitos habeantur, donec expurgentur.

Unde apparet, quod huic ordinationi contravenientes, incurrunt excommunicationem non reservatam ex regula Indicis, *de qua dixi sup. cap.* 2.

Secundo decrevit, ne quis in dictorum librorum, vel laminarum approbationem, quidquam principaliter, vel incidenter conscribere, vel imprimere, vel divulgare, vel hæc mandare audeat, aut libros, vel laminas hujusmodi convertere, seu traducere, aut in libris, vel concionibus, lectionibus, congregationibus, consultis, aut responsis, oretenus, vel scripto datis, aliquid de earum doctrina tractent, aut Auctores de ea doctrina tractantes, quoad illam partem, citent: item, ut qui dictarum laminarum, seu librorum exempla habuerint, ea Ordinariis locorum, vel Inquisitoribus tradere teneantur, neque in posterum talia exempla confici possint.

Transgressores autem hujus secundi capituli, ex eo decreto incurrunt omnes ipso facto excommunicationem Papæ reservatam: & prærerea Regulares incurrunt pœnam privationis officiorum, & dignitatum, & vocis activæ, & passivæ, & inhabilitatis ad illa: clerici vero seculares incurrunt privationem suorum officiorum, & dignitatum, & inhabilitatem ad illa: laici autem pœna arbitraria puniendi ab eisdem Ordinariis, vel Inquisitoribus.

Nota, quod per supradicta clerici seculares non incurrunt pœnam privationis beneficiorum, quia non est expressum.

☞ CAPUT XI.

Libros Gentilium legentes, & retinentes.

EX *Const. Bened. XIV.* Omnium solicitudinum 12. *Sept.* 1744. *Christifideles in Regno Madurensi, aliisque finitimis regionibus, incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, si eos legant, & retineant, sine prævia licentia parochi, sive missionarii, inibi curam animarum exercentis* – quorum prudentiæ committitur facultas super hoc dispensandi, & libros (si qui forte sunt) noxia superstitione vacuos, nihil contra bonos mores tractantes, pro christianorum usu seligendi, eorumque lecturam permittendi. –

Hoc prius iisdem Christifidelibus sub dicta pœna prohibitum fuerat decreto Cardinalis de Tournon, quod jam confirmaverat Clemens XII. & iterum in hac Constit. *Benedictus confirmavit. Quæ tamen excommunicatio nemini ibi legitur reservata.* ☜

CAPUT XII.

Libros, vel scripta de missionibus, vel de rebus ad eas spectantibus, per se, vel per alios edentes.

EX *Constit. Clem. X.* Creditæ nobis 6. *Apr.* 1673. *quicunque ii sint, etiam Regulares, cujuslibet instituti, etiam Societatis Jesu, & quantumvis de eo specifica, & individua mentio facienda esset, incurrunt ipso facto excommunicationem Papæ reservatam, privationem officii, vocis activæ, & passivæ, si id agant sine licentia in scriptis S. Congr. de Propaganda Fide: præcipit insuper Pontifex, ut hujusmodi libri supprimantur.* ☜

CAPUT I.

Limina Apostolorum Episcopi non visitantes temporibus statutis.

OLim nulla erat pœna latæ sententiæ contra Episcopos omittentes visitare Limina Apostolorum, sed erant puniendi pœna arbitraria a Summo Pontifice, *cap. Juxta Sanctorum*, 93. *dist. ibi Turrecrem. & Præp.* poterant etiam puniri pœna perjurii, ut notat *Zabarella in cap. Ego N. de jurejurand.*

Sed ex Bulla Sixti V. 15. *Romanus Pontifex*, ita cautum, ut si Episcopi juxta formam ibi traditam, & temporibus ibi præfixis, limina non visitaverint, tandiu sint suspensi ab ingressu Ecclesiæ, & ab administratione spiritualium, & temporalium, & a perceptione fructuum suarum Ecclesiarum, a capitulis earum, omni exceptione, & mora cessante, interim libere exigendorum, & in opus fabricæ, seu Ecclesiæ, paramentorum emptionem, prout major exegerit necessitas, insumendorum, donec a contumacia resipiscentes, relaxationem suspensionis hujusmodi a Sede Apostolica meruerint obtinere: de hac Bulla agunt *Sayr. lib.* 4. *c.* 13. *n.* 53. *Barbos. alleg.* 111. *in fin. de potest. Episc. Filiuc. tract.* 17. *n.* 159. *Bonac. de cens. partic. disp.* 3. *quæst.* 5. *punct.* 7. & alii apud *Barbos. in dict. c. Juxta Sanctorum n.* 1.

Nota, quod hic limina Apostolorum accipiuntur, non materialiter pro Basilicis Apostolorum, sed formaliter pro audientia Papæ, ubicunque Papa resederit, ut *dict. c. Ego N. & ibi Abb. n.* 6. *Felin. n.* 9. *Cherubin. super dict. Bulla Sixti V. schol.* 2. verum est, quod Episcopi Romam venientes ad limina, ibi Papa existente, debent etiam Basilicas SS. Petri, & Pauli visitare, ut moris est.

Nota secundo, quod ex *dicto c. Ego N.* juncta *Bulla cit. Sixti V.* Episcopi ante suam ordinationem, idest consecrationem, debent jurare, limina se visitaturos per se, vel si legitimo impedimento detenti fuerint, per nuncium, cum speciali mandato de gremio suorum capitulorum, aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum, vel personatum habentem; vel si talem non habuerint, per diœcesanum sacerdotem; & si clero careat per aliquem presbyterum secularem, vel regularem spectatæ probitatis, & religionis, scilicet etiam externum.

Nota tertio, quod hæc visitatio est instituta ad eum finem, ut Papa certioretur de statu singularum Ecclesiarum, et Episcopus ab eo mandata Apostolica suspiciat, et instructiones pro regimine Ecclesiæ, ut patet ex *Bulla Sixti V. ibi in proœmio, & §.* 1. *& Abbas in dict. cap. Ego N. n.* 6. unde Episcopi annulares, seu titulares non tenentur ad hanc visitationem, cum non habeant diœcesim, seu Ecclesiam. Hodie autem ex *Bulla Sixti V.* 74. *Immensa*, data est cura et potestas Sacræ Congregationi Concilii Tridentini audiendi postulata Episcoporum, venientium ad limina; ita tamen, ut graviora ad Suam Sanctitatem referat. Novissime a S. D. N. Urbano VIII. determinatum est tempus, intra quod visitatio liminum absolvi debet, ut dixi *verbo Residentia cap.* 1. *n.* 4.

Tempus autem huic liminum visitationi præfixum incipit a die publicationis dictæ Bullæ Sixtinæ, *Barbos. in Concil. sess.* 24. *c.* 3. *de refor. n.* 41.

☞ *Sixti Constitutionem confirmavit Bened. XIV.* 23. *Nov.* 1740. *Constit.* Quod Sancta, *eamque extendit ad omnes, & quoscunque Abbates, Priores, Præpositos, aliosque quocunque nomine, ac titulo insignitos, etiam S. R. E. Cardinales, tam seculares, quam regulares, jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, jam promotos, & promovendos; qui ante quam suorum monasteriorum, seu Ecclesiarum possessionem adipiscantur, juramentum præstare debent, juxta formulam in dict. Constit. descriptam, in manibus Cardinalis Decani, si præsentes sint in Curia, sin minus in manibus Nuncii, aut Legati Apostol. & si hic absens fuerit, in manibus alicujus Episcopi, aut Archiepiscopi, eorum arbitrio eligendi, se ejusmodi visitationem personaliter peracturos, ac de sibi commissa monasteriorum, & Ecclesiarum procuratione relationem Romano pro tempore existenti Pontifici reddituros singulis trienniis, a die captæ possessionis incipiendis, si sint Itali, vel ex insulis, & provinciis Italiæ adjacentibus: reliqui vero quinto quoque anno: quibus respective temporibus completis, repetere toties, quoties tenentur, sub pœnis Papæ reservatis ipso facto incurrendis ab omittentibus prædictas relationem, & visitationem: videlicet ab ingressu Ecclesiæ, & administratione tam spiritualium, quam temporalium, necnon a perceptione fructuum monasteriorum, seu Ecclesiarum, interim exigendorum ab Episcopo, vel Archiepiscopo viciniore monasterio, aut Ecclesiæ Nullius; & insumendorum in opus fabricæ, seu ornamentorum Ecclesiæ emptionem, prout magis exegerit necessitas.*

Si vero legitime impediti fuerint, jurare debent, se prædicta omnia adimpleturos per nuncium in dignitate ecclesiastica seculari, vel regulari constitutum, qui sit de gremio suorum monasteriorum, vel Ecclesiarum; aut per aliquem sacerdotem secularem, vel regularem: qui tamen docere debent de impedimento, legitimis probationibus Cardinali Sac. Congregat. Concilii præfecto exhibendis.

Ad hujusmodi visitationem teneri etiam Episcopos titulares,

ac

ac administratores datos alicui Episcopo in legitima ætate non constituto, non vero coadjutores, probat Bened. XIV. lib. 13. de Synod. Diœc. cap. 6. num. 5. edition. ann. 1756. *hac fultus ratione, quoad Episcopos titulares: quamvis enim hi suarum Ecclesiarum statum penitus ignorantes, illius relationem facere nullo modo possint; cum tamen hæc visitatio ex cit. Sixti Constit.* §. Quo circa, *tres potissimum actus complectatur; materialem videlicet sacr. Liminum visitationem, exhibitionem debitæ obedientiæ, ac reverentiæ Romano Pontifici, & relationem status Ecclesiæ; inde sequitur, quod si ob Ecclesiæ captivitatem præstare nequeant tertium actum, nullatenus impediantur præstare per seipsos primum, & secundum. Consuetudo tamen contrarium obtinuit.*

Relatio autem status Ecclesiarum in visitatione sacror. Liminum, facienda est, juxta instructionem Sac. Congreg. Conc. impressam in Appendice tomi secundi Bullarii Benedict. XIV. pag. 1. quæ comprehendit etiam Archiepiscopos, Primates, & Patriarchas. ☜

CAPUT II.

Limina Apostolica non visitantes Episcopi, ad Curiam Romanam clam accedentes, & recedentes, eosque receptantes.

IN *Extrav. Ut Prælatorum, de major. & obed.* & *Extrav. Etsi decet, eod. tit.* lata est excommunicatio contra Episcopos, eisque majores Prælatos, si accedant ad Curiam Romanam latenter & inde recedant absque licentia Papæ, eoque non viso, & contra eos, qui tales scienter receptaverint, nisi confestim Romano Pontifici per se, vel per alium manifestent illorum adventum, antequam eos recepteur.

Nota primo, quod hæc excommunicatio non est reservata, ut patet ex textu.

Nota secundo, quod non habet locum ea excommunicatio contra Episcopum, nisi duo simul concurrant; nempe, ut accedat clam, inscio Pontifice Maximo; & quod recedat sine ejus licentia, atque reverentia eidem non exhibita: unde si in accessu, suum Papæ notificavit adventum, vel clam veniens, antequam discederet, Papam salutavit, aut cum ejus licentia recessit, non incurrit eam excommunicationem: ita *Sayr. lib. 3. c. 32. n. 23. Barbos. alleg.* 50. *n. 73. Bonac. de censur. partic. disp. 2. q. 6. punct. 4. n. 3.*

Nota tertio, quod excommunicatio contra receptantem incurritur facilius, & antequam eam incurrat receptatus, nempe receptando clam advenientem, antequam Papæ notificetur adventus, *Bonac. n. 5.*

Nota quarto, quod dictæ Constitutiones procedunt etiam de Episcopis annularibus, quia hæc salutatio, & visitatio liminum non requiritur ratione administrationis, sed ratione dignitatis, & reverentiæ Episcopi erga Papam: facit *Sanch. lib. 6. c. 6. in decal. num. 27.*

Non tamen procedit in Episcopum, qui renunciavit dignitati, & non solum loco, quia is habetur perinde, ac si non esset Episcopus, *c. Post translationem in fin. de renunc. Jacobac. tract. de Concilio lib. 2. art. 2. n. 72.*

CAPUT I.

Ludos publice agentes.

Vide *verbo Ars ludicra.*

CAPUT II.

Ludos agitationis taurorum, & ferarum agentes, vel spectantes.

PIus V. sua Constitutione 48. *De salute*, prohibuit ludum agitationis taurorum, & ferarum bestiarum, & sententiam protulit excommunicationis contra Principes, etiam Reges, & Imperatores, & respublicas, & communitates, in suis terris permittentes ludos hujusmodi: item statuit, ut congredientes cum bestiis præfatis, si in tali ludo occisi fuerint, ecclesiastica careant sepultura: item, ut clerici, tam regolares, quam seculares in sacris, vel beneficia obtinentes, similiter incurrant in excommunicationem, si talibus spectaculis interfuerint.

Nota, quod excommunicatio contra permittentes in terris suis ludos istos, est latæ sententiæ; nam ibi dicitur ipso facto incurrenda: at vero illa, quæ ibi infertur contra clericos spectatores, secundum magis communem, dicitur comminatoria tantum: quia ibi non ponit ullum verbum, significans canonem latæ sententiæ: ita tenet *Avila de cens. par. 2. c. 5. disp. 1. dub.* 4. ubi multis probat *Bonac. de cens. in partic. disp. 2. quæst. 4. pun. 7. n. 3.* ubi plures allegat: quamvis de rigore juris censeam verius, eam esse latæ sententiæ, propter illam clausulam, sub excommunicationis pœna similiter prohibemus, nam dictio *similiter*, est repetitiva omnis qualitatis præcedentis capituli: & ita tenere gravissimos Auctores fatetur *Avila ibi*.

Nota etiam, quod cum tales ludi, ut præfertur, periculosi, sint de jure naturali illiciti, quodque mortaliter nulla possit adhiberi sufficiens diligentia ad gravia damna vitanda, ut tenent *Navar. c. 15. n. 18. Roderic. quæst. regul. 78. art. 1. tom. 3. Lopez ad Diaz in praxi, c. 75.* sequitur, nulla consuetudine justificari posse; quia est corruptela, & peccati mortalis nutritiva; ideo non suffragatur, sed ab Ordinariis coercenda, & abolenda erit, per *cap. final. de consuet. & ex ead. Bulla Pii V.*

Feras autem bestias accipere debemus, quæ natura, & consuetudine ferocitatem habent, & inclinationem ad nocendum, *leg. 1. §. Bestias, ff. de postul.* saltem si certo modo instigatæ, naturalem exerceant feritatem; quia accidens naturam mutans, vel ad eam restituens attendi debet, *Alberic. in d. §. Bestias n. 3.* itaque continentur etiam elephanti, & bubali, quæ sunt animalia natura fera, licet domita ad servitium adigantur, per ea, quæ habet *Ulpian. epit. tit. 19. in princ.* nam hæc animalia nunquam totaliter mansuescunt, et certis modis agitata, naturalem feritatem exercent: sunt enim bubali natura fera animalia, ex Africæ desertis primum adducta, et a latinis boves sylvestres appellantur.

Et nota, quod quamvis pro Hispaniæ Regnis a Gregorio XIII. et Clemente VIII. Constitutio Pii V. fuerit moderata; tamen in reliquis regionibus rata, et firma manet, ut bene observat *Quaranta, verbo Torneamenta, & Lopez ad Diaz loc. cit.*

Sed Gregorius XIII. pro Hispaniæ Regnis suo decreto temperavit præfatam Constitutionem, concedens ludos hujusmodi absque incursu dictarum pœnarum, modo non habeantur in diebus festis, & dummodo Gubernatores locorum adhibeant diligentiam debitam, ne cædes hominum sequantur: item ut non contineantur in dicta prohibitione spectandi religiosi Militares, seu de Spatha, dummodo non sint in sacris constituti. Contra alios autem religiosos, et clericos præfatos firmam reliquit Constitutionem Pii V. ut spectantes incurrant in excommunicationem prædictam. Hoc decretum habes apud *Salzedo ad Diaz in praxi c. 75. in novissima editione.*

Denique Clemens VIII. pro Regnis Hispaniarum dumtaxar sustulit dictam pœnalem prohibitionem ludos spectandi, quoad omnes, etiam clericos seculares, solum eam relinquendo quoad Regulares cujuscunque Ordinis, et instituti, ut *Barbos. in c. 1. n. 5. de torneam.*

Præfatam Constitutionem Pii V. late examinat *Gutier. lib. 1. can. quæst. cap. 7.* ubi *n. 3.* notat, illam pœnam privationis ecclesiasticæ sepulturæ locum habere, etiamsi quis ante mortem signa contritionis ediderit, et confessus, et absolutus sacramentaliter fuerit.

CAPUT III.

Ludos torneamentorum agentes.

IN *cap. 1. & 2. de torneamentis*, prohibitus est ludus torneamentorum, quo armis offensivis digladiantur inter se homines, et temere congrediuntur ad ostentationem virium, ut inde mortes, et animarum pericula sæpe proveniant. Quod quis eorum certantium ibi mortuus fuerit, quamvis ei poscenti pœnitentia non denegetur, idest, absolutio, et Sacramentum Viatici, tamen ecclesiastica careat sepultura, inquit Concilium Lateranense, sub Alexandro III. in *d. cap. 1.*

Amplia, ut procedat etiam in ludo, in quo frequenter fiunt gravia vulnera, ut *Sanch. opusc. lib. 1. cap. 8. dub. 34.* ubi multos Doctores congerit.

Amplia secundo, quod hæc pœna procedit etiam in moriente, editis signis contritionis, & recepta absolutione a culpis, ut patet ex textu, & *Gutier. lib. 1. can. quæst. cap. 7. n. 3.*

An autem hæc pœna sit latæ sententiæ? respondeo, quod ex

ex vi verbi, *Careat*, est latæ sententiæ, ut magis communis tenet opinio apud *Tiraquell. in leg. Si unqaam*, *verbo Revertatur n.* 161. *Barbof. de diction. verbo Careat*; maxime cum agatur de consecutione rei, qua carere præcipitur, & cum agatur de casu publico: & quia ita intelligitur a Doctoribus simile decretum Tridentini contra duellantes, ut dixi *verbo Duellum cap.* 3. Nec obstat, quod multi Doctores contrarium docent in *c. Omnis utriusque de pœnit. & remiss.* quia respondeo, ibi pœnam illam privationis sepulturæ per verbum *Careat*, conjungi cum pœna alia sententiæ ferendæ, ideo est signum, quod etiam altera sit sententiæ ferendæ; quia illa verba possunt recipere talem sensum, ut docet *Tiraquell. n.* 166.

Limita, quod dicta pœna, & prohibitio non procedit de ludis, & certaminibus, quibus raro, & per accidens solet mors, aut grave vulnus accidere, ut notat *Azorius part.* 3. *lib.* 2. *c.* 15. §. 2. & alii, quos allegat, & sequitur *Barbos. super cap.* 1. *n.* 2. *de Torneam. Sanch. in opusculis lib.* 2. *cap.* 8. *dub.* 34. *n.* 1. ubi plurimos allegat, qui *n.* 3. ait hastiludium, seu *Giuoco di canne*, quod in Hispania fieri solet, carere periculo, & licitum esse.

CAPUT IV.

De lusu aleæ, & aleatoribus.

I. LUdus aleæ, seu fortunæ, damnatur est tam de jure civili, quam cannonico, *cap. Episcopus*, 35. *dist. l. Alearum*, *C. de relig. & sumpt. fun. & aleat*: itaque est crimen mixti fori, ut *Menoch. de arbitr. casu* 399. *num.* 5. *Salzedo ad Diaz in praxi cap.* 73. *lit. C.* §. *Hoc de clericis*, *cum Angelo*, *& Paride*: sed specialiter, & multo magis est clericis interdictus lusus alearum, ut *d. c. Episcopus*, *& cap. Clerici* 15. *de vit. & hon. cleric. c. Inter dilectos*, *de excess. Prælat.* Et quamvis hodie laici aleis ludentes, etiam frequenter, per se loquendo, seu ex hoc solo non censeantur peccare mortaliter, quia leges pœnales contrariæ quoad eos censeantur consuetudine contraria derogatæ, *Navarr. cap.* 20. *n.* 11. *Medina*, *Soto*, *Alcozer*, *Castro*, quos allegat, & sequitur *Sanch. opusc. lib.* 1. *cap.* 8. *dub.* 25. *n.* 5. tamen clerici in sacris, vel beneficiati, itemque omnes religiosi peccant mortaliter, aleis ludendo, si id faciant frequenter, seu ex consuetudine, ut *dict. cap. Episcopus*, *ibi gloss. verbo Deserviens*, quam sequitur *Hugo*, *& Turrecr. ibi*, *Navarr. cit. n.* 9. *Alcozer*, *Cajet. Angel. & Palac.* quos sequitur *Sanch. dub.* 28. *n.* 7. quia licet consuetudo secundum se non faciat de veniali mortale, nec mutet materiam actus prohibiti; secus tamen quando in specie sub gravi pœna prohibetur ipsa consuetudo: ita *Sanch. ibid.* neque excusantur ratione consuetudinis loci, quia est corruptela, *dict. cap. Inter dilectos*.

Item peccant mortaliter, si ludo exponant materiam gravem, seu quantitatem notabilem; præsertim si ex fructibus beneficiorum, *Navarr. dict. n.* 9. & alii plures apud *Sanchez dub.* 28. *n.* 6. Unde multi Doctores dicunt, eos peccare mortaliter, si exponant supra unum aureum una die, *Abb. in dict. c. Clerici*, *Graff. par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 8. *Rota ibid. n.* 5. & facit *text. in dict. leg. Alearum usus*, ubi hæc quantitas est taxata pro laicis: tamen verius est, inspiciendam esse mensuram divitiarum, seu redditunm, ut singulis annis ludens 5. ex 100. redditus annui, non censeatur peccare mortaliter, ut *Sanchez in decal. lib.* 7. *c.* 19. *n.* 78. Item dicitur parva quantitas, quam facile quis esset donaturus, ut *Angel. & Sylv. apud Rotam loco cit. n.* 5. Item peccant mortaliter clerici prædicti, si publice ludant per *dict. c. Inter dilectos*, *Filiuc. tract.* 4. *n.* 276.

II. Ex *dict. leg. Alearum*, *C. de relig.* statutum est, ut ludo alearum vincenti petitio, seu actio in judicio denegetur, & qui victus solvit, repetere possit condictione ex dicta lege, ut notat ibi *Alber. & alii Doctores*: & hujus causæ Episcopus est judex competens, etiam inter laicos, qui potest ad executionem invocare brachium seculare, ut dicitur in *eod. textu*, *Alber. ibidem*. Unde *gloss. fin. in leg. fin. ff. de aleæ lusu*, ait quod vincens in ludo prohibito, tenetur lucrum victo restituere; & de communi testatur *Caccialap. tract. de ludo n.* 40. Alii dicunt, tutius pauperibus restituere, ut de communi testatur *Rochus apud Clarum* §. *Ludus*, *vers. Item vincens*.

Tamen quoad laicos consuetudo contrarium obtinuit, ut de communi Theologorum, & Legistarum testatur *Clarus ibidem*.

An autem, saltem laicus victus possit in conscientia retinere, quod promisit, & an victori agenti in judicio sit denegenda audientia? respondeo primo, quod mihi pro certo est, denegandam esse petitionem in judicio vincenti actori, licet non detur victo repetitio soluti, ex dictis: quia licet in foro externo toleretur in laicis ludus alearum, non tamen expresse fovendus est, ex *dict. leg. Alearum*. Respondeo secundo, magis probabile esse, quod victus prædicto alearum ludo in summa gravi, seu extra causam honestæ recreationis, teneatur in conscientia solvere victori, quod promisit; quamvis etiam contraria sententia sit probabilis: & Doctores pro utraque parte habes apud *Filiuc. tract.* 37. *n.* 72. *& apud Dianam resolut.* 8. *tract.* 2. *miscell. tom.* 1.

Si autem agamus de ludo inter clericos: respondendum est, non teneri clericum victum ad solvendum, & si solverit, dandam repetitionem, & victori denegandam actionem, ut *Sanchez consil. lib.* 1. *c.* 8. *dub.* 1. *n.* 8. ubi de communi testatur *cum Covar. & aliis*: sed victor poterit tuta conscientia retinere, quod vicit, etiamsi illa pecunia esset ex fructibus beneficii ecclesiastici, donec per sententiam fuerit restituere condemnatus, secundum probabilem sententiam recentiorum, quam tenent *Less. lib.* 2. *c.* 4. *n.* 43. *Sanch. opusc. lib.* 2. *c.* 2. *dub.* 38. *n.* 14. cum multis Doctoribus: quamvis communi sententia antiquiorum teneat, quod si de redditibus beneficiorum clericus ludo exposuit, teneatur victor restituere, & tenet *Navarr. c.* 20. *n.* 10. *Menoch. de arbitr. casu* 399. *n.* 4. & etiam hodie probabiliorem ait *Laym. lib.* 4. *tract. de benef. c.* 3. *n.* 3. §. *Ad alteram*. De religiosis autem est certum, quod sit restituendum monasterio ipsorum quidquid (extra causam honestæ recreationis cum licentia superiorum) in ludo amiserint. Et procedit etiam de religiosis militaribus Sancti Joannis, *Suar. de Relig. tom.* 3. *lib.* 8. *c.* 16. *n.* 25. *Sanch. in decal. lib.* 7. *c.* 8. *n.* 38. *Beya resp. par.* 4. *casu* 31. & probabiliorem fatetur *Diana resolut.* 54. *miscel.* 1. *tom.* 1. & in praxi tenendam æstimo per ea, quæ habet *Rota decis. Buratti* 2. *n.* 11.

Aleatorum susceptores, idest qui, ut dicitur in *leg.* 1. *ff. de aleæ lusu*, *& aleat.* receptant collusores alearum, paratum locum commodare soliti omnibus ludere aleis volentibus, sunt in malo statu, quia semper peccant mortaliter, cum sint causa proxima fraudum, rixarum, & blasphemiarum, ut patet ex *dict. leg.* 1. *& leg. Alearum*, *C. de relig. & samp. fun.* & tenentur in conscientia in subsidium restituere quidquid collusores ibi, seu in ipsorum statione damni passi fuerint, sive ex rixa, sive ex fraude, aut aliter per injustitiam, ut *Sanchez loc. cit. dub.* 21. *n.* 1. *&* 5. cum aliis Doctoribus: & quamvis pro foro externo reprobatum sit exercitium susceptorum, quando publice suscipiunt, *Menoch. de arbitr. casu* 399. *n.* 18. & propter aliquod emolumentum receptant, saltem accipiendo mercedem pro chartis, & pro candela, ut *Jo. de Arc. in d. leg.* 1. *Paris de Put. tract. de ludo n.* 46. tamen pro foro conscientiæ, & canonico, non sunt hæc necessaria, ut teneantur, & arbitrarie puniantur, si tamen frequenter suscipiunt.

III. Aleatores, scilicet publici lusores alearum, idest, qui, ut ait *Menoch. ibi*, *& Rota divers. decis.* 426. *par.* 1. indifferenter, seu cum diversis, & ad longum tempus, & de notabili quantitate, & frequenter ludunt; itemque aleatorum susceptores, sunt personæ viles, et infames, ut habetur in *c. Inter dilectos*, *de excess. Prælat. ibid. Abb. n.* 1. *&* 2. *Barbos. n.* 3. ubi plures allegat, et *Garz. de benef. part.* 7. *c.* 8. *a n.* 38. sed intellige, ut sint infames infamia facti, et non juris, ut *Abb. d. n.* 2. *&* 8. *Garz. a n.* 38. *& seqq.* Quare per triennalem constantem vitæ emendationem infamia cessat, per ea, quæ dixi *part.* 1. *c.* 33. *in fin.* et facit *Auth. Interdicimus*, *C. de Episc. & Cleric. cum auth. Unde sumitur*, ubi clericus aleator detrudendus erat in monasterium ad triennium pœnitentiæ.

Hinc sequitur, quod aleatores, et susceptores sunt repellendi a testimonio ferendo, quando tempore ferendi testimonii retinent talem consuetudinem, *Rolan. a Valle cons.* 34. *n.* 2. *&* 4. *lib.* 2. *Jo. Guterius de contract. juratis c.* 53. *n.* 5. item, quod isti sunt irregulares, ut promoveri non possint ad ordines *gloss. in c. Clerici* 15. *verbo Ad aleas*, *de vit. & hon. Cleric. Majol. lib.* 3. *de irreg. c.* 1. *n.* 7. durante scilicet infamia prædicta; secus post triennalem vitæ emendationem, ut dixi.

Item sequitur, secundum multorum sententiam, quod isti ratione infamiæ facti sunt inhabiles ad obtinenda beneficia ecclesiastica, ita ut collatio eis facta, sit eo ipso jure nulla, ut tenet *Abbas in d. c. Inter dilectos*, *n.* 6. *Bernar. Diaz in praxi c.* 73. *n.* 2. et plures allegat, et sequitur *Barbos. in d.*

s, Inter dilectos n. 4. et tenet *Rota diverf. decif.* 426. *n.* 2. ubi quod collatio facta clerico, publico notorio aleatori, est ipso jure nulla; si autem non erat publicus notorius lusor, est irritanda: et ibi habes modum probandi, seu articulandi super publicitate, et notorietate, et consuetudine ludendi. Contra tamen alii multi tenent, quod collatio beneficii facta infami infamia facti, ut aleatori publico notorio, non sit ipso jure nulla, sed annullanda: quos allegat, et sequitur *Garz. loc. cit. n.* 47. & *Salzedo ad Diaz c.* 73. *cit. lit. D.* qui dicunt, secus esse in collatione facta infami infamia juris, quia tunc concedunt, fore nullam ipso jure.

Utraque autem sententia est probabilis, et fere æquali numero Doctorum suffulta. Illud est certum: primo, quod si agatur de beneficio aleatori conferendo, vel de eo instituendo, vel confirmando, repellendus erit, et cassanda præsentatio, nominatio, seu electio, ut *dict. c. Inter dilectos, ibid. Abbas n.* 6. & *Rota diverf. loco cit. n. ult.* & *Garz. n.* 60. Deinde est certum, quod si clericus aleator, vel susceptor, monitus non desistat, ab officio, et beneficio deponi poterit, ut *Abb. in dict. c. Inter dilectos, n.* 6. *Sylv. Prepof. Gemin.* & *Caccialup.* quos sequitur *Majol. d. c.* 1. *n.* 7. *lib.* 3. quamvis de hoc dubitet *Bernar. Diaz c.* 73. *n.* 2. qui putat, pro arbitrio judicis esse puniendum.

CAPUT I.

Majestatis læsæ crimen.

I. Reus læsæ majestatis tam in primo, quam in secundo capite legis Juliæ, efficitur ipso jure infamis, ex *lege Quisquis, C. ad leg. Juliam majestatis, Farinac. quæst.* 116. *n.* 4. cum addoctis per eum; et consequenter est irregularis, ut notat *Majol. de irregular. lib.* 5. *c.* 47. *n.* 1. ubi ampliat etiam in persona ecclesiastica, offendente suum Principem naturalem, seu temporalem.

II. Præterea, secundum multos Doctores, talis reus læsæ majestatis ipso facto est privatus beneficiis, officiis, jurisdictione, jurepatronatus, et aliis juribus ecclesiasticis, seu juris canonici, propter argumentum a crimine hæresis ad crimen læsæ majestatis: ita tenent *Rebuff. in praxi part.* 3. *tit.* 1. *de modis amitt. benef. n.* 32. *Gonzal. regulae.* 8. *gloss.* 15. *in princip. n.* 72. *Barbof. alleg.* 52. *n.* 233. Sed hæc doctrina communiter rejicitur, quia non est ipso facto privatus juribus ecclesiasticis, sed potest per sententiam privari: ita *Barb. in extravag. Qui sint rebelles, verbo Rebellando n.* 21. *Bern. Diaz in praxi cap.* 121. *in fin. Farinac. quæst.* 116. *n.* 70.

III. Si tamen clericus, habitu dimisso, committeret crimen læsæ majestatis in suum Principem temporalem, etsi non sit proprie reus læsæ majestatis, sed proditionis, quia ipse non est subditus Principis temporalis, *Clar. §. fin. quæst.* 36. *Farin. q.* 111. *n.* 261. nihilominus, secundum multos Doctores, ipso facto omne privilegium clericale amitteret, etiam fori, et canonis, etiam nulla monitione præcedente, per *cap. Perpendimus* 23. *de sent. excommunic. Boss. tit. de foro comp. n.* 139. *Clarus loco cit. verf. Quæro nunquid, et verfic. Quæro modo*, ubi testatur de communi, et tenet *Guid. Papa decif.* 40t. Sed vide, quæ dixi *verbo Apostasia ab ordine c.* 4. *n.* 7. ubi cum probabiliori sententia, et communi Theologorum dixi in similibus, clericum, sine monitione, amittere solum privilegium fori, sed non canonis.

IV. Insuper reus læsæ majestatis in personam ipsiusmet Principis, est ipso jure privatus immunitate ecclesiastica, scilicet sacri asyli, seu refugii, ex Bulla *Gregor. XIV.* de qua dixi *verbo Immunitas c.* 1. requiritur tamen Episcopi declaratoria, ut patet ex ea Bulla.

V. Filii reorum læsæ majestatis in primo capite, sunt ipso jure infames, ex *leg. Quifquis, C. ad leg. Juliam majestatis, §. Filii vero*; unde indigni sunt, et inhabiles ad honores, non solum seculares, sed etiam ecclesiasticos, *Archid. in c. Si quis* 6. *quæst.* 1. *Bellamer. n.* 2. *Turrecr. n.* 32. *Præpof. n.* 2. *Farin. quæst.* 116. *n.* 83. et consequenter sunt irregulares, et minime promovendi ad ordines, vel beneficia, *Gigas de crim. læsæ majestat. lib.* 3. *rub. de pœnis quas filii, et c. quæst.* 12. *Farin. n.* 83.

Sed limita, ut non procedant hæc in filiis jam clericis ecclesiasticis existentibus, quando parentes ipsorum committunt crimen læsæ majestatis in personam sui Principis temporalis, *Archid. et Præpof. in d. c. Si quis n.* 3. *Turrecr. ibi n.* 7. *Francus in c. Felicis n.* 5. *de pœnis in* 6. *Farinac. loc. cit. n.* 117. *et* 118.

Limita secundo, ut procedant tantum, quando pater commisit læsæ majestatis crimen per conjurationem, seu factionem initam, ex dicto *c. Si quis, Farinac. n.* 69. *et* 112.

Limita tertio, quod non procedunt, nisi pater fuerit per definitivam condemnatus, confessus, vel convictus; non autem si in contumaciam condemnatus, non præcedentibus plenis probationibus, *Farinac. n.* 130.

Limita quarto, quod si pater reus, fuit restitutus a Principe, filius non est amplius infamis, nec irregularis, *Canonista loco cit. et Farin. n.* 141.

Limita quinto, quod multi dicunt, pœnas filiorum ex *d. leg. Quifquis*, non esse usu receptas, *Farinac. n.* 144.

CAPUT II.

Majestatis læsæ crimen, offendendo in persona Summum Pontificem, vel Cardinales, vel ad id cooperando.

Nota, quod nulla est censura specialiter lata in offendentem personam ipsam Papæ: tamen multæ in tali casu incurruntur latæ contra offendentes clericos, Episcopos, Patriarchas, & Cardinales: & quod pœnæ omnes in jure latæ in *c. Felicis de pœnis in* 6. contra offendentem Cardinales, procedant contra offendentem Pontificem Romanum, docet *Afflic. tit. quæ sint regalia, verbo Et bona committentium n.* 19. *Farin. in praxi q.* 116. §. 1. *n.* 4. *et* 28. *Boss. tit. de crim. læsæ Majest. n.* 60. *Sanch. in decal. lib.* 2. *c.* 28. *n.* 20. qui plures Doctores allegat.

☞ *In Extravaganti tamen Pauli II.* Etsi Dominici 3. *de pœnit. et remis. in concessionibus, quæ aliquando dari solent a Papa absolvendi a casibus, et censuris eidem reservatis, excipiebatur casus*— conspirationis in personam, aut statum Romani Pontificis, seu cujusvis offensæ, inobedientiæ, seu rebellionis ejusdem Pontificis, vel Sedis Apostolicæ — *qui autem hodie casus excipiantur in similibus concessionibus, attendendus est earum tenor.* ☜

I. Excommunicatio igitur prima incurritur, per injectionem scilicet manus in personam Papæ, vel Cardinalis, ex *c. Si quis suadente* 17. *q.* 4. quæ est Papæ reservata, de qua dixi *verbo Injuria c.* 2.

II. Alia etiam excommunicatio Papæ reservata, & pœnæ latæ sunt in *Clem.* 1. *de pœnis*, contra percutientem, capientem, bannientem Episcopum consecratum, & contra filios taliter delinquentium, & interdictum contra loca, de quibus dixi *verb. Injuria c.* 4. quæ similiter, & a fortiori procedunt, quando tales actiones contra Romanum Episcopum, quod absit, exercerentur.

III. Alia etiam excommunicatio est latæ sententiæ in *c.* 11. *Bulla in Cœna Domini*, Papæ reservata, contra interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter persequentes S. R. Ecclesiæ Cardinales, vel Episcopos, Archiepiscopos, Patriarchas, aut eos a suis diœcesibus, terris, seu dominiis ejicientes, & contra talia mandantes, rata habentes, vel præstantes in eis auxilium, consilium, vel favorem; de qua dixi *verbo Injuria cap.* 5.

IV. Insuper *cap. Felicis de pœnis in* 6. contra eum, qui Cardinalem, & a fortiori, si Papam, fuerit hostiliter insecutus, vel percosserit, vel ceperit, vel socius fuerit facientis, aut fieri mandaverit, vel factum ratum habuerit, aut consilium dederit, vel favorem, aut postea receptaverit, vel defensaverit scienter eundem, lata est, primo excommunicatio; & quandiu in sua contumacia perduraverit, singulis Dominicis, & festis, pulsatis campanis, & candelis accensis, per omnes illius loci Ecclesias, in quo tantum facinus fuerit attentatum, & civitatum, & diœcesum vicinarum est excommunicatus publice denunciandus, & absolutio Papæ reservatur: secundo lata est ibidem, tanquam contra reos læsæ majestatis, pœna infamiæ juris, & consequenter etiam irregularitatis, ut dixi *cap. præcedenti*; tertio pœna lata est perpetuæ diffidationis, & banni: quarto, ut sint intestabiles, ut nec liberam habeant testamenti factionem, nec ad alicujus bona ex testamento, vel ab intestato vocentur: quinto domus diruenda in perpetuum: sexto nullus respondere eis in judicio tenetur; sed post absolutionem a censura poterunt suam, & suorum injuriam in judiciis prosequi, & repetere credita post absolutionem quæsita: septimo bona ipsorum sunt ipso jure confiscata: octavo sunt ipso jure privati feudis, locationibus, & beneficiis spiritualibus, & temporalibus, quæ ab Ecclesiis obtinent, & ad caf-

easdem Ecclesias libere revertuntur: nono, ut cum fuerint absolvendi ab excommunicatione prædicta, idonee caveant, quod injunctæ pœnæ, seu pœnitentiæ parebunt; & debent eam pœnitentiam facere, ut per omnes Ecclesias principales illius loci, vicinorumque locorum diebus Dominicis, & solemnibus incedant nudi coram populo, femoralia tantum habentes, & ferulas deferentes in manibus, cum quibus per easdem Ecclesias publice fustigentur, ituri postea ultra mare, acturi pœnitentiam ad minus per tres annos, nec inde recessuri sine licentia Papæ speciali: decimo filii, & nepotes, per lineam rectam ipsius virilem descendentes, sunt ipso jure privati omni beneficio ecclesiastico, & infamia juris affecti, & inhabiles ad publica officia, & testimonium ferendum in judicio, & ad omnes actus legitimos; & irregulares, ut promoveri ad ordines nequeant, aut ad beneficia, aut officia ecclesiastica, omni spe dispensationis adempta; imo sunt etiam irregulares, ut non possint ministrare in susceptis, ut *Gigas de crimin. læsæ majest. tit. de pœnis filiorum q.* 12. undecimo civitas quælibet, præter Urbem Romam, quæ prædicta facientibus consilium, vel auxilium dederit, vel favorem, vel intra mensem taliter delinquentes, prout potuerit, non duxerit puniendos, pontificali, seu episcopali est eo ipso dignitate privata; & nihilominus remanet interdicta: duodecimo, si Princeps, Senator, Consul, Potestas, vel alius dominus, sive Rector contra præsumptores prædictos, præsentis Constitutionis tenorem non fecerit observari, tam ipse, quam officiales ipsius, infra mensem, postquam res ad notitiam eorum pervenerit, eo ipso sententiam excommunicationis incurrunt: sed non est reservata.

V. Ex Bulla 93. Pii V. *Infelicis*, excommunicatio, & pœnæ latæ in *d. cap. Felicis*, cum eadem reservatione, sunt extensæ contra non revelantes, quamprimum sciverint, vel conjecerint factum, vel faciendum aliquid ex prædictis: & debet denuntiatio fieri Papæ, si in Curia fiat delictum, alias fiat Ordinario loci: & mandatur Episcopis, ut statim id Papæ denuntient; non tamen sub eisdem pœnis: item si Ordinarius ipse sit Cardinalis offensus, tunc viciniori Episcopo: quod si crimen nondum sit commissum, etiam ipsi Cardinali debet fieri revelatio: & procedit quantumvis occultum sit crimen. Hanc Constitutionem *c. Felicis* explicant ibi *Canonistæ*, & satis diffuse *Barbosa ibidem*, *& Farinac. quæst. criminal.* 112. *a n.* 75. *cum seqq.*

Nota circa secundam pœnam, scilicet infamiæ, quod in conscientia non ligat ante declaratoriam sententiam, aut confessionem judicialem, *Farinac. quæst.* 116. §. 1. *n.* 4. *&* 5. *& quæst.* 112. *num.* 120.

Circa tertiam pœnam nota, quod licet iste bannitus, & proscriptus ipso jure habeatur, & bannitus ob crimen læsæ Majestatis possit impune occidi, ut hostis publicus, *l.* 3. §. *fin. ff. ad leg. Corn. de sicar. Farin. quæst.* 103. *n.* 13. *& quæst.* 116. *n.* 27. tamen intelligendum est, procedere, quando est in actu, & exercitio rebellionis, vel lata sententia declaratoria banni ex hoc capite, ut *Clarus* §. *Læsæ majestatis crimen, vers. penul. Farin. cons. crimin.* 113. & dixi *verbo Assassinium.*

Nota tertio, alias pœnas privationum jurium, & actionum, & confiscationem bonorum, secundum probabiliorem, requirere sententiam declaratoriam, ut *Sanch. lib.* 2. *c.* 22. *n.* 3. *in decal. Suar. de fide disp.* 21. *sect.* 21. *n.* 20. *Farin. q.* 116. §. 1. *n.* 15. similiter pœna, quod sit intestabilis, non ligat ante declaratoriam, unde poterit capere legata, & hæreditates, *Less. lib.* 2. *cap.* 19. *n.* 52. *Sanchez lib.* 2. *c.* 14. *n.* 31.

Nota quarto, circa pœnam irregularitatis, tam ipsius rei, quam filiorum, quod ligat ipso facto ante declaratoriam, quia infertur per se, & non pendet ex infamia, ut *Sanchez lib.* 2. *c.* 27. *n.* 28. quod intellige, dummodo crimen sit notorium, ut dixi *verbo Hæresis cap.* 3.

Nota quinto, circa censuram interdicti, quod non ligat ante denuntiationem nominatim factam de tali loco, *Suar. de censur. disp.* 37. *sect.* 2. *n.* 5. *Conich. de censur. disp.* 17. *dub.* 5. *in fin.*

Nota sexto, circa pœnam privationis sedis episcopalis, quod non ligat ante declaratoriam, cum sit dejectio de proprio statu, & jure acquisito, & possesso: & dixi *par.* 1. *c.* 40.

Nota septimo, circa prædictas pœnas, ut non procedant, si quis Cardinalem percutiat, vel occidat, justæ defensionis causa, per ea, quæ *Cherubin. in compendio super Bulla* 93. *Pii V. schol.* 2.

Nota octavo, quoad non revelantes, admitti purgationem moræ, ex *d. Bulla Pii V.* ubi si ad sanitatem reversi, crimen adhuc occultum detexerint, omni noxa penitus liberentur, unde poterunt absolvi ab excommunicatione incursa, & cessabit reservatio eo ipso, propter particulam, penitus, *Tiraq. in leg. Si unquam, verbo Revertatur n.* 105.

CAPUT III.

Majestatis læsæ crimen per hostilem invasionem in bona Papæ, vel Cardinalis.

Vide *verbo Conclave cap.* 9. ubi reperies Constitutionem *c. Felicis* ex parte ad hunc casum extensam fuisse ex Bulla Leonis X.

CAPUT IV.

Majestatis læsæ crimen inquirentium per viam superstitionis de vita, & morte Papæ, vel Reipublicæ Christianæ statu, vel consanguineorum Papæ.

Vide *verbo Superstitio num.* 3.

CAPUT V.

Majestatis læsæ crimen offendentis familiares Papæ, vel Cardinalis.

I. IN *c. Felicis, de pœnis in* 6. §. *Præmissis etiam*, statutum est, ut si quis aliquem de clericis, vel religiosis familiæ Papæ, vel Cardinalis hostiliter insecutus fuerit, vel percusserit, vel ceperit, vel socius fuerit facienti, aut fieri mandaverit, vel factum ratum habuerit, aut consilium dederit, vel favorem, aut postea receptaverit, vel defensaverit scienter eundem, proportionetur pœna delicto: ex quibus verbis textus nonnulli Doctores æstimant, pœnas *d. cap. Felicis* latas contra offendentem Cardinalem, vel, ut supra, cooperantem, esse extensas contra offendentem modis prædictis familiares Papæ, vel Cardinalis, si isti familiares sint clerici, vel religiosi, & dummodo offendantur, quatenus sunt familiares Papæ, vel Cardinalis, nempe in odium Papæ, vel Cardinalis, cui famulantur: unde dicunt, taliter delinquentes incurrere etiam excommunicationem ibi latam contra offendentes Papam, vel Cardinales, ita tenet *Marius Alterius tom.* 1. *lib.* 5. *disp.* 12. *c.* 3. §. 7. *Armilla verbo Excommunicatio n.* 13. §. *Excomm.* 2. *Sylvest. verbo Excommunicatio* 7. *n.* 22. & hanc sententiam fere communiter a DD. tradi, ait *Bonac. de censur. particular. dis.* 1. *q.* 12. *pun.* 2. *n.* 12. sed contraria sententia est vera, & communis, quod in *d. c. Felicis* nulla determinata sit pœna contra offendentem familiares prædictos, sed solum ibi decernatur, tales puniendos arbitrio judicis; gravius quidem, quam si aliquem alium clericum, vel religiosum offendissent: & ita tradunt *Archid. in dict. c. Felicis n.* 16. *Francus ibi in* §. *Illud*, *Menoch. de arbitrar. casu* 552. *n.* 1. *& Bonac. loco citat.* & idem sentiunt alii Doctores communiter, qui exponunt dictam excommunicationem latam in *cap. Felicis*, qui eam non extendunt ad offendentem familiares prædictos, ut *Toletus lib.* 1. *c.* 35. §. *Nona excomm. Suar. de censur. disp.* 22. *sect.* 3. *n.* 12. *& seqq. Navarr. c.* 27. *n.* 96. *&* 97.

II. Illud verum est, tales delinquentes aliqua ratione dici reos læsæ majestatis ex dicto textu, ut tenet *Farin. quæst.* 112. *n.* 103. Præterea verum est, incurrere in excommunicationem *can. Si quis suadente* 17. *quæst.* 4. si offensa sit cum violenta manus injectione, ut percutiendo, vel capiendo, non autem solum insequendo hostiliter sine ulla violentia, seu contactu circa personam.

III. An autem dicti delinquentes incurrant in excommunicationem latam in *cap.* 11. *Bullæ in Cœna Domini* contra offendentem Cardinales: aliqui affirmant, ut *Vrvald. super eod. cap.* 11. *num.* 86. *& Sayr. lib.* 3. *cap.* 15. *n.* 4. sed contraria est vera, & communis, ut *Alter. Sousa*, *Duard.* quos sequitur *Bonac. num.* 11. *loco cit.*

An vero incurrant in excommunicationem latam in *c.* 12. *Bullæ in Cœna Domini*, contra offendentes eos, qui in Curia pro suis negotiis morantur? respondeo negative, quia ipsa causa famulatus non dicitur negotium, de quo *ibi Marius Alterius disp.* 13. *cap.* 1. §. *Verum non incurritur*: sed utrum si quis dictos familiares offenderet in persona, prætextu jurisdictionis, quam vere non haberet in illos, in Curia

ria morantes, incurreret in excommunicationem latam in *cap. 9. Bulla in Cœna Domini*, etiamsi isti familiares offensi non essent personæ ecclesiasticæ? aliqui affirmant, ut *Cajet. excomm. c. 14. Toletus lib. 1. cap. 25. §. Aliud dubium, Filuc. tract. 16. num. 162.*

Sed contraria est verior, quia textus ille loquitur de morantibus in Curia formaliter, idest propter negotia, aut officia Curiæ, seu quæ ad Curiam Papæ pertinent, ejusque audientiam, in materia gratiæ, vel justitiæ: ita *Suarez disp. 21. sect. 2. n. 66. Alter. disp. 10. c. 2. & 5. Duardus in Bullam c. 9. quæst. 34. & 37. Ugolin. ibi vers. Necnon illos, Bonac. pun. 1. n. 39. super eo cap. 9.*

CAPUT I.

Manus sibi inferens violentas.

I. EXxcommunicationem incurrit Papæ reservatam clericus, vel monachus, seu religiosus, sibi manus inferens violentas, scilicet se ipsum percutiens malo animo, *ex can. si quis suadente 17. quæst. 4.* secundum magis communem sententiam, ut dixi *sup. verb. Injuria c. 2. §. Amplia tertio, &* de communi testatur *Farinac. quæst. 128. n. 25.* tenet *Menoch. de arbitr. casu 284. §. Nam, & si quis n. 5. & alii a me relati loco citato.*

II. Infamiam juris incurrit, & consequenter etiam irregularis efficitur is, qui sibi manus violentas intulit, se ipsum vulnerando, aut alias se occidere procurando, etiamsi non metu reatus, & pœnæ, sed tædio vitæ, dolore, aut furore, seu morbo, secundum *nonnullos DD.* & ita tenet *Richar. Malumb.* quem allegat, & sequitur *Jo. Andr. in addit. ad specul. tit. de pœnis §. un. verb. Prælibatam, & Farinac. loco cit. n. 31.* qui ponunt exemplum in advocato, qui pudore æris alieni tentavit se occidere; & concludunt, eum abradendum de matricula tanquam infamem; & probant hanc doctrinam *leg. Si quis aliquid in fin. ff. de pœn. leg. Omne delictum §. Qui se vulneraverit ff. de re mil.* ubi miles, qui sibi manus intulit, si metu pœnæ id fecit, capite puniendus est: si autem impatientia doloris, aut furore &c. cum ignominia mittendus est: & absolute de omni clerico tenet *Majol. loco cit.* sed contra dicendum puto in paganis, scilicet in iis, qui milites non sunt; quod, si furore, aut dolore sibi manus inferant, nullam juris infamiam, neque pœnam aliam externi fori civilis incurrant: si autem metu pœnæ, cum sint rei postulati de crimine capitali, seu publico judicio, tunc cum ex hoc habeantur tanquam confessi, incurrunt juris infamiam, & consequenter sunt irregulares, per *leg. fin. §. Si quis autem ff. de bon. eorum, Menoch. de arbitr. d. casu 284. n. 23. & seqq. Farinac. dict. quæst. 128. n. 37. & 39.* Nec obstant *tex.* citati, quia id speciale est in milite, in quo major requiritur constantia, & fortitudo, ut notant *Igneus in leg. 1. §. Si sibi manus ff. ad S. C. Syllan. Menoch. loco cit. n. 23.* & consentit *Farin. ibi n. 23.* imo neque miles dolore, aut furore sibi manus inferens, erit infamis, nisi ratione ignominiosæ missionis, ut ibi dicitur, & per ea, quæ dixi *verb. Bellum cap. 2. in fin.* neque obstat *Majol. ubi sup.* quia intelligendus est de irregularitate improprie dicta, orta ex infamia canonica, quæ incurritur ex omni peccato mortali; sed sola etiam pœnitentia, seu contritione deletur, ut *Navarr. c. 27. n. 204. Sayr. lib. 7. de cens. cap. 11. n. 18.*

III. Irregularitatem incurrit mutilans sibi aliquod membrum, vel partem membri extra casum necessitatis, ut dixi *verb. Membrum cap. 1.*

IV. Testamentum illius, qui sibi manus intulit metu pœnæ, postquam reus fuit postulatus de crimine publico, scilicet merente pœnam mortis, est invalidum; & omnia illius bona fisco applicantur, secus si impatientia doloris, aut luctus &c. *leg. Qui rei, in princ. ff. de bon. eorum. leg. 1. §. Si Quis non metu ff. ad Syllan. leg. 2. C. qui test. fac. poss.* sed hæc pœna non ligat in foro conscientiæ ante sententiam declaratoriam, ut dixi *part. 1. c. 39.*

V. Sepultura ecclesiastica, & suffragiis, & oblationibus privatus manet is, qui se ipsum voluntarie occidit, sive timore pœnæ, sive impatientia doloris &c. *cap. Placuit ibi DD. 23. quæst. 5. Menoch. de arbitr. d. casu 284. n. 35. Farinac. d. quæst. 128. n. 16.*

Limita omnes pœnas prædictas, ut non procedant contra eum, qui furore, seu dementia sibi manus intulit: quia actus furiosi, seu mente capti, non sunt humani, sed tanquam a casu reputantur, *leg. Divus ff. de off. præf. gloss. in Clem. 1. de homic. verbo Furiosus, Tiraquell. de mitig. pœn. causa 2. n. 1.* ideo pœnam non merentur, ut *dixi par. 1. cap. 19.* unde furiosus aliquem mutilans, vel occidens, non fit irregularis, scilicet ex homicidio, ut *Clemen. cit. de hom.* sed est solum irregularis ratione furoris, ut dixi *d. c. 19.* neque furiosus se ipsum occidens, privatur ecclesiastica sepultura, *gloss. in d. c. Placuit verbo Voluntarie 25. q. 5. Farinac. d. q. 128. n. 18. cum communi sententia.*

In dubio tamen sibi manus inferens, per se loquendo, non præsumitur furore insanus, seu mente captus, sed deliberate, & cum peccato mortali id facere, ut *Layman lib. 3. tract. de injusta læsione corporis cap. 1. n. 8.* & nemo præsumitur furiosus, aut demens, nisi probetur, ut late *Menoch. præsumpt. 45. n. 18. & 22. lib. 6.* tamen ex conjecturis probatur furor, seu amentia illius: primo, quando constat, talem prius fuisse virum probum, ac satis pium, ita *Layman ibi*: secundo, si constat, eum melancoliæ morbo affectum fuisse, seu atra bile laborasse, *Clar. quæst. 60. §. Item quæro, Layman ibi*: tertio si passio illa, & affectus sibi manus inferendi, non fuit in illo ad breve tempus, sed perseverans, & habitualis; tunc enim signum est, non hoc fecisse ex accidentali iræ passione, sed ex causa permanente, fundata in læsione organorum, vel humorum; ergo apparet, eum proprie furiosum esse, & mentecaptum, ut *Navarr. c. 25. num. 72. vers. Admoneo te, Molin. de just. tract. 3. disp. 70. n. 12. Ugolin. de irregul. c. 53. in princ. n. 4.* unde *Aristot. problem. sect. 30.* ait, illam inclinationem occidendi se ipsum ex eo provenire, quod calor naturalis violenter, seu contra naturam in tali persona marcescat, ob nimiam atræ bilis frigiditatem. Alias etiam conjecturas ad probandum furorem, seu dementiam late prosequitur *Menoch. loco cit. præsump. 45. lib. 6.*

Limita secundo cum *Layman d. cap. 1. n. ult.* quod occidens se ipsum, si ante mortem signa pœnitentiæ ediderit hujus facinoris, non erit privatus ecclesiastica sepultura: non tamen effugiet pœnas externi fori, de quibus supra diximus, ita *Layman ibi cum Sylvest.*

☞ CAPUT I.

Marchiæ Anconitanæ rectores, & officiales offendentes dictæ provinciæ Præsidentes, tam in spiritualibus, quam in temporalibus.

EX *Extravaganti unica Joan. XXII.* Dierum *de pœnis, in qua enumerantur decem, & septem modi offensionis, præter pœnas temporales ibidem inflictas, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam: universitas vero, seu communitas, ejusque territorium, & districtus subjacent ipso facto interdicto ecclesiastico: insuper ecclesiastici quicunque, etiamsi episcopali, archiepiscopali, vel patriarchali, vel superiori dignitate præfulgeant, ipso facto privati sunt dignitatibus, officiis, & beneficiis ecclesiasticis, vel mundanis, inhabilesque redduntur ad ea, & qualibet alia in posterum obtinenda.* ☜

CAPUT I.

Matrimonia sacerdotes, vel clerici, vel religiosi solemnizantes, aut matrimonio conjungentes sine licentia parochi.

EX *Clem. 1. de privil.* religiosi, qui matrimonia solemnizare præsumunt, non habita super eo parochi licentia speciali, excommunicationem incurrunt ipso facto, per Sedem Apostolicam dumtaxat absolvendi, quos etiam locorum Ordinarii, postquam de hoc eis constiterit, excommunicatos debent facere publice denuntiari, donec de absolutione ipsorum eis fuerit facta fides; nullo religiosis eisdem super hoc exemptionis, vel alio privilegio suffragante.

Limita, & declara, quod licet alibi solemnizatio nuptiarum contineat benedictionem nuptiarum, & traductionem ad domum, convivia, & alia signa lætitiæ, ut *text. & DD. in c. Non oportet 1. & 2. & c. Non licet, & cap. Nec uxorem 33. quæst. 4. Sanch. lib. 7. de matrimon. disput. 7. n. 16. & 17.* tamen hic solum continet benedictionem nuptiarum, quia ea sola tempore hujus Clementinæ ad parochos pertinebat, ut *Sayr. lib. 3. de cens. cap. 29. n. 32. Sanch. d. disp. 7. n. 18.*

Ex *Trident. sess. 24. cap. 1. de reform. matrim.* si quis parochus,

rochus, vel alius sacerdos, sive regularis, sive secularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio, vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius parochiæ sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tandiu suspensus manet, quandiu ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.

Adverte, quod multi putant, decretum hoc pœnale non abrogasse pœnam excommunicationis, latam in Clementina præfata, & ideo dicunt, regulares, illius Clementinæ transgressores incurrere & illam excommunicationem, & hanc suspensionem, quia regulam statuunt, quod pœna nova non tollit antiquam, quando sunt latæ sententiæ; secus si ferendæ: ita in terminis tenet *Sanch. lib. 3. de matrim. disput. 48. n. 8. cum Navarro, & Majolo*, & tenet *Marius Alterius tom. 2. disput. 11. cap. 5. col. 6. & 7. Ugolin. & Molfesius*, quos allegat, & sequitur *Barbos. in d. Clemen. 1. n. 7.* Contrariam tamen sententiam multi tenent, scilicet abrogatam esse excommunicationis pœnam in *d. Clem.* latam, per suspensionis pœnam latam in Tridentino, quia pœna gravior antiqua censetur abrogata per pœnam mitiorem novam: ita *Henriq. lib. 13. c. 38. Sayr. lib. 2. cap. 15. n. 10. Bonac. de susp. particul. disp. 3. quæst. 3. punct. 5. n. 6. Rebell. posth. 4. lib. decl. sect. 2. n. 83. Basil. Pontius de imp. matrim. cap. 26. §. 2. & §. 6. Suar. de censur. disp. 12. sect. 4. n. 13.* & ita invenio responsum a Sacra Congregatione Concilii.

Adverte secundo, quod in hanc suspensionem incurrit transgressor, si sit parochus alienus, etiam non sacerdos, vel si sit sacerdos, non habens parochiam, ut *Sanch. disp. 49. n. 3. lib. 7.*

Adverte tertio, sufficere licentiam Ordinarii loci, quia appellatione proprii parochi, venit etiam Ordinarius diœcesanus, *Sanch. lib. 7. disp. 82. n. 2. Salzedo ad Diaz in praxi cap. 76. §. 14. Rota recent. part. 1. dec. 166. n. 8. cum Sac. Congreg.*

Adverte quarto, quod multi putant, hanc suspensionem esse solum ab officio, seu a divinis, *Sayr. lib. 4. cap. 15. n. 10. de censur. Suarez disput. 31. de censur. sect. 4. n. 18. Filiuc. tract. 17. n. 10.* sed alii dicunt, esse ab officio, & beneficio, *Bonac. de censur. partic. disput. 3. q. 3. punct. 5. n. 7. Hurtado de matrim. & cens. tract. de suspens. diffic. 13. n. 40. Franc. Molina differ. 11. n. 149. lib. 2. de ritu nupt. Barbos. de offic. parochi cap. 21. n. ult. & in cap. 1. de secund. nupt. n. 6.* & hæc videtur ex verbis textus generalibus.

Adverte quinto, quod si sponsus asserat, se licentiam habuisse a parocho, si ipse est fide valde dignus, potest stari dicto illius; *Sanch. lib. 3. disp. 37. n. 3.* item si impugnetur matrimonium ex hoc capite defectus licentiæ parochi ab alio, quam ab ipso proprio parocho, tenetur impugnans probare, & præsumitur adfuisse, ut *Sanch. ibi n. 5. & Masc. concl. 982.* præsertim si post matrimonium contractum coram alieno sacerdote, proprius parochus, sciens hoc, non reclamavit, neque conquestus est, & ita late *Menoch. in simili lib. 2. præs. 33. n. 7. cum multis DD. Lap. alleg. 126. n. 1. & ibi Mandos. cum communi, Mascard. de probat. concl. 982.*

CAPUT II.

Matrimonium bigami.

I. Irregularis efficitur, ut nunquam possit ad ordines promoveri, nec beneficium, aut pensiones ecclesiasticas obtinere, ob bigamiam proprie dictam, seu formalem, is qui, soluto primo matrimonio legitime contracto, & consummato, aliud legitime contrahit, & consummat: probatur ex *Apostolica traditione 2. Timoth. 3. & can. Apost. 16. & ex cap. 1. de bigam. non ord. & Trident. sess. 23. cap. 17. de ref.* de qua re vide *Sanchez lib. 7. de matr. disp. 83. n. 8. Gutier. de matrimon. cap. 107.*

Eodem modo irregularis efficitur ex bigamia interpretativa, seu virtuali, qui matrimonium contrahit, & consummat cum vidua, aut alias cum muliere corrupta, idest jam ab alio carnaliter cognita, ut *cap. Si quis viduam, 50. dist. cap. Debitum, & cap. fin. de big.* & procedit, etiamsi mulier fuisset ab alio vi, aut ignoranter, seu sine suo consensu cognita; quia hæc irregularitas non est pœna, seu ex delicto, sed ex defectu, est communis sententia apud *Sanch. disp. 84. n. 9. lib. 7. Garziam de benef. par. 7. cap. 6. n. 18.* non procedit, si ducat uxorem a se corruptam, *Layman de irregularit. cap. 6. n. 3.*

Super irregularitate ex bigamia, sive propria, sive interpretativa, solus Papa dispensare potest, ut censuit *Sacra Congreg.* apud *Garziam ibi n. 3.* dicam infra *verbo Ordo c. 2.* facilius tamen Papa dispensat super irregularitate ex bigamia interpretativa, quam super proprie dicta, *Rota recent. part. 1. decis. 367. n. 6. cum ibi alleg.*

Nota, quod dixi, ad bigamiam inducendam requiri matrimonium esse consummatum, per copulam scilicet conjugalem; quia ex solo contractu non dicitur vir divisisse in plures carnem suam, unde non deficit significatio Sacramenti, ut *cap. Debitum de bigam. Rota decis. 519. n. 5. par. 2. recent.* in dubio autem de consummatione, si conjuges cohabitaverunt duobus saltem mensibus a die contractus, præsumptio est violenta, quod matrimonium consummaverint, *gloss. in cap. Si quis accepit 33. q. 1. Rota d. decis. 519. n. 6.* nisi hæc præsumptio aliunde infringatur; ut constito de virginitate fœminæ per inspectionem duarum matronarum, *cap. pen. de prob. Sanch. lib. 7. dis. 113.* vel constito, quod vir, aut mulier a die contractus semper tali infirmitate laboraverit, qua stante, copula reddatur inverisimilis, *Rota ibi n. 7.* vel constito, quod vir non excedebat decimum quartum ætatis annum, *Sanchez dis. 104. n. 4. lib. 7.*

II. Privilegio clericali quocunque, omnibusque beneficiis, ac pensionibus ecclesiasticis ipso jure privatur clericus in minoribus, si bigamus fiat, ut dixi supra, *verbo Apostasia cap. 4. n. 5. & 6.*

III. Vir, & mulier, soluto primo matrimonio, transiens ad secunda vota, seu ad secundas nuptias, diversas pœnas incurrit ex jure civili, quarum aliquæ sunt a jure canonico approbatæ, aliæ sunt abrogatæ, de quibus videatur *C. de secun. nupt. per totum, & cap. pen. extr. eod. tit. Sanch. lib. 7. de matr. dis. 87. & 88. Gutier. de matrim. cap. 108. & 109.* quæ cum non sint ecclesiasticæ, eas, tanquam ad institutum nostrum non pertinentes, omitto.

IV. Ordinans bigamum, secundum aliquos, suspensionem incurrit, ut dicam *verbo Ordo cap. 2.*

V. Ex *c. 1. de secun. nup.* habetur, secundas nuptias non esse benedicendas, & quod benedicens secundo nubentibus, suspensus ab officio, & beneficio, mittendus est ab Episcopo ad Sedem Apostolicam. Hanc suspensionem esse latæ sententiæ ex hoc textu aliqui tenent, ut *Jo. Andr. & Durandus apud Sanch. lib. 7. de matrim. dis. 82. n. 27. in fine*: sed communis sententia ait, esse sententiæ ferendæ ab Episcopo, seu diœcesano, sed cum fuerit promulgata, esse reservatam Papæ ejus absolutionem, ut *Sanch. ibi, Genuens. in praxi cap. 59. n. 5. Barbos. in dict. cap. 1. de secund. nupt.* & alii apud eos communiter.

☞ *Circa missionem ad Sedem Apostolicam vide a me notata pag. 229. post cap. 3. verb.* Injuria. ☜

Amplia, quod de rigore juris procedit, ubicunque, saltem alterius conjugis respectu, sint secundæ nuptiæ, sive sit fœmina, sive vir, ut *cap. Vir autem, eod. tit. Sanch. n. 15.* & ratio est, quia benedictio non debet repeti super eadem materia jam benedicta, ut *d. cap. Vir autem, Sanch. n. 16.*

Limita primo, quod hodie ex generali consuetudine ubique recepta, si fœmina nondum fuerit benedicta, quia sit primo nubens, etiamsi maritus aliam habuerit uxorem, benedicendæ erunt eorum nuptiæ, ut *Genuen. cap. 59. Possevin. de offic. Curati cap. 10. n. 48. Barbos. in d. cap. Vir autem n. 3.*

☞ *Concordat Rituale Romanum in Rubrica de sacram. matrim.* ☜

Limita secundo, quod hodie missio ad S. Sedem in casu prædicto est sublata, ita ut absolutio non sit Papæ reservata, *Sanch. n. 28. Barb. in d. cap. 1. n. 8.* propter *Extrav. Joan. XXII.* per eos relatam.

☞ *Quæ in nulla tamen Decretalium collectione habetur.* ☜

Limita tertio, quod hodie est in arbitrio Episcopi præfato delinquenti, vel suspensionis pœnam inferre, vel eum aliter arbitraria pœna afficere, ut *Sanch. n. 30. Genuens. n. 5. & Menoch. de arbitr. casu 417. n. 8. Barbos. in d. c. 1. n. 7.*

CAPUT III.

Matrimonia plura contrahens contra impedimentum ligaminis.

I. SI maritus, vivente conjuge, aliam ducit uxorem, vel uxor, vivente marito, alium superinduxit, transeundo ad secundas nuptias, nullum est matrimonium, *Matth. cap.* 19. vide *Sanchez lib.* 7. *de matrim. disp.* 79. *& disp.* 80. & habetur *cap.* 2. *& cap. fin. de sponsa duor. & cap. Veniens, de eo, qui duxit:* adest enim impedimentum ligaminis irritans, ut ibi habetur, nisi in tribus casibus.

Primus est, quando, matrimonio primo contracto, sed nondum consummato, alter conjugum religionem approbatam ingreditur, & solemnem facit professionem: quia conjux remanens in seculo, potest secundum matrimonium contrahere, quia primum ipso facto dissolvitur per professionem, *cap.* 2. *de convers. conjug.* & est definitum de fide a *Tridentino sess.* 24. *de matrim. can.* 6. vide *Sanch. lib.* 2. *de matrim. dis.* 18. *n.* 3.

Secundus casus est, quando ex duobus conjugibus infidelibus alter conversus est ad fidem, & alter remanet infidelis, nolens cum converso cohabitare, vel nisi cum illius scandalo, seu cum contumelia in Creatorem; potest enim conversus discedere ab infideli conjuge, etiam post matrimonium consummatum, & ad secundum matrimonium transire, ut *Epist. prima ad Cor. cap.* 7. *& cap. Quanto de divort.* vide *Sanch.* qui late explicat *lib.* 7. *dis.* 74. *&* 75.

Tertius casus, quando matrimonium est ratum inter fideles, non consummatum, & Papa dispensat, & dissolvit illius vinculum, ut possint ad aliud matrimonium transire, de qua re vide *Sanch. lib.* 2. *disp.* 14. *&* 15.

II. Contrahens secundum matrimonium, stante primo, est suspectus de haeresi, & denuntiandus Inquisitori, per *cap. fin. de sponf. duorum*, *Farinac. q.* 140. *n.* 24. Procedit autem S. Officium, dum non constat, eum poligamiam perpetrasse ex concupiscentia, aliave ratione, ut error facti &c. quia interim praesumitur ex errore haereticali id fecisse, *Arnal, Albert. de agnosc. assertion. q.* 23. *n.* 60. *&* 69. *Farin. loc. cit. n.* 24. verum est, quod si recusent (moniti) redintegrare primum matrimonium, sunt excommunicandi, *cap. Cum per bellicam* 34. *q.* 1. non tamen sunt ipso jure excommunicati, ut *gloss. ibi not. & Canonistae*, quidquid dixerit *Farin. ibi n.* 32.

III. Item, qui hoc secundum consummant, incurrunt impedimentum dirimens matrimonium, ut neque defuncto conjuge priori, possint valide inter se contrahere, ut *ca.* 1. *& seqq. de eo, qui duxit*: vide *Sanchez de matrim. disp.* 79. *lib.* 7. sed hoc est verum, si uterque conjux fuit in mala fide, secus si alter ignoravit, alterum esse conjugatum, ut *d. cap.* 1. *Sanch. n.* 31.

Adverte autem, quod soluto primo matrimonio, scilicet morte conjugis, poterit revalidari secundum matrimonium, novo inter ipsos intercedente consensu, *cap. Veniens, ibi gloss. ver. De novo de eo, qui duxit*: & sane si casus sit publicus, vel facile publicabilis, debet denuo contrahi in facie Ecclesiae: si autem casus sit occultus, sufficit privatim renovare consensum, *Sanch. lib.* 2. *cap.* 37. *n.* 11. si tamen in secundo matrimonio adfuit mala fides utriusque, & nihilominus copulam habuerunt; non poterit reparari matrimonium, nisi obtenta dispensatione Apostolica super impedimento criminis adulterii, *cap.* 2. *de eo, qui duxit*.

IV. Item vir, qui aliam superinduxit uxorem, & cum ea consummat, stante primo matrimonio consummato, efficitur bigamus, & irregularis, *Suarez de censur. dis.* 49. *sect.* 2. *n.* 19. *Sanch. de matrim. lib.* 7. *dis.* 84. *n.* 1. *ex c. Nuper de bigamis*; & dicitur bigamia interpretativa, seu virtualis, quia alterum matrimonium non est validum, sed de facto contractum, ut *Sanch. ibid.* haec irregularitas est deterioris conditionis, quia non solum impedit, ne possit quis ad ordines promoveri, sed si fuisset jam promotus, scilicet clericus conjugatus, privatur eo ipso omni privilegio clericali, & foro laico omnino subjectus, & prohibetur deferre habitum, & tonsuram clericalem, *c. un. de bigam. in* 6. neque potest exercere ordines minores ex officio, neque potest esse aedituus, seu sacrista, *Trid. sess.* 23. *c.* 17. *in fin.* & haec procedunt in omni bigamia vera, vel interpretativa, *gloss. & Gemin. in d. c. un. & ibi Jo. Mon. Sylv. verbo Bigamus n.* 8.

V. Item infamis fit ipso jure, qui duas duxit uxores, *leg.* 1. *§. fin. ff. de his, qui not. infam. leg. Eum, qui duas, C. ad leg. Jul. de adult. Farinac. q.* 140. *n.* 15. imo idem est, si sponsalia contrahat cum impedimento ligaminis: itaque repellitur ab omnibus actibus publicis, ut *gloss. in c. Quotquot* 27. *q.* 1. *& ibi Ugo, & Archid.* & consequenter iste ex alio capite erit etiam irregularis.

VI. Episcopus non potest dispensare cum hujusmodi bigamis, ut promoveantur, vel ut ministrent in susceptis; quod secundum probabiliorem etiam de minoribus procedit, ut Doctores, quos allegat *Sanchez lib.* 7. *de matrim. dis.* 86. *n.* 9. *Garz. p.* 7. *c.* 6. *n.* 14. Est quidem a Papa dispensabilis haec irregularitas bigamiae; tamen difficile dispensatur: & facit, quod S. Hieronymus adversus Jovinianum, *c.* 30. ait etiam apud Gentiles Romanos nullum fuisse sacerdotem bigamum, nullum flaminem bimaritum.

VII. Aliqui putarunt, incurrere hujusmodi delinquentes in excommunicationem, ut tenuit *Ghirlan. de poen. omn. coit. quaest.* 14. *n.* 3. sed nullo jure probatur, ut ait *Covarr. de sponf. c.* 7. *§.* 3. *n.* 6. *in fin.*

VIII. Hoc est crimen mixti fori, scilicet fori ecclesiastici, & secularis, quando scilicet constet, non sapere manifeste haeresim, ut supra dixi: ita *Clarus §. Fornicatio, vers. Dicitur etiam, Farinac. dict. quaest.* 140. *n.* 1.

☞ *Ex Constit. Urbani VIII.* Magnum 20. *Jun.* 1637. *poligami, ii scilicet, qui falsis attestationibus deceperunt Curiam ecclesiasticam ad obtinendam licentiam contrahendi novum matrimonium, adhuc prima uxore vivente, ultra poenas, quibus ordinarie puniri solent, damnandi sunt ad triremes in perpetuum: et si inhabiles sint, publice fustigandi, & damnandi ad perpetuos carceres. Et ulterius tradendi Curiae seculari arbitrio Cong. Sac. univers. Inquisitionis, si pro qualitate, & gravitate delicti graviores mereantur poenas. Non videtur tamen haec Constitutio usu recepta, saltem quoad traditionem Curiae secularis, ut sentit Bened. XIV.* lib. IX. de Synodo Dioec. edit. Pat. an. 1756. c. 6. n. 8. *ubi haec habet*. — Praeterea dici potest, hanc etiam Constitutionem ad terrorem potissimum editam fuisse: siquidem Congregatio S. Officii an. 1647. nimirum vix annis decem ab illius promulgatione elapsis, ab Archiepiscopo Beneventano interrogata, qua poena puniendus esset polygamus, ita respondit — *Poligamorum poena si falsos testes ad suum liberum statum comprobandum non induxerint, post abjurationem de vehementi, solet esse damnatio ad triremes per quinquennium: si vero induxerint, per septennium: falsi testes ipsi quoque damnantur ad triremes per quinquennium, aut brevius tempus pro delicti sui qualitate.* ☜

CAPUT IV.

Matrimonium contrahens contra votum castitatis, & religionis, vel contra statum suum clericalem.

DE poenis clericorum, matrimonium contrahentium, vide quae dixi *verbo Apostasia c.* 4. ubi habes, qualiter clericus in sacris, aut in minoribus per contractum matrimonii beneficiis, & privilegiis clericalibus ipso facto privetur. Nunc de aliis poenis agendum.

I. In *Clem. un. de consangu. & affin.* fertur excommunicatio contra eos, qui scienter matrimonia contrahere cum monialibus non verentur, & contra religiosos, & moniales, & clericos in sacris constitutos, matrimonia contrahentes: praecipitur ibidem Praelatis Ecclesiarum, ut eos, easve, quos, & quas sibi constiterit taliter contraxisse, excommunicatos publice nunient, vel faciant nuntiari, donec separentur, & absolutionem meruerint obtinere.

Nota primo, quod haec excommunicatio non est absolute reservata, sed ante separationem non possunt absolvi; quia adest occasio proxima, & quia, durante tali conjunctione, durat dicta censura: sed & post separationem, si fuerant excommunicati denuntiati, solus Episcopus poterit eos absolvere: si non fuerant denuntiati, poterunt etiam absolvi a proprio confessario, per *gloss. in d. Clem. verbo Obtinere, Barbos. ibid. n.* 24. *Farin. q.* 238. *n.* 97. qui dicunt, absolutionem Episcopo reservari, *Sanchez lib.* 7. *de matrim. dis.* 48. *n.* 1. *Suar. dis.* 23. *sect.* 5. *n.* 11. *Tolet. lib.* 1. *c.* 39. *vers. Septima habetur*, qui dicunt, eam excommunicationem nulli reservari; sunt enim intelligendi cum praedicta distinctione.

Nota secundo, quod ad incurrendam hanc censuram sufficit matrimonium contractum, etsi non consummatum, Sua-

Suarez n. 20. *Sanch. n.* 6. etsi quoad alias pœnas externi fori requiratur matrimonium consummatum.

Nota tertio, quod dicta Constitutio procedit de omni persona religiosa, etiam militari; dummodo sit vere, & proprie religiosa, scilicet per tria vota essentialia, quales sunt milites Sancti Joannis, quorum professio irritat nedum subsequens matrimonium, sed etiam matrimonium ratum non consummatum antecedens, ut *Sanch. de matrim. lib.* 2. *disp.* 18. *n.* 8. non autem continentur religiosi S. Stephani, vel S. Mauritii &c. qui uti possunt matrimonio, quia isti non sunt simpliciter, nec proprie religiosi, *Rot. dec.* 228. *par.* 1. *posth. Farin.* unde etiam religiosi Societatis JESU continentur, qui tria vota propria scholarium, vel coadjutorum emisere, *Sanch. n.* 17.

Nota quarto, quod ab hac pœna excusat ignorantia, etiam crassa, & supina, *Sanch. lib.* 7. *disp.* 48. *n.* 19.

Nota quinto, hanc Constitutionem solvi posse dispensatione apostolica; potest enim Papa concedere religioso professo licentiam matrimonium contrahendi, habitu dimisso, & ad seculum redeundi, si adsit causa majoris publici boni: ut si inde futura sit conversio regni ad Fidem catholicam, aut alias futura sit aversio ab illa, & conversio populorum ad infidelitatem, seu hæreses, ut *Navar. in cap. Non dicatis* 12. *quæst.* 1. *n.* 49. *Abb. in c. Cum ad monasterium n.* 21. *de stat. mon. Menoch. præsum.* 10. *n.* 35. *lib.* 2. ubi plurimos allegat DD. & refert exempla talis dispensationis.

Ex hac Clementina habes etiam, matrimonium a religioso, vel religiosa, proprie dictis contractum, vel a clerico in sacris, esse nullius momenti, ratione voti solemnis, ordinis, vel voti essentialis religionis, ut *c. un. de voto in* 6. *& Trident. sess.* 24. *can.* 9. matrimonia autem contracta ab aliis, qui vota habent simplicia castitatis, & non sunt vere, & proprie religiosi, valida sunt, quamvis contrahentes graviter peccent: ita *cap. unic. de voto*, *vers. Reliqui*. Ex quibus sequitur, religiosos militares, aliosve, qui non absolute tria vota emittunt, sed limitata, (v. gr. castitatis, ita ut uxorem non accipiant sine consensu Magni Magistri, vel ut cum una tantum, & virgine) matrimonium non possunt licite contrahere contra votum, sed tamen valide contrahunt, ut *Diana resol.* 30. *tract.* 2. *tom.* 2. *Suar. de Relig. tom.* 4. *lib.* 1. *c.* 4. *n.* 28. *&* 29.

III. Religiosi, & clerici ordinati in sacris, contrahentes matrimonium, & illud consummantes, efficiuntur irregulares ob bigamiam similitudinariam; & moniales contrahentes matrimonium bigamæ efficiuntur, ut non possint obtinere gradus, ad quos admittuntur solæ virgines moniales, ut dixi *verbo Apostasia a religione n.* 6. *& verbo Apostasia ab ordine n.* 4. *& Farinac. loc. cit. n.* 96.

IV. Religiosi professi, & clerici in sacris, matrimonium contrahentes, sunt suspecti de hæresi, & contra eos potest procedere Inquisitor, ut *Simancas cath. instit. tit.* 40. *n.* 8. *ad* 12. *& Farin. q.* 138. *n.* 94. *& seqq.* quod si id fecerint cum errore in intellectu, æstimantes, id licitum contra definitionem *Tridentini Concilii sess.* 24. *can.* 9. tunc est crimen hæresis formalis, ejusque pœnas incurrunt, *Farin. n.* 95. *ex eod. Triden.*

CAPUT V.

Matrimonium incestuosum contrahentes.

I. EX *Clem.* 1. *de consangu. & affin.* excommunicatio fertur contra eos, qui in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis matrimonium ab Ecclesia prohibitum scienter contrahere non verentur: & præcipitur Ecclesiarum Prælatis, ut eos tandiu excommunicatos nuntient, vel faciant nuntiari, donec separentur, & absolutionem mereantur obtinere.

Nota, quod hæc censura, per se loquendo, non est reservata, sed solum secundum quid, ut dixi supra *cap. præced. n.* 1. & sufficit ad eam incurrendam matrimonium contractum, etiam non consummatum, ut dixi *ibidem*: quamvis quoad pœnas alias matrimonii incestuosi requiratur matrimonii consummatio, ut infra dicam, & de communi testatur *Clarus* §. *Incestus*, *vers. Hac autem*.

Nota etiam, quod hanc pœnam non incurrunt, qui bona fide contraxere in gradu prohibito, etiamsi superveniente mala fide, continuaverint, etiam cum copula: quia *tex. Clem.* punit contractum, non cohabitationem, aut copulam, seu accessoria contractuum, ita *gl. ibi verbo Scienter*, *& multi*, quos allegat, & sequitur *Sanch. lib.* 7. *de matr. disp.* 48. *n.* 20. & tenet *Ancharan. consil.* 4. *n.* 5.

II. Incestas nuptias contrahens, utroque jure fit ipso facto infamis infamia juris, secundum multos, ut *Auth. Incestas C. de incest. nupt. c. Consanguineorum* 3. *quæst.* 4. *Farin. quæst.* 149. *n.* 139. *cum allegatis*: sed alii dicunt, hoc verum solum de jure canonico, ut *Gloss. in d. c. Consanguineorum verbo Sub infamia*, *Avus meus decis. Pedem.* 100. *n.* 3. alii vero dicunt, requiri sententiam condemnatoriam, sicut in aliis publicis judiciis; ita *Turrecrem. in c. Conjunctiones* 35. *quæst.* 2. *cum Lauren. & Archidiac. & Menoch. de arbitr. lib.* 2. *casu* 502. *n.* 54. certum illud est, ad hanc pœnam infamiæ requiri consummatum esse matrimonium, ut *Clarus loc. sup. cit.*

III. Consequenter contrahens incestas nuptias, & consummans, est irregularis, ut *Majol. lib.* 5. *c.* 39. *n.* 1. qui tamen sentit secundum supradictam opinionem tertio loco relatam, requiri sententiam condemnatoriam, sicut in aliis publicis, vel capitalibus criminibus.

IV. Filii quoque nati ex incestis nuptiis, secundum multos Doctores, dicuntur infamia juris notati, ex *cap. Conjunctiones* 35. *quæst.* 3. sed alii verius contra dicunt, eos non esse proprie infames, ut dixi *verbo Incestus*, *in fin.* sed secundum quid, quoad aliquos scilicet effectus: certe filii nati ex matrimonio bona fide contracto in gradu prohibito in facie Ecclesiæ, præviis denuntiationibus, habentur legitimi pro utroque foro, *cap. fin.* §. *Si quis vero de cland. desp. Sanchez lib.* 8. *disput.* 34. *n.* 46. *Farinac. quæst.* 149. *n.* 139. ait communissimam.

V. Adde, quod matrimonium contrahere in gradibus prohibitis præsumentes, carent spe dispensationis consequendæ; idque in eis multo magis locum habet, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausi fuerint: & procedit, etiamsi ignoranter id fecerint, sed culpabiliter, eo quod solemnitates requisitas in contrahendo matrimonium neglexerint: hæc statuta sunt in Tridentino Concilio *sess.* 24. *de reform. matrim. cap.* 5. *Sanch. lib.* 7. *disp.* 25. *n.* 27. si autem adhibitæ sint debitæ solemnitates, tunc excusare ignorantiam, etiam crassam, ait *Sanch. ibid. n.* 27. *&* 28. alii tamen dicunt, requiri bonam fidem, ut *Garz. par.* 8. *de benef. cap.* 8. *n.* 106. *cum allegatis*: unde habemus in dictis casibus incurri speciale impedimentum irritans, quod nisi fuerit expressum in supplicatione, dispensationis gratia super gradibus erit subreptitia, ut *Sanchez lib.* 3. *disp.* 45. *n.* 2. *& seqq. & lib.* 8. *disp.* 25. *n.* 21. *cum seqq.* ubi late explicat hoc decretum: & adde, quod si matrimonium fuerit contractum spe facilioris dispensationis, etiam hæc intentio est explicanda in supplicatione; alias gratia erit subreptitia, *Sanchez dict. disput.* 25. *n.* 22.

Nota, quod pro foro externo, ad evitandas pœnas matrimonii incestuosi ex capite ignorantiæ juris, & facti, sufficit, ut reus matrimonium probet, publice a se in facie Ecclesiæ contractum, ut supra dixi, addito etiam juramento, quod bona fide sic contraxerit, est communis apud *Farinacc. ibi n.* 203. *&* 204. *& facit dict. c. fin. in princ. de clan. desp.*

☞ *Nota, circa dispensationem obtentam, reticito proximiori, & expresso remotiori dumtaxat gradu, quod adhuc valida est, licet aliqui conjuncti sint inæqualiter; dummodo dictus gradus proximior reticitus, primum non attingat quocunque modo, ex declaratione S. Pii V. Constit.* Sanctissimus 20. *Aug* 1566. *qua in hac parte derogatum est* Constitutioni *Pii IV. (quæ in antiquiori Bullario edit. ann.* 1586. *existens in Bibliotheca Casanatensi, est la* 37. *in ordine) In citata tamen Constit.* Sanctissimus *voluit Pontifex, sic dispensatos debere postea obtinere litteras declaratorias, super gradu propinquiore reticito, quod scilicet dispensationi non obstat; juxta disposita a Greg. XI. & Clem. VI. quamvis, his litteris omissis, matrimonium sit validum.*

Verum tamen est, quod conjuges separari debent ab Ordinario, donec eædem litteræ declaratoriæ obtentæ fuerint, si notitia reticiti gradus ad eum pervenerit post contractum matrimonium: si vero ante, abstinere Ordinarius omnino debet sub lethali ab executione dispensationis sine dictis litteris. Quæ omnia eruditissime exposita leguntur in discursu Bened. XIV. cum esset a secretis Cong. Conc. in causa Lucaorien. nullit. matrim. sub die 28. *Mar.* 1722. *qui typis impressus habetur in calce folii dicti diei.*

Nota etiam obiter animadversa ab eodem Bened. lib. 9. cap. 2. n. 1. 2. & 3. de Synod. Diœc. edit. ann. 1756. *circa facultatem dispensandi in foro interno in impedimentis dirimentibus ma-*

matrimonium tam contractum, quam contrahendum, quam facultatem Doctores adstruunt Episcopo. Quantum ad jam contractum spectat, præter difficultatem recurrendi ad Papam, ex unanimi consensu DD. ibid. citatorum, refert Pontifex alias quinque circumstantias, in quibus — nisi simul concurrant — *una cum difficultate recurrendi ad Sedem Apostolicam, Episcopus nequit dispensare super impedimentis dirimentibus in matrimonio, jam contracto. I. Scilicet, ut idem matrimonium contractum sit in faciem Ecclesiæ, omnibusque adhibitis solemnitatibus. II. Ut contractum fuerit bona fide ex juris, aut facti ignorantia. III. Ut sit consummatum. IV. Ut impedimentum sit occultum. V. Ut non possit fieri separatio sine scandalo. Addens insuper, quod* — si impedimentum antea occultum, postea detegatur, & deducatur ad forum contentiosum, opus sit nova dispensatione, a Summo Pontifice impetranda.

Quoad dispensationem vero dictorum impedimentorum pro matrimonio contrahendo, cum tales urgent circumstantiæ, ut nec Papa consuli, nec matrimonium, ad quod omnia sunt disposita, differri possit sine scandalo, & paratorum ad nuptias infamia, licet hanc facultatem asserant Episcopo DD. ibidem cumulate relati, in impedimentis occultis, illam tamen communi fere calculo eidem denegant in publicis. Imo, *sunt verba Benedicti* — Sac. Urbis Congregationes, Concilii videlicet, ac Supremæ Inquisitionis, non semel proscripserunt, tanquam falsam, & temerariam propositionem, asserentem Episcopo jus dispensandi super impedimento dirimente publico, quod obsistat matrimonio contrahendo, etiamsi gravis urgeat illud contrahendi necessitas; ut videre est apud Joann. Bapt. Rigantium .... *tom. 4. commentar. in Regul. Cancel. in notis ad Regul. 49. num.* 1. & 2. ubi Sac. Cong. responsa summa diligentia congesta .... referuntur.

Circa executionem dispensationum in impedimentis matrimonii, vide in fine hujus Operis Instructionem Benedicti XIV. ibidem transcriptam, prout jacet in Institutionibus ecclesiasticis ejusdem Pontificis, Inst. LXXXVII. ☜

CAPUT VI.

Matrimonii clandestini pœnæ.

I. EX Tridentino *sess. 24. c. 1. de reform. matrim.* qui aliter, quam præsente parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos decernit.

Advertendum est, quod ex hoc decreto de facto contrahentes clandestine, non redduntur inhabiles absolute ad contrahendum matrimonium, sed solum clandestine, ut supra contrahendum, ut *Sanch. lib. 3. de matrim. disp. 46. n. 2.* ubi ait, sic declaratum a Sacra Congregatione: est contra *Majol. lib. 3. c. 25. §. Crimina imped. matrim. n. 17.*

Adverte secundo, quod hæc pœna irritationis actus nullam requirit declaratoriam, quia non est proprie pœnalis lex, sed definitiva, inducens solemnitatem essentialem, seu formam substantialem: ita *Sanch. lib. 3. disp. 53. n. 1.* potest tamen reparari hæc nullitas, denuo contrahendo, servata debita forma, ut *Vantius de nullit. tit. Quoties, & intra quod tempus num. 36.* vide *Sanchez lib. 2. disp. 37. n. 1. cum ibi allatis.*

II. Filii nati ex matrimonio clandestino, scilicet, si non in facie Ecclesiæ, servata forma prædicta substantiali statuta a Concilio Tridentino, contractum sit, vel non servata forma accidentali, id est, non præmissis denuntiationibus, cum impedimento irritanti, illegitimi habentur, ut non excuset ignorantia parentum, *c. fin. §. Si quis vero de cland. despon.* & *ibi* vide *Barbos. & Sanch. lib. 3. disp. 42.* Adde, quod ad hanc pœnam non requiritur sententia declaratoria, quia non est proprie pœna, sed defectus conditionis requisitæ, ut filii nati ex matrimonio putativo sint legitimi, *Sanch. disput. 53. n. 8. lib. 3.*

Nota primo, pro pleniori intelligentia hujus materiæ, quod matrimonium celebratum in facie Ecclesiæ, idest coram parocho, & testibus, ut supra, sed sine denuntiationibus, validum est, quia non deficit solemnitas, seu forma substantialis, *Verall. decis. 204. ver. Matrim. n. 2. & Rot. decis. 390 n. 5. part. 2. recent. Seraph. decis. 1099. n. 4. Buratt. decis. 520. n. 15. cum declaratione Sacræ Congreg* In locis autem, ubi non est receptum hoc *Trident. decretum, & d. c. Si quis de cland. desp.* constitutio non est in usu (idest de denuntiationibus præmittendis) matrimonium contractum publice coram parocho, & testibus, secundum consuetudinem regionis, non dicetur clandestinum, ideo non infert pœnas prædictas, ut *Abb. in dict. c. fin. num. 9.*

☞ *Parochus vero, qui contempserit, matrimonium contrahi, non præmissis dictis denuntiationibus, incurrit suspensionem ab officio per triennium, ferendæ tamen sententiæ, ex* cap. Cum inhibitio 3. de clandest. despons. §. Sane, *a qua, postquam lata est, absolvi nequit, nisi per Papam:* Cleric. de matrim. decis. 34. num. 4. Monacel. tom. 3. tit. 2. formul. 5. 18. & 19.

Circa validitatem matrimonii contrahendi coram parocho, & testibus, attendenda sunt seqq. Cong. Conc. *responsa ad tria dubia sibi proposita a Ferdinando Archiepiscopo Coloniensi, atque ab Urbano VIII. confirmata, & approbata suis litteris in forma Brevis ad eumdem Archiepiscopum sub die 14. August. 1627. relat. a* Claudio *la* Croix lib. 6. part. 3. num. 712. *ubi etiam addit hujusmodi responsa ubique obligare, nec amplius audiendos esse DD. ibid. a se citat. qui contrarium senserunt: quæ itidem referuntur a Bened. XIV.* Instit. ecclesiast. 33. num. 9.

DUBIA.

I. An incolæ, tam masculi, quam feminæ loci, in quo Concil. Trident. in puncto matrimonii est promulgatum, transeuntes per locum, in quo dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine parocho, & testibus contrahere?

II. Quid, si eo prædicti incolæ tam masculi, quam fœminæ solo animo sine parocho, & testibus contrahendi se transferant, habitationem non mutantes?

III. Quid, si iidem incolæ tam masculi, quam fœminæ eo transferant habitationem, illo solo animo, ut absque parocho, & testibus contrahant?

Iidem Cardinales ad I. & II. non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes, ac transeuntes cum fraude: ad tertium vero dubiorum hujusmodi, si domicilium vere transferatur, matrimonium esse validum, responderunt, & resolverunt. ☜

Nota secundo, quod matrimonium contractum coram parocho, & populi, seu plebis multitudine, validum *est*, etiamsi non fuerint duo testes specialiter designati; adhuc enim dicetur matrimonium in facie Ecclesiæ contractum, per c. *Relatum* 2. §. 2. *de testam.* & ita Sacra Congreg. declaravit apud *Barbosam super dict. c. 24. Trident. verb. In facie Ecclesiæ*, & tenent *Abb. loco cit. Ruin. cons. 51. n. 15. vol. 5. Verall. decis. cit. n. 2.* sufficit etiam ad validitatem matrimonii, quod parochus, & testes fuerint præsentes, etiamsi inviti, & non consentientes actui, ut *Sanch. dis. 39. n. 9. lib. 3. de matr. Gutier de matr. c. 69. n. 10. Barbos. alleg. 32. n. 139.* Requiritur tamen ad validitatem matrimonii, quod parochus, & testes illi fuerint præsentes actui, tanquam formaliter adhibiti, non autem sufficit eos casualiter, & per accidens præsentes fuisse, & formaliter adhibitos non fuisse; ut censuit Sacra Congreg. relata a *Gonzal. gloss. 48. n. 35. Pont. de matr. lib. 5. c. 21. n. 4.* dicentur autem adhibiti formaliter, si sint expresse, vel tacite rogati, ut adsint actui; idest aliquo signo externo admoniti, seu advocati, ut sint testes, seu præsentes contractui, ut explicat *Mantica de conject. lib. 2. tit. 11. n. 4.* nam si vir, & mulier contraherent coram parocho, & testibus, præsentibus quidem, sed perinde, & eo animo contraherent, ac si illi non essent præsentes, eorum scilicet præsentiam non curantes; non dicerentur formaliter adhibiti testes, & parochus; sed præsentes per accidens extitisse, ex *Sacra Cong. & Mantic. loc. cit.* ideo matrimonium nullum esset.

Nota tertio, quod matrimonium contractum in terris hæreticorum, ubi non est libertas catholicis, seu cum sacerdotes sunt expulsi, ut in Hollandia, Svetia &c. valet matrimonium contractum sine parocho, sed tamen coram duobus testibus, ut quantum potest, observetur forma Concil. Trid. *Silvius in addit. ad 3. par. q. 45. art. 5. q. 4. Coninch. disp. 27. dub. 1. n. 11. Francis, Amici tom. 9. tract. de matrim. disp. 17. sect. 13. n. 134. Layman tract. de matr. par. 2. c. 3. n. 7.* qui afferunt declarationem Sacræ Congreg. Ideo non est admittendus in hoc *Præpos. in 3. par. tract. de Sacram. matr. dub. 4. n. 14. & 18.* asserens, quod cum in Hollandia semel fuerit receptum Concilium Tridentinum, non potest subsistere matrimonium sine parocho; quod si verum esset,

esset, catholici nullum possent ibi contrahere matrimonium, quod esset nimis durum, & contra piam mentem Summi Pontificis.

☞ *Bened. XIV. per organum Sac. Congr. Conc. coram se habita die 13. Maji 1741. generali decreto, a se confirmato die 4. Nov. ejusdem anni, per extensum relato in ejus Bullario tom. 1. pag. 87. declaravit. I. Matrimonia contracta, & contrahenda, sive ab hæreticis inter se, sive a catholicis cum hæreticis, aut catholicus hæreticam fœminam ducat, aut catholica hæretico nubat, in Fœderatorum Ordinum Belgii provinciis; valida esse, etiamsi in iis celebrandis non servata fuerit forma a Tridentino præscripta; ita ut, si contingat, utrumque conjugem ad catholicæ Ecclesiæ sinum se recipere, non opus sit, eos coram parocho catholico consensum renovare: sin autem unus tantum, sive maritus, sive uxor convertatur, neuter ad alias nuptias transire potest, quamdiu alter vivit. II. Similiter matrimonia itidem valida esse, etiam contracta extra fines dominiii eorundem Fœderatorum Ordinum ab iis, qui addicti sunt militaribus copiis, quæ ab eisdem Fœderatis Ordinibus transmitti solent ad custodiendas, muniendasque arces conterminas; dummodo uterque conjux ad easdem copias pertineat. III. Hujusmodi declarationem complecti etiam matrimonia contracta in civitate Mosæ Trajectensis, quamvis non jure dominii, sed oppignorationis tantum a republica Fœderatorum Ordinum possessa.*

Nota tamen ex epistola decretali ejusdem Pontificis ad Paulum Carmelitam excalceatum, in iisdem provinciis missionarium: Redditæ sunt, *sub die 17. Sept. 1746. tom. 2. hujusmodi declarationem non suffragari sponsis utrisque catholicis, ibidem degentibus, si coram civili magistratu, aut hæretico ministro consensum in matrimonium de præsenti declaraverint, nec illud ad formam Tridentini contraxerint, aut post contractum, more hæreticorum consensu renovaverint.* ☜

CAPUT VII.

Matrimonii contractus libertatem auferentes.

I. EX Trident. *sess. 24. c. 9. de reform. matrim.* quia plerumque temporales domini, ac magistratus, viros, ac mulieres sub eorum jurisdictione degentes minis, et pœnis adigebant cum certis personis matrimonium contrahere; et cum maxime nefarium sit matrimonii libertatem violare, præcepit ibi Sancta Synodus omnibus cujuscunque gradus, dignitatis, et conditionis, sub anathematis, idest, excommunicationis pœna, quam ipso facto incurrant, ne quovis modo directe, vel indirecte subditos suos, vel quoscunque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant.

Amplia primo, ut procedat non solum contra magistratus seculares, sed etiam ecclesiasticos, ut Episcopos, *Suar. disp. 23. sess. 7. n. 6. Sanch. lib. 4. dis. 22. n. 10. Barbos. alleg. 50. n. 174.* vide *Barb. in Conc. dicto c. 9. n. 5.*

Amplia secundo ex probabili, ut procedat non solum, si auferant libertatem, cogendo ad contrahendum cum aliqua persona determinata, sed etiam impediendo, ne cum aliqua determinata persona contrahant; quia verba Concilii late patent ad utrunque; et ita tenet *Sanch. ibid. n. 8. et 9. Albernoz lib. 4. de arte contract. tit. de sacro Concilio Trident. et Diana resol. 74. tract. 2. tom. 1.*

Contrarium tamen tenent *Henriq. lib. 11. c. 6. n. 5. litt. G. Bonac. de sacram. matrim. q. 3. pun. 8. n. 34. cum Perez*, et tenet *Corduba q. 171. in fin.* limitans, nisi id fiat in fraudem, ut cum alia determinata persona contrahant, dum impediuntur cum una contrahere: et tenent *Gutier. canon. qq. lib. 1. c. 20. in fin. et Barbos. loco cit. n. 9.* et hæc est communior.

Limita I. quod hæc excommunicatio, secundum multos DD. est solum contra eos, qui cogunt sua potestate publica, seu politica externi fori; non, si privata, ut œconomica, v. gr. parentes, vel jurisdictione interni fori, ut parochi: ita *Coninch. de sacram. disp. 28. n. 48. Henriq. Manuel, Molina, et Gutier.* quos allegat, et sequitur *Sanch. disp. 22. n. 9.* qui testatur de com. & tenet *Sayr. lib. 3. de cens. c. 34. n. 27. Barbos. loc. cit. Diana resol. 74. tract. 2. tom. 1.* sed tamen contraria est satis probabilis, quam tenent *Lopez, & Albernoz apud Sanch. ibi Tolet. lib. 1. cap. 41. §. Sexta, Vgvald. verb. Excom. nulli reser. cap. 62. Navarr. cap. 27. n. 150. Suar. de censur. disp. 23. sect. 7. n. 6. Marta de jurisd. part. 4. centur. 1. casu 71. n. 23. Filiuc. tract. 14. cap. 6. quæst. 4.*

Limita secundo, ut hoc decretum pœnale intelligatur de coactione gravi injusta, quæ scilicet irritum reddere possit matrimonium, auferendo libertatem necessariam, de qua dicam infra: ita *Sanchez disp. 22. n. 7. Henriq. loc. cit. n. 5. Suar. n. 6. Barbos. ubi supra.*

Limita tertio, quod hæc excommunicatio nulli est reservata, *Vgvald. Suar. Tolet. & alii sup. cit.*

II. Matrimonium autem contractum metu gravi, injuste illato ad effectum contrahendi cum tali persona, nullum est, jure canonico irritante, *cap. Cum locum, & c. Consultationi, de sponsal. Sanch. lib. 4. disp. 14. n. 2. Genuen. in praxi c. 13. & c. 87. per tot.* & procedit, etiamsi fuerit juratum; neque juramentum indiget relaxatione, *Sanchez lib. 4. disp. 20. n. 15. Gutier. Seraph.* et alii, quos allegat, et sequitur *Barbos. in cap. 2. de eo, qui cogno. n. 5. & 6.* et procedit, etiamsi matrimonium fuerit consummatum, quoties copula subsequens non fuit spontanea, scilicet metu purgato facta, sed durante causa metus, *Genuen. ibi n. 7. c. 87. Sanch. dis. 18. n. 9. & 15.* et in dubio copula non censetur in muliere spontanea, *Genuen. ibi, Sanch. n. 9.* imo, si metus illatio non sit occulta, saltem testibus, et parocho, non potest hodie post Tridentinum revalidari per copulam, vel consensum, purgato metu, ut declaravit Clem. VIII. apud *Pontium de matr. lib. 4. c. 14. n. 12.* et tenet *Sanchez dis. 18. n. 12. & Rota decis. 265. n. 8. in collect. Farin. de contract.* et procedit, etiamsi metus inferatur ad contrahendum cum persona indeterminata, ut *Pontius ibi n. 14. Sanch. lib. 4. dis. 12. n. 20.* cum aliis DD. quamvis in hoc casu matrimonium validum esse teneant Canonistæ, ut *Præp. in cap. Cum locum de spons. n. 8. & 9. Felin. in c. In præsentia n. 37. prope fin. de prob. et alii apud Sanch.* & procedit etiam in coactione facta a magistratu injuste, idest, quando de jure cogi non debet: nam tunc si excommunicatione, vel carcere, aut similibus modis cogat, matrimonium erit nullum; secus, si in casu licito, ut cum alicui promisit, ut de communi *Genuens. d. c. 13. n. 2.* & tradit *Barbos. in cap. Requisivit, de sponsal.* cavendum est tamen etiam in casu licito a nimia, seu omnimoda coactione, quæ scilicet auferre possit libertatem, seu rationem voluntarii, quia sic matrimonium esset nullum, ut *Barbos. ibi.*

☞ *Nota circa coactionem per censuram in casu licito ita statutum ab Alex. III. in c.* Ex litteris 10. *de sponsalib. vult enim compelli per censuram, si non subest impedimentum, eum, qui juravit, se cum aliqua contracturum. Nec obstat caput* Requisivit 17. *hoc eod. tit. statuens, resilientem a jurata promissione nubendi, monendum potius, quam cogendum; hic enim agitur de cogendo viro, ibi de cogenda femina, cum qua mitius procedendum est, nedum propter faciliorem censurarum contemptum, difficilioremque coacti matrimonii exitum ob sexus imbecillitatem, sed etiam propter leve præjudicium, quod viro irrogaret, resiliendo; qui ceteroquin repudiatus, facile alteri posset nubere; non sic femina ob periculum famæ, quod subiret, saltem apud vulgares homines propter pravæ conversationis suspicionem cum eodem viro. Quibus rationibus innixa, ita has duas decretales conciliavit Rota in Majoricen. sponsal. 25. Ap. 1746. & 16. Jan. 1747. coram Bussio: quidquid in contrarium senserit Glossa in cit. c.* Requisivit *& DD. communiter. Imo nec cogendus est vir, aliqua probabili causa suffragante, ut ex pluribus decretis Cong. Conc. relatis in folio 28. Febr. 1733. in Gallipolitana sponsal. Ceteroquin, nulla suffragante causa, vir cogendus est per censuras, licet sponsalia non fuerint jurata, ut ex veriori recepta opinione firmatur in eadem Majoricen. 25. Apr. §. 9.* ☜

Qualiter autem probetur, matrimonium metu contractum fuisse, vide *Rota par. 1. recent. decis. 643. per totam.*

III. Princeps, magistratus, aut communitas sine Sedis Apostolicæ licentia faciens leges, statuta, ordinationes, vel decreta, auferentia libertatem matrimonii, idest impedientia contrahere, v. gr. cum forensi, vel sine licentia parentum, incurrit in censuras latas contra statuentes contra libertatem ecclesiasticam, de quibus dixi *verbo Leges cap. 2.* juxta multos, quos congerit *Diana resol. 74. tract. 2. tom. 1.*

☞ *Nota, quod circa cognitionem nullitatis matrimonii hodie attendenda sit Constit. Bened. XIV.* Dei miseratione *3. Nov. 1741. in qua statuitur.*

I. Quod dicta cognitio extra Romanam Curiam committi nequit, nisi Episcopo, præsertim viciniori: et si nullus sit Episcopus, committi debet uni ex judicibus synodalibus, juxta modum ab eodem Pontifice præscriptum in litteris encyclicis locorum Ordinariis scriptis sub die 26. Aug. 1741. Quamvis paternæ: *& hujusmodi cognitio nunquam finienda est, nisi post duas sententias conformes super nullitate matrimonii;*

sive post primam appellatum sit, sive non, sub pœnis, ut infra, incurrendis.

II. In singulis diœcesibus eligendus est ab Episcopo defensor matrimonii, et si fieri potest ex ecclesiastico cœtu, ad ipsius Episcopi arbitrium removendus, cum mercede, si id munus gratis obire nolit, ei constituenda ab ipsius causæ judice, & solvenda ab ea parte, qua pro validitate matrimonii agit, si ipsi facultas sit: sin minus a judice primæ, vel secundæ, vel tertiæ instantiæ respective, ex pecunia multarum suorum tribunalium. Quando vero judices causæ erunt judices commissarii, carentes foro, & multis, tunc solvenda est ex pecunia multarum illius Episcopi, in cujus diœcesi dicti judices juxta S. Sedis mandatum judicium exercebunt.

Hunc defensorem statuit Pontifex, esse tanquam partem necessariam ad judicii validitatem; ideoque semper citari, & adesse debere in judicio, sive unus ex conjugibus, qui pro nullitate matrimonii agit, sive ambo, quorum alter pro nullitate, alter vero pro validitate, in judicium veniant: tenerique nedum præstare juramentum de fideliter suo munere obeundo, quando ad hoc deputatur, sed etiam toties, quoties adesse debebit in judicio pro alicujus matrimonii validitate tuenda.

Ejus autem munus in eo situm est, ut – si a judice pro validitate matrimonii judicabitur, & nullus sit, qui appellet, ipse etiam ab appellatione se abstineat; idque etiam servetur, si a judice secundæ instantiæ pro validitate matrimonii fuerit judicatum, postquam judex primæ instantiæ de illius nullitate sententiam pronuntiaverat; sin autem contra matrimonii validitatem sententia feratur, defensor intra legitima tempora appellabit, adhærens parti, quæ pro validitate agebat; cum autem in judicio nemo unus sit, qui pro matrimonii validitate negotium insistat, vel si adsit, lata contra eum sententia, judicium deseruerit, ipse ex officio ad superiorem judicem provocabit.

Appellatione a prima sententia pendente, vel etiam nulla, ob malitiam, vel oscitantiam, vel collusionem defensoris, & partium, interposita, si ambo, vel unus ex conjugibus novas nuptias celebrare ausus fuerit, volumus, ac decernimus; ut non solum serventur, quæ adversus eos, qui matrimonium contra interdictum Ecclesiæ contrahunt, statuta sunt; præsertim, ut invicem a cohabitatione separentur, quoadusque altera sententia super nullitate emanaverit, a qua intra decem dies non sit appellatum; vel appellatio interposita deserta deinde fuerit; sed ulterius, ut contrahens, vel contrahentes matrimonium hujusmodi, omnibus pœnis contra poligamos a sacris canonibus, & Constitutionibus Apostolicis constitutis omnino subjaceant.

Posteaquam vero, appellationis beneficio, ad alterum judicem causa in secunda instantia delata fuerit, omnia, & singula quæcunque coram judice in prima instantia servanda præfinita fuerunt, etiam coram altero in secunda exacte, ac diligenter custodientur, citato in quolibet judicii actu defensore matrimonii, qui voce, & scripto matrimonii validitatem strenue, ac pro viribus tuebitur. Et si judex in secunda instantia fuit Metropolitanus, aut Sedis Apostolicæ Nuncius, aut Episcopus vicinior, matrimonii defensor sit, qui ab ipsis fuerit deputatus, quemadmodum ipsis deputare mandamus, ut quæ a nobis superius constituta sunt, peragere possit. Si autem judex in secunda instantia erit judex commissarius, cui a Sede Apostolica causæ cognitio demandata sit, & qui tribunal, & jurisdictionem ordinariam non habeat, & propterea careat defensore matrimonii; volumus, ut illo defensore matrimonii utatur, qui constitutus fuerit ab Ordinario, in cujus diœcesi causam cognoscet, etiamsi idem Ordinarius sit, qui primam sententiam in eadem causa pronuntiaverit.

Instructo autem in hunc modum judicio, si secunda sententia alteri conformis fuerit, hoc est, si in secunda æque ac in prima nullum, ac irritum matrimonium judicatum fuerit, & ab ea pars, vel defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, vel appellationem interpositam prosequendam minime censuerit; in potestate, & arbitrio conjugum sit novas nuptias contrahere; dummodo alicui eorum, ob aliquod impedimentum, vel legitimam causam id vetitum non sit. Potestas tamen post alteram sententiam conformem, ut supra, conjugibus facta intelligatur, & locum habeat, salvo semper, & firmo remanente jure, seu privilegio causarum matrimonialium, quæ ob cujuscunque temporis lapsum nunquam transeunt in rem judicatam: sed si nova res, quæ non deducta, vel ignorata fuerit detegatur, resumi possunt, & rursus in judicialem controversiam revocari. Quod si a secunda sententia super nullitate, vel altera pars appellaverit, vel hujusmodi sit, ut ei, salva conscientia, defensor matrimonii acquiescendum non putet, vel quia sibi videtur manifeste injusta, vel invalida, vel quia fuerit lata in tertia instantia, & sit revocatoria alterius præcedentis super validitate in secunda instantia emanatæ; volumus, ut firma remanente utrique conjugi prohibitione ad alias transeundi nuptias, quas si contrahere ausi fuerint, pœnis, ut præfertur, a nobis constitutis subesse decernimus, causa in tertia, vel quarta instantia cognoscatur, servatis diligenter omnibus, quæ a nobis in prima, & secunda instantia demandata fuerunt, nempe, in quolibet judiciali actu, citato, & audito defensore matrimonii, qui a judice tertiæ instantiæ deputatus fuerit. –

Quoad causas matrimoniorum Romæ disceptandas, præcipit, omnia, & singula supra præscripta servanda esse. Verum cum hæc sit particularis Curia, vide peculiaria, quæ sequuntur in cit. Constit. a §. 13. ad totum §. 15. ☜

CAPUT VIII.

Matrimonium secundum legitime contrahentes.

I. EX *leg. 1. & 2. C. de secun. nupt.* statutæ sunt pœnæ contra transeuntes ad secundas nuptias intra annum luctus: prima ait, ut mulier sit ipso jure infamis: secunda, ut non possit dare secundo marito in dotem ultra tertiam partem bonorum suorum: tertia, ut sit incapax omnium relictorum per ultimam voluntatem, & per donationem causa mortis: quarta, ut privetur omnibus sibi relictis a primo viro, etiam quoad usumfructum.

Sed hæ pœnæ omnes sunt a jure canonico abrogatæ per dictum *Apost. ad Rom. c. 7. & ad Corinth. 1. c. 7. c. Super illa & c. final. de secun. nupt. Rota decis. 65. in collect. Farin. de contr. Sanch. de matrim. lib. 7. dis. 87.* & Amplia, ut procedat hæc correctio, etiam quando mulier nimis festinanter transisset ad secundas nuptias, cum periculo causandæ incertitudinis prolis, eo quod ipsa sit recenter a primo viro gravidata, & hanc sententiam tenent *Abb. in d. c. final. n. 3. Felin. in capit. Ecclesia S. Mariæ n. 57. de const. Bal. in leg. 1. in 2. lect. n. 9. C. de secun. nupt. Inn. Host. & Jo. Andr.* quos allegat, & sequitur *Capr. cons. 70. n. 10.* & hanc sententiam veriorem asserit *Rota d. decis. 65. n. 6.* contra nonnullos alios DD. –

II. Jure civili variæ pœnæ sunt inductæ, non in odium secundarum nuptiarum, sed favore filiorum primi matrimonii; ideoque non sunt a jure canonico abrogatæ, sed approbatæ, per *c. cum constet de pign. Innoc.* quem alii Canonistæ communiter sequuntur in *d. c. final. de secun. nupt. Abb. ibi n. 3. Sanch. de matr. dis. 88. lib. 7. Rota d. decis. 65. n. 3.*

Prima est, quod vir, aut mulier transiens ad secundas nuptias, tenetur reservare filiis primi matrimonii proprietatem eorum bonorum, quæ accepit ab eorum matre, vel patre, vel ab eorum consanguineis, per *leg. Fœmina C. de secun. nupt. & Auth. in donatione, & Auth. Lucrum C. eodem tit. Baratt. decis. 82. Sanch. lib. 6. disp. 40. & 41.* & hanc pœnam non esse correctam, ait *Sanch. lib. 7. disp. 88. n. 40. Baratt. ibi.*

Secunda, ut fœmina, transiens ad secundas nuptias, non possit dare, aut relinquere marito secundo plusquam reliquerit uni ex filiis primi matrimonii, cui minus reliquit, *leg. Hac edictali C. de secund. nupt.* & hanc pœnam non esse correctam, ait *Sanchez citato n. 40.*

Tertia est, quod mater, transiens ad secunda vota, amittit tutelam filiorum primi matrimonii, *leg. final. C. Quando mult. tut. off.* & peccaret mortaliter, non dimittendo tutelam, *Sanch. disp. 88. n. 10. lib. 7.* & hanc pœnam non esse correctam, ait *Sanchez n. 41.* adde, quod si mater transeat ad secunda vota, antequam petat tutorem filiis pupillis primi matrimonii, incurrit pœnas a jure civili statutas contra mulieres nubentes intra annum luctus; de quibus supra dixi *n. 1.* ita *Sanchez ibi n. 13.* neque hæc pœna est correcta a jure canonico, quia merita est ob malam administrationem, *Sanch. n. 41. ubi sup.* item mulier, transiens ad secunda vota, privatur jure educandi filios apud se, *Sanch. n. 15. & 16.*

Quarta, quod mulier, transiens ad secunda vota, privatur officio executoris testamenti, sibi a primo viro relicto: neque hæc pœna est correcta, *Sanch. n. 42.*

Quinta pœna est, ut teneatur rationem reddere de modicis circa administrationem bonorum filiorum primi matrimonii, *Sanch. n. 36.*

Sexta est, ut amittat privilegia primi mariti, quibus

ut

ut vidua fruebatur, *Sanch. n. 43. disp. 88. lib. 7. de matrim.*

Omnes antem istæ pœnæ cessant, si non extent liberi ex primo matrimonio, *Sanch. disp. 89. n. 34. lib. 7.*

☞ CAPUT IX.

Matrimonia a filiisfamilias contracta sine consensu parentum, irrita affirmantes.

EX decreto Conc. Trident. sess. 24. cap. 1. de refor. matr. incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, non tamen reservatam: sicuti & si affirment, parentes ea rata, vel irrita facere posse. ☜

CAPUT I.

Medici non monentes infirmum de Confessione sacramentali facienda.

I. IN *cap. Cum infirmitas, de pœnitent. & remiss.* præcipitur medicis, vocatis ad infirmos curandos, ut ante omnia moneant eos, & inducant, ut peccata confiteantur: quod si medici huic ordinationi contravenerint, tandiu ab ingressu Ecclesiæ arceantur, donec pro transgressione hac satisfecerint competenter: hæc censura interdicti ab ingressu Ecclesiæ non est latæ, sed ferendæ sententiæ, *gloss. ibi verbo Arceantur, Abb. n. 5. Barbos. n. 8.*

Sed ex Bulla Pii V. 3. *Supra gregem*, statutum est, ut medici post monitionem supradictam, ultra tres dies non visitent infirmum, nisi per fidem Confessarii eisdem constiterit de confessione facta, vel nisi Confessor infirmo ad confessionem faciendam longius tempus prorogaverit: quod si quis medicorum hæc non observaverit, ultra pœnas in præfata decretali contentas, quas incurrere eos declarat, perpetuo sint infames, & gradu medicinæ omnino priventur, & a collegio medicorum ejiciantur: item statuit, ut medici, quando doctorantur, vel medendi licentia datur, jurent hæc observare, neque admittantur ad curandum, nisi tali præstito juramento: alias collegia, seu universitates ad doctoratum admittentes, vel licentiam dantes absque tali juramento, pœnam privationis facultatis doctorandi incurrant: quæ pœna videtur esse latæ sententiæ ob verbum *Incurrant*, ut *infra* dicam.

Similiter dices hodie, medicos contravenientes incurrere ipso facto interdictum ab ingressu Ecclesiæ, ob illam particulam *Incurrere declaramus*, quæ sunt præsentis temporis, & significant canonem latæ sententiæ, ut *Tiraquell. in leg. Si unquam verbo Revertatur n. 145. C. de revoc. donat.* ubi plures allegat, & *n.* 147. ait esse magis communem: tamen quia hæc Constitutio innovat prædictam Constitutionem Innocentii III. quæ abierat in desuetudinem; & non est inducenda legum correctio, nisi expresse constet; & quia illa verba pati possunt hunc etiam sensum ferendæ sententiæ, cum non adsit particula, ipso facto incurrere declaramus, sed solum *incurrere declaramus*; quo casu multi dicunt, non censeri canonem latæ sententiæ, ut *Abbas, Joan. Andr. Gemin. et Pavin. apud Tiraquell. n.* 146. ideo puto, nec hodie esse hanc pœnam latæ sententiæ.

De pœna autem infamiæ certum mihi videtur esse latæ sententiæ, scilicet juris infamiam ipso facto tunc incurri; quod tenet *Scortia in select. constitut. theorem.* 215. *in princip.* unde infert, eos inhabiles esse ad dignitates, & ad ferendum testimonium, & similia: & facit, quia passim jura sic loquentia, intelliguntur a Doctoribus de infamia ipso facto incurrenda, ut *cap. Felicis, de pœnis in 6. ibid. Doctores, & leg. 1. C. de secundis nupt. ibid. Bal. col. 1. super verbo Sit infamis, & ibi Decius col. 3. not. 5. & leg. Si qua mulier, C. ad Tertull. ibi Bal. verb. Sit infamis*, & late *Tiraquell. in leg. Si unquam verbo Revertatur, n. 180. cum aliis Doctoribus.*

De pœna privationis gradus medicinæ similiter æstimo, esse latæ sententiæ, quia particula *omnino*, juncta verbo futuri temporis *privetur*, est latæ sententiæ, *Auth. De non eligen. sec. nub. §. 1. ibi omnino privari, Tiraq. loc. cit. n. 17. &* latius *n. 76.* & cum transgressor fit effectus ipso jure infamis, consequenter est ipso jure dejectus a gradu medicinæ, scilicet magisterii, seu doctoratus: doctoratus enim est dignitas, ut docet *Abb. in dict. c. Quanto n. 1.* & communem testatur *Jo. Anan. in dict. c. Quanto, & Felin. ibi n. 1.* & magis communem, ait *Bonus de Curtili tract. de nobilitat. par. 3. n. 99.* & quod doctor in artibus dicatur habere dignitatem, ait *gloss. in leg. Lege Julia, ff. ad leg. Juliam de vi pub.* & præcise de doctore in medicina docent habere dignitatem *Bartol. in leg. Omnes 49. n. 3. C. de decur. lib. 10. Bonus de Curtili, n. 155. Felin. in cap. 1. n. 4. de Judæis*, qui plures allegat pro hac sententia: & etiamsi aliqui contrarium teneant, saltem illud concedunt, talem doctoratus, seu magisterii gradum honorem continere, ut tenent ii, quos allegat *Felin. in cap. Quanto n. 1. de Magistris, & Bon. de Curtili loco citat. n. 99.* & hoc sufficit, quia infamia juris privat, seu dejicit ipso jure a dignitate, & ab honore habito, non solum repellit ab habendo, ut *leg. Infamia 8. C. de decur. lib. 10. ibi gloss. & Jo. de Plat.* & plures allegat *Garz. de benefic. par. 7. c. 8. n. 34.* & quod infamis non possit esse doctor, ait *Bart. in prima Consl. Codicis §. Hæc quæ, Tiraquell. de nobilitat. cap. 30. n. 1.*

Limita prædictam pœnalem Constitutionem, ut secundum magis communem solum procedat in morbis periculosis actu, vel cum periculosos efficiendos esse medicus judicat: secus ubi omni periculo carent, ut apud *Barbos. in dict. cap. Cum infirmitas n. 4. Diana res. 93. tract. 4. tom. 2.*

Limita secundo, ut non teneatur post tres dies deserere infirmum, si obstinate nolit confiteri, & sine gravi ejus periculo deseri a medico non possit, ut *Sanch. lib. 3. in decal. cap. 16. n. 12. Suar. de Pœnit. disp. 35. sect. 3. n. 5.* & de communi testatur *Scortia loca cit. theorem.* 215. *§. Docet.*

Limita tertio, ut non procedat ea obligatio monendi infirmum, quando paulo ante infirmitatem confessus fuerat, *Beya resp. 2. pag. 27. par. 1.*

Limita quarto, ut satisfaciat medicus monendo parochum, vel domesticos infirmi, qui ejus curam gerunt, ut faciant eum confiteri, *Scortia dicta theorem. 215. §. Similiter, cum Cajet. & Navarro.*

Limita quinto, ut non procedant istæ pœnæ, ubi, & quatenus ea Constitutio fuerit desueta, ut *Suar. loco cit. Sanch. n. 10. Scortia loco cit. §. Denique, Diana resol. 93. §. Dico quinto.* Medicus ratione delicti in arte medendi potest coram laico judice conveniri, *Pilaja dec. can. lib. 1. dec. 11. n. 84. tom. 1.*

☞ *Ex Concilio Romano celebrato sub Benedicto XIII.* 1725. tit. 32. de pœnit. & remiss. cap. 1. *Medici quarto visitantes infirmos, post decubitum non confessos, incurrunt ipso facto excommunicationem Episcopo reservatam: & in Append. ad dictum Conc. sub* nom. 28. *hæc pœna extenditur ad quoscunque, etiam in locis non comprehensis in cit. Conc. existentes, quocunque modo medicantes, & in quibuscunque morbis, articulari excepto, ac etiam ad chirurgos; & medici declarantur infames, & gradu medicinæ privati, ac a collegio exclusi. Quicunque vero confessarii, etiam regulares, & etiam Societ. Jesu, tenentur relinquere eodem die fidem confessionis auditæ, aut prorogationis, sub pœna suspensionis, ipso facto ab audiendis confessionibus, Papæ, & respective Episcopis reservata. Vide cap. IV. verb.* Confessarius. ☜

CAPUT I.

Membrorum mutilatio, vel debilitatio.

EXcommunicationem sæpe incurrunt mutilantes, vel debilitantes in casibus, de quibus dixi suis locis, *verbo Injuria, verbo Majestatis læsæ, verbo Curia.*

Irregularitatem incurrunt mutilantes membra alteri, vel sibi, aut majorem partem membri, voluntarie, aut culpabiliter, idest extra casum necessitatis, eodem modo, sicut occidens, ut *cap. Si Evangelia 55. dist. cap. 1. de cler. pugn. in duello cap. ult. de homicid. in 6. Clem. un. eod. tit. ibi gloss. verbo Mutilat, Sayr. lib. 6. de cens. cap. 15. n. 15. Molina tract. 3. disp. 69. n. 2. Avila part. 7. disp. 5. sect. 1. dub. 1. Bonac. de irregul. quæst. 4. punct. 8. n. 9. & 12. Covarr. in Clem. Si furiosus de homic. part. 3. in princ. n. 8. vers. 4.* qui asserit, mutilantem tres, etiam præcipuos digitos alicui, non esse irregularem: idem tenet *Tolet. lib. 1. cap. 76. n. 3. verb. Qui ergo, Candid. tom. 4. dis. quæst. 4. dub. 32.* per doctrinam *Barbos. in leg. Publicorum n. 13. in fin. ff. de pub. jud. Bernard. Diaz in praxi cap.* 102. & amplia, ut procedat etiam in cooperante ad mutilationem, *Molina disp. 70. n. 16. Henriq. lib. 4. c. 8. n. 4.*

Amplia secundo, ut mutilans sibi partem membri sine necessitate, fiat irregularis, etiamsi non sit major pars membri, ut si ex ira mutilet sibi partem manus, vel digitum, aut partem digiti, aut unum testiculum, *cap. Qui partem 55. dist. cap. Significavit de corp. vit. Molina disput. 70. n.* 16.

16. *Tolet. lib.* 1. *cap.* 63. *n.* 8. *Layman lib.* 3. *tract. de homicid. cap.* 11. *n.* 3. An autem hæc ampliatio procedat, etiamsi delictum sit occultum, dubia est quæstio; aliqui enim affirmant, *gloss. in cap. fin. de corp. vit. Sayr. lib.* 7. *c.* 7. *n.* 12. *Suar. disp.* 51. *de irregul. sect.* 2. *n.* 7. & 8. *Garzias par.* 7. *cap.* 12. *n.* 5. *de benefic.* alii autem negant, ut *Ugol. de irregul. c.* 51. *n.* 7. & *c.* 52. *n.* 5. *Barbos. de potest. Episc. alleg.* 42. *n.* 12. *Hostien. Butr. Cardin. & Abb. in d. cap. fin.* & alii apud *Garziam n.* 6. & hæc est magis communis: & procedit dicta ampliatio etiam in permittente se castrari ob quamcunque causam, etiam ex causa cantus, excepta tantum causa necessitatis ob ægritudinem, *cap. Si quis a Medicis*, *cap. Si quis pro ægritudine* 55. *dist. cap. Significavit*, *cap. Ex parte il primo*, & *il seconda de corp. vit. Menoch. de arbitr. casu* 570. *n.* 14. *Sayr. in Clavi reg. lib.* 7. *cap.* 9. *n.* 28. §. *Primo si communes*; *Laym. de homic. loc. cit. cap.* 1. *n.* 2. *in fin. Tanner. tom.* 3. *disp.* 4. *quæst.* 8. *dub.* 1. *n.* 101. *Dian. resol.* 38. *tr.* 5. *miscell. tom.* 2. *Bonac. de irregul. dis.* 7. *quæst.* 2. *punct.* 2. *n.* 34. debet tamen esse causa infirmitatis curandæ, quæ sit cum periculo vitæ, ut *Farin. quæst.* 128. *n.* 52. vel saltem gravissimi morbi longi, & alias incurabilis, ut lepræ, *cap. Ex parte il secondo supra cit. Farin. ibi*.

De mutilante, aut vulnerante seipsum, vide plura supra *verbo Manus*.

An debilitans membrum alieni, v. g. excæcando oculum, illo tamen integro remanente, aut claudum reddendo, non abscindendo crura, efficiatur irregularis, tres sunt sententiæ: prima asserit, effici irregularem: ita *Sylv. verbo Homic.* 3. *q.* 3. *Angel. homic.* 5. *n.* 5. *Tabiena verbo Irregular.* 3. *n.* 26. *Abb. in c. Cum illorum n.* 8. *de sent. excommun. Majol. de irregul. lib.* 5. *cap.* 50. *n.* 7. *Graff. lib.* 2. *cap.* 62. *n.* 3. *Cardin. in cap. qui cler. vel vov.* ubi ait hoc verum, quando debilitatus affectus est irregularis; & ratio istorum, quia paria sunt non esse, vel esse inutile: secunda sententia communis ait, non effici irregularem, *Navarr. cap.* 27. *n.* 223. *Molina tract.* 3. *disp.* 68. *Sayr. lib.* 6. *cap.* 15. *n.* 6. *Abb.* sibi contrarius *in cap. De diacono n.* 9. *qui cler. vel vov. Felin. Calder. Præp. Villad. Auf.* & *alii apud Sayr. ibi*, & sequitur *Bonac. de irregul. q.* 4. *punct.* 8. *n.* 11. cum aliis, & communem ait *Ugolin. de irregular. cap.* 4. §. 6. *num.* 1. *vers. Quid igitur*, quia nullo jure est cautum: tertia sententia media, cui adhæreo, quod si talis sit debilitatio, ut inde postea necesse sit venire ad truncationem, erit debilitans irregularis, *Suar. disp.* 44. *sect.* 2. *n.* 11. qui ita intelligit Doctores allegatos pro secunda sententia.

Dubius de mutilatione, an debeat se censere irregularem? *Sanch.* negat *lib.* 1. *in decal. cap.* 10. *n.* 49. sed communis affirmat, ut *Sayr. lib.* 6. *cap.* 2. *n.* 16. *de censur. Reginal. lib.* 30. *n.* 12. *Bonac. de irregul. quæst.* 1. *punct.* 4. *n.* 3. & alii apud illos.

Dispensare autem super irregularitate ex mutilatione, si casus sit occultus, potest Episcopus, etiam si sit voluntaria mutilatio (si tamen ex delicto sit) vigore *Concilii Tridentini sess.* 24. *cap.* 6. *Barbos. allegat.* 39. *n.* 49. *Garz. part.* 7. *cap.* 11. *n.* 29. si autem sit publica voluntaria, non potest Episcopus dispensare ad recipiendos ordines, vel beneficium curatum obtinendum, sicut de homicidio diximus: ita habetur in *cap.* 1. *de cler. pugn. in duello*, *Navarr. cap.* 27. *n.* 20. *Roder. quæst. regul.* 24. *n.* 10. *tom.* 1. sed ad minores jam susceptos exercendos, & beneficium simplex obtinendum, potest Episcopus dispensare de jure communi, ut de magis communi *Garz. n.* 26. & 29. nisi quando quis seipsum mutilavit, aut sua culpa ab alio mutilatus est, & membrum non est occultum, sed notoria mutilatio, tunc enim solus Papa dispensat, *cap. Significavit de corp. vit. Covarr. in Clem. Si furiosus*, *par.* 1. *n.* 7. *Molina disp.* 70. *in fin. tract.* 3. *Tolet. lib.* 1. *cap.* 63. §. *Ultima regula*, *Henriq. lib.* 14. *cap.* 8. *n.* 4. si autem sit occultum membrum, seu non patens omnibus, tunc Episcopus dispensare potest, ut ministret in susceptis, excepto altaris ministerio, *Avil. part.* 7. *disp.* 3. *dub.* 2. *concl.* 2. *cum Angelo*, *Sylv. Henriq.* & tenet *Tabien. verb. Corpore vitiatus*, *cum Hostien. Sayr. lib.* 6. *cap.* 7. *n.* 14.

☞ CAPUT I.

Metropolitanum Episcopi non eligentes.

Concilium Tridentinum, *renovando antiquas canonicas sanctiones*, *relatas a Gratiano distinct.* 18. *fere per totam*, *præcepit* cap. 2. sess. 24. de refor. *ut* — Episcopi, qui nulli Archiepiscopo subjiciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum semel eligant, in cujus Synodo provinciali cum aliis interesse debeant, & quæ ibi ordinata fuerint, observent, ac observari faciant — *Cum autem nonnulli Episcopi usque ad annum* 1725. *huic sanctioni non obtemperaverint*, *in* Conc. Roman. habito eod. anno sub Bened. XIII. tit. 9. de majorit. & obed. cap. I. *sequens pœna in non parentes inflicta fuit*, *ibi* — Ut itaque generali eidem Constitutioni (*Tridentini videlicet*) debita præstetur obedientia, pari Nos decretali, sacro etiam approbante Concilio, mandamus, ut Episcopus quilibet exemptus, antequam alma ex hac Urbe nostra discedat, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ, Nobis reservata, donec usque paruerit, suum tandem aliquando eligat Metropolitanum: quam electionem absentes quoque sub eadem pœna efficiant infra mensem ab hujus publicatione Concilii. —

Pro hujus conciliaris decreti executione instituta etiam fuit particularis Congregatio, *a qua die* 28. *Maji ejusd. an.* 1725. *sequentia edita fuerunt decreta*, *relata a Bened. XIV.* lib. 13. cap. 8. num. 14. de Synodo Diœces. edit. Patav. an. 1756. *ibi*.

— I. Archiepiscopos, qui non habent Suffraganeos, non teneri eligere Metropolitanum, ad effectum conveniendi in ejus Concilio provinciali.

II. Sex Cardinales Episcopos urbium Romæ adjacentium, non teneri, ut supra.

III. Episcopos omnes, qui sunt inter provinciam Capuanam, & Pisanam, non teneri eligere Metropolitanum ad effectum præfatum. Eos nihilominus, qui, vel quorum antecessores jam semel post Tridentinum elegerunt Metropolitanum, teneri stare electioni; prout etiam Episcopos, qui a provincia Romana inter dictas Capuanam, & Pisanam constituta, divulsi fuerunt, & assignati Suffraganei Ecclesiarum in metropolitanas electarum, eidem subesse debere.

IV. Episcopos vere immediate subjectos Apostolicæ Sedi, qui sunt extra præfatam provinciam Romanam, ubicumque locorum existentes, omnino teneri eligere Metropolitanum, juxta decretum Conc. Trident. *sess.* 24. *cap.* 2. *de reform.* quatenus ipsi, vel eorum antecessores jam non elegerint.

V. Abbates, aliosque Prælatos inferiores Nullius diœcesis habentes jurisdictionem quasi episcopalem in clerum, & populum cum territorio separato, teneri eligere Metropolitanum, ut supra.

VI. Episcopos, Abbates, & Prælatos inferiores, qui debent, ut supra, eligere Metropolitanum, etsi non teneantur eligere viciniorem, debere tamen juxta dictum decretum Conc. Trident. vicinum eligere; quod est intelligendum de non nimis longe distante, habita ratione regionum. —

De Episcopis non accedentibus ad Concilium provinciale, *vide Auctorem supra*, *verbo* Concilium *cap.* 2. *pag.* 100.

De Metropolitano, *Concilium provinciale celebrare negligente*, *vide Additiones meas ad cap. l. verbo* Synodus. ☜

CAPUT I.

Missarum onera recipientes contra formam decreti Sacræ Congregationis Concilii.

I. Ex Decreto Sacræ Congregationis Concilii Tridentini *de celebratione Missarum*, edito *anno* 1625. *die* 21. *Junii*, & habetur in Bullario Constitut. 43. SS. D. N. Papæ Urbani VIII. pecuniæ, & alia bona mobilia, relicta locis, vel universitatibus piis, tam ecclesiasticis, quam secularibus, atque illarum personis, cum onere perpetuo Missarum, debent sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ, ipso facto incurrenda, a die realis acquisitionis statim deponi penes ædem sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium quamprimum investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa, & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur. Quod si dicta bona immobilia, cum licentia Sedis Apostolicæ deinceps alienari contigerit, pretium eorumdem sub eadem pœna interdicti, ut supra incurrendi, deponi, atque in aliis bonis stabilibus fructiferis, cum ejusdem oneris repetitione, atque annexione converti debet.

Item in eodem decreto sublata est Episcopis, & Generalibus Religionum facultas reducendi onera missarum celebrandarum (scilicet restringendi ad minorem quantitatem) si talia onera sint imposita post Concilii Tridentini decretum,

tum, vel etiam ante illud, sed in limine fundationis imposita: & in istis casibus facultas reducendi Sedi Apostolicæ reservata est: & in hac tantum parte est derogatum decreto, seu facultati concessæ a *Tridentino Concilio sess.* 25. *cap.* 4. *de reform.* ut bene notat *Lezana tom.* 4. *de privil. Regul. verb. Missa n.* 32. *cum Naldo, & Barbos.*

Quin in re nota cum *Gennen. pract. quæst.* 390. quod onus certi numeri missarum, singulis v. g. hebdomadis celebrandarum, inducitur ex observantia, & præscriptione decennali, præsumptive, idest nisi contrarium probetur ex instrumento fundationis, *per leg. Cum de in rem verso ff. de usur. & c. Servitium, & ibi gloss.* 18. *quæst.* 2. Idque præsertim favore animæ, *ita Gennen. ibi.*

Nota secundo ex *dict. Triden. decreto*, reductionem aliquando concedi jure speciali ex gratia, quando scilicet nimium excrevit numerus missarum celebrandarum, ut illi satisfieri non possit. Aliquando autem reductio de jure communi ex justitia competit ex præsumpta voluntate testatoris, & ne Ecclesia detrimentum patiatur injuste, videlicet quando certi redditus, seu bona fructifera sunt assignata a testatore, seu fundatore, quæ ab initio, vel ex cursu temporis sunt adeo diminuta, ut non sufficiant tali oneri adimplendo; dummodo ea diminutio, seu jactura redituum non sit facta cum utilitate Ecclesiæ illius, *Castropal. tom.* 2. *tractat.* 13. *disp.* 1. *pun.* 6. *n.* 23. non enim est justa causa reductionis, si bona a fundatore assignata, consumpta sint in utilitatem Ecclesiæ, v. g. pro reparatione fabricæ. Sed si a præteritis beneficiatis bona fuerunt consumpta in propriam ipsorum utilitatem, moderni beneficiari non tenentur illud onus sustinere, nisi pro quantitate redituum remanentium: cum enim non sentiant commodum ex tali legato, non debent sentire incommodum, *cap. Qui sentit* 55. *de reg. jur. in* 6. *leg. Secundum naturam, ff. eod. ita Gennen. in praxi c.* 47. *n.* 4. *cum Butr. & Abb.* Sed neque est justa causa reductionis concedendæ, si beneficiatus, volens servire per substitutum, seu vicarium, necesse habeat omnes reditus illi relinquere pro illius justo stipendio, & nihil sibi remaneat; nam sibi imputet, cum obligatio deserviendi ipsi principaliter incumbat: bene taman deducere potest a ratione sui reditus, seu justi stipendii, id quod necessarium est pro manutentione capellæ, & altaris, & pro clerico, qui inserviat celebranti: hæc docent *Abb. in cap. Ut quisque de vit. & hon. cleric. per illum text. et Felin. in c. Ad aures de rescr. Cassad. decis.* 9. *de præb.*

Præterea statutum est in eodem decreto, & prohibitum omnibus universitatibus, & omnibus, & singulis Ecclesiarum, & piorum locorum, tam secularium, quam Regularium superioribus, & aliis, ad quos pertinet, ne in posterum onera perpetua suscipiant missarum celebrandarum: seculares quidem, nisi cum Episcopi, vel ejus Vicarii generalis licentia: Regulares vero, nisi cum Generalis, vel Provincialis licentia in scriptis, & gratis concedenda: alioquin seculares transgressores ab ingressu Ecclesiæ interdictum incurrant eo ipso: Regulares autem pœnam privationis suorum officiorum, & inhabilitatis ad ea, vel alia de cætero obtinenda, vocisque activæ, & passivæ ipso facto incurrant, absque alia declaratione.

Amplia prædicta, quod licet decretum videatur loqui solummodo de universitatibus, & locis piis, earumque personis, tamen procedit etiam de particularibus personis; ut si relinquantur bona privato alicui pro onere perpetuo missarum: ita declaravit Sacra Congregatio, ut patet in declarationibus impressis, editis ad dictum decretum, §. 15. & refert *Bonac. tract. de interdict. particul. quæst.* 2. *pun.* 11. *num.* 15.

Idem dicendum, si testator gravet hæredes ad solvendum certum stipendium sacerdoti, per eos eligendo, qui teneatur perpetuo celebrare certis diebus; quia talis electus non potest illud onus suscipere sine licentia Ordinarii, etiamsi ipse solum, vita sua durante, onus suscipiat: quia quod datur ad vitam, dicitur perpetuo dari, *gloss. in Clement.* 1. *verb. Ejus, de rebus Eccles. non alienan.*

Limita hoc decretum, ut non censeatur obstare, quominus is, qui donavit bona cum onere missarum, possit illud onus reducere, seu minuere, vel penitus relaxare; quia licet promissio ista de missis celebrandis respiciat piam causam, tamen non Deo, sed ipsi homini, qui pecuniam dedit, facta est, & tanquam humanus contractus, ab illius acceptatione, & consensu dependet; ut *Sanch. de matr. lib.* 1. *disp.* 6. *n.* 16. cum magis communi sententia.

Item adverte circa illud decretum §. 8. quod licet ibi præcepetit Sacra Congregatio, ne prædicti accipiant eleemosynas manuales pro missis celebrandis, si habeant onera similia, seu obligationes missarum, nisi prius anterioribus satisfecerint, utque capsulas auferant ab Ecclesiis, inscriptionem habentes illam, *eleemosyna pro missis*, vel similem, sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur: tamen eadem Sacra Congregatio hoc posterius capitulum sic explicavit in dictis declarationibus, non prohiberi prædictis, onera habentem missarum, novas accipere eleemosynas pro missis, si infra modicum tempus possit omnibus satisfacere, vel si dans eleemosynam posteriorem, sciat onera præcedentia, & consentiat dilationi: & temperavit pœnam eidem decreto insertam, ita ut pœna interdicti, seu privationis vocis activæ, & passivæ, & officiorum, & inhabilitatis, non incurratur in istis duobus casibus, id est ob novas eleemosynas manuales receptas in præjudicium anteriorum, vel ob capsulas expositas; sed solum in casibus in primo, & secundo numero supra relatis: & ita *Bonac. num.* 12.

Si autem quæras, quod dicatur modicum tempus ad satisfaciendum anterioribus missarum obligationibus concessum? responden arbitrio prudentis definiendum, *leg. Si ita quis* 135. §. *Seya cavit. ff. de verb. oblig. Menoch. de arbitrar. casu* 33. *n.* 2. nam obligatio pura dandi, vel faciendi, aliquam morulam admittit, *leg. Continuus* 137. §. 2. *ff. de Verbor. obligat. leg. Si debitori, ibi gloss. verbo Indultum ff. de judic.* Æstimo autem spatium octo, vel decem dierum, & non ultra, indulgendum esse, per ea, quæ habent Doctores, quos allegat *Diana resol.* 27. *tract.* 14. *de celebrat. Missar. tom.* 1. alii tamen extendunt modicum hoc tempus ad quindecim dies, ut *Diana ibi, Bonac. de Sacr. Missæ, q. ult. punct.* 8. *num.* 17. nisi missa sit dicenda pro aliqua causa, quæ talem moram non admittat, ut si pro præsenti infirmitate, vel pro expeditione felici alicujus negotii, & similibus.

☞ *Hujus modici temporis spatium ad duos, vel tres menses a nonnullis DD. protrahebatur; sed ex decreto Cong. Conc. declaratum est, restringi ad unum mensem: die enim* 17. *Julii* 1755. *ut ex lib.* 19. *decret. ejusdem Cong. Conc. pag.* 497. *ad dubium sibi propositum, hoc dedit responsum, ibi* — Cum in declaratione undecimi, impressa super decretis de celebratione Missarum, permittatur receptio aliorum onerum Missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possit omnibus satisfieri, hodie nonnulli superiores regulares pro conscientiarum, ut inquiunt, quiete, denuo quærunt, an dictum modicum tempus celebrandi Missas reputetur tempus duorum, vel trium mensium. Sacra &c. respondit, modicum tempus intelligi infra mensem. —

Quod decretum intelligendum est cum limitatione, recte ab Auctore mox apposita. ☜

An autem hoc decretum procedat etiam de relictis cum onere missarum, non quidem perpetuo, sed tamen ad longum tempus, ut ad decennium, vel ultra: respondeo mihi videri, quoad pœnas in eo latas non procedere, per ea, quæ dixi *part.* 1. *c.* 9. cæterum pecunias cum tali onere relictas, collocandas esse, quia ex earum fructibus illud onus sustinendum est, & suppeditare debent fructus, duraturos ad longum tempus; & annui reditus duraturi ad decennium, vel ultra, æquiparantur rei immobili, ut *Clem.* 1. *de reb. Eccl. non alien. Sanch. in decal. lib.* 7. *cap.* 26. *n.* 36. *&* 39.

IV. Adde, quod alienans pecunias relictas cum onere perpetuo missarum, illas expendendo, & non collocando, vel alienans alia bona, cum tali onere relicta, sine beneplacito Apostolico, incurrit etiam in pœnas latas in *Extravagan. Ambitiosæ*, de quibus dixi *verbo Alienatio cap.* 1.

☞ *Quæ sancita leguntur in supra relato Urbani decreto, omnia, & singula confirmata fuerunt ab Innoc. XII. Constit.* Nuper 23. *Decembr.* 1697. *in qua insuper præcipitur.*

I. §. 25. *Ne reductio missarum omissarum, vel compositio super eisdem a Reverenda Fabrica S. Petri ullatenus concedatur sub pœna nullitatis gratiæ, nisi cum clausula inter alias* — dummodo malitiose non omiserint, animo habendi compositionem. —

II. §. 26. *Ut in patenti loco quarumcunque Ecclesiarum, tam secularium, quam regularium, retineantur duæ tabellæ, una cum descriptione onerum missarum celebrandarum in perpetuum, altera manualium, in qua etiam exprimendum sit, non posse alias recipi, si jam receptis intra breve tempus satisfieri non posse credatur.*

Idipsum quoad missas manuales, faciendum esse a sacrista, jam declaraverat Cong. Conc. *in Cremonen.* 3. *Jun.* 1628. *ut lib. decret.* 13. *pag.* 464. *& in Regni Bosnæ* 20. *Decembr.* 1631. *lib. decret.* 14. *pag.* 544. *ac in Januen.* 30. *Maji* 1637. *lib. decret.* 15. *pag.* 544.

III. §. 27. *Ut in sacrario retineantur duo libri, in quorum altero describantur onera perpetua, & temporalia, in altero missæ manuales cum annotatione eleemosynarum perceptarum.*

IV. §. 28. *Ut Regulores dictas eleemosynas retinere debeant in capsa particulari sub duabus clavibus, quarum una sit penes superiorem, altera penes alium religiosum, deputandum a capitulo locali cujuscunque conventus.*

V. §. 29. *Ut ii* – Ad quos cura tabellæ, capsæ, & librorum præfatorum respective pertinet, seu pertinere debet, si suam operam præmissis, ut præfertur, minime navaverint, & superiores tum secularium, tum regularium Ecclesiarum, rationem prædictam non exegerint, seu non invigilaverint, quod præfati, qui in curam tabellarum, & librorum incumbunt, suo muneri, ut præfertur, satisfaciant, in singulis respective casibus, seculares pœnam suspensionis incurrant, Regulares vero voce activa, & passiva, ac gradibus, & officiis, quæ obtinent, ipso facto, & absque alia declaratione privati sint, & intelligantur; necnon ad hujusmodi gradus, & officia obtinenda similiter inhabilitentur, & inhabilitati sint, & intelligantur.

VI. §. 30. *Ut* – Rectores, superiores, seu capitula Ecclesiarum secularium illa (*prædicta nempe decreta*) retineant publice exposita in eorum sacrario; superiores vero locales cujuscunque monasterii, conventus, ac domus regularis curare, & efficere teneantur sub pœna privationis officiorum, quæ obtinent, vocisque activæ, & passivæ ipso facto incurrenda, ut in perpetuum, sexto quoque mense, idest, feria secunda post primam Dominicam Adventus, & feria sexta post octavam Corporis Christi, omnes, & singulæ præmissæ, tam insertæ, seu confirmatæ, tam in præsens factæ ordinationes una cum dictis declarationibus in publica mensa perlegantur.

VII. §. 31. *Ut Ordinarii locorum tam in visitatione, quam in aliis actibus, etiam ex officio, invigilent pro omnimoda horum decretorum executione.*

VIII. §. 32. *Ut superiores regulares, tam locales, quam Provinciales, & Generales idipsum satagant, alias* – pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, ac graduum, & officiorum, quæ obtinent, necnon inhabilitationis ad hujusmodi gradus, & officia obtinenda prorsus incurrant.

IX. §. 33. *Ut singuli superiores locales* – In provincialibus capitulis, seu congregationibus exhibere teneantur attestationem, seu fidem ab omnibus Sacerdotibus conventus, monasterii, seu cujuscunque domus regularis, subscriptam, & juratam, quod omnibus, & singulis tum perpetuis, tum manualibus missarum oneribus, seu obligationibus ad limites, & tenorem præsentium decretorum, tempore eorum regiminis fuerit omnino, & integraliter satisfactum; vel deficiente aliqua modica satisfactione, possit etiam hujusmodi residuali implemento missarum, distincte referendarum, intra breve tempus moraliter satisfieri: ea adjecta, & omnino adimplenda conditione, quod ante præfatæ attestationis exhibitionem quicunque superiores locales prædicti vocem activam, seu passivam in memoratis capitulis, seu congregationibus omnino habere non valeant. –

X. §. 34. *Ut* – Provinciales, vicarii, & visitatores provinciarum, seu congregationum debeant in fine eorum regiminis superioribus generalibus in forma probante ostendere, quod executioni præsentium decretorum sedulo invigilaverint, & ad eorum tenorem in omnibus, & singulis conventibus, seu monasteriis, vel domibus regularibus provinciæ, seu congregationibus de omnibus, & singulis oneribus, & obligationibus, ac insimul satisfactionibus missarum exactam, & diligentem rationem exegerint; ac contra delinquentes ad declarationem, & executionem respective pœnarum in decretis contentarum processerint, & de adimplemento circa ea, quæ in præmissis ad ipsos spectant, legitime docuerint: alias ad vocem activam, & passivam in capitulis generalibus nullatenus admittantur. –

XI. §. 35. *Ut Rectores Archiconfraternitatum, Hospitalium, ac quarumcumque aliarum Ecclesiarum, & piorum locorum, quomodolibet commendatorum aut commissorum* – necnon ii, ad quos cura tabellæ, & librorum in præmissis spectat, tabellam, libros, & hæc decreta respective, juxta modos superius expressos, similiter retinere, necnon de oneribus, ac celebrationibus, & eleemosynis dictarum missarum singulis annis rationem exigere, & respective iis, ad quos pertinet, reddere sub pœnis arbitrio, & in subsidium excommunicationis teneantur. –

Pro complemento pœnarum, quæ circa hanc materiam inflicta sunt, nota, quod in cit. Urbani decreto §. 3. *ulterius præcipitur, ut tot missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, sub pœna lethalis peccati, & restitutionis.*

Item §. 5. *prohibetur Sacerdoti* – qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat – *Cum vero hic nulla mentio fiat pœnarum in transgredientem, juvat referre tria excitata dubia super hoc eodem decreto coram* Cong. Conc. 5. *Jul.* 1664. *in Anconitana eleemosynæ.*

I. An Sacerdos illud transgrediens, peccet mortaliter.

II. An muneri suo satisfaciat.

III. An ad restitutionem teneatur.

Ad quæ S. Cong. respondit.

Ad primum, peccare mortaliter.

Ad secundum negative, in casu, & ad effectum, de quo agitur, hoc est, non satisfacit muneri suo, quoad distributionem eleemosynæ, licet satisfaciat, quoad Sacrificium Missæ.

Ad tertium affirmative.

Has easdem pœnas incurrit Sacerdos, qui recepta eleemosyna majori solita, committit alteri celebrationem missæ, dando illi congruam eleemosynam, parte sibi retenta, cum integram teneatur tradere, ut declaravit ead. S. C. in resp. ad X. dubium inter alia excitatum post cit. Urbani decreti emanationem, ut videre est in calce ejusdem decreti.

Si autem quæras, cui in utroque casu facienda sit restitutio, an danti eleemosynam, an sacerdoti celebranti? dico faciendam esse huic: cum enim in hunc transtulerit onus celebrandi, transtulit quoque jus ad integrum stipendium; ac proinde hunc eundem læsit. Vide Matthæuc. cap. x. §. 11. Official. Curiæ quoad celebr. missarum num. 48.

Præter hucusque recensitas pœnas, ex Constit. Bened. XIV. Quanta cura 30. *Jun.* 1741. §. 5. *declaratur* – quemcunque, qui eleemosynas seu stipendia majoris pretii pro missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines vel synodalia statuta exigunt, colligens missas, retenta sibi parte earundem eleemosynarum, seu stipendiorum acceptorum, *sive* ibidem, sive alibi, ubi pro missis celebrandis minora stipendia, seu eleemosynæ tribuuntur, celebrari fecerit; laicum quidem, seu secularem, præter alias arbitrio vestro (*loquitur ad Episcopos*) irrogandas pœnas, excommunicationis pœnam; clericum vero, sive quemcunque sacerdotem, pœnam suspensionis ipso facto incurrere –. *Quæ pœnæ sunt Papæ reservatæ, ut ibi.*

Propositiones circa missarum celebrationem proscriptæ ab Alex. VII. die 24. *Septemb.* 1665. *&* 18. *Mart.* 1666. *etiam sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, Papæ reservatæ, in eas docentes, defendentes, edentes, aut de iisdem, etiam disputative, publice, aut privatim tractantes, nisi forsan impugnando (a quo prohibitum insuper fuit in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione divini judicii ipsas a quoquam ad praxim deduci) sunt in ordine la*

8. Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimi fructus, ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.

9. Post decretum Urbani potest sacerdos, cui missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta. *Vide notata supra* §. Item *& seqq.*

10. Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre: neque etiam contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione, etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

43. Annuum legatum pro anima relictum, non durat plusquam per decem annos. ☜

CA-

CAPUT II.

Missam celebrans, & Sacramentum non sumens.

IN *cap. Relatum, de consecr. dist.* 2. quicunque sacerdos divino altari sacrificium oblaturus accesserit, & se a communione suspenderit, ab ipsa, qua se indecenter privavit gratia communionis, anno uno repulsum se noverit.

Certum est, hanc censuram esse latæ sententiæ, ut patet ex illa particula, *repulsum se noverit*, quæ est præsentis temporis: sed dubitant Doctores, quænam sit ista censura: aliqui putant, esse suspensionem a missæ sacrificio: alii intelligunt, esse excommunicationem minorem, alii majorem: vide *Bonac. de cens. in part. dis.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 3. *n.* 1. *& seqq.* Sed cum ille canon sit *Concilii Toletani* 12. *cap.* 5. atque ideo sit statutum Concilii provincialis, & non œcumenici, non debuit recenseri inter censuras juris communis: unde viderint Hispani ex observantia subsecuta, quænam fuerit ista censura. Quare caute legendus *Majolus lib.* 3. *cap.* 16. *n.* 2. qui ait, sacerdotem celebrantem, & non sumentem, esse ipso jure excommunicatum: non enim est hoc universaliter verum: sed forte in Hispania procedit in provincia Toletana.

Verum est, gravissimum peccatum sacrilegii incurrere sacerdotem ex prædicta omissione, ut patet ex rubrica Missalis Rom. tit. de defectibus in ministro ipso occurrentibus, §. 4. quia pertinet ad essentiam sacrificii, tanquam pars illius integralis, secundum probabiliorem sententiam, *Suar. de Sacram. disp.* 75. *sect.* 5. §. *Dico secundo*, & §. *Una vero*; vel ut alii volunt magis communiter, intrinsece pertinet ad essentiam sacrificii, ut pars essentialis, quod tenet S. *August.* 16. *de Civit. cap.* 5. *Sot. in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 1. *art.* 4. *Angel. verbo Eucaristia* 3. *n.* 1. *Azor. tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 19. *q.* 1. *in fin.* & plures allegat, & sequitur *Bonac. de Sacrif. Missæ, punct.* 2. *n.* 6. & idem tenet *Concil. Tolet. in dict. cap. Relatum*, & quia est præceptum divinum de tali sumptione, ut *S. Thomas* 3. *part. quæst.* 80. *ar.* 12. *Azor. loco cit.*

☞ *Nota hic obiter propositionem proscriptam ab Innoc.* XI. 2. *Martii* 1679. *circa præceptum audiendi sacrum diebus festis sub pœnis in eam docentes &c. & ad praxim deducentes, prout in fine Additionis ad caput præcedens: quæ est in ordine la*

53. -- Satisfacit præcepto Ecclesiæ da audiendo sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis celebrantibus audit. -- ☜

CAPUT III.

Missam sacerdos non perficiens.

ZAcharias Papa in Synodo Romana, *cap.* 14. quod habetur in *cap. Nullus Episcopus, de consecrat. dist.* 1. statuit, ut cum sacerdos ingressus fuerit ad missarum solemnia celebranda, nisi passio aliqua intervenerit, nullo modo audeat dicta oratione recedere, ut ab alio sacerdote missarum solemnia suppleantur; sed qui initium posuit, suppleat usque ad finem; & subdit: si quis vero præsumpserit, præter quod posuimus, agere, a Sacro Corpore, & Sanguine Domini JESU Christi sit suspensus.

Hanc suspensionem, esse latæ sententiæ certum mihi est ex doctrina, quam ponit *Tiraq. in leg. Si unquam, verbo Revertatur n.* 184. *C. de revoc. don.* cum multis Doctoribus, quos allegat: quia si verbum, *sit* jungatur participio præteriti temporis, sine dubio est canon latæ sententiæ; ut sit excommunicatus, sit privatus, ita hic sit suspensus.

Sed quæres, quæ sit ista censura suspensionis: respondeo: aliqui dicunt, esse suspensionem partialem a divinis, idest a celebratione sola missarum, *Sayr. lib.* 4. *c.* 15. *n.* 1. *Filiuc. de suspens. n.* 104. *Navar. Miscellan.* 86. *de orat. Bernard. Diaz c.* 46. *praxis*: alii dicunt, esse excommunicationem minorem partialem, idest a receptione communionis; ita *Archid. hic, & Armil. verbo Missa, n.* 12. alii vero dicunt, esse excommunicationem majorem latæ sententiæ: ita *Palud. in* 4. *dist.* 11. *quæ.* 1. *art.* 2. *Majol. de irregul. lib.* 3. *cap.* 16. §. *Ex iis igitur, Marius Alter. tom.* 2. *tract. de suspens. disp.* 11. *c.* 3. *col.* 2. *&* 3. & hæc est vera sententia, quam tenet *Rota divers. par.* 1. *dec.* 426. *n.* 6. ubi decidit, collationem beneficii factam hujusmodi sacerdoti, nullam esse; quia nomen *suspensionis* sæpe in antiquis decretis significat excommunicationem: sed prima sententia verior est, quia magis adhæret litteræ textus, a qua in pœnis non est recedendum.

Hæc autem suspensio nulli est reservata, ut ibi apparet: illam autem incurrit etiam Episcopus; quia ibi etiam sunt Episcopi nominati: unde non suffragatur eis *cap. Quia periculosum de sent. excommun. in* 6.

☞ *Circa pœnas sacerdotis, missam non perficientis, notanda sunt animadversa a Bened. XIV.* lib. 3. cap. 14. n. 2. de Sacrosancto Sacrificio Missæ, *qui post verba citat. cano.* Nullus Episcopus, *& can.* Nihil 16. caus. 7. quæst. 1. *qui est Concilii septimi Toletani, hæc habet, ibi* -- Priore canone pœna suspensionis imponitur -- *si quis vero præsumpserit, præter quod posuimus, agere, a Sacro Corpore, & Sanguine Domini Nostri Jesu Christi sit suspensus.* -- Posteriore, pœna excommunicationis -- *si quis hæc temerare præsumpserit, excommunicationis pœnam sustinebit* -- Utrum autem impositæ sint hujusmodi pœnæ *ipso jure*, an latam esse sententiam oporteat, ut quis in eas incurrat, & utrum iis pœnis sit locus, quando sacerdos recedit ab altari post consecrationem, an vero etiamsi recedat ante consecrationem, Doctores disputant. Sacra Congregatio semel, atque iterum respondit, eas pœnas non esse impositas *ipso jure*; nec locum iis esse, si sacerdos ante consecrationem ab altari sine legitima causa recesserit; ut si recesserit ea impatientia, quod sæpe contigit, ut videre est in resolutione S. Congreg. die 16. Decembr. 1719. *l.* 69. *Decret. pag.* 604. *in causa Placentina, & in Juvenacensi die* 3. *Decembr.* 1735. --

Et nota, quod in eodem can. Nihil *infligitur excommunicatio, ferendæ itidem sententiæ, in celebrantem scienter non jejunum.* ☜

CAPUT IV.

Missam celebrans, aut communionem sumens sacerdos sine stola, aliisque ornamentis.

IN *c. Ecclesiastica* 23. *distin.* quod desumitur ex *Concilio Bracaren.* 3. *c.* 3. habetur quod cum sacerdotis in sui ordinatione, orario, seu stola uterque humerus ambiatur, propterea modis omnibus convenit, ut cum sacerdos ad solemnia missarum accedit, aut per se Deo sacrificium oblaturus, aut Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini sumpturus, non aliter accedat, quam orario utroque humero circumseptus, ita ut de uno, eodemque orario cervicem pariter, & utrumque humerum premens, signum in suo pectore præparet Crucis: si quis autem aliter egerit, excommunicationi debitæ subjaceat.

Amplia, quod hoc procedit etiam, quando sacerdos laicam communionem est suscepturus, extra missarum scilicet celebrationem, verb. gr. in infirmitate, *gloss. ibid. Azor. tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 28. *quæ.* 12. *Nald. verbo Missa n.* 6. *Homobon. tract.* 4. *exam. par.* 1. *cap.* 11. *quæ.* 106. sed contra est hodie (ut dicam infra) magis communis.

Amplia secundo, quod hæc excommunicatio est latæ sententiæ, propter verbum *subjaceat*, quod non indiget facto judicis, *Abb. in cap. Si diligenti, de foro compet. Tiraquell. in leg. Si unquam verbo Revertatur n.* 148. & probatur ex *c. Si quis suadente* 17. *quæst.* 4. ubi eadem sunt verba, & ita communiter intelliguntur de canone latæ sententiæ, quamvis hic contrarium teneant *Archid. & Turrecrem. in fin.*

Limita hunc canonem, quod cum sit Concilii provincialis, non ligat, nisi in sua provincia: obligatio tamen celebrandi Missas cum stola, est Ecclesiæ universalis, ita ut mortaliter peccet sacerdos, missam celebrans sine stola, *Suar. de Sacram. disp.* 82. *sect.* 3. *in princ. cum Palud. Sylv. & Nav.* ob consuetudinem, & ritum Ecclesiæ universalis.

Limita secundo, quod in casu necessitatis præcepti Ecclesiæ, si desit stola, posset sacerdos uti aliquo manipulo benedicto pro stola, *Navar. c.* 25. *n.* 84. *Azor. c.* 28. *quæ.* 9. *Eman. Sà, verbo Missa n.* 9. *Layman lib.* 5. *tit. de sacrif. Missæ c.* 6. *n.* 17.

Limita tertio, quod hodie non peccat sacerdos, si laicam sumens communionem, stolam non gestet, *Suar. sect.* 3. *in princ.* imo absolute nullum inesse peccatum ait *Turrecr. ibi, & Azor. quæst.* 12. *Gavant. in rub. Miss. tom.* 1. *par.* 4. *tit.* 8. *n.* 7. *Diana resol.* 20. *tract. de celebr. Miss.* 14. *tom.* 1.

CA-

CAPUT V.

Missas plures celebrans eadem die.

I. PEccat graviter, missas plures celebrans in eadem die: semel enim celebrare posse sacerdotem dumtaxat in die habetur *cap. Sufficit de consecr. dist.* 1. *c. Te referente cap. Consuluisti*, *de celebratione Missar.* Excipitur dies Natalis Domini; & casus necessitatis, *dic. c. Consuluisti*: vide *Suar. disp.* 80. *de sacr. sect.* 3. *Coninch quæ.* 83. *de sacram. art.* 2. *dub.* 3. *Layman lib.* 5. *tract. de sacrif. Missæ c.* 4. *n.* 6. *Diaz in praxi cap.* 35.

Et nota, quod in dicta die sacerdos potest, sed non tenetur omnes tres Missas celebrare, ut probat *Navar. conf.* 1. *de celebr. Miss. Bonac. de Sacrif. missa punct.* 11. *n.* 10. *cum aliis Auctoribus.*

Excipe etiam casum dispensationis apostolicæ, ex causa rationabili: unde Leo Papa III. legitur aliquando septies, vel novies io noa die celebrasse, ad implorandum divinum auxilium in magnis afflictionibus, ut apud Baronium, *annal. tom.* 9. *anno D.* 816. *pag.* 635. imo olim ante has decretales, liberum fuisse cuilibet sacerdoti, quot vellet pro sua devotione eadem die missas celebrare, ostendit *Baron. annal. to.* 10. *anno Christi* 940. *in fin. Auctoribus, & exemplis.*

☞ *Quod graviter peccet sacerdos, plures missas celebrans eodem die, negat contra Auctorem Ludovicus de Ameno* de delict. & pœn. tom. 3. tit. 8. §. 3. n. 28. & 29. *astruens, nullibi hanc prohibitionem reperiri, ideoque non peccare; & solum peccare mortaliter, si pluries celebraret ex causa peccaminosa, puta cum scandalo, vel non jejunus, aut ob turpe lucrum: & verbum* Sufficit, *quo utantur citati tres textus, asserit videri potius consilium, quam præceptum, aut legem directivam, quam prohibitionem. Verum Auctoris sententiæ favet Bened. XIV. in epistola ad Episcopum Oscensem* Declarasti 16. *Maji* 1746. *ubi declarat*, si sufficit *adigere sacerdotes sub præcepto, ne pluries in die celebrent.* ☜

II. Quidam putant, sacerdotem, missam iterantem eadem die, hoc ipso esse irregularem, ut *Majol.* tenet *lib.* 3. *c.* 15. §. *Propterea, in fin.* sed nullo jure id probat, & irregularitas non est asserenda, ubi non est jure expressa, *cap. Is, qui de sent. excomm. in* 6.

III. Tamen, si esset de hoc crimine diffamatus, esset irregularis aliquo modo improprie, quatenus ratione scandali celebrare non posset licite, ob infamiam facti.

IV. Quod si esset sententia judicis condemnatus, quod malitiose, seu dolose celebrasset, idest, non ex ignorantia; puto, eum effici infamem infamia juris, & consequenter irregularem vere, & proprie; quia damnatus de crimine publico, est a jure notatus infamia, *leg.* 1. §. *Qui in judicio ff. de his, qui not. infam. c. Infames*, §. *Porro* 3. *q.* 7. at hoc crimen, de quo agimus, est crimen publicum, quia omnis gravis injuria contra religionem, est crimen publicum, ut *Clar. quæst.* 1. *praxis crimin.* & quia de jure canonico omne crimen, dolum continens, est crimen publicum, infamans, lata sententia condemnatoria; *Angel. verbo Crimen quæst.* 6. *Sylvest. q.* 3. *Castrus de just. hæret. punit. c.* 9. *post princ. Aret. instit. de suspect. tut.* §. *Suspectas, gloss. in c. Infames cit. Sanch. in opusc. lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 6. *n.* 14.

Item, si esset condemnatus, quod bis una die celebrasset ob lucrum, seu eleemosynam acquirendam, ut communiter contingit; tunc multo certius censeretur notatus infamia juris, & irregularis effectus ratione vitii simoniæ, quod est gravissimum, ut *Suar. tom.* 1. *de relig. tract. ult. c.* 56. *n.* 21. & alii, quos adduxi *verb. Simonia, cap.* 1. unde *Genuen. in praxi c.* 64. *in addit.* ait, eo casu gravius esse puniendum, scilicet pœna triremium: & hac quidem pœna damnatus incurrit hoc titulo specialiter, infamiæ pœnam, & consequenter irregularitatem ex genere pœnæ in causa famosa, sicut olim damnati in metallum, vel deportati, per *leg. Ad tempus C. ex quib. caus. infam. irrog. leg. Capitalium, ibi gloss. ff. de pœnis, & leg. Quidam, ibi glos. ff. eod.* cum damnatio ad triremes successerit in locum istarum pœnarum, *Foller. par.* 2. *praxis c.* 9. *n.* 9. *Diaz in praxi c.* 146. *n.* 3. *Salzedo ad Diaz c.* 140. *praxis* §. *Sic equidem*: & remanet infamis, etiam a triremibus postea liberatus, v. gr. peracto tempore, per *dict. leg. Ad tempus*: & quamvis *Salzedo ad Diaz dict. cap.* 146. *in fin.* dicat, cum iis solere aliquando dispensari, tamen non puto, posse Episcopum in casu nostro dispensare, quia hoc sacrilegii crimen, vel etiam simoniæ, est gravius adulterio; ideo Episcopus non potest dispensare, per *cap. At si clerici*, §. *De adulterio, de Judic. Abb. in c. Cum te n.* 15. *de re judic. Bernard. Diaz in praxi, c.* 88. *n.* 4. *Ugolin. de irregul. cap.* 6. §. 5. *n.* 3.

Imo hodie generaliter procedere videtur ex decreto Urbani VIII. in Sacra Congregatione Sancti Officii prolato, anno 1635. mense Aprilis, quo statuit, ut super infamia, & irregularitate contracta ex pœna triremium, si actu remiges fuerunt, solus Papa possit dispensare; & ita observari mandavit in omnibus Tribunalibus: sed hoc decretum, seu interlocutio Papæ, cum non fuerit declarativum juris communis, neque illi conforme, neque editum more solito Constitutionum, neque insertum in corpore juris, non habet vim legis, neque derogat, neque ligat extra Tribunal Sancti Officii, ut *Bart. in leg.* 3. *Cod. de leg. & const. prin. Bal. leg.* 3. *C. eod. n.* 3. ibique *Castr. & Salic. Host. in c. In causis de sent. & re jud.* ibi *Abb. n.* 4. *& addit. ad Abb. ibi lit. B. cum Alber. in leg.* 1. *C. de leg.* ubi quod interlocutoriæ Papæ non sunt allegendæ ad decisionem causarum.

☞ *Hæc Auctoris opinio refellitur a Raynaldo in* observat. criminal. cap. 8. §. 1. sub num. 45. Venet. impres. anno 1699.

Ceterum, quamvis aliqui censeant, damnatum ad triremes effici infamem infamia juris ex genere pœnæ, & per consequentiam irregularem, ut etiam sentit hic Auctor, & par. 1. cap. 33. §. Talis est autem pag. 40. colum. 1. *hodie tamen opinio recepta est, quod ex simplici damnatione, aut transmissione ad triremes quis non efficiatur infamis, nec irregularis, nisi vel actu remigaverit, vel fuerit transmissus propter delictum, quod de jure habeat annexam infamiam, ex deductis in folio Cong. Concilii in Lavellana* 28. *Jun.* 1726. tom. 2. Resolut. apud Liverzani pag. 335. impres. Roman. & in tract. de Synodo diœc. Bened. XIV. lib. 13. cap. 11. n. 30. pag. 322. impres. Patav. an. 1756. ☜

Denique ex doctrina *Cardin. in c. fin. de celebr. Miss.* quod omnis excessus, seu delictum commissum circa cultum sacramentorum, est crimen depositione dignum, quando concurrat grave scandalum; sequitur in casu nostro, quod si crimen fuerit notorium, erit talis delinquens, etiam ante condemnationem, infamia juris notatus, & consequenter irregularis; quia omne crimen depositione dignum notorium, afficit juris infamia, & facit irregularem, ut de communi testatur *Tolet. lib.* 1. *c.* 74. *Sayr. de censur. lib.* 7. *c.* 12. *n.* 12. *&* 13. *Garz. de benef. part.* 11. *c.* 3. *n.* 110. *&* 119.

☞ *Circa Irregularitatem, quam Auctor n.* 2. *&* 3. *tenet incurri, d. Ludovicus loc. cit. his verbis suam contrariam sententiam explicat a n.* 32. *ad* 34. *ibi* — Non minus falsam existimo secundam conclusionem, quod nempe talis sacerdos incurrat irregularitatem; siquidem habemus textum c. *Is cui de sent. excomm. in* 6. quod nulla incurritur irregularitas, nisi ipsa in jure sit expressa, quod etiam observavit Thesaur. verb. *Missa c.* 5. *v.* 2. *Quidam*: nullam autem reperimus irregularitatem, sancitam ob tale factum. Nec suffragatur contra hoc, quod, si sacerdos damnatur a judice ob repetitam eadem die celebrationem, redditur infamis, quia damnatus est de crimine publico, & per hoc notatur infamia juris *leg.* 1. §. *Qui in judic. ff. de his, qui not. inf. c. Infames* §. *Porro* 3. *quæst.* 7. & consequenter irregularis: omnis autem gravis injuria contra Religionem, est crimen publicum, ut sentit *Clar. Prax. Crim. quæst.* 1. & de jure canonico omne crimen, dolum continens, est crimen publicum, infamans, lata sententia condemnatoria, ut firmant *Doctores Angel. Sum. vers. Crimen, quæst.* 6. *Sylv. eo vers. quæst.* 3. *Castr. de just. Hæret. punit. cap.* 9. *post init. Sanch. opusc. lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 6. *n.* 14.

Quia dato, ut supponimus, quod sacerdos iteret sacrificium, adactus aliqua necessitate, nullum committit crimen contra Religionem, nec delinquit ex dolo: proinde punibilis, aut damnabilis non est, & ex consequenti nullam incurrit irregularitatem. Quod si damnaretur ratione circumstantiæ modalis, aut finalis; puta iterum celebrando non jejunus, aut ob turpe lucrum; tali casu concedo, quod ex damnatione subiret infamiam, & sic etiam lato modo irregularitatem: tamen hoc non esset ex præcisa ratione sacrificii iterati, sed ex malitia circumstantiæ. Concludo igitur, quod nec etiam secunda conclusio, puta, quod reiterans sacrificium, absolute, ac universaliter sit irregularis.

Nec doctrina Cardinalis, quam affert Thesaurus, adaptari potest ad casum, in quo sacerdos ex necessitate, ut diximus, sacrificium reiteret; quia nullam injuriam facit sacramento, quia de sui natura non requirit, quod se-

femel in una die conficiatur, & proinde tali casu deponendus non est. In casu autem, quod delinquat ratione circumstantiæ modalis, aut finalis, prout dictum est, improprie diceretur delinquere contra sacramentum; unde nec depositionem mereretur. —

Nota, quod qui bis una die celebravit ob lucrum, seu eleamosynam acquirendam, fit irregularis, licet non damnatus fuerit pœna triremium, declaravit Congr. Conc. *in Senen. Irregularitatis 16. Nov. 1686. ut ex decreto a me recognito: & hoc crimen probat esse punibile etiam ab Inquisitoribus hereticæ pravitatis Ursaya* Instit. Crimin. lib. 1. tit. 10. n. 37. ☜

CAPUT VI.

Missam celebrans, qui non est Sacerdos.

Vide *verbo Ordo cap. 32.*

☞ *Vide etiam Additionem, ibidem positam post n. III.* ☜

☞ CAPUT VII.

Missam celebrans non debitis horis.

EX *Concilio Triden. sess. 22. decreto de observan. & evitan. in celebrat. Missar.* §. Postremo, *sacerdotes celebrantes, aliis, quam debitis horis, ritusque alios, aut alias cæremonias, & preces in missæ celebratione adhibentes, præter ab Ecclesia probatas, ac frequenti, & laudabili usu receptas, puniri debent a locorum Ordinariis, etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegatis, censuris ecclesiasticis, aliisque pœnis eorum arbitrio.*

In Constit. vero S. Pii V. Sanctissimus *29. Mart. 1566. in præsumentes eam celebrare vespertino tempore prætextu privilegiorum, quæ omnia ibidem revocantur, inflicta est pœna perpetuæ suspensionis a divinis, quæ tamen est ferendæ sententiæ.* ☜

☞ CAPUT I.

Monetam auream, & argenteam tondentium, & falsantium pœnæ.

EX *Constit. S. Pii V.* Cum nihil magis *25. Octobr. 1570. statuitur, monetam argenteam tondentes in Urbe, aliisque locis S. Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subjectis, puniendos esse ultimo supplicio, ut auream tondentes, quibus de jure talis pœna inflicta est.*

Hanc Constit. confirmavit Urbanus VIII. Constit. In suprema *idib. Nov. 1627. in qua I. eandem pœnam extendit ad omnes ecclesiasticos, quomodolibet exemptos, habitantes in quibusvis locis intra fines Italiæ, qui præsumpserint aureas, aut argenteas monetas tondere, fabricare, colorare, vel alias adulterare, seu etiam quomodolibet adulteratas scienter erogare, aut exponere. II. sancit, repertos culpabiles in tali delicto tradendos esse Curiæ seculari, prævia degradatione. III. damnandos esse ad triremes per decennium scienter detinentes pecuniam sic adulteratam, seu transferentes de loco ad locum, præstantesque opem, materiam, aut instrumenta ad patrandam dictam falsitatem. IV. cognitionem de hoc crimine respectu dictarum personarum, privative, etiam quoad superiores regulares, spectare ad Legatos, seu Prolegatos Apostolicos in locis eorundem jurisdictioni subjectis: in aliis vero ad locorum Ordinarios. V. inhibet omnibus ecclesiasticis sub pœnis privationis officii, ac beneficii, vocisque activæ, & passivæ, & inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, ac excommunicationis latæ sententiæ, ne audeant, aut præsumant impedire, perturbare, aut molestare Legatos, Prolegatos, aut Ordinarios, procedentes in hoc crimine. VI. mandat sub iisdem pœnis, ut regulares, quoties ad id fuerint requisiti, religiosos ipsos (etiamsi superiores alicujus loci regularis actu fuerint) consignent cum scripturis, & actis (si quæ facta fuerint, reperiantur) ipsis Legatis, aut Ordinariis, aut aliis de eorum mandate.*

Nota I. pœnam ordinariam in hac Constit. statutam, habere locum etiam contra falsantes monetas minimi valoris, ut probat Ludovicus de Ameno de delict. & pœn. tom. III. tit. 6. §. 3. num. 46. ad 48.

Nota II. eandem Constit. utpote pœnalem, non extendi ad falsantes alias monetas, quæ non veniunt nomine aureæ, & argenteæ; idem de Ameno loc. cit. n. 45.

Nota III. quod superior regularis in casu denuntiationis, aut accusationis contra suum religiosum, reum alicujus ex recensitis delictis, potest quidem, tanquam judex ordinarius, contra illum processum construere, & sententiam proferre, si existat in locis extra Italiam, cum Constit. Urbani §. 3. *loquatur de locis tantum intra Italiam: si vero existat in locis intra Italiam, & ejus adjacentes Insulas, Siciliam nempe, Corsicam, & Sardiniam, cum & hæ in odiosis veniant nomine Italiæ, juxta declarationem Cong. Episcop. & Regul. relat. ab Ameno* loc. cit. num. 50. *tunc debet accusatorem remittere ad Judices, de quibus in Constitutione: non tamen ipsi interdictum est procedere circa præparatoria judicii, quæ faciunt pro informatione Curiæ, & ut ipse certioretur, an delictum tale sit, ut de eo possit cognoscere, nec ne.*

Nota IV. superiorem teneri consignare dictis respective judicibus religiosum accusatum simul cum processu a se constructo, in casu dumtaxat, quod sit ab eis requisitus, ut sonat Constitutio.

Nota V. superiorem scienter, vel ignoranter procedentem in hac causa, nullam ex Constit. pœnam incurrere, sed in ea apponitur nullitas actorum, cum pœnæ privationis officii, & vocis activæ, & passivæ solummodo illi infligantur, si auderet perturbare, impedire, vel molestare judices procedentes in causa.

Nota VI. quod prædicta nullitas incurreretur, etiam cum ignorantia hujus Constit. cum enim in ea sublata sit superioribus regularibus facultas cognoscendi, cognoscerent absque jurisdictione; ac proinde acta essent ipso facto nulla, absque ulla declaratione. Non incurrerentur tamen pœnæ; cum enim hic infligantur contra audentes, & præsumentes, ad eas incurrendas requiritur scientia legis prohibentis, & ausus temerarius.

His pœnis addita est a Bened. XIII. Constit. Ex quo divina *idib. Jun. 1725. privatio beneficii asyli loci sacri, nedum contra conflantes, adulterantes, vel tondentes qualcunque monetas aureas, vel argenteas, etiam Principum exterorum, si in loco, ubi crimen admissum est, liberum habeant usum, & commercium, sed etiam contra præsumentes scienter ita expendere, & erogare easdem monetas conflatas, adulteratas, aut detonsas, ut fraudis conscii, atque participes censeri possint.*

Nota VII. Constitutiones S. Pii, & Urbani confirmatas fuisse a Bened. XIV. Constit. Ad curam *31. Octob. 1756. extendente dictas omnes pœnas ab iisdem inflictas ad falsificantes, & alterantes in quacunque summa syngraphas, seu cedulas Montis Pietatis, & mensæ nummariæ S. Spiritus de Urbe, etiamsi falsificatio facta fuerit extra ditionem ecclesiasticam; & ad eas tam falsas, quam corruptas, & alteratas scienter expendentes in locis Italiæ S. Sedi immediate, vel mediate subjectis, repetendo pœnam contra ecclesiastices, inflictam ab Urbano* — et si ecclesiastici fuerint, etiam exempti, & privilegiati, ut supra, prævia degradatione, Curiæ seculari puniendi tradantur. — ☜

CAPUT I.

Monialem fieri, aut monasterium ingredi cogens mulierem, aut monialem fieri impediens.

IN *Trid. sess. 25. c. 18. de Regular.* Sancta Synodus anathemati, idest excommunicationi subjicit omnes, & singulas personas cujuscunque qualitatis, tam clericos, quam laicos, seculares, vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes, qui quomodocunque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcunque mulierem invitam, præterquam in casibus a jure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscunque Religionis, vel ad emittendam professionem; quique consilium, auxilium, vel favorem dederint; quique scientes, eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui, vel præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint.

☞ *Controversia est inter DD. relatos a Ludovico de Ameno* tom. III. de delict. & pœn. tit. 5. §. 9. n. 8. *an hac eadem excommunicatio extendatur ad eos, qui parem coactionem in viros exerceant, tam pro coactivo, quam pro impeditivo ingressu; aliis affirmantibus, aliis negantibus; quarum opiniones æque probabiles vocat idem de Ameno: sed cum simus in odiosis, & de casu ad casum in pœnalibus, ex vulgatis, non fiat illatio, negativam potius tuto crederem sustineri posse.* ☜

Simili modo anathemati subjicit eos, qui virginum, vel aliarum mulierum sanctam voluntatem, vel accipiendi, vel

voti emittendi, quoquo modo sine justa causa impedierit: hæc tractant *Suar. de censur. disp.* 23. *sect.* 7. *n.* 8. *& seqq. Sanch. in decal. lib.* 4. *c.* 4. *n.* 1. Nota, quod hæc est excommunicatio latæ sententiæ, ut Doctores citati fatentur, & *Tolet. lib.* 1. *cap.* 41. *vers.* 9. & alii communiter.

Amplia primo, quod professio metu gravi emissa, nulla est, *c.* 1. *& c. Perlatum de his, quæ vi, c. Eos* 20. *quæst.* 3. latissime, & optime *Rota decis.* 779. *n.* 10. *part.* 1. *posth. Farinac.* ubi addit, ad annullandam professionem sufficere minas junctas cum reverentia paterna: & per totam illam decisionem habes, quibus modis, & quibus indiciis probetur metus, & ibi *n.* 2. ait, posse probari metum hunc per testes, etiam singulares: & adde, quod sufficit metus reverentialis, conjunctus cum timore incurrendæ gravis, diuturnæque offensionis patris sui, sibi exhibendæ cum asperitate vultus, verborum, & tractationis, *cit. text. in cap. Præsens* 20. *quæst.* 3. ubi etiam habetur, quod metu reverentiali professo restituenda sunt bona a consanguineis occupata, neque a fratribus, seu consanguineis privari potest hæreditate paterna, vel materna, *Sanch. lib.* 4. *de matr. disp.* 6. *n.* 14. *et* 37. *Less. lib.* 2. *c.* 17. *n.* 35. *Layman lib.* 4. *tit. de stat. religion. c.* 5. *n.* 6. §. *His adde*, *Coninch. disp.* 28. *de matr. n.* 35. *Tannerus tom.* 4. *disp.* 8. *dub.* 2. *n.* 31. & maxime si timeret subtractionem necessariæ, seu congruæ sustentationis, seu ejectionem de domo, ut *Rota ibi n.* 2. *&* 3. cum adductis: & licet Trident. *sess.* 25. *de regul. c.* 19. deneget audientiam reclamantibus adversus professionem ex causa metus post quinquennium, tamen non procedit, quando eo quinquennio durasset causa metus, qua stante, non audebat reclamare, *Rota ibid. n. ult. Burat. decis.* 205.

Item non convalidatur professio per actus proprios professorum, etiamsi voluntarii videantur, durante causa metus factos, *Seraph. dec.* 1166. *n.* 1. quia censentur a metu causati, *Rota part.* 2. *recent. decis.* 705. *n.* 5. multo magis metus reverentialis invalidat professionem tacitam, resultantem ex delatione habitus professorum &c. ut *Rota part.* 1. *recent. decis.* 579. *n.* 5. Item *part.* 2. *recen. dict. decis.* 705. *n.* 5. probat, quod facta protestatione intra quinquennium, non intrat professio tacita, durante causa metus, & *decis.* 179. *n.* 3. *part.* 2. *noviss.*

Amplia secundo, ut procedat hæc pœna contra cogentes monasterium ingredi, etiam non ad effectum, ut monialis fiat, sed custodiæ causa, aut alias: est magis communis, *Navarr. de sent. excommun. consil.* 56. *& de regular. consil.* 6. *Suar. ubi supra n.* 9. *Filiucc. tract.* 14. *n.* 89. & multi, quos allegat, & sequitur *Diana resolut.* 56. *miscell.* 1. *part.* 1. contra *Sanch. dict. c.* 4. *lib.* 4. *n.* 12.

Limita primo, ut non procedat in casibus, quibus jus permittit, ut patet ex dict. Trident. decreto, *cap.* 18. & primus casus est, quando puella impubes cogitur a patre, vel matre ingredi monasterium causa devotionis, quia eam devoverunt tali monasterio, seu Religioni: nam dum manet impubes, id est usque ad 12. annum, ibi manere tenetur, etiam in habitu dictæ Religionis, devotionis nomine, & habet privilegia novitiarum *c. Addidistis & ibi gloss. verbo Devitamus* 20. *quæst.* 1. *c. Cum virum de regular. Sanch. lib.* 4. *c.* 18. *n.* 8. 33. *&* 34. *Diana resolut.* 56. *cit.*

Neque huic rei obstat *Trident. sess.* 25. *c.* 17. vetans, admitti ad habitum religionis minores tredecim annis, quia loquitur de admissione ad novitiatum in ordine ad professionem, *Sanch. n.* 34.

Advertendum tamen, quod hodie non poterunt intromittere puellas etiam causa devotionis, nisi cum licentia Sedis Apostolicæ, si sint minores septennio: ita Sacra Congreg. relata a *Barbos. ad Trident. sess.* 25. *c.* 5. *de regular. lit. M. in fin. Zerola verbo Moniales* §. 11. & hodie fere in nulla Religione infantes admitti, & non expedire talem admissionem tenent *S. Ant. & Sylvest. apud Sanchez c.* 18. *cit. n.* 8. *in fin.* itaque si minor 12. annis puella offeratur monasterio, vel puer, non computabitur illud tempus ad annos novitiatus a religione requisitos.

☞ *Circa puellas educationis causa in monasteriis monialium collocandas; & ingressum in ea puellarum cujuscunque ætatis, vide Additiones meas ad cap. IV. & V. verbo* – Clausura monialium *pag.* 96. *&* 97. – ☜

Secundus casus est in muliere adultera, criminali judicio damnata, nam detrudenda in monasterium de jure communi: & si post biennium a viro non recipiatur, debet tonsa habitum suscipere, *Auth. sed hodie, C. ad leg. Juliam, de adult.* neque hoc est correctum a jure canonico, *Sanch. lib.* 10. *de matrim. disp.* 19. *n.* 8.

Limita secundo, ut non incurratur excommunicatio per attentatum, seu conatum, sed requiritur effectus subsequutus, *Sanch. lib.* 4. *c.* 4. *n.* 19. *Barbos. alleg.* 50. *n.* 174.

Limita tertio, ut non procedat contra cogentem, vel impedientem a voto simplici emittendo in seculo, *Sanch. c.* 4. *n.* 13. *Suar. loco cit. n.* 10. *Filiuc. tract.* 14. *n.* 9.

Limita quarto, quod hæc censura non est reservata, ut *Suarez, & Tolet. ibid. Sayr. lib.* 3. *c.* 35. *n.* 30.

Limita quinto, quod elapso quinquennio, non auditur religiosa, vel religiosus, reclamans contra professionem ex capite metus, *Trident. cap.* 19. *sess.* 25. *de regul.* nisi ex causa justa impeditus ex ipso jure, vel saltem (ut moris est) via restitutionis a Papa in signatura obtentæ audiri debeat, ut *Barbosa alleg.* 104. *n.* 17. *&* 18. *cum alleg.* tamen pro foro conscientiæ non convalescit professio sine novo consensu, *Sanch. lib. De matrim. disp.* 37. *n.* 11. *Barbos. alleg.* 104. *n.* 19. *Layman lib.* 4. *tract. de stat. Relig. c.* 5. *n.* 7. sed etiam pro foro esterno non præjudicat lapsus quinquennii, si duravit semper causa metus; & ideo erit restituendus professus adversus lapsum quinquennii, *Rota decis.* 779. *num. ult. par.* 1. *noviss.*

Limita sexto, quod non potest impugnari professio facta, purgato metu, idest cessante omni causa metus, *Rota decis.* 500. *n.* 2. *par.* 1. *noviss.*

Limita septimo, quod non redditur invalida professio, nec votum, si metus non inferatur ab homine directe ad extorquendum votum; ut si quis metu naufragii, aut infirmitatis lethalis, aut in ejus vitam machinantium inimicorum voveat, aut religionem ingrediatur, ut colligitur ex *c. Sicut nobis, de Regularib.* & ita *Sayr. in clav. regia lib.* 6. *c.* 4. *n.* 11. cum aliis Theologis; & hanc apud omnes certissimam sententiam, ait *Barbos. in dict. cap. Sicut nobis* 17. *n.* 2. *Sanch. lib.* 4. *in decalogum c.* 3. *n.* 4. quidquid dicat *gloss. in dict. cap. Sicut*, *Host. n.* 1. *Abb. n.* 5. *Card. Henriq. & Anch. ibi*, qui dicunt, professionem fore nullam, si metus mortis violentæ inferatur ab homine, & ad vitandum periculum ille religionem ingreditur: quam sententiam prima concedo, quando metus ab homine injuste infertur, sub ea conditione, nisi religionem ingrediatur, ut habetur in *cap.* 1. *quod met. causa*: item hæc opinio Canonistarum videtur admitti posse, quando pater erat sævus contra filium, minis, & verberibus male eum tractans sine causa, & aliquoties filio significavit, sibi gratum fore, si religionem ingrederetur: quia tunc metus gravis, etiam sine expresso præcepto ipsius patris, & preces illæ, & adhortatio habent vim compulsionis, ut *Rota decis.* 105. *n.* 2. *par.* 1. *noviss.* quando scilicet filius nullam putavit sibi superesse viam evadendi minas patris, nisi religionem intrando: & hoc verum puto, etiamsi filius non intelligeret, has malas tractationes sibi a patre fieri ad eum finem, ut religionem ingrederetur: si tamen vere id patrem intendisse præsumi possit; & sane in casu prædicto ita præsumendum est, cum nulla alia adesset causa filium affligendi, præsertim si pater gratum habuit talem filii ingressum, quia hæc ostendunt ejus malam intentionem: sufficit enim ad irritandam professionem, quod vere metus, & malæ tractationes inferrentur ad talem effectum; & sic est verum, quod dicunt supra citati Canonistæ, quod contra injustam violentiam hominis subveniendum est: secus esset dicendum, si damnatus juste ad mortem, ut evaderet mortem, acceptaret conditionem ingrediendæ religionis, sibi oblatam, qua valeret votum, ut constat ex multis exemplis, quæ habemus in historiis ecclesiasticis Imperii Græcorum: & ita tenent communiter Theologi in simili de matrimonio carnali apud *Sanch. lib.* 4. *de matr. dis.* 12. *n.* 8. *&* 9.

☞ *Circa nullitatem professionis vide Additiones meas infra post cap. I. verbo* – Novitius. – ☜

CAPUT II.

Monialium præfecta non admonens Episcopum de instante tempore professionis novitiarum.

SActum Concilium Tridentinum *sess.* 25. *de regular. c.* 17. *in fin.* virginum Deo dicandarum libertati prospicere volens, statuit, ut non antea professionem emittant, quam exploraverit Episcopus, vel eo absente, aut impedito, Vicarius, aut alios ab ipsis deputatus, virginis voluntatem diligenter: cujus professionis tempus, ne Episcopus ignoret, teneatur præfecta monasterio eum ante mensem certiorem facere: quod si non fecerit, quandiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit.

Hæc

Hæc est pœna latæ sententiæ, ut dixi *supra ver. Missa*, *cap. 3.* cujus absolutio, seu dispensatio est Episcopo permissa, & reservata: & probatur ex eodem Tridentino *sess. 23. c. 8. de reform.* ubi similis clausola habetur suspensionis latæ sententiæ.

An autem hæc sit proprie censura suspensionis ab officio, ita ut obliget in foro conscientiæ ante declaratoriam: aliqui putant, propriam censuram esse, quia abbatissa potest incurrere suspensionem ab officio spirituali, sicut aliæ personæ ecclesiasticæ: ita *Henriq. lib. 13. c. 31. n. 2.* sed contraria sententia est verior, non esse censuram; quia Doctores communiter agentes de suspensione, dicunt, subjectum censuræ suspensionis non esse, nisi clericos, idest nisi saltem primam habeant tonsuram, ut aliquam habeant actus spiritualis potestatem, *Suarez de censur. disput. 28. sect. 2. n. 1.* ubi plores congerit Doctores, *Filiuc. tract. 17. n. 3. & Sayr. lib. 4. c. 1. n. 16. tract. de censur.* ubi plurimos & ipse allegat, & *gloss. in cap. Quicunque, verb. Ministros, de sent. excom. in 6.* unde *Sayrus ibid. n. 17.* ait, saltem primam tonsuram requiri, ita ut nullus religiosus professus, nisi saltem sit prima tonsura initiatus, suspendi possit, quia officii, & beneficii ecclesiastici capaces non sunt: at abbatissa in suas moniales solam potestatem habet temporalem œconomicam, sicut materfamilias, ut *Sanch. lib. 6. in decal. c. 1. n. 17. & 19.*

Itaque sequi videtur, quod hæc pœna, saltem pro foro conscientiæ, non liget ante declaratoriam, quia non est censura, sed pœna mera, per ea quæ *Sanchez lib. 9. de matr. disput. 30. n. 1.* tamen quia hæc pœna est valde similis suspensionis, censuræ, cum officium abbatissæ sit suo modo ecclesiasticum, & quia Trident. refert per modum suspensionis, quæ non indiget facto hominis, & quia non est pœna valde gravis; ideo æstimo, obligare in conscientia ante declaratoriam, & facit *cap. Dilecta de major. & obed.* ubi observari præcipitur suspensio improprie dicta, lata ab abbatissa, quia saltem ligat, ut præceptum: & hoc modo admitto doctrinam *Henriq.* supra dictam: a qua tamen pœna excusabit oblivio inculpata, seu incogitantia naturalis.

CAPUT III.

Monialis corrupta.

I. DE pœnis committentium raptum, vel stuprum in sanctimonialem, dixi *verbo Clausura, c. 7. n. 2.* & de pœna contrahentis matrimonium cum moniali, & de ipsa moniali contrahente, dixi *verbo Matrimonium cap. 4.*

II. Monialis, si virginitatem amiserit, etiam [illegible] professionem, non potest recipere velum [illegible] alias peccaret mortaliter ipsa recipiens, & [illegible] conferens, ex *c. Acutis 26. dist. Roderic. quæst.* [illegible] *4. art. 3. tom. 1.* quod quidem velum, seu consecratio [illegible] debet monialibus professis, quæ 25. ætatis annum impleverint, ut *cap. Placuit, c. Virgines 20. quæst. 1.* & habetur in *Pontific. Romano, tit. de benedic. & consecrat. virg.* ubi admonet Episcopum, ut ante actum consecrationis seorsum cum qualibet moniali valanda de vita, & conscientia, & carnis integritate diligenter inquirat.

Amplia hanc conclusionem, ut monialis velum prædictum recipere non possit, etiamsi violenter ab hoste fidei corrupta sit; quamvis enim violentiam passa, virtutem virginitatis non amittat, nec præmium, & virgo coram Deo sit; non tamen virgo manet secundum corporis integritatem & coram hominibus: habetur in *cap. Illæ autem 32. quæst. 5. Sylv. verbo Consecratio virg. n. 2. Armilla verbo Virginum consecr. n. 2. Mirand. man. tom. 3. tract. de Sanctimonial. quæst. 7. art. 8. concl. 1.* Hoc tamen alii melius limitant, ut procedat si violata consensit in actum, vel si violatio sit publica; quia tunc pro foro externo præsumitur in actum consensisse; alias vero poterit, si res sit occulta, consecrationem recipere tuta conscientia, *Less. lib. 4. c. 2. n. 115. Filiucc. tract. 30. n. 21. & 25.* & facit doctrina *S. Thom. 2. 2. q. 152. art. 3.* ubi ait, virginitatem non amitti per materialem veli virginalis fractionem, seu reserationem aliquo casu contingentem, si voluntas interim abstineat a delectatione venerea.

Ampliatur secundo a multis Doctoribus, ut non possit occulte corrupta recipere velum consecrationis, etiam ob scandalum vitandum, quia propter scandalum non debent Ecclesiæ Sacramenta, vel Sacramentalia vitiari, seu applicari forma materiæ ineptæ, cum sit res intrinsece mala, ita *S. Thom. in 4. dist. 38. quæst. 1. art. 5. & in 3. sent. dist. 33. quæst. 3. art. 1. Sylvest. & Mirand. loco cit. Armilla n. 3.* & communem ait *Eman. Sà, verbo Consecratio, n. 6. Azor. tom. 3. lib. 3. cap. 12. §. Difficultas 3.* dicunt tamen Doctores in illo casu, si Episcopus vitium hoc monialis intelluxerit in confessione, & non profecerit monendo, quominus illa ad velum accipiendum velit accedere, posse, & teneri illi consecrationem virginalem impendere, ne frangat alias sigillum confessionis: ita *Less. n. 118.* & idem dicunt, quando id sciret Episcopus secreto extra confessionem, sed velum publice peteretur; ita *Azor. quæst. 2. & Less. loco cit. cum Palud.* sed in istis casibus aliqui dicunt, debere Episcopum aliqua fictione, seu æquivocatione uti, vel verba virginitatis vertendo in verba castitatis, vel saltem mente in hunc sensum formam consecrationis proferendo: ita *Sylvest. & Mirand. ibi*: alii vero reprobant hanc fictionem in forma sacramentali, ut *Armil. num. 3. cum Palud.* quod verius puto: alii igitur dicunt, quod si monialis non potest sine scandalo abstinere a veli susceptione, ut quia Abbatissa eam exponit cum reliquis, potest velum oblatum suscipere, sed non ipsa ultro petere; & quod tunc salvatur forma illa consecrationis virginis, & nomen virginis in sensu virginis communiter reputatæ: & ita tenet *Henriq. lib. 10. cap. 24. cum Soto, Navarr. c. 16. n. 3. §. Interrogatus, Azor. loc. cit. §. In hac re. Less. n. 118. Roderic. ubi supra cum Vrualdo, Filiucc. tract. 30. num. 25.*

Limita primo, ut prædicta procedant in monialibus, quæ recipere solent velum consecrationis; aliquæ enim illud non recipiunt; unde cessabit hæc quæstio, ut de Mendicantibus ait *Sylv. & Miranda ibid.*

Limita secundo, quod si confessarius sciat, monialem corruptam, & hujus difficultatis ignaram esse, debet eam relinquere in bona fide, si putat, eam non posse, vel nolle a consecratione abstinere, *Filiucc. ibid.*

Limita tertio, quod monialis, quæ sine vasis apertione causat sibi pollutionem, quamvis amittat virginitatem secundum virtutem, & statum, non tamen amittit secundum corporis integritatem, & communem hominum æstimationem; ideo velari poterit, secundum *Cajet. Sylvest. Armill. loco supra cit.* quos sequitur *Less. n. 120. Filiuc. ubi supra, Henriq. lib. 10. c. 24. littera M. in commun. Azor. §. Altera difficultas*; & est communis sententia, contra *Navarr. & Mirand. loco cit.*

Limitant quarto *Sylv. Navarr. & alii*, quod Episcopus potest cum moniali corrupta dispensare, ut accipiat velum virginitatis in casu occulto, ratione scandali: sed hoc non puto verum, quia Episcopus non potest alterare formam, vel materiam Sacramentalium, quæ ab Ecclesia universali, seu a Papa instituta sunt, ut dixi *verbo Ritus, cap. 1.*

III. Monialis professa, virgo non existens, secundum magis communem, non potest esse Abbatissa, neque superioritatem habere in monasterio: quod est intelligendum, ubi ad illud munus ibi non admittuntur, nisi virgines velatæ, ut *Sanch. in decal. lib. 5. c. 5. n. 21.* aut saltem, ubi virgines, & non viduæ admittuntur ad talia officia: & idem est de aliis officiis virginum propriis, ut allegati a *Sanch. & Azor. loco cit. quæst. 3. & 5.* qui ait, quod etiam tunc si monialis corrupta non possit abstinere a tali officio sine scandalo, non peccat, illud suscipiendo: item ait non esse monialem de hoc impedimento a confessario admonendam, si non censeatur retrahenda, vel nisi cum scandalo.

CAPUT IV.

Monialium monasteria Regulares adeuntes, aut ibi pernoctantes, aut refectionem sumentes.

EX decreto Sacræ Congregationis Cardinalium super negotiis Regularium sub Sixto V. Clemente VIII. & Paulo V. primo prohibitum est religiosis (excepto superiore ipsarum monialium, visitatore, & confessario ordinario, & extraordinario, cum ad tempus deputabitur) nisi cum expressa ejusdem S. Congreg. licentia, accedere ad monialium cœnobia, sive sui, sive alterius Ordinis, vel ipsas moniales alloqui, vel alias personas intra claustra existentes: item ibi interdictum est confessariis regularibus in monasteriis, vel ædibus eis contiguis pernoctare, aut alios pernoctare facere, aut ibi comedere, bibere, reficiari, aut cibum sumere (excepto confessore ordinario, & exceptis confessariis extraordinariis, necessitate confessionum generalium urgente) nisi

cum

cum licentia ejusdem S. Coogreg. item, ut contravenientes prædictis ordinationibus, incorrant ipso facto pœnam privationis vocis activæ, & passivæ.

Agunt de hoc decreto *Sanchez lib. 6. cap. 16. n. 115. in decal. & Bonac. in tract. de clausura Monial. quæst. 3. pun. 4. Diana resol. 22. tract. 10. tom. 1. & resol. 104. tract. 2. tom. 2.*

Sed eadem Sacra Congregatio sub Urbano VIII. anno 1623. XII. Kal. Decembris concessit alio decreto, ut Episcopi possint concedere licentiam Regularibus accedendi ad monasterium monialium ad colloquendum ad crates, aut similia loca, quater in anno, personis dumtaxat conjunctis in primo, vel secundo gradu consanguinitatis, vel affinitatis, sub hac conditione, *& non aliter, nec alio modo*, ut non adeant monasteria diebus festis, neque in Adventu, aut Quadragesima, aut Feria sexta, aut Sabbato, aut Vigiliis, utque dicta licentia consignetur confessario ordinario monasterii monialium, ut is eam retineat penes se, & præsens assistat, & adsint auscultatrices de more, & non aliæ; utque concedatur licentia pro die, & hora certa in scriptis, & adnotetur in scriptis cancellariæ Ordinarii.

An autem dicta pœna incurratur etiam per solum accessum ad monasterium, nullo secuto effectu collocutionis, aut etiam nulla visa moniali, & alia dubia, vide *apud citatos, & apud Coriolanum de cas. reser. par. 2. casu 3. n. 30.*

Illud etiam notandum, non habere locum contra Regulares, colloquentes honeste cum moniali, cum licentia extra claustrum manente ex causa justa, ut ad barbaricam persecutionem fugiendam: non tamen datur parvitas materiæ, *ex declarat. Sacræ Congreg. Conc. sub Clemente IX. 11. Maji 1669.*

☞ *Quæ declaratio est tenoris, ut sequitur* -- Regulares quicunque absque legitima facultate accedentes ad colloquendum, etiam per quodcunque modicum temporis spatium, cum monialibus, aut aliis intra clausuram degentibus, peccare mortaliter, eosque sub excommunicationis, privationis vocis activæ, & passivæ, aliisque contra Regulares accedentes sine licentia ad monasteria monialium statutis pœnis, posse ab Ordinario tanquam Sedis Apostolicæ Delegato coerceri -- *A qua excommunicatione nequeunt absolvi a suis superioribus, etiamsi agatur de accessu, & colloquio cum monialibus proprii Ordinis; sicuti nec ipsæ moniales, si Episcopus in prohibitione sub eadem excommunicationis pœna de eis expressam fecerit mentionem, ut ex altero ejusdem Congreg. decreto in Viterbien. 26. Jun. 1627.* lib. 21. decret. pag. 176. *Die vero 26. Nov. eadem Cong. declaravit, non eximi a gravi culpa ad ipsas moniales accedentes sine Episcopi licentia ob quamcunque causam, licet honestam, & rationabilem. Insuper die 21. 1678. declaravit, affici iisdem pœnis, si item sine speciali Episcopi licentia cum ipsis loquantur post concionem ad illas habitam.*

Nota I. sub nomine Regularium venire etiam Equites S. Joannis Hierosolymitani, utpote veros religiosos, posseque Episcopum contra ipsos, cum monialibus colloquentes, procedere vigore decreti generalis Cong. Episcop. & Regul. edit. 12. Kal. Decemb. 1623. jussu Urbani VIII. ut pluries declaravit eadem S. Cong. cujus decreta una cum mox citato Urbani refert Lucius Ferraris Prompt. Biblioth. verb. Moniales art. 4. n. 27. & 28.

Nota II. sub nomine monialis venire etiam Abbatissam in hac materia locutionis, ut de Abbatissis Urbis Romæ declaravit Alex. VII. Constit. Sacrosancti: *& generatim pro quibuscunque aliis Abbatissis Cong. Conc. 14. Nov. 1654. ut in* lib. 19. decretor. ejusdem Cong. pag. 425.

Nota III. Episcopum posse imponere censuras, aliasque pœnas, nedum contra Regulares, sed etiam contra clericos, & laicos, colloquentes sine ipsius licentia cum monialibus, ex decretis ejusdem Cong. 26. Jun. 1627. in Viterbien. & Episcop. & Regul. in Urbinaten. 10. Maji 1663. & in Civitatis Castelli 16. Jan. & 10. Jul. 1699. relat. a Ferraris loc. cit. n. 29. *quæ quidem decreta fundantur in can. 11. Conc. Lateranen. sub Alex. III. relato in cap.* Monasteria 8. de vit. & honest. cleric. *ubi clericis, si moniti, non destitissent, imponenda erat pœna privationis beneficii; cujus loco Compilatores primæ, & sextæ collectionis Decretalium posuerunt depositionem ab officio: laicis vero, si pariter moniti, non destitissent, excommunicatio; utraque tamen ferendæ sententiæ.*

Nota IV. ex epistola decretali Bened. XIV. ad omnes Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Ordinarios ditionis ecclesiasticæ Gravissimo *sub die 31. Octobr. 1749. declaratum est, quoad vim directivam Constitutionibus eorundem Episcoporum, & Ordinariorum, accessum sine ipsorum debita facultate ad monialium claustra, collocutionemque cum his vetantibus, subjacere Episcopos alienæ diœcesis, Vicelegatos, & actuales locorum Gubernatores, licet Præsules. Quia vero hi ordinariæ Episcoporum jurisdictioni non subsunt, ac proinde immunes sunt a vi coactiva, ab illorum pœnis, videlicet contra transgressores statutis, ut cap.* A nobis 2. de sentent. excomm. *ideoque præcipit Bened. -- quod*, si aliquando contigerit, ut eorum aliqui .... ad monasteria monialium se conferant, & cum iis, Episcopi injussu, agant, infringentes Synodorum sanctiones, atque Episcoporum edicta ... *hi* ... Romanum Pontificem, aut Congregationem Episcop. & Regul. certiorem faciant, ad contemptam episcopalem auctoritatem vindicandam. -- ☜

CAPUT V.

Monialium præfecta, continuans officium post triennium.

Vide supra *verbo Electio cap. 8.*

☞ CAPUT VI.

Moniales proprio, & peculiari suo nomine, occasione officiorum sumptus facientes.

In *epistola encyclica* Clemen. XI. *sub die 28. Jul. 1708. ad omnes Italiæ, & Insularum adjacentium Ordinarios, necnon ad superiores generales Ordinum regularium, quorum regimini monialium monasteria subsunt, injungitur iisdem Ordinariis, ut sub formali præcepto S. Obedientiæ, sibi reservando absolutionem in casu transgressionis, & insuper sub pœnis privationis officii, ac vocis activæ, & passivæ, aliisque eorum arbitrio infligendis, inhibeant Abbatissis, ac quibuscunque monialibus monasteriorum officialibus, ne occasione officiorum faciant, & respective permittant sumptus nullo fieri ab iisdem officialibus tam ante, quam post expletorum officiorum tempus, quamvis a consanguineis, aut aliis ad ea obeunda pecuniam reciperent: neque insuper quidquam cujuscunque valoris sit, ab iis dari sub titulo celebrationis festorum, aut doni, seu alio quolibet titulo causam, occasionem, aut relationem habente ad prædicta officia, nedum Abbatissis, officialibus, monialibus, novitiis, aliisque intra monasterium degentibus, sed etiam superioribus, quamvis regularibus, confessariis, deputatis, agentibus, & aliis monasteriorum officialibus; imo nec Ecclesiæ, aut sacrario, sed sumptus omnis fieri debeat ex redditibus monasteriorum, juxta taxam ab iisdem Ordinariis statuendam. Sub hac lege declarat Pontifex comprehendi etiam monasteria, quæ subsunt regimini Regularium, & alia quocunque modo exempta, quamvis S. Sedi immediate subjecta; sicuti & domus Oblatarum, etiam clausura, & votis solemnibus non obstrictarum.*

Eandem prohibitionem fecerat Alex. VII. pro Ecclesiis, & monasteriis monialium Urbis, ut ex ipsius Constit. Pro commisso 24. *Sept. 1657.*

Similem prohibitionem injunxit faciendam monialibus Archiepiscopatus Mediolanensis ab Eminentissimo Archiepiscopo per organum S. Congreg. Episcop. & Regul. Bened. XIV. sub die 26. Jan. 1742.

His nuperrime accessit pro monialibus Urbis Motus proprius CLEMENTIS XIII. *feliciter regnantis, sub die 30. Jun. 1759. quo inhibetur monialibus, sacristæ munus obeuntibus, ne occasione festivitatum in earum Ecclesias celebrandarum, sumptus ullos faciant propria cura, & expensis: nec hac eadem occasione cuiquam, tam intra, quam extra monasterium, propriis pariter expensis, remunerationes, aut dona præbeant. Qui sumptus fieri præcipiuntur ex communibus eorundem monasteriorum redditibus. Prohibet insuper Pontifex eisdem monialibus generatim, ne in dictis festivitatibus intermisceant cujuscunque speciei potiones, vulgo* Rinfreschi: *quod si Abbatissæ, vel superiorissæ hujusmodi prohibitiones executioni non demandaverint, remanent ab officio suspensæ: sibique Pontifex facultatem reservat eas in pristinum restituendi.*

CA-

☞ CAPUT VII.

Monialium confessarius ordinarius, & extraordinarius.

Vide *cap. VII. verbo* Confessarius. *pag.* 106. ☜

CAPUT I.

Montes Pietatis impugnans.

LEo X. Bulla 11. *Inter multiplices*, in Concilio Lateranensi definivit, licitos esse Montes Pietatis ad mutuandam pecuniam egenis institutos; etiamsi non omnino gratis mutuent, sed aliquid moderatum, ad solam impensam necessariam ministrorum, & aliarum rerum ad Montium conservationem pertinentium, exigant ultra sortem pro indemnitate Montis, non pro lucro, seu augmento: & statuit pœnam excommunicationis latæ sententiæ contra omnes, tam seculares, quam ecclesiasticos, etiam religiosos, qui contra præseuris declarationis, & sanctionis formam de cetero prædicare, vel disputare, verbo, vel scripto ausi fuerint. Quod autem ait de pecunia mutuanda, intelligendum est, ut contineat quidquid in pondere, numero, vel mensura consistit, functionem scilicet recipiens in specie sua *leg.* 2. *ff. si cert. pet.* sive sit pecunia numerata, sive frumentum &c. *Ugolin. de usur. cap.* 4. §. 1. *n.* 1.

Nota primo, quod hæc excommunicatio, quatenus est ex hac Constitutione, non est reservata: tamen hodie si quis contra hanc definitionem obstinate prædicaret, aut disputaret, scilicet cum errore in intellectu, æstimans, hanc definitionem non esse veram, seu tenendam, aut alias si externo signo hunc suum errorem proderet, incurreret in excommunicationem latam contra hæreticos, Papæ reservatam *in Bulla Cœnæ Domini cap.* 1. quia hæc definitio est de fide, & de fide tenenda, ut ait *Luis. Turrian. de just. disp.* 61. *dub.* 12. *n.* 6. *Azor. tom.* 3. *lib.* 5. *de usura c.* 8. §. *Deinde dices*, *Less. lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 192. §. *Secundo respondent*, & §. *Denique dicit*; etenim Papa potest definire, & statuere regulam de fide tenendam, non solum in iis, quæ ad veritatem rerum supernaturalium pertinent, sed etiam in iis, quæ ad mores sunt necessaria: ita præallegati Auctores.

Nota secundo, quod per se loquendo, non possunt deponentes suas pecunias in Montibus Pietatis ad mutuandum, recipere ullum auctarium, seu lucrum annuum, neque hujus causa possunt administratores Montis exigere ab eis, quibus pecunias mutuant, quidquam, quod mutuantibus solvant, nisi ratione lucri cessantis, idest, si ob id mutuantes omiserunt dictas suas pecunias collocare ad lucrum licitum; tamen si Mons Pietatis haberet bona fructifera, in tali casu pro concurrenti quantitate redituum Montis, possent Monti dari pecuniæ, nomine emptionis censûs, & ea ratione percipi posset licite annuum lucrum a Monte persolvendum, sicut in aliis censibus, juxta Bullam Pii V. *Duar. de censib.* §. 1. *quæst.* 41. *n.* 4. *Filiuc. tract.* 34. *par.* 2. *n.* 196. *in fin. Innoc.* quem sequitur *Abb. in cap. In civitate n. ult. de usur.* qui testatur de communi, & *ibi Cardin. n.* 6. *Anan. n.* 25. *Anchar. n. ultim.* & *Lapus allegat.* 137. *in fin.* sed neque hoc casu posset Mons exigere a mutuatariis aliquod auctarium ratione damni emergentis, quod pateretur in accipiendis pecuniis cum tali onere suo ad effectum mutuandi egenis; quia omnia bona Montis sunt ordinata principaliter ad mutuandum, & ideo Mons pecuniam acceptam mutuando, non videtur se privare illa commoditate, seu utilitate pecuniæ acceptæ titulo census venditi, ideo non intrat titulus damni emergentis; ut *Lessius lib.* 2. *c.* 20. *n.* 78. *Molina disp.* 314. *n.* 7. *tom.* 2. *Eman. Sà*, *verbo Mutuum*, *n.* 10. *cum ibi additis*, & plures apud *Bonac. de just. disp.* 3. *quæst.* 3. *pun.* 4. *n.* 8.

Nota tertio, quod stipendia officialibus Montis Pietatis, & calculatoribus &c. solvi debent de annuis lucris, non de sorte, seu capitali; alias enim fieret contra intentionem fundatorum, & facile Mons diminui, & extingui posset, *ita Thomas de Vio in tract. de Monte Pietatis cap.* 7. *n.* 2. §. *Ex præmissis*.

CAPUT II.

Montium Pietatis officiales pecunias Montis, præter usus destinatos, expendere præsumentes.

PAulus V. Bulla 82. *Onerosa*, prohibuit pecunias Montis Pietatis Status Ecclesiæ Romanæ in alios usus converti, quam pauperum, juxta erectionem eorundem Montium, nisi cum licentia Papæ, & Sedis Apostolicæ: & si quis contravenire præsumpserit, statuit, ut Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi incurrant ipso facto suspensionem; aliæ vero inferiores personæ excommunicationem: & absolutionem Papæ reservavit.

Amplia, quod licet ad distrahendum de lucris Montis Pietatis sufficiat licentia generalis; tamen ad distrahendum de sorte, seu capitali, seu dote montis requiritur licentia specialis, seu expressa, & causa cognita, ut *Lap. de Castell. in cap. De Xenodochiis de relig. dom. Redoan. tract. de reb. eccles. non alien. rubr.* 19. *de causa utilitatis n.* 117. Adde, quod Episcopus, etiam de jure communi non potest licentiam dare expendendi pecunias Montis Pietatis in alios usus, præter destinatos in fundatione, ut *dict. cap. De Xenodochiis*, & *ibi not. Abb. n.* 3.

Limitant aliqui, quod hæc Constitutio loquitur solum de pecuniis Montis Pietatis, non autem de aliis bonis, & intelligitur de pecunia numerata tantum, at mutuandum pauperibus destinata, ut *Cherubin. ibid.* notat; sed ego puto, hic pecuniæ nomine contineri quidquid recipit functionem in genere suo, quod mutuari potest, *leg. Talis*, *ibi Bar. ff. de leg.* 1. *leg.* 2. §. *Item mutuum*, *ff. si cert. pet. Alex. in leg. Singularia*, *col.* 2. *ff. eod.*

☞ *Ex Constit. Bened. XIII.* Ex quo divina *idib. Jun.* 1725. *excluduntur a privilegio immunitatis ecclesiasticæ*, *seu asylo loci sacri ministri* — Montis Pietatis, vel alterius publici telonii, aut banci pro depositis Principis, privatarumque personarum destinati, furtum, aut falsitatem in prædictis locis committentes, cujus ratione arca pecuniaria ita minuatur, ut pœnæ ordinariæ locus sit. — ☜

CAPUT III.

Montis Pietatis bona usurpantes.

TRid. *sess.* 22. *cap.* 11. *de reform.* usurpantes bona Montium Pietatis, sive jura, sive fructus, vel obventiones: item impedientes, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam; & si patroni fuerint, etiam privationem Jurispatronatus, incurrunt. Clerici talia facientes, vel consentientes incurrunt ulterius etiam privationem beneficiorum, & inhabilitatem ad beneficia. De hoc decreto dixi *verbo Usurpatio cap.* 1.

☜ CAPUT IV.

Montis Pietatis Urbis, & mensæ nummulariæ S. Spiritus de eadem Urbe syngraphas, seu cedulas falsificantes.

Vide supra verbo Monetam *cap. I. pag.* 201. *col.* 1. ☜

CAPUT I.

Munera, seu præmia dantes, vel promittentes, vel acceptantes pro gratia, vel justitia obtinenda in Curia Romana.

Vide *verbo Simonia cap.* 15.

CAPUT II.

Munera, seu mercedem accipientes officiales Sacræ Pœnitentiariæ.

IN Bulla Pii V. 83. *In omnibus*, & alia, quæ est 84. *In earum rerum*, prohibitum est officialibus Sacræ Pœnitentiariæ quidquam, etiam minimum, etiam sponte oblatum a partibus, sive pro expeditionis maturatione, sive alio extraordinario labore, capere, aut permittere a famulis, aliisque personis capi, sed ut sint contenti suis stipendiis.

Nomine *officialium* hic continetur Regens, Datarius, Corrector, Theologus, Doctor, Sigillator, Abbreviator, Procurator, & Scriptor, ut patet ex ead. Bulla.

Nota, quod Pœnitentiarius major, & Pœnitentiarii minores hic non sunt expressi; ideo non comprehenduntur in pœnis sequentibus, quamvis gratis & ipsi debeant, & consueverint omnia expedire.

Item statutum est in dicta Bulla 83. §. *Omnes vero*, ut officiales præfati, ut supra accipientes, incurrant excommunicationem Papæ reservatam: & ex eadem Bulla 83. & 84. prædicta, incurrunt privationem officiorum, & inhabilitatem ad illa, & pœnam infamiæ juris.

Amplia, ut procedant prædicta etiam contra aliquod munus accipientes sponte datum, ut *Navarr. conf. 50. de sponsal. n. 3. & conf. 29. de pænit. & remiss. n. 3. Cherub. super dict. Bulla 83. Pii V.*

Limita, ut non procedant, quando post expeditionem ab officiali obtentam aliquid liberaliter gratitudinis causa daretur, nulla præcedente conventione, neque data intentione; *Navarr. in Extrav. de datis, & promissis, notab. 13. n. 22. & not. 19. n. 21. Azor. par. 3. lib. 13. cap. 23. quæst. 4.*

Advertendum est, quod si prædicti officiales aliquod munus acciperent pro extraordinaria, & indebita diligentia, incurrerent solum in pœnas prædictas: si autem pro ipsa gratia, expeditione, vel favore impertiendo pro ea obtinenda, aliquid eis promitteretur, vel daretur, tunc non solum officiales, sed & ipsi dantes, & promittentes, & alii cooperantes incurrerent in pœnam excommunicationis Papæ reservatæ, & infamiæ juris, & privationis officiorum, & beneficiorum, & inhabilitatis ad illa, & nullitatis gratiæ, latam in *Extrav. 1. de sent. excomm. & in Bulla Gregor. XIII. Ab ipso*, contra dantes, vel promittentes pro gratia, vel justitia obtinenda a Sede Apostolica, de quibus vide *verbo Simonia cap. 15.* & ita de gratia obtinenda in Sacra Pœnitentiaria docent *Azor. loco cit. quæst. 7. Navarr. notab. 18. vers. 4.*

Advertendum etiam, quod ex dictis Constitutionibus non est prohibitum, neque illicitum sollicitatoribus, seu procuratoribus supplicantium in Sacra Pœnitentiaria percipere suas provisiones, easve exigere a principalibus suis; quia ipsi non sunt officiales Sacræ Pœnitentiariæ: eas tamen valde moderatas esse convenit; præsertim cum in expeditionibus Sacræ Pœnitentiariæ procurandis ipsi modicum laborem impendant.

CAPUT III.

Munera, seu premia pro concedenda dispensatione matrimoniali commissarii recipientes.

Vide *verbo Simonia cap. 14.*

CAPUT IV.

Munera, seu premia pro justitia, vel injustitia accipientes judices quicunque.

Si judex munera, seu pretium accipiat pro justitia administranda a partibus præter constituta, sententia, etiamsi alias justa, est ipso jure nulla, ut *cap. Ei, qui, §. Venales 2. quæst. 6. leg. Venales, C. quand. prov. non est necesse, ibi Bart. Menoch. de arbitr. casu 342. n. 19. & 343. n. 6. Capicius decis. 155. n. 13. Boss. tit. de offic. corrup. n. 2. Archid. et Joan. Andr. in c. 1. de sent. et re jud. in 6. et ibi Gemin. §. Si quis n. 8.* sententia autem lata ob gratiam non est ipso jure nulla, si alias sit justa, ut supra citati DD. dicunt, sed est cassanda.

Ante declaratoriam vero, judex, qui pretio tulit sententiam justam, tenetur ad restitutionem pro foro conscientiæ pretii accepti ei, qui dedit, *Navarr. c. 17. n. 27. Medina de restit. q. 2. dub. 2. P. Navarra lib. 4. c. 2. n. 97. Molina disp. 97. tom. 1.* & de communi testatur *Less. lib. 2. cap. 14. n. 63.* si autem pretium pro injusta sententia accepit, restituere debet parti læsæ per talem sententiam; hoc est certum; pretium autem non tenetur restituere, nisi condemnetur, secundum probabiliorem, *Less. loco cit. n. 54. et 56.* ubi plures allegat, & *Vasch. tract. de restitut. c. 7. dub. 4. et 6.* Infamiam juris incurrit, & consequenter irregularitatem, judex, qui condemnatus fuerit judicio *leg. Julia repetundarum*, idest de pretio, seu pecunia accepta pro justitia ministranda, vel non ministranda; quia hoc judicium est publicum, *leg. 1. ff. de publ. judic.* & condemnatum reddit infamem, *leg. 1. ff. de his, qui not. infam.*

☞ *Propositiones circa hanc materiam proscriptæ ab Alex. VII. sub die 24. Septem. 1665. et ab Innoc. XI. sub die 2. Mart. 1679. sub pœnis in illas docentes etc. atque ad praxim deducentes, quas incurrunt docentes alias propositiones proscriptas, ut in fine Additionis ad cap. 1. verbo — Missa,* sunt. —

Proscripta ab Alex. VII. quæ est 26. in ordine — Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio. —

Proscripta ab Innocent. XI. quæ est 2. in ordine — Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem, etiam minus probabilem. — ☜

CAPUT V.

Muneribus, seu præmiis, gratia, seu acceptione personarum, justitiam corrumpentes judices ecclesiastici.

In *cap. 1. de senten. et re judic. in 6.* habetur: si quis ecclesiasticus ordinarius, aut delegatus contra conscientiam, & contra justitiam, in gravamen partis alterius, in judicio quidquam fecerit per gratiam, vel sordes, ab executione officii per annum noverit se suspensum, & ad æstimationem litis parti, quam læserit, condemnandus: quod si suspensione durante, damnabiliter ingesserit se divinis, irregularitatis laqueo se involvet, a quo nonnisi per Summum Pontificem poterit liberari; salvis aliis Constitutionibus, quæ judicibus male judicantibus pœnas infligunt.

Nota, quod hæc suspensio est & ordinis, & officii judicis, ideft a divinis, & a jurisdictione, *Navarr. c. 27. n. 157. versic. Decima, Reginald. lib. 32. tract. 2. n. 67. Sayr. de censur. lib. 4. c. 13. n. 3. Suar. de censur. dispus. 31. sect. 3. n. 16.* sed non est hæc suspensio a beneficio, *Farinac. quæst. 111. n. 75. et 76. Barbos. in dicto cap. 1. n. 14.* neque continet Episcopos, ut *Suar. ibidem Sayr. n. 3.*

Absolutio autem hujus suspensionis ad tempus latæ, est ex natura sua Papæ reservata, ut dixi *par. 1. cap. 23. et 24. §. Ampl. 4.*

CAPUT VI.

Munera, seu præmia accipiens judex ecclesiasticus delegatus.

I. In *cap. Statutum, §. Insuper, de rescript. in 6.* habetur, quod judex delegatus Apostolicus non potest accipere quidquam a partibus, sive munus, sive quidquam aliud, sed gratis officium suum exercere debet: deinde in *eod. cap. §. Si quid autem*, subjungitur, quod si quid contra hanc prohibitionem receperit, ad ipsius restitutionem integram teneatur, nulla ei remissione profutura.

Amplia, quod hæc pœna restitutionis obligat, etiam in foro conscientiæ ante omnem sententiam, ut *Laym. lib. 3. tract. de contractibus, c. 4. n. 10.*

Amplia secundo, quod licet textus loquatur de delegato Papæ tantum, tamen procedit etiam in Ordinariorum delegatis; quia eadem est ratio justitiæ in omnibus: & *cap. Cum omni, de vit. et hon. cleric.* indistincte delegatus prohibetur munus accipere, ne sententiæ sint venales, & ideo ita ampliant *Sayr. lib. 12. Clavis, c. 13. n. 13. Sanchez lib. 3. opusc. cap. un. dub. 2.*

Amplia tertio, quod neque titulo sportularum possunt quidquam accipere, *Jo. Andr. Abb. et alii Canonistæ in dict. cap. Cum omni, ibi etiam Barbos. n. 4.*

Limita, quod non prohibetur delegatus accipere esculenta, & poculenta, quæ paucis diebus consumi possint, si liberaliter ei offerantur, ut *dict. §. Insuper: et ibi gloss. ibi verbo Paucis*, intelligit de biduo; sed etiam de pluribus diebus, quam duobus, arbitrio boni viri, pro qualitate dantis, & accipientis, idem censet *Sanch. dub. 2. n. 3.*

Limita secundo, quod delegatus potest accipere sportulas, ubi consuetudine sit receptum, *Sayr. n. 15. Sanch. lib. 8. de matr. disput. 35. n. 11.*

C A-

☞ CAPUT VII.

Munera, seu largitiones de bonis communitatum, et universitatum Status temporalis Ecclesiæ Romanæ, aut alias de bonis in commune collectis facientes, vel acceptantes.

Clemens VIII. in Bulla 10. *Pro commissa* §. 14. prohibet, ne communitates Status Ecclesiæ Romanæ, seu ejusdem universitates, collegia, magistratus, officiales, aut singulares personæ, ullo modo præsumant de bonis, seu rebus communis massæ, vel etiam ex pecuniis particularium, per viam collectæ in commune congestis, munera, seu dona quæcunque cuicunque, sive Legato, sive officiali, sive alteri personæ, etiam Cardinalatus, vel Episcopatus honore fulgenti, vel eorum consanguineis, affinibus, familiaribus, aut ministris mittere, tradere, vel largiri, vel in eorum honorem, aut lautam ipsorum exceptionem, aut hospitationem, etiam moderatam erogare.

Addit §. 21. quod si quis contravenerit, primo tenetur ex eadem Bulla restituere eidem communitati, seu eroganti, quidquid datum, vel erogatum fuerit: secundo privatur ipso facto omnibus officiis, seu muneribus honorificis, & perpetuo inhabilis ad talia redditur: tertio infamiam juris incurrit: quarto obligati sunt massæ pœnam dupli solvere; simplum autem solum restituere tenentur, qui tantummodo consensum erogationibus præstitere, ut ibi dicitur.

Præterea addit Clemens §. 22. quod si dictæ erogationes factæ, vel promissæ fuerint pro gratia, vel justitia pro se, vel aliis obtinenda, sive apud Sedem Apostolicam, seu Romanam Curiam, sive extra eam, in quibuslibet tribunalibus, etiam laicis Status temporalis Ecclesiæ Romanæ, tunc tam dantes, quam accipientes, vel promittentes, & dantes ad id auxilium, consilium, vel favorem, incurrunt in excommunicationem, & pœnas omnes latas in *Extravag. 1. de sent. excomm. & in Bulla Greg. XIII. de datis, & promissis*, de quibus dixi *verb. Simonia*, *cap.* 15. & procedit contra dantes parvum, vel magnum, ut *in d. Bulla Clem. VIII.*

☞ *Vide Additionem infra post cap.* 15. *verbo* Simonia. ☜

De hac Constit. vide *Filiuc. tract.* 15. *n.* 142. *Gratian. discept. forens. lib.* 2. *c.* 202. *n.* 8. *Cherub. super ea Bulla in scholiis*, ex cujus summario, seu compendio super Bulla Clem. & ex annot. marginali ad eandem Bullam notatur, hanc extensionem solum procedere contra dantes, & promittentes de bonis, seu pecuniis universitatum supradictarum, seu privatorum in commune congestis, ut supra: non autem, si de propriis donent, vel promittant, quæ sententia verior videtur, ex *tex.* Bullæ, quamvis *Filiuc. ibi & Bonac. de censur. part. dis.* 2. *quæst.* 3. *pun.* 32. *n.* 4. teneant, etiam contineri dantes de propriis pecuniis: fatetur tamen *Bonac.* primam sententiam probabilem, & a multis recentioribus sustineri.

Amplia primo ex dictis, hodie neque licitum esse donare gratia remunerationis, de bonis communitatis, vel universitatis, ut *Gratian. ibid. Cherubin. ibid. schol.* 1.

Amplia secundo, quod ad pœnam dupli tenentur transgressores, etiam in foro conscientiæ ante declaratoriam, propter illam particulam, *obligati existant*, ut dicam *cap. seq.*

Limita, ut non prohibeantur esculenta, & poculenta in modica quantitate, quando adsit talis consuetudo, ut patet ex eadem Bulla.

Limita secundo, ut non incidat in pœnas dictarum Constitutionum de datis, & promissis pro gratia, vel justitia nisi data, vel promissa sint ex intentione obligandi pro tali gratia, vel justitia facienda, ut patet ex eadem Bulla.

Limita tertio, quod hic nomine Status Ecclesiæ Romanæ non continetur ille, qui pleno jure imperii alicui Principi temporali subest, ut Regnum Neapolis &c. De jure autem communi, quando, & quantum communitas donare possit alicui, vide *Sanch. opusc. lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 8.

CAPUT VIII.

Munera, seu præmia accipientes gubernatores, & alii officiales Status temporalis Ecclesiæ Romanæ.

Paulus II. in Bulla 3. *Munera*, statuit, ne quis rectorum, seu gubernatorum, & quorumcumque officialium, vel etiam Legatorum de latere, ad regimen provinciarum, civitatum, vel terrarum Status temporalis Ecclesiæ Romanæ deputandorum, aliquod genus muneris accipiat a civitatibus, aut locis, quibus præest, sive a personis, etiam particularibus sibi subjectis, præter esculenta, & poculenta, quæ brevi tempore consumi possint, idest triduo, ut ibi dicitur; alioqui tam dantes, quam accipientes, etiamsi pontificali præfulgeant dignitate, (exceptis solis Cardinalibus) ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, Papæ reservatam, & duplum restituere teneantur; in quo tamen simplum continebitur, quod acceperint: item statuit, ut omnes officiales teneantur, antequam ad sua administrent officia, juramentum præstare de observantia hujus Constitutionis: & hæc Constitutio fuit confirmata a Sixto IV. Bulla 15. *Etsi* §. 3. Explicant eam *Scortia in select. Const. theorem.* 112. 113. 114. *& Bonac. ins. citat.*

Nota primo, quod hæc Constitutio loquitur, non de omnibus officialibus, sed de jurisdictionem exercentibus, seu superioritatem habentibus; & continet etiam assessores, & consultores, *Cherubin. super eadem Bulla Pauli II. schol.* 2. *cum Pacio tract. de Consil. sapien. cap.* 11. *& aliis.*

Nota secundo, quod hæc pœna dupli obligat in conscientia, etiam ante declaratoriam, propter particulam illam, *reddere teneantur*, ut de eadem particula dicunt communiter Doctores in *cap.* 2. *de cens. in* 6. *& Less. cap.* 16. *n.* 37. *lib.* 2. *Eman. Sà*, *verbo Suspensio ipso jure n.* 13. & in terminis hujus Bullæ *Bonac. de cens. partic. disp.* 2. *quæst.* 7. *punct.* 8. *n.* 8. & facit pro hac sententia, quia ratione juramenti præstiti officiales obligati sunt observare hanc Constitutionem, ut supra dictum est, ex eadem Bulla.

Nota tertio, quod hæc Constitutio pœnalis hodie non videtur usu recepta: nam juramentum istud nunquam exigitur a gubernatoribus, & secundum aliquos Doctores, Extravagantes Constitutiones, quæ non sunt clausæ in corpore juris, & non sunt recentes, non præsumuntur usu receptæ, nisi probetur, *Felin. in c.* 1. *n.* 12. *de sent. & re judic. Mohedan. dec.* 1. *de consil. Puteus dec.* 281. *lib.* 1. præterea hæc Constitutio exorbitans, non continens derogatoriam ad jus commune, debet intelligi prohibere solum munera illicita de jure communi, scilicet immoderata cum corruptela, vel periculo corruptelæ judicis, seu magistratus, juxta *leg. Solent ff. de off. procons.* per ea, quæ dicam *infra cap.* 10. §. *Probatur*: denique saltem intraret super taliter receptis bona fide titulo donati, usucapio triennalis in mobilibus: quia ignorantia juris Extravagantis non receptis, & communiter ignoratæ causat bonam fidem, & dicitur probabilis, ut Puteus *loc. cit.* imo hæc magis est ignorantia facti, quam juris, ut probat *Felin. loc. cit.* ideo facit locum usucapioni, ut *DD. in leg. Celsus ff. de usuc.*

Circa munera, quæ dantur, vel accipiuntur pro gratia vel justitia, videnda est novissima Constitutio Alexandri VII.

☞ *Hujus Constitutionis summam vide infra in Additione post c.* 15. *verbo* Simonia. ☜

CAPUT IX.

Munera visitator, vel ejus familiaris accipiens.

Vide *verbo Visitatio*, *cap.* 2.

CAPUT X.

Munera largientes religiosi, & ea ab eis accipientes.

Clemens VIII. Bulla 28. *Religiosæ Congregationes*, prohibuit Regularibus omnibus, exceptis religiosis militaribus, erogare in honorem, aut lautam exceptionem cujuscunque, & munera, seu dona largiri cuicunque personæ, etiam Regi, Imperatori, Cardinali, vel Episcopo, vel bene-

nefactori, tam ex bonis conventus, quam ex aliis, ab ipsis particularibus quoquomodo, & nudecunque acquisitis; exceptis levioribus, esculeoris, & poculentis, vel ad devotionem pertinentibus munusculis, communitatis ipsius nomine, non autem particularis, tradeodis, quando superiori de consensu conventus videbitur; & exceptis erogationibus in rebus licitis, per capitulum generale, aut provinciale non prohibitis, & taxam ibi forsan præscriptam non excedentibus; & exceptis donationibus, seu erogationibus, etiam in majori summa, ex causa in capitulo, seu congregarione generali mature discussa, & unanimi omnium capitularium, superiorumque consensu approbata.

Quod si contra prædictam prohibitionem factum fuerit, statuit, ut accipientes dicta munera sua noo faciant, & ante omnem sententiam, tam io externo, quam in interno foro restituere teneantur; neque absolvi possint, neque a majori Pœnitentiario, nisi prius restitutione realiter facta, nulla condonatione, seu remissione suffragante: religiosæ autem personæ utriusque sexus contravenientes prædictæ prohibitioni, incurrant ipso facto privationem omnium dignitatum, graduum, munerum, & ad talia obtinenda inhabilitatem, & privationem vocis activæ, & passivæ, & infamiam juris, absque alia sententia declaratoria; & furti, & simoniæ pœnis afficiendi sint.

Item præcipit, hanc Constitutiooem, seu ejus compendium legi quotannis in capitulis, seu congregationibus: sed huic præcepto oon est pœna anoexa ibi, sed ab Urbano VIII. ut infra.

Advertendum est, circa intellectum hujus Constitutionis, qood licet primo intuitu valde a jure commuoi exorbitans, magnum rigorem continere videatur; tamen secundum communem sententiam Interpretum non condit jus novum, nisi quoad pœnas transgressoribus inflictas, & quoad formam approbationis causarum largiendi, scilicet quando causæ non reperiuntur a jure expressæ, atque permissæ, quatenus vult eas debere approbari a congregatione generali, unanimi omnium consensu: cum alias de jure communi sufficiat consensus majoris partis capituli, quando agitur de alienatione rerum pertinentium ad mensam communem, *cap. Cum in cunctis, de his, quæ fiunt a prœl. gloss. in cap. Cum omnes, de constit. ibi Felinus n. 15. Dec. n. 5. Barbos. in cap. Quod omnes 29. de regul. jur. in 6.* itaque Doctores dicunt communiter, per hanc Bullam solum prohiberi, seu de jure prohibitas declarari alias illicitas largitiones, erogationes, & munera; & quidquid olim licitum fuerat, etiam hodie licitum remanere: ita *Suar. to. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. c. 26. n. 15. Sousa super hac Bulla, §. 13. n. 114. Scortia in select. Constit. Theorem. 395. in princ. Ortiz in summa, c. 5. n. 10. Valer. differ. utriusque fori, verbo Munera n. 1. 73. & 98. Jo. de la Cruz de stat. relig. lib. 1. c. 3. dub. 1. concl. 3. Paulin. Berti in hanc Bullam par. 2. casu 3. in fin. pag. 341. colum. 1. Cenedo de paupert. relig. dub. 27. n. 22.*

Probatur, quia facultatibus cumpeteotibus de jure communi non censetur derogatum, nisi sit expresse cautum per clausulam derogantem expresse, & individualiter juri communi, *Sanchez in opusc. lib. 7. c. 1. dub. 21. n. 6.* ubi plures allegat, & *Rota decis. 645. n. 5. par. 1. posth. Farinac. gloss. in auth. Quæ in provincia, verbo Illic, ibi Bar. oppos. 2. C. Ubi de crim. agi oport.* ubi volunt, quod privilegio clauso in corpore juris communis non censeatur derogatum per clausulas generales, etiam amplissimas, nisi in specie illis derogetur; hic autem non adest talis derogatoria, ergo &c. item facit, quia evitanda est correctio juris communis, in quantum verba novæ legis pati possunt sensum juri communi conformem, *leg. Unum, C. de inoffic. donat. DD. in c. Cum expediat, de elect. leg. Sancimus, C. de testam. leg. Præcipimus, C. de appellat. Rota divers. par. 1. decis. 475. n. 2. & 6.* & quando in pluribus potest lex nova correctionem inducere, potius est intelligenda, ut in uno tantum casu eam inducat, *Abb. in cap. Cum dilectus, n. 21. de Const. Honded. cons. 1. n. 33. volum. 1. Burat. dec. 211. n. 18.* & licet lex nova utatur terminis universalibus, nihilominus recipit declarationem passivam, ut non comprehendat omnes casus particulares, ut minus deroget juri communi, quam sit possibile, *gloss. Bal. & alii Doctores in leg. 1. Cod. sine cens. vel relig.* & de communi testatur *Gabr. tit. de legibus, concl. 1. & Rota divers. loco cit. n. 6.*

Est autem de jure communi, universaliter loquendo, prohibitum superioribus religiosis donare, seu erogare de bonis Ecclesiæ, seu conventus, quia non sunt domini, sed administratores, *c. 2. ibi Innoc. & alii Canonistæ de don. cap. Tua nuper de his, quæ fiunt a Prœl. c. fin. 16. quæst. 6. Sanch. in opusc. lib. 1. c. 6. dub. 2. n. 3. Scortia loco cit.* sed hoc est intelligendum de donatione, seu erogatione ad causas profanas, scilicet ex pura liberalitate nulla causa cogente, ut *leg. Donari ff. de reg. jur.* quare jure communi possunt superiores religiosorum largiri, seu largiendi licentiam concedere ob causam pietatis, aut necessitatis, vel utilitatis conventus, seu Religionis, *Abb. in c. de donat. in fin. & ibi Imola n. 6. Scortia theorem. 395. Sanchez dict. dub. 2. n. 3. & 4.* unde poterunt largiri causa remunerationis pro beneficiis receptis, dummodo non excedatur mensura meritorum, *Scortia ibi, cum Quaranta, Valero, Jo. de la Cruz, & aliis:* quomodo vero dicantur excedere mensuram meritorum, vide *Sanch. de matrimon. lib. 6. disp. 6. n. 9. Dianam resolut. 16. tract. 6. tom. 1.*

Hinc sequitur, posse capitulum generale, seu Generalem cum consensu capituli generalis, vel definitorum, eleemosynam injungere uni conventui de pecuniis, seu reditibus superfluis, seu minus necessariis ad utilitatem alterius conventus ejusdem Religionis, eo auxilio indigentis, ut *Suarez de relig. tom. 4. tract. 1. lib. 2. c. 28. n. 8. & 9. Lezana de privil. regul. tom. 2. c. 19. n. 56. & Sanch. dict. dub. 2. n. 4. in fin.* & Religioni Camalduensium hoc in specie concessit *Paulus III. ut habetur in calce Constitutionum novarum Camald.*

Similiter possunt superiores donare ad captandum animum benefactorum, cum spe probabili utilitatis futuræ, *Suarez loco cit. n. 15.* item largiri possunt pro bono pacis ad vitandum scandalum, vel dedecus, seu vituperationem, *Sanch. dict. dub. 2. n. 13.* item largiri possunt in eleemosynas pauperum moderate, & discrete, non omnes reditus superfluos, sed partem aliquam, *Suar. loc. cit. n. 13.*

Sed & titulo donationis, seu meræ liberalitatis largiri possunt, vel licentiam ad id concedere suis subditis in modica materia; quia hoc est necessarium ad humanum convictum, & ad fovendas amicitias, sine quibus, ut ait Philosophus *moral. lib. 8. c. 1.* vivi non potest, ut *Sanch. lib. 8. c. 8. n. 5. in fin. in decal. Scortia theorem. 396. Valer. verbo Munera n. 64. §. His tamen;* unde ob eam causam Clemens VIII. hic excepit esculenta, & poculenta, quæ paucis diebus consumantur, & parva munera rerum ad devotionem pertinentium.

Quod autem hic a Clemente VIII. præcipitur, ut in casibus permissis donationes fiant nomine conventus, hoc est intelligendum juxta jus commune, ut religiosus non donet, tanquam proprium habere possit, neque possit dicere, hoc meum est, *Cassian. lib. 4. de inst. renun. c. 13. tex. in c. Cum ad monasterium de stat. mon. Trid. sess. 25. c. 3. de regul.* sufficit tamen, ut religiosus donans, intentionem habeat supradictam, scilicet donandi, tanquam nomine conventus, seu ex potestate habita a superiore conventus, & verbis, vel factis contrarium non significet, *Suar. dict. cap. 26. n. 15.* & quamvis Clemens VIII. requirat licentiam in scriptis superioris ad donationes faciendas inter ipsos religiosos, hoc est intelligendum, quando donatio esset magna ob aliquam causam extraordinariam, vel ubi esset periculum scandali, aut ambitus &c. *Valer. n. 83. Diana resolut. 20. loc. cit.* & licet Clemens videatur exigere licentiam individualem, tamen verius est, sufficere generalem, quoad talem speciem donationum, quando non sit donatio magni momenti, ne inducatur juris communis correctio, *Paulin. Berti part. 2. dub. 1. §. Decem pag. 340. colum. 2. Valer. verb. Munera n. 86. Barthol. a Sancto Fausto Thesaur. relig. quæst. 212.*

Quod vero Clemens prohibet, absolvi munus a regularibus recipientem ante realem restitutionem, intelligitur, si possit restituere: si enim non possit, tunc absolvi poterit sub cautione possibili restituendi, quam primum poterit, juxta ea, quæ *Sanch. in decal. lib. 2. c. 20. n. 19. Coninch. de censur. disput. 14. n. 206.* & ita in terminis hujus Bullæ docent *Sousa, & Jo. de la Cruz,* quos sequitur *Scortia theorem. 398. in fin. Bonac. super eadem Constitut. punct. 4. n. 3.* In hac autem prohibitione non continentur ipsi religiosi largientes: ipsi igitur absolvi poterunt, dummodo promittant procurare reintegrationem, seu restitutionem fieri, *Sanchez in decal. lib. 6. c. 15. n. 70.*

Quoad pœnas privationis officiorum, & vocis activæ, & passivæ, & inhabilitatis, & infamiæ, latas contra largientes in hac Constitutione, multi dicunt, eas non obligare ante declaratoriam; ita *Scortia theorem. 399. Paulin. Berti, par. 4. q. 2. Sorbus, & Sousa apud Bonacc. punct. 5. n. 3.* sed

de

de hac re dixi *par.* 1. *suis locis*, ubi etiam egi, ad quem pertineat super illis dispensare.

Sed post hæc emanavit declaratio Congregationis Prælatorum, cui interfui, (ad hunc effectum deputata a S. D. N. Urbano VIII.) confirmata ab eodem Bulla *Nuper a Congregat.* die 16. Octobris ann. 1640. circa intellectum supradictæ Bullæ Clementis VIII. ad sedandos scrupulos animarum: & primo declaratum, munera a Regularibus tribui posse ex causis gratitudinis, conciliationis benevolentiæ, ejusque conservationis erga ipsam Religionem, vel conventum, aliisque causis ex sui natura actum virtutis, & meriti continentibus: modeste tamen, ac discrete: & dummodo id fiat cum consensu superioris localis, vel cum consensu majoris partis conventus, ubi ex Constitutione, vel consuetudine Religionis alias requiratur: secundo, quod consensus conventus §. 3. Bullæ Clem. requisitus ad leviora esculenta, & poculenta, seu ad devotionem, & religiositatem pertinentia munuscula largienda, intelligitur de consensu, alias de jure requisito, & ubi concurreret suspicio ambitus: tertio quod cessante ambitus suspicione, neque requiritur licentia superioris in scriptis in casu contento §. 4. ejusdem Bullæ Clem. idest ad largitiones inter ipsos religiosos faciendas: quarto convivia in excipiendis benefactoribus, protectoribus, Ordinariisve honorifice, & laute, de quibus §. 5. & 6. censeri tantum prohibita, si decentiæ status regularis adversentur: quinto restitutionem receptorum munerum in casibus non permissis fieri debere conventui, ad quem de jure pertinent, si commode id fieri poterit: alias fiat viciniori conventui, respectu loci ubi petita fuerit absolutio: præterea ibidem decretum est, ne ii, qui Constitutionem Clem. de præterito transgressi sunt, quoad casus hic moderatos, possint absolvi a suis confessariis absque alia restitutione: qui vero graviori detrimento religionis, seu conventus, dando, vel recipiendo transgressi sunt usque ad diem datæ hujus Bullæ Urbani VIII. possint a majori Pœnitentiario, seu de ejus commissione, absolvi, dispensari, componi, & condonari, prout in Domino magis expedire judicaverit.

De cetero autem, seu in reliquis ibidem confirmata est, & quatenus opus esset innovata, dicta Constitutio Clementis VIII. non obstante omni usu, seu abusu contrario.

☞ *Nec audiendus est Ludovicus de Ameno, asserens* tom. 3. de delict. & pœn. tit. 3. §. 5. n. 7. *tam cit. Clemen. quam Urbani Constitutiones non fuisse usu receptas, ac proinde in conscientia non obligare, ob rationes ibidem allatas; quia, ut optime hanc Ameni opinionem refellit clarissimus vir Raphael a Lugagnano, meritissimus totius Ordinis FF. Minor. S. Francisci Ex-minister generalis, & Romani Cleri Examinator Apostolicus, collega meus, immediate post* dict. num. 7. *in eodem Opere cum correctionibus Romæ typis impresso a Carolo Giannini an.* 1754. *en ipsius verba* – His tamen non obstantibus (*rationibus videlicet Ameni*) dicendum, & tenendum est, dictam Constitutionem obligare; certo enim constat de illius promulgatione, ac innovatione, absque eo quod illi per legitimam auctoritatem sit derogatum. Hujus non observantia corruptela est, & non usus, abusus. Principium illud, super quod opposita opinio fundatur, si non omnino falsum, saltem incertum est, ac multis, & quidem gravissimis, involutum difficultatibus; & etiam dato, ut vero, dicto principio, non proinde obligatio dictæ Constitutionis ab ejusdem acceptatione petenda esset; quia eadem Constitutio fundatur in essentialibus status religiosi, qui cum nihil proprii habere possit, etiam sine crimine quidquam donare non valet. Quapropter Bened. XIV. in sua instructione, directa Pœnitentiariis Urbis pro anno Jubilæi 1750. enumerans §. II. casus, a quibus vigore Bullæ Jubilæi Pœnitentiarii minime absolvere valeant, aliquos in particulari recenset, & in generali eos omnes, qui in sua Constitutione *Pastor bonus* idibus Aprilis 1744. comprehenduntur, & a quibus neque Major ipse Pœnitentiarius facultate gaudet absolvendi; eosdemque Pœnitentiarios in dicta sua instructione §. *citat. n.* 29. ad laudatam Constitutionem remittit. In dicta vero Constitutione §. 26. sic habetur. – *Dictum* §. *vide in cit. Constit.* Pastor bonus *in fine hujus Operis*) ex quibus collige obligationem Constitutionum Apostolicarum super hoc puncto. ☜

Insuper ibidem præceptum est, ut superiores locales efficiant, ut dicta Bulla Clementis, cum hoc decreto, seu Bulla Urbani VIII. legatur singulis annis semel, mense Januario, in aliqua publica congregatione, vel saltem in publica mensa, sub pœna privationis officii, & vocis activæ, & passivæ ipso facto incurrendæ: hæc Bulla publicata fuit Romæ die 30. Octobris anno 1640. in locis consuetis.

Circa hanc Constitutionem, seu declarationem, advertendum primo, quod facultas ista data Majori Pœnitentiario absolvendi, & condonandi, vel componendi, non est ita intelligenda, ut libero arbitrio possit debitum remittere, sed tantum ex causa justa, & rationabili, ob quam etiam religiosi creditores non possent esse rationabiliter inviti, & condonatione facta virtute privilegii Apostolici debitori, sine consensu creditoris, non subsistente causa justa, debitor non est tutus in conscientia; quia Papa non potest sine justa causa tollere jus alteri quæsitum, ita *Bann. de just. quæst.* 62. *art.* 5. *dub.* 8. *Navarr. de spol.* §. 15. *num. ult. vers. Sexto*, *Turrian. de just. disput.* 41. *dub.* 1. & licet Papa sit summus administrator bonorum ecclesiasticorum, ut late *Navarr. ibi* §. 9. *n.* 2. *Rota dec.* 332. *in noviss.* & *Seraph. decis.* 45. *n.* 4. & præsertim quoad bona religiosorum, quorum ipse Papa est supremus Prælatus, ut *Suar. de Relig. tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 16. *n.* 13. & *lib.* 6. *cap.* 15. *n.* 6. tamen non censetur concessisse condonari, vel componi, nisi discrete, ne locis Regularium præjudicetur, per ea, quæ *Bann. Navarr.* & *Turrian. ibi*, *Sayr. Valen. Less.* & *alii* quos allegat, & sequitur *Bonacin. de rest. dis.* 1. *quæst. ult. pun.* 2. *n.* 27. & concessio Apostolica, etiam concepta verbis valde generalibus, ita intelligenda est, ut Papa non censeatur voluisse derogare juri alieno, *leg.* 2. §. *Merito ff. ne quid in flum. pub. Seraph. decis.* 931. *n.* 2. & quia in hac Constitutione non est inserta clausula derogatoria regulæ de jure quæsito non tolendo, *Seraph. dec.* 1082. *n.* 7. *cum multis DD.* & deinde propter illa verba in hac concessione posita, *prout in Domino magis expedire judicaverit*: quæ verba tribuunt solum arbitrium boni viri, idest regulatum jure, ratione, & æquitate, *Bal. Dec. Signorel. Calcan.* & *alii*, quos allegat, & sequitur *Menoch. de arbitr. lib.* 1. *quæst.* 8. *n.* 5.

Causæ autem justæ condonandi, vel componendi ponuntur a DD. communiter, paupertas, seu impotentia restituendi; seu si debitor ægre, & vix, seu nonnisi cum magno suo incommodo potest totum, vel partem restituere; neque spes est proxima, quod fiat ditior, *Bann. cit. concl.* 4. *Navarr. dict.* §. 15. *n. ult.* item si debitum sit dubium, scilicet existente dubio probabili de justitia sibi factæ donationis, quia ob tale dubium, ad tranquillitatem conscientiæ licite potest concedi compositio, *Bann. dict. concl.* 4.

Advertendum secundo, quod hic non censetur Papa concessisse facultatem condonandi, vel componendi super bonis donatis, quæ de jure sunt prohibita alienari sine solemnitate, seu beneplacito Apostolico, juxta *Extrav. Ambitiosa de reb. eccl. non alien.* quia tunc ageretur de graviori præjudicio loci regularis, & quia hic non est dictæ Extrav. derogatum.

Advertendum tertio, esse differentiam, an pœnitens restituere obligatus, obtinuerit absolutionem ab obligatione restituendi ob omnimodam impotentiam, prout de jure communi; an vero obtinuerit condonationem, vel compositionem: nam absolutus, non exigita restitutione ob impotentiam, si postea perveniat ad pinguiorem fortunam, tenebitur restituere, ut DD. communiter, quos allegat, & sequitur *Bonac. de res. dis.* 1. *quæst. ult. pun.* 1. *n.* 33. at obtinens compositionem, vel condonationem ex juxta causa, ut supra, non tenebitur restituere, etiamsi postea fiat ditior, quia compositio, & condonatio habent vim realis solutionis, *leg.* 2. *ff. de duob. reis*, ibi *Bar. n.* 5. *Castr. n.* 4. *Rota decis.* 237. *n.* 4. *par.* 2. *posth. Farin.*

Advertendum quarto, si alter ex duobus reis debendi, scilicet donans, aut donatarius, obtineat condonationem, seu compositionem, ut supra, alter quoque liberatur eo ipso, quia condonatio, & compositio habent vim realis solutionis, ita *dict. leg.* 2. *ff. de duobus reis*, secus si alter absolvatur simpliciter, exemptus ob impotentiam status sui ab obligatione restituendi, quia alter correus in culpa non liberatur, *leg. fin. ff. eod. tit.* & *Mantic. de tacit. lib.* 15. *tit.* 6. *n.* 1. 2. & 6.

☞ *Circa facultatem absolvendi, condonandi, & componendi, hic tributam Majori Pœnitentiario, hodie attendenda est cit. Constit. Bened. XIV.* Pastor bonus, *ubi cit.* §. 26. *partim sublata, partim ei restricta est.* ☜

☞ CAPUT XI.

Munera, seu dona data concubinæ,

Vide *verbo Concubinatus n. ultimo.*

CAPUT XII.

Munera recipientes Inquisitores, & ministri Sancti Officii.

Vide verbo Inquisitores *cap. VIII.* ☜

CAPUT I.

Naufragantium bona injuste capientes, vel detinentes.

I. IN *cap. Excommunicationi, de raptor.* ex Concil. Lateranensi, qui christianos, naufragium patientes damnata cupiditate spoliant rebus suis, nisi ablata reddiderint, excommunicationi se noverint subiacere, sed non est reservata, *Barbos. ibi n. 6.*

Hæc excommunicatio est latæ sententiæ, & incurritur statim, mora restituendi commissa, *gloss. ibi verbo Subjacere, Suar. de censur. disp. 21. sect. 2. n. 27. & 28. Reginal. lib. 9. n. 268. Filiuc. tract. 16. n. 99.* & nulla requiritur admonitio, *Suar. loc. cit. Tolet. lib. 1. cap. 21. n. 1. Abb. in dict. cap. Excommunicationi.*

II. In *cap. 4. Bullæ in Cœna Domini* fertur excommunicatio contra omnes, & singulos, qui christianorum quorumcunque, navibus tempestate jactatis, seu quoquo modo naufragium passis, sive in ipsis navibus, sive ex ipsis ejecta in mare, vel in littore inventa, cujuscunque generis bona, in cujuscunque maris regionibus, vel littoribus surripiunt: & hæc excommunicatio est Papæ reservata *ibidem:* & non requirit ulteriorem moram, sed sufficit acceptio, vel detentio cum culpa mortali; & etiamsi ab initio quis accepisset bona fide, vel animo restituendi, postea animadvertens, rem esse alienam, si mutet voluntatem, & statuat non restituere, statim incurrit, *Suarez n. 29. & 31. Filiuc. n. 99. Sayr. lib. 3. cap. 9. n. 2. Tolet. ubi supra, Regin. n. 268.*

Adverte etiam differentiam, quod recipiens, vel detinens injuste bona naufragantis in flumine, non incidit in hanc excommunicationem; & hoc est certum: sed in alteram incurrit latam in *dict. cap. Excommunicationi* (quæ, ut dixi, non est reservata) secundum sententiam *Alex. de Nevo in Apostill. ad Abb. in d. cap. Excommunicationi, Lit. B. & Anan. in ea decr. n. 2. in gloss. 1.* qui communem sententiam esse asserit: sed contrariam, quod neque illa excommunicatio habeat locum in casu naufragii facti in flumine, vel in lacu, sed in mari tantum, hic tenet *Hostien. & Joan. Andr. in eo textu, & Filiuc. tract. 16. n. 97.*

Limita, quod neutra excommunicatio procedit in naufragio hæreticorum; quia in favorabilibus non continentur nomine christianorum, *cap. Sicut de hæretic. Sayr. lib. 3. cap. 8. n. 7. Duard. super hoc cap. Bullæ, quæst. 3. n. 6. Ugolin. ibid.*

Limita secundo, quod non procedit, si quis capiat res projectas, aut aliter naufragio amissas, quas dominus censeatur habere pro derelictis, & non curare recuperationem; ut contingit in iis, quæ in mare projecta, statim solent corrumpi, vel nonnisi cum maximo labore, & difficultate recolligi, ut saccarus, species, & charta, *Reginal. n. 271. Sayrus n. 9. Filiuc. n. 93. Molina tom. 1. de just. disp. 55. De bonis,* & facit *leg. Falsus, §. Si jactum, ff. de furt.*

CAPUT I.

Negotiatio ecclesiasticis personis interdicta.

I. NEgotiatio clericis, & religiosis prohibita est, *c. Negotiatorem, c. Fornicarii, cap. Consequens, c. Ejiciens,* 88, *dyl. c. ult. de vita, & hon. cler. cap. 1. ne cler. vel mon. Clem. 1. de vita, & honest. cleric.* & hæc prohibitio obligat sub peccato mortali ex genere suo, *Sylv. Clericus 3. q. 1. Salzedo ad Diaz in praxi c. 58. §. Et ex ea pœna,* & de communi testatur *Filiuc. tract. 35. n. 20. Luis. Turrian. de justitia dis. 59. dub. 2. n. 4.*

Amplia, ut procedat non solum in negotiatione, quæ fit mercimonium, idest cum quid emitur, ut immutatum vendatur, ut definit S. Chrysostomus, relatus in *dict. cap. Ejiciens,* sed etiam in aliis quæstuosis negotiationibus, quæ sunt mixta artificio, *Stracca de mercatura par. 1. n. 5. cum Signorolo,* dicens, negotiationis nomen esse generalius mercimonio, seu mercatura: unde dicitur etiam negotiatio prohibita ecclesiasticis conducere prædia ad vendendos fructus, *Roderic. quæst. regul. 74. art. 8. tom. 3. Molin. disput. 342. n. 2. Quaranta verbo Vectigal, versic. Quæritur, an inter:* item emere animalia, & ea, emptis cibariis, seu pascuis, nutrire, ut aucta, eadem ipsa, seu fœtus eorum vendat; *Sylv. Cleric. 3. n. 2. Genuen. in praxi cap. 62. n. 14. Redoan. de spol. quæst. 2. n. 14. Quaranta loc. cit. versu Similiter.*

Limita, ut de jure communi non prohibeatur ecclesiasticis artificium, scilicet ex materia empta tertiam speciem faciendo, *Sanctus Joan. Chrysostomus, & alii Doctores supra cit.* neque prohibetur industria, idest cum quis animalia sibi donata auget, & vendit, vel etiam empta propriis pascuis alit, & illa aucta vendit, aut fœtus eorum, ut *Doctores cit.*

Limita secundo, ut prohibitio intelligatur solum de clericis in sacris, aut beneficiatis, & regularibus, etiam laicis, ut de communi testatur *Turrian. cit. n. 4. & 5. Genuen. n. 9. Less. cap. 21. n. 4.*

Limita tertio, ut non sit peccatum mortale, si semel, aut iterum, & non ex consuetudine id fiat, *Less. n. 21. Navarr. cap. 27. n. 250. Filiuc. tract. 35. n. 20. Turrian. n. 4.*

☞ *Circa hanc sententiam in praxi caute procedendum est.* ☜

Limita quarto, quod multi DD. dicunt, non esse illicitum clerico beneficiato, vel in sacris, negotiationem exercere per alium institorem, vel exercitorem pro foro conscientiæ, si adsit justa causa, & non ex avaritia id faciat, *Less. cap. 21. n. 6. Filiuc. tract. 35. n. 26. Molina disp. 342. §. Utrum autem fas, Genuen. in praxi cap. 62. n. 6. Salzedo ad Diaz in praxi c. 58. §. Sed utrum, Nav. c. 25. n. 3.* sed pro foro externo non erit tutus, *Filiuc. loco cit. n. 26.*

☞ *Vide notata in fine hujus capitis,* ☜

Limita quinto, ut non sit illicita negotiatio clericis, vel monachis, si ob necessariam sustentationem conducant prædia, ut partim fructus comedant, & partim vendant, neque in hoc casu ad vectigalia tenebuntur, ut *Molina tom. 2. disp. 347. n. 8. per c. Dilecti, & ibi gloss. de decim.* item simili modo, si emant, & vendant immutatum, non causa lucri, sed damni vitandi, seu necessitatis causa, ut servent se indemnes, a dispendio scilicet, quod passuri essent ratione cambiorum, transmittendo pecunias, evitando illud, mercium emptione, & transmissione, probatur *ex S. Thom. 2. 2. quæst. 77. artic. 4. ad 1. Molin. ibi, & Genuen. in praxi c. 62. n. 5. cum Canonist. Quaranta verbo Vectigal, §. Tertio quatenus:* unde ait *Henric. in Clem. Præsenti n. 61. de cens.* in tali casu clericum ad vectigalia non teneri, & idem ait *Molin. dict. n. 8. in fin.*

II. Ecclesiasticæ personæ quæcunque, etiam quibus non est interdicta negotiatio proprie dicta, si negotientur, privantur privilegio immunitatis a vectigalibus; ita quidem, ut quoad illud negotium, seu actum illum, sint ipso jure privatæ, etiam pro foro conscientiæ, nulla expectata monitione, etiamsi non adsit frequentia, seu consuetudo. At vero quoad alia bona sua amittunt exemptionem, quando trina monitio præcesserit, stante frequentia, seu consuetudine, unde dicitur negotiator, *cap. ult. de vit. & hon. cleric. Clem. 1. eod. tit. Clem. Præsenti de censib. ibi gloss. not. Turrian. dis. 59. dub. 2. n. 6. Sanch. in opusc. lib. 2. c. 4. dub. 51.* ubi plures allegat, & *Salzedo ad Diaz c. 58. §. Et hujus:* sed adverte, quod coactio ad vectigalia solvenda non est facienda tunc a laica potestate, sed ecclesiastica, instante laica, *Sanch. dub. 52.*

III. Clericus, etiam in sacris, dimisso habitu, negotiationi vacans, si ter monitus, non resipiscat, amittit ipso facto privilegium canonis, non tamen fori, *c. In audientia, c. Contingit, de sent. excommunic. & dict. Clem. 1. de vit. & honest. clericor.* sed potest recuperare privilegium, resumendo habitum, & abstinendo a negotiatione, ut *in d. Clem.*

IV. Ecclesiastici in morte non possunt disponere de acquisitis per negotiationem, sed ea omnia Cameræ Apostolicæ applicata sunt ipso jure, & veniunt in causam spolii, ex Bulla Pii IV. & Bulla Pii V. de quibus *Navarr. de spol. §. 8. n. 8. & Redoan. de spol. quæst. 2. n. 36. Azor. tom. 2. lib. 8. c. 2. quæst. 1. & 2. Quaranta verbo Vectigal, §. Et quoniam:* neque suffragatur facultas testandi concessa a Papa, ut patet ex dictis Bullis, & Doctoribus: tamen potest beneficiatus, seu clericus

æus de dictis bonis donare inter vivos, & poterit donatatius retinere, ut ex Bulla Pii IV. colligit *Filiucc. tract.* 43. *c.* 4. *n.* 33. *Azor. quæst.* 3. in morte autem per testamentum, vel donationem causa mortis disponere non poterit; alias dispositio non valeret, & tenerentur hæredes sive ab intestato, sive ex testamento, & legatarii, & donatarii ea restituere Cameræ ante omnem sententiam pro foro conscientiæ, ut ait *Azor. cap.* 2. *quæst.* 3. *Filiuc. tract.* 43. *cap.* 4. *n.* 22. quamvis contra quod possit ea retinere ante sententiam in conscientia, teneant *Molina tom.* 1. *disp.* 147. §. *Postea vero*, *Navarr. consil.* 3. *de testam. n.* 6. & 7. qui ait verum, dummodo negotiatio injusta non fuerit, & cum *Molina*, & *Navarr.* consentire videtur *Quaranta loco cit.*

V. Romæ extant pœnæ suspensionis a divinis, privationis officiorum, & inhabilitatis, & privationis vocis activæ, & passivæ, contra ecclesiasticos, artem venalem exercentes, de qua vide *Lezanam de privil. regul. tom.* 4. *verbo Negotiatio n.* 6. ubi plenius habetur hæc materia bene tractata, & sunt pœnæ omnes latæ sententiæ, ut patet *ex decreto Sacræ Congreg. Visitat. Apostolicæ*, relato *a Lezana ibi*.

☞ *Quæcunque statuta sunt a Summis Pontificibus, & Conciliis contra clericos, secularibus negotiis se immiscentes, sub pœnis ab iisdem impositis, & etiam majoribus, arbitrio Ordinariorum infligendis ex decreto Conc. Trident.* sess. 22. cap. 1. de reform. *ampliata sunt a Bened. XIV. Constit.* Apostolicæ 25. *Febr.* 1741. *dictas pœnas extendente ad clericos, illicite sub alieno nomine negotia exercentes, perinde ac si per se, & proprio eorum nomine eadem exercerent.*

Et nota, nomine negotiorum, clericis prohibitorum, venire etiam cambia activa, per interpositam licet personam contracta, ut post cit. Constit. magis declaravit idem Bened. lib. 10. de Synod. Diœc. edit. Pat. 1756. cap. 6. num. 4. & 5.

Insuper in laudata Constit. decernit,

I. Ut omnia, & singula bona, sic ab eis alieno nomine acquisita, sub spolii pœna subjiciantur, juxta Constit. Pii IV. Decens 5. *Nov.* 1560.

II. Ut negotia per laicos prius inchoata, & ad ipsos clericos delata, continuari nequeant sub iisdem pœnis, nisi urgeat necessitas, & de licentia Congreg. Conc. aut etiam Ordinarii extra Italiam, ad tempus dumtaxat concedenda; ita tamen, ut pertractentur per interpositam laici personam.

III. Ut exempti a spolio ad effectum testandi, aut transmittendi in hæredes, ab eo non eximantur quoad bona sic acquisita, non obstante Indulto Pii IV. Constit. Romanus Pontifex 5. *Febr.* 1560. *& Pauli V.* In eminenti 8. *Apr.* 1606. *favore curialium, incolarum, & originariorum Urbis, etiam presbyterorum in ipsa Urbe, & ejus districtu intra decem milliaria, quibus Constitutionibus a Sanctitate sua in hac parte derogatur.*

Licitum tamen est eis in terris propriis, non tamen conductis, agriculturam exercere ex Constit. Clemen. VIII. Inter multiplices 4. *Decembr.* 1600.

Addere hic libet, quæ de quæstuosa negotiatione a Missionariis exercita, habet idem Bened. cit. lib. 10. de Synod. Diœc. cap. 3. n. 4. *ibi* — Ad idem præcavendum scandalum, Evangeliique præconum consulendum famæ, & dignitati, Summus Pontifex Clemens IX. sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, prohibuit quibuscunque ecclesiasticis, tam secularibus, quam regularibus, degentibus sive in Insulis, provinciis, & regnis Indiarum orientalium, sive in partibus Americæ, tam australibus, quam septentrionalibus, ne unquam cujusvis causæ, occasionis, & tituli prætextu, quæstuosam exerceant negotiationem, sive per se, sive per alios, sive nomine proprio, sive religiosorum Ordinum, quorum forte sint alumni; voluitque, statutas a se in prædictos negotiatores pœnas neque eum evadere, qui semel tantum mercaturam facit: quod videre est in Constitutione ejusdem Pontificis, impressa inter Apostolicas Constitutiones, respicientes missiones Sinarum, et Tunchini, in unum volumen collectas, editasque Parisiis anno 1676. par. 1. pag. 77. — ☜

CAPUT I.

Notariorum officiis Cameræ Apostolicæ venditis, vel vendendis se intromittentes, aut notarios ea ementes, vexantes.

EX *Constit. Pii IV.* Superna providentia 6. *Octobris* 1564. §. 11. *incurrebant excommunicationem latæ sententiæ, nemini tamen reservatam, cui subjiciebantur etiam Legati, & Vicelegati Sedis Apostolicæ, ut in Constitutione.*

Verum hodie dicta officia non amplius sunt venalia, sed in administrationem conferuntur ex Motu proprio Innoc. XI. exhibito in plena Camera sub die 6. Mart. 1679. quo declaratur, & confirmatur alter similis Motus proprius Clem. X. registratus in libro Signaturarum Sanctissimi fol. 87. in actis Mariotti, secretarii Cameræ; unde neque amplius locum habet hæc pœna: ac proinde non amplius recensenda inter excommunicationes, adhuc vigentes, ut quamplurimi Auctores referunt. ☜

CAPUT I.

Novitiorum receptio in locis non designatis a Sede Apostolica.

I. CLemens VIII. in Bulla 83. *Regularis disciplinæ* statuit, ut religiosi superiores Ordinum Mendicantium intra Italiam, & in Insulis adjacentibus, non possint recipere quenquam ad habitum regularem, nisi in locis a Sede Apostolica designandis, sub pœna latæ sententiæ, scilicet privationis officiorum, & vocis activæ, & passivæ, & inhabilitatis ad hujusmodi; & professiones, receptionesque contrafaciendas, nullas, & irritas declaravit.

II. Deinde idem Clem. VIII. decreto, incip. *Sanctissimus Pater*, quæ est Const. 83. statuit, ampliando, ut Regulares, tam Mendicantes, quam non Mendicantes, nullum audeant recipere ad habitum, seu novitiatum, nisi in locis a Sede Apostolica pro singulis provinciis designandis, aut contra hanc formam receptos ad professionem admittere: secus si fecerint, declaravit, receptionem, & professionem nullam esse, & irritam ad omnem effectum; & superiores transgressores incurrere pœnam privationis omnium officiorum, & vocis activæ, & passivæ, & perpetuæ inhabilitatis ad hujusmodi obtinenda.

Limitavit autem Clem. VIII. *ibi* hanc Constitutionem, ut non procedat, nisi in Italia, & insulis adjacentibus, & non procedat in Carthusianis, Minoribus de Observantia Strictiori, Capuccinis Reformatis, S. Dominici, Carmelitanis Discalceatis, Foliensibus, Cistercienfibus, Eremitis Camaldulensibus montis Coronæ, & Clericis Regularibus, scilicet Theatinis, Jesuitis, Barnabitis, Somaschis, & ministris Infirmorum: item non procedat, quoties concessa fuerit licentia a Sede Apostolica in forma Brevis.

Nota, quod licet hæc Constitutio, etiam expresse comprehendat eos, qui recipiuntur pro laicis, seu conversis, tamen Sacra Congregatio de his declaravit, non esse necesse, ut toto anno novitiatus maneant in loco ipso novitiatus, cum eorum experimenta sæpe ruri fiant. Alii autem debent peragere novitiatum in loco designato, ut patet ex hac Constitutione, & sequentibus decretis. Sed de hac re vide infra *verbo Professio cap.* 1.

☞ *Ceterum novitii laici non possunt pernoctare extra conventum, non deputatum pro novitiatu.*

III. Postea Sacra Congregatio Concilii *an.* 1624. *die* 21. *Septembris*, speciali facultate Sanctiss. D. N. Urbani VIII. decreto edito innovavit, primo prædictam Constitut. Clem. VIII. *Sanctissimus Pater*, sub eisdem pœnis: secundo extendit, mandans eam observari ab omnibus religiosis ubique locorum: tertio, ut decretum Clem. prædictum, & hoc decretum bis saltem in anno legantur in publica mensa: quarto, ut transgressores incurrant pœnas supradictas ipso facto, earumque dispensationem Sedi Apostolicæ reservavit, ut neque Generales, nec Protectores possint dispensare: quinto irritum decernit, quidquid contra actum fuerit.

IV. Quoniam autem, hoc decreto Sacræ Congregationis edito, magna religiosorum copia reclamare incepit contra professionem, ob non observatam formam decreti prædicti Clem. VIII. ideo ad turbationes compescendas, S. D. N. Urbanus VIII. decreto suo *anno* 1631. *die* 2. *Aprilis* edito, pri-

mo

mo absolvit prædictos religiosos ab omnibus censuris, ad effectum hujus decreti, seu indulti tantum, & mandavit Majori Pœnitentiario, Episcopis, & superioribus religiosorum, ut omnes, & singulos religiosos, qui ad habitum regularem alias canonice recepti, annum probationis in monasteriis, seu locis ad id designatis minime fecerunt, & subinde professionem emiserunt, ad professionem denuo, servatis alias servandis, emittendam recipiant, absque novo probationis anno; & postquam dictam professionem emiserint, restituant eos ad omnes gradus, dignitates, habilitates, quas obtinuissent, si ab initio valide professi fuissent; eosque ipso jure fore restituros decernit, ut habeant eundem locum, ac si ab initio valida fuisset professio, & ut promoveri deinceps possint ad ordines, vel in antea susceptis ministrare, & actus per eos antea gestos validos decernit existere, non obstantibus &c. Nota, quod hoc decretum solum procedit de præteritis casibus, idest de jam receptis, & professis contra formam prædictam, non autem de receptis post editionem hujus Constitutionis.

V. Sed idem Summus Pontifex Urbanus VIII. ad occurrendum morbus, qui possent oriri, & frequenter oriebantur occasione receptionis ad habitum, seu novitiatus facti in locis non designatis, super validitate professionis, decrevit *anno 1636. die 5. Januarii in Sacra Cong. Concilii Trid.* primo, ut ex dicta causa reclamantes contra professionem post lapsum quinquennii, non audiantur.

Intra quinquennium autem reclamantes teneantur jura sua deducere coram eadem Sacra Congregatione, quæ providebit ex facultate a Sanctissimo sibi concessa; & inhibuit omnibus Prælatis, etiam Legatis a latere, ne super his se ingerant, absque speciali Papæ commissione; alias incurrant ipso facto pœnas, scilicet Episcopi, Archiepiscopi, Primates, & Patriarchæ, interdictum ab ingressu Ecclesiæ; Abbates, & inferiores Prælati, & judices ecclesiastici excommunicationem; Nuntii vero, & Cardinales indignationem Sanctitatis Suæ, pœnis aliis arbitrio ejusdem puniendi.

Item decrevit, ut si prædicti recepti, & professi contra dictam formam sine expressa licentia præfatæ sacræ Congregationis a Religione discedere, aut si superiores illos ejicere ausi fuerint, ejecti puniantur, ut apostatæ, & contra eos procedatur juxta decretum ejusdem Sacræ Congregationis de apostatis, et ejectis: superiores vero ejicientes, ipso facto incurrant suspensionem a divinis, et privationem omnium officiorum, et perpetuam inhabilitatem ad talia obtinenda, et privationem vocis activæ, et passivæ, absque alia declaratoria.

Nota, quod licet decretum Conc. Trid. *sess. 25. c. 19. de regul.* denegans audientiam reclamantibus contra professionem ex aliquo capite nullitatis post quinquennium a die professionis, communiter a DD. intelligatur, procedere solum de nullitatibus consurgentibus ex impedimento temporali, ut vis, metus, ætatis etc. non autem de perpetuis, ut defectu novitiatus, aut ob aliquam personæ qualitatem, seu inhabilitatem, *Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 37. n. 32. Navar. cons. 5. de regul. & cons. 25. & 26. & 49. Beya part. 4. casu 18. §. Respondeamus pag. 380. Riccius resol. 550. in fin. Barbos. allegat. 104. n. 20. Roderic. quæst. regul. 11. art. 2. tom. 3.* tamen D. Papa Urbanus VIII. eandem præscriptionem statuit in casu nostro, in quo erat perpetuum impedimentum.

Nota II. quod per supradicta decreta non redditur irrita professio, facta extra conventum designatum pro novitiatu, (si novitiatus, et admissio ad habitum ibi facta sint) neque dicenda esset irrita, etiamsi ex Constitutionibus, vel præcepto Generalis esset prohibitum, professionem facere extra locum novitiatus, nisi præcepto addita esset clausula irritans professionem, per ea, quæ *Sanch. lib. 5. in decal. cap. 4. n. 71. in fine*; dummodo superior localis, et conventus, ad quos pertinuit admittere ad professionem, consentirent, ut alio loco ipse profiteretur; quia acceptatio professionis potest committi cuilibet, etiam laico, cum non sit actus jurisdictionis spiritualis, ut DD. communiter, quos allegat, et sequitur *Sanch. ibi n. 77.* et posset novitius cum tali consensu etiam alibi professionem facere per procuratorem, ad id specialiter deputatum, *Suarez tom. 3. de relig. lib. 6. c. 12. n. 22.* cum communi.

☞ *Circa nullitatem professionis in Constit. Bened. XIV.* Si data *4. Mar. 1748. statuitur*,

I. Quod superior regularis, detecto aliquo impedimento ante professionem, a religioso occultato, de quo prius interrogatus fuerit, etiam ipso non reclamante, procedere possit in causa super nullitate professionis, intra quinquennium in judicium deducta, una cum Ordinario loci.

II. Quod quinquennium, cum agitur de nullitate professionis ob metum, computandum sit a die emissæ professionis, non a die, quo professus liberam reclamandi facultatem habere cœpit.

III. Quod causa nullitatis agi possit etiam post elapsum quinquennium, dummodo a reclamante intra illud serio intentata fuerit, judiciumque prosequi neglexerit, aut nequiverit.

IV. Quod judices debeant esse Ordinarius loci, etiam Romæ, ac in ejus districtu, & actualis superior illius monasterii eo tempore, quo causa in judicium deducitur. Quoad moniales Ordinario subjectas, judex sit solus ipse Ordinarius: quoad subjectas vero Regularibus, superior regularis, cui universi monasterii regimen creditum est, una cum Ordinario loci.

V. Quod superior regularis, si judicium assumere nolit, aut nequeat, possit loco sui alium subrogare, sive regularem, sive secularem ecclesiasticum, juris canonici peritum: non tamen jus suum Ordinario loci cedere, ut solus procedat.

VI. Quod si judicia Ordinarii, & superioris discrepantia fuerint, causa ad Sedem Apostolicam devoluta censeatur.

VII. Quod item ad eandem Sedem privative spectet causa nullitatis professionis, ex quo hæc emissa fuerit extra cœnobium, pro novitiatu assignatum.

VIII. Quod sub pœna nullitatis processus, & sententiæ, non fundetur judicium in extrajudicialibus attestationibus, etiam juramento firmatis, quæ ad perpetuam dicuntur, sed instituatur processus verus, et judicialis, in quo et articuli exhibeantur ex parte reclamantis, & interrogatoria dentur ab eo, qui stat pro validitate professionis, & testes tam super articulis, quam juxta data interrogatoria examinentur: qui tamen processus juxta Trid. sess. 25. cap. 19. de Regul. *nunquam institui potest, nisi constet, reclamantem in Religionis suæ claustris morari, & regularem habitum resumpsisse, si ipsum antea deposuerit.*

IX. Quod sub eadem nullitatis pœna citentur tum defensores monasterii, in quo reclamans vota suscepit, tum ipsius consanguinei, sive propinqui, sive alii, quibus sua bona donavit, aut cessit, ceterique omnes, quorum interest, professionem sustinere: in primis autem ii, si superstites fuerint, qui indicati erunt, aut auctores, aut complices metus, eidem reclamanti incussi, ut votis invitus se obstringeret.

X. Quod a locorum Ordinariis deputetur defensor professionum ea lege, eoque modo, quo ex altera ejusdem Pontificis Constit. Dei miseratione *(quam vide in Additione ad cap. 7. verb.* Matrimonium *) deputandus est defensor pro validitate matrimonii: cui honorarium, expensæque occurrentes exsolvendæ erunt ab illis, quibus professus bona sua renuntiavit; vel a Religione, si ii non existant, aut nihil a professo renuntiatum fuerit: vel si Ordo regularis nihil possideat, ex mulctis illius tribunalis, in quo causa agitata fuerit, sive alterius, ut in citata Constit.* De defensore matrimonii.

XI. Quod post sententiam latam a superiore regulari, & Ordinario loci pro validitate professionis, causa finita intelligatur, si professus nullam interposuerit appellationem: si vero interposuerit, serventur præscripta in dicta Constit. De defensore matrimonii.

XII. Quod, nonnisi post duas sententias conformes pro nullitate professionis, professus discedere possit a Religione, vel habitum dimittere, sub pœnis contra apostatas latis.

XIII. Quod judices in secunda, aut ulteriori instantia esse debeant ii, ad quos de jure aliæ omnes causæ ecclesiasticæ post sententiam Ordinarii, in gradu appellationis devolvuntur, una cum superiore regulari, non illius monasterii, in quo reclamans professus est, sed alterius monasterii ejusdem Ordinis, in eorum civitate, aut diœcesi existentis: vel eo non extante, cum superiore viciniori monasterii ejusdem Ordinis, seu persona, ab eodem superiore deputanda: qui tamen superior ad ferendam sententiam non admittitur, si causa in secunda, aut ulteriori instantia ad Sac. Congregationes, aut Rotam devolvatur.

XIV. Quod si judicium nullitatis institutum fuerit post elapsum quinquennium, recurrendum omnino sit a locorum Ordinariis, & superiore regulari pro facultate restitutionis in integrum adversus illius lapsum.

XV. Quod sub pœna nullitatis actorum, etiam in causis discutiendis super restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii, ex commissione regularibus superioribus, ac locorum Or-

Ordinariis a S. Sede directa, intervenire debeat, tam in prima, quam in ulterioribus dubii propositionibus defensor professionis.

XVI. Quod idem servetur, tam a Cardinalium Congregationibus, quam a Rotæ Auditorio, sive quacunque Congregatione specialiter deputata: & defensor deputetur ab eo, qui est caput tribunalis, expensis eorum, de quibus supra.

XVII. Quod ad fruendum beneficio restitutionis in integrum, præcedere debeant duo conformes favorabiles resolutiones, sub pœnis pariter contra apostatas latis, si reclamans post primam e claustris migrare; multoque magis, si habitum dimittere præsumpserit.

CAPUT I.

Nuncians infidelibus, vel hæreticis aliquid in præjudicium reipublicæ christianæ, vel catholicæ religionis, & ad id cooperantes.

IN *Bulla in Cœna Domini c. 7.* fertur excommunicatio, Papæ reservata, contra eos, qui per se, vel per alios de rebus statum christianæ reipublicæ concernentibus in christianorum perniciem, & damnum, turcas, & christianæ religionis inimicos, necnon hæreticos in damnum catholicæ religionis certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel favorem præstant.

Vide explicationem hujus capitis apud *Suar. de censur. disp. 21. sect. 2. n. 58. Sayr. lib. 3. de cens. c. 11. n. 35. Filiuc. tract. 16. n. 150. Marium Alter. lib. 5. cap. 10. disp. 8. Tolet. lib. 1. cap. 23. §. De secundo.*

Reus prædicti criminis, ubi fuerit condemnatus per sententiam definitivam, incurrit infamiam juris (& consequenter efficitur irregularis) quia hoc est crimen publicum proditionis patriæ, seu reipublicæ christianæ, per *l. Omne delictum, §. Exploratores ff. de re mil. leg. Si quis aliquid ex metallo, §. 1. ff. de pœnis,* & est crimen læsæ majestatis, *leg. 1. ff. ad leg. Juliam majestatis,* ut *Farin. quæst. 112. n. 209. & 212.*

Amplia, ut procedat excommunicatio, etiam effectu nocumenti directe non intento; sufficit enim mala fides de effectu prævisu; quia licet illa particula *in damnum*, de qua in Bulla, juncta accusativo, aliquando denotet causam finalem, & significet idem, quod *propter*, ut *leg. a Divo Pio §. Si pignora, ibi gloss. verbo in creditum, ff. de re judic. & leg. Si decipiendi, ibi gloss. verbo In dolum ff. ad Velleja leg. Venales, verbo In mercedem, C. Quando prov. non est necesse,* tamen quando dictio *In* jungitur accusativo, respiciente incertum eventum futurum, denotat conditionem, & exponitur *in perniciem*, idest quatenus christiana respublica perniciem pateretur, *Natta consil. 662. n. 4. cum Bald. Castrens. & Socc. in leg. Publius,* per illum textum *ff. de cond. & demon.* & quod sufficiat indirecta intentio, tenet *Ugolin. super hoc c. 7. super eisdem verbis §. 1. vers. Secundo efficit, & vers. Sexto,* ubi exponit in damnum, idest, quod possit esse in damnum, & *Suarez de censur. disput. 21. sect. 2. n. 58. Filiuc. tract. 16. n. 150.* & idem dic de crimine læsæ majestatis, et proditionis, per jura allegata.

An autem incurrat nuncians in excommunicationem illam, etiam effectu damni non subsecuto, *Ugolin. dicto vers. Sexto,* tenet incurrere; quia sufficit nunciari, quod possit esse in damnum reipublicæ christianæ: sed puto distinguendum; quia si illud damnum directe intendit, tunc sufficit attentatum; si autem non intendit directe, æstimo, non incurri, nisi damnum sequatur, ob doctrinam Nattæ, & Doctorum, quos supra retuli: & idem dicendum videtur de pœnis, & crimine proditionis, & læsæ majestatis, ut procedant, etiam effectu non subsecuto, si directe fuerit damnum intentum, ut *Farin. quæst. 112. n. 213.*

CAPUT II.

Nunciantibus provisiones Ecclesiarum, in Curia Romana factas, donans aliquid, vel promittentes.

EX Bulla 4. Gregorii XI. *Solicite*, edita Avenione, quæ habetur in Bullario Laertii Cherubini, prohibetur, ne quis aliquid directe, vel indirecte donet, vel promittat, vel solvat illis, qui sibi provisionem, translationem, commendam, seu commissionem a Sede Apostolica factam cathedralium, vel monasteriorum nunciabunt, vel nunciari facient, sive nova portari; & contrarium præsumentes, incurrant excommunicationem Papæ reservatam.

Nota, quod aliqui putant, hanc Constitutionem pœnalem, etiam hodie esse in vigore, & illam recenset inter alias *Graff. lib. 4. c. 23. n. 3. & Collector Bononien. & Bonac. de cens. partic. disp. 2. quæst. 3. punct. 27. n. 2.* & facit, quod Bulla semel promulgata, semper præsumitur esse in suo vigore, & in viridi observantia, ut eam allegans, habeat intentionem fundatam, ut de magis communi testatur *Rol. a Valle cons. 90. n. 53. Beninten. decis. 13. n. 9. Joseph. Ludov. commun. opin. tit. de statut. conclus. 1. Mascard. de probat. conclus. 1332. n. 3.* etiam post mille annos, *Felin. c. 1. n. 19. de tregu. & pac.* et communem ait *Curt. Jun. consil. 129. n. 25. lib. 2. Gozadin. consil. 16. n. 11. Roman. cons. 260. n. 3. Tuscus verb. Lex concl. 257.* tamen verius, ait *Filiuc. tract. 15. cap. 5. quæst. 2.* hanc Constitutionem in desuetudinem abiisse, nam neque unquam hodie in Curia fit ejus mentio; et ideo puto, a Flavio Cherubino eam fuisse omissam in Bullario suo.

CAPUT III.

Nuncios Papæ offendens.

Vide *verbo Injuria.*

CAPUT I.

Oblationes Ecclesiarum, vel piorum locorum usurpans.

I. IN *cap. Hanc consuetudinem 18. quæst. 1.* Damasus Papa constituit, ut nullo modo, etiam prætextu consuedinis, oblationes, quæ intra Ecclesiam offeruntur, sub dominio laicorum detineantur, si in perpetua damnatione noluerint persistere. Si quis vero contra hanc regulam, scilicet, ejusdem Damasi, et Nicæni Concilii, temerarius præsumptor fuerit, et de cetero oblationes de sacris Ecclesiæ auferre molitus fuerit, anathematis vinculo fit colligatus, et condemnatus.

Hæc excommunicatio est latæ sententiæ contra præsumentes usurpare oblationes Ecclesiarum, *Archid. Turrecr. & Præp. ibid. Graff. lib. 4. cap. 24. n. 10. Suar. de relig. tom. 1. tract. 2. lib. 1. c. 5. n. 1. Barbos. alleg. 50. n. 170.* et est vera sententia, contra *Filiuc. tract. 14. n. 48.* qui putat, esse sententiæ ferendæ: sed ratio est manifesta, quia verbum *Sit* jungitur participio præteriti temporis, quo casu est latæ sententiæ, ut *gloss. in l. In criminali, ibi Doctores communiter, C. de jurisd. om. ju.*

Limita, quod licet in textu dicatur, *auferre molitus fuerit,* tamen requiritur ad incurrendam hanc censuram actus consummatus usurpationis, non solum attentatum, seu conatus, ut tenent Doctores omnes *supra cit. & Bona. de censur. particul. disp. 2. quæst. 2. punct. 1. n. 4.* quare particula *molitus fuerit*, intelligitur de dolosa usurpatione, scilicet per machinationem fraudulentam, ut *l. 1. ff. de dolo.*

II. Ex Concil. Trident. *sess. 22. cap. 11.* fertur excommunicatio, & aliæ pœnæ indicuntur latæ sententiæ contra clericos, & laicos, & patronos usurpantes bona, vel fructus, vel emolumenta, vel obventiones Ecclesiarum, vel piorum locorum, & contra impedientes, quominus percipiantur ab iis, ad quos pertinent: & illa excommunicatio est Papæ reservata: de quibus pœnis vide *infra verbo Usurpatio*: quæ pœnæ procedunt contra usurpantes oblationes, quia sunt comprehensæ ibi nomine bonorum, vel obventionum, vel emolumentorum, ut in terminis ait *Azor. tom. 1. lib. 7. c. 38. q. 16.*

III. Ex *Bulla in Cœna Domini cap. 17.* fertur excommunicatio, Papæ reservata, contra usurpantes proventus, pertinentes ad ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, vel beneficiorum. Nomine autem *proventuum* continentur oblationes, ut in terminis *Filiuc. tract. 16. n. 220. Ugolin. super eo cap. 17. Bullæ, §. 1. vers. Item excommun. in fin.* & procedit etiamsi oblationes illæ non essent a beneficiatis consumendæ, tanquam fructus, sed in opus, & beneficium Ecclesiæ collocandæ; quia verbum, *Pertinere*, intelligitur, sive ratione dominii, sive possessionis, sive custodiæ, vel administrationis pertineant, *Suar. de cens. disp. 21. sect. 2. n. 97. in fin. Ant. Sousa super cap. 17. Bullæ, disp. 88. n. 2. Ugolin. & Filiuc. ibi* & facit tex. in *leg. Verbum illud pertinere ff. de verb. Signif.*

CAPUT II.

Oblationem recipientes clerici ab usurariis manifestis.

IN *cap. Quia in omnibus de usur.* ex Concil. Lateran. statutum est, ut usurarii manifesti nec ad communionem admittantur altaris, nec christianam, si in hoc peccato decesserint, accipiant sepulturam; sed nec oblationes eorum quisquam accipiat. Qui autem acceperit, vel christianæ tradiderit sepulturæ, & quæ accepit, reddere compellatur, & donec ad arbitrium Episcopi satisfaciat, ab officii sui maneat executione suspensus. De hoc vide *infra verbo Usurarius c. 4. & verbo Sepultura c. 5.*

CAPUT III.

Oblationes raptorum, vel violatorum Ecclesiarum recipientes.

Vide *verbo Raptores*, *verbo Incendiarii*, *verbo Sacrilegium cap. 3.*

CAPUT IV.

Oblationem ab excommunicato, vel interdicto recipientes.

I. IN *c. Significavit* 18. *de sent. excom.* ait Clemen. III. cuidam Episcopo: clericos, qui scienter, & sponte participaverunt excommunicatis a nobis, & ipsos in officiis receperunt, eadem excommunicationis sententia cum ipsis non dubitamus involvi; quos etiam pro beneficio absolutionis habendo, ad nos volumus cum litterarum tuarum insinuatione remitti.

☞ *Circa hunc accessum vide notata pag. 162.* ☜

Hinc sequitur, quod clerici admittentes prædictos ad oblationem publicam ad altare, quæ fit inter missarum solemnia incurrunt majorem excommunicationem Papæ reservatam, si tales erant a Papa denuntiati nominatim, & scienter, & sponte illos admittant: supponimus enim, quod admittere ad istas oblationes, est admittere ad divina officia: & continentur nomine divinorum, cum inter missarum solemnia fiant, et aliquo modo inter missarum cæremonias numerantur, ut *Berous in c. Quia n. 22. de usur.* unde communicatio in oblationibus dicitur spiritualis, *Suar. lib. 1. c. 6. n. 3. tract. 2. tom. 1. de relig.*

Intelligitur autem dicta Constitutio contra recipientes excommunicatos a Papa, ut ab homine, non ut a jure, unde non sufficit, esse notorios clericorum percussores, *Coninch. de cens. disp. 14. n. 33. Sayr. lib. 2. c. 15. n. 20.* & de communi testatur *Felin. in c. Excommunicamus, il primo de heret. num. 3. circa medium*, est contra *Jo. Andr. in dict. cap. Excommunicamus*, qui ait, procedere etiam de excommunicatis a jure. Verum sufficit, quod denuntiati sint a Papa nominatim, etiamsi a jure fuerint excommunicati, *Henriq. lib. 13. c. 8. n. 2. Coninch. ibi*, *Bonac. de cens. in communi, tract. de excommun. quæst. 2. punct. 2. §. 2. in fin.*

II. Item recipere præsumens oblationes ad altare inter missarum solemnia a quibuslibet excommunicatis majori excommunicatione, vel interdictis non toleratis, incurrit interdictum ab ingressu Ecclesiæ, donec de transgressione hujusmodi ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempsit, satisfecerit competenter, ex *c. Episcoporum de privileg. in 6.* ut patet ex dictis supra *num. 1.* cujus pœnæ, & Constitutionis explicationem, vide supra *verbo Censura cap. 7. num. 2.*

III. Oblationem autem privatam, idest extra missarum solemnia, seu eleemosynam ab excommunicato vitando, idest nominatim denuntiato, vel notorio clerici percussore, quidam dicunt, non posse accipi, aut peti extra causam necessitatis, & alias incurri excommunicationem minorem ob communicationem cum excommunicato, *cap. Qui excommunicavit 11. quæst. 3.* sufficere autem dicunt, ad accipiendum, vel necessitatem corporalem recipientis, vel spiritualem dantis: ita tenent *gloss. verbo Præsertim in c. Cum voluntate de sent. excom. & ibi Abb. Felin. & Innoc.* & tenet *Sylvest. verbo Excommun. 5. n. 14. Reginal. lib. 32. n. 14. Alter. tom. 1. lib. 1. disp. 12. c. 4. vers. Sit tertia propositio*, *Barbos. in dict. c. Cum voluntate*, ubi conceditur prædicatoribus, ut ab excommunicatis accipere possint eleemosynas, si alias ibi non possint sustentari: ait autem *Marius Alterius ibi*, in hac transgressione, seu communicatione extra necessitatem, non esse peccatum mortale, sed solum veniale; quia non est actio specialiter prohibita, sicut est prohibita publicæ oblationis receptio, neque est ex genere rerum sacrarum, seu divinarum: sed alii dicunt, absolute licitum esse ab excommunicato vitando eleemosynam recipere, vel legatum, etiamsi det, ut oretur pro ipso, oratione scilicet privata tantum: & hanc esse ejus intentionem, in dubio supponendum dicunt *Armilla verbo Excommun. n. 55. Avila part. 2. c. 6. disp. 11. dub. 4. in fin. Mexica diff. 11. de excomm. Math. Nerutius in repet. canon. rub. de testam. n. 44. in fin. Imola c. 2. de testam.* quia adest semper utilitas spiritualis excommunicati, unde censetur permissa, per *dict. c. Cum voluntate*.

An autem liceat recipere eleemosynam pro missis ab excommunicato vitando: respondent omnes Doctores in *dict. cap. Cum voluntate*, non posse: ab interdicto autem recipi posse; quia non est prohibitum pro eo, etiam publice orare, quia per hoc non admittitur ad divina: ita *Vitalin. in Clem. 1. num. 79. de sepult. Sayr. lib. 5. c. 8. n. 23.*

CAPUT I.

Obligantes Ecclesias suas, vel eas obligandi facultatem concedentes, vel ære alieno gravantes, aliorum gratia.

IN *cap. 2. de solutionibus*, firmiter inhibetur, ne quis præsumat Ecclesiam sibi commissam pro alienis gravare debitis, aut litteras alicui, seu sigilla concedere, quibus possint Ecclesiæ obligari, decernendo, si secus fuerit attentatum, ad solutionem talium debitorum Ecclesias non teneri: si quis autem contra præmissa de cetero venire præsumpserit, ab administratione spiritualium, & temporalium noverit se suspensum.

Nota, quod hæc suspensio est ab officio jurisdictionis, & a beneficio, non autem ab officio ordinis, *Sayr. lib. 4. c. 7. n. 6. Henriq. lib. 13. cap. 32. n. 4. Filiuc. tract. de suspen. num. 23.*

Nota secundo, quod hæc pœna incurritur, etiam ob attentatum, idest concedendo alicui facultatem obligandi Ecclesiam, *Hostien. hic n. 4. Anan. n. 10. Jo. Andr. num. 3.*

Amplia primo, quod ait, Ecclesiam sibi commissam, ut contineat etiam commendatarios, & beneficiatos, seu aliter curam habentes alicuius Ecclesiæ, *Suar. de censur. disp. 31. sect. 3. n. 2. Abb. Jo. And. & Anton. Butr. in dict. c. 2.* imo etiam, si solam habeat procurationem, *Butr. num. 5. Jo. Andr. num. 1.*

Amplia secundo, quod ait, alienis debitis, ut procedat, sive mutuum accipiat nomine Ecclesiæ, ut det, vel expendat pro suis consanguineis, vel amicis, vel pro seipso extra causam necessariæ suæ sustentationis, *Abb. ibi*, *Butr. n. 11. Alter. tom. 2. disp. 12. c. 2. Sayr. lib. 4. c. 15. n. 14.* item si rector, seu administrator Ecclesiæ fidejubeat nomine Ecclesiæ pro alio, *Hostien. n. 1. Jo. Andr. n. 2.*

Amplia tertio, quod ait, litteras, vel sigilla concedens, ut si concedat alicui chartam album, ut obligatio redundet in Ecclesiam, *Abb. ibidem*, *Jo. Andr. num. 3.*

Limita, quod Episcopus non continetur in hac suspensione, cum ejus non sit facta mentio, *Suar. & Sayr. loco cit. Sylv. suspen. §. 6. vers. Decimo, per c. Quia periculosum de sent. excomm. in 6.*

Limita secundo, quod hæc suspensio non est reservata, sed potest ab Episcopo in foro externo, & a proprio confessario absolvi, satisfacta Ecclesia, *Marius Alter. loco cit.*

Limita tertio, ut non procedat in casibus a jure permissis; ut si administrator adeat hæreditatem sine inventario, nam Ecclesia illa tenebitur ultra vires hæreditatis, *gloss. in c. 1. verb. Debita, de solut. Rol. a Valle tract. de confec. invent. quæst. 12.* & de magis communi, & veriori testatur *Reta divers. part. 2. dec. 72. n. 49. 53. & 57.* sed est intelligendum, procedere pro foro externo, non interno, ut de magis communi *Cavall. cont. comm. quæst. 31. & 464. §. Sed contraria*: est tamen verum, quod Ecclesia potest petere restitutionem adversus inventarii omissionem, *Rol. a Valle dict. quæst. 12. n. 10.* & communem ait *Jas. in leg. fin. §. fin. n. 6. C. de jur. delib.* & sic neque in foro externo tenebitur ultra vires hæreditatis: quamvis autem testator prohibere possit hæredi adeunti beneficium, *leg. & inventarii*, ut *Rolan. a*

Val-

Valle, in eod. tract. testator an prohibere possit, & c. Cravet. cons. 174. n. 3. & seqq. ait communem; tamen favore Ecclesiæ hæc conditio, tanquam contra hunc tex. haberi debet pro non adjecta, leg. Conditiones contra, ff. de cond. inst. & dixi verbo Alienatio, c. t. in fin. quia in casu expressæ prohibitionis cessat ratio præsumptæ fraudis, in qua se fundat jus commune, ut Cevallos loco cit.

CAPUT II.

Obligatos ad ratiocinia, aut ære alieno gravatos ad Religionem, vel clericatum perperam admittentes.

I. Sixtus V. Constit. 71. *Cum de omnibus*, cum alia Constitut. seq. *Ad Romanum*, statuit, ut nemo ad Religionem quamcunque, nempe virorum, recipiatur, nisi præcedente scrutinio, & informatione de vita, & moribus; & quod constet, eum neque ære alieno ingenti supra vires facultatum suarum gravatum esse, neque reddendis ratiociniis ita obnoxium, ut ex hujusmodi causa lis, vel molestia eidem illata sit, vel timendum, ne inferatur: & siqui aliter admissi fuerint ad habitum, vel professionem, admissio, & professio sit irrita, & expellantur: religiosi autem quicunque, eorumque superiores contra prædicta admittentes, incurrant eo ipso privationem vocis activæ, & passivæ, officiorum, graduum, dignitatum, honorum, & inhabilitatem ad hujusmodi.

Sed postea Clemens VIII. Bulla 83. *In suprema*, derogavit ex parte Constitutioni Sixti V. auferens nullitatem professionis: informationem autem illam præmitti debere voluit ad licitam receptionem; pœnas vero præfatas restrinxit contra solos superiores admittentes contra formam præfatam Sixti V. non tamen locum habere voluit contra alios subditos, ut definitores, & capitulares, suffragium dantes, ut illicita fiat admissio ad habitum, vel professionem, ut patet ex *dict. Bulla Clemen.* §. 3. & 4. & notat *Suarez de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 7. num. ult.*

Amplia primo, ut in dictis Constitutionibus contineantur etiam religiosi militares Sancti Joannis, quia tria vota essentialia emittunt, *Sanch. in decal. lib. 4. cap. 19. num. 23.* quamvis contra *Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 3. quæst. 8. in fin.*

Amplia secundo, ut hic non fiat distinctio inter ratiocinia publica, vel privata, *Suarez num. 20. Sanchez num. 29.*

Amplia tertio, quod ingrediens Religionem in fraudem, vel cum gravi damno creditorum, secundum multos, tenetur venia petita, & obtenta, egredi a Religione, si constat, eum sine suo gravi damno spirituali posse, operando extra Religionem, satisfacere creditoribus, in Religione non posse, ita *Medina, Molin. & Angel.* quos sequitur *Layman lib. 3. tract. 2. c. 12. n. 7. coroll. 3. Suar. dict. c. 7. n. 4.* sed contra *Sanchez n. 15. Petr. Navarra lib. 4. c. 4. n. 96.* dicunt, egredi non teneri.

Amplia quarto, quod si votum habens Religionis intrandæ, postea debitis gravetur ex contractu oneroso, non potest ingredi Religionem; quia prævalet obligatio justitiæ ex contractu oneroso obligationi ex liberali promissione erga Deum, quæ tollitur mutatione notabili circumstantiarum, *Sanchez num. 11. Laym. num. 6.*

Limita primo, quod ingredi licite potest Religionem, qui gravatur debitis ex promissione gratuita, etiamsi nullo voto adstrictus ingredi velit, etiamsi ingrediendo impotens fiat solvendo, *Sanch. n. 28. Bonacin. de restit. dis. 1. quæst. ult. punct. 2. §. 1. num. 4.*

Limita secundo, ut ratiociniis obnoxius, vel debitis gravatus, ingredi possit Religionem, si ejus patrimonium sufficiens sit ad satisfaciendum, illudque applicet creditoribus, & dummodo ratiocinia sint clara, ut non possit adesse magna molestia, *Salz. ad Diaz in praxi cap. 20. n. 6.* vel si det cautionem idoneam, nempe pignoratitiam, vel fidejussores, qui renuntient beneficio ordinis, & discussionis, *Abb. in c. 1. n. 10. de oblig. ad ratioc. Salz. cap. 20. n. 6.* vel si creditores consentiant ingressui, *Sanch. n. 27.* vel si esset debitor incertarum personarum, *Sanch. n. 4. & 24. cum multis DD.* vel si constet, quod etiamsi maneat in seculo, non poterit unquam satisfacere, cum non sit spes, quod ad pinguiorem statum perveniat, dummodo prius concedat bona, quæ tunc habet creditoribus, cum renuntiatione omnium jurium, & actionum ad eorum fautorem, *Sanch. n. 26. Laym. tract. de restit. cap. 12. n. 6. cum aliis.*

Adverte, quod in hoc casu aliqui dicunt, prius petendam licentiam a judice proprio, causa cognita, *Gabriel in supplem. in 4. dist. 38. quæst. 2. art. 3. conclus. 3.* alii dicunt, sufficere, si causa cognoscatur a Prælato, & capitulo, qui faciunt scrutinium, *Suar. loco cit. n. 2.* ego puto, si timeatur molestia in foro externo, utrunque requiri.

Limita tertio, quod quilibet obligatus curiæ, seu reipublicæ ad aliquod officium publicum exercendum, ut magistratus, judicis &c. etiam cum juramento, potest nihilominus ingredi Religionem, & admitti, si constat, eum bono zelo moveri, sed post dimissum officium, & rationibus redditis, scilicet satisfacta parte, *per can. un. 53. dist. & can. Multos 54. dist. can. Duæ sunt 19. quæst. 2.* & Canonistæ communiter ibidem, *& Innoc. in rub. de oblig. ad ratioc. Cardin. & Anchar. in dict. cap. un. de obl. ad ratiocin.* sed intellige verum, si non perpetuo se tali officio obligavit, ita *Archid. in cap. Præterea 51. dis. & ibi Præp. n. 3. Host. in dict. c. un.* tunc enim non potest ingredi: & idem dicunt Canonistæ, & canones citati de militibus, posse ingredi Religionem, si tamen non se obstrinxerint juramento ad perpetuo militandum pro Principe, sub stipendio publico; tunc enim miles est quasi servus, & non potest ingredi Religionem, nisi cum licentia sui Principis: ita *Archid. Hugo, et Turrecr. in dict. c. un. 53. dist. Præpos. ibi n. 6.*

II. Ex *cap. Legem 53. dist. et cap. un. de oblig. ad ratiocin.* & ex utrobique tractatis a Canonistis, habetur, quod obligati ratiociniis publicis, scilicet ex officio publico gesto, non possunt ad ordines promoveri, nisi officio peracto, & ratiociniis redditis: ratiociniis autem privatis, idest ex administratione privata, seu officio privato obligati, possunt ordinari, seu clericari post administrationem secularem depositam, si non sit contra eos idcirco mota lis, vel facile moveoda, de dolo malo, *Abb. in dict. c. un. Salzedo ad Diaz cap. 20. n. 3.* ubi ait communem, *Barbos. in dict. c. un. Tolet. lib. 1. c. 60. n. 2. et 3. Sayr. lib. 6. de censur. cap. 14. n. 8.* in dubio autem decocti, seu falliti præsumuntur fraudatores, nisi probent casum fortuitum, ut *Bal. cons. 382. n. 19. et 20. vol. 5. Rot. Genuen. decis. 17. n. 14.* & ideo infames fiunt eo ipso infamia facti; quod si super ea causa pacti, vel condemnati fuerint, infamiam juris incurrunt, ut late docet *Strac. tract. de decoctoribus par. 3. n. 2.*

Addit *Majol. lib. 2. cap. 11. n. 4. Ugol. de irregul. cap. 58. n. 9.* non esse promovendos, etiamsi non arguantur de dolo; si tamen ingenti ære alieno remaneant obstricti, cum periculo gravis, & diuturnæ, & inextricabilis litis: & hoc verissimum puto.

Limitant autem DD. supra citati, præsertim *Salzedo, & Barbosa, ubi supra*, quod etiam publicis ratiociniis obstrictus potest ordinari, si fidejussores dederit, ut supra dixi, vel si jam erat clericus, quando suscepit officium.

Sed nota, quod damnatus ex ratiociniis publicis, *leg. Jul. repetundarum, vel l. Julia peculatus*, scilicet de dolo interveniente, efficitur ipso jure infamis, & irregularis: similiter ex ratiociniis privatis damnatus de dolo, seu ratione doli, fit ipso jure infamis, & irregularis; quia sunt judicia famosa, ut *leg. 1. ff. de his, qui not. infam.* & dixi *par. 1. cap. 33.* neque relevaret datio fidejussorum, *Ugolin. loco citato vers. Secundo excipitur, Salzedo, ubi sup. n. 4.*

Nota secundo, quod promotus ad clericatum, quando imminet contra eum actio de dolo, ut supra, deponendus est, *gl. in c. Tantis 81. dis. ibi Archid. Sayr. lib. 6. cap. 14. n. 8.* & de communi testatur *Salzedo dict. cap. 20. n. 3.*

Nota tertio, quod promotus, ut supra, in fraudem creditorum, idest non absolutis ratiociniis, non ideo deponendus, etiamsi contradicente creditore promotus sit, sed ejus bona in solutum creditoribus danda; & si non sufficiant, Episcopus, si eum scienter ordinavit, tenetur in subsidium creditoribus, *gl. in dict. c. un. & ibi Abb. n. 7. Tolet. lib. 1. cap. 60. n. 3. Sayr. n. 8.* & communem ait *Cardin. in dict. c. un. quæst. 2.* quod est verum, si ille manens in seculo, amplius satisfacere potuisset, ita *citati DD. Præp. in c. Præterea n. 3. 51. dist.*

CAPUT I.

Ordines ante ætatem legitimam recepti, vel collati.

Nota, quod ætas requisita ad primam tonsuram est septem annorum completorum, *tex. & gloss. & DD. in c. fin. de temp. ordin. in 6. Garzias de benef. par. 7. cap. 4. n. 6. Sanch. opusc. lib. 7. cap. 1. dub. 33. n. 15.* & in hoc ho-

hodie nulla est differentia inter seculares, & regulares, *Majol. lib. 1. cap. 30. n. 7. Sylv. verb. Ordo 4. n. 1. in fine*.

Ad tres primos minores ordines similiter requiritur septennium completum, *cap. In singulis, ibi gloss. 77. dist. Garzias n. 7. Sanch. n. 15. & 16.* nullus tamen illorum beneficia ecclesiastica ante decimum quartum annum obtinere potest, citra dispensationem, *Triden. sess. 23. cap. 6. vide Garz. par. 7. cap. 4. n. 7. & 8.* & solus Papa dispensat: excipe etiam, nisi in fundatione beneficii fuisset cautum, ut minori 14. annis conferri posset, ut declaravit Sacra Congregatio, relata *a Garz. n. 9. Eman. Sà verb. Beneficium, n. 30. Rota part. 2. recent. decis.* 194.

Ad Acolythorum ordinem aliqui dicunt requiri annum 14. per *tex. in dict. cap. In singulis, & ibi gloss. verbo Quatuordecim, Sayr. lib. 6. cap. 12. n. 6. de censur.* alii dicunt requiri 12. annos, *Tolet. lib. 1. cap. 61. n. 1. Eman. Sà verbo Ordo n. 20. Reginal. lib. 30. tract. 2. n. 60. Filiuc. tract. 9. n.* 8. sed communis sententia ait, sufficere septennium completum arbitrio Ordinarii, *Cuccus lib. 4. inst. tit. 12. n. 11. Garzias loco cit. Sanch. n. 17.* ubi multos allegat, & *Bonac. de sacr. ordin. punct. 5. n. 12. Diana resol. 29. miscell. 2. par. 1.*

Ad Subdiaconatum hodie est ætas 22. annorum, ad Diaconatum 23. ad Presbyteratum annorum 25. *Trident. sess. 23. cap. 12. de reform.* & sufficit annus cœptus, *Navarr. cap. 25. n. 116. Salzedo ad Diaz in praxi cap. 26. super verbo Ante legitimam ætatem, Sanch. loc. cit. n. 4. qui n. 7.* ait, sufficere diem primam anni cœptam esse, quia in favorabilibus dies cœpta habetur pro completa.

Ad Episcopatus ordinem requiritur trigesimus annus completus, Alexander III. in Concilio Lateranensi, ut habetur *in cap. Cum in cunctis, vers. Ea propter, de elect. Garz. par. 7. cap. 4. n. 76.*

I. Defectus ætatis legitimæ, ut supra requisitæ, reddit irregularem, ne ad talem ordinem citra grave peccatum promoveri possit, neque in male suscepto ministrate, ut de communi testatur *Sayr. lib. 6. cap. 12. n. 14. Garzias par. 2. cap. 5. n. 51.* non tamen est proprie ista irregularitas; quia tempore auferri potest sine dispensatione, sed est impedimentum canonicum, seu defectus conditionis requisitæ, *Garzias par. 7. cap. 8. n. 65.* & super hac irregularitate solus Papa dispensat, ut de communi testatur *Sayr. loco cit.*

II. Recipiens sacros ordines, seu majores, ante legitimam ætatem malitiose, id est, non bona fide, incurrit ipso facto suspensionem: & si hujusmodi suspensione durante, ministret in eisdem ordinibus, fit irregularis: præterea talis ob prædictum crimen potest ecclesiasticis beneficiis privari: hæc statuta sunt ex Bulla Pii II. septima, *Cum ex sacrorum*.

Limita, quod hæc suspensio est solum quoad ordines sic male susceptos, non autem absolute etiam quoad alios antea rite susceptos, *Suar. de censur. disp. 31. sect. 1. n. 31. Marius Alter. tom. 2. disp. 10. cap. 1. dub. 2. Filiuc. tract. 17. n. 85. Bonac. de suspens. partic. quæst. 1. punct. 1. n. 8. Henriq. Avila, Villalob.* quos allegat *Diana resol. 182. tract. 4. tom. 2.* contra *Navarr. Roderic. & alios ibidem*.

Limita secundo, quod non procedit in recipiente consecrationem episcopatus, ut *Suarez n. 29. Alterius dub. 3. Bonac. n.* 10.

Limita tertio, ut non procedat in promoto bona fide, *Rota recen. par. 2. decis.* 200. *Cavaler. decis.* 1. ut si credidit dicto, seu assertioni matris, quæ præsumitur habere veram notitiam ætatis filiorum, habet enim justam causam credendi, *Rota dec. 200. n. 3. par. 2. rec.* Imo putant multi ad hanc suspensionem incurrendam, requiri præsumptionem, seu scientiam, vel ignorantiam affectatam: ita *Tolet. lib. 1. cap. 61. vers. Hæc tamen, Navarr. cons. 27. n. 155. Suar. disp. 31. sect. 1. num. 26. Avila par. 3. disp. 5. dub. 7. §. Pro intelligentia*: probant, quia ea Constitutio fertur ad temeritatem reprimendam, ut patet ex proœmio: sed alii putant, sufficere ignorantiam crassam, *Layman de sacram. Ordinis cap. 16. §. Quartum, Miranda tom. 1. quæst. 39. art. 6. §. Solummodo*, & tenet *Bonac. punct. 1. n. 3.* & hæc est verior sententia; quia Bulla ista quoad incurrendam suspensionem, non utitur verbo, præsumpserint, aut alio significante scientiam: item neque requiritur scientia ad incurrendam irregularitatem, celebrando in censura hujus suspensionis; quia de jure communi sufficit mala fides, v. g. quod dubitet, se esse suspensum, ut dixi *sup. verb. Censura cap.* 11. etiam quod hæc Bulla in hoc utatur verbo, præsumpserit, quia per hoc non censetur corrigere jus commune; quoniam juris communis correctio non est inferenda per tacitos, & subanditos intellectus, *gloss. in cap. Cupientes, §. Quod si per viginti de elect. in 6. Nec obstat Rota decis. 200. n. 2. par. 2. recent.* ubi in terminis ait, ad hanc irregularitatem incurrendam requiri dolum, & contemptum; quia Bulla Pii II. utitur verbo, præsumpserit, quia respondeo, quod Rota loquitur pro foro externo, in quo dolus, & contemptus præsumitur, ubicumque non allegatur causa probabilis ignorantiæ a celebrante in censura, ut dixi *cap. 11. verb. Censura*.

Limita quarto, quod hæc censura non est reservata, ut patet ex eadem Bulla, & notat *Bonac. n.* 11. & quod non sit perpetua pœna, sed proprie censura, ait *Suar. n.* 24. & licet ex Bulla Sixti V. 91, *Sanctum, & salutare*, promotus ante ætatem incurreret absolute suspensionem, Papæ reservatam, & alias pœnas; tamen ea Bulla quoad hæc fuit abrogata, & redacta ad terminos juris communis per Bullam Clem. VIII. 40. *Romanum Pontificem*, quam habes apud *Quaranta, verbo Ordo pag.* 387.

III. Ordines minores recipiens ante ætatem, secundum communem, & veram sententiam, non est suspensus suspensione proprie dicta, sed suspendendus, per *cap. Vel non est compos, de temp. ordin. Bernard. Diaz cap. 26. in princ.* ubi plures allegat, & communem testatur *Salzedo ibi, verbo Ante ætatem*, ubi alios addit Auctores; & tenet *Suar. disp. 31. sect. 1. n. 23.* unde ante sententiam suspensionis, etiamsi ministret in susceptis, non fit irregularis, *Avila disp. 5. de suspens. dub. 7. §. Petes, Filiuc. tract. 19. n. 175. Cuccus lib. 4. instit. tit. 12. n. 19. Bonac. q. 1. de suspens. particular. punct. 1. n. 3.* & quamvis Sixtus V. *prædicta Constitutione* imposuisset etiam ordinatis in minoribus ante ætatem, pœnam suspensionis, & alias pœnas latæ sententiæ; tamen fuit, ut dixi, ea Constitutio abrogata a Clemente VIII. Bulla autem Pii II. supra citata, cum sua suspensione, non procedit contra promotos ad minores ante ætatem, *Cherub. ibi schol. 2. Navarr. cap. 25. n. 70. Sayr. lib. 6. cap. 12. n. 9. Bonac. de suspen. particularibus q. 1. punct. 1. n. 2.*

IV. Ordines recipiens ante ætatem septem annorum, idest si nondum erat rationis usum assecutus, secundum aliquos, non recipit Sacramentum; ita *Scotus Durand. et Paludanus apud Sanchez in opusc. lib. 7. cap. 1. dub. 32. n. 1.* sed contraria est communis, & vera, ut *Sanchez ibi cum S. Thom.* & aliis plurimis Doctoribus, & idem *Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 30. n. 4. & seq.* & hanc esse communem sententiam Theologorum, & Canonistarum testatur *Toletus lib. 1. cap. 61. versic. Est autem*, & probatur *cap. un. & ibi gloss. not. verb. Discretionis, de cler. per salt. promoto*.

Adde, quod ordinatus ante usum rationis, seu ante septennium, fruitur privilegio canonis, & fori tantum, *Navarr. cap. 27. n. 202. Sanchez loco cit. in opusc. n. 2. in fine*. An autem ordinatus in sacris ante usum rationis, vel ante pubertatem, doli capax, teneatur voto castitatis annexo, vide *Sanchez de matrim. disp. 30. lib. 7.* ubi *n.* 8. concludit, non teneri, nisi pubes effectus, ratificaverit: an autem teneatur recitare officium, si non ratificet, negative respondet *Sanch. n. 12. ibid.*

☞ *Ita etiam respondit Bened. XIV. in Instructione super dubiis ad Ritus Ecclesiæ, & nationis Cophtorum Constitut.* Eo quamvis 4. *Maji* 1745. §. 20. *& seqq.* ☜

V. Episcopus, aut alius Prælatus conferens ordines alicui ante ætatem legitimam, olim ex Bulla Sixti V. supra citata, incurrebat diversas censuras, & pœnas: sed ea Constitutio, ut dictum est, fuit abrogata a Clem. VIII.

De jure autem communi ordinans ante ætatem, non est ipso jure suspensus, sed suspendendus a collatione ordinum, *cap. Vel non est compos, de temp. ordin. Majolus lib. 1. cap. 30. n. 9. cum Sylv. & Tabien. & Tolet. lib. 1. cap 61. colum. 3.* sed conferens primam tonsuram ante ætatem, idest ante septennium completum, incurrit suspensionem per annum a collatione primæ tonsuræ, per *cap. fin. de temp. ordin. in 6.* & procedit tam contra Episcopos, quam inferiores Prælatos: sed non procedit, quando confertur tonsura infanti, Religionem ingressuro, ut patet ex *eod. tex.* scilicet quando oblatus est a parentibus Religioni, ut *gloss. ibi & Gemin. n. 6. Suar. de cens. disp. 31. sect. 5. n. 2.* sed hodie probabilius est, ante septennium conferri non posse primam tonsuram religiosis, sive Religionem ingressuris, ex Trident. *de reform. sess. 23. cap. 4. Majol. lib. 1. cap. 30. n. 7.* illa autem decretalis non procedit contra conferentem majores, vel minores ordines, sed solum si primam tonsuram, *gloss. ibi*,

verbo

verbo *Dumtaxat*, *& Gemin. ibid. Suar. loco cit. n.* 3. contra *Sylv. Sotum*, *S. Anton.* & alios, quos sequitur *Filiuc. tract.* 9. *n.* 84. Hæc suspensio est reservata Papæ intra annum: poterit tamen, si casus sit occultus, absolvi Episcopus a suo confessario, si ei ipse det talem facultatem, vigore Concil. Trid. *sess.* 24. *c.* 6. *de reform.* ut dixi *par.* 1. *cap.* 24.

An autem incurrat irregularitatem Episcopus, seu Prælatus, si conferat alicui primam tonsuram contra dictam suspensionem, Doctores affirmant; quia hic est actus ordinis episcopalis, ita *Rebuff. in praxi tit. De clerico ad sacr. male prom. gloss.* 1. *n.* 4. *Marius Alterius disput.* 10. *c.* 2. *col.* 2.

Adverte tamen, quod Prælatus in ea suspensione non prohibetur concedere dimissoriales subdito, ut ab alio Episcopo primam tonsuram accipiat, *Joan. Andr. & Gemin. in dict. cap. final. in fin.*

CAPUT II.

Ordo bigamo, vel publico pœnitenti collatus.

ORdinans bigamum, aut publice pœnitentem, secundum aliquorum opinionem, est suspensus per annum a missando, idest, a celebratione missarum, per *cap. Nullus pœnitentem* 55. *dist.* tenet *Navarr. cons.* 3. *&* 4. *de bigamis*, *Barbos. allegat.* 111. *n.* 15. *& Sayr. lib.* 4. *cap.* 12. *n.* 20. *cum Angel. Sylv. Tabien. Asten. Henriq. & Vivaldo*: contraria tamen sententia verior est, quod scilicet nulla sit suspensio latæ sententiæ, sed ferendæ, contra ordinantem, ex dicto *tex.* ita *Avila par.* 3. *disp.* 5. *dub.* 8. §. *Septimus*, *Bonac. de suspens. particularib. q.* 2. *punct.* 6. *Garzias de benefic. par.* 7. *cap.* 6. *n.* 6. ubi ait, sic declaratum a Sacra Congregatione Concilii.

Amplia, quod dictum est, quod bigamus est irregularis, ut procedat etiam in bigamia interpretativa, quando maritus copulam habuit cum sua uxore post adulterium, ab ea commissum, *cap. Si cujus*, *ibi Canonistæ* 34. *dist.* sed requiritur, quod sit certum adulterium, *dict. cap. Si cujus*, *& ibi Archid. in fin. Prep. in princ. Eman. Sà verb. Irregul. ex bigamia n.* 3. sufficiunt tamen violentæ præsumptiones; ut si nuda cum nudo, vel ambo in lecto reperti, *cap. Litteris de præsum.*

Bigamus autem ordinatus in minoribus, sive ante, sive post bigamiam contractam, tanquam purus laicus habendus est; est enim privatus omni privilegio clericali, nec potest incedere in habitu, & tonsura; alias excommunicandus, *cap. un. de bigam. in* 6. posset tamen exercere ordines minores eo modo, quo laici ex consuetudine possunt exercere, ita *Layman lib.* 1. *tract. De irregul. cap.* 6. *n.* 7.

Quod autem dictum est de publico pœnitente, intelligendum est de solemni pœnitentia, quia hæc reddit irregularem, *S. Thom. in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 1. *art.* 5. *quæstiunc.* 1. *ad* 3. *Covarr. in Clem. Si furiosus par.* 1. *n.* 10. *de homic. Bonac. loc. cit. n.* 4. secus si sit pœnitentia publica, sed non solemnis: de qua re vide *supra par.* 1. *cap.* 33. §. *Quinto modo.*

Adverte, quod Bulla Sixti V. contra male promotos 91. *Sanctum*, statuit, ordinantes bigamum incurrere in suspensionem ipso facto; sed ea Bulla in hac parte abrogata fuit a Clem. VIII. ut dixi *supra cap.* 1. & notat *Garzias ibid. num.* 11.

An autem Episcopus hodie possit dispensare cum bigamo, saltem cum jam promoto, v. g. si clericus in minoribus duas successive ducat uxores virgines, vel unam viduam; communiter antiquiores affirmant: sed contra tenent recentiores cum S. Congregatione; ut *apud Garziam par.* 7. *cap.* 6. *de bigamis n.* 5. *et* 14. *Bonac. de irregul. quæst.* 2. *punct.* 5. *n.* 15. *Filiuc. tract.* 19. *n.* 127. *Laym. de irregul. cap.* 6. *n.* 7. *Barbos. in cap. Super*, *n.* 5. 6. 7. *de bigam.*

CAPUT III.

Ordo conjugato collatus.

LIgamen matrimoniale reddit irregularem hominem in Ecclesia Latina, ut durante eo vinculo, promoveri ad ordines non possit, *cap. Uxoratus*, *de convers. conjug.* atque nec primam tonsuram recipere debeat, alias peccat mortaliter, *cap. Nullus*, *de temp. ordin. in* 6. *Sanch. lib.* 7. *de matrim. disp.* 38. *n.* 6. in Ecclesia autem Græca non est irregularis conjugatus, sed potest promoveri ex consuetudine, in quam Romani Pontifices consensere, *cap. Alter*, 31. *dist. cap. Syracusana* 28. *dist. cap. Cum olim de clericis conjug. Sanch. lib.* 7. *disp.* 28. *n.* 4. *et seq. Layman de sacr. Ordinis*, *cap.* 11. *n.* 9. item potest promoveri in Ecclesia Latina conjugatus cum consensu uxoris voventis continentiam, vel ad Religionem transeuntis, ut *cap. Conjugatus*, *de convers. conjug. Sanch. lib.* 7. *disp.* 39. item in iis casibus, quibus merito licitum est divertere ab uxore per separationem, quoad thorum, & habitationem, invita uxore, ut ob adulterium, vel sævitiam, vel hæresim uxoris, dummodo divortium sit factum absolute, & perpetuo judicio Ecclesiæ, *Sanch. lib.* 10. *disp.* 11. *n.* 16. *et disp.* 18. *n.* 48. *disp.* 25. *n.* 22.

I. Promotus ad ordines, etiam sacros, invita uxore, in casibus non permissis, potest ab uxore revocari, si illa non ratum habuit *Extrav. un. de voto*; nisi ipse matrimonio non consummato, velit Religionem approbatam ingredi, & in ea solemniter per tria vota essentialia profiteri: & ad talem ingressum debet Episcopus promotum ad sacros, matrimonio nondum consummato, admonere; quod si ingredi nolit, cogi potest ab uxore ad consummandum matrimonium, sed ea uxore præmoriente, ipse in sacris (ut supra) ordinatus, non potest aliam ducere uxorem: hæc omnia in dicta Extrav. habentur: & vide *Sanchez lib.* 7. *de matrim. disp.* 38. *per tot. et Barbosam in dict. Extrav.*

II. Promotus ad ordines sacros, invita uxore, in casibus non permissis, amittit jus petendi debitum, sed tenetur reddere, *Sanch. lib.* 7. *disp.* 38. *n.* 22. *et lib.* 9. *disp.* 35. *n.* 25. *Gutier. de matrim. cap.* 96. per *cap. Quidam*, *et cap. Placet*, *de convers. conjug. et ibi Canonistæ.*

III. Promotus ad ordines sacros, constante matrimonio, extra casus a jure permissos, est irregularis ex delicto, ut neque soluto matrimonio, possit in susceptis ministrare, nec ulterius promoveri, nec beneficia obtinere, *dict. Extrav. un. de voto*, *Sanchez lib.* 7. *disput.* 40. *n.* 2. *de matr. Sayr. lib.* 4. *cap.* 14. *n.* 28. *Barbosa in dict. Extravag. n.* 7. & alii per eos allegati: sed ad has pœnas incurrendas requiritur dolus, seu scientia, vel ignorantia affectata; quia textus loquitur de præsumentibus, *Sanch. ibi n.* 3. cum aliis adductis; neque procedit, si matrimonium fuit irritum, *Sanchez n.* 4. Super irregularitate, & inhabilitate dispensare potest diœcesanus Episcopus, si taliter promotus postea canonice Religionem, ut supra, ingrediatur, & in ea profiteatur, v. g. soluto matrimonio, aut cum consensu uxoris, seu alias in casibus a jure permissis supra relatis, ut patet ex eadem Extrav. & *Sanch. dict. disp.* 49. *n.* 8. cum ibi adductis.

IV. Promotus ad minores ordines, constante matrimonio, extra casus a jure permissos, secundum aliquos est irregularis, si Episcopo inscio, seu impedimentum hujusmodi non advertente, promotus fuerit, *Sayr.* hanc tenet sententiam *lib.* 6. *c.* 14. *cum Majolo*: sed contraria sententia est verior, nullam pœnam esse in jure latæ sententiæ contra taliter promotum, *Sanch. ibid. n.* 9. & quamvis Bulla Sixti V. 91. *Sanctum*, statuerit contra sic promotos pœnam suspensionis latæ sententiæ; tamen illa Constitutio fuit abrogata per Constitut. 40. Clementis VIII. ut notat *Sanchez ibid. n.* 10.

V. Conjugatus, si clericus efficiatur, et actu serviat Ecclesiæ, et incedat in habitu, et tonsura, duo tantum habet privilegia clericalia, scilicet canonis, et fori ecclesiastici in causis criminum; non autem privilegium exemptionis ab oneribus quoad bona; neque beneficia potest obtinere, ex Trident. *sess.* 23. *c.* 6. *de reform. Sanch. lib.* 7. *disp.* 46. *n.* 1. *Garz. par.* 2. *c.* 2. *n.* 16. *Babos. alleg.* 12. *n.* 25.

VI. Ordinatus in sacris, vel minoribus, constante matrimonio, vel ordinatus in minoribus ante contractum matrimonium, potest cogi ab Episcopo, instante ad hoc uxore, ut habitum clericalem dimittat; quia potest talis habitus uxori scandalum, seu aversionem generare, *cap. Joannes de cleric. conjug. Sanch. lib.* 9. *disp.* 3. *n.* 9. et tunc omnino erit privatus privilegiis clericalibus, ut DD. allegati *numero praeced.* cum Trident.

VII. Episcopus, aliusve Prælatus conferens primam tonsuram viro conjugato, incurrit suspensionem a collatione primæ tonsuræ per annum unum, *c. fin. de temp. ordin. in* 6. non tamen procedit hæc pœna contra promoventem conjugatum ad minores ordines, secundum veriorem sententiam, ut dixi *supra verbo Ordo*, *cap.* 1. *n.* 5.

CAPUT IV.

Ordo collotus censura excommunicationis, suspensionis, vel interdicti ligato.

EX *cap. Cum illorum* 32. *de sent. excom.* clerici seculares, si scienter se faciunt promoveri in excommunicatione positi, iodispensabiles sunt, et a susceptis ordinibus sunt deponendi; si vero ex ignorantia juris, vel facti id fecerint, a solo Papa dispensabiles sunt: religiosi autem, si se scienter fecerint promoveri in contemptum ecclesiasticæ disciplinæ, maneut suspensi ab executione ordinis suscepti; si vero ex ignorantia juris, vel facti id fecerint, possunt a suo Prælato dispensari, pensata monasterii utilitate, pœnitentia peracta; nisi tameo factum sit enorme, ob quod in excommunicationem inciderant, aut nisi ex circumstantiis contra eos de scientia præsumi debeat; tunc enim a Prælato non poterunt dispensari.

Advertendum, quod ista decretalis diversimode intelligitur a Doctoribus: nam aliqui dicunt, ex hoc textu colligi, quod recipiens ordines positus in excommunicatione, est irregularis: hanc tenent Summistæ communiter, et *Majol. l.* 4. *c.* 34. *n.* 2. 3. *&* 4. *Tolet. lib.* 1. *c.* 71. §. 1. *Bernord. Diaz c.* 13. *praxis*, *Abbas in dict. c. Cum illorum n.* 14. *Barbos. ibi n.* 3. et commuoem testatur *Sayr. lib.* 7. *c.* 10. *n.* 13. alii vero dicunt, non incurrere irregularitatem, sed suspensionem, quæ non est proprie censura, sed pura pœna, de sui natura perpetua, æquivalens irregularitati; et ideo non dicitur absolvi, sed dispensari: quod si promotus ministret solemniter in illa, tunc fiet irregularis; et hanc tenent *Covar. in cap. Alma par.* 1. §. 6. *n.* 6. *Suar. de censur. disp.* 31. *sect.* 1. *n.* 57. *Coninch. disp.* 14. *n.* 32. *Less. lib.* 2. *cap.* 34. *n.* 97. *Barbos. de pot. Episc. allegat.* 47. *n.* 2. *Borgas. de irregul. part.* 6. *tit. de cleric. excommun. ministr. n.* 3. *pag.* 306. et alii recentiores, apud quos est magis communis sententia.

Amplia primo, ut procedat illa decretalis non solum in promoto in excommunicatione, incursa ob percussionem clerici, de qua est casus ibi, sed in quacunque alia excommunicatione majori: ita *Abb. & Jo. Andr. in ea decretali*, *Diaz c.* 13. *in princ.* et alii commuoiter.

Ampliant secundo multi, ut procedat contra promotum in suspensione, vel interdicto: ita *Angel. irregul.* 1. *n.* 22. *Sylvest. irregul. quæst.* 2. *Tabiena irreg.* 4. §. 5. *Navar. c.* 27. *n.* 242. *in princip. Majol. lib.* 4. *c.* 34. *loco cit. Toletus*, *& Diaz loc. cit. & alii*: et facit, quia ipsa promotio ad unum ordinem habet ministrationem in eo, vel in inferiori, saltem virtualem; sed alii dicunt, non procedere, nisi contra promotum in excommuoicatione majori, *Abbas in ea decretali n.* 1. *Felin. n.* 1. *Anchar. in princ. Armilla irregul. n.* 77. *Sayr. loc. cit. n.* 13. *& lib.* 4. *c.* 16. *n.* 2. *Suar. Covarr. Borgas. & Coninch. loc. cit.* et ratio est, quia sumus io odiosis, et quia dicunt, non esse veram rationem supra relatam, quod censeatur ministrare in eo ordine suscepto, vel inferiori: itaque dicunt, promotum in suspensione noo incurrere irregularitatem, nisi postea ministravit.

Ampliant etiam DD. ex magis communi, ut procedat non solum in promoto ad sacros, verum etiam ad minores: ita teuent *Angel. Sylv. Tab. Armil. Tolet. Diaz ubi supra Suar. n.* 58. *Borgas. ubi supra*, *Layman de sacr. ordin. c.* 10. *in fin. Barbos. Coninch. ubi supra*, *Cuccus instit. lib.* 4. *tit.* 12. *n.* 151. etsi alii dicaot, solum procedere contra promotum ad sacros: ita *Avila par.* 7. *disp.* 9. *sect.* 1. *dub.* 6. *Navar. cons.* 48. *de sent. excom. Roderic. in summa c.* 168. *conclus.* 4. *Eman. Sà*, *verbo*, *irregul. ex ordinis abusu n.* 1. de initiato vero prima tonsura omnes conveniunt, non contineri in ea decretali; quia prima tonsura non venit nomine ordinum in odiosis, *Navar. cons.* 28. *de sent. excom. Avila loco cit.* §. *Hinc sequitur*, *Suar. n.* 58. *Filiuc. tract.* 17. *n.* 94. & idem dicunt de episcopali consecratione, ut *Filiuc. ibi Bonac. de suspens. in communi disp.* 3. *punct.* 5. §. 1. *n.* 10.

Limita, ut non procedat ea decretalis, & pœna contra promotum bona fide, ut *Navar. in summa loc. cit. Suar. n.* 59. *Covar. Avila*, *Coninch. Laym. Filiuc. ubi supra*, est communis.

Limita secundo, ut non incurrat is, qui per euodem actum promotionis ad eum ordinem incurrit in excommunicationem, vel aliam censuram, v. gr. cum quis ordinatur contra prohibitionem factam sub pœna excommunicationis, ipso facto incurrendæ, vel ordinatur sine licentia sui Ordinarii, aut ante ætatem: quia nun dicitur tunc promoveri in excommunicatione, vel suspensione; cum prius natura sit, eum complete ordinem suscepisse, & posterius censuram incurrisse: & verum est, etiamsi ad sacerdotium promotus, concelebrarit ordinanti; quia actus ordioationis nondum erat completus usque ad fioem Missæ; ita *Avila part.* 3. *de suspens. disput.* 5. *dub.* 7. *pag.* 251. §. *Petis utrum*, *Suar. de cens. disp.* 31. *sect.* 1. *n.* 71. *&* 72. *Roderic. in summa par.* 1. *c.* 68. *concl.* 2. *Henriq. lib.* 14. *de irregul. cap.* 3. §. 6. *Quaranta verbo Ordo*, *col.* 2. §. *Ampliatio illa*, *Sayr. lib.* 4. *c.* 16. *n.* 23. est contra *Covar. Majorem*, *Navarrum*, *& Sorbum apud Sayr. ibi allegatos*, & contra *Salcedo ad Diaz in praxi c.* 26. §. *Quinto non incongrue*, *pag.* 127.

An autem idem dicendum sit de ordinato ad alios ordines, exercente ordinem tunc susceptum solemniter, ut si Diaconus canat Euangelium, vel Subdiaconus Epistolam? respondet *Avila loc. cit.* tunc fieri irregularem; quia ordinatio illius jam erat completa: sed contra *Suar. ibid. n.* 72. quia illa ministratio est actus accessorius ad actum ordinationis, qui moraliter non completur, nisi cum tota missa celebrantis; & quia non censetur posse se excusare, nisi cum periculo notæ suæ, aut suspicionis criminis commissi.

Limita tertio, ut non procedat de eo, qui fuit absolutus ad reincidentiam, sub obligatione se repræsentandi conspectui Apostulico, aut coram Ordinario ad suscipienda mandata: quia hic pendente conditiune, quandiu non fuerit in mora, poterit promoveri; quia interim vere est absolutus ad omnes effectus, ut si compareat, non sit necesse, eum iterum absolvere: sed tantum, si visum fuerit, nova mandata injunguntur eidem, *cap. Eos*, *qui de sent. excomm. in* 6. *Sanch. in decal. lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 27.

CAPUT V.

Ordines a criminoso suscepti in fraudem fori secularis.

I. CRiminosus promoveri non debet, si ob crimen in irregularitatem proprie dictam incidit, sive immediate ex ipso delicto, sive ratione infamiæ juris, de qua dixi suis locis, & *par.* 1. *cap.* 33. nisi super his fuerit dispensatus: item promoveri non debet criminosus ratione infamiæ facti, nisi ea purgata fuerit per constantem vitæ emendationem, saltem triennio comprobatam, de qua *re dixi dict. cap.* 33. *in fin.* vel nisi ex gravi causa, & *cessante scandalo*, fuerit dispeosatus; de qua re ibidem.

Si criminosus petat, se promoveri ab Episcopo, & crimen sit occultum, & interrogetur ab Episcopo de tali crimine, quod etiam post pœnitentiam eum reddat irregularem, tenebitur fateri, vel desistere ab ordinum susceptione, *Sanchez in opusc. lib.* 7. *c.* 1. *dub.* 46. *n.* 10. cum multis per eum allegatis: præsertim autem repellere eum debet Episcopus, quem putat judicis secularis fugiendi causa velle promoveri, *Trident. sess.* 23. *c.* 4. *de refor.*

II. Si laicus criminosus facit se promoveri, & transeat ad statum clericalem in fraudem fori laici, idest si jam erat de crimine diffamatus, vel delatus ad forum, vel processatus, vel condemnatus, (*Covar. pract. quæst. c.* 32. *n.* 4. §. *Fraus vero*, *Clarus*, §. *fin. quæst.* 36. §. *Sed in hoc*, *Genuens. in praxi c.* 8. *n.* 3.) poterit judex laicus contra eum procedere ratiooe ejusdem criminis ante clericatum commissi, ad pœnas non corporales, seu in personam, sed pecuniarias, seu in bonis illius, etiam ad confiscationem bonorum, si alias esset imponenda, est communis sententia, ut testatur *Covarruv. pract. quæst. c.* 32. *n.* 4. *conclus.* 3. *Clarus* §. *fin. quæst.* 36. *n.* 43. *versic. Sæpe numero*, *Marta de jurisd. par.* 4. *centur.* 2. *casu* 121. *n.* 20. *Farinac. de inquis. quæst.* 8. *n.* 107. *Laym. lib.* 4. *tract. de immun. ecclesi. c.* 4. *n.* 12. *Diana resol.* 26. *tract.* 2. *tom.* 1. quamvis nonoulli Doctores dicant, quod si laicus post delictum fuit citatus a judice seculari ad comparendom intra certum terminum, & ipse non compareat, sed intra terminum clericus efficiatur, liber omnino remanebit a foro laico, ut neque in bonis multari possit: secus si post litem contestatam, vel obligationem contractam comparendi &c. ita *Marta de jurisd. par.* 4. *centur.* 2. *casu* 121. *n.* 8. *cum Mascambr. cons.* 44. *& Cavalc. decis.* 10. *n.* 6. *par.* 5. *vel decis.* 3. *n.* 29. *tit. de Judic.* plures etiam alios Marta Doctores ad hoc allegat, qui non faciunt ad rem: illud concedendum æstimo, quod si laicus sit delatus ad forum laicum, & judicium cœptum, sed postea perempta sit instantia, & tunc clericus fiat, liber remanebit a foro laico, neque poterit princeps laicus instantiam in integrum restituere, seu ei vitam

in-

insufflare in dicti clerici præjudicium, ut *Joann. Vinc. de Anna sign. 129. Marta de jurisd. part. 4. casu 141. n. 4. & casu 32. n. 6.*

Quando autem oritur quæstio de clericatu, causa est discutienda a judice ecclesiastico, si notorium erat, vel publicum, quod esset clericus, vel alias ipse deprehensus est in habitu clericali, & prius etiam se pro clerico gerebat, vel instrumentis probaret clericatum, ita *c. Si judex laicus de sentent. excomm. in 6. ibi DD. vide Dian. resol. 63. tract. 1. tom. 2. Bernard. Diaz in praxi crim. c. 62. n. 14. Moliu. tom. 4. dis. 49. Barbos. alleg. 12. n. 33. & 34. Sperellum dec. 17. & 133.*

Item poterit judex, seu princeps laicus instare apud judicem ecclesiasticum, ut cogat illum in fraudem promotum, etiam per coercitionem personalem, observare sententiam prius latam a judice laico, quatenus, salva immunitate ecclesiastica, observare possit; verb. gr. si erat bannitus, vel exiliatus, ut judex ecclesiasticus eum cogat observare sententiam banni, seu exilii, & eum puniat pro banni, seu exilii transgressione; quia licet laicus non possit contra eum procedere ad banni duplicationem, seu aggravationem, quia pœna banni est pœna corporalis, *Genuens. in praxi c. 8. n. 3.* tamen mutatio status non liberavit eum ab observantia prioris sententiæ, & pœnæ corporalis, licet mutatus fuerit judex executor, ut *Alberic. in leg. Meminisse n. 5. §. Item quæro, ff. de off. procons. Francus decis. Neap. 395.* & multi Doctores, quos allegat *Diana resol. 118. tract. 2. tom. 1.*

III. Si ille in fraudem promotus, antea erat carceratus, vel pœna corporali actu expositus per judicem laicum, tunc potest judex laicus instare apud ecclesiasticum judicem, ut procedat ad degradationem illius, eumque foro laico restituat, etiamsi postea se fecisset ad sacros ordines promoveri; quia jam erat præventa non solum causa, seu jurisdictio ecclesiastica, sed etiam persona, seu executio; & sic non potuit forum mutare; quia ordo sacer non invenit eum liberum: ita *Abbas in cap. 1. n. 5. §. Concludendo, de oblig. ad ratiocin. Joan. Andr. Zabar. & Anchar. ibi in fin. Capella Tolos. decis. 144. Layman loc. cit. cap. 4. n. 12. Filiuc. tract. 16. n. 265.* & tunc poterit laicus judex degradatum etiam corporaliter punire, *Jason in leg. Cum quædam puella n. 9. cum ibi allegatis, ff. de jurisdict. omnium judic.*

IV. Si iste fecisset se promoveri per alias fraudes in casibus, quibus jure canonico non fruitur privilegiis clericalibus, ut si ad primam tonsuram sine licentia sui Ordinarii, vel etiam in minoribus in Italia, fictis commendatitiis sui Ordinarii, vel intra annum, Sede vacante, dimissorialibus capituli; potest judex laicus instare apud judicem ecclesiasticum, ut declaret eum privatum privilegiis clericalibus, & post declaratoriam poterit eum etiam corporaliter punire, eamque declaratoriam ecclesiasticus judex tenetur proferre, ut *Azor. par. 2. lib. 3. cap. 49. quæst. 4.* & ex Bulla d. Papæ Urbani VIII. 33. *Secretis* §. 4.

V. Potest judex laicus instare apud ecclesiasticum judicem, ut graviter puniat arbitrio suo in fraudem promotum, pro fraudulenta ordinatione, *Genuens. cap. 8. praxis n. ult.*

Limita prædicta, quod si clericus in minoribus dimittat habitum, & ad statum laicalem revertatur, vel forte etiam uxorem ducat cum unica, & virgine, & in eo statu delictum committat, etiamsi homicidium voluntarium simplex, & a Curia seculari processatus, sententiam patiatur, & Curiæ satisfaciat, vel cum ea componat, vel absolutus sit, poterit denuo (præsertim mortua uxore) habitum reassumere, & sic frui privilegiis clericalibus, ut *gloss. in Clem. 1. ver. Quandiu de vit. & honest. cleric. Marta de jurisd. par. 2. cap. 32. n. 40. Barb. allegat. 12. n. 27.* neque enim potest dici facere in fraudem fori secularis, cum illi satisfecerit, vel absolutus fuerit, *Sanch. in decal. lib. 4. cap. 16. n. 39.* secus si adhuc maneret obnoxius Curiæ seculari, ut *Marth. loco cit. n. 41. cum Archid. & Gemin.* neque potest Curia secularis objicere, quod iste sit effectus irregularis, scilicet ex homicidio, vel alio delicto: quia respondetur, quod neque irregularitas, imo neque depositio verbalis (communiter loquendo) privat privilegiis clericalibus, nec facit personam desinere esse ecclesiasticam, dummodo habitum gestet clericalem, et non sit incorrigibilis, *Barbos. de irregul. par. 6. tit. de sent. deposit. Suar. de censur. dis. 30. sect. 2. n. 7. & 8. Bonac. de depos. n. 3.*

CAPUT VI.

Ordo susceptus in fraudem munerum laicalium.

I. SI quis in fraudem onerum, seu collectatum laicalium faciat se ad ordines promoveri, aliqui dicunt, eum non frui immunitate, seu exemptione: ita *Alberic. in leg. Qui sub prætextu n. 2. Cod. de sacros. eccles. Prosper Augustin. in addit. ad Quarantam, verbo Vectigal. limit. 1. Coriolan. super Bulla Cœnæ Domini, excomm. 18.*

Sed contrarium tenendum est; quia obligatio ad onera laicalia non est per se primo homini annexa, sed in consequentiam jurisdictionis, seu subjectionis quoad forum: unde dummodo non sit criminis ratione laico foro obnoxius, non censetur impeditus mutare forum, et statum, propter subjectionem ad onera: et licet ordines assumere cum tali intentione, sit peccatum veniale, ob deordinationem, & defectum puritatis intentionis, non est tamen peccatum grave, sed veniale, & non est actus contra justitiam, cum utatur tunc jure suo: ita tenent *Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 31. n. 17. Coninch. disp. 20. de sacr. ordin. n. 104. Villalob. in summa tractat. 11. diffic. 14. n. 2. Duard. in Bullam Cœnæ Domini, cap. 18. q. 7. n. 2. Diana resol. 43. tract. 2. tom. 1. & resol. 22. miscellan. 2. tom. 1.*

CAPUT VII.

Ordines furtive recepti.

EX *cap. 1. 2. & 3. de eo, qui furtive ord. susc.* qui ordinem furtive accipit, non potest in ordinibus sic susceptis ministrare, neque ad alios suscipiendos ascendere: cum hoc autem male ordinato, si ordinator excommunicationis interminationem protulerat ante ordinationem contra furtive accedentes, solus Papa dispensare potest, si remaneat in seculo; si vero religionem ingrediatur, & ibi laudabiliter aliquo tempore fuerit conversatus, potest Episcopus, vel Abbas dispensare: si autem nulla anathematis interminatio fuit facta, potest Episcopus cum illo dispensare, etiam ut ad alios ordines ascendat, imposita condigna satisfactione: dispensatio autem in prædictis casibus non est concedenda, nisi pœnitentia, vel saltem illius parte peracta, *ut dict. cap. 3. vers. Verumtamen, eod. tit.*

Adverte, quod ex hoc tex. Doctores communiter dicunt, furtive promotum incurrere irregularitatem ipso facto, difficilius dispensabilem, si facta erat interminatio illa: ita *Suar. disp. 42. de censur. sect. 3. n. 5. Majol. lib. 4. cap. 8. Abb. antiquus in c. final. eod. tit. Summa Corona 3. pae. tract. de irregul. n. 19. vers. Tertio contrahitur in fin. Filiuc. tract. 20. n. 195.* & communem testatur *Avila par. 7. disp. 9. sect. 1. dub. 4. §. Aliqui tenent*: alii tamen distinguunt, quod si fuit facta interminatio excommunicationis, incurrit irregularitatem, si non incurrit suspensionem: quia in primo casu, cum ordines recipiat in excommunicatione, fit irregularis, ut dixi *supra cap. 4.* ita *Panorm. in dict. cap. 1. n. 3. not. 4. Navarr. cap. 25. n. 70. & 71. Sayr. lib. 7. cap. 10. n. 37. Avila loc. cit. Barbos. in dict. cap. 1. n. 5.* alii dicunt, talem esse irregularem quoad ordines recipiendos, & esse suspensum quoad sic susceptos: ita *Laym. de sacr. ordin. cap. 3. n. 1.*

Adverte secundo, quod illa interminatio excommunicationis, secundum communem intelligitur hic, quod fuit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ: ita *Abb. cap. 1. n. 4. de eo, qui furt. Angel. irregul. 1. n. 23. Sylvest. irregul. §. Tertio quæritur, Bern. Diaz in praxi cap. 21. n. 1. Sayr. n. 28. Hostien. in summa eod. tit. §. 3. Suar. n. 5. Filiuc. Summa Confess. loco cit. Navarr. c. 25. n. 70. Regin. lib. 34. tract. 2. n. 71.* quamvis, quod sufficiat ad hanc decretalem, si fuit interminata excommunicatio ferendæ sententiæ, teneant *Majol. lib. 4. cap. 8. Zabarell. in dict. cap. 1. in fin. de eo, qui furt. Innoc. ibi not. 4.* & facit, quia verbum *Interminatio*, de natura sua significat ferendam sententiam, ut plures, quos allegat *Barbos. ibid. n. 3.* sed pro prima veriori facit, quod olim in pontificali hæc interminatio reperitur sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ: hodie tamen ex pontificali reformato a Clemen. VIII. concipitur verbis ferendæ sententiæ: quare verius puto, hodie Episcopum posse cum hoc male promoto dispensare, secundum magis communem; si nondum tamen ministravit in male susceptis.

Ad-

Advertendum tertio, quod ille dicitur furtive ordinem ſuſcipere, qui non prius recognitus, vel examinatus, & admiſſus ab Epiſcopo, ſed non nominatus, ultro, clam, ſeu temere ſe ingerit, ſeu intrudit ordinationi: eſt communis ſententia, quam tenet *Majol. lib. 5. cap.* 8. *Filiuc. tract.* 20. *n.* 195. *Sayr. lib. 7. cap.* 10. *n.* 37. & de communi teſtatur *Suar. loc. cit. n.* 5. & tenet *gloſſ. in dict. cap.* 1. *Barboſ. ibid. n.* 6.

II. Item furtive ordinatus, ſi Epiſcopus proteſtatus fuit in illa interminatione, ſe non intendere ordinare non examinatos, non approbatos &c. ſecundum multorum ſententiam non recipit characterem, & ordinario eſt omnino irrita, & invalida: ita *Navarr. conſ. 1. de eo, qui furtive, Salzedo ad Diaz in praxi cap. 25. n. 2. litt. B. Rebuff. de benefic. par. 2. tit. de cleric. male promot. gloſſ. 4. n. 19. Barboſ. in dict. cap. 1. de eo, qui furt. n. 2. in fine:* alii magis communiter dicunt, validam fore ordinationem; quia Epiſcopus, quando actu ordinat hunc furtive accedentem contra ſuam proteſtationem, cenſetur mutare intentionem, & practice habere intentionem abſolutam, licet ſpeculative habeat conditionatam: ſicut contigit in benedictione Jacob, *Geneſ. cap.* 27. & ita tenet *Henr. lib.* 14. *cap.* 6. *n.* 5. *cum Ledeſma, Sayr. lib. 7. cap.* 11. *n.* 37. *Layman de ſacr. in communi cap. 4. n. 6. Majol. lib. 4. cap. 36. n. 2. Sanch. de matrim. lib. 7. diſp. 18. n. 11. & 16. cum Abulenſi, & Honcat.* alii vero dicunt, ſpectandam ordinantis intentionem: ita *Suarez de ſacram. diſ. 13. ſect. 3. col. ult.* quare in hoc conflictu Doctorum verius videtur, & tutius, ut poſtquam abſolutionem, ſeu diſpenſationem obtinuerit, ſe ad ordines furtive ſuſceptos ſub conditione faciat promoveri; prout tenet in tali caſu, & obſervari mandat Sacra Pœnitentiaria: vel ſaltem ad ordinem Presbyteratus: quia ſacramentum irreiterabile iterari poteſt ſub conditione, quando adeſt dubium probabile de nullitate, ut dixi *ſupra verbo, Baptiſ, cap.* 1.

☞ *In eadem ſententia ex mente Sacr. Congreg. Concil. eſt Bened. XIV.* lib. VIII. cap. II. n. 2. de Synodo Diœceſ. *& conſilium Auctoris valde placet etiam Ludovico de Ameno*, de delict. & pœn. Tom. III. tit. 8. §. 3. n. 5. *ut tutius procedatur.* ☜

Dixi ſaltem ad ſacerdotium; quoniam in hujus invaliditate, imminet grave præjudicium; & ideo debemus ſequi tutiorem ſententiam, etiamſi contraria eſſet ſpeculative probabilior, ut in ſimili *Lorca* 1. 2. *diſp. 39. de actibus human. memb. 2. Zambran. de morientibus adjuvand. c. 1. dub. 1. n. 3.* & late *Sanch. in decal. lib. 1. c. 9. n. 32. &* 34. cum communi ſententia: illud eſt certum, quod propter ſolam præfatam interminationem, de qua in hac decretali, abſque proteſtatione, ſeu negatione intentionis, non redditur irritum Sacramentum, ſed character imprimitur, ut colligitur ex *dict. c. 1. de eo, qui furtive, & ibi Abbas n. 1.* & eſt verum, etiamſi dixiſſet Epiſcopus, nolo ordinare accedentes furtive, ut *Navar. conſ. 1. de eo, qui furt. n. 7. Laym. loc. cit. Victoria de Baptiſ. n. 35. Henriq. lib. 14. de irregul. c. 6. n. 5. Majol. lib. 4. cap. 36. n. 2.*

Adverte etiam, quod Sacra Pœnitentiaria non abſolvit a cenſura ſuſpenſionis, neque diſpenſat ſuper irregularitate cum furtive ordinatis, niſi eos per ſecretum examen idoneos reperiat.

CAPUT VIII.

Ordines invito collati.

I. ANtiquitus fuit abuſus, ut ſi quem ſanctitate, vel eruditione inſignem populus noſſet, eundem injecta manu, & vi raptum, & reclamantem offerrent Epiſcopo ordinandum: ita Sanctus Auguſtinus fuit ordinatus ſacerdos, ut *Poſſidon. in vita S. Auguſtini, cap. 2. Baronius Annal. tom. 4. an. Chriſti 391.* & ita Sanctus Paulinus Nolanus Epiſcopus fuit ordinatus, ut ipſe teſtatur *Epiſtol. 6. Baron. an. Chriſti 394.*

De jure autem ſolum a ſuo Prælato quis poteſt cogi ordines ſuſcipere, ſi adſit juſta cauſa, ut ob magnam Eccleſiæ utilitatem, aut neceſſitatem; & dummodo coactio non ſit abſoluta, & omnimoda, neque gravi metu illato, ſed moderata, & conditionalis, ut per cenſuras, aut multas, *c. Si qui 74. diſt. ibi Turrecr. & Præpoſ. Sylv. verbo Ordo 3. n.* 10. ut in ſimili de coactione ad matrimonium carnale dicitur, *c. Ex litteris 10. de ſponſal. Sanch. lib. 2. diſp. 27. Conimcb. diſp. 28. n. 50.*

Ordinatus ſiquidem coactione omnimoda, non recipit Sacramentum, ut ſi vi detentus: ſi autem metu gravi coactus ſit, recipit Sacramentum; quia adeſt voluntas, licet non omnino libera, ſed conditionata, ideſt ex ſuppoſitione; ita *Turrecr. in cap. Epiſcopus diſt. 74. concl. 1. & 2. Præpoſ. n. 1. & Bellamera ibid. Cardin. in Clem. Generalem, de ſtat. & qualit.* & de communi teſtatur *Sanch. de matr. lib. 7. diſp. 29. n.* 1. Verum iſte metu gravi, vel etiam levi adactus, non recipit gratiam ſacramentalem, (*intellige ſanctificantem*) quia non eſt actio meritoria quoad ipſum, cum indevotus, & invitus recipiat Sacramentum, ita *Turrecr. & Præpoſ. loco cit.* & eſt *text. in c. Majores, §. Item quæritur, de bapt.*

An autem ad irritandum hoc votum ſufficiat metus levis: aliqui dicunt, quod ſi, illo metu ſecluſo, iſte non permiſiſſet ſe ordinari, pro foro conſcientiæ non obligatur hoc voto: hanc probabilem ait *Sanch. dict. diſ. 29. n.* 8. quam tenet *Navarr. ibi cit. & alii* in ſimili de matrimonio apud *Sanch. ibi citati*, & apud *Leſſ. lib. 2. c. 17. n.* 47. præſertim, quia multi dicunt, metum irritare vota jure naturali, non poſitivo. Sed contraria eſt communis, & verior, ut *Sanch. & Leſſ. ibi, Laym. de contr. tract. 4. c. 6. n. 4. Suar. tom. 3. de relig. lib. 6. c. 4. n.* 13. tamen prior ſententia ſequenda eſſet de contracto, ſtante bona fide alterius conjugis, juxta doctrinam *Hoſtien. & Canoniſtarum in cap. Si vir. de cogn. ſpir. Genuen. in praxi c. 50. in fin. ob c. Laudabilem, ut lit. pen. nihil innov.*

II. An autem etiam habeat commoda, & incommoda clericatus, ſeu ordinis ſuſcepti? reſpondeo, ſi metu levi ordinatus eſt, habet, *Sanch. loco cit. n.* 8. ſi autem metu gravi compulſus eſt, compulſione injuſta, ideſt non ex juſto præcepto ſuperioris, & non vult uti ordine, & non ratificavit ordinationem, non habet privilegia ordinis, neque onera; unde neque continentiam, ſeu cœlibatum tenetur ſervare, ut *Sanch. ibid. n.* 5. ſecundum probabiliorem, & valide poteſt matrimonium contrahere, ut *Sanch. ibid. n. 6. Barboſa alleg. 15. n. 5. & in c. Majores n. 18. de bapt. Riccius collectan.* 1579. *Gutier. de matr. c. 94. n. 14. &* 16. & communem teſtatur *Diana reſolut. 193. tract. 4. tom.* 2. & tenet, & late probat *Rota diverſ. par. 1. lib. 1. deciſ. 561. per totam, & n. 12. ad* 1. Cum tamen hæc res ſit magni momenti, non debet matrimonium contrahere ſine declaratoria ſententia judicis eccleſiaſtici competentis de meticuloſa ordinatione, probatione legitima præcedente, ut per *Rotam ibi n.* 7. item neque tenebitur *divinum* officium recitare, ut *Sanch. dict. diſp. 29. n.* 7. item, neque fruetur ullis privilegiis clericalibus, ut *Sanch. n.* 3. ſi autem ratificet tacite, vel expreſſe ordinationem ſuam, omnia habebit ſupradicta commoda, & onera clericalia, *Sanch. n.* 9. Dicitur autem, tacite ratificaſſe, qui celebravit non coacte, neque per errorem, ut *Sanch. n. 9. & Gutier. n. 16. §. Sed rurſus.* Quod ſi taliter coacte ordinatus, erat conjugatus, non poſſet ratificare ordinationem, uxore invita, niſi quoad hoc, ut non poſſit petere debitum, ſed reddere tenebitur; & ut fruatur iis privilegiis clericalibus, quibus fruuntur clerici conjugati: ita *Sanch. n.* 3. de qua re dixi ſupra *cap.* 3.

Si autem coactio fuit juſta, ſcilicet ex præcepto juſto ſuperioris, de quo ſupra dixi, omnino tenetur ſubire onera clericatus, ejuſque privilegia conſequetur, *Sanch. n.* 10.

III. Ex his apparet, quod metu ordinatus, non propterea eſt ſuſpenſus, vel irregularis (quandiu non aſſumit ſtatum incompatibilem cum clericatu, ſcilicet alias inducentem irregularitatem, ut ſtatum conjugalem &c.) unde, etiamſi ab initio, vel per aliquod tempus reclamaverit, & contradixerit ordinationi, ſi tamen ſtatum incompatibilem non aſſumpſit, poteſt pœnitere, & ratam habere ordinationem, & miniſtrare in ſuſceptis, & ulterius promoveri, *Cardin. in Clem. Generalem, de ſtat. & qualit. n. ult. Bellam. in c. 1. 74.* diſt. *ibi præpoſ. n. 1. Turrecr. n. 1. col. 2. Sanchez loco cit. n.* 3. cum aliis Doctoribus; quamvis *Archid. in dict. c.* 1. æſtimet, talem eſſe irregularem. Et quamvis ſtatum aſſumpſerit incompoſſibilem, non abſolute, ſed ſecundum quid, ut ducendo uxorem unam, & virginem, tunc eo impedimento ſublato, ſcilicet per mortem uxoris, poterit ratificare ordinationem, & amplecti ſtatum clericalem cum omnibus ſuis, ut *Sanch. lib. 7. diſ. 46. n.* 30.

IV. Ordinans invitum, ſcilicet injuſto metu compulſum, eſt ſuſpenſus per annum a celebratione miſſarum, *c. 1. diſ. 74. Henriq. lib. 13. c. 38. n. 4. Sayr. lib. 4. c. 12. n. 23. cum Sylveſt. Angel. Aſten. Viruald. & Tabien.* & tenet *Alter. tom. 2. diſ. 16. cap. 1. col. 7. Barboſ. alleg. 111. n.* 3. eſt communis: neque placet, quod ait *Bonac. de ſuſpenſ. partic. quæſt. 2. punct.* 2. hanc pœnam non eſſe in uſu; aliud enim eſt, legem eſſe

abro-

abrogatam desuetudine, alind raro ejus casum contingere. Non habet autem locum ea pœna in casu, quo juste quis compelleretur ordines recipere, *Sylvest. verb. Ordo 3. §. 10. Abb. in c. Quæris n. 9. de ætat. & qualit. Alterius, & Sayrus loco cit.*

CAPUT IX.

Ordines illiterato collati.

I. DOctrinæ, seu litteraturæ expers necessariæ ad ordinis alicujus exercitium, est irregularis quoad talem ordinem, *Majol. lib. 1. cap. 32. n. 13. Sanch. in opusc. lib. 7. c. 1. dub. 45. n. 1. cap. Illiteratus 36. dist. c. fin. de temp. ordin. in 6. Trident. sess. 23. c. 4. 11. 13. & 14.* sed hæc est improprie irregularitas, *Garz. part. 7. cap. 7. n. 19.* quia auferri potest absque dispensatione, ut notat *Garz. par. 7. c. 8. n. 65.* nempe discendo ad sufficientiam, *Majol. lib. 5. c. 51. n. 15. in fin.* sed dicitur defectus conditionis requisitæ ad licitam ordinis susceptionem. Verum est, quod collatio beneficii facta penitus illiterato, est nulla; cum neque divinum officium recitare possit, *c. Præcipimus, ibi gloss. dis. 34. Clem. un. ibi gloss. verb. Reputamus de concess. preb. & DD.* quos allegat, & sequitur *Rota part. 2. noviss. dec. 318. n. 2. & 3. Genuens. in praxi c. 98. & Garz. dicto c. 7. n. 13.* ubi plurimos allegat, *& n. 19.* item potest Episcopus ad ordines promotum absque sufficienti litteratura suspendere ad tempus, donec didicerit, ut *Triden. sess. 14. c. 3. de reform.*

Parocho autem illiterato, & imperito, si alias honestæ vitæ sit, debet Episcopus coadjutorem, aut vicarium assignare, parte fructuum parochiæ eidem pro victu assignata, ut ait *Trid. sess. 21. c. 6. de reform.* & plene tractat *Rota noviss. part. 1. decis. 23. per totam*: ubi multa utilia in hac re.

Dicitur autem sufficienter litteratus, etiam ad dignitatem, & curam, si scit latine loqui, & ut possit in libris quærere, & intelligere veritatem eorum, quæ scire tenetur, etiamsi in examine aliquibus interrogationibus nescivérit respondere, *Rota rec. part. 1. dec. 234. n. 9. cum Innoc. Abb. & Butr. in c. Cum in cunctis de elect.* vel si cunctabundus respondeat, ut *Rota dict. dec. 23.*

II. Episcopus, aliusque Prælatus conferens primam tonsuram illitterato, incurrit ipso facto suspensionem per annum a collatione primæ tonsuræ, *c. fin. de temp. ordin. in 6.* sed intelligitur de penitus illitterato, *Tolet. lib. 1. c. 64. §. Tertio, gloss. in c. Illitteratus 36. dist.* idest, qui neque scribere, neque legere novit, ex Trid. *Salzedo ad Diaz in praxi c. 21. verbo Dispensare, Sayr. lib. 4. cap. 12. n. 8. Henriq. lib. 13. c. 38. n. 2. Garz. n. 20.*

III. Item Episcopus ordinem sacerdotii conferens non sufficienter litterato, atque adeo indigno ex defectu litteraturæ, ordinationis jus ulterius non habebit, *c. Si qui Episcopi 1. q. 1.* qui textus generaliter loquitur de ordinante in sacerdotem eum, quem non licet secundum sacros Canones ordinare: & multi dicunt, hanc esse suspensionem latæ sententiæ a collatione talis ordinis immerito collati: ita *Sayr. lib. 4. c. 12. n. 17. & lib. 6. c. 10. n. 37. Marius Alterius tom. 2. disp. 16. cap. 1. colum. 6. Majolus lib. 1. c. 7. n. 2.* & facit, quod verbum *Habebunt*, negative prolatum, cum non requirat factum hominis ad sui executionem, videtur esse latæ sententiæ, ut per *Tiraquell. in l. Si unquam, verbo Revertatur n. 223. C. de revoc. don.* & quia in dicto textu adsunt verba geminata, hanc pœnam inferentia, nam subditur ibi, *Nec illi unquam Sacramento intererunt*, quæ geminatio verborum facit, ut verba futuri temporis habeant vim latæ sententiæ, ut communem ostendit *Tiraquell. ibidem n. 46.* præsertim, quando geminatio fit cum intervallo, seu diversa clausula, *Tiraquell. ibidem n. 49.* & ideo in puncto juris hæc videtur verior; licet in terminis, quod in *dict. c. Si qui Episcopi*, illa sit pœna non latæ, sed ferendæ sententiæ, teneant *Præpos. ibi, & Suarez disp. 40. de censur. sect. 8. n. 5. Bonac. de censur. partic. disp. 3. quæst. 2. punct. 3.* alii vero, admissa priori sententia, dicunt, non esse hodie receptam eam pœnam in eo rigore, & ideo hodie non esse latæ, sed ferendæ sententiæ: ita *gloss. ibid. verbo Ordinationis in fine.*

Litteratura autem hæc requiritur ad primam tonsuram, ut sciat rudimenta fidei, & legere, & scribere, *Triden. sess. 23. c. 4. Sanch. opusc. lib. 7. c. 1. dub. 45. n. 9.* non tamen requiritur, ut etiam intelligat latinum, ut *Rot. part. 2. noviss. decis. 318. n. 1. 2. & 3.* & addit ibi *Rota*, quod ex dimissorialibus pro prima tonsura præsumitur ista habilitas, quamvis possit Episcopus ordinator requirere novum examen, si velit, imo & debet, si aliquid adversarius ei opponat, ita *Rota n. 4. ibi*. Ad minores vero, ut latinam linguam intelligat, *Triden. sess. 23. cap. 11. Sanch. dub. 33. n. 15. & dub. 45. n. 3.* ad subdiaconatum, & diaconatum, ut sit latinis litteris, & iis, quæ ad ordinem exercendum pertinent, instructus, *Trid. sess. 23. c. 13. Sanchez dub. 45. n. 15.* ad presbyteratum, ut sciat, & docere possit ea, quæ necessaria sunt ad salutem, & ad Sacramenta ministranda, *Trid. sess. 23. c. 14.* ad episcopatum autem, utriusque etiam testamenti scientia requiritur, & scientia canonum, vel theologiæ, *Henriq. lib. 10. c. 35. §. 3. Cuccus inst. lib. 4. c. 12. n. 227. Tolet. lib. 5. c. 3. §. 2. ex parte*; & debet esse vel doctor, vel licentiatus in jure canonico, vel theologia, vel quod testimonio alicujus academiæ, (aut si regularis sit, testimonio sui superioris) ostendatur idoneus ad alios docendos prædictas facultates, vel earum alteram, ex *Trid. sess. 22. cap. 2.*

CAPUT X.

Ordines collati irregulari, aut alias indigno.

PRæmittendum est, quod si appareat, aliquem fuisse irregularem, & postea ordinatum esse, eo ipso præsumitur contra ipsum, quia dispensatio non præsumitur, *l. Libertus la seconda, ibi Aug. ff. de in jus voc.* Fallit tamen primo, si producat testimonium dispensationis ab habente potestatem concessæ: in quo statur assertioni dispensantis, asserentis, se talem habere facultatem, si sit magnus Prælatus, seu magnus Pontificis officialis, *Rota decis. 200. n. 5. part. 2. recent. Caval. decis. 1.*

Fallit secundo, si jam lapsi sint viginti anni post ordinationem; quia tunc præsumitur dispensatus, *Rota ibi n. 5.*

I. In *c. Si qui Episcopi 1. quæst. 1.* ordinans in sacerdotem eum, quem secundum canones ordinare non licet, ordinationis jus ulterius non habebit: ex quo textu multi dicunt, latam esse in tali casu suspensionem a collatione ordinum; alii tamen dicunt, esse sententiæ ferendæ, & non latæ, ut dixi supra *cap. 9. n. 3.* in certis autem casibus adsunt pœnæ latæ sententiæ contra eos, qui ordinant irregularem, aut indignum, de quibus videndum suis locis.

II. Irregularis existens, si se ad sacros ordines faciat promoveri, secundum aliquos DD. novam incurrit irregularitatem; sicut si suspensus, se faceret promoveri, aut exerceret ordines sacros: ita tenet *Archid. in c. Apostolicæ 56. dist. Majolus lib. 4. de irregul. n. 2.* sed contraria sententia est communis, & vera, quod irregularis se faciens ad ordines promoveri, aut in suis ordinibus ministrans, nullam novam incurrat irregularitatem, aut pœnam aliam latæ sententiæ, ita *Suar. de censur. dis. 42. sect. 3. n. 2. Navarr. cap. 27. n. 193. Say. Henriq. Valent. Ugolin. & alii*, quos allegat, & sequitur *Bonac. de irregul. quæst. 1. pun. 4. n. 4.* solum autem *in c. Aliquantos 51. dist.* irregularis se faciens promoveri, est deponendus; quæ est pœna sententiæ ferendæ, ut notat *Suar. ibi*.

III. Pro Regno Neapolitano ex decreto Gregorii XV. cautum est, ut nullus Episcopus ordines conferat, aut dimissoriales concedat, nisi prius accepta informatione de vita, & moribus, & constito, eum habere qualitates requisitas, & ita in dimissorialibus id exprimatur, & dimissoriales ad unum tantum Episcopum dirigantur: si secus fiat, ordinans ipso facto est suspensus per annum a collatione ordinum; ordinatus autem perpetuo est suspensus a susceptis, & suscipiendis.

CAPUT XI.

Ordines sacri collati, seu recepti sine titulo legitimo beneficii, vel patrimonii, vel pensionis, vel religiosæ paupertatis.

I. EX Calcedonensi Concilio, *cap. 6.* de quo in *cap. Neminem, 70. dist.* eos, qui absolute ordinantur (idest sine titulo, ut ibi exponit *gloss. & DD.*) decrevit sancta Synodus, vacuam habere manus impositionem, & tale factum non valere, ad injuriam ordinantis; & in *cap. Sanctorum 70. dist.* ex Concilio Urbani II. habito Placentiæ – Sanctorum Canonum statutis consona sanctione decernimus, ut sine titulo facta ordinatio, irrita habeatur – ex hoc textu aliqui putant, ordinatum sine titulo, esse ipso facto irregularem: ita *Borgas. de irregul. par. 1. quæst. 5. tract. de suspen. n. 24.* sed

communis sententia docet, per verba præmissa inferri suspensionem latæ sententiæ, quam violantes efficiuntur irregulares, *Navarr. in man. cap.* 27. *n.* 245. *Sayr. lib.* 4. *cap.* 14. *n.* 16. *Suar. de suspens. disp.* 31. *sect.* 1. *n.* 33. *Quaranta*, *verbo Ordo*, *vers. Tertius casus:* item aliqui putant, hic requiri titulum beneficii præcise, ut *Sayr. ibi*, *Turrecrem. dist.* 70. *in princ.* sed communis sententia ait, requiri hic titulum beneficii, vel patrimonii sufficientis, ut testatur *Sanch. opusc. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 45. *& lib.* 6. *de matrim. disp.* 32. *n.* 2.

II. In *cap. Cum secundum Apostolum*, *de præb.* Innocentius III. correxit Canones supradictos, benignius agere cupiens, statuitque, prædictos sine titulo ordinatos non esse suspensos, seu non esse irritam ordinationem, sed illis tandiu per ordinantes, vel successores eorum, provideri debere de sustentatione, donec beneficia consequantur: & ita communiter illum textum intelligi a Doctoribus testatur *Sanch. loco citato n.* 6. *cum allegatis*.

Declaratur hæc Constitutio, ut procedat solum, quando ordinans fuit in culpa; si enim se promoveri quis faciat per fictum titulum, ignorante Episcopo, nempe per falsa instrumenta, tunc ordinans non tenebitur eum alere, ut *Garzias n.* 32. *Surd. de alim. tit.* 7. *quæst.* 37. *n.* 40. *Abbas*, *& Imola in cap.* 2. *de præb. Sanch. n.* 8. *loco cit.*

Declaratur secundo, ut non teneatur Episcopus alere ordinatum, si iste habeat aliunde congruam sustentationem, scilicet ex suo patrimonio, aut paterna substantia, *Suar. n.* 33. *in fin.* per decretum Concilii Lateranensis sub Alexandro III. *par.* 1. *cap.* 5. & probatur *cap. Episcopus*, *ibi Butr. Imola*, *& Dec. n.* 3. *de præb. & cap. Tuis*, *ibi Jo. And. eodem tit.* & late probat *Surd. de alimen. tit.* 7. *quæst.* 37. *n.* 1.

Declaratur tertio, ut non procedat, nisi de ordinatis ad sacros ordines, ut de recepta consuetudine testatur *Turrecr. in dict. cap. Neminem n.* 2. *Decius in dict. cap.* 2. *de præb. Navarr. cons.* 14. *de temp. ordin. Garz. n.* 4. *loco cit. Rota divers. par.* 1. *decis.* 731. *n.* 13.

III. Sed *Trid. sess.* 21. *cap.* 2. *de reform.* statuit, ut nullus clericus ad sacros promoveatur, nisi prius legitime constiterit, eum beneficium ecclesiasticum sufficiens pacifice possidere: ad patrimonii autem, vel pensionis ecclesiasticæ titulum ordinari non possint, nisi quos Episcopus judicaverit, pro Ecclesiarum suarum necessitate, vel commoditate; constito tamen prius de tali titulo, ejusque sufficientia; & Canonum antiquorum pœnas super his innovavit.

☞ *Circa qualitatem beneficii vide Additionem infra post cap.* 16. *hoc eod. verbo*. ☜

Ex hoc Tridentini decreto aliqui dicunt, solum innovari pœnas *cap. Neminem*, & *cap. Sanctorum*; qui antiqui Canones dicuntur; non autem innovari *cap. Cum secundum*, quia hoc est jus novum: & ita *Majol. lib.* 4. *cap.* 15. *Sanch. lib.* 6. *de matrim. disp.* 32. *n.* 8. *Suar. loco cit. n.* 35. *Layman lib.* 5. *tract. de sacr. Ordin. cap.* 10. *n.* 7. *Barb. alleg.* 19. *n.* 2. & hanc communem ait *Garz. loc. cit. n.* 24. alii dicunt, solum innovari pœnas *cap. Cum secundum:* ita tenent *Tolet. lib.* 1. *cap.* 48. *Sayr. lib.* 4. *cap.* 14. *n.* 16. *Gutier. pract. quæst. lib.* 2. *cap.* 65. *n.* 11. *Cenedo collect.* 33. *n.* 2. *Navarr. cons.* 19. *n.* 2. *de temp. ordin. Gonzal. gloss.* 5. §. 10. *n.* 24. *&* 27. *Garzias n.* 27. & hanc in praxi tutam ait *Diana miscell.* 2. *resolut.* 5. *tom.* 1. sed verior sententia ex stylo Curiæ, & sacræ Pœnitentiariæ recepta, est distinguens, asserens omnes dictas Constitutiones, & Canones innovari respective, scilicet, quod si ordinatus quis fuerit ad sacros sine titulo beneficii, vel pensionis, sciente Episcopo, seu cum Episcopi culpa, solum in hoc casu innovata est pœna *cap. Cum secundum*, ut Episcopus teneatur ad alimenta; ipse vero ordinatus non est suspensus: si autem ordinatus fuit ipse solus in culpa, quia finxit titulum per falsa instrumenta, tunc ipse solus pœnas incurrit, scilicet suspensionis, ex *dict. cap. Sanctorum*: & ita tenet *Sanch. opusc. lib* 7. *cap.* 1. *dub.* 35. *n.* 12. *cum Navarro*, *& Salzedo*, & eam probabiliorem, & in praxi receptam ait *Reginal. lib.* 32. *tract.* 2. *n.* 72. *Filiuc. tract.* 17. *n.* 89. vide *Barbos. in d. cap.* 2. *sess.* 21. *de refor.* & apud eum Doctores contrariæ opinionis, ut scilicet suspensionem non incurrat sic ordinatus.

☞ *Quoad has DD. opiniones pertinet*, *placet hic transcribere docte allegata a Bened. XIV. Instit. Ecclesiast.* 26. *latinæ edit. n.* 16. *ibi* — Ac primum, qui ad ordines assumitur, eam voluntatem præsefert, non modo, ut illos exerceat, sed etiam ad Presbyteratum, & rem divinam faciendam perveniat: quod tamen assequi nunquam poterit, si alicujus fraudis, vel pactionis, ut paulo ante diximus, particeps ad sacram ordinationem accedat: in Canone *Neminem distinct.* 70. suspensionis pœna statuitur, si quis ordines sine patrimonio sufficienti accipiat, *Decrevit Sancta Synodus*, *vacuam habere manus impositionem:* in alio Canone *Sanctorum* idem sancitur his verbis: *Decernimus*, *ut sine titulo facta ordinatio*, *irrita habeatur*: Innoc. III. cap. *Cum secundum de præbend. & dignit.* hanc veterum Canonum severitatem mitigavit; & eum, qui ordines contulerit, haud ignarus fraudis, atque imparis patrimonii, obstringit, ut ordinato necessaria ad vitam agendam subministret: *Licet autem Prædecessores Nostri ordinationes eorum*, *qui sine certo titulo promoventur*, *in injuriam ordinantium irritas esse voluerint*, *& inanes*: *Nos tamen benignius agere cupientes*, *tandiu per ordinatores*, *vel successores eorum provideri volumus ordinatis*, *donec per eos ecclesiastica beneficia consequantur*. *Trident. Concil. cap.* 2. *pluries cit. sess.* 21. *de reform.* pœnas veterum Canonum iterum præscribit illis, qui titulo imparis beneficii, sive ad alium quempiam pertinentis, aut fictitii patrimonii ordinantur: *Antiquorum Canonum pœnas super his innovando*: Sixtus V. in sua Constitut. 91. *Bullar. tom.* 2. pœnam suspensionis a priscis sanctionibus inflictam iterum confirmat, & Clemens VIII. Constit. 40. *Bullar. tom.* 3. Sixtinam Constitutionem iis terminis concludit, qui a Tridentina Synodo decernuntur: itaque, ut recte judicetur, utrum eo modo ordinatus, quem nuper exposuimus, suspensionem incurrat, & etiam *irregularitatem*, si ordines exerceat, & sacrum peragat, investigari debet, an Conc. Tridentinum, cum veterum Canonum decreta renovaret, pœnam suspensionis promulgaverit, vel solum edixerit, ut qui fraudis conscius ordines administraverit, alimenta præstare debeat ordinato, donec honestam vitæ sustentationem alio pacto consequatur. Id potissimum a Sac. Cong. dignoscendum est, quæ, ut sæpius innuimus, Tridentinæ Synodi sententias interpretari sola potest, quemadmodum Summi Pontifices sanxerunt. Illa vero, postquam rem diligenter expendit, pœnam superius expositam solummodo in eum, qui ordines contulerit, renovatam asseruit, non autem suspensionem; nisi forte ordinatus doli conscius ante fuerit, & ordinatorem ipsum in fraudem adduxerit; tunc enim eadem suspensionis pœna liberari nequit, uti die 27. Novemb. an. 1610. constitutum fuit — *Sacra Cong. Conc. proposito suprascripto dubio*, *omnium sententiis censuit*, *hoc casu pœnam suspensionis ante Concilium non esse correctam*, *& hodie a Triden. Conc. esse innovatam*, *& propterea hujusmodi clericum*, *qui adhibito dolo*, *confictoque titulo ordinatorem decepit*, *esse ipso jure suspensum*, *careteque ordinum executione*. Fagnanus super hac consulatur cap. *Cum secundum n.* 63. usque ad finem de præbend. —

Nota, *quod Episcopus ordinans externum prætensum sibi subditum ex prætextu beneficii statim conferendi*, *vel ad titulum beneficii imparis pro sustentatione ordinati*, *suspenditur per annum ab administratione ordinum ex Constit. Innoc. XII.* Speculatores 4. *Novemb.* 1694. ☜

Limita pœnam hanc, ut non procedat contra ordinatum, qui bona fide putans, se habere titulum validum, ordines suscepit, etiamsi postea detegatur, nullum titulum extitisse, v. g. si beneficium, vel patrimonium evictum est; siquidem pro foro conscientiæ non incurrit suspensionem, cum non peccaverit, saltem mortaliter: ita *Navar. consul.* 14. *n.* 3. *&* 4. *& cons.* 15. *in fin. de temp. ordin. Bonac. de cens. in partic. tract. de suspen. disp.* 3. *q.* 1. *punct.* 8. *n.* 2. *in fin. & n.* 27. & idem dicendum de Episcopo ordinante bona fide, ut *Bonac. ibi*, *Garz. de benef. par.* 2. *cap.* 5. *num.* 33.

In foro autem externo hæc bona fides non suffragaretur, si error esset in jure, & non in facto; quia juris ignorantia non excusat: ita habetur in *cap. Per tuas* 37. *ibi gloss. verbo Intellexit de simon. Mar. Alter. tom.* 2. *disp.* 10. *col.* 6. *vers. Potest*; imo isti Auctores tenent, id esse etiam pro foro conscientiæ, sed parum probabiliter.

IV. Alias pœnas latæ sententiæ statuit Sixtus V. Bulla *Sanctum*, *& salutare* 91. contra ordinantes, & ordinatos sine titulo: sed fuerunt sublatæ per Bullam Clementis VIII. *Romanum decet* 40. *Quaranta verbo Ordo*, *in fin. Barbos. alleg.* 8. *num.* 12.

☞ *A qua Clementis Bulla conclusa est Sixtina Constitutio iis terminis*, *qui a Trident. decernuntur*. ☜

V. Ex Bulla Pii V. 75. *Romanus Pontifex*, supradictæ pœnæ latæ a jure communi, & a Concilio Tridentino innovatæ (contra clericos seculares in sacris ordinatos sine titulo, seu ficto titulo beneficii, seu patrimonii, seu pensionis) extensæ sunt contra clericos religiosos non professos, & alios clericos seculares, more religiosorum in aliqua Congre-

gre-

gregatione viventes, in qua non fiat professio proprie dicta; ita ut, vel promoveri debeant ad titulum religiosæ paupertatis, idest professionis validæ, & proprie dictæ; vel ad titulum beneficii, vel patrimonii, vel pensionis: & insuper statuit, ut Episcopi, qui prædictos religiosos, seu religiosorum more viventes, absque aliquo ex prædictis titulis ordinaverint, sententiam suspensionis per annum a collatione talium ordinum ipso facto incurrant: ipsi vero promoti contra hanc Constitutionem, careant eorundem ordinum executione, ut ministrare non possint, idest, ut suspensionis sententiam ipso facto incurrant; quod si hanc suspensionem, ministrando, violaverint, privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, & aliis gratiis concessis privari eos decernit, & ut irregularitatem incurrant, & alias pœnas in dicto decreto Concilii Tridentini contentas: a quibus censuris, & pœnis a solo Romano Pontifice absolvi possint.

Amplia, quod hæc Constitutio procedit non solum de prædictis personis, si non emiserint proprie dictam professionem, sed etiamsi eam emiserint, sed irritam, *Garzias de benef. par. 2. cap. 5. n. 12. Barbos. allegat.* 10. *n. 6.* item procedit contra ordinatos cum dubio de validitate professionis, si vere reperiatur nulla, vel irrita, *Garzias ibi, cum Rota Romana.*

Limita, ut non procedat contra emittentes tria vota substantialia Religionis simplicia in Societate JESU, quia illi sunt vere religiosi, *Garz. loc. cit. n.* 13. cum declaratione S. Congregationis, *Sanch. opusc. lib. 7. cap.* 1. *dub.* 35. *n. 9.* ex Bulla Gregorii XIII.

Limita secundo, ut non procedat contra eum, qui putabat bona fide, suam professionem validam esse, ut supra dixi in fine *n. 2.* aut sciens, nullam esse propter justam causam, superioribus volentibus eum promoveri, non est ausus detegere nullitatem ratione scandali, aut damni gravis imminentis, & non poterat effugere sine scandalo, *Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 37. n. 43. cum Navar.* vide alia de hac materia *cap. seq.*

VI. In *cap. Per tuas 37. de simon.* si quis rogavit Ecclesiæ rectorem, ut eum ad Ecclesiæ suæ titulum præsentaret, ut ordinari posset, firmiter promittens, nunquam in Ecclesia sua aliquam petere portionem, ad eum titulum ordinatus, est suspensus, ut non possit in sic susceptis ministrare, neque ad superiores ascendere, donec cum eo dispensetur: & *cap. penul. de simon.* si quis aliquem ordinaverit, vel ad ordinem præsentaverit, promissionem, vel juramentum ab eo recipiens, quod super provisione sua non inquietabit eum, ordinator a collatione, præsentator ab executione ordinum per triennium, & ordinatus absolute, seu tali fiduciario titulo, ab ordine sic suscepto, donec a Sede Apostolica dispensationem meruerit obtinere, noverint se suspensos: has pœnas innovatas esse a Tridentino Concilio *supra cit. sess.* 21. *cap. 2. de reform.* tenet *Henriq. lib.* 13. *cap.* 37. *n.* 2. *Avila par. 2. dis. 2. dub. 5. concl.* 1.

☞ *Gonzalez in cit. c.* Si quis *cum Suarez, aliisque DD. docet, sic ordinatum non excusari ab hac suspensione ob ignorantiam, nisi fuerit invincibilis.*

Advertendum est, circa istas decretales, quod licet ponantur sub titulo de simonia, non tamen isti incurrunt pœnas simoniæ in ordine, propter hoc solum, quod promittat promovendus non petere sustentationem, aut non percipere portionem ex massa communi, aut non petere, vel non retinere patrimonium; quia nihil hic datur propter ordinem immediate, cum tantum promittat promovendus nihil petere de eo, quod ante ordines collatos non debebatur: *Innocen. Jo. Andr. Abb. & Zabarell. in d. cap. penult. de simon. Navarr. cons. 67. versu Tertio quod, qui, de simon. Quaranta, verbo Ordo,* §. *Unde resolutive*: neque incurrunt pœnas simoniæ super beneficiis, si ficte quis accommodat ordinando titulum sui beneficii, *Quaranta* §. *Sed res dubia.*

Si autem vere ei resignaret beneficium, sed cum occulto pacto retrocessionis beneficii, vel fructuum, tunc multi dicunt, recipientem beneficium sub eo pacto fiduciario incurrere in pœnas simoniæ confidentialis, & resignantem, & complices in pœnas simoniæ ordinariæ in beneficiis, ut *Parisius de confid. quæst.* 1. *n.* 93. *Gonzal. regul.* 8. *gloss.* 5. §. 10. *n.* 27. tamen magis communis sententia tenet, pactum retrocessionis fructuum, vel pensionis, & non beneficii ipsius, non inducere pœnas simoniæ confidentialis, sed simoniæ ordinariæ beneficialis, scilicet si fuerit utrinque completa, ut *Sanch. opusc. lib. 2. c. 3. dub. 34. n.* 12. *Quaranta ibid.*

Advertendum secundo, quod prædictæ pœnæ *c. Per tuas, & c. pen. de simon.* secundum magis communem non procedunt in casu, quo quis constituit patrimonium promovendo cum pacto fiduciario de retrocedendo patrimonio, vel fructibus illius; quia illi textus tantum loquuntur de accommodato titulo beneficii, *Zabarell. in dict. c. penult. Less. lib. 2. c. 35. n.* 143. *Tolet. lib. 1. c.* 48. §. *Quinta, Navarr. consil.* 17. *n. 2. de temp. ordin. Quaranta loco cit.* §. *Quod intellige, Gonzal. loco cit. Garz. par. 2. c. 5. n.* 168. est contra *Suar. tract. de suspen. n. 35. dis. 31. sect. 1. de censur. Sayr. lib. 4. c. 15. num. 23. Azor. par. 3. c. 15. quæst. 1. Navarr. c. 27. num.* 158.

Adverte tertio, quod dictæ pœnæ contra præsentantem ad titulum beneficii, contracta fiducia, solum procedunt de præsentante ex officio, qualis est archidiaconus, vel concedens dimissoriales; *Jo. Andreas in dict. cap. penult. Zabarell. ibid. in fin. Barbos. in dict. c. Per tuas num. 6.*

☞ *Vel etiam parochus juxta morem antiquum, secundum quem coadjutorem præsentabat, parte sui beneficii illi assignata, Gonzal. ad cit. cap. Per tuas.* ☜

Adverte quarto, quod pactum illud fiduciarium de non petenda sustentatione ab Episcopo ordinante, est ipso jure nullum, ut contra bonos mores, neque firmatur juramento, *Sanchez opusc. lib. 7. c. 1. dub. 34. n. ult.* cum Canonistis: pactum autem de non petendo patrimonio vere constituto, aut de eo restituendo, secundum multos DD. est validum, ut teneatur promittens in foro conscientiæ illud observare; & ideo tanquam ordinatus sine vero patrimonio, sed ficto, incurrit ordinatus in suspensionem innovatam a *Concil. Trident. ut supra n. 1. & 3.* posset tamen ab Ordinario tale pactum rescindi in pœnam, & ita tenent *Suar. n.* 167. & multi *apud Garz. n. 166. & apud Dianam resol.* 184. *tract. 4. tom.* 2. sed contra multi etiam tenent, pacta prædicta esse ipso jure nulla, & ita patrimonii titulum validum remanere, & idcirco ordinatum non incurrere in prædictam suspensionem: ita tenent, *Quaranta* §. *Quod intellige, Garz. n.* 161. *Tolet. loc. cit. Diana ibid.* cum aliis per eos allegatis: si autem constitutio patrimonii fuit ficta, & simulata, certum est, ordinatum incurrere in præfatam suspensionem, quia nullum habuit titulum, *Garz. n.* 153. *Sanchez de matrim. lib. 6. dis. 32. n. 8. Suar. n.* 35. qui plures allegat.

Sed quæres, an post ordines sacros susceptos ad verum, & legitimum titulum beneficii, vel pensionis, vel patrimonii, hujusmodi titulus alienari valide possit; & nunquid alienans illicite, & Episcopus consentiens, aliquam pœnam incurrant latæ sententiæ?

Respondeo primo, quod *in Trid. Concilio sess.* 21. *cap. 2. de ref.* decretum est, ut beneficium, ad cujus titulum quis fuit in sacris ordinatus, non possit resignari, nisi facta mentione, quod resignans fuit ad illius titulum promotus; neque ea resignatio possit admitti, nisi constito, quod resignans aliunde vivere commode possit: & aliter facta resignatio sit ipso jure nulla: hanc conclusionem esse certam, ait *Sanch. opusc. lib. 7. c. 1. dub. 38. n.* 1. sed distinguendum est; quia si resignatio fiat in Curia Romana, idest in manibus Papæ, ut ad favorem, falso narrato, quod habeat resignans aliunde commodam sustentationem, resignatio erit ipso jure nulla, nullaque erit inde secuta provisio: & resignans habet regressum liberum ad dictum beneficium suum, ut docet *Navarr. cons. 20. n. 3. & 4. de temp. ordin. Parisius de resign. lib. 2. quæst. 6. n.* 41. item si resignatio fiat in manibus Papæ, reticito, quod resignans fuit ad illius beneficii titulum ordinatus, qui, dempto illo beneficio, non habet aliunde commodam sustentationem, ex aliquo scilicet reditu certo, & perpetuo ad vitam suam, resignatio similiter erit nulla ipso jure: ita *Paris. loco cit.* sed si resignans haberet aliunde commodam sustentationem, ut supra, tunc illa reticentia non invalidaret resignationem pro foro conscientiæ, sed solum pro foro externo; quia in foro conscientiæ censeretur satisfactum fini legis, seu menti Sacri Concilii Trident. ita docent *Navarr. & Manuel*, quos allegat, & sequitur *Sanch. dict. dub. 38. n. 1. Parisius ibi n.* 41. at si resignatio fieret (libere scilicet) in manibus Ordinarii cum prædicta subreptione, seu falsa narratione, seu reticentia, & resignans non haberet sufficientem vitæ sustentationem, & Episcopus esset culpabilis in admissione talis resignationis, resignatio quidem valida esset, sed Episcopus teneretur de proprio providere alimenta resignanti, ut censuit *Sacra Congreg. ad dict. c. 2. Triden.* & referunt, & tenent *Paris. loco cit. & Barbos. allegat. 19. n. 47. & in notis ad Triden. c. 2. loco cit.* hoc autem intellige, dummodo resignatio fieret in manibus Ordinarii in casu alias licito, seu ex causa a jure permissa, juxta

ta Constitut. Pii V. de qua dixi *verb. Resignatio c. 2. & ita Paris. & Barb. locis cit.* si vero Episcopus non fuisset in ea causa culpabilis, sed fuisset falsis instrumentis, aut testibus circumventus, resignatio esset irrita, ut *supra dictum est*, *ex Tridentin. & Sanchez cit.*

Respondeo secundo, quod patrimonium, & pensio, ad quorum titulos quis in sacris est ordinatus, ab eo distrahi, aut renuntiari non potest, sine licentia Episcopi, nisi habeat aliunde commodam sustentationem, ut supra dictum est; alias alienatio, & extinctio essent nullius momenti, ex *Tridentin. loco cit.* propter particulam ibi positam *alienari, aut extingui nullatenus possit:* quia dictio, *nullatenus*, inducit ipso jure nullitatem actus, *gloss. in Clem. un. verb. Nullatenus de sequestr. gloss. in auth. Si qua mulier C. ad Vellejan. Felin. in c. Rodulphus, n. 27. verb. Nullatenus de rescr. & alii DD.* communiter, & ita in terminis nostris docet *Sanch. dict. lib. 7. opusc. c. 1. dub. 38. n. 3. cum Navarr. Molin. Man. & Henriq.* quod si Episcopus concederet dictam licentiam non habenti aliunde convenientem sustentationem, ipse teneretur de suo illi alimenta providere, ut supra diximus.

Respondeo tertio, quod qui post ordines receptos suum beneficium, aut patrimonium, aut pensionem dimittit sine licentia, ut supra (nullo pacto præcedente, scilicet ante ordinationem suam) non habens aliunde, unde commode sustentari possit, peccat mortaliter; nullam tamen censuram, aut pœnam latæ sententiæ incurrit: sed merito puniri potest, & debet a suo Ordinario, ita DD. communiter, quos allegat *Barbosa in remiss. ad dict. c. 2. Trid. sess. 21. litt. T.* & deberet Episcopos eum suspendere a divinis, donec reintegrari sibi fecerit titulum suum.

☞ *Quod nullam incurrat censuram latæ sententiæ in alienatione patrimonii, declaratum est etiam a S. Cong. Conc. 6. Mart. 1638. ut lib. 15. Decret. ejusd. Cong. pag. 667. quæ declaratio relata est a Bened. XIV. Institut. Eccles. XXVI. n. 28. editionis latinæ.*

Et nota, quod prohibitio alienationis patrimonii absque licentia Episcopi extenditur etiam ad fidejussionem factam super bonis patrimonii ex declaratione ejusd. Cong. 15. Mart. 1642. juxta tamen hanc declarationem sub die 5. Feb. 1604. prout reperitur in lib. 17. Decret. pag. 18. ibi — Sac. Cong. Conc. censuit, neque in ejusmodi patrimonio, neque in ejus fructibus ad clericum alendum necessariis executioni locum esse posse: licere autem capere in causam judicati eam fructuum partem, quæ quotannis superesset ultra eam, quæ ad ordinati sustentationem, non laute, sed tenuiter vivendo, judicis ecclesiastici arbitratu fuerit necessaria. Posset autem ipsum creditorem accipere in solutum, atque vendere jus sibi competens ad hujusmodi patrimonium, quod per mortem ipsius promoti ad creditorem, uti res hæreditaria, pertinebit. ☜

VII. In Bulla S. D. N. Urbani VIII. *ann. 1624. die 11. Decembris, Secretis*, quæ est Constit. 33. §. 3. statutum est, ut ultramontani, seu exteri, qui in Italia ad ordines sacros ficto, vel fiduciario, vel falso patrimonii titulo se faciunt promoveri, incurrant in perpetuæ suspensionis pœnam absque spe dispensationis, a Sede Apostolica obtinendæ.

Nota, quod hæc Bulla non loquitur de Italis promotis titulo ficto, seu falso, quidquid dicat *Bonac. tract. de suspen. particul. disp. 3. quæst. 1. punct. 8. n. 3.* sibi contrarius, *num. 3. ibid.* neque procedit contra ultramontanos ordinatos, nullo obtento titulo patrimonii: neque procedit contra fingentem titulum beneficii, quia in pœnalibus non fit extensio ob paritatem rationis: neque ibi ordinans in hoc casu incurrit censuram ullam, quatenus sit ex vi hujus Constitutionis.

CAPUT XII.

Ordines collati religioso laico, seu converso, vel apostatæ.

I. EX Bulla Clem. VIII. 83. *Cum ad regularem*, § 34. confirmata decreto S. D. N. Urbani VIII. de quo *in Bullario Const. 26. ejusdem*, qui ab initio admittuntur ad habitum, & novitiatum pro laicis, non possunt postea, etiam durante novitiatu, ad statum clericorum transferri, sed solum ad laicorum professionem admitti possunt: unde apparet, eos esse irregulares ratione obligationis ad statum laicorum, seu ratione assumptionis status incompossibilis cum statu, & ordine clericali, ex vi voti professionis factæ, & admissæ, ut a laico; ideo solus Papa dispensare potest, ut in simili dicam infra, *verb. Religiosi cap. 4.* item quia habent impedimentum canonicum ex prohibitione pontificia perpetua; nihil enim aliud est irregularitas, nisi impedimentum canonicum perpetuum, quod nonnisi per dispensationem auferri potest, ut dixi *verb. Ordo, c. 1. §. Defectus*, & facit *cap. Infames, quæst. 1.* ubi qui curiæ serviunt clericorum, tali scilicet servituti addicti, non possunt promoveri, *cap. 1. & 2. dist. 54.* & sicut miles ratione juramenti præstiti, & assumpti muneris, non potest promoveri, ita nec laicus religiosus ratione status illius assumpti: neque potest superior, seu Prælatus dispensare, sed solus Summus Pontifex: unde laici sine licentia Papæ promoti, erunt dejiciendi a statu clericali, & in ordinem laicorum redigendi, ut patet ex *Bulla Leonis* X. de qua vide *Sorbum in compend. verbo Laici fratres, §. 4. Roderic. quæst. regular. 42. ar. 19. tom. 1.* & probatur ex vi dict. Bullæ Clem. VIII. ob particulam *non possit transferri*, quia illa particula negativa ante verbum *possit*, tollit omnem potestatem, *gl. in c. 1. ver. Non potest de reg. ju. in 6. Sanch. de matr. lib. 6. dis. 38. n. 20. ver. Tertio, Buratt. dec. 14. n. 6. & 52.*

Ideo tales laici professi ordinati, etiam cum licentia, seu cum commendatitiis sui Prælati regularis, incurrunt suspensionem, tanquam ordinati sine legitimis commendatitiis, ut dicam *infra c. 27.* quia Prælatus eam licentiam, seu litteras dare non poterat, & celebrans in ea suspensione aliam irregularitatem incurrit: ex quibus etiam videtur dicendum, quod nullus extra Papam possit dispensare super dicta irregularitate; quia hoc esset dispensare super annexis professioni, seu voto solemni, quod est de reservatis soli Pontifici, ut dicam infra verbo Religiosi, *cap. 4. in fin.*

De ordine recepto ab apostata a religione, vide *supra, verbo Apostasia, cap. 2.*

CAPUT XIII.

Ordines per saltum recepti.

I. REcipiens ordines per saltum, idest omisso aliquo inferiori, superiorem recipiens, secundum aliquos Doctores, est irregularis, quoad omnes ordines, etiam prius legitime receptos: ita tenent *Bernard. Diaz in praxi cap. 24. Henriquez lib. 14. c. 6. n. 3. Sayr. lib. 7. c. 20. n. 39.* qui plures alios pro hac allegat: alii autem dicunt, neque eum esse irregularem, neque suspensum, sed suspendendum; interim tamen esse impeditum, ut non possit licite in receptis per saltum ministrare, donec accipiat omissum: ita *Innoc. Archid. Præpos. Gemin. & Turrecr. apud Tolet. lib. 1. c. 71. n. 7. Angel. verb. Irregul. 1. n. 36. Armilla verb. irregul. n. 68. Tabien. irregul. n. 4. §. 2. concl. 5.* facit *cap. Solicitudo 52. dist.* sed media sententia est magis communis, promotum per saltum non esse ex hoc irregularem, sed esse ipso jure suspensum ab exercitio ordinis sic male suscepti tantum; nec posse ulterius promoveri, nisi cum eo dispensetur, ex *c. un. Tuæ litteræ, de cler. per salt. prom. Trid. sess. 23. c. 14. Nav. c. 27. n. 242. Salzedo ad Diaz loc. cit. Suar. de cens. disp. 31. sess. 1. n. 45. Alter. de suspens. disput. 10. c. 5. Tolet. loco cit. Barbos. allegat. 47. n. 1.* & de magis communi testatur *Layman lib. 5. de sacr. ordin. c. 10. n. 9.* & ita servat stylus Curiæ Romanæ.

Super hac autem suspensione, si promotus non ministravit in male suscepto, dispensare potest Episcopus illius, etiam cum scienter promoto, etiam in casu publico, ex Trident. *loco cit. Bernard. Diaz loc. cit. n. 3. & Salzedo ibi:* si autem ministravit, tunc efficitur etiam irregularis, & solus Papa dispensare potest cum illo, *Borgas. de irregular. part. 6. tit. de cleric. per saltum prom. n. 7. Sayr. loco cit.*

Amplia, quod etiam incurrit eam suspensionem recipiens ordines, omissa prima tonsura, *Sayr. lib. 4. cap. 14. n. 26.* & ita declaravit S. Congreg. ad Triden. *ibidem*, quia satis dicitur hic per saltum promoveri, cum a statu laicali immediate ad ordinem clericalem transeat: quod valde abhorret Ecclesia, ut dicam *infra cap. 15.* & hic statim subjiciam.

Amplia secundo, quod etiam per saltum dicitur promotus, qui ordines inferiores ficte suscepit, scilicet interno dissensu, & superiorem ordinem, v. g. presbiteratum, cum vera intentione, & assensu: quia hujusmodi fictus nihil de ordine recepit: *est S. Thom. 3. quæst. 68. art. 67. & ibi Cajet. in fin. & S. Thom. in 4. dis. quæst. 1. art. 2. q. 3. Palud. in 4. dis. 4. quæst. 5. §. Secundo videndum*, & de communi Theologorum testatur *Suar. de Sacram. dis. 14. sec. 2. §. Dico tamen*

tamen

men primo, & contrariam sententiam aperte falsam ait *Coninch. de Sacr. quæst.* 64. *art.* 8. *n.* 96. & Canonistæ tenent *Turrecr. in cap. Solet*, *n.* 6. *de consf. dist.* 4. *Præpos. in cap. Sicut ficti n.* 1. *quæst.* 1. *Cardin. in cap. Majores* §. *Item quæritur n.* 2. *de bapt.* Quidquid in contrarium dicat *gloss. verb. Perdurare*, *Innoc. Host.* & *Henric. n.* 10. *in dict.* §. *Item quæritur per illum tex.*

Limita, quod recipiens ordinem per saltum, valide recipit eum ordinem, ut iterari non debeat, quia superior, quem recepit, continet virtualiter, vel eminenter inferiorem, ut *S. Thom. in* 4. *dist.* 24. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiun.* 5. ubi ait, sic contineri ordines inferiores in presbyteratu, ut Ducatus in Regno; & quod sacerdotes olim in primitiva Ecclesia ordinabantur ante aliorum ordinum receptionem, & tamen poterant tales sacerdotes facere omnia, quæ pertinent ad ordines inferiores, ita *S. Thom. ibi Navarr. cap.* 27. *n.* 242. *Tolet. cap.* 71. *n.* 8. *Sanch. opusc. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 14. *n.* 2. & quamvis *Hugo*, & *alii Canonistæ*, quos refert *Henric. in cap.* 1. *de cler. per salt. prom. n.* 8. tenuerint, non esse validam ordinum collationem ante primam tonsuram, seu puro laico factam; tamen contraria est communis sententia Theologorum, ut *Henricus ibid.* De ordinatione, seu consecratione Episcopi recepta ante sacerdotium, secundum veriorem, & magis communem, dicendum est, invalidam esse, quia ordo episcopalis non distinguitur adæquate a sacerdotio, sed est extensio illius characteris, ut de magis communi Theologorum testatur *Toletus loc. cit. Sayr. lib.* 10. *cap.* 10. *n.* 41. & communem, & certam ait *Sanch. in opusc. loco cit. n.* 8.

Itaque in hoc casu promotus non incurret suspensionem illam; incurreret tamen irregularitatem, si exerceret actum ordinis sacerdotalis, vel episcopalis, usurpando actum ordinis, quem non habet, ut dicam *infra cap.* 32. si vero quis sacerdotii, & episcopatus ordinem recipit, omissis aliis ordinibus inferioribus, valide recipit, ut *supra* dictum est; ideo incurrit suspensionem præfatam, ratione sacerdorii per saltum suscepti, non autem præcise, etiam ratione episcopalis ordinis, quia hic proprie non est ordo distinctus absolute a sacerdotio, ita *Suar. sect.* 1. *n.* 53. *loco cit. Filiuc. tract.* 17. *n.* 92. *Bonac. de suspens. partic. q.* 1. *punct.* 2. *n.* 6.

Limita secundo, quod non dicitur promotus per saltum, qui omisso sacramento confirmationis, ordines recipit; neque incurrit censuram supradictam, & valida est ordinatio, quamvis peccet mortaliter, ex *Trident. sess.* 24. *cap.* 4. ut tenet *Diaz cap.* 24. *praxis*, *Navarr. cap.* 25. *n.* 69. & contrariam opinionem improbabilem ait *Sayr. lib.* 7. *c.* 10. *n.* 42. imo, quod neque hoc sit peccatum mortale, vel veniale, tenet frequentior calculus Doctorum, ut apud *Barbos. allegat.* 2. *n.* 14. & tenet *Coninch. de sac. ordin. quæst.* 72. *art.* 8. *n.* 90. *Diana resolut.* 24. *de sacr. confirm. tom.* 2. & alii apud eosdem: item, neque per saltum promotus, irregularis est, nec qui recipit ordinem presbyteratus, vel episcopatus, omissis sacris unctionibus; sed solum est impeditus ministrare in suscepto, donec suppleatur, quod omissum est, *c.* 1. *de sacra unct. c.* 1. *ibi gloss. verb. Permitti de sacr. non iter. ibi Abb.* & *Barbos. n.* 4. *Reginal. lib.* 32. *tract.* 2. *n.* 71. *Sylvest. verb. Irregular.* §. 52. *lim.* 5.

Adverte autem, quod cum promoto per saltum sacra Pœnitentiaria non dispensat, nisi quando in occultis periculum adesset gravium scandalorum, nisi dispensaret; & concedit litteras ad effectum omissum ordinem recipiendi a quocunque catholico Antistite &c. etiam extra tempora, etiam non servatis interstitiis, & absque dimissoriis proprii diœcesani, quibuscunque diebus festivis, etiam continuis. Et notandum, quod in foro externo non est audiendus, dicens, se ordines ficte, idest interno dissensu accepisse, ideo non debet denuo ordinari, etiam sub conditione, ad tales ordines ficte susceptos, ut tenent *Palud. Suar.* & *Præpos. loco supr. cit.* secus pro foro conscientiæ, ut ait *S. Thom.* 3. *par. quæst.* 68. *art.* 7. & *ibi Cajet.*

CAPUT XIV.

Ordines extra tempora legitima recepti, seu collati.

I. DE jure communi recipiens ordines extra tempora a jure statuta, non est permittendus in susceptis ministrare, *c. Sane de temp. ordin.* & olim quidem cautum erat, ut suspensus, seu depositus permaneret, donec a Sede Apostolica testitutionis gratiam meruisset obtinere, *cap. Cum quidam eod. tit.*

Sed postea Gregor. IX. *c. Consultationi*, *eod. tit.* statuit, ut cum taliter ordinatis, pœnitentia peracta, ab Episcopo possit dispensari, ut in susceptis ministrent, ut notat *gloss. ibi*, & *Sayr. lib.* 4. *cap.* 14. *n.* 2. cum aliis: quod est intelligendum de Episcopo, qui non fuerit culpabilis in tali ordinatione, *Angel. verb. Irregul. n.* 35. *Majol. lib.* 3. *cap.* 24. *n.* 9. *Card. in dict. cap. Cum quidam.*

Primum dubium est, an dicta suspensio sit latæ sententiæ, vel ferendæ? aliqui putant, esse latæ sententiæ, *Angel. ibi Sylv. verb. Irregul. n.* 12. *Tabien. verb. Irregul.* 4. *n.* 7. *quæst.* 6. *Abb. in cap.* 2. *de temp. ordin. Sayr. loco cit. Barbos. in dict. cap. Cum quidam n.* 3. alii dicunt, esse ferendæ sententiæ, *Innoc.* & *Host.* quos sequitur *Avila part.* 3. *disp.* 5. *dub.* 7. §. 2. *supponendum*, *Jo. Andr.* & *Abb. in dict. cap. Cum quidem n.* 4. *Tolet. lib.* 1. *cap.* 48. §. *Quarta*, *Suar. disp.* 31. *sect.* 1. *n.* 30. hæc videtur magis communis recentiorum.

Secundum dubium est, an hæc pœna procedat, etiam contra ordinatum in minoribus extra tempora? affirmant DD. quia *tex. cap. Cum quidam* generaliter loquitur: ita *Majol. lib.* 3. *cap.* 24. *n.* 10. *Sayr. loco cit. n.* 21. *Abb. in dict. cap. Cum quidam in figuratione casus.*

II. Ex Bulla Pii II. 6. *Cum ex sacrorum*, fertur pœna suspensionis latæ sententiæ ab executione ordinum contra eos, qui sacros ordines recipiunt extra tempora; quod si celebrent in ea suspensione, irregulares efficiuntur, ut ibi dicitur.

Nota, quod illius suspensionis absolutio ibi non est reservata Papæ, *Avila loc. cit. Barbos. alleg.* 8. *n.* 12. *Reginal. lib.* 30. *tract.* 2. *n.* 60.

Nota secundo, quod non procedit illa pœna contra ordines minores, vel primam tonsuram recipientem extra tempora, *Navarr. cap.* 25. *n.* 70. *Miran. Manual. Prælat. tom.* 1. *q.* 39. *art.* 7. *concl.* 1. *Suar. de censur. disp.* 31. *sect.* 1. *n.* 30. *in fin. Barbos. alleg.* 17. *n.* 12. *Tolet. loco cit.*

Nota tertio, quod hæc suspensio est tantum ab ordine sic male suscepto, *Henriq. tract. de suspens. cap.* 38. *n.* 1. *Suar. loco cit. num.* 31. *Layman de sacr. ordin. cap.* 10. §. *Tertium.*

III. Ex Bulla 91. Sixti V. *Contra clericos male promotos*, fuit lata suspensio Papæ reservata contra recipientes ordines extra tempora: sed ea Constitutio, quoad hoc, fuit abrogata a Clem. VIII. Bulla 40. *Romanum decet*, & redacta ad terminos juris communis, & Bullæ Pii II. supra citatæ, ut *Reginal. loco cit. Barbos. dict. cap. Cum quidam n. ult.*

IV. Ordines conferens extra tempora, nullam censuram, seu pœnam ipso jure incurrit, *Barbos. alleg.* 17. *n.* 9. sed est suspendendus a potestate ordines conferendi, per *cap. Sane*, *ibi Abb. n.* 3. *de temp. ordin. gloss. in dict. cap. Cum quidam*: & quamvis per Bullam citatam Sixti V. incurreret suspensionem, & alias pœnas latæ sententiæ; tamen, ut dixi, ea Constitutio fuit moderata a Clemen. VIII. in hac parte, ideo dictæ pœnæ cessarunt.

Advertendum est, quod ordines sacri solum conferendi sunt in Sabbatis quatuor temporum, aut Sabbatu sancto, aut Sabbato ante Dominicam Passionis, *cap. Quo die*, *cap. ult.* 75. *dist. cap. De eo*, *de temp. ordin. Trid. sess.* 23. *cap.* 8. nisi super hoc Papa dispenset: vide *Sanch. opuscul. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 51. vel nisi in uno casu, quando scilicet ob aliquod justum impedimentum Episcopus non potuit ordinationes explere in Sabbatis supra dictis; potest enim tunc in die Dominica immediate sequenti, continuato jejunio naturali ab Episcopo, & ab ordinandis, ordinationes supplere, *cap. Litteras de temp. ordin. gloss. ibi verbo Pertinere*, *Hostien. ibi*, *Cardin. n.* 1. *Anan. n.* 3. & *alii Canonistæ.*

Ordines autem minores conferri possunt, non solum dictis temporibus, sed etiam mane in qualibet die Dominica, vel festo, si privata sit ordinatio, ut si unus, aut duo ordinentur, *cap.* 3. *de temp. ordin.* imo etiamsi tres, aut plures, si non tam multi sint, ut videatur generalis ordinatio celebrari, *Sanch. dub.* 52. *loco cit. Diana resol.* 30. *miscell.* 2. *tom.* 1. *cum allegatis*: prima vero tonsura quovis die, & hora conferri potest, *Sanch. dub.* 52. *n.* 1. & de communi testatur *Henriq. lib.* 10. *cap.* 12. *n.* 1.

Episcopalis autem consecratio ex antiqua traditione, die tantum Dominica confertur, *cap. Quotidie* 75. *dist. S. Leo epist.* 79. Vide *Barbos. allegat.* 17. *n.* 1.

☞ *Quamvis ex declaratione Bened. XIII. in Concil. Roman. celebrato an.* 1725. tit. 5. cap. 2. de tempor. ordinat. Regulares — Privilegia a Summis Pontificibus habentes, sive

expresse, sive per viam communicationis concessa, sacros videlicet ordines extra tempora suscipiendi, cum privilegia ipsa in suo robore persistant, nec iis derogatum fuisse constet — *tuto absque novo Indulto Apostolico ordinari possint extra tempora; hæc tamen privilegia Bened. XIV. Constit.* Impositi 27. *Sept.* 1747: *declaravit, ut dicam infra in Additione post cap.* 27. *ver.* Ordo — illis solis Regularibus suffragari, quibus post Triden. nominatim, atque directe, non vero per communicationem concessa fuerint; & hæc indulta non censeri, nisi vel post ipsius Trideo. confirmationem re ipsa fuerint concessa; vel quatenus antea concessa, & postea confirmata esse asserantur, hujusmodi confirmationes in forma specifica cum litterali veteris indulti insertione, ejusque expressa innovatione factæ dignoscantur: ac ... alterius generis confirmationes, quæ in forma communi nuncupantur, nemini ad prædictum effectum suffragari. —

Declaravit insuper, dicta privilegia non arctare Episcopos diœcesanos ad eos ordinandos extra tempora, vel dimittendos ad ordinationem alibi suscipiendam. ☜

CAPUT XV.

Ordines, non servatis interstitiis, collati, seu recepti.

NOta primo, inter ordines, regulariter loquendo, servanda esse interstitia, ut gradatim ascendatur ad illos, & prius se debet exercere promovendus in suscepto, antequam ad alium ascendat, ex Trident. *sess.* 23. *c.* 11. *in princ.* Inter primam tonsuram, & minores servandum esse interstitium saltem unius diei, ne quis sit eadem die purus laicus, & certo ordine insignitus, multi Doctores docent, ut *Innoc. Andr. Butr. & Panormit. in cap. De eo, de temp. ordin. Sylvest. verbo Ordo* 2. *num.* 7. *Cuccus lib.* 4. *instit. tit.* 13. *num.* 17. *Emanuel Sà, verbo Ordo num.* 17. *Bonacina de sacram. ordin. punct.* 5. *numero* 54. addunt *Emanuel Sà, & Bonac.* dispensationem super hoc interstitio ad Summum Pontificem pertinere, nisi consuetudine receptum sit, ut Episcopos possit dispensare: sed contrarium tenent probabilius alii, nempe non esse jure communi, neque ex Trident. vetitum conferre eodem die primam tonsuram cum uno minori ordine (aut pluribus, si Episcopo videbitur, ut statim dicam) ita tenent *Flor. Anan. & Cardin. in dict. c. De eo*, qui dicunt, ita esse consuetudine receptum; & *Tabiena, verbo Ordo* 2. *n.* 3. *Sayr. de censur. lib.* 7. *c.* 10. *n.* 20. *Sorbus, verbo Ordines*, §. *An autem, Avila part.* 7. *disp.* 9. *sect.* 1. *dub.* 4.

Inter minores autem non requiruntur interstitia unius anni, sed sufficit interstitium, quod est inter ipsa singula quatuor tempora, seu alia tempora generalibus ordinationibus a jure assignata, de quibus *supra c. præcedenti* dixi, & ita *Ugol. de potest. Episc. c.* 26. §. 27. *n.* 4. *Majolus lib.* 3. *c.* 24. *n.* 13. *Barbos. alleg.* 11. *n.* 14. secundum probabiliorem. Potest tamen Episcopus, quando sibi videbitur, dispensare super interstitiis istis minorum ordinum, ex *Tridentino dicto c.* 11. *in princ.* et intellige de Episcopo, ad quem ipso jure pertinet ordinare, sive is ordinet, sive dimissorias concedat, *Sanchez lib.* 7. *opusculor. c.* 1. *dub.* 17. *Barbos. allegat.* 18. *n.* 9. Poterit autem dispensare juste, si iste ordinandus jam sit versatus, et exercitus in ordinibus minoribus, ut contingit in religiosis; quia satisfactum censetur fini decreti istius.

Inter ordinem acolythi, et subdiaconatum intercedere debet interstitium unius anni, nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat, *Trid. ibid. c.* 11. *in fine*; inter subdiaconatum, et diaconatum requiritur interstitium unius anni, nisi aliud Episcopo videatur, *Trident. sess.* 23. *c.* 13. inter diaconatum, et presbyteratum similiter unius anni requiritur interstitium, nisi aliud Episcopo videatur ob Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem, *Trident. ibid. c.* 14. nunquam tamen possunt duo sacri sine dispensatione Apostolica, eadem die conferri; ut *Trident. sess.* 23. *cap.* 13. ubi derogat omnibus privilegiis: ubi autem est consuetudo, ut minores cum subdiaconatu conferantur, ea servari poterit, ut *Navar. cap.* 25. *n.* 71. *Salzedo ad Diaz c.* 25. *lit.* C. *Suar. de cens. disp.* 31. *sect.* 1. *n.* 41. *Sanch. dub.* 53. *n.* 5. *Sayr. lib.* 7. *cap.* 10. *n.* 26.

Nota secundo, quod hodie Græci in ordinibus conferendis, non servant tempora, nec interstitia: quæ tamen consuetudo magis corruptela, & abusus recentiorum schismaticorum esse videtur, cum sit contra Canones Synodi Nicænæ, & Sardic. & sextæ, & octavæ, ut late probat *Leo Allatius tract. de ætat. & interstit.*

I. Episcopus, conferens duos ordines sacros eadem die, est ipso jure suspensus a collatione illorum ordinum, quos sic contulit, idest utriusque sacri, secundum multorum sententiam, per *c. Litteras de temp. ordin.* ibi *volumus manere suspensos, Majol. lib.* 3. *c.* 24. *n.* 13. *Barbos. in dicto c. Litteras n.* 4. *cum Mario Alter. & aliis, Layman lib.* 5. *de sacram. ordin. c.* 10. *n.* 10. & procedit, etiamsi continuato jejunio duobus diebus duos sacros conferat; ut *in dicto c. Litteras, & Salzedo ad Diaz loc. cit. Barbos. in dicta c. Litteras n.* 3. *cum aliis Doctoribus*: contra tamen, quod ea suspensio non sit latæ sententiæ, sed ferendæ, tenent *Suarez disput.* 31. *sect.* 1. *num.* 40. *Joann. Andr. Hostien. Cardin. & Anan. in dict. cap. Litteras.*

☞ *In cap.* Dilectus 15. *de temp. ord. ordinans, remanet suspensus a collatione ordinum, donec mereatur gratiam dispensationis obtinere a Sede Apostolica, licet duos ordines sacros eadem die contulisset de mandato Metropolitani.* ☜

II. Recipiens primam tonsuram cum minoribus, scilicet eadem die, nullam ipso jure incurrit censuram, *Sayrus lib.* 7. *c.* 10. *n.* 22. *Suarez n.* 43. sed recipiens minores cum subdiaconatu eadem die, secundum multos Doctores, est ipso jure suspensus a posteriori ordine tantum, per *c.* 2. *de eo, qui furtive, & per dict. c. Litteras*: ita *Navar. cap.* 25. *n.* 71. *Sayrus lib.* 4. *c.* 14. *n.* 25. *Suar. n.* 41. *Vivald. de suspens. n.* 47. & de communi testatur *Layman c.* 10. *n.* 10. cum S. Congregatione: sed alii dicunt, eum fieri ipso jure non suspensum, sed irregularem: ita *Tolet. lib.* 1. *cap.* 71. *in fine, Navar. cap.* 27. *n.* 241. *Avila par.* 7. *disp.* 9. *sect.* 1. *dub.* 4. *Sayr.* in hoc varians *lib.* 7. *c.* 10. *n.* 22. *Salzedo ad Diaz c.* 25. *vers. una eadem die*: sed dicunt, posse ab Episcopo dispensari, ut ministret in minoribus bene susceptis, per *tex. in dict. cap.* 2. *de eo, qui furtive*: item si Religionem ingrediatur suffragantibus meritis, potest in utraque sententia ejus Prælatus dispensare, ut ulterius etiam promoveatur, *dict. c.* 2. *Sayr. lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 25.

III. Recipiens autem duos sacros eadem die, vel duobus diebus continuis, etiam continuato jejunio, secundum magis communem est suspensus ab executione posterius recepti tantum, *cap. Litteras de temp. ordin.* ubi est casus de duobus sacris: & in *c.* 2. *de eo, qui furtive*, ubi permittitur ministrare in priori bene suscepto: & ita *Majol. lib.* 3. *c.* 24. *n.* 13. *Navar. c.* 25. *n.* 71. *Suar. de censur. disp.* 31. *sect.* 1. *n.* 41. *Barb. in dicto c. Litteras, n.* 5. & de communi testatur *Layman lib.* 5. *tract. de sacr. Ordin. c.* 10. *n.* 10. alii tamen dicunt, talem esse irregularem quoad omnes ordines: ita *Navar. c.* 27. *n.* 241. *Tolet. dict. c.* 71. *in fin. Avila loco cit. cum Angelo, & Sylv. Majol. lib.* 4. *cap.* 11. *n.* 1. sed stante prima sententia, ea est intelligenda, ut sit suspensus solum a posterius suscepto, si Episcopus non fecit prohibitionem sub pœna excommunicationis ferendæ, ne quis accederet ad duos sacros suscipiendos: si enim talis comminatio, seu prohibitio fuit facta, erit suspensus ab utroque ordine, per *c. fin. de eo, qui furt.* quia tunc ab initio accedens ea intentione, in utriusque receptione deliquit; adde, quod si non sit facta dicta comminatio, potest Episcopus dispensare, ut ministret in prius suscepto: si autem facta est comminatio, solus Papa super utroque dispensat, nisi Religionem ingressus, ibi laudabili aliquo tempore fuerit conversatus: tunc enim Prælatus ejus super utroque potest dispensare, & etiam, ut ulterius promoveri possit, *dicto c.* 2. *&* 3. *de eo, qui furt. Tolet. ibid. Sayr. lib.* 4. *c.* 14. *n.* 25. *Avila loco cit. Diaz c.* 25. vide hac de re *supra c.* 7.

☞ *De suspensione sic ordinati consule cit. cap.* Dilectus *in Gonzal. a quo integer decretalis textus refertur.* ☜

Recipiens sacerdotium, & episcopalem consecrationem eadem die, nullam incurrit censuram, seu pœnam ipso jure: imo licitum est die sabbati competenti recipere sacerdotium, & die Dominica, etiam non continuato jejunio, fieri Episcopum, *Abbas in dict. cap. Litteras*, ubi testatur de communi, & *ibi Cardin. n.* 3. *de temp. ordin.*

Recipiens ordines, etiam sacros, non servatis interstitiis a jure statutis, dummodo non eadem die, neque extra tempora eos recipiat, nullam incurrit censuram, neque irregularitatem; quia non est id jure cautum; ita *Suar. de censur. disp.* 31. *sect.* 1. *n.* 43. *Barbos. allegat.* 18. *n.* 11. *Zerola in praxi, verbo Ordo n.* 8. *Diana resol.* 32. *tract.* 2. *tom.* 2. quamvis peccet mortaliter, qui ignorante Episcopo proprio, sic promovetur, non servatis interstitiis, ut iidem Auctores faten-

tentur: & hæc procedunt, etiamsi quis ordinaretur (non servatis interstitiis) ab alieno Episcopo vigore dimissorialium proprii Ordinarii, in quibus esset clausula, servatis interstitiis: quia ablativum absolutum non importat conditionem, seu formam essentialem, quando exprimit id quod tacite inerat de jure communi, ut *Bal. in leg. 1. Oppos. 11. ff. de leg. 2. Jas. in rub. ff. Sol. matr. n. 2. Ripa ibi n. 33. Sanch. de matr. lib. 3. dis. 5. n. 4.*

IV. Episcopus, conferens duos ordines sacros, vel minores cum subdiaconatu eadem die, nullam censuram, seu pœnam ipso facto incurrit; nam suspensio, de qua in *cap. Litteras, & in c. Dilectus, de temp. ordin.* contra Episcopum sic ordinantem, non est latæ sententiæ, sed ferendæ, & contra ordinatum est latæ sententiæ, *cap. Cum Lator 2. de eo, qui furtive Ord. suscepit*: ita *Hostien. in d. c. Litteras in fin. Abb. n. 3. Cardin. oppos. 4. Anun. n. 4.* quamvis etiam contra Episcopum ibi esse latam sententiam suspensionis a collatione ordinum istorum, dicant *Henriq. lib. 4. c. 6. n. 5. Bonac. de cens. in partic. d. 3. quæst. 1. punct. 4. §. 1. n. 4.* sed contra communem locuti sunt, quam communem etiam tenent *Suar. dis. 31. sec. 1. n. 41. Laym. de sacr. ordin. c. 10. num. 10.*

Adverte, quod ex Bulla Sixti V. *contra male promotos*, statutæ erant variæ censuræ latæ sententiæ contra promoventes, & promotos in omnibus casibus omissionis interstitiorum: sed ea Bulla fuit in hoc redacta ad terminos juris communis per Bullam Clem. VIII. 40. ut *Suar. disp. 31. sect. 1. n. 41. & 43.*

CAPUT XVI.

Ordines recepti, seu collati ab alieno Prælato sine dimissorialibus, vel licentia proprii Ordinarii diœcesani, vel fictis dimissorialibus.

1. IN *cap. Si quis ausus 71. dist.* ex Nicæno *c. 16. in fin.* habetur: si quis ausus fuerit aliquem, qui ad alterum pertinet, ordinare, cum non habeat consensum illius Episcopi, a quo recessit clericus, irrita sit hujusmodi ordinatio: similiter *c. 1. 9. q. 2.* Gelasius Papa ait, talem ordinationem ratam non fore, nec vires ullas habituram: hæc verba intelliguntur communiter, non quod ordinatio sit vere nulla in actu primo, cum impressus sit character, sed intelligitur irrita ordinatio in actu secundo, idest non habet ordinatus ordinis illius licitam executionem; ita *Turrecrem. in dict. cap. 1. & Sanch. opusc. l. 7. c. 1. dub. 20. n. 14.* hæc autem verba, si spectemus juris rigorem, videntur reddere ordinatum ipso jure suspensum, vel irregularem, per ea, quæ dixi *supra c. 11. in princ.* tamen multi Doctores tenent, quod hæc verba non sint accipienda in tanto rigore, sed ita, quod peccet sic ordinatus celebrando, seu exercendo tales ordines, quandiu non ratificaverit eam ordinationem proprius Episcopus; non tamen quod sit suspensus, neque proprie irregularis: ita *gloss. verbo Statuit, & DD. in c. Eos, de temp. ordinand. in 6. Joannes Andr. in cap. Quod translatus eod. tit. Salzedo ad Diaz c. 26. Littera C. Suarez de censur. disp. 31. sect. 1. n. 14. Armilla, verbo Ordo, n. 16. Navarr. cons. 27. n. 5. & cons. 29. n. 1. de temp. ordin. Sanch. opusc. loc. cit. dub. 28. n. 5.* quod autem stando in jure communi antiquo, ratificari possit ordinatio illa, & sic cesset impedimentum, habetur in *cap. Lugdunensis 9. quæst. 2. & ibi gloss. verbo Poterit, Navar. consil. 27. n. 5. de temp. ordin. gloss. in c. Illud 71. dist. ibi Ugo, & Turrecrem. in dict. c. Lugdunensis, cum Laur. Archid. & Jo. Andr.* & tenet *Salzedo ad Diaz c. 26. praxis can. §. Tertio erit, Suar. de censur. disp. 31. sect. 1. n. 14. & Bonac. de Sacr. Ordinis, punct. 4. n. 26.* & tenet *Sotus, Medina, Gabriel, Cuccus, & Manuel*, quos allegat *Sanch. opusc. loc. cit. dub. 28. n. 8.* ubi etiam hanc sententiam ait satis probabilem: & procedunt prædicta tam de promoto ad sacros, quam ad minores, vel primam tonsuram: imo de ordinato in minoribus, vel prima tonsura initiato, quod non sit suspensus, neque irregularis, sed tantum impeditus exercere sub peccato ante ratificationem, ait probabiliorem *Sanchez dub. 28. n. 4.* & ideo dicunt, validam esse collationem beneficii tali clerico factam: ita *Navarr. consil. 27. n. 5. & consil. 29. n. 1. de tempor. ordinand. Guidopapa decis. 449. incip. Laicus, Sanchez dub. 28. n. 6.*

Contra tamen alii tenent, prædictos ordinatos in sacris, vel minoribus esse suspensos, vel irregulares, ex ratione prædicta, ita ut neque collatio beneficii eis facta, sit valida; neque posse eam ordinationem a proprio Episcopo ratificari: ita multi DD. quos allegat, & sequitur *Sanchez* sibi contrarius *dub. 20. n. 16. & seqq.* imo quod recipiens primam tonsuram sine licentia sui Episcopi, non gaudeat privilegio clericali ipso jure, ait communem *Salzedo ad Diaz in praxi c. 26. §. Et non solum*, tenent *Chassaneus, Rebuff. & Salzedo*, quos allegat, & sequitur *Sanch. ibi n. 15. Cephal. consil. 682. vol. 5. Marius Alterius tom. 2. disput. 9. c. 4. vers. Unde sequitur, Azor. tom. 2. lib. 3. c. 49. quæst. 4.* ubi ait, talem non posse ulterius promoveri, & incapacem esse beneficiorum, & non gaudere privilegio clericali fori, & canonis, nec posse ratificari tonsuram ejusmodi a suo Episcopo, sed indigere Apostolica dispensatione.

Hanc secundam sententiam quoad initiatum prima tonsura, veram puto, si tamen sequatur sententia declaratoria privationis privilegii clericalis, per ea, quæ infra dicam de ordinato falsis dimissorialibus, vel commendatitiis: & ita *Bonac. tract. de suspens. partic. quæst. 1. punct. 11. n. 21.*

II. Ex Bulla Pii II. 7. *Cum ex sacrorum*, ordines sacros suscipiens sine litteris dimissorialibus sui Episcopi, incurrit ipso facto suspensionem, in qua celebrans fit irregularis: & hæc Extrav. est confirmata a Leone X. Paulo III. & Pio V. ut *Bernard. Diaz c. 26. & ibi Salzedo, §. Extravagans Pii II.* sed hæc Bulla solum procedit contra recipientes ordines sacros, non autem minores, *Mandos. regula 24. quæst. 1. n. 6. Salzedo ibi §. Quinto erit, Sanchez loco cit. dub. 28. n. 2.* & dixi *supra eod. verbo Ordo, c. 1. n. 3.* ubi etiam *n. 2.* vide multa ad declarationem ejusdem Bullæ, & suspensionis. Hodie itaque ex vi hujus Bullæ Episcopus non potest per solam ratificationem rehabilitare ordinatum, sed requiritur absolutio a suspensione, *Quaranta verbo Ordo, §. Amplia hanc, cum Mandos. Rebuff. & Lopez*; potest tamen hunc male ordinatum absolvere idem proprius Episcopus, ut dixi *dict. cap. 1. n. 2.*

III. Ex *Trid. sess. 6. c. 5.* ordinatus ab Episcopo alieno sine licentia expressa sui Ordinarii, est ab executione ordinum ipso jure suspensus: & iterum *sess. 23. c. 8.* ordinatus ab alieno Episcopo sine licentia proprii Episcopi, est suspensus ipso facto a susceptorum ordinum executione, quandiu proprio Ordinario videbitur expedire, & *Bonac. de censur. in partic. dis. 3. quæst. 1. pun. 11. n. 28.* ubi notat, quod licet absolutio hujus censuræ per Sixtum V. esset Papæ reservata, tamen ejus Constitutio, quoad hoc, fuit revocata a Clem. VIII.

Ex quo decreto hodie multi Doctores dicunt, per ratihabitionem proprii Episcopi induci dispensationem super ordinibus, seu absolutionem a suspensione prædicta: ita *Majol. lib. 4. c. 20. n. 1. Paris. de resign. lib. 4. quæst. 2. n. 87.* & quod est intelligendum, quando Episcopus per hoc intenderet auferre suspensionem: ita *Quaranta, verbo Ordo, §. Amplia hanc Extravag.*

Advertendum est, quod ad ordines legitime ab alieno Episcopo suscipiendos, sufficit, vel proprias habere dimissoriales, vel expressam licentiam, ita ut non sit necesse licentiam dari in scriptis, nisi pro ultramontano in Italia ordinando, ut infra dicemus, & probatur *Tridentin. sess. 14. c. 2. de refor.* & ita *Sanchez opusc. loc. cit. dub. 20. n. 4.* & vicarius generalis Episcopi, regulariter loquendo, non potest dimissorias concedere sine speciali mandato, nisi Episcopo agente in remotis, *Sbrozz. de offic. Vic. lib. 2. quæst. 41.*

Advertendum secundo, quod multi DD. dicunt, præfatam suspensionis pœnam latam a Tridentino Concilio contra promotos sine licentia proprii Episcopi habere locum, non solum contra promotos in sacris, sed etiam in minoribus: quamvis enim in principio *dict. c. 8. sess. 23.* loqui videatur de ordinibus sacris, tamen postea generalius loquitur, & quia in *c. 5. sess. 6.* generaliter loquitur: & ita tenent *Majol. lib. 4. c. 20. Cherub. super Bulla 7. Pii II. schol. 2. Toletus l. 1. c. 49. §. Quarto, Quaranta, verbo Ordo, §. Limita in eo, qui per trienn. Suarez de censur. disp. 31. sect. 1. n. 19. Filiuc. tract. 17. n. 68.* ubi ait, ita a S. Congregat. declaratum; & communem ait *Salzedo ad Diaz c. 26. pag. 124.* & communiter etiam dicunt, procedere de prima tonsura initiato dicta Trident. decreta: quia in jure canonico venit communiter appellatione ordinum: ita *Riccius collect. 1678. Eman. Sà verbo Suspens. n. 11. Fornarius de Sacr. ordin. punct. 4. n. 27.* & ita de communi *Salzedo l. cit.* & tenet *Diana resol. 144. tract. 4. tom. 2.* & quod prima tonsura veniat ordinum appellatione, ait *Gloss. in cap. 1. verb. Clericum, de temp. ordin. in 6.* quamvis contra, quod Tridentini pœna non pro-

procedat contra promotos in minoribus, teneant *Avila par. 3. disp. 5. dub. 7. §. Secundo supponendum*, *Navar. conf. 31. de temp. ordin. & conf. 39. n. 3. eod. tit. Sanch. opusc. lib. 7. c. 1. dub. 28. per tot.*

Unde putant, de promoto in minoribus dicendum, quod de jure communi supra dixi *n.* 1. secundum communiorem sententiam, ideſt non incurrere dicto casu censuram illam, vel irregularitatem proprie dictam: & de prima tonsura initiato concedunt *Tolet. lib. 1. c. 49. versu Prima habetur*, *Zerola par. 1. verbo*, *Dimissoriæ*: quia prima tonsura non est ordo, nec sacramentum, *S. Thomas in 3. sentent. dist.* 24. sed est deputatio ad statum, & ministerium ecclesiasticum, ut *Apostilla ad Guidopap. dec.* 449.

Limita prædictas pœnas, ut non procedant contra promotum (ab alieno Episcopo) bona fide; quia censuræ, & irregularitates ex delicto hæ sunt, quæ sine culpa mortali non incurruntur, ita *Navarr. c. 27. n.* 155. *Henriq. de excomm. c. 38. n. 1. Suar. de cens. dis. 31. sect. 1. n. 15. & alii multi*, quos allegat *Bonac. de cens. par. dis. 3. q. 1. pun. 11. n.* 15. idem tenens.

IV. Episcopus, conferens ordines subdito alieno sine illius Ordinarii dimissorialibus, vel licentia, olim erat suspensus per annum a celebratione Missæ, *c. Episcopus in diœcesi 7. quæst. 1. ibi Turrecrem. gloss. in c. Eos qui*, *de temp. ordin. in 6.*

V. Sed ex *dict. c. Eos qui*, si id facit ex præsumptione, ideſt scienter, seu ex ignorantia affectata, incurrit suspensionem per annum a collatione ordinum: & clerici talis delinquentis subditi, postquam illius suspensio fuerit manifesta, poterunt a vicinis Episcopis ordinari absque licentia sui Episcopi, seu Prælati: an autem hæc suspensio sit ab ordinis tantum male collati collatione, affirmant *Archid. & Gemin. ibi*: sed communis ait, esse suspensionem ab omnium ordinum collatione: ita *Suar. disp. 31. sect. 5. n. 5. Marius Alterius de suspens. dis. 16. cap. 1. col. 3. Palud. in 4. dist. 19. quæst. 7. Avila par. 3. dis. 5. dub. 8. casu 7. Bonac. de suspens. partic. quæst. 2. punct. 7. n. 4.*

☞ *Ex Constit. Innoc. XII.* Speculatores 4. *Novemb. 1694. hanc eandem pœnam eo ipso incurrit Episcopus*, *etiamsi ordinet in propria diœcesi sibi subditum sine litteris dimissorialibus Ordinarii loci*, *in quo dictus subditus adultus moratus est*, *ita ut ibidem juxta eandem Constit. contraxerit domicilium*, *quam Constit. habes post seq. caput*. ☜

An vero procedat hæc pœna, etiam contra alios Prælatos, habentes privilegium minores ordines conferendi? respondeo affirmative, ut *gloss. in dict. c. Eos qui*: sed an procedat hæc pœna etiam contra conferentem primam tonsuram? negant *gloss. ibi*, *verb. Clericos*, *Gemin. ibi n. 5. Toletus lib. 1. c. 48. §. Secunda habetur*, *Riccius*, *& Villalobos*, quos allegat, & sequitur *Diana resol. 194. tract. 4. tom. 2.* sed alii affirmant, ut *gloss. in dict. cap. Eos qui*, *verbo Ordinare*, *Salzedo ad Diaz in praxi c. 26. Barbos. in dict. c. Eos n.* 10.

VI. Ex *c. final. de temp. ordin. in 6.* Episcopus, conferens primam tonsuram homini alienæ diœcesis sine licentia illius superioris, per annum a collatione clericalis tonsuræ duntaxat noverit se suspensum: de cujus textus intellectu multa dixi supra *c.* 1.

VII. Ex *Trid. sess. 23. c. 8.* Episcopus, seu alius Prælatus, conferens ordines alieno subdito sine licentia proprii Ordinarii, incurrit suspensionem a collatione ordinum per annum.

Nota, quod hæc censura non requirit præsumptionem, sed sufficit ignorantia crassa, vel supina: an autem procedat contra conferentem minores ordines, an tantum sacros? dixi supra *n.* 3. & Doctores pro utraque parte affert *Diana resol. 194. tract. 4. tom. 2.*

☞ *Ex eodem cap. sic ordinatus*, *est suspensus ab executione ordinum susceptorum*, *donec proprio Ordinario videbitur expendire*. ☜

VIII. Sixtus V. in Bulla *Sanctum*, *& salutare*, contra male promotos, & promoventes, varias censuras statuit latæ sententiæ, Papæ reservatas contra præfatos ordinatos, & ordinantes sine licentia, ut supra: sed ea Bulla in hac parte fuit redacta ad terminos juris communis, & Bullæ Pii II. & Triden. Conc. per Clementem VIII. Bulla *Romanum*, *Sayr. lib. 7. cap. 10. n. 36. Quaranta*, *verbo Ordo*, *vers. An vero*, *Sanch. conf. lib. 7. c. 1. dub. 28. in fin.*

IX. Urbanus VIII. Bulla 33. *Secretis* §. 4. ita statuit – Italos vero, si quos in posterum clericali charactere insigniri, vel ad minores ordines promoveri ab alieno Episcopo cum falsis dimissoriis contigerit, etiamsi qualitatibus per Conc. Trident. decretum, *cap. 16. sess.* 23. requisitis præditi sint; nihilominus, secuta tamen prius desuper judicis ecclesiastici declaratione, fori privilegio minime gaudere, sed seculari jurisdictioni, ut antea, plene in omnibus subjacere, & subjectos esse respective volumus. –

Nota, quod aliqui putant, hanc pœnam procedere etiam contra ordinatum sine ullis dimissorialibus: v. g. si temere eum Episcopus ordinavit, vel si ille furtive accessit, quia eadem est ratio delicti: ita tenet *Diana resol. 62. tract. 1. de immun. tom.* 2. sed non placet, quia diversa, & gravior est species criminis utentis falsis dimissorialibus, ut infra apparebit.

Nota secundo per verba illa, *plane in omnibus subjacere*, eum subjectum fore non solum in civilibus, sed etiam in criminalibus: adde ad hanc subjectionem jurisdictioni laicali consequi etiam subjectionem quoad bona, ut non fruatur privilegio immunitatis ab oneribus patrimonialibus; quia jus imponendi hæc onera procedit ex jurisdictione laicali circa personam, ut nonnisi subditis imponi possint, *leg. Rescripto*, *§. ult. ff. de mun. & hon.*

X. Falsis dimissoriis promotus, incurrit crimen falsi, de quo si via accusationis sit condemnatus, convictus scilicet, vel confessus, est infamis infamia juris, & consequenter irregularis; quia crimen falsi est crimen publicum: & de hoc dixi supra verbo *Falsum c. 1. & c. 5.* imo secundum magis communem sufficit ad hanc pœnam, si hoc crimen *sit notorium* jure, vel facto absque sententia, quia *est* crimen depositione dignum, *Sayr. lib. 7. c. 12. n. 3. & n. 12. Garz. par. 11. c. 3. n.* 110. sed adversus hanc infamiam restitui potest etiam a suo Episcopo, & indirecte dispensari super illa irregularitate, per *c. At si clerici §. De adulteriis*, *de judic.* ita *Tolet. lib. 1. c. 62. §. final. Sayrus d. c. 12. n. 3. Abb. in c. final. de temp. ordin. n. 5. versu Quædam sunt delicta mediocria*, *Sylv. verbo Irregularitas quæst. 14. gloss. in cap. final. de temp. ordin. verbo Damnatione*: est enim crimen falsi inter minora crimina, *dict. c. final. de temp. ordin. ibi Abb. n. 6.*

Adde, quod ratione talis criminis falsi potest clericus damnari ad triremes, si via accusationis processum sit, per *leg. 1. §. ult. ff. ad leg. Cornel. de fal.* ubi pœna falsi via accusationis, est deportatio, *Menoch. de arb. casu 306. n. 2. & casu 313. n. 7.* in cujus deportationis locum successit damnatio ad triremes, *Clarus §. fin. quæst. 67. Diaz in praxi c. 146. n. 3. Salzedo ad Diaz c. 140. §. Sic equidem*: quo casu esset infamis infamia juris ex genere pœnæ, *leg. Capitalium*, *§. Ceteræ*, *ibi gl. verbo Ad tempus*, *ff. de pœnis*; de communi testatur *Molina tract. 3. disp. 9. n.* 19. dixi supra *verbo Missa* cap. 5.

Adverte, quod ordinatus litteris dimissorialibus veris, sed subreptitiis ob falsam, & dolosam suggestionem factam Episcopo, non incidit in pœnam falsantis dimissorias, sed secundum probabilem multorum sententiam incurrit in pœnas promoti sine dimissoriis, & sine licentia sui Ordinarii, *Suar. de censur. disp. 31. sect. 1. n. 36. Reginal. lib. 32. c. 25. n. 72. Quaranta*, *verbo Ordo*, *§. Quod intellige*: contraria tamen sententia, scilicet non reddi nullas dimissoriales Ordinarii ob istam subreptionem, est communior, ut dixi *verbo Gratia c.* 8.

Advertendum etiam, quod ad ordines suscipiendos proprius Ordinarius, seu proprius Episcopus dicitur, vel ratione originis, vel ratione beneficii jam obtenti, vel ratione domicilii, *c. Cum nullus de temp. ordin. in 6.* item ratione familiaritatis triennalis, dummodo Episcopus hujusmodi suo familiari statim post ordinationem eidem conferat beneficium: Trident. *sess. 23. cap. 11. de reform.* item quarto quoad regulares dicitur proprius Episcopus, in cujus diœcesi ipsi deputati sunt ad commorandum in conventu, *dict. c. Cum nullus §. Religiosi*, *de temp. ordin. in 6.* Origo autem dicitur ubi quis natus est, patre ipsius ibidem domicilium habente, *Sanchez de matrim. lib. 3. dis. 23. n. 3. per leg. Cives*, *C. de incolis lib. 10. Abb. in c. Rodulphus 9. de rescrip. Layman de sacr. ordin. cap. 9. n.* 10. non autem sufficit, quod avus ejus, vel proavus ibi domicilium habuerit, *gloss. in leg. Assumptio*, *§. Filius*, *verbo Non domicilium*, *ff. ad municip. Jo. Andr. in c. 1. n. 6. de usur. Ugolin. de off. Episc. c. 26. §. 1. dec. 4. Barbos. in dict. cap. Cum nullus n.* 4. nisi si patre existente in potestate avi, & simul cum avo habitante ibi natus sit, *Barbos. in dict. §. Filius n. 1. Cæs. de Grass. dec.* 180.

☞ *Circa proprium Ordinarium quoad ordines suscipiendos*, *observandæ sunt sequentes declarationes Innoc. XII. Constit.* Speculatores 4. *Nov. 1694. ibi*, §. 3. – Licet vero clericus ratione cujusvis beneficii in aliena diœcesi obtenti subjici dicatur jurisdictioni illius Episcopi, in cujus diœcesi beneficium hujusmodi situm est: cum tamen de cetero hac in re

in-

incoacusse servari volumus regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi ordines acquirere censeatur, nisi beneficium prædictum ejus sit reditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, sive juxta taxam synodalem, sive ea deficiente, juxta morem regionis pro promovendis ad sacros ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab ordinaudo pacifice possideatur; sublata quacunque facultate supplendi, quod deficeret fructibus ejusdem beneficii, cum adjectione patrimonii etiam pinguis, quod ipse ordinandus in eadem, seu alia quavis diœcesi obtineret. Ac Episcopus sic ordinans, tam de prædictis testimonialibus litteris, quam de reditu beneficii hujusmodi expressam in consueta collatorum ordinum attestatione mentionem facere debebit. –

Ex declaratione Innoc. XIII. Constitut. Apostolici 31. *Maji 1723. pro Regnis Hispaniæ, & a Bened. XIII. extensa ad totum Orbem Constitut.* In supremo 23. *Sept.* 1724. *sufficientia beneficii, si hoc continuam, & perpetuam residentiam exposcit, desumenda est a taxa præscripta in diœcesi, in qua beneficiatus illud possidet; si vero hoc non obstringitur hoc vinculo, desumenda erit a taxa synodali præfinita, vel hac deficiente, a more vigente in loco, ubi domicilium habet.*

Post publicationem cit. Constit. Specularores *usque a die 14. Apr. 1696. vivente adhuc ipso Innoc. XII. legislatore, pluries exorta est controversia, an ab eadem Constit. aliquid innovatum fuerit circa detractionem onerum missarum beneficio, ad cujus titulum quis ordinatur, annexorum, ad effectum constituendi summam taxæ in synodo præfinitæ, sive beneficiatus teneatur eas celebrare per se ipsum, sive per alium; libratisque in Congr. Conc. rationum momentis, hinc inde militantium, respondit, id in utroque casu relinquendum esse arbitrio Ordinariorum, ut videre est in Thesauro Resol. ejusd. Cong. sub die* 8. *August.* 1722. 24. *Apr. &* 17. *Jul.* 1723. *cui responso adhæret etiam Bened. XIV.* lib. xi. de Synod. Diœc. cap. 9. n. 6. et 7. edit. Patav. 1756.

§. 4. – Ceterum cum subditus ratione originis is tantum sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea diœcesi, in qua ad ordines promoveri desiderat; dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus patris in illo loco: quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum, & naturalis patris origo erit attendenda. Quod si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti, sicut præmittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci litteras testimoniales, ut supra, obtinere, illasque Episcopo ordinanti per eum in collatorum ordinum testimonio similiter recensendas præsentare teneatur.

§. 5. At si pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tamdiu, ac eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de jure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium per patrem legitime, ut præfertur, contractum, pro ordinatione ejusdem filii attendi debeat. Subditus autem ratione domicilii, ad effectum suscipiendi ordines, is dumtaxat censeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo; ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis, superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, & nihilominus ulterius in utroque casu, se vere, & realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet. Si quis autem a propriæ originis loco in ea ætate discesserit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinario suæ originis testimoniales litteras, ut supra, afferre debebit, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum ordinum litteris facienda erit.

§. 6. Ad hæc nullus Episcopus alienæ diœcesis subditum familiarem suum ad aliquos sacros, seu minores ordines, vel etiam primam tonsuram promovere, seu ordinare præsumat absque ejus proprii, originis scilicet, seu domicilii Prælati testimonialibus litteris ut supra, & nisi ad præscriptum Concil. Trident. præfati *sess.* 23. *cap. 9. de reform.* familiarem prædictum per integrum, & completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit: beneficium insuper, quod ei ad vitam sustentandam, juxta modum superius præfinitum, sufficiat, quacunque causa cessante, statim, hoc est saltem intra terminum unius mensis a die factæ ordinationis, reipsa illi conferat, ac in ordinationis ejusmodi testimonio expressam itidem familiaritatis, ac litterarum prædictarum mentionem facere teneatur.

§. 7. Porro, ut quicunque fraudibus aditus omnino præcludatur, volumus.... ut Episcopus quilibet suos ratione originis, sive domicilii subditos clericos quoscunque ab alienis Episcopis quavis auctoritate, etiam cum suis commendatitiis litteris promotos, nedum ad formam Conc. Trid. supradicti *sess.* 14. *cap.* 3. *de reform.* quoad scientiam examinare valeat, verum etiam ordinum eis collatorum testimoniales litteras, gratis tamen, recognoscere, ac diligenter perquirere, an quoad illos præsentis Constitutionis forma, & dispositio adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti, ei magis bene viso, ad docendum de hujusmodi adimplemento; itaut, quos, eo termino elapso, id minime præstitisse compererit, a susceptorum ordinum exercitio, si ita, & quamdiu ei expedire videbitur, suspendere, illisque ne in altari, aut in aliquo ordine ministrent, interdicere possit.

§. 8. Si quid in eisdem præmissis, seu eorum aliquo secus fiat, ordinans quidem a collatione ordinum per annum; ordinatus vero a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit: aliisque insuper gravioribus pœnis pro modo culpæ, nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligendis, uterque subjaceat. –

Nota I. hic obiter, quod ordinatus a Papa, sine ipsius licentia ad superiores ordines ab alio promoveri nequit: quam prohibitionem licet omnes Canonistæ ex glossa cap. Cum in distribuendis 12. de tempor. ordinat. *& ex eod. cap. inferant; perperam tamen; quia licet hæc assertio ceteroquin sit vera, non tamen in eo textu fundatur; cum ibi ageretur de subdiacono, qui non præcise indigebat indulto, ut promoveri posset ad superiores ordines ab alio, quam a Papa, quia ab hoc ordinatus esset honoris tantum causa, de qua can.* In parochia 31. caus. 16. quæst. 1. *sed quia in ordinatione adscriptus fuerat servitio Ecclesiæ Romanæ, ut colligitur ex ipsismet verbis textus – ut quia Ecclesia Romanæ subdiaconus erat – a qua sine ejusdem Papæ licentia egredi non poterat juxta disposita a D. Greg. Magno* epist. 38. lib. 5. tom. 2. Indict. 13. *& a S. Greg. VII.* cap. 15. *relato in ejus dictato: verum fundatur in responsione ejusdem Innoc. ad Philippum Lampugnano, qui seculo xii. erat Archiep. Mediolanen.* epist. 22. lib. 1. tom. 1. edit. Balutii, *ex cujus integro contextu constat, eidem Philippo indulsisse, ut ad alios ordines promovere posset ordinatos honoris tantum causa a Romano Pontifice. Hanc ordinationem honoris tantum causa pluries peractam vidimus hac nostra ætate a Bened. XIII. qui statim post ordinum collationem, dispensabat cum a se ordinatis, ut a propriis Episcopis promoveri possent absque alio indulto.*

Nota II. quod hæc prohibitio videtur accipienda de omnibus ordinibus, & etiam de prima tonsura, ut qui ea a Papa initiatus est, ab alio sine ejusdem Papæ licentia ad ordines promoveri nequeat; quemadmodum scribit Layman in cit. cap. Cum in distribuendis.

Nota III. nullam in citatis textibus statui pœnam in Ordinantem, & ordinatum contra hujusmodi prohibitionem.

Nota IV. quod cum hodie soli Papæ reservata sit consecratio episcopalis, peragenda per seipsum, vel per ejus delegatum, dicta prohibitio (admisso etiam quod episcopatus esset ordo distinctus a presbyteratu) locum amplius non haberet in promovendo ad episcopatum ordinato in presbyterum a Papa.

Nota V. quod ordinatus a Papa, non per hoc eximitur a jurisdictione sui Episcopi, cap. Per tuas 7. de majorit. et obed. *si tamen suspendendus, vel deponendus esset ab ordine, per Papam collato, ad hunc transmitti deberet processus ab Episcopo constructus pro sententiæ prolatione, propter obsequium Summo Pontifici debitum, Hallier* part. 2. sect. 5. cap. 3. art. 9. §. 1. num. 6. ☜

CAPUT XVII.

Ordines ultramontano, seu extero in Italia collati, seu suscepti sine dimissorialibus in forma debita, vel sine speciali licentia Papæ.

I. IN *c.* 1. *de temp. ord. in* 6. a Clemente IV. statutum est, ut nullus Episcoporum Italiæ aliquem ultramontanum clericum ordinare præsumat, nisi a Summo Pontifice licentiam habeat specialem, vel dimissorias sui Episcopi originis, vel beneficii, cum causa rationabili, cur illum ne-

queat, vel nolit ordinare: & ordinati contra hanc formam incurrant ipso facto suspensionem absque spe dispensationis a Sede Apostolica obtinendæ, ut neque Major Pœnitentiarius Papæ possit cum istis dispensare, nisi cum licentia Papæ speciali.

☞ *Vide Constit.* Pastor bonus *in fine Operis*. ☜

Amplia, quod hic nomine Italiæ continentur etiam insulæ adjacentes, ut Corsica, Sardinia, Sicilia &c. ex *leg. Insulæ, ff. de Judic. Gemin. hic n. 6.* non autem continentur regiones, quæ in mediis limitibus continentur inter Italiam, & ultramontanas regiones, *Barb. hic n.* 4. cum multis.

Amplia secundo, quod hæc Constitutio procedit etiam de receptione ordinum minorum, & prima tonsura: quia licet in procemio loqui videatur de ordinibus sacris, tamen hic intelliguntur sacri late, quatenus sunt res sacræ, ut contineant etiam minores, & primam tonsuram: & licet dicat *text.* ibi, *Clericum ordinare*, intelligitur tam in sensu identico, seu composito, quam diviso, idest, sive per talem ordinationem fiat clericus, sive clericus existens promoveatur; & ita *gloss. ibi*, *verbo Clericum*, *Tolet. lib.* 1. *c.* 48. *in princ. cum Jo. Andr. Gemin. & Franco ibid.*

Limita, quod hæc Constitutio non procedit contra Italos in loco ultramontano ordinatos, *gl. ibi*, *verbo Italiæ*, *Tolet.* §. 1. *Guil. Archid. & Jo. Mon. in dict. c.* 1. *& ibi Gemin. n.* 8. *Barbos. n.* 7.

Limita, quod licet textus nihil dicat, nisi de dimissoriis Episcopi originis, vel beneficii, tamen sufficiunt etiam dimissoriæ Episcopi domicilii, quia sic de jure communi sufficiunt, cui non est in hoc derogatum, *Archid. Jo. Monach. Anchar. hic*, *& Barbosa n.* 3. *cum aliis multis*.

☞ *Vide supra Const.* Speculatores. ☜

Urbanus Papa VIII. in Bulla 35. *Secretis*, confirmavit prædictam Constitutionem Clementis IV. in omnibus: deinde addidit, ut tam ultramontani, quam alii quicunque, ex quovis loco extra Italiam oriundi, non possint ordines, neque primam tonsuram recipere in Italia, nisi cum dimissoriis sui Episcopi, recognitis, & approbatis a Nuncio Apostolico illius regionis, ubi proprium habent Episcopum, & subscriptis ab eodem Nuncio, & recognitis, & approbatis Romæ a Vicario Urbis: alias promoti incurrant perpetuam suspensionem, ut in *dict. c.* 1. *de temp. ordin. in* 6. & promoventes incurrant suspensionem ad annum ab exercitio pontificalium.

Limita, quod non procedunt istæ Constitutiones contra ultramontanum, qui in Italia habet domicilium, vel beneficium, quia de jure communi potest a proprio Episcopo Italo ordinari, per *tex. in c. Cum nullus de temp. ordin. in* 6. talis enim non potest absolute vocari ultramontanus, sed Italus.

Nota ex dictis Constitutionibus unum speciale, quod licet regulariter ad ordines recipiendos ab alieno Episcopo sufficiat licentia proprii Episcopi, etiam viva voce concessa; fallit in ultramontano, vel extero, in Italia promovendo: & ita *Sanch. opusc. lib.* 7. *c.* 1. *dub.* 20. *n.* 4. *gloss. in dict. c.* 1. *de temp. ordin. in* 6. *Franc. in d. c. Eos*, *eod. tit. in* 6. *n.* 1.

CAPUT XVIII.

Ordines collati ab Episcopo titulari sine licentia proprii Prælati.

IN *Trident. sess.* 14. *c.* 2. *in fine*, cautum est, ut nemo Episcoporum, qui titulares vocantur, idest Episcopi ad titulum Ecclesiarum in partibus infidelium consecrati, qui actu neque jurisdictionem, neque diœcesim habent, etiamsi in loco nullius diœcesis, etiam exempto, aut aliquo monasterio cujusvis Ordinis resederint, aut moram traxerint, vigore cujusvis privilegii sibi de promovendo quoscunque ad se venientes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam prætextu familiaritatis continuæ, absque sui proprii Prælati expresso consensu, aut litteris dimissoriis, ad aliquos sacros, aut minores ordines, aut primam tonsuram promovere valeat: contrafaciens ab exercitio pontificalium per annum, & taliter promotus ab executione ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso jure sint suspensi.

Nota ex *eod. cap.* 2. *Triden.* quod causam dedit huic decreto abusus talium privilegiorum, quorum prætextu titulares Episcopi multos minus idoneos, & alias rejectos promovebant, *Roderic. quæst. regul.* 18. *art.* 6. *tom.* 1.

Nota secundo, quod ut Episcopus titularis ordinare aliquem possit, requiritur licentia tam Prælati, qui Ordinarius est ordinandi, quam Ordinarii loci: alias incurrit promovens, & promotus in pœnas istius decreti, & *cap.* 5. *sess.* 6. *Barbos. allegat.* 5. *n.* 17.

Nota tertio, quod ordines, etiam minores, & prima tonsura collata contra formam hujus decreti ab Episcopo titulari, seu annulari, tenent, & valida est promotio, quoad hoc, ut non debeant iterari, sed non tenent quoad licitam executionem, *Laym. de sacr. ordin. c.* 9. *n.* 6. quia hæc potestas conferendi ordines valide, est immobiliter potestati ordinis episcopalis annexa a jure divino.

CAPUT XIX.

Ordines collati cum licentia, vel dimissoriis capituli, vel vicarii capitularis, sede intra annum vacante.

IN *Trident. sess.* 7. *c.* 10. *de reform.* statutum est, ne liceat capitulis Ecclesiarum, sede vacante, intra annum a die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias, seu reverendas, tam ex juris communis, quam privilegii, aut consuetudinis vigore alicui concedere, nisi illis, qui beneficii ecclesiastici recepti, seu recipiendi occasione arctati fuerint: si secus fiat, capitulum contraveniens ecclesiastico subjaceat interdicto, & sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, præsertim in criminalibus, gaudeant: in majoribus vero ordinati, ab executione ordinum ad beneplacitum futuri Prælati sint ipso jure suspensi.

Item *Trident. sess.* 23. *c.* 10. *de reform.* statuit, ut promoti, litteris dimissoriis obtentis a quovis in jurisdictione Episcopi loco capituli, sede vacante, succedente, in easdem pœnas incidant, contentas in *dict. c.* 10. *sess.* 7. concedentes autem dimissorias contra formam dicti decreti, ab officio, & beneficio per annum sint ipso jure suspensi.

Amplia prædicta decreta, quod capitulum, vel ejus vicarius non potest dare dimissorias intra annum, ut supra arctato alia causa, quam beneficii, ut si necessarii essent ordines ad obtinendum gradum theologiæ, *Sanch. opusc. lib.* 7. *c.* 1. *dub.* 20. *n.* 38.

Amplia secundo, quod vicarius capitularis non potest dare dimissorias tam intra, quam ultra annum, sede vacante, nisi ei fuerit hæc facultas specialiter mandata a capitulo: secus est in vicario Apostolico, nisi ei fuerit restricta facultas in litteris suæ commissionis, *Gutier. Can. qq. lib.* 2. *c.* 12. *n.* 22. *cum Pavino*, *& Mandos.*

Amplia, quod illa pœna interdicti est latæ sententiæ, *Henriq. lib.* 13. *cap.* 43. *n.* 5. *Sanch. opusc. lib.* 7. *c.* 1. *dub.* 20. *n.* 36. *Vival. de interd. n.* 18. *Sayr. lib.* 5. *cap.* 12. *n.* 15. quia verbum *Subjaceat*, est latæ sententiæ, ut *Tiraquell. in leg. Si unquam verbo Revertatur*, *n.* 148.

Limita, quod non est vetitum per hæc decreta capitulo, vel vicario concedere commendatitias de vita, & moribus, ad effectum ordines recipiendi, v. g. vigore Brevis a Papa obtenti, *Navar. cons.* 19. *n.* 1. *de temp. ord. Barbos. alleg.* 3. *n.* 14. *Sanch. opusc. lib.* 7. *c.* 1. *dub.* 20. *n.* 37. *& dub.* 26.

Limita secundo, quod interdicti illius personalis generici absolutio nemini est reservata; ideo poterit Episcopus successor absolvere, ex *c. Nuper de sent. excomm. Coninch. de censur. disp.* 17. *n.* 76. confessarius autem non potest in hoc casu absolvere particulares canonicos.

Limita tertio, quod illa pœna privationis privilegii clericalis, lata contra ordinatos in minoribus, vel prima tonsura initiatos, non afficit ante declaratoriam, ut *Bonac. de suspens. in partic. quæst.* 1. *punct.* 11. *n.* 21. ut in simili habetur in dicta Bulla Urbani VIII. *Secretis*, contra Italos promotos falsis dimissurialibus, ut dixi *cap.* 16. *n.* 9. imo aliqui dicunt, illam pœnam privationis privilegii clericalis in hoc decreto Trident. Conc. non esse latæ sententiæ, sed ferendæ, propter verbum *Non gaudeat*, quod est futuri temporis: ita *Navar. cons.* 19. *de temp. ordin. Sanch. ubi supra dub.* 28. *n.* 14.

Limita quarto, quod ordinati in minoribus in hoc casu non incurrunt suspensionem, tanquam ordinati sine licentia sui Episcopi; quia facta est commutatio in hanc pœnam privationis privilegii clericalis, *Suar. disp.* 31. *sect.* 1. *n.* 20. *Sanchez dub.* 28. *n.* 5. *&* 14.

Limita quinto, quod ubi Tridentinum non est receptum, servabitur jus commune; de quo *c. Cum nullus de temp. ordin. in* 6. ut possint etiam intra annum a capitulo dimisso-

riæ

riæ concedi, *Tolet. lib.* 1. *c.* 49. *verſ.* 2. *Sanch. dub.* 20. *n.* 37. *cum Salzedo*.

CAPUT XX.

Ordines collati vigore dimiſſoriarum conceſſarum a Prælato intra fines alicujus diœceſis conſiſtente, vel a capitulo, vel collegio.

EX *Trident. ſeſſ.* 23. *cap.* 10. Abbates, & alii Prælati, quantumvis exempti, intra fines alicujus diœceſis conſiſtentes, etiamſi dicantur nullius diœceſis, collegia, & capitula quæcunque, etiam Eccleſiarum cathedralium, litteras dimiſſorias clericis ſecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedere non poſſunt: ſed hæc omnia facere, vel concedere pertinet ad Epiſcopos, intra quorum diœceſis fines exiſtunt: non obſtantibus privilegiis, præſcriptionibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus: alias promoti vigore talium dimiſſoriarum, incurrunt in pœnas latas ab eodem Trident. *ſeſſ.* 7. *c.* 10. *de reform.* idest, ut in minoribus non gaudeant privilegio clericali: in ſacris autem ordinati, ſint ſuſpenſi ab executione ordinum ad beneplacitum proprii Epiſcopi ſupradicti. Concedentes autem tales dimiſſorias contra formam hujus decreti, ab officio, & beneficio per annum ſunt ipſo jure ſuſpenſi: adde, quod ordinans vigore talium dimiſſoriarum prohibitarum, incurrit ſuſpenſionem a collatione ordinum per annum, juxta ea, quæ dixi *ſupra c.* 16. *n.* 4. 5. 6. *&* 7. quia ordinat alienum ſubjectum ſine licentia proprii Epiſcopi.

Nota, quod hic dicitur de capitulo, intelligitur ſede non vacante, quando ex privilegio, vel conſuetudine, aut præſcriptione prætendit, dimiſſorias poſſe concedere, vel quando habet territorium, & juriſdictionem privative ad Epiſcopum, ut declaravit Sacra Congregatio: & pœnæ contra concedentes dimiſſorias hic intelliguntur extenſæ non ſolum ad capitula, & collegia, ſed etiam ad Abbates, & Prælatos ſupradictos, ut *Toletus lib.* 1. *cap.* 49. *§. Quinta*, *Sayrus lib.* 4. *c.* 13. *n.* 5. Intelligitur autem illa pœna ſuſpenſionis ab officio, & beneficio, procedere contra Prælatos, & ſingulares perſonas concedentes dimiſſorias iſtas: at capitula, & collegia incurrunt interdictum, ex *Trident. ſeſſ.* 7. *c.* 10. *Tolet. loc. cit.*

Ad explicationem harum pœnarum vide, quæ dixi *ſupra cap.* 19. & ad explicationem territorii exempti intra fines diœceſis alicujus, vide quæ dixi, *verbo Epiſcopus cap.* 5.

Nota ſecundo, quod etiam de jure communi, ex *c. Cum nullus de temp. ordin. in* 6. Prælati, exiſtentes intra fines alicujus diœceſis, non poſſunt concedere dimiſſorias, niſi ex privilegio Papæ ſpeciali. Verum ſi Prælatus aliquis habet propriam diœceſim, cum juriſdictione ſcilicet epiſcopali, poterit etiam hodie dimiſſorias concedere, non obſtante Trident. decreto, quod non intrat in tali caſu: ita *Campanil. rub.* 9. *c.* 8. *n.* 4. *Barboſ. allegat.* 7. *n.* 8. *Sanch. opuſc. lib.* 7. *c.* 1. *dub.* 21. *n.* 6. unde quoties Prælatus eſſet Ordinarius privative ad Epiſcopum, habens jus viſitandi, & congregandi Synodum, tunc poterit concedere dimiſſorias, ut *Barboſ. loc. cit. cum aliis prævalleg.*

CAPUT XXI.

Ordines collati ab Abbate, ſeu alio Prælato intra fines alicujus diœceſis conſiſtente, ſine licentia diœceſani.

I. IN *Triden. ſeſſ.* 23. *cap.* 10. ſtatutum eſt, ne liceat Abbatibus, ac aliis quibuſcunque, quantumvis exemptis, intra fines alicujus diœceſis conſiſtentibus, etiamſi nullius diœceſis eſſe dicantur, cuiquam, qui regularis ſibi ſubditus non ſit, tonſuram, vel minores ordines conferre. Contrafacientes autem Prælati, ſecundum aliquos DD. incurrunt ſuſpenſionem ab officio, & beneficio per annum, quam incurrunt, ſi ipſi dimiſſorias concederent, ex *eod. cap.* 10. *Trident.* ita tenet *Henriq. lib.* 13. *c.* 38. *§.* 2. *verſ. Idem diſponitur*, *Sayr. lib.* 5. *c.* 13. *n.* 5. ſed nullo modo id probatur ex hoc textu; & in pœnis non eſt facienda extenſio ex ſimilitudine rationis: ideo verius videtur in tali caſu, Prælatos incurrere ſuſpenſionem a collatione ordinum per annum, tanquam promoventes alienum ſubditum ſine licentia illius Epiſcopi, ſeu Prælati, ut dixi *cap.* 16. *ſupra n.* 4. promoti autem incurrunt ſuſpenſionem, tanquam ordinati ab alieno, ſine licentia ſui Prælati: de qua dixi *ſup. c.* 16. quia non recipiunt ordinis executionem, ut *Sanch. opuſc. lib.* 7. *c.* 1. *dub.* 19. *n.* 17.

Adverte, quod de jure communi ſolum reperitur conceſſum Abbatibus, ut poſſint conferre tonſuram, oſtiariatum, & lectoratum, *cap. Quoniam* 66. *diſt. c. Cum contingat de ætat. & qualit. c. Abbatib. de privil. in* 6. tamen ex conſuetudine, & identitate rationis omnes quatuor minores conferre poſſunt, ut *Sanch. opuſc. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 19. *n.* 11. apud quem vide alia circa hanc materiam.

Adverte ſecundo, quod ſi Abbas, ſeu Prælatus contra hoc decretum conferat minores, vel tonſuram alicui ſeculari ſubdito ſibi in temporalibus, collatio, ſeu ordinatio erit valida, ut non ſit iteranda, quia Tridentinum non auſert ab illis totalem poteſtatem jure communi conceſſam, ſed uſum illius reſtringit, ut extra dictos limites reddat illicitum: ita *Layman lib.* 5. *tract. de ſacr. ordinis cap.* 9. *n.* 7. *Sanchez opuſc. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 19. *n.* 17. cum communi ſententia: ſi vero alieno ſubdito conferat ſine licentia illius Prælati, aliqui dicunt, ordinationem nullam eſſe totaliter; quia exceſſit limites ſuæ facultatis a jure conceſſæ: ita *Palud. & Layman*; ſed contra *Sanchez ibi* cum communi ſententia Doctorum ait, quod non recipit promotus ordinis executionem, ſed ordinatio imprimit characterem, quia privilegium hoc eſt per ſe primo abſolute conceſſum, ut dixi *verb. Baptiſmus cap.* 3. *in fin.*

Idemque dicendum cenſeo, ſi fuit Abbas putativus, habens titulum coloratum cum communi errore, dummodo eſſet ſacerdos, per ea, quæ dixi *ſupra part.* 1. *cap.* 6.

☞ *Sententiam aſtruentem, validam eſſe collationem ordinum minorum factam ab Abbate alieno ſubdito, ſuſtinuit etiam Fagnanus ex pluribus decretis Cong. Conc. in cap.* Statuimus 1. de ſupplenda neglig. Prælat. n. 11. & ſeqq. *ac in cap.* Cum contingat 11. de ætat. & qualit. Præfic. n. 5. *virtute quorum Abbas regularis poterat etiam conferre primam tonſuram, & minores ordines ſecularibus de licentia Epiſcopi ordinandorum, ac etiam regularibus ſibi non ſubditis, & alterius Ordinis cum dimiſſoriis ſuorum ſuperiorum, & conſenſu Epiſcopi loci, a quo de jure ordinari debuiſſent, juxta alias reſolutum in Bononien. Poſit. II. ad* cap. 5. ſeſſ. 6. de reform. *& Parmen. Auguſt.* 1586. lib. 4. Decretor. pag. 171. *ad primum. Verum contrarium poſtea tenuit S. Cong. in Papien.* 1594. *ut ex* lib. 8. Decretor. pag. 26. *ſcilicet quod non poſſet; imo ſtantibus multiplicibus ordinationibus, hoc modo factis ab hujuſmodi Abbatibus, decretum edidit in Cathanien.* 15. *Febr.* 1642. *ut ex* lib. 17. Decretor. pag. 1. *tenoris ſequentis* — In cauſa Cathanien. juris conferendi ordines minores inter Epiſcopum Cathanien. ex una, & Monachos ordinis S. Benedicti Congregationis Caſſinenſis, ac aliis ex altera, die 23. Nov. 1641. S. Cong. Conc. utraque parte informante, ore, & ſcriptis, ac rationibus, hinc inde deductis, mature examinatis, inhærendo deciſioni Rotæ Romanæ ſub die 27. Apr. 1592. cor. bon. mem. Cardinali Seraphino factæ, nec non declarationibus ejuſdem S. Cong. Conc. dict. deciſioni conformibus ſubſecutis, cenſuit, improbata opinione contraria, Abbates regulares Benedictinos ejuſdem Cong. Caſſinenſis, ſeu alterius Cong. vel Ordinis, aut inſtituti, habentes etiam jura epiſcopalia, uſumque mitræ, baculi, & benedicendi, ac facultatem primam tonſuram, & minores ordines conferendi, non poſſe dictam primam tonſuram, & minores ordines, niſi ſuis ſubditis regularibus conferre, non autem regularibus alterius Ordinis, Congregationis, aut inſtituti, etiamſi habeant dimiſſorias ſuorum ſuperiorum regularium, & conſenſum Ordinariorum, intra quorum diœceſum fines ipſi regulares ordinandi exiſtunt, & multo minus perſonis ſecularibus, & habentibus litteras dimiſſorias a ſuis Ordinariis: ac propterea inhibuit Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Prælatis inferioribus, tam ſecularibus, quam regularibus, ut in futurum concedere non audeant litteras dimiſſorias ſupradictas, hujuſmodi Abbatibus directas, nec ab ipſis recipi: quod ſi ſecus fiat, tam concedentes, quam Ordinantes a collatione ordinum ſuſpenſi ipſo jure remaneant, præter alias pœnas arbitrio ejuſdem S. Cong. reſervatas — *Quam declarationem Urbanus VIII.* 17. *Jan.* 1642. *ad ſe delatam approbavit, & inviolabiliter obſervari juſſit, convalidando ordinationes primæ tonſuræ, & ordinum minorum eouſque factas ab hujuſmodi Abbatibus cum litteris dimiſſorialibus Ordinariorum, & abſolvendo a quibuſcunque pœnis hac de cauſa incurſis.*

Die 25. *Jan. ejuſd. an. Sac. Congr. facta relatione, cenſuit, ſu-*

supradictum decretum esse publicandum, facto iterum verbo cum eodem Sanctissimo, eut perlecto eodem decreto, approbavit, convalidavit, & observari mandavit, ut supra.

Die 15. Febr. 1642. facto iterum verbo in S. Cong. de omnibus supradictis, jussit omnino publicari, & inviolabiliter observari debere.

Ad formam supradicti decreti successive respondit in Colimbrien. 26. Jun. 1655. ut lib. 19. Decret. pag. 484. & in dubio 11. Maji 1658. ut lib. 21. eorumdem Decretor. pag. 249.

Advette tertio, quod hoc decretum non habet locum in Prælato, habente propriam diœcesim, seu ordinariam jurisdictionem privative ad Episcopum, per ea, quæ dixi *supra c. 20. in fin.* & ita *Sanchez dub. 19. n. 20.* quia hoc ei competit de jure communi, cui Tridentinum non derogavit.

Adverte quarto, quod novitius non censetur subditus regularis Prælati, seu Abbatis; ideo non potest ab eo promoveri ad ordines, vel tonsuram, *Majol. lib. 4. c. 2. n. 11. §. Quinimo.*

CAPUT XXII.

Ordo collatus ab Episcopo, qui renuntiavit dignitati.

I. EX *cap. 1. de ordin. ab Episcopo, qui renunt. Episc.* Episcopus, qoi renuntiavit loco, sed non dignitati, remanet tanquam Episcopus titularis, & cum licentia Episcopi loci, & Episcopi promovendorum potest ordines conferre: at Episcopus, qui renuntiavit etiam dignitati episcopali, non potest sacros ordines conferre licite, quamvis valide conferat: & ab ipso promotus in sacris, non recipit ordinis executionem; & quidem scienter, vel ignorantia crassa, vel supina sic promotus, est a solo Papa dispensabilis: si autem bona fide, potest cum eo eius Episcopus dispensare: si autem in minoribus promotus est, etiam scienter, habet liberam ordinis executionem.

Ex hoc textu nota primo, quod sacros ordines recipiens ab Episcopo, qui renuntiavit dignitati, etiamsi eos receperit cum consensu Episcopi loci, & promovendi, si mala fide promotus est, incurrit suspensionem ab executione ordinum taliter receptorum, reservatam Papæ, secundum communem sententiam: ita *gloss. ibi verb. Executionem, ibi Abb. n. 6. Henriq. lib. 13. c. 29. n. 1. Suar. de cens. disp. 31. sect. 1. n. 7. Sayr. lib. 4. cap. 14. n. 7.* qui multos allegat: sed Summistæ dicunt, talem fieri irregularem, ut *Ang. verbo Irregul. §. 31. Sylvest. quæst. 8. Navarrus c. 27. n. 241. & alii*; potest tamen Episcopus, vel Prælatus exemptus cum eo dispensare, si antea, vel post fuerit professus in religione approbata, *Salz. ad Diaz in praxi cap. 28. cum Hostien. & Henrico.*

Promotus autem a tali Episcopo in sacris bona fide, non est suspensus, neque proprie irregularis, sed impeditus, ut non possit sine peccato mortali exercere ordines illos, nisi prius cum eo Episcopus dispensaverit: ita *Suar. n. 12. Coninck. dis. 15. n. 34. Filiucc. tract. 17. n. 76. Avila par. 3. disp. 5. dub. 8. §. Ad argumentum ergo.* Minores autem ordines recipiens a tali Episcopo cum licentia Episcopi loci, & sui diœcesani, non est suspensus, neque irregularis, *Suar. n. 4. Avila §. Dubitatur octavo, in fine, Alterius tom. 2. disp. 9. cap. 1. col. 3. Sayr. n. 7. ex textu citato*, quia minores sæpe etiam a non Episcopo conferuntur.

An autem in dubio Episcopus censeatur renuntiasse loco tantum, vel etiam dignitati? respondeo, regulariter censeri tantum loco renuntiasse; quia dignitati, idest, executioni ordinis episcopalis non solet renuntiari. Limita, nisi ratione delicti, vel ingressus religionis renuntiaverit, *Sanchez opusc. lib. 7. c. 1. dub. 20. n. 33. cum alleg. & Cardinalis in dict. cap. 1. quæst. 1.*

Nota secundo, quod consecratus Episcopus ab Episcopo, qui renuntiavit episcopatui, non recipit ordinis executionem; quia non potest hæc consecratio conferri, nisi ab habente executionem ordinis episcopalis: & probatur ex hoc textu, quia nemo dat, quod non habet, quidquid *Bonacina* in contrarium dicat, *tract. de suspens. partic. q. 1. punct. 9. n. 12.*

Nota tertio, Episcopum prædictum, ordines conferentem cum licentia Ordinarii loci, & Ordinarii clerici promovendi, nec censuram, nec irregularitatem incurrere; quia non est jure cautum, *Alter. ibi c. 1. in fin. Sayr. lib. 4. c. 14. n. 7.*

CAPUT XXIII.

Ordo collatus ab Abbate, seu Prælato, qui renuntiavit dignitati.

AN recipiens ordines minores, vel tonsuram cum licentia proprii Episcopi, seu Prælati ab eo, qui ante fuit Abbas, vel similis Prælatus, habens usum mitræ, & baculi, cum facultate minores ordines, & tonsuram conferendi, sed renuntiavit dignitati, vel depositus est, valide recipiat, aut potius incurrat suspensionem, vel irregularitatem, de qua dictum est *cap. præced.* duas invenio sententias: prima asserit, nullam incurrere suspensionem, aut irregularitatem; quia non est jure cautum: imo *c. 1. de ordin. ab Episcopo, qui renunt.* quoad minores, & tonsuram nullam pœnam constituit: & ita tenet *Suar. de censur. disp. 31. sect. 1. n. 4. Alter. tom. 2. disp. 9. c. 1. col. 3. Bonac. de suspen. partic. quæst. 1. punct. 9. n. 11.* unde isti supponunt, talem collationem validam esse; & facit ratio, quia benedictio Abbatis semel impertita, semper perseverat post renuntiationem moraliter, unde si denuo promoveatur ad abbatiam, non est iteranda, *Lapus in Clemen. Attendentes n. 5. de stat. mon.* ubi sic ait servari in Curia Romana: igitur etiamsi renuntiaverit dignitati, videtur manere radicaliter in eo potestas ordines conferendi, quos, dignitate retenta, conferre poterat, sicut dictum est de Episcopo.

Contraria tamen sententia est vera absolute, & tenenda, scilicet talem collationem tonsuræ, vel ordinum esse penitus nullam, neque characterem impressum esse: quia ideo Episcopus, qui renuntiavit, valide conferre potest; quia potestas ordines conferendi in Episcopo est de jure divino, immobiliter annexa tali ordini, & characteri indelebili: unde tolli non potest per renuntiationem: at vero prælatura, veluti abbatia, non imprimit characterem; & potestas ordines minores conferendi, est annexa a jure positivo ecclesiastico tali dignitati; unde per renuntiationem, ab Ecclesia admissam, vel remotionem, in totum tollitur sublata dignitate, tanquam fundamento; & benedictio Abbatis non pertinet ad substantiam, sed ad solemnitatem: nam & multi habent a Sede Apostolica, vel ex consuetudine facultatem conferendi ordines absque prævia *benedictione* sua solemni, *Selva de benef. par. 6. quæst. 2. n. 106. Laym. de sacr. ord. cap. 13. n. 27. Miranda tom. 1. quæst. 28. art. 9. conclus. 3.* Verum est, quod præcisa consuetudine, Abbas non potest valide ordines conferre nondum benedictus, nisi Episcopus sit in mora benedicendi illum, ita Ecclesia statuente, *Sanch. opusc. lib. 7. cap. 1. dub. 19. n. 6. & 7.* & ideo hanc secundam sententiam tenet *Palud. in 4. dist. 24. quæst. 3. n. 12. Layman loco cit.* & magis expresse *Abbas in dict. cap. 1. n. 3. de ordin. ab Episc. qui renunt. Episc.*

Addo, quod qui non est amplius Prælatus, & ordines confert, fit irregularis, tanquam usurpans exercitium ordinis episcopalis, seu actum ordini episcopali ab Ecclesia annexum, ut dicam *infra cap. 32.*

CAPUT XXIV.

Ordo collatus ab Episcopo non tolerato.

I. ORdines sacros, vel minores, vel tonsuram, vel consecrationem episcopalem recipiens ab Episcopo, ab Ecclesia non tolerato, nempe hæretico, vel schismatico, vel simoniaco, vel excommunicato, vel suspenso, vel interdicto, vel irregulari, quando sunt vitandi, seu non tolerati ab Ecclesia, est eo ipso suspensus ab executione ordinis sic suscepti, per *cap. Daibertum 1. quæst. 7. cap. 2. de ordin. ab Episc. qui renunc. cap. 1. & 2. de schis. Suar. de cens. disp. 31. sect. 1. n. 61. 64. & 65. Coninch. disp. 15. dub. 5. Filiuc. tract. 17. n. 80. Sayr. lib. 4. cap. 14. n. 1.* qui plurimos allegat.

Limita, quod si promotus ignoravit totaliter vitium ordinantis, tunc non est proprie suspensus, neque irregularis, sed improprie, quatenus ante dispensationem peccat, ministrando in susceptis, *Suar. n. 62. Coninch. n. 34.* si autem mala fide scienter, solus Papa cum eo dispensare potest, nisi sit religiosus professus: si vero ex ignorantia crassa, vel supina, poterit eius Episcopus dispensare, ex *dict. cap. 2. de ordin. ab Episc. & cap. 2. de schism. Tolet. lib. 1. cap. 68. n. 5. Sayr. n. 2. Diaz in praxi cap. 28. in fin. Sanch. opusc. lib. 2. cap. 3. dub. 104. n. 44. & 45.*

De

De Episcopo tamen consecrato ab Episcopo non tolerato, dubia est quæstio, an stante ignorantia, saltem inculpata, consecrati, possit ipse a suo Metropolitano, vel Patriarcha dispensari: & partem affirmativam tenet *Suar. nu.* 55. *Filiuc. n.* 81. sed contrarium est tenendum; quia dispensare cum Episcopo pro foro externo, est de majoribus negotiis; ideo reservatur Papæ, *Hostien.* & alii multi, quos sequitur *Henricus Boich in cap. Consultationi de temp. ordin.* & plures DD. quos allegat, & sequitur *Sayr. cap.* 14. *n.* 2.

Dicitur autem Episcopus vitandus, seu non toleratus ab Ecclesia, si erat vel notorius clerici percussor, vel denuntiatus nominatim de supradictis censuris, seu criminibus, ut hæresi, vel schismate, vel simonia &c. *Suar. n.* 64. *Sanch. loco cit. n.* 42. *&* 43. & tenent *Angel. Sylv. Sotus*, *&* *Navarr.* quos allegat *Azor. part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 48. *q.* 11. & sequitur *Bonac. de cens. partic. dis.* 3. *quæst.* 1. *punct.* 10. *n.* 3. *Avila part.* 3. *dis.* 5. *dub.* 8. *in princ. cum Tabien. et Armil.* & cum magis communi; unde non sufficit, Episcopum esse hæreticum notorium, secundum magis communem, quam tenent omnes præallegati: & idem dicunt de Episcopo schismatico, vel simoniaco notorio, sed non denuntiato nominatim. Contraria tamen sententia, quoad Episcupum hæreticum, vel schismaticum, vel simoniacum notorium, etiam non denuntiatum, verior est, & tenenda; quam observat stylus Curiæ, ut isti censeantur vitandi, saltem quoad ordines ab illis non recipiendos; itaut ab illis ordinati, irregulares censeantur, donec a Sede Apostolica cum eis fuerit dispensatum; quia isti sunt vitandi ratione criminis, (& non solius censuræ, de qua procedit *Extrav. Ad evitanda Martini V.* in qua se fundat magis communis opinio supradicta) & ideo non est expectanda denuntiatio, ut in simili dixi *verbo Sepultura cap.* 4. §. *Quæres primo*, & quia ordinati ab istis, præsumuntur erroribus illorum infecti; & ideo in terminis hanc sententiam tenet *Azor. par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 48. *quæst.* 11. *Alter. tom.* 2. *dis.* 9. *cap.* 3. *col.* 4. *&* *cap.* 4. *Sayr. lib.* 4. *cap.* 14. *n.* 4. *Ugolin. de irregul. cap.* 40. §. 3. *n.* 2. & ita *Clem. VIII. in instruct. super ritibus Græcorum*, quæ habetur apud *Quaran. verb. Græcorum ritus tit. circa sacram. ordinis*, sic decrevit, & declaravit – Ordinati, inquit, ab Episcopis schismaticis, servata debita forma, recipiunt quidem ordinem, sed non executionem; proinde tales ordinati, correcti, vel emendati, reconciliandi sunt: dummodo schisma ordinatoris abjurent &c. in ordinibus autem susceptis ministrare non permittantur, nisi cum ipsis super irregularitate, hujusmodi occasione contracta, auctoritate S. Sedis Apostolicæ fuerit dispensatum – Et hoc jure utimur in Sacra Pœnitentiaria, ut similiter ordinati ad S. Officium transmittantur, ut supra.

Advertendum tamen, quod ordinatus ab Episcopo, ut supra non toleratu, si ordines recipit metu gravi, scilicet cadente in constantem virum, non incurrit suspensionem proprie dictam, sed impropriam, sicut qui bona fide ordinatus est, *Suar. n.* 62. *Coninch. n.* 34. *Filiuc. n.* 80. *Sanch. nu.* 48. qui multos allegat, & sic potest ab Episcopo suo dispensari, *Sanch. n.* 44. *&* 45. tamen, si ordinatus ab hæretico, vel schismatico metu gravi, post ordinationem per mensem integrum communicaverit cum ordinante in divinis, tunc incurrit suspensionem, quia præsumitur metus purgatus, & ipse præsumitur credens, & fautor hæreticorum: secus si statim eorum sectæ abrenunciavit, & ad catholicam rediit Ecclesiam, *cap. Constat multos* 1. *quæst.* 1. *Majol. lib.* 4. *cap.* 22. *n.* 4. *Sayr. cap.* 14. *n.* 5.

II. Ex *cap.* 1. *de schismat.* fertur excommunicatio latæ sententiæ contra eos, qui contraire præsumunt prædictæ ordinationi, qua scilicet cautum est, ut ordinationes ab Episcopis schismaticis factæ, irritæ habeantur, quoad ordinis executionem: unde aliqui putant, quod docens, aut tenens oppositum (actu videlicet externo) incurrat in illam excommunicationem: ita *Armilla verb. Excomm. n.* 92. alii dicunt, quod volentes practice, seu procurantes, ut ordinatio censeatur rata, incurrant in illam excommunicationem: ita *Cajet. verbo Excommun. cap.* 8. alii dicunt, quod tam conferens ordines, quam ipse recipiens, tanquam contraveniens legi, incurrat in illam censuram; ita *Panorm. in dict. cap.* 1. *Sylvest. verb. Excommun.* 9. *n.* 29. *casu* 8. alii dicunt, quod ordinatus non incurrit in eam censuram per ipsam ordinationem, sed si illam postea ratam habere velit, ministrando in susceptis, ita tenet *Host. ibi*, *&* *Addit. ad Abb. loco cit.* & hanc tenet, & certam asserit *Suar. de cens. dis.* 23. *sect.* 3. *n.* 7.

Limita, quod ab hac censura excusat ignorantia, etiam crassa, ob illam particulam, præsumunt, *Suarez ibi n.* 5.

Limita secundo, quod hæc censura, seu absolutio, non est reservata, ut patet ex *textu* scilicet, si talis contraventio non transeat in schisma, seu, si non fiat, tanquam schismati ordinantis adhærendo, ita *Suarez ibi num.* 4. *cum Cajet. & Armilla*.

CAPUT XXV.

Ordines ab Episcopo proprio collati in aliena diœcesi sine licentia Ordinarii loci.

Vide *verbo Episcopus cap.* 4.

CAPUT XXVI.

Ordines recepti, seu collati sine litteris commendatitiis proprii Prælati.

NOta, quod litteræ commendatitiæ dicuntur litteræ Prælati, testimonium, & commendationem facientis de vita, & moribus subditi, qui postulat ad ordines promoveri, ex *Triden. sess.* 23. *cap.* 8. & distinguuntur a dimissoriis, quibus datur licentia a proprio Episcopo, ut ab alio quis possit ordinari.

Ex *Triden. loc. cit.* obtinens litteras, seu privilegium a Sede Apostolica, ut promoveri possit a quocunque Antistite catholico, seu alias ab Episcopo non suo, non potest uti tali indulto, nisi habeat commendatitias sui Ordinarii: si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum, & ordinatus a susceptorum ordinum executione, quandiu proprio Ordinario promoti videbitur expedire, est suspensus: itaque in isto casu non requiruntur dimissoriæ, sed commendatitiæ proprii Ordinarii, ut *Tolet. lib.* 1. *c.* 49. §. *Quarta*, *Quaranta verbo Ordo*, §. *Suspensionis pœnam*, *Bonac. de suspens. in partic. quæst.* 1. *punct.* 11. *n.* 22.

Limitat istud decretum *Toletus loc. cit.* cum declaratione Sacræ Congregationis, ut non procedat de collatione primæ tonsuræ; quia hoc loco non continetur ordinum appellatione.

CAPUT XXVII.

Ordines collati religioso sine commendatitiis, seu dimissoriis proprii Prælati regularis, in forma debita.

I. REligiosus exemptus, recipiens ordines sine licentia proprii Prælati, incurrit suspensionem latam ex *Bulla Pii II. & Triden. Concilio* contra recipientes ordines sine dimissoriis, vel licentia proprii Ordinarii, de qua dixi *supra cap.* 16. & quidem Bulla Pii II. suspendit promotos sine litteris dimissoriis, neque restringit sermonem ad dimissorias Episcoporum, sed absolute loquitur de dimissoriis: tamen loquitur solum de ordinibus sacris, ut ibi dixi: & Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 5. suspendit promotos sine licentia proprii Ordinarii; & ratio est, quia dimissorias dare Regularibus exemptis, ut promoveantur a quocunque Antistite, pertinet ad ipsorum Prælatum, videlicet Provincialem, vel Generalem, vel Abbatem exemptum: & ita tenet *Majol. lib.* 4. *cap.* 20. *n.* 2. *Sanch. lib.* 7. *opusc. cap.* 1. *dub.* 20. *n.* 44. qui ait, quotidie observari; & *Navarr. consil.* 36. *quis sit Ordinarius*, *de tempor. ordin. Miranda tom.* 1. *quæst.* 39. *art.* 3. *concl.* 1. idem tenet *Bonac. de censur. in partic. dis.* 3. *quæst.* 1. *pun.* 11. *n.* 3. quia inquit, quod etiamsi religiosus exemptus ordines susceperit ab Episcopo suo diœcesano, non tamen dicetur ordinatus a proprio Episcopo, si non habuit licentiam, seu dimissorias proprii Prælati; quia quoad exemptum Episcopus diœcesanus habetur pro extraneo, seu alieno, si non habeat dictas dimissorias: alii vero dicunt, quod regularis, recipiens ordines sine licentia sui Prælati, incurrit in suspensionem latam ex *Trident. sess.* 23. *cap.* 8. contra recipientes ordines sine commendatitiis proprii Prælati: de qua re dixi *cap. præced.* quia ad Prælatum regularem pertinet dare litteras commendatitias, & non dimissorias, nisi quoad minores, quando est Prælatus habens potestatem conferendi ordines minores suis subditis regularibus: ita tenent *Henriq. lib.* 10. *cap.* 23. *n.* 4. *Roderic. quæst. regular. tom.* 1. *quæst.* 18. *art.* 5. *in princ. Barbos. alleg.* 7. *n.* 31. sed ego puto, quod litteræ Prælati exempti dicen-

dæ sint dimissoriæ, Prælati vero non exempti commendatitiæ; quia tunc non potest regularis non exemptus ordinari ab alio Episcopo, nisi cum dimissotiis sui Episcopi, & commendatitiis sui superioris: secus est pro religiosis exemptis, quia non requiruntur dimissoriæ proprii Episcopi, *Roderic. loco cit. Miranda dict. art. 3. concl.* 1. alii tamen confnudunt hæc nomina, & litteras Prælati commendatitias, & reverendas, seu dimissorias appellant, ut *Roderic. ibi*.

De jure communi non poterat religiosus, etiam cum commendatitiis, vel dimissoriis proprii Prælati ordinari, nisi a proprio Episcopo, scilicet in cujus diœcesi tunc commoraretur, ex *cap. Cum nullus*, §. *fin. de temp. ordin. in 6.* ad hanc autem commorationem non requiritur domicilium, idest, ut perpetuo debeat ibi commorari, sed sufficit quasi domicilium, idest, ut sit ibi de familia, seu permansurus, donec a superioribus amoveatur: nam pro regulari hoc sufficit, ut dicatur incola, seu domicilium habens, *Bart. in leg. 1. ff. ad municip. Gemin. in dict. cap. Cum nullus, & ibi etiam Francus*.

II. Sed hodie ex decreto S. Congregationis Conc. ex mandato Clem. VIII. edito 15. Martii 1599. statutum est, ut Prælati regulares dimissorias pro suis religiosis ordinandis dirigere debeant ad Episcopum diœcesanum promovendi, ut supra; quod si eo tempore Episcopus sit absens, vel non sit habiturus ordinationes, tunc possit dare dimissorias ad quemcunque Antistitem: ita tamen ut ab ordinante debeant examinari: & dummodo Prælati regulares non differant concessionem dimissorialium in tempus absentiæ, vel impedimenti proprii Episcopi, seu in tempus, quo non sit habiturus ordinationes; dummodo in dictis dimissoriis ad alium Episcopum exprimatur causa dictæ absentiæ Episcopi, vel ordinationum non habendarum.

Quæ si Prælatus regularis non expresserit in suis dimissoriis, officii, & dignitatis, seu administrationis, ac vocis activæ, & passivæ privationis, & alias arbitrio Papæ reservatas pœnas incurrat: referunt *Miranda quæst.* 38. *art.* 2. *tom.* 1. *Diana resolut.* 15. *tract.* 2. *miscell. Barb. alleg.* 7. *n.* 18.

Nota, quod particula *incurrat* intelligitur ipso jure absque alia sententia, secundum magis communem, *Tiraquell. in leg. Si unquam, verbo Revertatur n.* 145. & 147. *Sayrus in clavi regia lib.* 3. *cap.* 8. *n.* 21. *vers. Fallit, Barbos. de dictionib. dict. Incurrat*: sed alii contrarium tenent, citati a *Tiraquello n.* 146. & facit, quia non potest intelligi, quod ipso facto incurrat alias pœnas arbitrio Papæ, nondum determinatas; ergo neque pœnas illas priores: quia unum, & idem verbum non debet simul diverso jure censeri, ut simul habeat vim sententiæ latæ, atque ferendæ: & hæc secunda sententia in casu nostro satis mihi probabilis videtur.

Ex prædictis inferes, quod si religiosus exemptus ordines suscipiat ab Episcopo alterius diœcesis, sed cum dimissorialibus proprii Prælati, illegitime concessis, v. g. quia Episcopus diœcesanus eorum erat præsens, & erat ordinationes habiturus, aut non continebant causam, ut supra; taliter ordinatus non incurret suspensionem ullam, quia non dicetur ordinatus ab alieno Episcopo, ex ratione allata superius a *Bonacina*: neque potest imputari religioso subdito, si pareat mandato superioris, ejus enim mandatum discutere non debet, *cap. Sciendum* 8. *quæst.* 1. & *Cassian. inst. lib.* 4. *cap.* 24. & *seqq.* & auctoritas superioris causat bonam fidem in illicitis, *leg. fin. C. de his, quæ a non dom. leg. Generaliter, ff. de nox. leg. Ad ea, ff. de reg. jur. gloss. in cap. Dixit, ver. Furtum* 14. *quæst.* 5. sed contrarium verius esse puto, si religiosus bona fide id non fecit, sciens licentiam esse irritam, seu contra formam requisitam; quia etiam quando agitur de pœna incurrenda, idem est agere sine licentia sui Prælati regularis, vel agere cum licentia irrita, seu invalida, *Clem. fin. ibi gloss. verbo Firmitatis*, & ibi *Cardin. quæst.* 12. *de elect.*

☞ *Circa Regularium ordinationes ex Constit. Bened. XIV.* Impositi 27. *Sept.* 1747. *attendenda sunt sequentia.*

I. Pœnas omnes statutas tam contra superiores regulares, quam contra promotos, & Episcopos promoventes, transgressores decreti Clem. VIII. incurri ipso facto, absque alia declaratione.

II. In litteris dimissoriis inseri debere authenticum testimonium vicarii generalis, vel cancellarii, vel secretarii Episcopi diœcesani, quod ipse vel absit, vel non de proximo sit habiturus ordinationes statuto tempore; alias dictæ litteræ nullius sint roboris, sub pœnis ipso facto incurrendis contra Episcopos, alienum subditum sine legitimis dimissoriis ordinantes impositis.

III. Regulares non teneri ostendere dimissorias Ordinariorum propria originis.

IV. Privilegia suscipiendi ordines a quocunque, illis solis Regularibus suffragari, quibus post Trid. nominatim, atque directe, non vero per communicationem concessa fuerint; & hæc indulta non censeri, nisi vel post ipsius Trident. confirmationem re ipsa fuerint concessa; vel quatenus antea concessa, & postea confirmata esse asserantur, hujusmodi confirmationes in forma specifica cum litterali veteris indulti insertione, ejusque expressa innovatione facta dignoscantur: ac ... alterius generis confirmationes, quæ in forma communi nuncupantur, nemini ad prædictum effectum suffragari. ☜

CAPUT XXVIII.

Ordines minores, aut prima tonsura in Regno Neapolitano collata sine informationibus requisitis.

ANno 1623. 10. Kal. Jul. Romæ S. Congregatio Cardinalium super negotiis jurisdictionalibus Regni Neapolitani de speciali ordine Papæ Greg. XV. præcipit omnibus Archiepiscopis, Episcopis, & Prælatis dicti Regni, ut antequam ad primam tonsuram, vel minores ordines aliquem promoveant, parocho, seu alteri, cui magis expedire videbitur, committant, ut denuncient publice in Ecclesia nomina, & desideria promovendorum, & inquirant de ipsorum natalibus, ætate, vita, & moribus, a fide dignis, & litteras testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes ad ipsum committentem quamprimum transmittant, ut tam ex his, quam ex aliis a *Trid. Conc. sess.* 23. *cap.* 7. præscriptis, adhibitis diligentiis, sibi constet de idoneitate promovendorum: item statuit, ut in litteris dimissoriis concedendis exprimatur, quod dictæ diligentiæ præcesserint; item ut dimissoriæ ad unum tantum determinatum Ordinarium dentur, & pluribus directæ sint nullius momenti: si quis vero contra hujusmodi formam ad primam tonsuram, vel minores promotus fuerit, ab executione collati, & a susceptione superioris ordinis sit perpetuo suspensus, & ulterius condignis pœnis puniatur: ordinans vero, vel dimissorias concedens, forma hac non servata, *a collatione* ordinum per annum sit eo ipso suspensus.

☞ *Nota, in hoc decreto non comprehendi Regulares, nec ordinandos in sacris, nec etiam in minoribus, si ordinentur vigore Brevis Apostolici, sive hoc impetratum sit pro ordinibus suscipiendis extra tempora, sive non servatis tantum interstitiis: item nec comprehendi exteros, qui ordinari possunt ab Episcopis Regni cum suorum Ordinariorum dimissoriis, licet ad certum Episcopum non directis*, Romuald. Honorant. in praxi secretariæ Tribunalis Urbis Vicarii cap. 7. pag. 201.

Nota insuper cum eod. loc. cit. *pag.* 202. *quod, ibi* — Vigore novissimorum Concordatorum inter S. Sedem, & Majestatem Regis Neapoli, subscript. sub die 8. & 13. Jun. 1741. nemo ex dicto Regno oriundus potest prima clericali tonsura insigniri, nisi de beneficio ecclesiastico, aut perpetua capellania provisus sit; quorum reditus, & proventus, saltem ad medietatem taxæ statutæ pro patrimonio sacro in diœcesi promovendi ascendant.

Quod si Episcopus pro utilitate, aut necessitate Ecclesiæ, aliquem prima clericali tonsura insignire judicaverit, etiamsi nullum habeat beneficium, aut capellaniam, id facere potest, & litteras dimissorias concedere; sed in casu dumtaxat, quod initiandus possideat ecclesiasticam perpetuam pensionem annui reditus, ascendentis saltem ad medietatem taxæ statutæ pro patrimonio sacro in sua diœcesi, vel integrum patrimonium ad formam taxæ synodalis: quod patrimonium ad evitandas fraudes, non alias, quam super bonis stabilibus fructiferis constitui potest; dummodo tamen ipsius annui reditus non minores sint viginti quatuor ducatis monetæ Regni, neque majores XL.

Præter requisitum beneficii, capellaniæ perpetuæ, aut pensionis ecclesiasticæ, ut supra dictum est, sive integri patrimonii, nemo prima clericali tonsura insigniri potest, nisi post decimum suæ ætatis annum in aliquo seminario, aut ecclesiastico convictu, saltem per triennium, commoratus fuerit: ibi autem id fieri non potest, nisi saltem per triennium in clericali habitu honeste, & laudabiliter incesserit, ac toto triennio, vel saltem pro majori parte festorum de præcepto, cujuslibet ex dictis tribus annis, a-

licui

licui Ecclesiæ, juxta formam a proprio Episcopo præscribendam, servitium præstiterit.

Illis vero, qui causa studii, ad aliquam universitatem, vel alium locum se contulerint, tempus permanentiæ in dictis locis pro convictu ecclesiastico computatur; dummodo de licentia proprii Episcopi id faciant, ac cum litteris commendatitiis ejusdem Episcopo loci, in quo moras ducere desiderant, se præsentent, ac eum directione hujus, servitio alicujus Ecclesiæ adscribi curent, deferendo habitum clericalem, & præstando per triennium, vel saltem pro majori parte cujuslibet ex tribus annis, ut supra, illud idem servitium Ecclesiæ sibi assignatæ, quod præstarent, si in propria diœcesi residerent; ac cum expressa conditione, quod pro obtinenda prima clericali tonsura exhibere teneantur proprio Ordinario litteras testimoniales Episcopi loci, in quo moras duxerunt, super vita, & moribus, & quod exacte adimpleverint, quæ ipsis præscripta sunt.

Ab hac obligatione eximuntur dumtaxat, qui ratione ecclesiastici beneficii, vel perpetuæ capellaniæ reperiuntur arctati: isti enim possunt prima tonsura insigniri, etiamsi leges præscriptas observare non valuerint, nempe delationem habitus clericalis, frequentiam scholæ, & sacramentorum, triennale Ecclesiæ servitium, ac etiamsi ætatem supra præscriptam non habeant; dummodo tamen hujusmodi beneficia, & capellaniæ vere sint ecclesiasticæ, scilicet auctoritate ecclesiastica perpetuo fundatæ, & titulo collativo, aut institutione conferantur: ac insuper dummodo ipsorum beneficiorum, & capellaniarum annui reditus, deductis oneribus, constituant saltem medietatem taxæ pro patrimonio sacro statutæ in propria promovendorum diœcesi. —

Pœnas in contrafacientes, & cetera ad hæc concordata spectantia, vide in fine Operis. ☜

CAPUT XXIX.

Ordines recipiens, Romæ commorans, sine licentia Cardinalis Vicarii.

EDictum Vicarii Urbis Romæ de mandato Clementis VIII. promulgatum fuit die 24. Novembris an. 1603. præcipiens clericis universis in futurum, in Urbe Roma commorantibus, & ad minores, vel sacros ordines promoveri volentibus, ne extra eandem Urbem, etiam vigore dimissorialium suorum Ordinariorum, vel cujuslibet alterius facultatis ad prædictos ordines promoveri se faciant, nisi prævio examine, ab Examinatoribus in Urbe deputatis idonei reperti, & approbati fuerint, & a Vicario licentiam in scriptis obtinuerint: qui secus fecerint ab ordinum executione eo ipso sint suspensi, donec a Sede Apostolica absolutionis gratiam meruerint obtinere: *de quo infra*.

☞ *Huic edicto accessit Constit. Alexan. VII.* Apostolica sollicitudo 7. *Aug.* 1662. *in qua statuitur ibi* — Ut quicunque in eadem Urbe ratione originis, vel beneficii ecclesiastici, aut domicilii, vel cum litteris dimissorialibus proprii Ordinarii, ad minores, vel sacros ordines promoveri volent, per mensem ante generales ordinationes delectum ... in dicta Urbe Vicarium in spiritualibus generalem adeant, & de ipsius mandato ab Examinatoribus ad hoc deputatis, non paucioribus, quam tribus, ac simul congregatis, super scientia ad unumquemque ordinem requisita, sedulo examinentur, & peracto examine, renuncientur quotcunque ab his idonei judicati fuerint: deinde ad minores quidem ordines promovendi bonum a parocho, & magistro scholæ, in qua educantur, testimonium habeant, de quo publicum eidem Vicario exhibeant documentum: pro iis vero, qui ad singulos majores ordines erunt assumendi, idem Vicarius, parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus, ac desiderio eorum, qui volent promoveri, publice in Basilica Lateranensi, & in propria cujusque parochiali Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, genere, ætate, moribus, & vita, ordinibus ante susceptis, titulis, ad quos promoti sunt, vel promoveri cupiunt, ceterisque qualitatibus requisitis, juxta sacrorum Canonum, & Conc. Trident. dispositionem a fide dignis diligenter inquirat, & litteras testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Vicarium quam primum transmittat: & nihilominus quoties aliquem ex sacris ordinibus suscipere voluerint, ad sacerdotes in id deputatos personaliter se conferant, a quibus decem saltem dierum spatio ante ordinationem in eorum domo inclusi, de omnibus ad digne suscipiendos, & rite exercendos ordines requisitis erudiantur; & de hoc testimoniales eorundem sacerdotum ad ipsum Vicarium deferant: nec sine hujusmodi litteris quisquam ad ullum sacrum ordinem promoveatur, nec cum aliquo super examine, & inclusione hujusmodi dispensari possit, nisi consultis Nobis, seu Romano Pontifice, pro tempore existente.

Denique in sex Episcopatibus prope Urbem, in quibus non sunt Suffraganei, quicunque ad minores, vel Sac. Ordines volunt promoveri, cum litteris dimissoriis sui Ordinarii, ad memoratum Vicarium, & non ad alium Antistitem directis, ad Urbem accedant, ibique, & non alibi, ordinentur, servata in omnibus forma superius præscripta. Ubi vero sunt Suffraganei, nemo ad aliquem ex majoribus Ordinibus assumatur, nisi prius, præter ea, quæ a Sac. Canonibus, & ejusdem Concilii decretis sancita sunt, ad minus per decem dies a dictis sacerdotibus in Urbe deputatis, in eorum ædibus inclusus, ut supra, fuerit educatus, ac litteras testimoniales eorundem sacerdotum ad ipsum Suffraganeum detulerit. Suffraganeus autem, qui contra fecerit, ab exercitio pontificalium per annum; promoti vero, tam ab eisdem Suffraganeis, quam etiam in Urbe, non servata forma præsentis Constit. ab executione ordinum sic susceptorum, donec Nobis, & Successoribus Nostris, Romanis Pontificibus visum fuerit, ipso jure sint suspensi. — ☜

Nota primo, quod commorans dicitur etiam, qui domicilium non habet ibidem, ut dixi *supra cap.* 27. *post num.* 2.

Nota secundo, quod non procedit contra recipientem primam tonsuram, *Bonac. ibi n.* 5.

Nota tertio, quod licet edictum istud fuerit editum a Cardinali Vicario, non cessat per ejus mortem, quia ex speciali mandato Papæ editum fuit ab ipso Vicario; alias enim expirasset eo mortuo, *Ursill. ad Afflict. dec.* 290. *n.* 3. *Farin. in fragmen. verbo Bannimenta*, *n.* 6. & 7. *Mathesil. sign.* 189. *n.* 4. & creditur magistratui, asserenti de commissione Principis, quando est magistratus in curia Principis, *Grammat. decis.* 36. *n.* 27. *Mascard. verbo*, *Cardinalis Legati*, *n.* 26.

☞ *Citatum edictum confirmatum fuit ab Alex. VII.* 15. *Maji* 1664. *quod registratum legitur in lib. Bannimentorum ab ann.* 1662. *ad ann.* 1673. *pag.* 221. *in secreteria Tribunalis ejusdem Vicarii; ac insuper a Bened. XIV.* 20. *Maji* 1743. *cum sequentibus declarationibus, emanatis a Congr. particulari de mandato d. Alex. an.* 1668. *cit. loc. registratis, videlicet*.

— In Congreg. particulari de mandato Sanctiss. habita coram Eminentiss. D. Card. Vicario super edictis, ne clerici in Urbe degentes, extra Urbem se promoveri faciant, nisi in Urbe examinati, & approbati,

Ab Illustriss. & Reverendiss. dominis,

Archiepiscopo de Angelis Vicesger. Archiepiscopo de Vecchis, De Rubeis, Et a RR. PP. de Comitibus Soc. Jesu, De Lauria Ordin. Min. Conventualium,

Fuerunt dispensata infrascripta dubia, & resoluta, ut infra.

1. Qui dicantur clerici in Urbe commorantes, ad hoc, ut in præfato edicto comprehendantur.

Resp. Qui habitant in Urbe, & in ea saltem per quatuor menses moras traxerint.

2. An clerici in Urbe commorantes, accedentes ad proprium Ordinarium, & ab eo suscipientes ordines, absque eo quod examinati fuerint in Urbe, afficiantur edicto supradicto.

Resp. Non afficiuntur edicto, si ab ipsomet Ordinario suscipiant ordines: secus si ab alio ordinentur, etiam vigore dimissorialium proprii Ordinarii.

3. Clerici in Urbe commorantes, & ab Examinatoribus Urbis rejecti, recipientes ordines a proprio Ordinario, an incidant in pœnas edicti.

Resp. Clerici ab Examinatoribus Eminentissimi Domini Cardinalis Vicarii reprobati, incidunt in pœnas edicti, etiamsi a proprio Ordinario approbati, ab eodem suscipiant ordines.

4. An clerici in Urbe commorantes possint ordinari etiam ab Episcopis domicilii, beneficii, & ab eo, cui triennale servitium personaliter præstiterunt, ad formam Sacr. Conc. Trid. *sess.* 23. *cap.* 9. *de reform.* absque eo quod prius

exa-

examinati, & approbati fuerint ab Examinatoribus Urbis, juxta supradictum edictum.

Resp. Clerici in Urbe commorantes, bene recipiunt ordines ab Episcopis domicilii, beneficii, & triennalis servitii praestiti; dummodo ab ipsismet Episcopis ordinentur ad formam Sac. Conc. Trid.

5. An beneficium ad effectus praedictos, esse debeat tale, ut ex eo clericus sustentari possit, vel sufficiat etiam beneficium tenue: dummodo tenuitas beneficii suppleatur per constitutionem patrimonii.

Resp. Sufficit etiam beneficium tenue; dummodo clericus ad tit. sufficientis patrimonii ordinetur.

Hodie autem huic postremi dubii resolutioni, manifeste obstat Constitutio Innocentiana, cujus vigore beneficium debet esse sufficiens, juxta superius dicta.

6. An sub illis verbis edicti, vel cujusvis alterius facultatis, comprehendantur clerici in Urbe commorantes, qui vigore Brevium Apostol. extra tempora nuncupata, extra Urbem promoventur.

Resp. In edicto praefato comprehenduntur etiam clerici, qui vigore Brevium, extra tempora nuncupatorum, extra Urbem promoventur.

Et facta relatione Sanctissimo de praedictis dubiis, eorumque resolutionibus, Sanctissimus praedictas resolutiones benigne approbavit, & easdem in posterum ab omnibus servari mandavit.

F. de Angelis Archiepiscopus Urbinaten. Vicesgerens. —

His tamen decretis, & edicto non obstantibus, optime animadvertit Romualdus Honoranti in Praxi Secretariae Tribunalis Urbis Vicarii, cap. 16. licite promoveri posse extra Romanam Curiam, absque ullo dictarum poenarum incursu, tam respectu ordinati, quam ordinantis, cum litteris dimissorialibus proprii Ordinarii, hoc impedito, aut ordinationes non habente, a quocunque alio Episcopo, eum, qui quamvis ultra quatuor menses Romae commoratus fuerit, patriam repetierit, non praecise, ut ordines susciperet, sed animo ibi permanendi; cum in hoc casu nulla intercedat fraus, aut dolus — Praeterquamquod (*sunt verba Honoranti*) esset lex nimis dura, & gravosa, saltem respectu ultramontanorum, si post motam per dictum tempus in Urbe habitam, quocunque futuro tempore (proprio Ordinario legitime impedito, vel ordinationes per seipsum agere non valente, uti sunt omnes Abbates, & Priores, qui licet concedere possint litteras dimissorias ad ordines, ipsos tamen ordines saltem sacros, per seipsos conferre non valent, sed ad Episcopos viciniores, vel etiam ad alios juxta apostolica privilegia proprios subditos dimittere tenentur) ad Urbem accedere pro suscipiendis ordinibus omnino obligarentur: neque credendum est, quod Summi Pontifices ad hoc hujusmodi promovendos cum tanto incommodo, aut dispendio obligate voluerint. —

Animadvertit insuper, hac lege non comprehendi Regulares, multoque minus laicos, nondum prima tonsura initiatos, si ultra quatuor menses in Urbe manserint, & promoveri velint, cum de his nulla mentio fiat in edictis.

CAPUT XXX.

Ordinis Sacramentum iterantes.

Quidam putant, ordinem eundem iterato recipientes, vel ministrantes eidem, incurrere irregularitatem: ita *Archid. S. Anton. & alii apud Sayr. lib. 7. c. 8. n. 27.* & tenet *Navarr. c. 27. n. 246.* tamen contraria sententia est communis, ut solum procedat in iteratione Sacramenti Baptismi, *Tolet. lib. 1. c. 65. n. 3. Sayr. loc. cit.* qui plures allegat, *Bellet. disquis. cleric. part. 1. §. 4. n. 67.* alii putant, iterantem Sacramentum ordinis incurrere suspensionem latae sententiae, Papae reservatam, ex *c. 1. de secund. nup.* ubi est casus de iterante sacramentalem benedictionem: sed communis sententia docet, ibi esse suspensionem sententiae ferendae, ut dixi *verbo Sacramenta iterantes; & verbo Matrimonium, cap. 2.* est tamen grave peccatum sacrilegii praedicta ordinis iteratio, ut *Turrecrem. in c. Manus 1. quaest. 1.* & puniri debet arbitrio superioris, *dict. cap. 1.*

CAPUT XXXI.

Ordines exercens in censura,

Vide *verbo Censura, cap. 11. 17. & 18.*

CAPUT XXXII.

Ordinem sacrum exercens, quem non habet.

I. Ex *c. 1. & 2. de clerico non ordinato ministrante*, ministrans solemniter in ordine, quem non habet, irregularis efficitur.

Amplia primo, ut procedat non solum de clerico, actum ordinis usurpante, sed etiam de puro laico: quia etsi text. & rub. loqui videantur de clerico, decisio tamen, & regula text. non restringit ad solum clericum, sed ibi contingit casus in clerico: & ita tenent *Calder. Palud. Sylv. Tabien. S. Anton. Navarr. Sot. Majol. Valen. & Filiuc.* allegati a *Sayr. lib. 7. de censur. c. 10. n. 6. Suar. disp. 42. n. 10. Borgas.* qui testatur de communi, *tract. de irregul. par. 6. tit. de non ordin. ministr. n. 1. fol. 313. Coninck. disp. 18. n. 45. Avila par. 7. disp. 9. sect. 2. dub. 14. & 15. Filiuc. tract. 20. n. 207.* quamvis contrarium teneant alii, quos sequitur *Sayr. ibi, Diaz in praxi c. 12. Layman lib. 1. tract. de irregul. c. 3. n. 3. Barbos. in dict. c. 1. n. 5. Bonac. de irregular. quaest. 3. punct. 6. n. 1.*

Amplia secundo, ut procedat etiam in usurpante actum, ordini annexum ex institutione ecclesiastica; si tamen sit annexus tanquam actus ordinis (non jurisdictionis, ut *infra* dicam) ut sunt multae benedictiones, & consecrationes, quae a sacerdotibus, vel Episcopis fiunt, ut *Suar. n. 7. Filiuc. n. 210. Sayr. lib. 4. c. 16. n. 13. & c. 10. n. 9.* cum aliis per eum adductis.

Amplia tertio, ut procedat etiam in exercente talem ordinem ficte; verb. gr. si fingat se sacerdotem, & ficte, sed serio absolvat: quia cum agatur de poena usurpantis, & facientis actum irritum, etiam per actum fictum incurrit in eandem poenam, *Suar. disp. 42. sect. 4. n. 18. & 19. Coninck. n. 48. Cardin. in Clem. religiosis, verbo Ministrare, de privil. Sayr. n. 5.*

Amplia quarto, ut incurrat irregularitatem diaconus, *si solemniter baptizet*, aut communionem praebeat sine licentia Episcopi, vel saltem parochi, ubi sit consuetudo, ita apud *Eman. Sà verb. Ordo n. 8. Layman de Euchar. cap. 7. n. 2. & 3.* est communis sententia, & tenet *Bonacin. tract. de irregul. q. 3. punct. 6. n. 5.*

Amplia quinto, contra *Navarr. c. 27. n. 242. in fin.* ut procedat, etiamsi clericus ministraret, v. gr. quae pertinent ad ordinem diaconi, non intendens id facere tanquam diaconus, sed sufficit, si sciat id pertinere ad ordinem diaconi, quem non habet, *Suarez n. 18. & 19. Sayr. n. 7. Laym. dict. c. 3. §. 3. requir.*

Limita primo, ut non procedat in usurpante actum ordinis minoris; quia hic actus etiam a laicis ex consuetudine potest exerceri, *S. Thom. in 4. dist. 24. quaest. 2. art. 2. ad 9. Sayr. lib. 7. c. 10. n. 3. & lib. 4. c. 16. n. 11. cum aliis, Avila dub. 13. cum aliis, Ugolin. de irregul. c. 37. n. 13. Coninck. dub. 6.* quamvis contrarium teneant plures citati a *Sayr. lib. 4. c. 16. n. 11.* & tenet *Suar. n. 15.*

Limita secundo, ut non procedat in usurpante actus alterius facultatis annexae ordini facto, ut jurisdictionis v. gr. si sacerdos non approbatus absolvat sacramentaliter, vel si non sacerdos concionetur, *Henriq. lib. 14. c. 6. n. 2. lit. X.* ubi in commento plures allegat, & *Sayr. lib. 7. cap. 10. n. 9.* cum aliis DD.

Limita tertio, quod secundum communem sententiam cum tali irregulari, si clericus sit, potest Episcopus dispensare, ut ministret in susceptis, utque beneficium obtineat, si jam erat ordinatus in sacris, ut *in dict. c. 2. de cler. non ordin. Tolet. lib. 1. c. 72. §. 1. in fin. Abb. in dict. c. 2. n. 2. cum Inn.* non autem, ut ascendat ulterius, *Hostiens. & Goffr. in dict. c. 2. Innoc. in c. Dilectus, de temp. ordin. n. 3. Sayr. lib. 3. c. 10. n. 11. Ugol. cap. 37. n. 14.* & veriorem hanc testatur *Layman c. 3. §. Porro circa*: quod est verum, nisi usurpaverit ordinem sacerdotalem, celebrando missam, vel absolvendo sacramentaliter, *Borgas. n. 3.* ut infra dicam.

Adde, quod quando Episcopus dispensat, ut supra, debet eum prius suspendere, seu suspensum relinquere biennio, vel triennio, ex *c. 2. citato*: potest tamen Episcopus plus,

plus, vel minus temporis arbitrari; quia illud biennium, vel triennium ponitur exempli causa: ita *Hostien. ibi vers. Vel triennio*, *Anchar. n. 2. Cardin. not.* 1. qui etiam nutant, & dicunt, dispensationem non posse ab Episcopo concedi, nisi pœnitentia, vel illius parte peracta, ut patet ex *eod. seu. & c. Eu tenore de temp. ordin.* ibi, *parte pœnitentiæ peracta*, & *c. At si clerici*, §. *De adulteriis*, *de judic.* & ibi *gl. & Butr. not. 2. Cardin. n. 1. Anchar. not. 6. & c. fin. de eo, qui furtive*, *c. Cum illorum de sentent. excomm.* hæc autem forma dispensandi servatur de stylo curiæ in omnibus irregularitatibus ex delicto contractis, *Cardin. in dict. c. At si clerici* §. *De adulteriis*, *n. 1. not. 1. & in dict. c. 2. de cler. non ord.* & constat ex formulis Sacræ Pœnitentiariæ; quamvis in Sacra Pœnitentiaria sæpe tempus suspensionis prædictæ magis coarctemus pœnitentibus ad vitandum scandalum: sic etiam commissarius in isto casu potest illam partem pœnitentiæ taxare, & moderari ex causa rationabili, etiam ad minimam partem restringendo, ut eum statim absolvere, & dispensare possit, per ea, quæ ait *Dec. in dict.* §. *De adulteriis n. 24. & seqq. cum alleg.* & sufficit, quod sit pars congrua pro loco, & tempore, *c. fin. de fur. ibi congrua parte &c.* & quia partis nomine aliquando venit etiam minima pro subjecta materia, *Rebuff. in leg. Nomen filiarum* §. *Portionis ff. de Verb. sign.* et quia hodie omnes pœnitentiæ sunt arbitrariæ, *Menoch. de arbitr. cas.* 391.

Limita quarto, quod non incurrit irregularitatem qui bona fide, ex ignorantia exercuit ordinem, quem non habebat, ut colligitur ex *c. 1. cit.* ibi *propter temeritatem*, et *cap. 2.* ibi *usurpare præsumpsit*: ita *Navarr. cons. 70. de sent. excomm. Ugolin. de irregul. cap. 37. n. 8. Bonac. in loco cit. n. 1. & n. 7.*

II. Aliqui putant, clericum exercentem ordinem sacrum, quem non habet, incurrere suspensionem ex *d. c. 2. de Cleric. non eod. min.* ita *Tolet. lib. 1. c. 72.* §. 1. *in fin. Cardin. in dict. c. ord. tit.* sed verius est, hanc non esse suspensionem distinctam ab irregularitate, de qua supra dixi, ut patet ex prædictis.

III. Missam celebrans, vel sacramentaliter absolvens, cum sacerdos non sit, fit suspectus de hæresi, & cogendus ab Inquisitore abjurare de vehementi, & degradatus tradendus est curiæ sæculari puniendus, ex Const. Pauli IV. apud *Majol. lib. 4. cap.* 13. *n.* 1. & ex Constitut. Gregor. XIII. *Officii nostri*, & ex Constit. Clem. VIII. *Etsi alias* 81. & ex Constit. S. D. N. Urbani VIII. *Apostolatus Officium*, ubi declaravit, eas pœnas procedere etiam in minoribus 25. annis, majoribus tamen 20. annis: unde sequitur, quod cum hoc sit crimen depositione dignum, si fuerit notorium de jure, vel de facto, reddit ipso jure infamem, & irregularem, ut dixi *par. 1. cap.* 33.

Et adverte ad intelligentiam hujus Constitutionis Urbani, quod de jure communi minor 25. annis, etiam pro crimine atroci, v. gr. homicidio &c. non potest damnari pœna mortis, sed mitiori, seu extraordinaria, (secus tamen pro atrocissimis secundum multorum sententiam) *Ant. Gomez lib. 3. var. c. 1. n. 64. & Avus meus decis. Pedem.* 161. *n. 4. & 5.* ubi testatur de communi sententia, & late probat *Farinac. cons. crim. 187. per totum*.

IV. Exercens ordinem, quem non habet, ut supra, potest puniri pœna falsi: *Abbas in dict. cap. 1. Anchar. ibid. n. 3. Barbos. in dict. c. 2. n.* 3. qui alios allegat, & *Albericus in leg. Eos*, *in fin. ff. ad leg. Cornel. de fals.* per illum text. & *Felin. in cap. Tertio loco*, *n. 1. de probat.* unde sententia lata contra eum de crimine falsi, incurrit aliam irregularitatem, ob infamiam juris contractam ex condemnatione in causa publici judicii, ut dixi *verbo Falsum*, *cap. 1.*

☞ *Ex Constit. Bened. XIV.* Sacerdos in æternum 20. *Apr.* 1744. *missam celebrans, ad presbyteratus ordinem non promotus, curiæ seculari tradendus est, etiam pro prima vice, prævia degradatione, si alium ordinem susceperit, quamvis unam tantum missæ partem celebraverit; si tamen elevationem Hostiæ, vel Calicis, seu utriusque peregerit, etiam non prolata consecrationis forma: nec privilegium ætatis minoris annis viginti quinque ei suffragatur, quin condignis pœnis a curia seculari afficiatur; dummodo vigesimum annum expleverit juxta ampliationem factam ab Urbano VIII. Constit.* Apostolatus officium, *quæ hic innovatur: si vero elevationem non peregerit, mitiori pœna damnari permittitur.*

Eisdem pœnis subjiciuntur, confessionem sacramentalem audientes, non promoti ad presbyteratum, si absolutionis formam protulerint, etiam pro prima vice.

Præterea statuitur, quod licet delictum celebrationis missæ non satis plene probatum dici possit, ad effectum deveniendi ad realem delinquentis traditionem brachio seculari, quando testes inducti in suis quique depositionibus singulares dignoscuntur; nihilominus indicia per ejusmodi depositiones acquisita, satis relevantia judicari debeant, ut reus tormentis subjiciatur ad eliciendam veritatem. Fisci vero intentio satis probata intelligatur, si ex extrajudicialibus litteris Ordinariorum rei constet, hunc ad presbyteratus ordinem non fuisse promotum: cui tantum incumbere debeat onus concludenter probandi, se fuisse promotum.

Ex alia ejusdem Bened. Constitut. Divinarum 4. *nonas Augast. 1757. prædictis reis non amplius suffragatur, ut olim, sincera hujusmodi delictorum, a se patratorum confessio, facta judici, cum primum ab eo interrogati fuerint, an sciant, qua de causa carceribus inclusi sint, ad obtinendam promeritæ pœnæ minorationem, scilicet triremium, & carceris in perpetuum loco mortis; sed omnino tradi debent, servatis servandis, brachio seculari, capitali pœna puniendi.* ☜

CAPUT I.

Papæ electi, nondum coronati litteras impugnantes.

I. PEr *Extrav. Quia nonnulli*, *de sent. excomm. in fin.* excommunicationem, nemini reservatam, incurrunt, impugnantes litteras Papæ electi, nondum coronati, si impugnent eo prætextu, quasi non habeat adhuc plenam potestatem Vicarii Christi Domini; quod est falsum: siquidem coronatio solum pertinet ad solemnitatem, non ad habendam jurisdictionem, sed quasi ad publicationem susceptæ dignitatis, *Suar. de censur. disp. 23. sect. 6. n. 1. Azor. par. 2. lib. 4. c. 5. in princ. Augustin. Anconit. de potest. Eccles. quæst. 4. art.* 2. ubi ait, Papatum esse nomen jurisdictionis, non ordinis, & eodem momento, quo canonice electio est facta, immediate a Deo confirmari, & *Barbos. alleg. 50. n.* 173. Non tamen incurrunt in istam excommunicationem litteris Papæ resistentes alio prætextu, ut subreptionis, aut electionis irritæ ob vim, & metum &c. *Navarr. c. 27. n. 147. Suar. ibi n. 2.* facit *cap. In nomine Domini 23. dist.*

Adde, quod per talem impugnationem impediens executionem litterarum Papæ, incurrit etiam excomunicationem latam in *Bulla Cœnæ Domini c.* 13. & Bulla Leonis X. quæ est 30. *Supremi*, dixi *verbo Jurisdictio*, *cap.* 14.

CAPUT I.

Parochialia jura usurpantes.

I. USurpantes jura parochialia, incurrunt in excommunicationem Papæ reservatam, latam in Bulla in Cœna Domini, & in Conc. Tridentino, de quibus dixi, *verbo Usurpatio*: itaque si parochus ministret sacramenta alienis parochianis, animo usurpandi, & acquirendi tale jus suæ Ecclesiæ, incurrit in censuras latas contra usurpantes jura aliarum Ecclesiarum, ut ibi dixi.

Item ex eodem Tridentino assistens matrimonio alienorum parochianorum, eos scilicet conjungens, vel eorum nuptias benedicens, incurrit in censuras, de quibus dixi *verbo Matrimonium*, *cap.* 1.

II. In *Clem. 1. de privil.* fertur excommunicatio, Papæ reservata contra religiosos, præsumentes clericis, aut laicis Sacramentum Extremæ Unctionis, aut Eucharistiæ ministrare, vel matrimonia solemnizare, non habita super his parochialis presbyteri licentia speciali: & additur, ut locorum Ordinarii, postquam de tali transgressione constiterit, eos excommunicatos faciant publice nunciari, donec de absolutione ipsorum eis fuerit facta fides; nullo religiosis eisdem super hoc exemptionis, vel alio privilegio suffragante: unde poterant Regulares citari in tali casu ab Episcopo ad instantiam parochorum, ad dicendam causam, quare non debeant declarari excommunicati, *Roderic. tom. 1. quæst. regal. 56. art. 2. in fin.* de hac materia vide, quæ dicam infra *verb. Sacram. cap.* 4.

Limita, quod religiosi non incurrunt hanc censuram, si ministrent alia sacramenta alienis parochianis, quamvis peccent id facientes, *Suar. de censur. disp. 22. sect. 4. n. 13. Filiuc. tract. 15. n. 188. Sayr. lib. 3. c. 29. n. 35. de censur.* neque incurrunt, si bona fide, vel ignorantia crassa, non tamen affectata, id faciant, ob illam particulam, *præsumentes*; vel

si ministrent dicta Sacramenta cum liceotia Episcopi, vel Vicarii generalis, *Filiuc. & Roderic. ubi supra, & Suar. loco cit. & de Sacrament. disp. 72. sect. 2. §. Sed inquires:* multo magis si ex ignorantia facti probabili, verbi gratia ex credulitate probabili, propter dictum personæ gravis, & timoratæ asserentis, Parochum licentiam dedisse, ut late probat *Lap. alleg.* 126. ubi multas prosequitur causas justæ credulitatis: oeque incurrit religiosus ministrans Sacrameora ex privilegio Apostolico suis familiaribus secularibus, neque his privilegiis derogatum est per hanc Clemeotinam, sed privilegiis, ne possint deoonciari excommunicati ab Ordioario, *gloss. in dicta Clem. verbo Suffragante, Imola ibi n.* 15. *Roderic. loco cit. & tom.* 3. *q.* 79. *art.* 1. neque incurruot ministrantes Sacramenta in casu oecessitatis, *Suar. de Sacramen. loc. cit. §. Sed quæres, Roderic. ubi supra, Angel. verb. Excommun.* 5. *casu* 12. *n.* 5. *cum Host. & Archid.* per *cap. Quod in te, de pœnit. & remiss.* quamvis contra de Viatico teneant nonoulli, quia noo est similiter necessarium ad salutem, *Navarr. c.* 21. *n.* 25. *Sylv. excomm.* 7. *cas.* 14. §. 3. *Cardin. in d. Clem. quæst.* 1.

III. Præterea religiosi, & clerici seculares usurpantes jura parochialia circa ecclesiasticæ sepultoræ electionem, incurrunt pœnas, & censuras, de quibus dicam *verbo Sepultura, c.* 3.

IV. Decimarum quoqoe jura parochorum usurpantes, seu impedientes religiosi, & alii incurrunt in censuras, de qoibus dixi *verbo Decimæ*.

☞ CAPUT I.

Parochi, & religiosi Germaniæ, non servantes concordiam inter se statutam.

EX *Extravaganti Sixti IV.* Vices illius 2. *de Tregua, & Pace, incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, non tamen reservatam, a qua tamen contrafacientes absolvi nequeunt* -- nisi de expresso consensu partis læsæ, & debita satisfactione prævia. -- ☜

CAPUT I.

Parricidium.

I. PArricidium est crimen publicum; uode condemoatus de illo, est ipso facto infamia juris ootatus, & coosequenter irregularis, ultra irregularitatem contractam ipso facto ex homicidio, *c. Infames 6. quæst.* 1. *leg.* 1. *ff. de his, qui not. infam.* vide quæ dixi *verbo Homicidium:* imo si factum sit notoriom, contrahitur prædicta infamia juris, & irregularitas, secundum sententiam dicentium, quod omne crimen enorme, depositione dignum, efficit infamem juris infamia: quæ est sententia magis communis, ut dixi *part.* 1. *cap.* 33.

II. Adverte, quod de jure civili parricida damnatus ad mortem, privatur sepultura, *leg.* 1. *Cod. de his, qui parent. occid. Bald. & Salyc. ibi*, plures allegat *Farinac. quæst.* 12. *n.* 14. sed hodie hæc pœna in multis locis est correcta, & non denegatur ei ecclesiastica sepultura, *Farinac. n.* 15. *dict. quæst.* 120. ubi ait in statu Ecclesiæ Romanæ ita servari: & tenet *Menoch. de arbitr. casu* 356. *n.* 9. dicens, hoc esse canonico juri conforme, quia pœoa privatioois ecclesiasticæ sepulturæ ad forum canonicum, seu ecclesiasticum solummodo pertinet: de jure autem canonico cuilibet fideli, etiam scelestissimo, decedeoti cum pœnitentia, ecclesiastica conceditur sepultura, ut *cap. Quæsitum* 13. *quæst.* 2. *& c. ult. ibi DD. de sepult.* exceptis tamen oonnullis casibus, a jure canonico expressis, de quibus dixi *par.* 1. *c.* 41. inter quos oon reperitur parricidium: ubi tamen dicta pœna juris civilis adhuc esset in usu, ita servari deberet, ut *Aloysius de Leo in leg.* 1. *Codice de cadaver.* nam & potest Princeps supremus constituere, ot cadaver ultimo supplicio affecti (scilicet ob aliquod gravissimum crimen, ut ob parricidium) concremetur; atque adeo omni sepultura privetur, *glos. in dict. c. Quæsitum, verb. In patibulis*.

Quod autem dixi, hodie parricidam noo censeri privatum ecclesiastica sepultura, intelligas de privatione illa, quæ ipso jure iofertur; noo autem de ea, quæ sequitur ad sententiam judicis condemoatoriam ad ultimum supplicium executam: etenim cadavera hujusmodi damnatorum oon possunt a quoquam tolli de patibulis, v. g. de furca, & sepulturæ mandari, nisi cum liceotia Principis (quam tamen licentiam Princeps facile contedere deberet) *per leg.* 1. *ff. de cadav. punit. & leg. final. Cod. eod. tit. Abb. in c. Ex parte n.*4. *& sepult. Ant. Gomez lib.* 3. *variar. c. ultim. n.* 8. & jus caoonicum, dicens cadaveribus hujusmodi reorum concedi ecclesiasticam sepulturam, iotelligitur si adsit licentia Principis, ita *glos. in Clem.* 1. *verbo Pœnitentia, de pœnit. Gomez loc. cit.*

Sed hinc oritur quæstio, si vir parricidium committat in personam uxoris, eam scilicet occideodo, eaque decedat, nulla sepulturæ electione facta, an sepelienda sit in sepulchro mariti, juxta *c. Unaquæque* 13. *quæst.* 2. *& cap. Is, qui §. Mulier, de sepult. in* 6. an potius in sepultura patrum suorum, idest ipsius uxoris, vel in Ecclesia parochiali, juxta distinctionem, quæ militat in aliis mulieribus non nuptis, de qua *in dict. cap. Is, qui, & c. Licet pater de sepult. in* 6. respondeo, non esse sepelieodam in sepulchro viri sui: primo, quia vir ipso jure communi amisit jus sepulturæ, licet ex æquitate canonica eam consequi possit, ut supra dictum est: secundo, quia cessat ratio *c. Unaquæque*, cur debeat uxor sepeliri io sepulchro mariti, scilicet quia eorum una fuit mens io vita; nam eo casu constat de hostili animo mariti io uxorem: tertio, quod si oxor post vulnus lethale, sibi a marito inflictum, supervixisset, jure potuisset divortii sententiam obtinere, ot per *Sanch. lib.* 10. *de matrim. dist.* 18. *n.* 16. *Farinac. quæst.* 143. *n.* 203. *per c. Ex transmissa, & ibi Canonistæ de restitut. spoliat.*

☞ *Propositiones proscriptæ ab Innoc. XI. sub die* 2. *Mart.* 1679. *ad parricidium spectantes, sub pœnis contra illas docentes, & ad praxim deducentes, quas incurrunt docentes & c. alias propositiones proscriptas, ut in fine Additionis ad cap.* 1. *verb.* Missa, *sunt in ordine la*

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris; non quidem, ut malum patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obveotura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio patris, a se in ebrietate perpetrato, propter iogeotes divitias inde ex hæreditate consecutas. ☜

CAPUT I.

Patronatus jus usurpans in Ecclesia libera, & cooperantes.

Vide *verbo Usurpatio c.* 2. & *verbo Vacantia c.* 2.

CAPUT II.

Patronus, usurpans bona suæ Ecclesiæ, aut impediens a ministris percipi, aut cooperans, aut in fructuum perceptione se ingerens.

Vide *verbo Usurpatio cap.* 1. Vide *Trid. sess.* 25. *c.* 9. *& sess.* 22. *cap.* 11.

CAPUT III.

Patronus, vendens jus patronatus, vel actum præsentationis, aut percipiens turnorum lucra.

Vide *verbo Simonia c.* 2. *verbo Vacantia c.* 4.

CAPUT IV.

Patronus, præsentans cum confidentia.

Vide *verbo Simonia cap.* 3.

CAPUT V.

Patronus, admittens resignationem ad favorem.

Vide *verbo Resignatio cap.* 2.

CAPUT VI.

Patronus, præsentans scienter indignum.

PAtronus, præsentans scienter indignum, privatur ea vice jure præsentandi, *c. Cum in cunctis, de elect. Lambertin. part. 1. de jurepatronat. lib. 2. quæst. 10. art. 4. n. 23. Barbos. in dict. c. Cum in cunctis n. 36.* unde si ex fundatione debebat v. g. præsentari, seu eligi sacerdos, seu presbyter, & præsentavit clericum, pro illa vice non poterit amplius illum, vel alium sacerdotem præsentare, *Rot. part. 2. rec. decis. 216. n. 6. Crescent. dec. 11. de jur. patr.* non tamen incurrit in pœnam suspensionis, de qua in *dict. c. Cum in cunctis, Tolet. lib. 1. c. 48. §. 6. Sayr. lib. 4. c. 15. n. 11.* quod est intelligendum de patrono laico: nam habens juspatronatum ecclesiasticum, dum præsentat, dicitur eligere, ideo incurrit in illam suspensionem, *Card. in dict. c. Cum in cunctis §. final. n. 1. Riccius collec. 1029. & in praxi resol. 441.* vide de hac re, quæ dixi *verb. Electio c. 3.* ubi rem plenius declaravi.

☞ *Bened. XIV.* lib. XII. cap. 7. n. 6. de Synod. diœc. edit. Patav. anni 1756. *probat, non omnes patronos, sed tantum ecclesiasticos, præsentantes indignum, excidere pro ea vice jure præsentandi, contra opinionem Auctoris, quam indicat cap. III. verbo* Electio *n. 5.*

Circa præsentationem ad Ecclesiam parochialem faciendam a patrono ecclesiastico, notanda sunt responsa ejusd. Bened. ad dubia sibi proposita ab Archiep. Florentino in epistola Redditæ nobis *9. April. 1746. I. Patronum ecclesiasticum teneri, etiam in foro externo, præsentare ad beneficium curatum magis idoneum, & magis dignum inter approbatos ab* Examinatoribus. *II. Episcopum debere beneficium conferre præsentato a patrono, absque eo quod inquirat de illius judicio, si inter examinatos nemo de hoc queratur: si vero sit qui queratur, teneri in dictum judicium inquirere. III. Admittendam esse appellationem in devolutivo tantum, interpositam ab eo, qui se digniorem existimat, & posthabitus est, non retardata possessione præsentati, si Episcopi, & patroni judicium de magis digno conveniat; si vero non conveniat, tunc si quis ex approbatis ab Examinatoribus, & tanquam magis dignus prælectus a patrono, putet se gravatum esse ab Episcopo, & ideo appellat, ejus apellationem operari debere ad effectum suspensionis: & interim ecclesiam parochialem remanere sub œconomo, donec lis finiatur.* ☜

CAPUT I.

Pœnitentiariæ sacræ officiales munera accipientes.

Vide *verbo Munera cap. 2.*

CAPUT II.

Sacræ Pœnitentiariæ officiales se intromittentes in expeditionibus prohibitis.

EX *Constit. Pii IV.* In sublimi *4. Maji 1562. incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, non tamen reservatam: ac insuper pœnam privationis, & amissionis suorum, nedum officiorum, quæ exercent in S. Pœnitentiaria, sed etiam aliorum officiorum, & beneficiorum quorumcunque, & inhabilitatis ad illa, & alia, si ausi fuerint, & præsumpserint se intromittere in concessionibus, & expeditionibus, sibi in hac eadem Constitutione interdictis.*

Nota I. quod pœna dictæ privationis, & inhabilitatis, est ferendæ tantum sententiæ.

Nota II. nomine officialium expressorum in eadem Constit. venire ipsum Cardinalem Majorem Pœnitentiarium, Regentem, Correctores, Scriptores, Procuratores, Revisores, Sigillatores, & quoscunque alios Pœnitentiariæ officio addictos.

Nota III. circa facultates Majoris Pœnitentiarii, quas idem Pius reformavit, hodie attendendam esse Constit. Bened. XIV. Pastor bonus *13. Aprilis 1744. quam vide in fine hujus secundæ partis.* ☜

CAPUT III.

Sacræ Pœnitentiariæ officiales, secretum violantes.

EX *Constit. S. Pii V.* In omnibus *18. Maji 1569. §§. 10. & 19. si violaverint juramentum de secreto servando (quod in admissione ad officium omnino præstare debent, quodque in manibus Majoris Pœnitentiarii quotannis iterare debent) vigore cujus nedum personas, sed ne occultos quidem casus in genere, unquam revelare possunt, puniendi sunt iisdem pœnis, quibus confessarii, frangentes confessionis sigillum, quas pœnas vide in Auctore cap. 4. verb.* Confessio.

Hanc Constitutionem refert Auctor c. 2. verb. Munera; *nihil autem de hujusmodi secreti violatione loquitur.* ☜

CAPUT IV.

Sacræ Pœnitentiariæ litterarum executores.

SI *hæ expeditæ fuerint pro foro conscientiæ dumtaxat, quæ tunc clausæ mittuntur, earum executores tenentur servare secretum, nec uti possunt scientia ex ipsis habita, ad effectum inquirendi in aliquem de delicto,* Card. Petra de S. Pœnitentiaria cap. 7. n. 26. *Imo in iis, quæ ad confessarios diriguntur, ex stylo ejusdem Pœnitentiariæ ipsis injungitur illorum laceratio sub pœna excommunicationis, quæ tamen non est reservata.* ☜

☞ CAPUT V.

Sacræ Pœnitentiariæ litterarum executionem impedientes.

EX *Constit. Pauli III. 3. nonas Jul. Pontificatus sui an. 15. quam approbavit, & innovavit Julius III. Constit.* Ratinni congruit *22. Febr. 1550. in qua refert summam ejusdem Pauli Constit. licet non expedita ob ejus obitum, incurrunt eandem excommunicationem latam a Bulla legi solita in die Cœnæ Domini* cap. 13. *contra impedientes litterarum Apostolicarum executionem; ideoque Papæ reservatam: eamque extendit etiam ad consulentes, auxilium dantes, vel favorem quomodolibet præstantes.*

Confirmavit præterea, & innovavit Julius §. 4. quod prius per Sixtum IV. Constit. Quoniam *7. Idus Maji 1484. & postea per dictum Paulum III. statutum, & declaratum fuerat, observarique mandavit, videlicet litteras Majoris Pœnitentiarii expeditas juxta stylum Pœnitentiariæ* – Quæ clausæ, & confessoribus directæ in foro conscientiæ tantum, quæ vero apertæ, & sigillo prædicto.... pendente, expeditæ fuerunt, & in posterum expedirentur, nisi in eis verba (*in foro conscientiæ tantum*) apposita essent, in utroque, tam pœnitentiali, quam judiciali, & contentioso foro intelligi, & interpretari, ac illis, quibus concedarentur, suffragari – *Id autem observari præcipit* – sub eisdem censuris, & pœnis, ac inhabilitare, privatione, & confiscatione – *a dicto Sixto inflictis.*

Quæ autem in specie sint singulæ istæ censuræ, pœnæ, inhabilitas, privatio, & confiscatio a Sixto inflictæ, non satis constat: in citata enim Constit. Quoniam *§. 3. se refert, quoad hic enunciatas pœnas, ad aliam suam Constitutionem, quæ nullibi reperitur impressa: & in hac legitur dumtaxat expressa pœna excommunicationis (nec quidem reservatæ) aliæ vero enunciantur in genere ibi* – Mandamus sub excommunicationis, aliisque censuris, & pœnis tunc expressis – *& §. 7.* – Omnes, & singulas censuras, & pœnas in dictis prioribus litteris nostris contentas eo ipso incurrant. – ☜

☞ CAPUT VI.

Sacræ Pœnitentiariæ litteras, & sigillum falsantes.

AN *hi incurrant pœnas falsantium litteras Apostolicas, de quibus supra cap. IV. verb.* Falsificatio, *discrepant DD. negativam sententiam tenet Navarrus in Manuali* cap. 27. n. 62. §. Tertia – quia, *ait*, non sunt litteræ Papæ, sed ejus commissarii, constituti vivæ vocis oraculo – *Verum contrarium sentit Fagnanus in cap.* Ad falsariorum 7. de crim. fal. n. 24. *ibi* – Tu autem adverte, quia DD. *in cap.* Ex litteris *de fide instrum.* videntur tenere, pœnas falsantium litteras Apostolicas habere locum etiam in falsantibus Bullas, & sigil-

sigillum litteratum S. Pœnitentiariæ, ut videre est apud *Hostien. ibi n.6. Jo. Andr. n. 4. ante fin. Bellamer. n. 3. in fin. & Butr. n. 4. ibid. in fin.* quos ita intelligit *Farin.* pract. crimin. quæst. 151. n. 24. *Fagnanum amplectitur Ursaya* Instit. criminal. lib. 3. tit. 6. n. 1.

Pro negativa tamen videtur facere, nedum ratio a Navarro allata, sed etiam Constit. Innoc. X. relata ab Auctore pag. 131. n. 4. *a quo post confirmationem, & innovationem Constitutionum, & sanctionum circa pœnas falsificantium litteras Apostolicas, declaratum est, ad quas litteras hæc falsificatio se extendat, ut ibidem videre est.* ☜

CAPUT I.

Pensionem irritam exigentes, vel solventes.

Vide infra *verbo Valor cap.* 1.

CAPUT II.

Pensionem ecclesiasticam non solventes beneficiati.

I. EX stylo Curiæ in litteris reservationis pensionis apponitur illa clausula – volentes, & eadem auctoritate statuentes, quod ille, vel quicunque alius successor, qui in dictis festivitatibus (scilicet Natalis Christi Domini, seu festo S. Joannis Evangelistæ, & Natalis S. Joannis Baptistæ) vel saltem intra 20. horas illatum singulas immediate sequentes, pensionem prædictam per eum tunc debitam non persolverit cum effectu, lapsis diebus eisdem, sententiam excommunicationis incurrat. –

II. Item in litteris reservationis pensionis ex causa resignationis non solventi pensionem, ut supra, infligitur pœna privationis beneficii, cum potestate, & jure regressus, & accessus ad idem beneficium resignanti, ut illius corporalem possessionem per se, vel per alium propria auctoritate possit apprehendere: de his pœnis tractant *Azor. par. 2. lib. 8. c. 9. quæst. 4. Suar. de censur. disp. 20. sect. 2. n. 7. & seqq. Castropalao tom. 2. de relig. tract. 13. dis. 1. punct. 11. §. 7. a n. 1. Garz. p. 1. c. 5. n. 581. Gonzal. gloss. 56. n. 54.*

Amplia utramque pœnam, ut non evadatur per exceptionem cessionis bonorum cum reservatione congruæ sustentationis ex beneficio, *c. Odoardus, de solut.* quia illi beneficio renuntiari solet, & derogatur in iisdem litteris; & quia obligatio cameralis excludit dictum beneficium: ita *Castropalao n.* 24. cum allegatis.

Amplia secundo, quod procedunt, etiam non præcedente executione, seu excussione reali bonorum, vel personali per capturam (prærequisita ad sententiam excommunicationis ob civile debitum fulminandam, ex *Tridentino sess.* 25. *c.* 3. cujus defectu excommunicatio est nulla, secundum aliquos DD. ut tenet *Castropalao dict. pun.* 11. *n.* 3. *Sayr. lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 33. *Lazarius de monit. sect.* 4. *quæst.* 8. *n.* 1. *Garz. n.* 587. sed verius est, esse injustam, sed validam; & ideo petendam absolutionem, ut declaravit *Sacra Congr. apud Barbosam ad dict. c.* 3.) quia debitor hic consensit, & renuntiavit tali beneficio, *Castropalao n.* 3.

Limita, quod licet ex vi verborum incurri videatur (statim atque fuerit mora commissa) ipso facto excommunicationis, & privationis pœna, tamen ex stylo Curiæ non incurritur, donec pensionarius declaraverit, velle illum incurrere, & Auditor Cameræ declaraverit, pœnas prædictas incursas esse, *Garz. n.* 581. *Gonzal. ubi supra, Castropal. n.* 1. & hæc declaratio debet esse judicialiter facta, solemniter debitori notificata a judice procedente: neque sufficit, si declaretur a procuratore pensionarii, si non habeat speciale mandatum, *Garz. & Castropal. ibid.* neque fieri potest hæc declaratio ab hærede pensionarii, ut iidem docent, & ante hanc judicis declarationem non potest pensionarius apprehendere possessionem, seu regredi, *Azor. tom.* 2. *lib.* 8. *c.* 9. *quæst.* 4. *Castropal. cit. n.* 5. *Suar. n.* 10.

Limita secundo, quod prædicta excommunicatio, & pœna privationis, etiam declarata incursa, non ligat debitorem in foro conscientiæ, si non sit in culpa, seu mora, scilicet quia vere non potuit, seu quia non tenebatur solvere ob aliquam justam exceptionem, *Castropal. §.* 7. *n.* 41. *Suar. de censur. disput.* 20. *sect.* 2. *n.* 7. *Filiuc. tract.* 14. *n.* 21. tamen pro foro externo tenebitur declaratoriam illam servare, ut *Suar. ibi n.* 8.

Limita tertio, quod non potest debitor iste declarari privatus beneficio, nisi prius fuerit declaratus excommunicatus; quia pœna privationis beneficii est imposita consecutive, & accessorie ad excommunicationem, ut ait *Cassad. decis.* 2. *n.* 3. *de locato*, ita tenent *Castropal. cit. n.* 5. *Azor. cit. quæst.* 4. *vers. Item ambigitur, cum Gigan. de pens. quæst.* 99. *n.* 22.

Limita quarto, quod dictus regressus apponitur accessorie in pœnam non solventis pensionem; unde non incurritur, nisi volente pensionario; & intelligitur sub conditione, si pensionarius sit tunc capax talis beneficii: *Rota par. 2. noviss. decis.* 119. *n.* 6. *cum ibi cumulatis DD.*

CAPUT I.

Peregrinos, causa devotionis ad loca sancta euntes offendens in persona, vel in rebus.

IN *cap. Si quis Romipetas* 24. *quæst.* 3. habetur – Si quis romipetas, & peregrinos, & Apostolorum limina, & aliorum Sanctorum oratoria visitantes capere, seu in rebus, quas ferunt, spoliare tentaverit, donec satisfecerit, communione careat christiana – hanc esse pœnam excommunicationis docent *Molina tom.* 3. *disput.* 666. *in fin. Cardin. in c. Innovamus de censib.* & alii statim citandi: & quidem hanc esse excommunicationem latæ sententiæ, significare videtur illud verbum *careat*, ut de magis communi testatur *Tiraquell. in leg. Si unquam, verbo Revertatur, n.* 161. & 166. *C. de rev. don.* tamen in terminis hujus canonis DD. communiter docent, esse sententiæ ferendæ: ita *Turrecrem. in dict. c. Si quis Romipetas, in princ. Angel. verb. Peregrinus, in princ. Sylest. n.* 1. *Armilla n.* 1. *Molina loc. cit.* & idem de hac particula tenet *Cardin. in dict. c. Innovamus.*

II. Ex c. 10. *Bullæ in Cœna Domini*, sententiam excommunicationis ipso facto incurrunt interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes romipetas, seu peregrinos ad Urbem Romam, causa devotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, & ab ipsa recedentes; & in his dantes auxilium, consilium, vel favorem: hæc igitur excommunicatio est Papæ reservata: & nota, quod illud nomen, *accedentes*, hic, ut in favorabili causa, intelligitur statim atque quis a suo domicilio discedit, licet sit adhuc in via, *Sayr. super eod. cap. n. ult. Ugolin. §.* 1. *cap.* 2.

CAPUT II.

Peregrinantes ad sanctissimum Domini Sepulchrum sine licentia Papæ.

ACcedentes ad Sepulchrum Domini causa devotionis absque licentia Papæ, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, *S. Anton.* 3. *p. tit.* 24. *c.* 30. *in fin. Navar. c.* 27. *n.* 110. *Suar. de censur. disp.* 22. *sect.* 6. *n.* 9. *Sanchez in decal. lib.* 4. *c.* 13. *n.* 9. Pro hac nullum textum afferunt, sed solum S. Antoninus ait, se ita reperisse in libro Pœnitentiariæ Summi Pœnitentiarii: & id factum videtur, ut cautius illa peregrinatio subeatur, propter gravia animæ, & corporis pericula.

☞ *Idipsum legi in quodem antiquo Codice manuscripto, in quo datur facultas Pœnitentiariis a dicta excommunicatione absolvendi.* ☜

Requiri autem videtur ad eam excommunicationem incurrendam actus consummatus, quod scilicet perveneriat Hierosolymam, seu saltem ad Terram Sanctam, *Bonac. de censur. partic. disput.* 2. *quæst.* 3. *pun.* 39. *n.* 3. & ita in simili verbum, *accedere*, de actu consummato intelligunt Doctores in *c. Periculoso, de stat. de regul. in* 6. & ita hoc verbum exponitur in *c.* 2. *ne Clerici, vel Mon. in* 6. quia sumus in odiosis; quamvis secus sit in favorabilibus, ut dixi *cap. prec. in fine.*

CAPUT I.

Perjurium.

I. PErjuri sæpe infamiam juris, & irregularitatem incurrunt, *c. Infames* 6. *quæst.* 1. regulariter tamen perjurius non est infamis ipso jure, *Felin. in c. Testimonium, n.* 20. *de testibus, Clarus §. Perjurium, n.* 1. ait communem: itaque sunt assignandi casus, quibus sit ipso jure infamis.

Primus est; si quis violat pacta, vel transactiones juratas, & sit

& sit major annis vigintiquinque, *leg. Si quis major*, *C. de transact.* & hanc pœnam incurrit ipso facto ante sententiam, lege notante factum, ut notat *gloss. ibi*, *&* *DD.* communiter, & *Clarus loco cit.* & ita tenet *Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 98. art. 3. ad tertium*, *Suar. lib. 2. de relig. tract. de juram. c. 19. n. 15. Molina tract. 4. disput. 6. n. 16.* late *Felin. loco cit.* & communem ait *Covarr. in c. Quamvis pactum par. 1. §. 7. n. 4.* requiritur autem, quod actus sit consummatus, & non solum attentatum, seu conatus, *Castren. in dict. leg. Si quis major*, *&* *Jas. n. 17.* & requiritur, quod juramentum fuerit solemne, idest secundum solemnitatem pro foro exteriori receptam, *Archid. & Turrecr. in c. Quicunque 6. quæst. 1. Henric. in dict. c. Testimonium n. 2.* qui testantur hanc veriorem, & magis canonicam sententiam, & *S. Thom. loco cit. Tanner. tom. 3. disput. 5. quæst. 8. n. 5.* & requiritur ad hunc effectum, ut secuta sit sententia declaratoria super tali perjurio, *Seraphin. decis. 1285. in fin.*

Limita, ut non procedat ea pœna, quando adest enormissima læsio; quia ea censetur semper excepta in promissione jurata, *Osasch. decis. Pedem. 40. n. 2.* vel quando prius impetrasset a judice relaxationem juramenti ad effectum agendi, quæ potest peti, & concedi ex causa, etiam parte non citata, *Afflict. decis. 220. n. 10. Sanch. in decal. lib. 3. c. 21. n. 28. Suar. lib. 2. de juram. c. 41. n. 14. tom. 2. de relig.*

Secundus casus est, quando perjurium accusatoris, vel delatoris conjungitur cum calumnia, & sequitur condemnatio de calumnia, ut dixi *verbo Accusator cap. 1.*

Tertius casus, si quis condemnetur de testimonio falso, vel producto, vel a se facto, ut dixi *verbo Falsum*, *c. 1.* Nota, quod super infamia, & irregularitate ex perjurio potest Episcopus dispensare, *Tolet. lib. 1. c. 62. §. ult. Sayr. lib. 7. c. 11. n. 15. & c. 12. n. 3. in fin. Abb. in c. Cum te, de sent. & re jud.*

Aliam etiam pœnam incurrunt perjuri, nempe, ut repellantur a testimonio perhibendo, *c. Quicunque 6. quæst. 1.* & procedit hæc pœna contra omnem perjurium, etiam in casibus, quibus non est infamis ipso jure, *Turrecr. ibi n. 4. versu, ad rationes*, *gloss. in leg. Lucius*, *ff. de his, qui not. inf. verbo Debeant*, *in fin.* admittitur tamen ejus testimonium contra ipsum producentem, *Henric. in d. c. Testimonium n. 10. de test.* sed non ligat ista pœna in utroque foro, nisi exceptione testis repellatur: unde si admittatur, validum est ejus testimonium, *Suar. tom. 2. de relig. lib. 3. de juram. c. 10. n. 16.*

Tertia pœna est, quod perjurus non admittitur ad jurandum in litem, *Jas. & Doctores in leg. Qui jurasse*, *§. ult. n. 3. ff. de jurejur. Farinac. dec. 34. n. 4. in collec. contract. & crim.* & procedit de omni perjuro, qui dolo malo perjuravit; secus si ex ignorantia probabili, *Clarus in §. Perjurium*, *versic. Excusari*, *Salzedo ad Diaz c. 95. vers. Excusatur*, qui ait, procedere hanc pœnam, etiam in casibus, quibus perjurus non sit ipso jure infamis.

Quarta pœna est in utroque foro, ut violans pactum, vel transactionem juratam dolo malo cum damno alterius, amittat jus, & actionem ex ea conventione, seu instrumento, ut rejiciatur a limine judicii; & amittit omne emolumentum ex dicto pacto, seu transactione, ita ut, etiam illius vigore recepta restituere cogi possit ab adversario; at ipse, adversario observare illa, quæ ibi promisit, tenetur, *dict. leg. Si quis major*, *C. de transact. ibi Doctores*, *Seraphin. dec. 1243. in fin.* Itaque agenti contra pacta, seu instrumenta jurata, vel quietationes, seu apochas juratas, obstat exceptio perjurii, & hæc exceptio in quacunque parte judicii opponi potest, etiam post obtentam absolutionem ad effectum agendi, si jam ante absolutionem agere cœperat contra juramentum: hæc omnia late probat *Rot. par. 2. noviss. decis. 54.* sed adverte, quod pœna denegationis actionis incurritur ipso facto; obligatio autem restituendi recepta, non inducitur, nisi secuta sententia: si autem ante litis exordium obtinuerat actor absolutionem ad effectum agendi, tunc non obstat juramentum, neque incurrit perjurii crimen, *Rota ibi num. 3.*

Quinta pœna, secundum aliquos, ut privetur beneficiis ipso jure: ita tenet *Barbat. in c. Cum non ab homine*, *col. 2. de judic.* per *c. Querelam*, *de jurejur.* & tenet *Rebuff. de pacif. poss. pag. 37. colum. 2.* sed magis communis sententia tenet contrarium, *ut Salzeda ad Diaz in praxi*, *c. 95. vers. Sed privandus*, ubi plures allegat, & *Garz. par. 11. c. 10. n. 167. Seraphin. decis. 1285. in fine.*

Sexta pœna est perjuri, ut sit ipso jure inhabilis ad beneficia, & de communi testatur *Clarus §. Perjurium*, *versic. Item clericus*, *Bernar. Diaz cap. 95. Seraph. dec. 1285. in fin.* sed hæc pœna procedere intelligenda est in casibus, quibus perjurus incurrit infamiam ipso jure, ut supra recensui: ita *Clarus ibi*, *Suar. tom. 2. de relig. lib. 3. de jurament. c. 20. n. 5.* scilicet per sententiam declaratoriam, vel condemnatoriam præcedentem, *Seraphin. loco cit.* aut quando esset infamis infamia facti ratione perjurii, & esset provisus a Sede Apostolica; quia Papa supponit in litteris motum honestatem provisi, *Salzedo ad Diaz ibi lit. D.* cum aliis per eum allegatis.

Ultimo nota, quod crimen perjurii, est mixti fori, *Guidop. quæst. 178.* & de communi testatur *Salzedo ad Diaz c. 95. §. Nec illud*: unde judex ecclesiasticus potest punire laicum de perjurio commisso coram se, quamvis non possit laicus judex punire ecclesiasticum, ut apud *Dianam resol. 60. tract. 1. tom. 2.*

☞ *Propositiones proscriptas circa falsum jurantes*, *vide in fine capitis 2. a me additi*, *verbo* Juramentum *pag. 172.* ☜

CAPUT I.

Piratæ, seu latrunculi maritimi.

I. IN *c. 3. Bullæ in Cœna Domini* ait Pontifex — Excommunicamus omnes piratas, cursarios, & latrunculos maritimos, decurrentes mare nostrum, proprie a monte argentario usque ad Terracinam, & omnes eorum fautores, receptatores, & defensores — vide Expositores hujus cap.

Hoc tantum adverto, quod ad hanc denominationem piratæ, seu cursarii, seu latrunculi requiritur exercitium, saltem inceptum, secundum veriorem sententiam, idest, ut cœperit taliter discurrere cum intentione exercendi, seu factitandi, & quod jam saltem semel deprædationem fecerit, *Sylv. excomm. 7. n. 56. Tabiena excomm. 5. casu 25. Sayr. lib. 3. c. 7. n. 3. Suar. disp. 21. sect. 2. n. 25. §. Atque idem*, *Filiuc. tract. 16. n. 74. Ugolin. in dict. c. 3. §. 2. in princ.*

II. Immunitatis loci sacri jus amittunt ipso facto piratæ quicunque, sive mare Ecclesiæ, sive aliud quodcunque discurrentes; quia latronum publicorum nomine continentur, *Farinac. de immun. Eccles. c. 10. n. 149. Alva cap. 1. §. Navigia*, *de statut. & consuet. Angel. verbo Immun. n. 17.*

III. Infamiam etiam ipso facto incurrunt piratæ, & consequenter irregularitatem: unde neque dignitatem, neque militiam ecclesiasticam, vel secularem possunt obtinere, *leg. 1. & penult. ff. de test. mil. leg. Milit. ff. de re jud. Auth. Navigia*, *C. de furt. Innoc. in c. Sicut*, *il terzo*, *de jurejur. Jul. Ferrettus de re navali*, *lib. 2. num. 37.*

Adde quarto, quod inservientes piratis saracenis, in eorum scilicet navibus, incurrunt excommunicationem, & pœnas, de quibus dixi *verbo Arma*, *cap. 4. & seqq.*

Limita, ut non procedant dictæ pœnæ contra christianos, inservientes in navibus piratarum ad actiones indifferentes, ut remigando, vela explicando, & similes, si metu gravi ibi detenti, & coacti sint, ut *Navarr. c. 27. n. 63. Suar. de censur. disp. 21. sect. 7. n. 62. Filiuc. tract. 16. n. 76.* nisi in casu, quo magna clades toti reipublicæ christianæ inferretur, ut *Suarez ibi*: aut nisi concurrerent ad actum per se malum, ut ad deprædationem, *Filiuc. ibi*: sed de hac re vide Expositores super *cap. 7. Bullæ in Cœna Domini.*

☞ *Vide addita ad c. 8. verb.* Arma *pag. 70.* ☜

CAPUT I.

Poculum abortionis præbens.

Vide *verbo Abortus.*

CAPUT II.

Poculum amatorium præbens.

POculum amatorium præbens, sæpe incurrit juris infamiam, & irregularitatem: primo, si inde mors personæ amatæ sequatur, etiamsi non animo occidendi, sed incitandi ad amorem dederit; quia dabat operam rei illicitæ, & periculosæ: ideo tenetur de homicidio casuali, & sic est ipso facto irregularis, & puniri potest, & condemnari *leg. Cornelia de sicariis*, ut *leg. 3. ff. eod.* unde tan-

quam judicio publico damnatus, juris infamia notatur, & iterum est irregularis: secundo, etiamsi mors non sequatur, si tamen accessit tali remedio amatorio magica, seu superstitiosa operatio, & de hoc fuerit condemnatus, juris infamiam incurrit, & irregularitatem, *c. Quisquis 2. quæst. 8. c. Constituimus 3. q. 5. Abbas in c. 1. n. 5. de fortil.* tertio, etiamsi nulla adsit operatio diabolica, si tamen attentavit pudicitiam honestæ personæ, & de hac injuria fuerit condemnatus, erit juris infamia affectus, & irregularis; quia hæc est gravis injuria, *leg. 1. §. Ad infamiam ff. de injuriis*; sive civiliter condemnetur, ut ibi, sive criminaliter de crimine stellionatos, ex *leg. Si quis aliquid 2. §. Qui abortionis, ff. de pœnis, leg. 3. §. Adjectio, ff. ad leg. Corn. de sicar. Farinacc. quæst.* 122. & quidem si poculum amatorium quis præbuerit, punitus pœna triremium, vel relegationis ex *dict. §. Qui abortionis*.

Crimen poculi amatorii admixta superstitione, est mixti fori, *Abb. c. 1. n. 3. de fortil.* quod si sapiat manifeste hæresim, ad Sanctum Officium pertinet, *Abbas ibid.*

CAPUT III.

Poculum sterilitatis præbens.

DE jure communi præbens poculum ad mulierem sterilem reddendam, non incurrit ullam censuram ipso facto, secundum communem sentententiam, ut *Henric. in c. Si quis de homicid. n.* 2. & alii Canonistæ *ibi, & Barbos. allegat. 51. n. 136.* contra *Grillan. de fortil. quæst. 13. n. 7. Farinacc. quæst. 122. n. 164.* Et quamvis Sixtus V. in Bulla 87. *Effrenatam*, statuerit, eum incurrere excommunicationem Papæ reservatam, & privationem beneficiorum; tamen fuit in his redacta ad terminos juris communis a Gregorio XIV. ut dixi *verbo Abortus*.

Sed neque iste fit irregularis, tanquam homicida ipso facto, *cap. Sicut ex litterarum, de homic. gloss. in c. Si aliquis, eod. tit. & ibi Canonistæ, Farin. n.* 120. *loco cit.* est communis contra *gloss. in c. Perniciose, de pœnit. dist. 1. Carreriam 3. part. de homic. & assass. §. 6. Quæro num. 4. fol.* 100.

Neque est irregularis ratione debilitationis membri, idest matricis, quia communis sententia docet, debilitationem membri non reddere debilitantem irregularem, *Toletus lib. 1. c. 76. §. Quarto, qui mortuo*, qui loquitur in terminis: quamvis aliqui DD. contrarium teneant: vide *verbo Membrorum mutilatio c.* 1. erit tamen infamis infamia juris, & consequenter irregularis, si in judicio fuerit condemnatus de procurata sterilitate alicujus fœminæ dolo malo, *leg. Cicero, ff. de pœnis*, quia tunc damnatur tanquam de crimine stellionatus propter dolum, & est infamis juris infamia, ut dixi *par. 1. c.* 33. vel quia tunc damnatur actione injuriarum famosa, ut dixi *verbo Injuria c.* 1.

CAPUT IV.

Poculum veneficum præbentes.

I. PRopinans alicui venenum, occidendi causa, morte secuta, est irregularis ex homicidio, vide *verb. Homicidium*.

II. Condemnatus de veneficio ex *l. Cornelia, de sicar.* ut *leg. 3. ff. eod.* tanquam publico judicio damnatus, est infamia juris notatus, & irregularis: & procedit etiamsi mors non sit secuta, si tamen conatus devenit ad actum proximum, scilicet applicando venenum, *leg. 1. & leg. 3. ff. eod.* vide *Farinac. quæst. 122. a num.* 32.

Imo aliqui tenent, *leg. Cornelia puniri*, etiamsi solum venenum emerit, ut daret: ita tenet *Diaz in praxi c. 98. n.* 2.

III. Damnatus de veneficio, superstitione admixta, etiam morte non secuta, incurrit infamiam juris, ut damnatus de crimine publico, *Molin. tr. 3. dis. 44. Gomez tom. 3. variarum c. 1. n. 2. &* 4. nam omnia crimina, quæ directe tendunt in injuriam Dei, scilicet contra virtutem Religionis, sunt crimina publica, *Clarus §. 1. praxis, vers. Item omne*, & faciunt, quæ dixi *supra c.* 2.

CAPUT I.

Prædicantes dogmata, vel miracula falsa, vel falsas revelationes, aut detractiones de Prælatis.

EX Bulla Leonis X. 21. *Supremæ Majestatis*, ex Concil. Later. *sess.* 11. lata est excommunicatio, & privatio officii concionandi, ipso facto incurrenda, contra concionatores verbi Dei, si adversus infrascripta præcepta venire ausi fuerint.

Primum est, ut euangelicam veritatem, & Sacram Scripturam juxta Doctorum Ecclesiæ declarationem pertractent, nihilque adjiciant contrarium, aut dissonum vero sensui Scripturarum, ejusque verbis rite, & sane intellectis, juxta prædictorum Doctorum interpretationem: secundum, ut tempus præfixum futurorum malorum, & adventum antichristi, aut certum judicii diem prædicare non præsumant: tertium, ne alia similiter futura, quasi specialiter sibi revelata dicant, aut alienas, inanesque divinationes asseverent, aut alio quoquo modo tractanda assumant: quartum, ut a Prælatorum, aliorumque superiorum, eorumque status scandalosa detractione abstineant. Hujus Constitutionis, & pœnarum explicationem vide *ap. Bonacin. de censur. partic. dis. 2. quæst. 5. punct.* 2.

Adverte, quod non est prohibitum prædicatori exponere in aliquo Sacram Scripturam, seu deducere ad sensum aliquem, præter, sed non contra sensum ab Ecclesia, & Sanctis Patribus, & Ecclesiæ Doctoribus communiter traditum; quia Scriptura plures habere potest sensus mysticos, & morales, *Azor. tom. 1. lib. 8. c. 2. quæst. 3. Bannes 1. part. quæst. 1. art. 1. dub. 6. Vasq. 1. part. disp. 13. c. 2. Becan. de fide cap. 3. quæst.* 6.

Adverte secundo, quod hæ, & aliæ pœnæ latæ a Leone X. in Conc. Lateran. a multis DD. dicuntur non fuisse usu receptæ: ita *Suar. de censur. dis. 25. sect. 6. num.* 8. *Filiuc. tract. 15. num. 177. cum Cajet. & Navarr.*

CAPUT II.

Prædicatores, montes pietatis impugnantes.

Vide *verbo Montes pietatis cap.* 1.

CAPUT III.

Prædicatores, decimas ecclesiasticas impugnantes.

Vide *verbo Decimæ cap.* 3.

☞ CAPUT IV.

Prædicatio verbi Dei.

IN *can.* Mulier 29. dist. 23. *& cap.* Cum ex injuncto 12. de hæret. *vetita est laicis cujuscunque ordinis, vel meriti censerentur, ut expresse loquitur Gregorius IX. in cap.* Sicut 14. cit. tit. *quod quidem ita prohibitum est, ut neque Episcopus id munus ipsis committere possit, prout declaravit Congreg. Conc. 23. Jun. 1580. teste Fagnan. in c.* Responso 43. de senten. excom. num. 19. *nulla tamen in citt. textibus inflicta est pœna in eosdem laicos, officium prædicationis usurpantes.*

Clericis vero illud publice, vel privatim usurpare præsumentibus sine auctoritate Ordinarii, interdictum est ab Innoc. III. cap. Excommunicamus 13. §. Quia vero de hæret. *sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ, aliisque pœnis arbitrio ejusdem Ordinarii* -- Nisi quam citius resipuerint --.

Id ipsum vetitum legitur a Concilio Trident. in cap. 4. sess. 24. de reform. *tam secularibus, quam Regularibus: ita ut hi ex* cap. 2. sess. 5. *prædicare volentes, etiam in propriis Ecclesiis, præter examen, & approbationem suorum superiorum, teneantur petere benedictionem ab Ordinariis: & contrafacientes ex Constit. Greg. XV.* Inscrutabili 5. *Febr.* 1622. *puniendi sint ab Episcopis, tanquam Delegatis Sedis Apostolicæ, etiam extra visitationem, censuris, aliisque pœnis: sicuti & si prædicaverint in alienis Ecclesiis sine eorundem licentia.*

Clem. autem X. Constit. Superna 21. *Jun. 1670. statuit, ut iidem Regulares prædicare possint in propriis Ecclesiis, quamvis petitam benedictionem non obtinuerint: non possunt autem, si Ordinarii nedum illam non concesserint, sed etiam con-*

contradixerint : qui tamen sine justa, & rationabili causa contradicere non debent : & hae omnia intelligenda sunt, etiamsi Regulares habere voluerint sermonem in quibusvis Oratoriis sui Ordinis coram populo, vel in Ecclesiis, aut ad crates monialium, sibi subjectarum, licet januis clausis, & nullus secularis intersit. Potest autem Episcopus, licentiam concessurus, eosdem examinare, si prædicare voluerint in alienis Ecclesiis, licet nominati fuerint ab Universitatibus, & magistratibus, ac ab immemorabili tempore Episcopi antecessores concedere consueverint licentiam prædicandi absque examine: item suspendere potest licentiam semel concessam ob rationabiles causas, etiam occultas, prædicationem concernentes. ☜

☞ CAPUT I.

Presbyterii, & Altarium septa ingredi, ac intra ea manere præsumentes laici tempore divinorum officiorum.

IN *can.* Perveoit 29. de consecrat. dist. 2. *qui desumptus est ex* cap. 2. *Concilii Rhemensis, & can.* Sacerdotum 30. *qui falso attribuitur Clementi Papæ, cum desumptus sit ex Synodo Eugenii II. ac Leonis IV.* cap. 33. & in 7. lib. cap. 278. *interdictum erat laicis utriusque sexus, & cujuscunque conditionis, ingredi sacrarium, seu presbyterium, & ad altare appropinquare, dum divina officia, & præsertim missæ sacrificium, celebrabantur. Eadem prohibitio repetita legitur in cap.* Ut laici 1. de vit. & honest. cleric. *quod desumptum est ex Conc. Maguntino, & in c.* Inhibendum 1. §. Prohibendum de cohabit. cleric. & mulier. *quod desumptum est ex Conc. Nannaten. ac renovata decreto Cong. Rituum* 1688. *relat. a Bened. XIII.* tit. 28. de Immunitate cap. 4. *Conc. Rom. a se celebr. an.* 1725. *nulla tamen adjecta pœna in contrafacientes. Verum cum non satis observaretur, idem Bened.* loc. cit. *sequentem inflixit ibi* -- Verumtamen, cum adhuc laici quidam in vetita temere nitantur, & ibidem aut stare, aut scamna habere, vel genuflexoria sibi arrogare præsumant; id iterum, juxta Sacrorum Canonum, ejusdemque Apostolicæ Sedis mentem, sub Ecclesiarum, Regularium etiam, & quomodocunque exemptarum, interdicti pœna, ipso facto incorrenda, & Romano Pontifici reservata, inhibemus; mandantes, ut si quæ sint pro laicis sacra intra loca prædicta, sedes, scamna, & genuflexoria, illinc auferantur, & removeantur omnino. --

Nota, quod hæc pœna tantum incurritur, si laici intra dicta septa temere stare præsumant, ut clare inhibitionis verba sonant : quare licet sacerdotes, dum missam celebrant, diligenter curare debeant, ne laici intra presbyterium maneant; non ideo tamen ita mente turbari debent, ut sacrum se facere in Ecclesia interdicta existiment, si casu laicum aliquem ibi manentem videant (dummodo non sint ecclesiarum Rectores) neque eis constet, quod hoc ille sibi arrogare præsumat : quam quidem animadversionem, certum est spectare ad dictos Rectores, cum ex officio id prohibere teneantur. ☜

CAPUT I.

Procurantes delicta perpetrare.

SÆpe jura ferunt censuras, & pœnas contra aliquid procurantes, ut dixi *verbo Abortus c.* 1. *verbo Alienatio c.* 2. *&* 3. *verbo Ambitus, cap. 6. verbo Conservator, c.* 1. *verbo Curia, c.* 8. *verbo Jurisdictio, cap.* 10.

Quando igitur lex punit procurantes, dubitari solet, an requiratur effectus consummatus, an sufficiat conatus, seu sola procuratio : in quo distinguunt Doctores: aut enim actio, scilicet procuratio prohibetur solum accessorie ad aliam actionem, ut principalem, tanquam via ad illam, & tunc requiritur actionis principalis perfectio, *Navarr. cons.* 20. *de sent. excomm. Filiuc. tract.* 16. *n.* 284. ut *verbo Abortus, & verbo Conservator.*

Aut actio cooperativa, seu procuratio prohibetur propter se, & æque principaliter, ut quando fertur pœna contra solam procurationem, & non fertur per modum extensionis pœnæ, latæ contra principalem actum, ut extendatur ad conatum, seu procurationem, ut *verbo Alienatio, cap.* 2. *&* 3. *& verbo Ambitus, cap.* 6. & tunc non requiritur effectus, seu consummatio actionis principalis; ita *Suar. de censur. disp.* 23. *sect.* 4. *n.* 7. *& de fide, disp.* 24. *sect.* 1. *n.* 14. *Sanchez in decal. lib.* 2. *c.* 10. *n.* 9. *Sayr. lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 4. *Filiuc. tract.* 14. *n.* 16. *et* 58.

Censetur autem principaliter procuratio prohibita, & punita, quando lex post pœnam latam contra actum principalem, per capitulum, seu paragraphum separatum procedit contra procurantes, seu cooperantes, *Marius Alterius lib.* 5. *de excommunic. disp.* 21. *c.* 1. *colum. penult.* item alii dicunt, si lex punit tale aliquid facientes, & auxiliatores, & consiliatores, tunc censeri æque principaliter punire : secus si punit aliquod delictum facientes, & in eo auxilium, & consilium dantes: ita *in Clem.* 1. *verbo Defensaverint, de pœnis.*

Advertendum est autem, quod ubi lex punit procurantem aliquid prohibitum, procurans intelligitur, qui directe illud intendit, seu formaliter, non autem si interpretative tantum, seu indirecte, & consequenter : unde non sufficit, non impedire cum tenetur, vel alia intentione cooperari : ita *Marius Alterius tom.* 1. *disp.* 13. *lib.* 5. *c.* 2. *verbo Procurare, Anchar. in Clemen.* 2. *de pœnis nu.* 10. *Suar. disp.* 23. *sect.* 4. *n.* 7. dicitur autem procurasse, etiam qui cooperatur minus principaliter, ut mediator, intercessor, aut aliter ope, & auxilio juvans ea intentione, *Quaranta verbo Simonia §. Est et alia, Sayr. lib.* 3. *de censur. cap.* 16. *in fin.*

CAPUT I.

Proditorium homicidium.

I. PRoditorie occidens, incurrit pœnas homicidæ, de quibus dixi *verb. Homicidium.*

II. Qui proditorie proximum suum occiderunt, sunt privati immunitate loci sacri, ex Bulla Gregorii XIV. ut dixi *verbo Immunitas cap.* 1.

Dicitur autem homicidium proditorium, cum quis aliquem occidit incautum, nulla inimicitia aperta præcedente, *Farinac. cons. crimin.* 132. *n.* 2. *et cons.* 178. *n.* 75. *et* 77. item si quis alium veneno occidat, *Farinac. de immun. Eccles. n.* 142. *et q. crim.* 122. *n.* 4. vide *Sperell. dec.* 23. *et* 185.

☞ *Circa homicidium proditorium, et privationem immunitatis loci sacri, vide Additionem supra ad cap. 1. verbo* Immunitas.

CAPUT II.

Proditio in principem, vel patriam.

I. PRoditor principis, vel patriæ, incurrit pœnas læsæ majestatis, de quibus dixi *verbo Majestatis læsæ crimen cap.* 1. quod est intelligendum, ut procedat, si sit proditio contra principem supremum, seu rempublicam, habentem imperium supremum; alias enim esset crimen proditionis, vel seditionis, non autem crimen læsæ majestatis, *Farinac. quæst.* 113. *n.* 4. *et* 208.

II. Proditor principis non potest coram eo, neque in ejus curia comparere, & si compareat, ei jus non redditur, *cap. Careat* 3. *quæst.* 9. *Farinac. quæst.* 116. *n.* 48.

III. Proditorem principis, & patriæ quilibet denuntiare tenetur, *leg. Metrodorum, ff. de pœnis, Andr. de Isernia §.* 1. *quæ fuerit prima causa benef. amitt. Martin. Laud. tract. de Princ. quæst.* 8. *Gigas de crim. læsæ majest. tit.* 8. *quæst.* 8. *in fin.* ut etiam filii, & parentes denuntiare teneantur adinvicem, *Suarez de cens. disp.* 20. *sect.* 3. *n.* 10. *Sayr. in Clavi regia, lib.* 12. *c.* 14. *n.* 6.

CAPUT I.

Professio religiosa emissa ante annum novitiatus.

OLim antiquo jure, & ex consuetudine Religionum communiter recepta, triennium præcedere debebat ad professionem, *c.* 3. 17. *quæst.* 2. *Auth. De mon. coll.* 1. *novell.* 5. & ita in regula S. Pacomii, ut *Niceph. lib.* 9. *c.* 14. postea ad biennium novitiatus fuit restrictus, *c. Monasterii* 19. *quæst.* 8. postea ad annum, *c. Apostolicam, de regular. c. Gonsaldus* 17. *quæst.* 2. quod quia in aliquibus Religionibus parum observabatur, fuit hoc innovatum præcise pro Religionibus Prædicatorum, & Minorum S. Francisci, *cap. Non solum, de regul. in* 6. ubi tamen cautum est, ut professio ante facta, non inducat obligationem illi Religioni, in qua professus est, sed Religioni in genere, idest, ut professio sit nulla, sed resolvatur in votum simplex ingrediendæ alicujus Religionis : item statutum ibi est, ut admittentes ad professionem, sint suspensi ipso facto a potestate recipiendi quoscun-

quolcunque ad professionem: deinde id fuit extensum ad omnes Mendicantes tantum: sed per Concil. Trident. *sess.* 25. *c.* 15. statutum est, ut in quacunque Religione tam virorum, quam mulierum, professio non fiat ante annum probationis, post susceptum habitum computandum; & professio antea facta, sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus regulæ observationem, aut alios quoscunque effectus: unde neque obligat Religioni in genere.

Amplia primo hoc decretum, quod debet iste annus computari de momento ad momentum, *Rota recent. par.* 1. *decis.* 175. *nu.* 6. & plures apud *Dianam resolut.* 57. *tract.* 2. *tom.* 2. & debet esse annus continuus, *Sanchez lib.* 5. *in decal. c.* 4. *n.* 31. *Rota ibidem n.* 1.

Amplia secundo, quod non sanatur hæc nullitas præscriptione quinquennali, de qua Trid. *sess.* 25. *c.* 19. *de regular.* quia illud decretum loquitur de impedimento temporali, & non de perpetuo; sed requiritur, ut reparetur defectus novitiatus, *Navarr. cons.* 16. *de regul. Sanchez de matrim. lib.* 7. *disp.* 37. *n.* 32. & 33. *Barbos. alleg.* 104. *n.* 18. & 20. *Beya resp.* 18. *par.* 5. *pag.* 380. *Suar. tom.* 3. *de relig. lib.* 7. *c.* 4. *n.* 9. *Roderic. quæst. regul.* 17. *art.* 17. *tom.* 3. qui dicunt, *Tridentinum* solum loqui de impedimentis temporalibus jam purgatis, quæ per novum tacitum, vel expressum consensum reparari possunt, ut dixi *par.* 1. *cap.* 35.

Amplia tertio, ut requiratur novus annus novitiatus, etiam cum quis transit ad aliam Religionem, vel monastarium, existens sub diverso regimine, & habens diversas observantias, *Sanchez lib.* 5. *in decal. cap.* 4. *num.* 12. *cum communi sententia*, *Lezana quæst. regul. tom.* 4. *verb. Transitus n.* 13. & *tom.* 1. *c.* 22. *n.* 16. *text. in cap. Abbate Sancti Sylvani* §. *Cum quadam vice*, *ibi Abb. not. n.* 5. *de Verb. signifi.* secus, si esset ejusdem regulæ, & observantiæ, & sub eodem superiore, ut *Rota decis.* 115. *n.* 9. *par.* 2. *recent.*

Limita primo, ut non requiratur annus novitiatus juxta *regulam Cancell.* 59. quando Papa committit executori, ut provideat talem de beneficio regulari, v. g. de Abbatia, eo prius in ejus manibus professionem emittente, *Rota dec.* 329. *par.* 2. *recent.*

Limita secundo, ut non requiratur annus integer, ubi quis profitetur in articulo mortis, in Religione, habente communicationem privilegiorum, ex privilegio Pii V. ut neque si convaluerit, indigeat nova professione, *Beya par.* 4. *cas.* 32. *Sanch. lib.* 5. *c.* 4. *n.* 16. *Diana resol.* 17. *tract.* 2. *tom.* 2. & *in compend. verb. Professio n.* 8. *Lezana de reg. par.* 1. *cap.* 25. *num.* 59. *Roder. tom.* 3. *quæst.* 15. *art.* 16. *Zanard. par.* 2. *c.* 17.

Et quamvis illud privilegium dicatur a quibusdam, fuisse revocatum a Gregorio XIII. ut tenet *Eman. Sà*, *verbo Religio n.* 56. tamen alii magis communiter tenent, non fuisse revocatum, ut *Lezana*, & *Diana loc. cit.* & saltem per posteriores confirmationes privilegiorum, ut concedit *Em. Sà*, censetur revixisse.

Limita tertio, quod si finito anno novitiatus, novitius discedat a Religione, postea denuo petat admitti, non exigitur novus annus novitiatus, *Sanchez n.* 34. quod puto verum, nisi longum tempus intercedat, quo morum mutatio possit contingere, *Sanch. ibi.*

Limita ultimo, quod ex hac reformatione, & decreto Trident. non est extensa pœna in *cap. Non solum*, contra superiores Mendicantium, recipientes ad professionem ante annum novitiatus lata, ad aliarum Religionum superiores; imo secundum probabilem sublata est etiam quoad ipsos Mendicantes. *Sanch. n.* 10. *contra tamen Suar. de cens. dis.* 31. *sect.* 6. *n.* 1. *Marius Alter. tom.* 2. *disp.* 17. *c.* 1. *col.* 9. *Bonac. de suspens. quæst.* 8. *punct.* 5. *n.* 19. tenent, non esse sublatam: alias limitationes vide apud *Sanch. n.* 11.

Sed quæres, an interrumpatur annus novitiatus, si novitius aliquo tempore maneat extra locum novitiatus cum licentia sui superioris, seu Prælati, habitu retento Religionis, v. g. in domo parentum causa infirmitatis, aut ruri causa recreationis: respondeo primo, si agatur de novitio in laicum recepto non interrumpi, ut declaravit *Sac. Congregatio sup. cit. verb. Novitiorum receptio c.* 1. *n.* 2. si autem agatur de recepto in clericum, duæ sunt sententiæ: prima est communis Theologorum, quod si ex causa rationabili superiores licentiam concedant, ea intentione, ut interim currat tempus novitiatus, non censetur interruptus: quia moraliter censetur manere in monasterio, qui emanet cum licentia: ita tenent plurimi, quos allegat, & sequitur *Barbosa alleg.* 101. *n.* 28. & *Sanchez in decal. lib.* 5. *c.* 4. *n.* 28. *Diana resol.* 84. *tract.* 2. *tom.* 2. *Suar. tom.* 3. *de relig. lib.* 5. *c.* 14. *n.* 13. & facit *text. in c. Insinuante*, *qui cler. vel vov.* secunda sententia est communis Canonistarum, quod novitiatus tunc interrumpatur; quia eo tempore potest occurrere aliqua difficultas, in qua novitius probari, & probare possit: ita de communi testantur *Abb. & Anchar. in c. Ad apostolicam de regul.* tenet *Rota par.* 1. *recent. decis.* 175. *n.* 2. *Sacra Congregatio*, relata *sup. verbo Novitiorum receptio*. Illud certum mihi videtur, non interrumpi per brevem emansionem, per dies paucos, ut sentit *Rota ibi*, scilicet si non ad mensem prope accedat; illud facile admittendum, quod si superior concedat licentiam emanendi, ita tamen, ut intra certum tempus revertatur ad peragendum novitiatum, tunc tempus emansionis, non quidem in totum interrumpit, sed suspendit; ita ut non computetur, sed suppleri debeat, & conjungi secundum tempus novitiatus cum priori; sicut si demens, vel furiosus efficiatur novitius medio tempore, *Sanch. dict. cap. nu.* 55. multo magis, ut ait *Layman n.* 4. *tract. de relig. sta. cap.* 5. *nu.* 2. potest superior protelare, seu extendere tempus novitiatus ex causa, ut quia non dedit novitius satisfactionem, *Sanch. n.* 21. quod si vigore Brevis Papæ interim profiteretur, esset subreptio.

CAPUT II.

Professio emissa anta annum decimumsextum.

EX *Trid. sess.* 25. *de regul. cap.* 15. statutum est, ut in quacunque Religione, tam virorum, quam mulierum, professio non fiat ante annum decimumsextum ætatis completum, & professio ante facta, sit nulla, nullamque inducat obligationem alicujus regulæ, val Religionis, vel Ordinis observationem, aut ad alios quoscunque effectus.

Amplia, quod iste annus debet computari de momento ad momentum, ut dixi *cap. præced. Diana resol.* 57. *tract.* 2. *tom.* 2. *cum allegat. Rota rec. par.* 1. *decis.* 175. *n.* 6. ubi judicavit, professionem nullam ob defectum sex dierum ad complementum sexdecim annorum: & quamvis in favorabilibus dies ultima cœpta, habeatur pro completa, ut in usucapionibus, testamentis, libertatibus, & honoribus consequendis: tamen secus in odiosis, ut professione, præscriptione, *leg. Æliæ Sentiæ*, vel de adulteriis; quia tunc computatur de momento ad momentum, *Rota ibidem*.

Limita, quod hæc nullitas professionis ex defectu ætatis, cum sit ex defectu temporali, potest sanari, seu reparari per ratificationem professionis a professo, purgato impedimento, idest, completa ætate, secundum probabiliorem, & etiam insciis superioribus, secundum probabiliorem, ut & *Sanch. l.* 7. *de matr. dis.* 37. *n.* 46. 62. & 64. *cum alleg.* ubi ait, quinquennio elapso, esse ipso jure a Papa ratificatam ex parte Religionis, ex *Triden. sess.* 25. *c.* 19. *de regul.*

Causa nullitatis professionis ob defectum ætatis, sicut ob metum, aut similia, agitanda est coram Ordinario, & superiore (juxta *Trid. cit. cap.* 19.) ante quinquennium; post quinquennium autem reclamans, non auditur, nisi ex causa a Sede Apostolica restitutus, causa, seu cognitione ab eadem Sede Ordinario commissa, ut *Barbosa alleg.* 104. *n.* 18. superior autem hic intelligitur immediatus loci, in quo admissus ad professionem, ut patet ex stylo Curiæ, & non potest alter sine altero procedere, ac judicare, ut probat *Beya casu* 18. *par.* 4. §. *Advertaat etiam*, idque probatur stylo Curiæ.

☞ *Circa probationem super nullitate Professionis vide Additionem ad cap. I. verbo* Novitius. ☜

CAPUT III.

Professio emissa, fraudulenter reticito impedimento non irritante de jure communi.

I. SI novitius in examine reticeat fraudulenter aliquod impedimentum, non irritans professionem, sed impediens admissionem, idest, quo agnito, receptus non fuisset, v. gr. morbum gallicum, vel caducum, aut aliquod grave delictum, seu alium defectum notabilem, multi Doctores dicunt, quod nihilominus post professionem expelli poterit, & ejici a Religione; ut tamen maneat religiosus: ita *Navar. lib.* 3. *cons.* 40. *de regul. Eman. Sà verbo Religio n.* 34. *Sanch. de matrim. lib.* 7. *dis.* 37. *n.* 53. *cum Sorbo*, & *Vega*, *Miranda man. tom.* 1. *quæst.* 19. *art.* 2. *in fin. Less. lib.* 2. *c.* 41. *n.* 62.

n. 62. §. 9. *Layman lib.* 4. *tract.* 5. *c.* 13. *n.* 1. & alii: quia, dulus dans causam contractui, jus tribuit rescindendi contractum: sed contrarium merito tenet *Roder. quæst. regul.* 17. *art.* 9. *tom.* 1. quem sequitur *Sanchez*, se retractans *in decal. lib.* 5. *c.* 4. *n.* 58. & facit argumentum a matrimonio carnali ex *c.* 2. *de transl. Episc.* quod non propterea contractus matrimonii redditur nullus, aut separationi locus est, si alter conjugum vitium aliquod notabile reticuerit, seu defectum, quo agnito, merito alter non fuisset contracturus. Maxime autem hodie est tenenda hæc secunda sententia, propter decretum S. Congregationis *de apostatis*, & *ejectis*; de quo infra *verbo Religiosus c.* 12. & 13. quo statutum est, ut nullus professus ejici possit, nisi sit incorrigibilis, prout de jure communi dicitur quis incorrigibilis, & insuper post annum carceris. Si tamen defectus, quem reticuit, tam gravis sit, ut reddat professum inutilem Religioni, ut non possit servare essentialia regulæ, & præcipua illius Religionis in specie, multi dicunt, hunc dolum reddere professionem nullam, quia censetur auferre omnem consensum recipientium: ita *Gerson.* 2. *par. in tract. quarun. quæst. Alphab.* 34. *lit. S. Innoc. in c. Cum dilectus*, *quod metus causa*, & sequitur *Abb. ibi*, & *Felin. in c. In præsentia n.* 10. *de probat. Navar. cons.* 46. *de regul. incipit Herus*; & *Politius in declarat. regulæ S. Fracisci c.* 2. *n.* 96. *Suar. de relig. lib.* 2. *c.* 3. *n.* 5. *tom.* 4. & *lib.* 6. *c.* 5. *n.* 3. *tom.* 3. & exemplificat *Suar.* & *Polit. ibi*, de morbo gallico pro Religione Capuccinorum; quia non posset habitum illum perferre, neque nudis pedibus incedere sine vitæ periculo: sed neque ex hac causa æstimo, professionem nullam de jure communi, propter argumentum a matrimonio carnali, quod non redditur irritum propter quemcunque dolum, vel defectum, nisi in casibus a jure expressis, etiamsi dolus det causam contractui, ut de certa sententia testatur *Sanch. lib.* 7. *de matrim. disp.* 18. *n.* 18. & 19. & de professione tenent *gloss. in cap. Sicut tenor, verb. Extra mortem*, *de regul.* & *in c. Sicut nobis*, *Butr.* & *Abbas*, *eodem tit. Abbas in c. Ex transmissa n.* 2. *Cardin. ibi*, & *Imola n.* 3. *de renunc.* & communem testatur *Rota decis.* 346. *n.* 2. *in coll. Farin. de contract.* & *crimin.* & *Rota decis.* 458. *n.* 2. *par.* 1. *posth. Farin.* ubi habes statutum Religionis cujuscunque, etiam Sancti Joannis, non posse inhabilitare alias habilem ad ingressum Religionis, nisi accedat confirmatio Sedis Apostolicæ: quia tale statutum est ambitiosum, & tertio præjudiciale, & ait, esse communem sententiam DD.

Verum est, quod si Religio, seu superiores, seu capitulum, ad quos recipere spectat, fuissent novitio protestati, se non intendere, eum ad professionem admittere, seu professioni consentire, si talem patiatur defectum, & ille, eo reticito, seu inficiato, profiteatur, nulla erit professio, & dimittendus erit: quia tunc admissa est professio sub illa conditione, & non aliter; etiamsi illud impedimentum non sit irritans de jure communi, neque ex Constitutione Religionis, specialiter a Papa approbata, *Navar. cons.* 26. *n.* 1. & 11. *de regul. Roder. tom.* 2. *summ. c.* 5. *n.* 2. & *quæst. regul.* 11. *art.* 2. *tom.* 3. *Sanchez lib.* 7. *de matr. disp.* 37. *n.* 30. *Bartol. de Vecchis in praxi novit. dis.* 14. *dub.* 15. *n.* 5. late *Miranda man. par.* 1. *quæst.* 30. *concl.* 1. *Suar. de relig. tom.* 3. *lib.* 6. *c.* 5. *n.* 10. & *tom.* 4. *lib.* 2. *c.* 1. *n.* 29. *pag.* 431. *Lap. alleg.* 86. *n.* 4. & 5. *Rota decis.* 346. *in collect. Farin. de contract.* (ubi tamen ait, probari debere protestationem per testes) & in simili de matrimonio carnali, *c. Super eo*, *de cond. appos. Sanchez lib.* 7. *disp.* 18. *n.* 21. *de matrim. Gutier. de matr. c.* 89. *n.* 6. est communis sententia.

Limitatur tamen ab aliquibus hæc conclusio, ut procedat, dummodo illa protestatio, & conditionis appositio sit facta in continenti in ipso actu professionis; alias enim, si antecessit ex intervallo, professio censetur simpliciter, & absolute admissa, & a conditione recessum: ut *Lauren. Portel. de dub. regul. verbo Novitii qualitas n.* 30. sed intelligendum est hoc, ut procedat, quando illa protestatio non fuisset a novitio acceptata, ut in simili de matrimonio carnali *Sanchez lib.* 2. *dis.* 45. *n.* 19. & communem ait *Guttier. c.* 52. *n.* 2. *de matr.* & *Cevall. commun. contr. comm. q.* 825. *n.* 5. sufficiet igitur intimatio facta novitio de decreto, seu Constitutione Religionis declarante, talem conditionem, seu irritationem, etiamsi ea intimatio sit facta ex intervallo ante professionem, ipso non contradicente expresse, *Portel. verb. Professio nulla n.* 10. & sufficit, quod talis Constitutio fuerit novitio specifice declarata, *Bart. de Vecchis ibi cum Bar. in leg. ult. ff. de decretis ab ord. fac. Præpos. in c. Planit*, 38. *dist.* & sufficit, quod Constitutiones hujusmodi lectæ fuerint in refectorio, ipso audiente, *Portel. ibi*, & *Bartol. de Vecchis n.* 7. *loc. cit.* & quod sufficiat, admissionem ad professionem factam esse cum tali protestatione tacita, vel expressa, tenent *Navar. cons.* 26. *n.* 11. *de regul. Miranda tom.* 1. *quæst.* 30. *art.* 4. *concl.* 1. *Suar. tom.* 3. *de relig. lib.* 6. *cap.* 6. *n.* 10. & *tom.* 4. *tract.* 10. *lib.* 2. *c.* 1. *n.* 29. qui ait, sufficere virtualem protestationem, contentam in consensu admittentis conditionato, formato ex præcepto Constitutionum, talem conditionem apponentium.

Illud etiam est certum, quod si Constitutiones, apponentes eam conditionem irritantem professionem ex tali defectu, essent specialiter super tali capite approbatæ a Sede Apostolica, irrita esset professio, etiam nulla facta protestatione: non sufficeret tamen approbatio generica Constitutionum illarum, quia non extenderetur ad ea, quæ sunt contra jus commune, *Navar. cons.* 26. *de regular. n.* 10. *Roderic. tom.* 3. *quæst.* 11. *art.* 2. *Portel. de dub. regul. verbo Professio nulla*, *Sanch. in decal. lib.* 5. *c.* 4. *n.* 60. *Rota decis.* 458. *n.* 2. *par.* 1. *noviss. Layman lib.* 4. *tract.* 5. *de stat. Relig. c.* 5. *n.* 4. quamvis *Suar. tom.* 4. *de Relig. tract.* 2. *lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 5. dicat esse certum, quod non requiritur specialis approbatio Sedis Apostolicæ, si impedimentum sit contra jus canonicum negative tantum, & non positive, *Lap. alleg.* 86. *n.* 5.

Sed certum mihi videtur, posse indirecte statui a Religione impedimentum irritans sine speciali approbatione prædicta, prohibendo, & auferendo potestatem admittendi eum, qui habeat tale impedimentum, seu qualitatem, ita *Suar. ibi n.* 6. *pag.* 433. similiter certum est, quod impedimenta irritantia, statuta in limine fundationis Religionis, non requirunt specialem approbationem; quia Constitutiones fundamentales semper exhibentur Sedi Apostolicæ, examinanturque ab ea diligenter: consentit *Suar. n.* 4. & expresse docet *Suar. tom.* 3. *de Relig. lib.* 6. *c.* 11. *n.* 4.

CAPUT IV.

Professio criminosi, seu in fraudem fori laicalis.

Vide *verbo Criminosi cap.* 1.

☞ CAPUT I.

Propositiones in materia tam dogmatum, quam morum, damnatas a Sede Apostolica post Concilium Tridentinum, docentes, aut asserentes.

INcurrunt excommunicationem Papæ reservatam, inflictam ab unoquoque Pontifice, a quo proscriptæ sunt. Quando autem eas asserentes denuntiandi sint, vide Additionem post Caput 1. *verbo Denuntiatio n.* IX. *pag.* 116. ☜

CAPUT I.

Raptorum pœna, necnon clericorum eos admittentium ad Sacramenta, vel oblationes, aut eleemosynas ab eis accipientium.

Vide *verbo Incendiarii cap.* 1. & 2. & *verbo Sacrilegium*, *cap.* 1.

CAPUT II.

Raptus mulieris.

EX *Trident. sess.* 24. *c.* 6. *de matrim.* inter raptorem, & raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum potest consistere matrimonium: quod si rapta a raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem ducere potest: & nihilominus raptor, ac omnes illi auxilium, & favorem ad raptum præbentes, sunt ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; & si clerici fuerint, de proprio gradu decidant: teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter, arbitrio judicis, dotare.

Ex *leg. un. C. de raptu Virg.* §. *Et si quidem*, bona rapientis mulierem, necnon auxiliantium ipso facto in dominium raptæ transferuntur, *Auth. De rapt. mulier.* §. *un. vers. Sancimus*:

mus : si rapta consentiat nubere raptori, matrimonium est nullum, & amittit dominium prædictorum bonorum.

Nota primo, quod pœna nullitatis matrimonii raptæ consentienti, cum raptore non procedit, si illa sit reposita in libertate, ut supra ex *Trid.* & contra hoc prædicta lex civilis nihil valet.

Nota secundo, quod secundum probabiliorem sententiam, & magis communem, hodie per jus canonicum, præsertim per *Trid. loc. cit.* abrogata est pœna illa amissionis bonorum, quando mulier libere consentit nubere raptori, ut *Sanchez lib. 7. disp. 12. n. 27. de matrim. Farinac. quæst. 145. n. 12. cum multis DD.*

Nota tertio, quod pœnæ Tridentini procedunt etiam in raptu mulieris inhonestæ: secus de pœnis juris civilis, *Farinac. n. 153.* cum communi.

☞ *Opinionem Farinacc.* quæst. 145. n. 153. *cui adhæret auctor, de jure sustineri non posse probat Ludovicus de Ameno*, de delict. & pœn. tit. 4. §. 7. num. 31. *ibi* — Quia pœnæ appositæ a Concilio, sunt contra veros raptores, eos nempe, quos jus civile decernit reos de raptu; non enim Concilium aliquid stabilit circa crimen, sed supponit illud jam determinatum a lege cæsarea, quæ non corrigitur ab ecclesiastica, nisi in ordine ad matrimonium, ut *supra n. 9.* dictum est. Cum igitur jus civile determinet, raptum tunc committi, quando honesta mulier rapitur, nec raptus sit, quando rapitur inhonesta, sequitur, quod pœnæ conciliares, quæ afficiunt veros raptores, non possunt convenire violenter abducenti meretricem, qui raptum non committit; & cum simus in odiosis, non possunt extendi pœnæ ultra casum expressum. — ☜

Nota quarto, quod recipiens suam sponsam consentientem, invitis parentibus, non incurrit pœnas juris canonici, nec civilis, *Sanch. disp. 13. n. 15. Farinac. n. 88. & seq.* cum communi, & in hoc jus civile est correctum a *Trid.* secus tamen, si mulier post sponsalia de futuro matrimonio, mutasset voluntatem, eamque sponsalium pœnituisset, et nihilominus rapta fuisset; tunc enim procedunt omnes pœnæ raptus, ut *Farinac. ibi n. 91.*

☞ *Circa incursum pœnarum vide de Ameno loc. cit. a n. 4. ad 9.* ☜

Nota quinto, quod matrimonium contra Trident. decretum, ut supra contractum, nullum est, *Sanch. disp. 13. n. 2.* excommunicatio autem ibi est latæ sententiæ, sed non est reservata, *Farinac. n. 21. & Sanch. n. 1.* pœnam autem infamiæ, inhabilitatis ad dignitates, et dejectionis de gradu clericali, idest depositionis, sunt ferendæ sententiæ secundum probabiliorem, *Sanch. n. 1. disp. 13. Farin. quæst. 145. n. 18. Filiuc. de imped. matrim. cap. 8. n. 264.*

☞ CAPUT I.

Reincidentia in censuras.

V*Ide in Auctore part. 1. cap. 24. Respondeo II. pag. 23. & cap. 25. in princ. pag. 27. ac Additiones meas ad cap. III. verbo Absolutio n. IX. pag. 51.* ☜

CAPUT I.

Religiosas domos sine licentia erigentes, vel mutantes, vel dimittentes.

I. EX *cap. De Monachis 18. quæst. 2.* religiosi, quantumvis approbati a Sede Apostolica, novum monasterium erigere non possunt sine licentia Episcopi loci: et in *cap. Auctoritate de privil. in 6.* religiosi exempti non possunt Ecclesias, aut oratoria constituere in loco non exempto sine licentia Diœcesani, neque in loco exempto sine licentia Sedis Apostolicæ.

II. Ex *cap. 1. de excess. Prælatorum in 6.* religiosi mendicantes non possunt possessa loca dimittere, vel ad alia se transferre, vel nova suscipere sine speciali Sedis Apostolicæ licentia (excipiuntur tamen ibi Eremi solitariorum) unde ex hoc jure requiritur licentia Episcopi, et Papæ pro Mendicantibus, ut *Cherub. super Bulla 9. Greg. XI.*

III. Ex *cap. un. de relig. dom. in 6.* Regulares mendicantes approbati post Concilium Lugdunense, qui de novo domos ad habitandum recipiunt, vel receptas mutant, vel alienant sine licentia Papæ, incurrunt excommunicationem non reservatam.

IV. Ex *Clementina Cupientes, de pœnis*, statutum est absolute, ut religiosi mendicantes non possint sine Sedis Apostolicæ licentia speciali nova loca recipere, aut jam usque ad illud tempus accepta mutare, aut in alios transferre quæsita, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, non tamen reservatæ.

V. Quia hujusmodi Constitutionibus fuerat per varia Sedis Apostolicæ privilegia diversis Religionibus concessa derogatum, *Navar. cap. 27. n. 144. Suar. disp. 23. de cens. sect. 5. n. 35. Tolet. lib. 1. c. 29. §. Decima, Filiuc. tract. 14. n. 145.* et regulares iis privilegiis prætendebant, se neque licentia Episcopi indigere in novis locis acquirendis, ut apud *Mirand. som. 1. q. 33. art. 1. concl. 2. in fin.* Per *Conc. Trident. sess. 25. c. 3. de reg.* statuitur, ne de cetero Regularium loca erigantur sine licentia Episcopi, in cujus diœcesi eriganda sunt: ex quo decreto apparet, fuisse derogatum supra dictis Decretalibus, itaut hodie sufficiat facultas ab Ordinario diœcesano attributa, ut notat *Rota part. 2. rec. decis. 745.*

VI. Clemens VIII. in Bulla 99. *Quoniam ad institutum 23. Jul. 1603.* statuit formam, qua Episcopi talem licentiam concedere possint, et debeant, ad novos conventus erigendos: scilicet vocatis, et auditis aliorum conventuum procuratoribus, et aliis, quorum interest, causa cognita; quod nempe commode sine aliorum detrimento sustentari possint: alias possint ii, quorum interest, appellare *suspensive* ad Sedem Apostolicam. Circa quam Const. Clem. VIII. notat *Rota dict. decis. 745.* solum esse considerandum præjudicium ob diversionem, seu multiplicationem eleemosynarum necessariarum ad sustentationem novi conventus; non autem rationem habendam emolumentorum ex funeralibus, & sepulturis; cum hæc sint facultativa: item non censeri præjudicium, si fundetur monasterium cum reditu sufficienti.

VII. Decreto Sacræ Congregationis Regularium, jussu Gregorii XV. 1622. die 20. Junii, quæ est Constit. 31. Greg. XV. in Bullario, statutum est, ne erigantur nova Regularium monasteria, seu domus in quacunque civitate, oppido, aut alio quocunque loco, nisi cum consensu aliorum Regularium intra quatuor milliaria existentium; & quod constet de tali consensu Ordinario; & quod saltem duodecim de familia ibi ali possint: & quod, si ibi intra quatuor milliaria non sint alii Regulares, necessaria sit convocatio, & consensus incolarum; alias appellandum est ad Sedem Apostolicam suspensive: & derogavit *omnibus privilegiis contrariis.*

VIII. Urbanus Papa VIII. Bulla 25. *Romanus Pontifex*, ann. 1624. die 28. Augusti, statuit, ut regulares superiores erigere, recipere, fundare, vel instituere, vel cœpta finire præsumentes nova monasteria, seu domos sine licentia expressa Episcopi, ac non servata forma Sacrorum Canonum, & Concilii Trid., & prædictarum Constitutionum, seu Decretorum Clem. VIII. & Greg. XV. incurrant pœnam excommunicationis (non reservatæ) & privationis vocis activæ, & passivæ, & officiorum, & inhabilitatis ad hujusmodi: & derogavit omnibus privilegiis.

IX. Sacra Congregatio Concilii, Decreto edito *de celebrat. Missar.* auctoritate Urbani Papæ VIII. anno 1625. die 21. Junii, quod est in Bullario Constitutio 43. Urbani VIII. §. 14. statuit, ut si loca deinceps recepta fuerint, seu erecta a Regularibus, in quibus saltem 12. Regulares sustentari non valeant, & actu 12. non habitaverint ibidem, locorum Ordinariis sint omnino subjecta: sed hoc decretum solum procedit in Italia, & Insulis adjacentibus, ut ibi patet.

Adverte primo, quod hodie ex dictis Constitutionibus, neque licet Regularibus sine licentia Episcopi, & solemnitatibus prædictis mutare locum etiam in eadem civitate, quia eadem est ratio præjudicii vicinorum; & propter argumentum de toto ad partem, *leg. Quæ de tota, ff. de rei vindic.* ita *Gemin. in dict. c. 1. de excess. Prælat. in 6. Cherub. super Bulla citata Clemen. VIII. schol. 1. Portel. de dub. regul. verbo Monasteria, n. 5. Roderic. quæst. 23. regul. art. 7. tom. 1.* quamvis *Diana resol. 136. tract. 2. tom. 2. cum Miranda, & aliis*, dicat, per privilegia concessa Religionibus posse fieri talem mutationem sine licentia Episcopi; neque Tridentinum derogasse privilegiis quoad mutationem, sed quoad novam erectionem tantum: sed non videtur recedendum a priori sententia; quia vere in tali mutatione reperitur erectio, seu fundatio in aliquo novo loco, quod est prohibitum in dicta Bulla Clementis VIII. & Decreto Greg. XV. & Trident. Conc. nisi cum licentia Episcopi supradicta:

imo

ſimo in Bulla Urb. VIII. citata prohibetur ſub dictis pœnis loca etiam cœpta finiri; non tamen videtur per ſupradictas Conſtitutiones antiquas, & novas, interdictum Regularibus aliquod hoſpitium recipere, vel domum recreationis: quia in his ceſſat ratio conſiderata a Greg. XV. in tali decreto, nempe præjudicium vicinorum, & anguſtia circa eleemoſynas, & ſuſtentationem; cum hæc loca ſuſtententur de reditibus conventus principalis, cui accedunt; & ita tenent *gloſſa in dict. c. un. de exceſſ. Prælat. in 6. verbo Habitandum, Cajet. excomm. c. 55. Suar. n. 35. Navarr. n. 144. locis ſupra alleg.* ſed neque eis prohibitum eſt, loca jam cum licentia legitima Epiſcopi, ut ſupra poſſeſſa, augere, ſeu extendere, *Lapus allegat. 178. Sylv. excommun. 9. §. 86. Tolet. loc. cit.* niſi talis extenſio veteres limites egrediatur, conſideratos in priori licentia, juxta decretum Greg. XV. quia ſic fieret novum præjudicium aliis religioſorum locis; & dummodo non augeatur numerus Regularium ſine licentia: de qua re vide *cap. ſeq.*

Advertendum ſecundo, quod dicitur de prohibita erectione, ſeu conſtructione domus, procedere etiam de conductione domus ad habitandum; quia eadem eſt ratio: ita *Buratt. dec. 691. n. 15.*

Adverte tertio, quod ob prædictam Conſtitutionem Urbani VIII. non ſufficit tacitus conſenſus religioſorum, inductus ex eo, quod eis ſcientibus, & patientibus, nova domus intra cannas præſcriptas fuerit erecta, ſeu conducta: quidquid olim ante iſtam Conſtitutionem DD. tenuerint, ut apud *Buratt. ibid. n. 14.*

Advertendum quarto, quod hodie illud certum de omnibus religioſis tam mendicantibus, quam non mendicantibus, eos non poſſe novas domos, ſeu monaſteria acquirere, niſi cum licentia Epiſcopi, & conſenſu religioſorum, intra quatuor milliaria exiſtentium: ſed dubitatur a DD. an hodie requiratur etiam licentia Sedis Apoſtolicæ: & ſane ſi agatur de nova domo a religioſis mendicantibus acquirenda, certum mihi videtur, eam requiri; quia Trident. ſtatuens, requiri licentiam Epiſcopi, non abrogavit formam a ſacris Canonibus ſupra allegatis ſtatutam, in qua pro Mendicantibus exigitur licentia Sedis Apoſtolicæ; ſed ſolummodo addidit novam formam, ſcilicet licentiam Epiſcopi obtinendam; non tamen revocavit privilegia nonnullis Mendicantibus conceſſa, acquirendi novas domos ſine alia Sedis Apoſtolicæ licentia, itaut pro illis ſufficeret licentia Epiſcopi, ita docent *Sorbus in compend. privil. verbo Ædificare, in annot. verſ. Circa parag. vigeſimum, Roderic. tom. 2. quæſt. regular. 49. a. 3. in fin. Miranda man. prel. tom. 1. quæſt. 33. a. 1. concluſ. 3.* cum autem Urbanus VIII. in Conſtit. præallegata revocaverit omnia privilegia in hac materia conceſſa, & ſtatuerit formam ſacrorum Canonum &c. in omnibus, & per omnia ſervari debere; apparet hodie pro Mendicantibus etiam requiri licentiam Sedis Apoſtolicæ.

De aliis autem religioſis, verbi gr. monachis etc. Aliqui DD. abſolute dicunt, requiri pro illis etiam Sedis Apoſtolicæ licentiam, ita tenet *Zerola in praxi Epiſc. par. 1. verb. Monachi, §. 2. Barboſa de poteſt. Epiſc. alleg. 26. n. 4.* ſed contrarium verius eſſe puto: quia nullo jure probatur, et tenet *Rota deciſ. 745. par. 2. recent.* Non obſtat primo *c. Auctoritate de privil. in 6.* ubi religioſi exempti non poſſunt fundare novas Eccleſias ſine licentia Sedis Apoſtolicæ; quia reſpondeo primo textum loqui, quando exempti vellent conſtruere Eccleſiam, vel Oratorium in loco exempto, tunc enim requiritur licentia Sedis Apoſtolicæ, ſi autem velint conſtruere Eccleſiam, aut Oratorium in loco non exempto, ſufficit licentia Diœceſani: ita ibi in *text. & DD.* propter rationem allatam ibi a *gl. verbo Non exemptis, & verbo Sedis Apoſtolicæ:* deinde reſpondeo, id non eſſe extendendum ad fundationem ſolius domus, ſi non etiam Eccleſia nova fundetur; quia appellatione Eccleſiæ non venit monaſterium in odioſis, ut *Joann. Andr. in cap. Clericis, de immun. eccl. Abb. in c. 2. n. 1. de conſuet. & alii,* quos ſequitur *Cokier. de juriſdict. in exemp. par. 4. quæſt.* 86. Non obſtant ſecundo ſacri Canones ſupra *n. 2. 3. & 4.* recenſiti; quia reſpondeo, eos tantum loqui de Mendicantibus, ut notat *gl. & Gemin. in dict. c. un. §. Confirmatos, n. 12. Franc. not. 2. de relig. dom. in 6. Oldrad. conſ. 190. n. 1. Miranda quæſt. 33. art. 1. cit. Navarr. c. 27. n. 144. in princ. Bonac. de cenſ. partic. diſ. 2. quæſt. 8. pun. 1. n. 4. & pun. 2. n. 6.* Non obſtat tertio declaratio Sacræ Congregationis, quam refert *Zerola ibi, & Barboſ. in remiſſ. ad cap. 3. Trid. ſeſſ. 25. de Regul.* in qua dicitur, monachos non poſſe nova monaſteria ædificare ſine licentia Papæ, quia reſpondeo, mihi non conſtare authentice de tali declaratione, & ſæpe non fideliter allegantur. Non obſtat quarto Conſtit. prædicta Urbani VIII. quæ præcipit, formam ſacrorum Canonum per omnia obſervari; quia reſpondeo, id reſpective intelligendum, ideſt quoad eos, pro quibus talis forma ſit conſtituta; quia ibi Pontifex intendit confirmare jus commune, non autem jus novum inducere.

X. Si religioſi exempti ædificent Eccleſiam ſine licentia Epiſcopi, talis Eccleſia ſic conſtructa cedit eidem Epiſcopo diœceſano, non ut in ſuam habeat, ſed ut ipſam, ut alias ſuæ diœceſis regat, & fructus fundorum, quibus fuit ipſa Eccleſia dotata, in utilitatem ejuſdem Eccleſiæ convertat, *Lapus in dict. c. Auctoritate de privil. in 6. n. 1. Francus ibi ſuper gloſ. verb. Non exemptis, Gemin. n. 3. Chokier de juriſ. in exemp. par. 1. quæſt. 36. n. 1. cum aliis DD.* Hoc autem non procedit, quando exempti ædificant monaſterium, ſeu domum ſine licentia Epiſcopi, ut ſupra, propriis ſcilicet expenſis, aut alienis, ipſorum intuitu; tunc enim cogendi ſunt locum illum alienare, ſicut alia, quando ea retinere non poſſunt, ut dixi *verbo Alienatio, c. 1.* etenim pœnæ non ſunt extendendæ, & odia reſtringenda, ut ſupra dixi.

☞ *Quoad erectionem novorum conventuum regularium virorum, tam mendicantium, quam non mendicantium, intra Italiam, & Inſulas adiacentes cum ſola Ordinariorum licentia, hodie attendenda eſt Conſtit. Innoc. X.* Inſtaurandæ *Idib. Octob.* 1652. *in qua §. 5. ita ſtatuitur* -- verum quia parum eſt mala præcidere, niſi etiam malorum cauſa, & radix evellatur, Conſtit. fel. rec. Bonifacii VIII. *Cum ex eo*, necnon Clementis VIII. *Quoniam ad inſtitutam*, aliorumque Romanorum Pontificum Prædeceſſorum Noſtrorum, ſuper erectione novorum conventuum editas, earundem tenorem innovantes, illiſque addentes, hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis Regularium Ordinis Mendicantium, vel non Mendicantium, congregationis, ſocietatis, & cujuſvis alterius inſtituti, etiam Societatis Jeſu, in aliqua civitate, caſtro, villa, ſeu loco, ad habitandum domos, vel loca quæcumque de novo recipere, ſeu monaſteria, conventus, vel collegia incipere, vel fundare præſumat, abſque Sedis Apoſtolicæ licentia ſpeciali, plenam, & expreſſam faciente de prohibitione hujuſmodi mentionem, in ſcriptis, & gratis concedenda, prævia examinatione Congregationis negotiis Epiſcoporum, & Regularium præpoſitæ: ſi ſecus egerint, eo ipſo incurrant pœnas privationis, & inhabilitatis, ut ſupra, inflictas: & nihilominus receptiones, fundationes, & erectiones ſint ipſo jure nullæ, & invalidæ, & domos, ac loca ipſa, & perſonæ in eis degentes, omnimodæ juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Ordinarii loci plene in omnibus ſubjaceant. --

Item ſervari mandavit Innocentius XII. Conſtit. Nuper 23. *Decemb.* 1697. *ſub pœna nullitatis fundationis, & ſubjectionis omnimodæ juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Ordinariorum.*

Hic notandum cum Bened. XIV. De Synod. Diœc. lib. IX. cap. I. n. 9. edit. Patav. 1756. *quod licet cit. Conſtit.* Inſtaurandæ *declaret, neceſſariam eſſe auctoritatem Sedis Apoſtolicæ in hujuſmodi erectionibus intra Italiam, & Inſulas adjacentes; communis tamen hodie, & in tribunalibus recepta opinio eſt, requiri etiam extra Italiam* -- Cum enim (*ſunt verba ipſius*) jam pridem ante Trident. Conc. Regularibus interdicta fuerit novorum monaſteriorum acquiſitio ſine expreſſa licentia Apoſtol. Sedis, ut videre eſt in cap. *Religionum §. Confirmatos de relig. domib. in 6.* & in cap. *Cum ex eo de exceſſibus Prælat. eod. lib. VI.* ſatis patet, nihil a Trident. Synodo derogatum fuiſſe Apoſtolicæ Sedis auctoritati, jam præcedenter ſtabilitæ; ſed illud dumtaxat ſtatutum fuiſſe, ut præter eam, epiſcopalis quoque auctoritas, & licentia in iiſdem erectionibus interveniret.. --

Sufficeret tamen ſola Epiſcopi licentia, ſi erigendum eſſet hoſpitium pro Regularium, iter habentium commodo, ex tribus Rotæ deciſionibus ibidem relatis.

Præter ſuperius dicta, hodie ex decreto Cong. ſuper Diſciplina Regulari, tranſmiſſo ſingulis Procuratoribus generalibus 23. Feb. 1717. ſufficientia, et ſubſiſtentia redituum conventus, erigendi intra Italiam, & Inſulas adjacentes, recognoſci debet ab eadem Congr. ſub pœna in ſuperiores, ad quos ſpectat, privationis vocis activæ, & paſſivæ, ſuſpenſionis ab officio, & dignitatis, ac perpetuæ inhabilitatis ad eadem.

Circa erectionem monaſterii monialium, non obſtante diſpoſitione citat. cap. 3. *Trident. de ſtylo Curiæ eſt, ut etiam recur-*

pa-

ratur pro facultate ad Sedem Apostolicam: *Fagnan.* lib. 2. tit, de Officio Ordinar. cap. Grave n. 53.

Notanda etiam est Constitutio Clementis XII. Nobis 1. *Maji 1731, quoad fundationes domorum Ordinis mei, ubi §. 3. ad 4. et §. 6. ita statuitur* – Demum iisdem Clericis Pauperibus Matris Dei, qui a Scholis Piis denominantur, illorumque Præposito generali, & superioribus, quocumque nomine nuncupatis, concedimus, ut ubique locorum, in suo tamen singulari districtu, domos, & conventus regulares juxta Concilii Triden. decreta, pro pueris cujuscunque ordinis, & conditionis, in quibusvis liberalibus disciplinis latinis, & græcis, & scientiis, etiam majoribus, a se instituendis, collegia, seminaria, & convictus ex sola licentia Ordinariorum, nulloque aliarum personatum cujusvis Ordinis, etiam Mendicantium, & cujuscunque Congregationis Clericorum Regularium, etiam Societatis Jesu, requisito consensu condere, fundare, & erigere libere, & licite possint, & valeant: etiam non servata distantia, quæ ab Antecessoribus Nostris Romanis Pontificibus ad centum, & quadraginta cannas, sive aliud plus, minus accuratum spatium, ab uno ad aliud religiosorum hominum cœnobium, seu conventum servanda præscribitur &c.

CAPUT II.

Religiosi Prælati, numerum familiæ in suis conventibus augentes.

EX decreto S. Congregationis Conc. *de celebrat. Missarum*, jussu Urbani VIII. edito, quod est in Bullario ejusdem Urbani *n.* 43. prohibitum est superioribus Regularium numerum augere religiosorum suæ familiæ, semel taxatum, & a Sacra Congregatione approbatum, nisi cum licentia ejusdem S. Congreg. etiamsi prætextu augmenti redituum (sed hoc decretum solum procedit in Italia, & Insulis adjacentibus:) contra facere præsumentes, incurrunt privationem vocis activæ, & passivæ, & officiorum: hoc decretum corroborat simile decretum *Trid. sess. 25. cap. 3. de reg.*

☞ *Hoc Tridentini, & Urbani decretum confirmatum fuit sub iisdem pœnis, primum ab Innoc. XII. Constit.* Nuper 23. *Novemb.* 1697. §. 14. *deinde ab Innoc. XIII. Constit.* Apostolici ministerii 13. *Martii* 1723. §. 14. *super ecclesiastica disciplina in Hispaniarum Regnis: postremo a Bened. XIII. Constit.* In supremo militantis Ecclesiæ 23. *Septemb.* 1724. *qua in forma specifica confirmatur eit. Innoc. XIII. Constitutio.* ☜

CAPUT III.

Religionem non approbatam profitentes.

NUllus potest sine licentia Papæ novam Religionem instituere, *c. 1. de relig. dom. in 6.* & semper fuit necessaria approbatio Ecclesiæ, idest Sedis Apostolicæ, *Vasq.* 1. 2. *disp.* 165. *c.* 5. *n.* 48. *Sanch. lib.* 5. *in decal. c.* 1. *n.* 15. 19. 20: *Less. lib.* 2. *c.* 41. *n.* 11. ubi probat, approbationem hanc esse de essentia Religionis: & olim quidem Episcopi approbare poterant, sed ex tacito Papæ consensu, *Bellarm. lib. de Monachis, c. 4. Miranda tom. 1. q. 3. art. 6. Less. cap.* 41. *n.* 12. sed hodie requiritur expressa approbatio Sedis Apostolicæ ex *Conc. Later. c. Ne nimia de relig. dom.* et ex *Conc. Lugdunen. cap. un. eod. tit. in 6. Extrav. Sancta Romana eod. tit. Joan. XXII.* in quibus statutum, ne quis ingredi possit Religionem non approbatam, neque domum religiosam fundare, nisi de approbatis a Sede Apostolica.

I. Professio facta in Religione non approbata, non est valida, ut professio, sed valet in vim voti simplicis Religionis in genere, scilicet voti de intrando in aliquam Religionem, *Less. c.* 41. *n.* 62. *Sanch. lib.* 5. *c.* 4. *n.* 104. *Bonif. in Clem.* 1. *de relig. dom. n.* 36. *Cardin. n.* 8. *Suar. de relig. tom.* 3. *lib.* 7. *c.* 2. *n.* 3. ubi affert rationem; quia quando professio est nulla ex defectu juris naturalis, ut ob vim, vel metum, tunc neque valet in vim voti simplicis; quando autem est nulla ob defectum juris positivi, valet in vim voti simplicis, exceptis quibusdam casibus, jure positivo penitus illam irritante, ut *Trid. sess.* 25. *c.* 15. *de regul.* et alium casum habes, *verbo Novitiatus, c.* 1. *n.* 2.

Professionem emittentes, vel ad illam admittentes in Religione non approbata, regulariter nullam censuram ipso facto incurrunt, sed solum in certis casibus, ut *Cajet. excomm.* 5. *Suar. disp.* 23. *sect.* 9. *n.* 4. *Filiuc. tract.* 14. *n.* 79.

Primus casus est *in Clem. 1. de relig. domib. & Extra. Ratio recta, eod. tit.* ubi fertur excommunicatio, ipso facto incurrenda contra mulieres, quæ Beguinarum statum sectantur, aut de novo assumunt; et contra Regulares, qui favent Beguinis, vel inducunt mulieres ad talem statum assumendum, aut super his præbent auxilium, consilium, vel favorem: et in *Clem. Ad nostrum, de heret.* explicantur errores in fide Beguinarum, et Beguardorum, quorum secta dicitur in Alemania extitisse, et mandatur Inquisitoribus contra hujusmodi personas procedere.

Note, quod ista excommunicatio non erat reservata, et non procedit contra Tertiarias, seu Bizocas, aliasve mulieres, cum mutatione habitus, seorsum viventes, ut in *dict. Clemen.* 1. *& Extrav.* dicitur, *& ibi Canonistæ, Suar. de censur. disp.* 23. *sect.* 5. *n.* 10. *Sayr. lib.* 3. *cap.* 33. *n.* 32.

Secundus casus in *Extravag. Sancta Romana Joann. XXII. de relig. dom.* ubi reprobatur institutum Fraticellorum, seu fratrum de paupere vita, Bizocorum, seu Beguinorum, aut aliis nominibus nuncupatorum, qui tunc in diversas mundi partes irrepserant, et multis erroribus hæreticalibus erant infecti, et præcipitur ibi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne quis tale institutum sectetur ulterius, vel ipsum de novo assumere præsumat: et sub eadem pœna Episcopis præcipitur, et Prælatis, ne talem ritum, vel habitum concedant sine speciali Sedis Apostolicæ licentia: sed neque hæc excommunicatio ibi est reservata, *Cajet. excommun. casu* 5. *Suar. disp.* 23. *sect.* 6. *n.* 4. *Filiucc. tract.* 14. *n.* 79. neque procedit contra assumentes specialem habitum religiosum, si seorsum vivant, etiamsi esset habitus similis Beguinis, ut dixi supra ad primum casum: neque procederet contra eos, qui hodie novum Ordinem non approbatum invenirent, vel profiterentur, si non intenderent resuscitare prædictos Ordines damnatos, *Cajet. Suar. & Filiuc. ibid.*

Tertius casus in Urbani VIII. Bulla, an. 1631. edita, *Pastoralis Romani*, in qua prohibetur regula, et Congregatio, seu secte Jesuitissarum, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Papæ reservata, itaut jam ingressæ teneantur habitum deponere, neque convenire amodo possint ad talem finem spiritualem, sed ut seorsum degant, neque virgines alias de novo admittant; nullusque eis auxilium, consilium, vel favorem præstet, ut pro talibus religiosis se gerant: vota autem a tunc ingressis emissa, simplicia quidem, sed sub conditione, seu intentione futuræ approbationis instituti, nulla esse declarantur ibidem: si autem absolute fuissent emissa, valida declarantur, sed relaxantur ex parte, ita ut teneantur istæ saltem in sæculo manere sub obedientia Ordinariorum, cum observatione votorum paupertatis, castitatis, et obedientiæ, cum usu bonorum suorum, et facultate de illis disponendi in vita, et in morte ad pios usus, et transferendi ea ab intestato ad hæredes legitimos: quod si matrimonium contrahere velint, ea vota idem Urbanus relaxavit ibidem: quod est intelligendum de votis receptarum in eam Congregationem, usque ad eam diem, qua edita est Constitutio, ut patet ex illa.

Profitentes Religionem non approbatam, non gaudent privilegio fori, neque Canonis, neque exemptionis bonorum, *Archid. c. un. de vot. in 6. in fin. Cardin. in Clem.* 1. *n.* 4. *de relig. dom. & ibi Bonif. Vitalin. n.* 46. quia non sunt personæ vere religiosæ.

Collegio, seu conventui religiosorum non approbatorum nihil legari potest, aut donari, aut aliter relinqui, *leg. Collegium, ff. de her. inst. & c. 1. de relig. dom. in 6. ibi Joannes Andreas, Abbas consil.* 55. *n.* 1. *lib.* 1. *Tuscus verbo* Collegium, *conclus.* 456.

Non sunt igitur ab Episcopis permittenda collegia, seu Congregationes laicorum, vel clericorum, in quibus habitus alteratur, seu novus assumitur, perpetuo gestandus, scilicet distinctus colore, et forma a communi, etiamsi ipsi prætenderent, se nolle esse religiosos, sed seculares, et velle tantum piis operibus vacare, et vitæ spirituali; quia sine Papæ approbatione non licet manere sub umbra Religionis, *gloss. in Clem.* 1. *de ele. Abb. consil. cit. n.* 1. *Vitalin. in d. Clement.* 1. *de relig. dom. tex. in c. Perniciosum* 18. *quæst.* 2. Non tamen est illicitum collegium, in quo sine speciali habitu vivitur, sed communi laicali, etiamsi ob causam pietatis fiat, seu ex motivo virtutis Religionis; etiamsi velint omnia habere communia, ut in primitiva Ecclesia fiebat, et etiamsi specialem habitum assumant, dum canunt Officia divina tantum, et dummodo nomen Religionum non assumant, et non prædicent, et dummodo obediant parochis, et Episcopis, et ho-

ne-

nesle vivant: ita *Extravag. Ratia recta, de relig. dom. inter comm. c. Dilectissimis* 12. *quæst.* 1. *c. Ad hæc de relig. dom. Bart. in leg.* 1. *ff. de coll. illic. n.* 6. *Abb. cons.* 55. *n.* 3. *lib.* 1. *Suar. tom.* 4. *de Relig. tract.* 9. *lib.* 1. *can.* 10. *n.* 10. *Genuens. in praxi c.* 46. *n.* 1. *&* 2. qui *n.* 3. *&* 4. addit, Eremitas vagos, qui non subsunt Episcoporum obedientiæ, non esse permittendos: et similiter non licet assumere proprie auctoritate habitum Religionis approbatæ, et seorsum habitere, etiam in aliqua eremo: sed ab Episcopo tales cogendi sunt habitum mutare, *Sorbus verbo Tertiarii*, §. *Tertius insuper*, *& verbo Habitus*, §. 4. *&* 5. possuntque sodalitia collegia erigi etiam sine Episcopi licentia, etiemsi causa pietatis, si non intendunt esse ecclesiastica loca, sed laicalia, *Bar. in d. l.* 1. *Barbos. allegat.* 75. *n.* 24. 26. *&* 27. *per c. Ad hæc* §. *de relig. domib. et ibi Barbos.*

CAPUT IV.

Religiosi transeuntes ad aliam Religionem, & Prælati eos admittentes.

Generaliter loquendo professus in una Religione, non potest transire ad aliam Religionem, sine consensu superioris, *c. Statutum* 19. *quæst.* 3. *c. Monachum* 20. *quæst.* 4. *Rot. decis.* 109. *n.* 4. *par.* 2. *recen.* nisi ad arctiorem, zelo sanctioris vitæ, non ex levitate, temeritate, vel odio; & sine injuria, seu præjudicio gravi suæ Religionis, seu monasterii; & venia a suis superioribus petita, etiam non obtenta, *cap. Licet de regular. & trans. & ibi Canonista*, *& Sanch. lib.* 6. *in decal. c.* 7. *quæst.* 2. *& Laym. lib.* 4. *de stat. relig. c.* 6. *n.* 9. Transire autem ad æque arctam, vel laxiorem nemo potest, nisi obtenta licentia a Papa, vel a proprio Prælato cum justa causa, ut *Less. lib.* 2. *cap.* 41. *n.* 103. *Sanch. n.* 68. *Laym. ibi in cap. Non est*, *n.* 5. *& in c. Significatum n.* 9. *de regul. Azor. tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 15. *quæst.* 1. *Eman. Sà*, *verb. Religio n.* 39. *Roderic. in summ. par.* 2. *c.* 6. *n.* 8. *Sayr. decis.* 55. *de regul. Reginal. lib.* 18. *c.* 19. *n.* 413. qui dicunt, hoc non esse correctum a *Trid. sess.* 25. *cap.* 19. *de reg.*

In posterum autem cui monasterio acquirat religiosus translatus, *Rota decis.* 109. *par.* 2. *recent.* ait acquirere secundo monasterio, si fuit translatio facta, ut fieret filius secundi monasterii, seu secundæ Religionis: secus si ad alium finem, v. g. si solum pœnitentiæ causa; & ibi probat qualiter id cognoscatur. Quoad prius quæsita distingue juxta *leg. Quæ legata ff. de reg. jur. ibi Decius*: sed qualiter cognoscetur Religio arctior, docent *Sanch. in decal. lib.* 6. *c.* 7. *quæst.* 5. *Laym. n.* 10. qui concludunt, spectari majorem austeritatem circa silentium, & solitudinem.

Et nota, quod monialis translata ad aliud monasterium, ut illius fiet filia, debet ibi denuo profiteri, nisi sit monasterium ejusdem Ordinis, & observantiæ, & dos debet restitui secundo monasterio: hæc habet *Rota d. decis.* 109. *& decis.* 115. *n.* 9. alia autem bona non restituet, *Rota d. decis.* 109.

I. Ex decreto S. Congregationis Conc. quod habetur in Bullario inter Constitutiones d. Papæ Urbani VIII. *n.* 26. *ibi* §. 3. statutum est, ut nullus permittatur ad arctiorem transire, nisi prius legitime constet superiori, illam Religionem paratam esse eum recipere, & tunc recta vie transferatur ad arctiorem: aliter superior præsumens facere, incurrit eo ipso pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, & inhabilitatem ad talia: & reservetur dispensatio Papæ, privative etiam ad Generalem, & Protectorem, & irritum, & inane decernitur quidquid secus fuerit attentatum.

II. Si quis transeat ad arctiorem, venia non petite, vel ex temeritate, aut levitate, ira, odio, aut contemptu, aliave inordinata passione, professio in secunda, scilicet arctiori, erit nulla, *Rosella*, *verbo Religio* 4. *n.* 6. *Sanch. n.* 89. *loco cit. Navarr. cons.* 52. *vel* 59. *n.* 2. *de regul. Azor. tom.* 1. *lib.* 12. *c.* 14. *quæst.* 6. *& Less. lib.* 2. *c.* 41. *n.* 101. *gloss. in c.* 2. *verbo Monachus* 19. *quæst.* 3. *gloss. in c. Intelleximus verb. Curam in fin. de æt. & qual. Innoc. in d. c. Intelleximus n.* 2. *Host. n.* 5. *Joan. Andr. in d. c. Licet n.* 21. *Butr. n.* 13. *Anchar. n.* 12. *Abb. n.* 10. *Zabar. n.* 3. *Henric. n.* 8. *Barbos. n.* 31. *Lap. allegat.* 130. *n.* 2. & hanc communem esse Canonistarum dicunt *Abb. cons.* 95. *n.* 2. *lib.* 1. *& in dict. c. Licet*, *& Navarr. loc. cit. Mendos. ad Lapum loco cit. lit. K. & Roman. con.* 341. qui omnes eam tenent, & probant hoc argumento; quia ratio potissima dictæ *decret. in c. Licet* est illa; quia non debet resisti motioni Spiritus Sancti, vocantis ad arctiorem: qui autem bonum obedientiæ contempsit, & dedignatus est licentiam petere a superiore, censendus est non a Spiritu Sancto moveri, sed a spiritu malo, ideo decretalis *Licet* ei non suffragatur, & sic professio remenet nulla, & revocandus est ad primam Religionem, & castigandus, & ita *cit. DD.*

Aliqui tamen dicunt, quod dummodo religiosus transeat vere ad arctiorem, & bono zelo, ut supra, & sine injuria suæ Religionis, seu conventus, quamvis defecerit in modo, quia scilicet non petiit licentiam, vel non expectavit responsum; nihilominus professio in secunda Religione est valida, & non potest revocari a superiore primi conventus: ita tenet *gloss. in dict. c. Licet*, *verb. Licentiam*, *& ibi Abb. antiquus*, *Sylv. verb. Religio* 4. *quæst.* 1. §. *Adverte* 4. *Sanctarell. tract. de apostat. c.* 8. *n.* 6. & alii apud eosdem, & apud *Barb. in d. cap.* quam sententiam probabilem fatetur *Sanch. & Barb. ibi.*

Imo aliqui amplius asserunt, quod dummodo religiosus transierit ad vere arctiorem, non potest revocari, & professio postea facta est valida, etiamsi venia non petita transierit, vel temeritate, & cum præjudicio suæ Religionis, ita tenet *Suarez tom.* 4. *de relig. lib.* 3. *c.* 10. *n.* 22. *Bonac. de claus. quæst.* 2. *punct.* 9. *n.* 7. *Castropal. tom.* 3. *tract. de stat. relig. disp.* 4. *pun.* 16. §. 4. *n.* 2. sed hæc sententia nimis laxat habenas: neque a prime sententie in praxi pro externo, seu contentioso foro recedendum puto: neque sufficit licentiam petere, sed debet religiosus iste congruo, & sufficienti tempore expectare responsum, ut possit superior cognoscere, an Religio, ad quam vult transire, sit arctior, & an bono spiritu moveatur, & an id fieri possit sine damno, et injuria suæ Religionis: quod si superior dicat, non adesse dictas conditiones requisitas, injuste, vel asserat de iis dubitare, poterit religiosus recurrere ad superiorem alium, qui sit judex competens inter utrunque conventum, ut probatur in *dict. c. Licet*, *ibi Abb. & Canonista*, *& Suar. sup. cit. n.* 28. *Castropal.* §. 3. *n.* 2. *Sanch. n.* 35. *&* 37.

III. Religiosi transeuntes ad aliam Religionem sine licentia competenti, secundum aliquorum sententiam incurrunt in excommunicationem, et censuras, et pœnas latas contra apostatas a Religione, seu ob depositionem habitus: de quibus dixi *verbo Apostasia c.* 2. & *verbo Habitus c.* 2. ita tenet *Navarr. cap.* 27. *n.* 131. *cum Sylvest. & Cajet.* sed contraria est verior; quia neque est apostata, cum discedat solum ab hoc instituto, non a Religione absolute, neque deponit habitum cum periculo evagationis, ut *cap.* 2. *ne cleric. vel mon. in* 6. *ita Angel. verbo Religiosus n.* 37. *Gemin. & Joan. Andr. in dict. c.* 2. *Abb. in c. Sane*, *de regul. Less. lib.* 2. *c.* 41. *n.* 102. *in fin. per cap. Ex parte*, *de temp. ordin.*

☞ *Clerici Regulares tamen Congregationis de Somascha, ex Constit. Sixti V.* Æquum reputantes 1. *Mart.* 1585. *transeuntes ad alium quemcunque Ordinem, etiam strictiorem, sine superioris dictæ Congr. licentia (Carthusianorum, & Capuccinorum Ordinibus exceptis) incurrunt tam ipsi, quam illorum receptatores pœnam apostasiæ, & excommunicationem Papæ reservatam.* ☜

IV. Religiosi Mendicantes non possunt transire ad aliam Religionem non Mendicantium, sine licentia Sedis Apostolicæ, excepto ordine Carthusianorum; alia professio est nulla; et tam transeuntes, quam recipientes incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, *Extravag.* 1. *Viam*, *de regul.*

Sed adverte, quod hæc prohibitio, et pœna intelligitur de transitu sine justa causa; si enim adsit causa legitime, possunt adhuc superiores ipsi dare suis licentiam transeundi, *Navarr. consil.* 56. *de regul. Less. c.* 41. *n.* 104. *lib.* 2. *Sanch. lib.* 6. *c.* 7. *n.* 68. *Laym. cap.* 6. *n.* 9. item adverte, quod licet in Ille Extrav. dicatur, neque Majorem Pœnitentiarium posse talem licentiam indulgere, hodie tamen ex novis facultatibus eam concedere potest.

☞ *Novissime hanc facultatem ei impertitus est etiam Bened. XIV. Constit.* Pastor bonus 13. *April.* 1744. *cum limitatione tamen, ut* §. 34. *et* 35. *quam vide in fine Operis.*

Præterea concedere etiam potest, *ut* §. 36. — Transitum ab uno monasterio ad aliud, monialibus tantum, ultra montes existentibus, legitima concurrente causa, in Signatura discutiende, & approbanda; committendo tamen facultatem hujusmodi transitus, admittendi, & exequendi, arbitrio Ordinarii, cum clausulis opportunis pro casuum varietate. — ☜

An autem Mendicantes eligi possint ad prælaturas extra suum Ordinem, vide *ver. Electio c.* 9. *&* 10.

V. Religiosi, scilicet professi Mendicantium Ordinum, si transeant ad non Mendicantes, etiam obtenta licentia a Sede Apostolica, non possunt habere vocem in capitulo, neque administrationes, neque curam, seu regimen animarum,

neque officia quæcunque, sive ut proprio, sive ut vicario nomine, seu vices aliorum gerendo; & in contrarium acta, irrita sunt, non obstante quocunque privilegio, *Clem. 1. de regul.*

Amplia hanc Constitutionem, ut hic nomen officii late accipiatur; unde continet non solum officia cum superioritate, sed etiam alia, quæ sunt cum honore (non cum solo onere) ut sacristæ, camerarii, œconomi, prædicatoris, lectoris theologiæ, ut *gloss. in dict. Clem. verbo Officia*, *Anchar. num.* 5. *Lapus n.* 7. *Vitalin. n.* 74. *Barbosa num.* 8. *Less. cap.* 41. *n.* 105. *Sanch. lib. 6. in decal. c. 7. num.* 127. *&* 128.

Amplia secundo, ut hæc Constitutio procedat etiam de Mendicantibus post hanc Clementinam institutis, & approbatis, & non solum ex quatuor Ordinibus Mendicantium, de quibus *c. Religionum*, §. *Sane, de relig. dom. in* 6. sed etiam de aliis quibuscunque, sive sint Mendicantes ex regula, sive ex Constitutionibus; ita *Azor. tom. 1. lib. 12. c. 14. quæst.* 12. *Barbos. loco cit. n.* 4. *Barthol. de Vecchis de admitt. novit. disp.* 15. *dub.* 5. *n.* 14. & procedit etiam de iis, qui ex privilegio Trid. possunt habere bona in communi, *Sanch. n.* 115.

Limita, ut non procedat de transeuntibus ad Carthusianos, ex juris communis dispositione, *Barthol. de Vecchis n.* 14. *Barbos. n.* 3.

Limita secundo, ut non procedat, quando a Papa conferretur religioso mendicanti prælatura, ut abbatia in Religione aliqua non mendicanti; quia tunc haberet vocem in capitulo, *gloss. in dict. Clemen. verbo Inibi*, *Anch. num.* 10. *Bonifac. num.* 62. *Cardin. num.* 5. *Sanch. num.* 122.

Quoniam autem hæc inhabilitas, de qua in *dicta Clemen.* 1. est pœnalis ob præsumptum ambitum coercendum, ut notant *Vitalin. Cardin. & Anchar. ibi*, *Sanch. supra cit.* ideo Sacra Pœnitentiaria, supplicantibus superioribus, sæpe dispensat cum religioso transeunte, eumque rehabilitat.

VI. Religiosi Mendicantes, si prætextu licentiæ veræ, vel falsæ transeundi ad aliam non Mendicantium, vagentur extra Religionem, sive cum habitu, sive sine habitu, si moniti intra 15. dies non redeant ad suam Religionem, sunt excommunicati, & notorii apostatæ denuntiandi, *Extrav. Viam, de regul.*

VII. Ex Bulla Pauli III. Julii III. & Sixti V. Fratres Franciscani de Observantia, transeuntes ad Capuccinos, & Capuccini illos recipientes sine licentia Papæ, aut Provincialis, incurrunt excommunicationem, & inhabilitatem ad officia, *Bonac. de cens. in par. disp. 2. quæst. 8. punct. 3. n. 2.*

VIII. Ex Bulla Leonis X. Unionis, de qua *Sorbus ver. Conventuales fratres in addit. n.* 2. prohibitum est sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne fratres reformati S. Francisci transeant ad Conventuales, vel recedant ab obedientia suorum ministrorum; & ne Conventuales audeant recipere Reformatos, nisi cum licentia capituli provincialis ob justam causam.

IX. Bulla SS. D. N. Papæ Urbani VIII. *Injuncti nobis*, *an.* 1628. *die* 9. *Aug.* statutum est, ut religiosi Capuccini non possint transire ad laxiorem sine speciali licentia Sedis Apostolicæ in scriptis: ad Carthusianos autem, vel alium Ordinem, scilicet non laxiorem, requiritur licentia ministri generalis in scriptis: alias transeuntes incurrant pœnam excommunicationis, & privationis vocis activæ, & passivæ, & apostasiæ, & infamiæ ipso facto: sed loquitur contra præsumentes transire contra hanc formam; unde excusat ignorantia non affectata.

X. Fratres Minimi, si recipiant Fratres minores de observantia sine licentia Papæ, incurrunt excommunicationem non reservatam, ex Bulla Julii II. *Vival. Candel. verb. Excommunicatio nulli reservata.*

XI. Religiosi Carmelitæ discalceati transeuntes ad Carthusianos sine licentia sui superioris, incurrunt excommunicationem ipso facto, ex Bulla Pauli V. & hoc privilegium competit per communicationem aliis quibusdam Religionibus, *Sanchez lib. 6. cap. 7. n.* 3.

XII. Religiosi quicunque, exceptis Carthusianis, recipientes aliquem religiosum Societatis JESU, sine licentia Papæ, vel Præpositi generalis, & ipsi tractantes, & dantes eis auxilium, incurrunt excommunicationem, ex Bulla Pii V. ut *Suar. disp. 22. de cens. sect. 5. n. 21. Sanch. loco cit.*

XIII. Ex Bulla D. Papæ Urbani VIII. *an.* 1635. *die* 21. *Maji* edita *an.* 1636. *die* 20. *Decemb.* statutum est, ut Regulares quicunque, qui ex suo instituto votum habent, seu juramentum annexum de non procuranda, vel acceptanda extra eorum Religionem dignitate, aut superioritate, transeuntes ad aliam Religionem, etiam cum licentia Papæ, aut a Religione sua dimissi, vel ejecti, remaneant adstricti voto, seu juramento prædicto.

Nota circa hanc Constitutionem, quod quamvis Doctores, qui ante illam scripserunt, communiter dixerint, vota supradicta de non procuranda, vel acceptanda dignitate, & alia similia religiosæ professioni annexa, ex intentione voventis censeri accessoria illi professioni, & per translationem ad aliam Religionem, seu secundam professionem, vel per expulsionem, vel dimissionem, extingui eo ipso, ut *Sanch. lib. 6. in decal. c. 7. n. 87. & c. 9. n. 56. Suar. de relig. tom. 2. lib. 3. de voto, c. 3. n. 7. Vega in sum. tom. 2. c. 86. cas.* 16. *Barbosa in c. Scriptura, n. 2. de voto*: etenim hoc votum est institutum pro meliori conservatione status ejusdem Religionis, ut patet ex *Constit. Soc. Jesu par.* 10. §. 6. tamen hodie per hanc Constitutionem est inducta præsumptio juris, & de jure, quod dicta vota censeantur principaliter ob cultum Dei, & absolute emissa, & non restricta ad præsentem statum illius Religionis in specie; alias autem causas, ut bonum Religionis illius &c. præsumi impulsivas, seu secundarias, seu conditionem, sine qua non: & consonat *cap. Ex parte, il secondo de convers. conjugat. c. Magnæ, de voto*: in quibus juribus apparet, jus canonicum semper præsumere vota ob aliquam causam extrinsecam emissa, esse emissa principaliter ob cultum Dei; & ideo non cessare, cessante dicta causa extrinseca, de qua re vide *Sanch. in decal. lib. 4. c. 2. n. 38. & 42. & Canonistas in capitulis cit.*

Hæc autem, quæ dixi de juris præsumptione, intellige quoad eos, qui ante Constitutionem voverunt, non habentes absolutam intentionem: nam de cetero isti religiosi implicite censentur, & debent vovere intentione absoluta, & non restricta ad præsentem statum, ob Constitutionem supradictam.

Novissime, quæstione suborta circa potestatem dispensandi, & relaxandi votum hujusmodi de non procuranda, vel acceptanda dignitate, seu prælatione extra suam Religionem; & circa potestatem illud votum irritandi, seu præceptum faciendi eidem religioso de acceptanda dignitate extra suum Ordinem, seu alias a dicto voto liberandi; idem S. D. N. Urbanus VIII. alia Constitutione edita *anno* 1643. *die* 26. *Febr. Horum, dignitatumque*, declaravit, talem potestatem soli Romano Pontifici esse reservatam, *privative* ad quoscunque alios, sive superiores Religionum, *etiam Generales*, & capitula etiam generalia, sive Nuntios Apostolicos, Protectores, Legatos etiam de latere &c. & privative ad quoscunque, habentes privilegia a Sede Apostolica vota commutandi, dispensandi, relaxandi; declarans, hæc privilegia ad illud votum minime extendi: non obstantibus etiam quibuscunque Constitutionibus Apostolicis, etiam conciliaribus, consuetudinibus, privilegiis, quacunque causa, vel instantia, in quacunque verborum forma concessis.

Rationes autem hujus declarationis in eadem Constitutione tres indicantur: prima, quia illud votum, vel est solemne, quatenus in quibusdam Religionibus emittitur in ipsa professione simul cum tribus votis essentialibus; vel etiam ante, vel post professionem in aliis Religionibus emittatur, efficaciam habet voti solemnis, cum sit pars integralis illius, ejusque accessorium (etiamsi secundum se sit votum simplex) ita *Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. c. 12. an.* 29. *Castropalao tom. 3. tract. de stat. Relig. dis. 5. pun. ult. a n.* 1. secunda ratio est; quia superior regularis non potest subdito præcipere id, per quod subditus eximitur ab ejus obedientia, quod est contra regulam; neque potest illi præcipere ea, quæ sunt præter, vel supra regulam, ut episcopatum acceptare, *Less. lib. 2. c. 41. n. 76. §. Hinc sequitur*, *Sanc. in decal. lib. 6. c. 2. n. 49. cum multis DD. & Suar. tom. 3. de relig. lib. 1. c. 12. n. 3. & lib. 10. c. 3. n. 12. & c. 8. n. 5.* & ita in Constitutionibus nostræ Societatis expresse habetur, neque Generalem posse licentiam, seu consensum præstare acceptandi dignitatem extra Societatem contra illud votum, nisi Sedis Apostolicæ obedientia ipsum compellat, ut *par. 9. c. 3. §. 13. & c. 4. n.* 5. dicitur, Societatem, seu Congregationem generalem non posse Generali Præposito assensum præstare acceptandi prælationem extra Societatem, nisi Sedis Apostolicæ obedientia compellat, & *cap.* 5. exponit, nisi Sedis Apostolicæ obedientia talis interveniat, quæ sub peccato obliget; et idem docet *par. 10. cap. 1. in declaratione marginali lit. A.* tertia denique ratio affertur in *dict. Urb. VIII. Constit.* quia cum illud votum emittatur secundum Constitutiones Religionis a Sede Apostolica approbatas,

tas, cum clausula irritante; per hoc manus omnium inferiorum ligatæ sunt, *Felin. in c. Cum accessissent n. 7. de constit.* cum communi DD. Ex quibus hodie reprobata est doctrina aliquorum *DD. ut Henriq. quem allegat, & sequitur Roderic. quæst. reg. 57. ar. 1. in fin. tom. 2.* dicentium, posse Prælatum regularem præcipere suo subdito, ut episcopatum acceptet, non obstante voto prædicto; quæ quidem sententia erat contra communem: vide *Sanch. in decal. lib. 4. c. 8. n. 38.* nec obstat illa generalitas verborum voventis, *nisi coactus præcepto ejus, qui mihi de jure præcipere potest*; quia intelligitur de eo, qui præcipere potest, non quomodocunque, sed in subjecta materia, de qua vovetur, ut late *Everar. in topic. loco 93. a subjecta materia*, ita *Sanch. ibi.*

CAPUT V.

Religiosi fugitivi, & Prælati eos non requirentes.

I. De jure communi nulla est censura, seu pœna latæ sententiæ contra religiosum fugitivum, nisi ratione depositionis habitus, ut dixi *verbo Apostasia c. 2. & verbo Habitus, c. 2.* tamen pro foro externo puniri possunt etiam ab Episcopis, ut apostatæ præsumpti, *Trid. sess. 25. c. 4. Sanch. lib. 6. opusc. c. 9. dub. 2. n. 9.*

Constitutiones quoque diversorum Pontificum, punientes religiosos emanentes extra claustra, sine licentia, intelliguntur de emanentibus animo apostatandi, *Roderic. quæst. regul. 30. art. 4. tom. 1. Sanch. lib. 6. in decal. cap. 8. n. 10.*

II. Prælati, & superiores tenentur annis singulis suos fugitivos requirere, & reducere: de qua re vide *infra cap. 14.*

Nota, quod neque licitum est Regularibus fugere, ut evadant pœnam carceris perpetui, vel triremium, etiamsi id faciant animo recurrendi ad superiorem pro gratia obtinenda, *Diaz in praxi, c. 137. vel 140. Sanch. opusc. lib. 6. c. 4. dub. 11. & dub. 12.* cum communi, & *in decal. loco citato cap. 8. n. 13.* cum magis communi.

Limita, quod possunt fugere, ut mortis pœnam evadant, vel mutilationis, *Sanch. in decal. loc. cit. n. 12. & 15.* cum multis Doctoribus: item potest religiosus fugere, ut evadat carcerem injustum, vel supra humanum modum rigidum, ut *Salzedo ibi, §. Est tamen, Sanch. in decal. loco cit. n. 14. & opusc. loco citato dub. 11.* item potest fugere, quando injuste vexatur a superiore locali, si non animo evagandi fugiat, sed recurrendi ad Prælatum, seu superiorem mediatum, ut sibi provideat; dummodo vexationis injustitia sit liquida, & non possit prius petere a Prælato suo mediato licentiam ad eum accedendi, *leg. Si quis sit fugitivus, ff. de ædil. edic. Sanc. in decal. loco cit. lib. 6. c. 8. n. 17.* cum communi: & ita intelligunt Trident. *sess. 25. c. 4.* multi, quos allegat, & sequitur *Diana resolut. 56. tract. 2. tom. 2. Sanctarel, tract. de Apostas. c. 3. dub. 1. n. 11.* & addit *Diana resolut. 115. tract. 2. tom. 2. & Portel. verbo Habitus, n. 3. Sanchez n. 41. ibid.* posse etiam tunc habitum in via dimittere, si aliter non possit sibi consulere.

CAPUT VI.

Religiosum peregrinum sine patentibus accedentem Regulares excipientes.

Ex Bulla Sixti V. *Cum de omnibus 71. §. 7.* habetur, quod quia sub habitu religioso sæpe banniti, & alii criminosi se occultant, ut facilius delinquant, ideo prohibetur, ne quis Regularis ex una ad aliam provinciam sui Ordinis transeundo, etiam in itinere, intra aliquod monasterium, seu domum, seu locum alterius provinciæ ad habitandum, vel ad hospitandum recipi possit ad modicum tempus, nisi litteras obedientiæ, seu commendatitias superioris loci, ubi residebat, secum deferat, atque exhibeat; vel nisi ita cognitus sit ab iis, apud quos divertit, ut de ejus persona nullus omnino locus dubitandi relinquatur: alias recipientes incurrunt pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, officiorum, graduum, & dignitatum, & inhabilitatem ad talia perpetuam: & contra religiosos, hujusmodi litteris carentes, Ordinarii locorum procedere possunt, tanquam contra suspectos delictorum, & eos tandiu in carcere detinere debent, donec certa de eis notitia habeatur.

Deinde idem Pontifex in alia Bulla, *Ad Romanum §. 19.* extendit dictam Constitut. ut procedat non solum de religiosis itinerantibus de una provincia in aliam, sed etiam de uno ad alium locum ejusdem provinciæ; & non solum divertentibus ad loca ejusdem Religionis, sed etiam alterius Ordinis.

De hac re tractat *Roderic. quæst. regul. tom. 1. quæst. 6. art. 10. & quæst. 30. art. 7. eodem art.* 7. ubi ait, sufficere ad evitandas pœnas hujus Constitutionis, si religiosus admittendus, fuit præcognitus per interrogationes, & informationes ab eodem desumptas: alias etiam ponit limitationes ad hanc Bullam *eodem art. 7.*

CAPUT VII.

Religiosi Romam accedentes sine licentia competenti.

Ex Bulla 60. Clementis VIII. edita an. 1599. die 25. Junii reformationis Regularium, *Nullus omnino, §. 23.* Regulares non possunt Romam petere sine Protectoris, vel Generalis, vel Provincialis licentia: sed Provincialis non potest talem licentiam dare, nisi ob bonum totius provinciæ, ut in Bulla alia ejusdem Clementis, edita an. 1601. die 20. Martii: alias Romam accedens, scilicet intrando sine licentia, ut supra, incurrit pœnam privationis vocis activæ, & passivæ ad biennium, Papæ reservatam, privative ad ipsum Generalem, & Protectorem, ut in *d. Bulla anni 1601.* Igitur hæc pœna biennio tantum durat, & postea per se cessat, ut in *dicta Bulla anni 1599. §. 23.*

Amplia ex *Trident. sess. 25. c. 4. de regul.* ut religiosi non possint Romam accedere sine illa licentia, etiam prætextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eisdem, ut supra, vocati fuerint; alias possunt tanquam Apostatæ puniri, etiam ab Ordinario loci.

Sed limita, ut non procedat, quando recurrerent causa gravaminis manifeste injusti, & non possent alia via sibi consulere; tunc enim non incurrerent in pœnas prædictas, ut dixi supra, *cap. 5. in fin.* sic S. Antonius de Padua, cum injuste vexaretur a F. Elia, Generali sui Ordinis, qui eum carcerare volebat, Sedem Apostolicam appellavit, & fugit, & Romam venit, causam suam acturus, ut legitur in ejus vita.

CAPUT VIII.

Religiosi delinquentes extra claustra, & Prælati ipsorum eos non coercentes.

I. Ex *Triden. sess. 25. c. 14. de regular.* Regulares exempti, qui intra claustra habitant, sed extra claustra notorie delinquunt cum scandalo populi, Episcopo instante, a superiore ipsorum intra tempus ab Episcopo præfigendum, severe puniendi sunt, & Episcopus ab eodem superiore de punitione facta certior fieri debet: alias superior a suo Prælato officio privandus, & delinquentes prædicti ab Episcopo puniri poterunt.

Sed Clemens VIII. Bulla 39. *Suscepti muneris*, statuit pœnam privationis dignitatum, & officiorum obtentorum latæ sententiæ contra superiores cujuscunque Ordinis Regularium, supradictum Tridentini Decretum non observantes in omnibus, & per omnia: & addidit, quod si superior regularis suum religiosum, ut supra delinquentem, non punierit, & illum a loco delicti ad alium suæ Religionis locum transmiserit, instante Episcopo loci prædicti, intra terminum ab ipso præfigendum, debeat dictum delinquentem ad locum delicti restituere, & revocare: alias idem superior incurrat pœnam privationis vocis activæ, & passivæ, Papæ reservatam: & nihilominus crescente contumacia, poterit Ordinarius, seu Diœcesanus loci, ad quem transmissus est delinquens, sive requisitus ab Ordinario loci delicti, sive aliter informatus, procedere adversus eundem juxta dictum decretum Tridentini, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, eumque severe punire.

Ampliant aliqui Doctores dictum decretum Tridentini, quod si religiosus, habitans intra claustra, extra claustra delinquat, ut supra, scandalose, & notorie, & in fragranti deprehendatur, potest Ordinarius loci statim illum carcerare, & processum formare, etiam antequam superioris regularis appareat negligentia, & delinquentem deinde cum actis, & informatione ad dictum superiorem transmittere, ita *Piasecius, Naldus, & Portel. apud Diana resol. 132. tract. 2. tom. 2.* qui tamen contrarium tenet cum *Villalobos, & Hieron. Roderiq.* sed primam sententiam tenet *Fusc. de visit.*

visit. lib. 2. cap. 17. n. 11. Barbos. de pot. Episc. alleg. 105. *n.* 20. & est communis.

II. Ex *Trid. sess. 6. c. 3. de reform.* nemo Regularis extra monasteria, seu claustra degens, etiamsi eum licentia suorum superiorum, quocunque exemptionis privilegio Religionis intus censetur, quominus, si deliquerit, ab Ordinario loci, tanquam super hoc a Sede Apostolica delegato, secundum canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat. Adverte, quod hic textus loquitur de Regulari degente extra claustra, idest vivente, seu habitante, seu commorante extra claustra, nempe quando non vivit conventualiter sub suo superiore cum regulari observantia: sufficit tamen, ut dicatur degens intra monasterium, seu claustrum, etiamsi vivat in aliqua grangia, seu membro, seu residentia monasterii, *Barbos. de potest. Episc. alleg.* 105. *n.* 14.

Amplia supradicta decreta toto hoc capite relata, ut procedant etiam de religiosis Militiæ Sancti Joannis, *Barbos. ibidem, Pilaja tom. 2. dec. lib. 4. dec. 10. n.* 5. Adverte, quod licet in *c. Volentes, de priv. in 6.* exempti possint conveniri coram Ordinario loci ratione delicti, vel contractus, vel rei sitæ in loco diœcesis ejusdem, id procedit de exemptis tantum ratione loci, non autem de Regularibus, qui sunt exempti etiam ratione personæ cum totali exemptione, ut declaravit Paulus V. Bulla 34. *Religiosorum*.

CAPUT IX.

Religiosi enormitatibus se immiscentes.

I. QUod Regularis, immiscens se enormibus delictis, habitu deposito, interveniente monitione, & incorrigibilitate, privetur ipso facto privilegio fori, tenet *Navarr. cons. 25. de privil. Diana tract. 2. resol. 129. tom.* 1. sed contrarium puto verius, nisi sit legitime ejectus: æstimo autem, eum amittere privilegium Canonis tantum, sicut dixi *verbo Apostasia c.* 4. loquendo de clerico in sacris; sed privilegium fori non amittere, cum semper remaneant obligati superiores ad eum requirendum, & reducendum, ut dixi *verbo Apostasia c.* 3. & quia religiosus non magis amittit privilegium fori, & Canonis, quam clericus in sacris secularis: nam si v. g. bigamus fiat per matrimonium, non amittit clericus in sacris, nec religiosus dicta privilegia; etsi ea amittat clericus in minoribus, ut notat *Sayr. lib. 3. cap. 27. n.* 32. amittit tamen in casu supradicto privilegium exemptionis quoad hoc, ut Episcopus possit contra eum procedere, ut dixi *cap. præc.* Quis autem dicatur incorrigibilis, vide infra *cap.* 12.

CAPUT X.

Religiosi restitutiones, vel legata impedientes, vel sibi ipsis procurantes cum præjudicio aliorum ecclesiasticorum.

I. *CLem. 1. de privil. §. Quibus etiam*, multa sunt religiosis prohibita sub pœnis infra narrandis: inter cetera, ne, dum confectionibus testamentorum intersunt, retrahant testatores a restitutione debita, aut legatis matricibus Ecclesiis faciendis; & ne legata, vel debita, aut male ablata sibi, aut aliis suis religiosis personis, vel conventibus in aliorum præjudicium fieri, vel erogari procurent. Siquid vero præmissorum attentare præsumpserint, per duos menses subjaceant pœnis illis, quæ secundum eorum regulam, vel Constitutiones pro gravibus criminibus eis consueverunt imponi; super quibus, nisi ex gravi necessitate, non valeat dispensari. Prælati autem, siquid ex præmissis excessibus ad eos pervenerit, quoquomodo eum ecclesiasticarum personarum, ecclesiasticorumve locorum præjudicio, si eisdem damnificatis, seu læsis non restituant plenarie intra mensem, ex quo fuerint super hoc requisiti, incurrant ipso facto suspensionis sententiam, usque ad debitam satisfactionem, non obstantibus privilegiis, cujuscunque tenoris existant.

Nota primo, circa illam priorem pœnam, ut attentantes, subjaceant pœnis regulæ, seu Constitutionum &c. licet verbum *Subjaceat* sit, communiter loquendo, latæ sententiæ, ut sæpe dixi, & præsertim *verbo Injuria cap.* 2. tamen quia hic loquitur textus de pœnitentiis, seu pœnis, quæ solent exigere factum superioris, vel subditi; ideo communiter hic intelligitur, ut sit ferendæ sententiæ, ut Paulus ibi, quem sequitur *Cardin. n. 10. vers. Ceterum*.

Nota secundo, quod suspensio contra Prælatos lata, intelligitur ab officio; unde si interim celebret, fiet irregularis, *gloss. ibi, verbo Suspensionis, Cardin. n. 2. & 7.*

Nota tertio, quod ista pœna suspensionis incurritur a Prælatis non in omni casu, quo lucra restitutionum, vel legatorum a suis procurata, ad ipsos, seu ad conventum pervenerint; sed solum quando talia lucra fuerunt procurata injuste, idest, vel quia aliis erant debita, vel dolo, & fraudibus, seu mendaciis, vel detractionibus, aut vi, vel metu, aut precibus importunis; secus vero si blanditiis, vel obsequiis, vel modestis precibus: ita *Genuens. in praxi c. 91. n.* 10. imo etsi odio, vel avaritia diversio fuerit procurata, peccat quidem mortaliter procurans ex prohibitione hujus textus, sed non tenetur Prælatus restituere, ut *Sylv. verbo Restitutio 3. quæst. 12. dict. 3. Armilla verb. Restitutio n. 52. Rosella restit. 10. n. 2. Sanchez opusc. lib. 2. c. 1. dub. 49. n. 28. Vitalin. in dict. Clemen. n.* 55. est communis sententia: facit *lex 1. Cod. Si quis aliquem test. prohib.* contra *Imolam ibi n. 24. Cardin. n. 8. ibi*, qui putant, procedere hanc pœnam, etiamsi ex sola avaritia, vel mala passione procurata sint dicta lucra.

Et amplia priorem communem sententiam, ut procedat etiam de bonis incertorum; quia testator, seu debitor ea potest distribuere in vita, & in morte pro arbitrio suo, cui velit ad pias causas: neque talis restitutio, seu distributio est reservata Episcopo, nisi in defectum executionis, ut de communi praxi, & veriori testatur *Vitalin. ibi n. 56. cum Archid. & Zenzelino*, & *Navarr. c. 17. n.* 92. ait communem.

CAPUT XI.

Religiosus proprietarius.

I. *CAp. Monachi, cap. Cum ad monasterium, cap. Super quodam, de stat. mon.* religiosus proprium habere tempore mortis inventus, in loco sacro sepeliri non debet, sed in sterquilinio cum pecunia per eum possessa, cum illa maledictione, *Pecunia tua tecum sit in perditionem*: et si jam sepultus sit, est extrahendus de loco sacro, si sine gravi scandalo fieri possit.

Nota, quod hæc pœna est imposita juxta antiqua *instituta* monachorum, ut apud *S. Hieron. epist. ad Eustochiam Virginem, S. Greg. lib. 4. dial. c. 55. & S. August. serm. 5. ad fratres in Eremo*, ubi ait, pecuniam in panno colligatam in manibus defuncti ligatis sepeliendam esse.

Additur *in dict. cap. Monachi, §. Qui vero*, ut pro isto proprietario oblatio non fiat, scilicet oblatio, quæ inter missarum solemnia fit, ut dixi *verbo Oblatio cap.* 4.

Limita primo, ut *dict. cap. Monachi*, cum illis duabus pœnis, non habeat locum, quando monachus de hoc peccato pœnitens decessit; si saltem edidit signa contritionis ante mortem, licet morte præventus non potuerit sacramentalem absolutionem obtinere, ut *gloss. in dict. c. Cum ad monasterium, verb. In sterquilinio, Hostien. in dict. c. Monachi, vers. Nec oblatio, & in dict. cap. Cum ad monast. vers. In morte, & ibi Abb. n.* 15. quæ autem sint sufficientia signa contritionis, & qualiter probari debeant, vide *verbo Concubinatus n.* 5.

Limita secundo, quod licet ex citatis locis Sanctorum Patrum nihil esset a monasterio retinendum de tali pecunia: hodie tamen non est necesse cum eo sepelire totam illam pecuniam, sed sufficit partem, ex æquitate, ut de praxi, & veriori testatur *Joan. Andr. in dict. c. Cum ad monasterium, n. 4. Hostien. n. 7. Anchar. n. 10. Abb. n. 15. Barbos. n. 5. Sanch. lib. 7. in decal. c. 20. n. 11. Layman lib. 4. tract. de stat. relig. c. 7. n.* 22. quamvis alii totam sepeliri debere dicant, *Cardin. ibi §. Prohibemus, n. 2. Graff. par. 2. lib. 3. c. 19. n.* 5. quod in rigore juris est verum.

Sed quæres cui applicanda sit pecunia ista: respondeo, si constaret, quod ea esset donata religioso sub ea intentione, ut non monasterio, sed eidem religioso remaneret, tunc danti esset restituenda: si vero absolute donata esset, vel acquisita a religioso proprietario, tametsi superiore, seu regula prohibente, adhuc intelligitur eidem monasterio acquisita, si sit capax bonorum, *Suar. tom. 3. de relig. lib. 8. c. 11. n. 33. & 35.* ubi testatur de communi: si vero constaret, pecuniam esse alienam, domino esset restituenda: quod si dominus ignoretur, eidem monasterio applicari poterit, tanquam bona incertorum; quia possunt applicari locis piis,

Na-

Navarr. cap. 17. *n.* 93. *verf. Per pauperes*, ubi teſtatur de communi ſententia.

II. Religioſus convictus, vel notorie deprehenſus in proprietate, eſt privatus ipſo facto per biennium voce activa, & paſſiva, *Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 2. *de regul. in fin.* Hæc igitur pœna requirit ſententiam declaratoriam criminis, ut *Sanch. n.* 13. *& Layman, ubi ſupra*, cum neceſſe ſit prius, ut conſtet enm eſſe deprehenſum, ſcilicet, ut de eo conſtet, per evidentiam facti, vel per probationem, vel confeſſionem judicialem, ſecuta ſententia declaratoria, vel condemnatoria, *gloſſ. in c. pen.* §. *final. verbo Deprehenſi, de heret.*

Limita utranque pœnam, ut non incurratur, niſi proprietas ſit gravis culpæ, idest, quæ ſit peccatum mortale: unde non procedit in materia levi, *Navar. conſ.* 5. *n.* 13. 14. 17. *de ſtat. mon. Sanchez loco cit. n.* 1. 2. *&* 3. *Roderic. quaſt. regul.* 29. *art.* 10. *tom.* 3.

Limita etiam, quod non dicitur proprietarius, qui aliquid alienat ſine licentia, ſed ſolum qui poſſidet aliquid, ut proprium, ſcilicet ſine ſuperioris licentia competente, *Sanch. n.* 11. *Laym. n.* 22.

☞ *Contrarium ſentit Ludovicus de Ameno* de delict. & pœn. tom. III. tit. 3. §. 1. num. 55. – Siquidem, *ibi*, ſi poſt talem alienationem inconfeſſus, aut non contritus, aut abſque ullo ſigno pœnitentiæ obiit, patet, quod, quia alienando peccavit mortaliter, in peccato mortali deceſſit; & ſic ex dictis *ſupra n.* 38. debet privari ſepultura eccleſiaſtica. Adde, quod licet, qui alienavit, nihil proprii poſſidere actualiter deprehendatur, tamen vivens, ob talem alienationem puniretur pœnis proprietariorum viventi competentibus, puta, privatione vocis, & carcere; ergo dum probatur mortuus in proprietate, dum ſine pœnitentia deceſſit, pœna mortuorum in proprietate puniri debet, & ſic privari ſepultura eccleſiaſtica. – ☜

Item non eſt proprietarius, qui titulo depoſiti detinet ſine licentia ſuperioris, ut *Sanch. lib.* 7. *c.* 19. *n.* 50. *Suar. c.* 11. *n.* 45. eſt autem proprietarius, ſi commodatum detinet ſine licentia ſuperioris, *Sanch. c.* 19. *n.* 49. *& Suar. n.* 42.

III. Religioſum proprietarium eſſe ipſo jure excommunicatum aliqui dicunt *a Sanchez relati loco cit. n.* 14. ſed contraria eſt vera ſententia, quam probat *Sanch. ibi n.* 14. *& Laym. n.* 22. quia nullibi lata reperitur: imo in *dict. c. Monachi*, probatur eſſe excommunicandum.

CAPUT XII.

Religioſorum ejectio illegitima.

I. Religioſus de jure communi legitime ejici poteſt a Religione per ejus Prælatos: primo, quando eſt notorie incorrigibilis, *cap. fin. de ſtat. Monac.* §. *Porro, in fin.* ſecundo, quando ſine gravi infamia Religionis ob ſceleris enormitatem retineri non poteſt: tertio ſecundum aliquorum ſententiam, quando reticuit tempore admiſſionis aliquem defectum impedientem, non tamen irritantem receptionem, unde graviter læſa religio cenſeatur, ita *Roderic. queſt.* 30. *art.* 14. *& ſeqq. tom.* 1. *Leſſ. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 14. *n.* 106. *Sanchez lib.* 6. *c.* 9. *Miranda man. tom.* 1. *quæſt.* 52. *art.* 1. *Laym. lib.* 4. *tract.* 5. *c.* 13. *n.* 1. ſed hanc tertiam cauſam multi non admittunt de jure communi, ut *dixi verbo Profeſſio c.* 3. *n.* 1.

Verum ex decreto Sacræ Congregationis Concilii contra apoſtatas, & ejectos, edito an. 1624. die 21. Sept. quod habetur inter Conſtitutiones Urbani VIII. *n.* 26. *ibi* §. 6. ſtatutum eſt, ut nullus legitime profeſſus a Religione ejici poſſit, niſi ſit vere incorrigibilis; & vere incorrigibilis non cenſeatur, niſi concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris communis diſpoſitione requiruntur (abrogatis quoad hoc Conſtitutionibus ſpecialibus Religionum) ac etiam unius anni ſpatio in jejunio, & pœnitentia in carceribus probetur; & a ſolo Generali poſſit ejici, cum conſilio, & conſenſu ſex Patrum ex gravioribus, eligendis in ſingulis capitulis generalibus, cauſa expulſionis probata, & Ordinario loci expulſionis ſententia notificanda: alias ſuperiores præſumentes ejicere, incurrunt pœnas privationis officiorum, & vocis activæ, & paſſivæ, & inhabilitatis ad illa; & reſervatur diſpenſatio Papæ, privative etiam ad Generalem, & Protectorem: Quando autem dicatur quis incorrigibilis de jure communi, vide *Sanch. lib.* 6. *c.* 9. *n.* 4. *Regnal. lib.* 9. *n.* 351. *Barn. Diaz, in praxi cap.* 142. *n.* 2. *& ibi Salzedo, Rota rec. par.* 1. *deciſ.* 234. *n.* 12. ubi dicitur incorrigibilis qui defendit, culpam non eſſe, ubi culpa eſt, nec monitionibus proficit, nec eſt ſpes melioris frugis.

Limita primo hoc decretum, quod ille annus carceris ſufficit etiam interpolatus, ut *Jaſon. in leg. Si idem cum eodem, n.* 7. *ff. de juriſd. omn. jud.* facit *leg. Paulus* 38. *ff. de lib. cau.* maxime cum hoc requiſitum ſit exorbitans a jure communi: & ideo neque requiri puto jejunium, & pœnitentiam ſemper toto anno perdurare, ſed ſufficere ſi frequenter, ſeu multoties ea peregerit, & illa particula *in jejunio* ſignificat per jejunium &c. ut *gloſſ. in c. Veſtra, verbo In fide de cohab. Cleric. & gl. in leg. penul.* §. *fin. verb. In fraudem, ff. ad l. Falc.* ſicut infirmus perpetuus dicitur etiam is, qui frequenter ſolet infirmari, etiam cum intervallis bonæ valetudinis, *Jo. And. in c.* 1. *de Cler. ægrot. Caputaq. dec.* 240. *num.* 2. *par.* 1. *Buratt. dec.* 778. *num.* 4. *&* 6.

☞ *Ex decreto Cong. peculiariter deputatæ ab Innoc. XII. edita* 24. *Jul.* 1694. Inſtantibus, *innovatum, & reſpective moderatum eſt prædictum Cong. Conc. decretum, ut ſequitur.*

I. – Quod, firmis, ac in ſuo robore ſemper manentibus prædictis decretis de apoſtatis, etiam ſecundum eam partem, ubi agitur de ejectis, & ejiciendis, tamquam Sacris Canonibus, & communiori Sanctorum Patrum menti conformibus, quoad ejectos eadem ſerventur, quæ in alio ſimili decreto, hac præſenti die emanato de apoſtatis, & fugitivis ſtatuta ſunt, & indulta, quoque ad præſcriptam legem ſan. memor. Gregor. IX. in *cap. final. de regul.* annuatim fugitivi requirantur, & reſpective cogantur ad clauſtra reverti.

II. Quod annus integer, qui in prædictis decretis anni 1624. præſcribitur in pœnitentia, & jejunio ad ejiciendos incorrigibiles, ad ſex tantum menſes continuos in poſterum coarctetur, & reſtringatur.

III. Quod facultas Generalibus Ordinum de conſilio, & aſſenſu ſex ex gravioribus religioſis, in ſingulis capitulis, & congregationibus generalibus ad cauſas ejicendorum eligendis attributa, extendatur etiam ad quoſcumque Provinciales: qui electis pariter in congregationibus provincialibus ſex gravibus e propria Provincia religioſis, a Generali confirmandis, de illorum conſilio, & aſſenſu cauſas hujuſmodi cognoſcant, & ad effectum ejiciendi incorrigibiles ſuæ Provinciæ, & ejectionem pronunciandi, accedente approbatione Generalis, ſufficiant, ſalva ſemper Sanctæ Sedis, & Sac. Congreg. Concil. in caſu recurſus, & appellationis, auctoritate.

IV. Quod in poſterum proceſſus conficiantur juxta regulas, Conſtitutiones, & ordinationes, & ſtylum cujuſque Ordinis, & Religionis, donec aliter fuerit a Sac. Congr. proviſum. –

V. *Poſtremo eadem Cong. annuente dicto Innocent. XII.* – ſub interminatione divini judicii, necnon privationis vocis activæ, & paſſivæ, ac dignitatum, & officiorum obtentorum, cum inhabilitate ad eadem in poſterum obtinenda, quibuſcunque prædictorum Ordinum ſuperioribus diſtricte præcipit, & mandat omnia, & ſingula decreta ſan. mem. Clementis VIII. regiſtrata poſt decretum ſan. mem. Urbani VIII. de apoſtatis, & ejectis, *Regulares, Sanctiſſimus, & Nullus*, una cum aliis ſubſequentibus decretis, proviſionibus, ordinationibus, & reſpective moderationibus, bis in anno legi, eadem ad unguem ſervari, pœnas in eiſdem contentas innovari, & capitibus Ordinum intimari. –

Notandum hic cum Bened. XIV. de Synod. diœc. lib. 13. cap. 11. num. 31. edit. Patav. an. 1756. *quod ſi ejectus appellaverit ab ejectionis ſententia, etiam intra terminum a lege præfinitum, non poteſt extra carceres ſua jura experiri, ſed debet ſe in carceribus formalibus ſuæ Religionis conſtituere, ut declaravit S. Cong. Concilii in Licien. ejectionis* 15. *Novemb.* 1698. lib. 98. Decretor. pag. 524. *quam declarationem idem Bened. per extenſum refert loco ſupra cit.* ☜

Limita prædictum decretum, ut non procedat in caſibus a jure expreſſis, quibus præcipit expelli profeſſum a monaſterio: unum hic pono exemplum: ſi monialis profeſſa convertatur in maſculum, quia viri non poſſunt cum monialibus commanere, *cap. Definimus* 18. *q.* 2. & ita in terminis *Portel. de dub. regular. ver. Profeſſio hermaphrod. n.* 9. *queſt.* 4. *& n.* 13. *quæſt. ultim.* ubi addit, tunc dotem expulſo reſtituendam eſſe.

Sed obiter quæri poſſet ſi monialis profeſſa, mutato ſexu, fiat vir, an remaneat profeſſus, ſeu proprie religioſus, vel potius profeſſio irritetur. Ante annos aliquot in facti contingentia de hoc dubitatum fuit in Sacra Pœnitentiaria:

 ali-

aliqui dicebant, professionem validam remanere; quia differentia sexus quoad professionem videtur accidentalis, cum vir, & foemina possint similiter profiteri: imo quod masculus, & foemina solum accidentaliter inter se differant, & quod genitalia viri, ac foeminæ solo situ distinguantur, ut quod masculus habet de foris, foemina contineat intus, tenet Græcorum, & Arabum medicorum sententia, ut *Galenus*, *Aegineta*, *Avicenna*, *Rasius*, *& alii apud Andream Laurentium histor. anatom. lib. 7. q.* 8. & quod foemina sit masculus imperfectus, ait *Sanctus Thom. 1. par. quæst. 99. art. 2. Tiraquell. de legib. connub. par.* 1. *n.* 99. *Benedic. in c. Rainutius, verb. Duas habens filias n.* 524. & quod professio facta a viro in monasterio monialium, habitu foemineo assumpto, & simulato foemineo sexu, sit valida, ita ut teneatur ingredi Religionem virorum, tenet *Specul. Butr. Archidiac. S. Antonin. & Sylv. apud Sanch. in decal. lib.* 5. *c.* 4. *n.* 40. & tenent *Angel. Tabien. & Armilla*, quos allegat, & sequitur *Comitol. respons. lib.* 2. *quæst.* 8. *n.* 5. *Portel. loc. cit. n.* 3. *in addit. quæst.* 4. & ita in casu nostro tenet *Portel. loc. cit. n.* 4. ubi ait, hunc esse cogendum intrare monasterium virorum, scilicet ejusdem regulæ.

Contrariam tamen sententiam sustinebam, scilicet ejus viri professionem irritam esse: in qua sententia similiter erat vir doctissimus, Illustriss. & Reverendiss. D. Clemens Merlinus Sacræ Rotæ Auditor, & S. Pœnitentiariæ Datarius. Movebar, quia differentia sexus est essentiale impedimentum, ac dirimens professionem viri in monasterio monialium, ut dicunt *Navarr. Emm. Sà*, *Henriq. & Manuel*, quos allegat, & sequitur *Sanch. in decal. loco cit. de matrim. lib.* 7. *disput.* 106. *n.* 10. & tenet *Pyrrhus Siculus in Thesauro Religiosorum, lib.* 1. *quæst.* 229. *& gloss. in c. Tuarum, verb. Signatos, de priv. & ibi Host.* itemque *Hugo, Los. & Bern. apud Archid. in c. Quod interrogasti, 27. dist.* & præsertim procedit in professione expressa; quia tunc non censetur, se voluisse obligare, nisi illi Religioni, seu monasterio; in quo casu professionem viri inter moniales irritam fatentur *Bartol. Brixien.* quem allegat, & sequitur *Jo. Andr. in d. c. Tuam*, *Gemin. in dict. c. Quod interrogasti n.* 7. cum ergo non valeat professio viri in monasterio monialium, sequitur etiam, irritari professionem monialis in virum mutatæ; quia professio redacta est ad casum, a quo incipere non potest, nec esse; ut per *Bal. in leg. Si Gaudentius, Cod. de contr. empt.* quia mutatio materiæ professionis illius facta est; sicut matrimonium carnale, etiam consummatum, dirimitur, si mulier fiat vir, *Majol. lib.* 1. *c.* 17. *n.* 6. imo dicebam in casu isto fuisse ab initio professionem viri inter moniales; quia anatomistæ demonstrant, conversionem sexus foeminei in masculinum naturaliter impossibilem esse, cum genitalia maris, ac foeminæ differant forma, structura, & nervorum numero &c. ideoque dicunt, in tali casu mutationem non fuisse veram, sed virilia (quæ vel ob defectum caloris, vel propter obstaculum alicujus membranæ latebant intus) procedente tempore, aucto calore, vel ex aliquo conatu, vel copula conjugali, fracta membrana, foras prodiisse; & hanc veram esse sententiam, & contrariam medicorum, ut supra, erroneam probat *Andr. Laurent. loc. cit.* & tenet *Martin. Delrio Magicar. disquis. lib.* 2. *quæst.* 22. *col. ult.* præterea DD. qui dicunt, professionem viri inter moniales valere, loquuntur, quando sic scienter profitetur; sed secus dicendum est, quando erravit in sexu suo, vel quando ex post facto vere sexum mutasset, juxta sententiam medicorum supradictam; quia censetur utrobique defuisse consensus profitentis, cujus defectus irritat professionem, ut Canonistæ in *dict. cap. Tuarum, & Sanchez lib.* 5. *c.* 4. *n.* 82. *in decal.*

Atque ita in terminis nostris, quod mutatione ista professio irritetur, & omnino ab omni voti obligatione liberetur, ut possit etiam matrimonium contrahere, tenet *Torreblanc. practicab. lib.* 3. *c.* 11. *n.* 13. *Texeda controv. mor. lib.* 1. *tract.* 1. *contr.* 8. *dub.* 1. *n.* 18. *Diana resol.* 49. *tract.* 14. *par.* 5. & sic apparet, hanc esse magis communem sententiam.

In hac tamen controversia, & opinionum conflictu sacra Pœnitentiaria, tutius censuit nihil decernere: illud est certum, hujusmodi hominem remanere perpetuo irregularem, a solo Papa dispensabilem, propter indecentiam, & monstruositatem, *Majol. lib.* 1. *cap.* 33. *n.* 13.

Quæres cui acquirantur bona a religioso expulso delata, vel quæsita: respondeo primo, quod dum manet expulsus, non intrans aliam Religionem, habet administrationem bonorum, quæ sua industria acquirit in vita, *Bonac. de larg. mun. pun.* 2. *num.* 11. in morte vero illius ea bona de jure communi deferuntur Episcopo, ut ea applicet in bonum diœcesis: sed in locis, in quibus Camera spolium facit, Cameræ devolvuntur, *Bonac. de clauf., quæst.* 2. *in fin.* §. 7. bona autem per monachum acquisita ante ejectionem, remanent eidem monasterio: quod procedit etiam de dote monialis expulsæ, & in aliud monasterium translatæ ad pœnitentiam agendam: quo tamen casu alimenta præstari debent a primo monasterio in secundo, hæc tradit *Rota par.* 2. *recent. decis.* 109. *et* 115.

CAPUT XIII.

Religiosi legitime ejecti, emendationem non procurantes.

I. Religiosus legitime ejectus ob ejus culpam, scilicet incorrigibilitatem, secundum magis communem sententiam, & veriorem, tenetur se emendare, & procurare, ut denuo recipiatur, *Sanch. lib.* 6. *in decal. c.* 9. *n.* 25. & de magis communi testatur *Laym. lib.* 4. *tract.* 5. *c.* 13. *num.* 6. quamvis alii negent, ad hæc teneri: vide apud *Dianam resol.* 60. *tract.* 2. *tom.* 2. quorum sententiam veram æstimo tantum in illo casu, quando ob depravatos mores suos, vel naturalem ferociam, ejectus de futura emendatiori vita diffideret.

II. Religiosus ejectus tenetur incedere in habitu clericali, & Ordinarii jurisdictioni, & obedientiæ subesse, ut patet ex decreto S. Congregationis Conc. quod habetur in *Constit.* 26. *Urbani VIII. in Bullario*, §. 7. An autem ipse teneatur consignare se eidem Ordinario, alii affirmant, alij negant apud *Dianam resol.* 60. *et* 116. *tract.* 2. *tom.* 2. certe superiori ipse tenetur notificare expulsionem Ordinario, ut supra dixi, ex decreto S. Congregationis: deinde æstimo, eum se debere consignare, ut ex ejus directione vitam instituat, propter decretum supradictum.

III. Religiosus expulsus remanet obligatus servare vota tria essentialia Religionis: quoad alias autem regulares observationes, secundum probabiliorem liber manet, *Sanch. lib.* 6. *c.* 9. *n.* 52. & plures apud *Dianam resol.* 60. *et resol.* 116. *tractat.* 2. *tom.* 2. de votis autem simplicibus, vel solemnibus annexis professioni, seu Religioni illi, dixi *supra cap.* 4. *n.* 13.

IV. Religiosus ejectus poterit secundum aliquos ex *jure* communi obligari ad intrandam aliquam aliam Religionem, *Sanch. n.* 43. *Laym. c.* 13. *n.* 9. sed contrarium alii tenent, quos *Diana* sequitur *resol.* 116. *loc. cit.* verum hodie ex *Decreto supra citato S. Congreg. Conc.* § 9. statutum est, ut superiores ejicientes, nemini ex religiosis expulsis litteras testimoniales concedant, illos ad Sedem Apostolicam rejicientes, vel jubentes aliam ingredi Religionem.

V. Religiosus ejectus, irregularis sæpe efficitur, non præcise propter actum ejectionis, sed ratione infamiæ juris ex delicto, ratione cujus ejectus est: & ita *Sanch. in decal. lib.* 6. *c.* 9. *n.* 59. *et in opusc. lib.* 7. *c.* 1. *dub.* 24. potest autem super ea irregularitate, & infamia dispensari, vel a Papa, vel saltem ab Episcopo, si crimen sit non gravius adulterio, pœnitentia, vel illius parte peracta, juxta *cap. At si clerici*, §. *De adulteriis, de judiciis, et ibi Canonistæ*: sed & ante ejectionem potuisset dispensari a suo Prælato, juxta distinctionem prædictam, *cap. At si Clerici*, & ita *Sanch. in opusc. loc. cit.* & alii apud *Dianam resol.* 116. *cit.*

VI. Sed hodie ex *decreta supracit. S. Congregationis* §. 10. ejecti a Religione, extra Religionem degentes sunt perpetuo suspensi ab exercitio ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, vel moderandi, & sic dispensatio Papæ reservatur: unde patet, quod si iste ejectus aliam intret Religionem, vel ad suam revertatur, eo ipso cessabit ista suspensio, *Bonac. de censur. in partic. disput.* 3. *quæst.* 8. *punct.* 12. *n.* 3. Non puto, hanc suspensionem procedere contra eos, qui ante hoc decretum ejecti erant; quia licet ejectio hujusmodi habeat tractum successivum, tamen lex subsequens non extenditur ad præterita, neque ad præsentia, quæ habent cum præteritis connexionem, seu dependentiam, *Rota divers. decis.* 818. *par.* 3. & lex dispositiva de futuris tantum actionibus intelligitur, *Bart. in leg. Cum lex, ff. de legib.*

Hæc, quæ de ejectis dicta sunt, non procedunt in iis, qui non professi solemniter, a Societate JESU liberi dimittuntur, ut patet ex ejus privilegiis, & Constitutionibus.

☞ *Juste ejectus, non habet actionem petendi a Religione ali-*

alimenta, *ut probat Bened. XIV.* lib. XIII. de Syn. diœc. cap. 11. n. 25. *licet sit Societatis Jesu*, *& promotus fuerit post emissa vota simplicia ad sacros*, *etiam presbyteratus*, *ordines*, *ex Constitut. Bened. XIII.* Injuncti 14. *Jun.* 1728. *qui tamen*, *idest ejectus a S. Societate*, *non redditur inhabilis*, *ut ejecti post admissionem ad vota solemnia*, *ad ecclesiastica munia obeunda*, *& beneficia assequenda ex decreto Cong. Conc.* 31. *Februarii* 1662. *relato a Bened. XIV. loc. cit. n.* 21. ☜

CAPUT XIV.

Religiosos suos ejectos, *vel fugitivos Prælati non requirentes*, *ut redeant*, *vel eosdem emendatos non recipientes.*

EX *cap. fin. de Regular.* religiosi ejecti, & fugitivi a suis superioribus localibus, & a præsidentibus in capitulis provincialibus singulis annis solicite requirendi sunt; & si recipi possunt in monasteriis suis secundum ordinem regularem, superiores locales sunt ad id, monitione prævia, per censuras ecclesiasticas compellendi, salva Ordinis disciplina, imposita scilicet eis pœnitentia juxta regulam: quod si regularis Ordo non patiatur eos intra monasteria recipi, provideant iidem præsidentes, Apostolica auctoritate delegata, ut apud eadem sua monasteria, vel alibi saltem in locis competentibus ejusdem Ordinis ad agendam pœnitentiam detrudantur, & eis vitæ necessaria ministrentur: quod si dictos ejectos, vel fugitivos inobedientes invenerint, ut redire nolint, eos excommunicent, & tamdiu eos faciant a Prælatis Ecclesiarum excommunicatos denuntiari, donec revertantur ad obedientiam.

Nota, quod aliqui Doctores intelligunt hunc textum, ut loquatur de injuste ejectis, vel fugitivis: nam legitime ejectos putant, non esse necessario requirendos, cum sententia transierit in rem judicatam, ita *Roderic. Navar. & Azor. apud Sanch. in decal. lib. 6. c. 9. n.* 17. alii dicunt, etiam legitime ejectos esse reducendos; si tamen Religio potest illos recipere sine suo gravi detrimento, & scandalo, & quatenus sit spes emendationis: ita *Sanch. n.* 32. *Laym. lib.* 4. *tract. de stat. relig. c.* 13. *n.* 7. dicunt tamen, hanc Constitutionem, quoad legitime ejectos fuisse consuetudine contraria abrogatam, seu abolitam, ita *Sanch. ibi n.* 18. *& Azor. tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 17. *quæst.* 1.

Verum S. Congregatio Conc. decreto edito *de apostatis*, *& fugitivis*, *& ejectis*, quod habetur in Bullario Constitut. 26. SS. D. N. Papæ Urbani VIII. §. 11. auctoritate ejusdem Summi Pontificis innovavit dictam decretalem Greg. IX. *in dict. c. fin.* præterea declaravit, eam Constitutionem in iis quoque vindicare sibi locum, & servandam esse, qui juste, & definitive, ac juris ordine servato, expulsi fuerint; dummodo tamen in expulsis hujusmodi subsit spes evidens emendationis, ex litteris saltem testimonialibus Ordinarii: cujus conscientiam in his litteris concedendis S. Congregatio serio oneravit: & in fine dicti decreti §. 13. statuit, ut si quis contra tale decretum aliquid facere, vel moliri præsumpserit, incurrat ipso facto pœnam privationis officiorum, & vocis activæ, & passivæ, & perpetuæ inhabilitatis: & reservat dispensationem Papæ privative ad superiores Regularium, etiam Generales, & Protectores: ad hunc autem finem idem D. Noster Urbanus VIII. erigi fecit ergastulum pro religiosis, qui intra monasteria, seu domos regulares custodiri non poterant competenter.

CAPUT XV.

Religiosorum electiones.

Vide *verbo Electio.*

☞ CAPUT XVI.

Religionis ingressum impedientium pœna.

NUlla in jure communi, aut Apostolicis Constitutionibus reperitur inflicta pœna contra impedientes masculis Religionis ingressum, *sumpta Religione*, *prout complectitur quoscunque Ordines regulares*, *cum Conc. Trident.* cap. 18. sess. 25. de Regular. *excommunicationem ipso facto incurrendam inflixerit contra impedientes dumtaxat fœminas velum sumere*, *aut professionem emittere*: *quamvis controversia sit inter Doctores*, *ut dixi supra in Additione ad cap. I. verbo* Monialis, *an etiam hæc pœna extendatur ad impedientes viros*: *verum ex Constitutione Eugenii IV. Kalen. Martii* 1434. *quam citat Ludovicus de Ameno* tom. III. de delict. & pœn. tit. 5. §. 9. n. 1. *impedientes aliquem verberibus*, *minis*, *violentiis*, *injuriis*, *aut molestiis ingredi Religionem S. Benedicti*, *incurrunt excommunicationem*, *Papæ reservatam*: *sicuti & eam ipso facto incurrunt ex Constit. Julii II.* Etsi ad universos 4. *Jun.* 1507. *simili modo impedientes aliquem ingredi Religionem Congregationis Olivetanæ*, *si post notitiam hujus Constit. & pœnæ* (*ita se declarat Pontifex*) *ab hujusmodi impedimento non destiterint.*

Eamdem excommunicationem opinatur de Ameno loc. cit. *incurrere impedientes ingressum in quemcunque alium regularem Ordinem*, *gaudentem participatione privilegiorum Ordinis S. Benedicti*; *prout & Congregationis Olivetanæ*, *juxta notata a* Clemente *Piselli in collectione censurarum post* par. 3. summæ Theologiæ Moral. *sed cum ex vulgatissima generali regula*, *de casu ad casum non expressum in pœnalibus non sit facienda illatio*, *etiam ex identitate rationis*, *non crederem*, *hos tali censura ligari.* ☜

☞ CAPUT XVII.

Religiosi promoti ad ecclesiasticam dignitatem extra Ordinem, *secum asportantes res suo usui concessas*, *pœna.*

EX *Constit. Bened. XIII.* Postulat 7. *Mar.* 1725. *interdicitur quibuscunque Regularibus ad quamcunque ecclesiasticam dignitatem extra suum Ordinem assumptis*, *secum asportare*, *propriisque usibus applicare* — Libros, pecunias, credita, deposita, & bona mobilia, seu immobilia cujuscunque generis, & speciei, quæ eos tempore suæ promotionis penes se, vel alios habere contigerit, exceptis dumtaxat scriptis, propriis indumentis, & breviario; sed ea omnia statim ac suæ promotioni consenserint, & antequam consecrationis munus suscipiant, superiori locali, & capitulo cœnobii, conventus, aut domus, ubi degunt, integra, & intacta absque ulla prorsus diminutione, cum eorum notula, seu inventario, bona fide confecto, resignare teneantur, ut illi postmodum cœnobio, conventui, vel domui applicari possint, ac debeant, cui juxta Constitutiones, & consuetudines cujusque Ordinis, congregationis, ac instituti applicanda esse constiterit. Quod si secus fecerint, & huic Nostræ ordinationi non obtemperare præsumpserint, contrafacientes, ultra pœnam suspensionis ab exercitio pontificalis ministerii in præfat. Clem. IV. litteris constitutam, suspensionis insuper a divinis pœnam ipso facto incurrant — *Papæ reservatam*; *sublata etiam Majori Pœnitentiario eam relaxandi facultate*: *& dictarum rerum usum nec ad tempus superiores concedere possunt.* ☜

☞ CAPUT XVIII.

Religiosi ad episcopatum, *vel cardinalatum promoti*, *habitum sui monastici Ordinis non deferentis pœna.*

IN *cap.* Clerici 15. de vita, & honestate Clericor. *statuitur*, *ut monachi ad pontificalem dignitatem promoti*, *deferre debeant habitum monachalem*: *nulla autem ibi inflicta est pœna in contrafacientes. In Constit. tamen Bened. XIII.* Custodes 7. *Mar.* 1725. *iisdem Regularibus tam ad episcopatum*, *quam ad cardinalatum evectis præcipitur in virtute S. Obedientiæ sub pœna suspensionis ab exercitio pontificalium*, *ipso facto incurrenda*, *Papæ reservata*, *ut* — singulis suæ regulæ officiis, & obligationibus, quæ pontificale, sive cujuscunque alterius dignitatis, aut cardinalatus officium minime impediant, perpetuo subsint: & proinde sui monastici Ordinis, seu alterius regulæ Mendicantium, insignia, & propria indumenta lanea, suoque peculiari colore distincta; rasilem quoque ad cutis planitiem in summo vertice, vel in giro, & forma expressam coronam præseferant, quibus antea intra eorundem regularium Ordinum claustra militabant. —

Vide Auctorem cap. 2. *verbo* — Habitus — *in fine pag.* 139.

Nota, *quod ab hac vestiendi lege eximuntur Clerici Regulares*, *cum eorum Ordinum habitus idem revera sit cum habitu presbyterorum secularium*, *ut animadvertit Bened. XIV. in epistola decret. ad Joachinum Cardinalem Portocarrero* 13. *Octobris* 1745. *sicuti & Canonici Regulares ex privilegio Leonis X. Constit.* 34.

Præcipitur ulterius in cit. Constit. — Custodes — *ut dimisso episcopatu, seu quacunque alia dignitate, ad quam evecti fuerunt, vel perfuncti munere, sibi extra claustra commisso, ad eadem claustra redire teneantur sub pœna privationis usus pontificalium: & si permanserint in contumacia non redeundi ad claustra, post annum sint eo ipso suspensi a divinis.* ☚

☞ CAPUT XIX.

Religiosi Ordinum Mendicantium, & parochi Germaniæ non servantes concordiam inter se statutam.

Vide caput I. verbo Parochus *pag.* 238. ☚

☞ CAPUT XX.

Religiosi ex Insulis Philippinis, sive ex quibuslibet Indiarum occidentalium partibus se ad Provincias Japponias, aut illis proxime adjacentes, & finitimas regiones transferentes.

EX *Constit. Clem. VIII.* Onerosa pastoralis 12. *Decem.* 1600. *prohibentur se eo transferre vigore quorumcunque privilegiorum, hactenus sibi concessorum, vel concedendorum, etiam cum facultate prædicandi verbum Dei per universum mundum sub pœnis excommunicationis Papæ reservatæ, privationisque vocis activæ, & passivæ, ac dignitatum, administrationum, & officiorum quorumcunque, necnon inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ac exercenda, ipso facto, & absque alia declaratione incurrendis, si in iisdem privilegiis facta non fuerit specialis specifica, & expressa mentio de hujusmodi prohibitione eis facta, cum sufficienti derogatione: siqui vero secus se eo transtulerint, postquam moniti fuerint, statim sub iisdem pœnis, omni mora, & excusatione cessante, ad dictas Insulas Philippinas, vel alias partes Indiarum occidentalium reverti, & redire omnino tenentur.* ☚

☞ CAPUT XXI.

Religiosi se transferentes ad partes transmarinas sine licentia.

EX *Extravaganti* 2. Joann. XXII. *inter Commun.* Ad nostrum, de Regularibus &c. *incurrunt excommunicationem, Papæ reservatam, si sine superioris licentia in scriptis, se ad dictas partes, in quibus pauci fideles respectu infidelium commorantur, transferre præsumant, prædicationis causa; sicuti & superiores impertiri præsumentes hujusmodi licentiam suis religiosis non litteratis, providis, & expertis. Religiosi autem sine dicta licentia se illuc transferentes, puniri possunt a locorum Ordinariis tanquam apostatæ; ac insuper tanquam subditi proprii juxta canonum statuta pœnis debitis castigari, non obstantibus dicta licentia, & quibuscunque privilegiis* — si eos — *iidem Ordinarii* — approbare, quæ Sedes Apostolica reprobavit, vel quæ alias sunt fidei obvia in suis prædicationibus, seu secretis collocutionibus dogmatizare præsenserint. —

Hodie tamen, non sufficeret superioris licentia; cum cuique prohibitum sit accedere ad partes hæreticorum, & infidelium pro obeundis missionibus sine licentia Sedis Apostolicæ, ut asserit Card. Petra in commentar. ad Constit. 13. *Innoc. IV.* sect. unic. n. 11. *Præterea, quamvis superior regularis impertiri posset licentiam subdito degendi extra claustra ad breve aliquod tempus (puta ad duos, vel tres menses, ut praxis est) non tamen ad longum, cum ex Constit. Clem. VIII.* Nullus omnino 20. *Mar.* 1601. §. 19. *hujusmodi facultates concedi nequeant, nisi ex causa urgentissima, a Sede Apostolica approbanda.* ☚

CAPUT I.

Reliquias Sanctorum de loculis extrahentes, vel distrahentes, vel testimonium facientes de iisdem.

IN *c. Corpore de consecr. dist.* 1. Sanctorum corpora, perpetuæ sepulturæ tradita, non possunt erui, & transferri sine licentia Papæ, aut Episcopi, aut Synodi, aut capituli canonicorum, excepta necessitate incendii, vel reparationis, vel mutationis altaris. Tractant *Sanch. lib.* 2. *in decal. cap.* 43. *n.* 25. *Layman lib.* 4. *tract.* 7. *de Festor. observ. cap.* 5. *n.* 17. *Genuens. in praxi cap.* 56. *n.* 1. & 2.

Reliquias Sanctorum hodie, si laici tangant reverenter, non censetur peccatum, secundum multorum recentiorum sententiam: eas tamen publice in processionibus gestare, illis, ac etiam clericis in minoribus vetitum est, *Sanch. in decal. lib.* 2. *cap. ult. n.* 26. *Laym. de Missa c.* 6. *n.* 21.

I. Fures, & raptores Reliquiarum Sanctorum incurrere excommnoicationem minorem; & ideo negandam eis communionem: & ter admonitos, nisi satisfecerint, excommunicatione majori puniendos, ait *Azor. tom.* 1. *lib.* 9. *c.* 8. *quæst.* 10. *per cap. Quisquis inventus*, §. *Si quis domum* 17. *quæst.* 4. sed contra *Sanch. n.* 24. ait, hanc excommunicationem minorem in tali casu hodie non esse in usu, & solum incurri majorem, quando furtum Reliqniarum fieret cum effractione, dicam infra *verbo Sacrilegium cap.* 5.

II. In *leg. Nemo Martyres*, *Cod. de sacr. Eccles. c. Cum ex eo, de Reliquiis*, prohibetur venditio, & emptio sacrarum Reliqniarum, Sanctorumque Corporum; & est peccatum simoniæ: nulla tamen adest pœna latæ sententiæ in dictis juribus, nisi quando Reliquiæ, seu Corpora sunt alicujus loci ecclesiastici; nam tunc incurrunt vendentes, seu aliter alienantes, & recipientes excommunicationem latam in *Extrav. Ambitiosæ, de rebus Eccles. non alien.* quia sunt res mobiles pretiosæ: & ita *Genuens. in praxi c.* 56. *n.* 4. & 6.

Limita, ut licitum sit de manibus infidelium, & hæreticorum eas redimere; *Sanch. loc. cit. n.* 22.

Similiter simoniæ peccatum est, exponere, seu ostendere Reliqnias Sanctorum, accepto pretio, seu causa quæstus, *c. fin. de Reliq. Trident. sess.* 25. *in decreto de invoc. Sanctorum*, *Sanch. n.* 22. sed nulla adest pœna latæ sententiæ.

III. Edicto Vicarii Urbis Romæ, edito de mandato Pauli V. *an.* 1613. *die* 24. *Aug.* cautum est, ne quis audeat, vel præsumat, vel possit intrare in aliquam ex criptis, catacumbis, vel cœmeteriis intra, vel extra Urbem Romam, neque ab illis extrahere Reliquias, etiam in minima particula, neque ad id præstare auxilium, vel favorem, sub pœna triremium, & aliis arbitrio Vicarii, ipso facto incurrendis, & excommooicationis latæ sententiæ: & revocat omnes licentias in scriptis concessas, easque in futurum, si concedantur, irritas declarat: & extendit dictas *pœnas*, & censuram ad omnes, ad quorum instantiam fiet extractio, aut attentata fuerit, & ad complices, & ad recipientes scienter Reliquias illicite extractas, ut supra: & absolutio dictarum pœnarum Papæ reservatur: Regulares autem ultra dictas pœnas incurrant ipso facto privationem vocis activæ, & passivæ, & inhabilitatem ad dignitates, & gubernationes suæ Religionis; & dispensatio, & rehabilitatio Papæ reservatur: tractat *Bonac. de censur. in partic. disput.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 13. §. *Incidens*.

IV. Ex Brevi ejusdem Pauli V. promulgato edicto Cardinalis Millini, Vicarii Urbis *an.* 1614. *die* 16. *Maji*, statutum est, ut nullus vigore licentiarum a Papa vivæ vocis oraculo ante duos menses proximos concessarum, possit Reliquias extrahere de Ecclesiis, monasteriis, locis piis, cœmeteriis, vel cryptis, intra, vel extra Urbem: alias incurrat excommunicationem ipso facto, Papæ reservatam; eamque extendit contra eos, qui curam habent, seu gubernationem dictarum Ecclesiarum, vel locorum, si permiserint, seu consenserint extractioni.

V. Ex eodem edicto Cardinalis Millini Vicarii, de mandato Pauli V. prohibitum est, ne quis secularis, aut regularis fidem ullam, aut testimonium, seu instrumentum, seu scripturam publicam, vel privatam faciat extractionis, donationis, consignationis, translationis, aut alterius contractus, aut scripturæ, ubi fiat mentio Reliquiarum, nisi cum licentia in scriptis ejusdem Vicarii Urbis, non suffragante quacunque Sedis Apostolicæ licentia, aliter emanata: & transgressoribus ibidem statutæ sunt pœnæ, scilicet dominis officiorum, pœnæ privationis officiorum; notariis autem, & substitutis pœna 500. scutorum: & has pœnas decernit incurri ipso facto: religiosis autem sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ in perpetuum, & exilii ab omni statu Ecclesiæ Romanæ. Sed hæ pœnæ non videntur, quoad religiosos, ipso facto incurrendæ, ut patet ex verbis banni, & pœna privationis officii non ligat ante declaratoriam, ut dixi *parte* 1. *c.* 38. idem est de pœna illa pecuniaria, ut dixi *par.* 1. *cap.* 37.

VI. Con-

VI. Contra furantes Reliquias de locis sacris extra Urbem Romam, ejusque suburbia, ut supra, nulla est censura, vel pœna latæ sententiæ, ut testatur *Sanch. lib. 2. c. 43. n. 24. in decal. Bonac. in decal. super primo præcepto, quæst. 1. punct. 4. n. 9.*

Limita, nisi interveniat effractio loci sacri, ut *Suar. disp. 22. de censur. sect. 2. n. 9.* de qua re dicam *verbo Sacrilegium c. 1. & 3.* quamvis autem *Barbos. de potest. Episc. alleg. 50. n. 158.* referat excommunicationem latam a Greg. XIII. in Bulla quadam *Pontificiæ solicitudinis*, contra transferentes Reliquias de loco sacro ad Provinciam Mediolanensem, vel de una ad aliam Ecclesiam, seu locum sacrum, & contra concedentes aliquam particulam ex eis, & contra accipientes: tamen dictam Constit. in nullo Bullario reperi; ideo æstimo, fuisse aliquod edictum temporale.

CAPUT I.

Repræsaliis abutentes contra ecclesiasticos.

I. C*Ap. un. de injur. in 6.* prohibitum est concedere repræsalias contra personas ecclesiasticas, seu bona ipsorum, aut concessas, etiam generaliter, extendere contra prædictas personas, & bona, etiam prætextu cujusvis consuetudinis, idest corruptelæ, seu abusus.

Amplia, ut repræsaliæ sint illicitæ contra ecclesiasticos, etiamsi offensa illa sit facta ab ecclesiasticis, ratione cujus sunt concessæ: nam alii ecclesiastici non possunt gravari, ut de communi Canonistarum testatur *Bossius tit. de injur. n. 36. cum Jo. de Lignano tract. de repræs. cap. 37.* & tenent *Archid. & Franc. in dict. cap. un.*

Additur *in dict. cap. un.* quod siqui contra fecerint, repræsalias concedendo, vel extendendo, ut supra, nisi præsumptionem hujusmodi revocaverint a concessionis, vel extensionis tempore intra mensem, si personæ singulares fuerint, sententiam excommunicationis incurrant; si vero universitas, ecclesiastico subjaceat interdicto.

Advertendum primo, quod aliqui dicunt, has pœnas incurri etiam ante finem mensis assignati, quando res non est integra, idest, quando jam facta est executio, seu captæ personæ, vel bona prædicta, ut tunc revocatio intra mensem non relevet: ita *gloss. ibi verbo Mense, ibi Gemin. & Franc.* & hanc communem dicit *Marius Alter. disp. 12. de interd. cap. 1. §. Tertio animadvertendum:* sed alii dicunt, etiam facta executione non incurri, nisi si per mensem non revocaverit præsumptionem, scilicet, & verbis contrario decreto, & factis, idest restitutione: ita tenet *Marius loco cit. Filiuc. tr. 14. n. 66. Bonac. disp. 2. quæst. 2. pun. 22. n. 4. de censur. dis. 23. sect. 4. n. 50.*

Advertendum secundo, quod non procedit hæc decretalis, quando bona ejusdem clerici debitoris, aut persona, in alia diœcesi, de mandato judicis ecclesiastici loci illius, juris ordine servato, caperentur a creditore: quia tunc non dicuntur repræsaliæ: nam repræsaliæ sunt, cum unus gravatur pro alio de diverso dominio: ita de communi testatur *Sayr. de censur. lib. 3. cap. 34. n. 23. Villalob. commun. opin. §. Repræsaliæ, n. 3. Camillus Borellus ad Bellugam in Speculo rub. 11. §. Jam supra, versic. Erga clericos.*

Adverte tertio, quod hæc excommunicatio, & interdictum non sunt reservata Papæ, ut patet ex textu.

CAPUT II.

Repræsalias concedens, vel bellum inferens, diffidatione non præcedente.

INfamiam juris ipso facto incurrit bellum inferens alicui Principi, seu populo, nulla diffidatione, seu monitione præmissa, ex Constit. imperiali, quam refert Guido Papa *decis. 191.* & consequenter talis fit irregularis: hæc autem similiter dicenda sunt de Principe, concedente repræsalias sine monitione prævia; quia repræsaliæ sunt species belli: unde is tantum repræsalias concedere potest, qui bellum indicere potest; *Covar. regul. peccatum, par. 2. §. 9. n. 9. Camillus Borell. ad Bellugam in speculo rub. 11. §. Jam supra, colum. ult. Franciscus Marcus decis. 769. n. 6. vol. 1.* idest, si habet merum, & mixtum imperium, *Menoch. de arbitrar. casu 527. n. 22.* & solum possunt concedi repræsaliæ, monitione præmissa cum comminatione de repræsaliis concedendis, *Menoch. n. 14.*

Nota, quod quando repræsaliæ factæ sunt injuste, tunc is, cujus bona capta sunt, non potest agere contra eum, cujus causa repræsaliæ concessæ sunt, scilicet, si ipse non fuit culpabilis, aut non legitime concessæ, ut supra: alias damnum passus potest agere contra eum, qui causa fuit, ut repræsaliæ concederentur, *Jas. in leg. 2. §. Item si n. 23. & 24. Seraph. decis. 453. n. 2. & 3.* & tenebitur ad restitutionem rei, seu interesse intrinsecum ratione damnorum; *Rota par. 1. divers. decis. 511. num. 2. Bar. in leg. Nam, & servius ff. de neg. gest.*

CAPUT I.

Residentiam Episcopi non facientes, & Coepiscopi eos non denuntiantes.

NOta, quod residere, est habitare, idest, in loco manere, animo inde non recedendi: unde si Episcopus alibi habeat officium perpetuum, obligans ad personalem residentiam, etiamsi aliquoties discurrat ad suam diœcesim, & ibi functiones faciat episcopales, inde tamen brevi intendens recedere, non dicetur tunc residens in diœcesi, neque habebit jura, & privilegia, competentia Episcopo residenti, ita *Rota part. 2. recent. decis. 64. n. 3. & 4. per leg. 1. §. Habitare ff. de his, qui dejec. leg. Postliminii, §. c. ff. de c. Facit leg. Juris peritus, ff. de excus. tut.* sicut e contra ad modicum tempus recedens, adhuc dicitur residere, regulariter loquendo, ut *Rota par. 2. recen. decis. 113. n. 4.* nisi aliud sit specialiter jure cautum, ut infra dicam.

I. Trident. *sess. 6. c. 1.* statuit, ut Episcopi, eisque majores Prælati, quacunque dignitate fulgeant, si justa, & rationabili causa cessante, sex mensibus continuis extra suam diœcesim morando abfuerint, quartæ partis fructuum unius anni fabricæ Ecclesiæ, & pauperibus loci, per superiorem ecclesiasticum applicandorum pœnam ipso jure incurrant: quod si per alios sex menses absentes perseveraverint, aliam partem quartam fructuum, similiter applicandam, eo ipso amittant: crescente vero contumacia, Metropolitanus, Suffraganeos absentes, Metropolitanum Suffraganeus Episcopos, antiquior residens, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda, intra tres menses per litteras, vel nuncium Papæ denunciare teneatur puniendos: qualiter autem sit intelligenda hæc privatio partis fructuum, dicam *cap. seq.*

II. Trident. *sess. 23. c. 1. de ref.* declaravit, supradictum decretum, & residendi obligationem comprehendere etiam Episcopos Cardinales S. R. E. item non fuisse mentem Sacri Concilii per verba supradicta concedere, ut abesse possint spatio quinque mensium: sed excusari solum a residentia ad breve tempus ob modicitatem materiæ, etiam absque alia licentia, dummodo hoc absentiæ spatium singulis annis, sive continuum, sive interruptum, duos, aut tres menses non excedat, & fiat ex causa rationabili, & absque gregis detrimento: majori autem spatio abesse non possint, nisi cum christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, & reipublicæ utilitas exigit; sed hujusmodi justas causas absentiæ approbandas tunc esse a Papa, vel Metropolitano, vel, eo absente, a Suffraganeo antiquiore residente, in scriptis; nisi cum absentia contigerit propter aliquod munus, & reip. officium episcopatibus ipsorum adjunctum: tunc enim non erit necesse, eas causas significari Metropolitano &c. ut supra.

☞ *Circa trimestrem absentiam attendenda sunt decreta, condita ab Urb. VIII. & ab ejus. Successoribus approbata, de quibus testatur Bened. XIV. Constitut.* Ad universæ 3. *Nonas Sept.* 1746. §. Cum vero *de Episcoporum residentia ibi* – Cujusmodi sunt (*dicta decreta*) non licere, trimestrem absentiam prædictam conjungere, sive cum eo tempore, quo permittitur Episcopis post suam promotionem in Urbe commorari, sive cum eo, quod ad peragendam sacrorum Liminum visitationem eisdem concessum fuit: neque fas esse, absentiæ tempora ita disponere, ut tres postremi menses unius anni continuentur cum tribus prioribus mensibus anni subsequentis. Sicut etiam vetitum est, prædictos menses conjungere cum eo anni tempore, quo propter æris insalubritatem, alicui Episcopo permittitur, extra diœcesim degere; ne scilicet continuatis absentiæ temporibus, vernos simul, & æstivos menses, sive æstivos una cum autumnalibus, extra diœcesim duci contingat. Denique, ne quis indulgentia Sacri Concilii per fraudem abuti posset, de-

claratum fuit, prædictam trium mensium vacationem intra cujusque anni limites coerceri, ut qui uno anno usus ea non fuerit, non ideo sequenti anno diutius ab Ecclesia sua abesse valeat. — ☜

Deinde addit, quod qui abfuerit contra hujus decreti dispositionem, præter pœnas supradictas *seff. 6. c. 1.* & peccatum mortale, pro rata temporis absentiæ, fructus suos non facit, nec tuta conscientia, etiam alia declaratione non secuta, eos sibi retinere potest, sed tenetur per se, aut ipso cessante, per superiorem ecclesiasticum illos fabricæ Ecclesiæ, aut pauperibus loci erogare: prohibita desuper omni compositione, non obstantibus privilegiis cuicunque collegio, aut fabricæ concessis.

III. Addunt aliqui Doctores, si Episcopus sine causa absit, etiam spatio trium mensium, vel minori, eum fructus suos pro rata facere, sed teneri restituere, ut supra: ita *Garz. par. 3. c. 2. n. 28.* quia *si non laborat, non manducet*, ut inquit Apostolus: sed alii contra dicunt, non teneri restituere, quia non videtur moraliter abfuisse ob parvitatem materiæ, ut patet ex *eod. Trid. dict. c. 1.* quod est verum, dummodo officium suum per Vicarium idoneum præstiterit, quatenus fuerit necessarium: & hanc tenent multi, quos allegat, & sequitur *Bonac. de obligat. Beneficiatorum, disp. 5. pun. 4. n. 8. & 9.*

Limita supradicta decreta, ut obligatio residendi incipiat, quoad Episcopos, post consecrationem: quoad Archiepiscopos, post pallii susceptionem, dummodo per eos non steterit, quominus citius pallium, vel consecrationem suscipiant: & ratio est, quia antea non videntur urgeri ad residentiam jure naturali, cum non possint adhuc exercere, quæ sunt ordinis, *Sanch. opusc. lib. 7. c. 1. dub. 16. n. 15.*

Limita secundo, quod excusantur a dictis pœnis, qui bona fide abfuerunt, scilicet, si a mortali excusentur, *Garzias n. 36.*

Limita tertio, ut Episcopus absens in foro conscientiæ non teneatur restituere præcise omnes fructus pro rata temporis absentiæ, sed possit sibi retinere partem ob alia munera, ut recitationis horarum, & alia, quibus absens pro grege suo functus est; & quoad hanc partem decretum illud pœnale, de quo *Trid. seff. 6. c. 1.* non obligat in conscientia ante sententiam, *Bonac. punct. 4. n. 5. Barbos. alleg. 43. n. 101. Possevin. de offic. Parochi, c. 1. n. 53.* & quidem ratione horarum canonicarum videtur posse sibi retinere tertiam partem fructuum, diebus singulis correspondentium, secundum magis communem sententiam modernorum, quos allegat *Bonac. tract. de horis canon. quæst. 5. punct. 3. n. 2.*

IV. SS. D. N. Urbanus VIII. *an. 1634. die 12. Decem. Sancta Synodus* Bullam edidit, qua statuit, ut Episcopi, & ijs majores Prælati, etiam S. R. E. Cardinales, residere teneantur, neque a loco residentiæ discedere, nisi prius obtenta licentia a Papa per Breve, vel litteras missivas: alias incurrant ipso facto absque ulla declaratione pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ, amissionis fructuum pro rata absentiæ, & facultatis testandi, seu disponendi de bonis suis a Sede Apostolica concessæ: item ut deinceps promoti ad cathedrales, a die promotionis teneantur, intra unum mensem morantes in Curia Romana, et intra duos menses morantes in Italia, et intra quatuor menses morantes extra Italiam, se itineri committere, et ad residentiam se conferre, et inde non discedere, ut supra, sub pœnis eisdem latæ sententiæ: et ampliat, ut Cardinales titulos episcopales suburbicales habentes, teneantur residere in alio episcopatu, si quem alibi habeant, sub eisdem pœnis: item ut ex nulla causa absentiæ excusentur, quantumvis gravi, et bonum publicum respiciente, sed solum causa Synodi, vel Assembleæ, cui soleant interesse, et ratione officii eorum episcopatui adjuncti: sed ob causam visitandi Limina Apostolorum limitavit absentiæ tempus, scilicet pro Episcopis existentibus intra montes, et mare, quatuor mensium; ultra montes, vel mare, septem mensium: unde apparet in hoc tempore contineri accessum etiam ad Limina, et reditum; quia habita est ratio itineris longioris pro ultramontanis: item ob causam electionis Papæ possunt ad Curiam venire, et ibi morari, usque ad duos menses post coronationem Papæ.

☞ *Unius mensis terminus ab Urbano, ut supra statutus, ita declaratus, & extensus est in cit. Constit.* Ad universæ *ibi — præfatus autem Urbanus .... Episcopis in Curia promotis unum concessit mensem (quem postea, declaratum fuit a die ipsorum propositionis in Consistorio computandum esse) quo mense elapso, singuli ad proprias Ecclesias se conferre deberent. Sed cum in Concilio Romano, habito a fel. record. Benedicto Papa XIII. Episcopi exposuissent, tam exiguo temporis spatio non posse a recens promotis sua in Urbe negotia expediri, idem Benedictus facultatem concessit S. R. E. Cardinali in Urbe, ejusque districtu Vicario, ut præfatum unius mensis terminum juxta casuum contingentiam, & caussa cognita ad alios XL. dies, & non ultra prorogare posset —.*

Circa sex Cardinales Episcopos suburbicarios, alteri episcopatui jam præfectos, quoad utriusque episcopatus retentionem, attendenda est Constit. Clem. XII. Pastorale officium *la 22. tom. 13. Bullarii novi Romani. Vide insuper Bened. XIV.* de Synod. diœc. lib. 13. cap. 8. n. 8. et 9. pag. 248. & seq. edit. Pat. ann. 1756. *ubi etiam habes decreta consistorialia edita sub eod. Clem. circa retentionem plurium episcopatuum respectu aliorum quorumcumque Episcoporum.* ☜

Præterea idem Summus Pontifex vivæ vocis oraculo declaravit, non esse per hanc Bullam interdictam absentiam ad modicum tempus, idest, trium mensium, a S. Concil. Trid. ut supra concessam: verum per hanc Constitutionem residendi tempus incipit currere a die habitus episcopalis suscepti, non autem a die consecrationis &c. quia currit a die promotionis: consecratio autem Episcoporum fieri debet (secundum jus commune) in ipsorum Ecclesia cathedrali, vel in Provincia, ex *c. Si Archiepiscopus de temp. ordin. Trid. seff. 23. c. 2.* scilicet ab eis, quibus Papa commiserit, ut in *Pontificali par. 1. tit. 22. Quaranta ver. Archiep. n. 3.* quamvis hodie frequentius in Curia Romana fiat; ideo non debet hæc causa remorari iter ad residentiam.

V. Episcopi, non residentes, privantur multis commodis, ut gratia alternativæ super provisione beneficiorum, de qua re est *regula 9. Cancellariæ:* item aliis facultatibus sæpe concessis a Concilio Tridentino, & alibi in jure, Episcopis residentibus.

☞ *Commoda, & facultates, quibus a Pio IV. & Clemente VIII. privantur Episcopi, non residentes, recensentur a Bened. XIV. in cit. Constit.* Ad universæ (*ubi dictæ privationis pœnas confirmat, & innovat*) *de qua, & de Pii Const. infra.* ☜

Limita, quod non privatur dictis facultatibus, neque incurrit pœnas non residentis Episcopus, si residet prope diœcesim in loco non distanti ultra unum milliare, unde nullum præjudicium officio, & animarum necessitatibus inferatur; quia parum distans, moraliter est præsens, *leg. Pro locis, leg. Mediterraneæ, C. de ann. & trib. lib. 10. Gonzal. gloss. 43. n. 10. & n. 43. usque ad 83. Beia 4. par. casu 21. col. pen. & ult. Bonac. de resid. benefic. punct. 1. a. 2. & 4. Garz. part. 3. cap. 2. n. 179.* ubi refert declarationes S. Congregationis, quæ licet de parocho loquantur, multo tamen magis procedunt in Episcopo, cum ipsius servitium non sit tam frequens, & immediatum.

Limita secundo, quod illa pœna interdicti non est in hac Constit. Papæ reservata, quoad absolutionem: & quamvis Urbanus, quando in Consistorio promulgavit Cardinalibus eam Constitutionem, viva voce harum pœnarum absolutionem sibi, seu Papæ reservaverit; tamen quia illud præceptum fuit speciale ab homine, non ligavit, nisi Cardinales præsentes, & expiravit, mortuo eodem Urbano, *Suar. de legib. lib. 1. c. 10. n. 9.* ubi ait communem, & *Sanch. opusc. lib. 1. c. 6. dub. 2. n. 8. Salas de leg. Dis. 1. sect. 7. n. 44. Vasch. de leg. dis. 151. c. 3.*

Quamvis autem in Bulla 10. Pii IV. *De salute* 4. Sep. 1560. eadem pœna interdicti lata fuerit contra Episcopos, ut hic ab Urbano, tamen neque ibi fuit absolutio reservata, & ibi fuit lata per modum edicti contra eos, qui non reverterentur ad residendum; non autem fuit hæc pœna pro futuro imposita, licet aliæ pœnæ ibi fuerint etiam in futurum latæ per modum legis, quæ omnes sunt hic ab Urbano innovatæ.

☞ *Ex Const. Pii IV.* In suprema 25. *Novemb.* 1564. *Patriarchæ, Primates Metropolitani, & Episcopi, non residentes in suis Ecclesiis ultra sex mensium continuorum spatium, incurrunt pœnam amissionis facultatum testandi, & disponendi, siquæ eis competant: eorumque bona subjiciuntur spolio favore Cam. Apost.: ac insuper pœnam inhabilitatis ad majores dignitates, & Ecclesias. Hæ pœnæ comprehendunt etiam parochos non residentes.*

In Const. autem Bened. XIV. Ad universæ *3. Seps. 1746. additur pœna privationis ipso facto indultorum competentium Episcopis assistentibus solio Pontificio, declaraturque —* sub transgressorum nomine comprehendi, non solum eos, qui præ-

tcr

ter ter tres menſes, a Concilio toleratos, abſque legitima cauſa, & expreſſa Romani Pontificis licentia extra proprias diœceſes commorantur, ſed eos etiam, qui hujuſmodi licentiam falſis, ſimulatiſque cauſis doloſe extorquere non dubitaverint; vel ea ſemel rite, recteque obtenta, præſcriptos in eadem limites, ac præfinitum tempus prætergreſſi fuerint -- *Præterea in eadem Conſt. referuntur diſpoſita a Pio IV. & Urbano VIII. circa reſidentiam Epiſcoporum Conſtit.* Sancta Synodus 12. *Decemb.* 1634. *& cauſæ, propter quas iiſdem licet a propria Eccleſia, & diœceſi abeſſe: cum vera earum cognitio pertineat ad Congregationem ſpeciatim deputatam in Urbe, cujus Præfectus eſt Card. Vicarius pro tempore; ideo conſulta dd. Conſtit. ſumma omittitur.* ☜

CAPUT II.

Reſidentiam non facientes parochi, & alii, curam animarum habentes, Epiſcopis inferiores.

I. SAc. *Trid. Concil. ſeſſ.* 23. *c.* 1. §. *Eadem*, pœnas ibi ſtatutas, itemque *ſeſſ.* 6. *c.* 1. *de ref.* contra Epiſcopos non reſidentes, de quibus dixi ſupra *cap. præced.* extendit contra curatos, Epiſcopis inferiores, & ad omnes habentes beneficium eccleſiaſticum, curam animarum habens: concedit tamen illis, ut abeſſe poſſint ex cauſa, ab Epiſcopo prius cognita, & approbata, relinquendo Vicarium idoneum, ab Epiſcopo approbatum, cum debita mercedis aſſignatione: diſcedendi autem licentiam in ſcriptis, gratiſque concedendam ultra bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſa, non obtineant.

Ex his igitur primo apparet, quod parochus, non reſidens ſine licentia legitima, non facit fructus ſuos pro rata temporis, juxta *Trid. in dict. c.* 1. *ſeſſ.* 23. ut etiam ante ſententiam teneatur reſtituere fabricæ, vel pauperibus loci, nulla compoſitione ſuffragante.

An autem excuſetur ob modicitatem temporis abſentiæ, ut ſi per tres, vel quatuor dies, vel ſaltem minus una hebdomada, continuam, vel interpolare ſumptam intra annum unum: reſpondent Doctores communiter, excuſari, ut *Garzias par.* 3. *cap.* 2. *n.* 23. & 24. & in hoc non video difficultatem: ſed aliqui dicunt, non teneri reſtituere, niſi abſit ultra bimeſtre ſine licentia, quia bimeſtre reputant parvam materiam; & dicunt, Conc. Tridentinum non requirere in parochis licentiam Epiſcopi, niſi pro abſentia ultra bimeſtre; ita *Bonac. de oblig. beneficia. diſp.* 5. *punct.* 4. *n.* 4. *Naldus verbo Reſid. n.* 5. *Navar. c.* 25. *n.* 121. tenet *Azor. lib.* 7. *c.* 4. *quæſt.* 9. *tom.* 2. *Beya* 4. *par. reſp.* 21. ſed contrarium tenendum puto ex textu *dict. c.* 1. *ſeſſ.* 23. *Trid.* ubi abſolute requiritur licentia etiam intra bimeſtre: ita *Sanch. de matr. lib.* 3. *diſp.* 21. *n.* 11. *Ugolin. Leſſ. Poſſevin.* quos ſequitur *Barboſa de poteſt. Epiſc. alleg.* 53. *n.* 96. *Garzias n.* 23. & alii communiter.

☞ *Ita etiam pluries declaravit Congr. Conc. ut ex Decretis relatis a Bened. XIV. Inſti. Eccleſ.* 17. *n.* 9. *& ſeqq. Pro abſentia tamen modici temporis in caſibus repentinis ſufficit licentia Vicarii foranei, ut ex ſenſu dict. Cong. firmat Fagnan. in cap.* Relatum *de cleric. non reſid. n.* 42. ☜

Verum eſt, quod parochus pro tempore abſentiæ non tenetur abſolute omnes fructus reſtituere, ſed poteſt aliquam partem ſibi retinere ratione horarum canonicarum, & propter alia ſervitia, Eccleſiæ in abſentia præſtita, ut dixi de Epiſcopo *cap. præc.*

Apparet ſecundo, quod Epiſcopus poteſt etiam procedere contra parochum ad privationem quartæ partis fructuum, quoties abſentia ad ſex menſes pervenerit ſine cauſa rationabili, juxta *Trid. ſeſſ.* 6. *c.* 1. *Barboſa n.* 104. *Garz. n.* 32. *ibi:* & hæc pœna privationis quartæ partis fructuum, intelligenda eſt, ut ſit de fructibus, etiam futuris, quos reverſus ſuos facturus eſt, vel quos alias abſens ſuos feciſſet; & probatur ex dicendis *cap. ſeq.* alias enim hæc pœna eſſet eluſoria, ut patet: & ita ſentit *S. Congreg. apud Barboſ. & Garz. ibi:* unde quamvis pœna privationis quartarum a Tridentin. inferatur ipſo jure, ſeu ipſo facto incurrenda, tamen non ligat ante ſententiam; ſecus quoad fructus pro rata abſentiæ amiſſos, *Sanch. lib.* 2. *in decal. cap.* 5. *n.* 10.

Limita hæc decreta contra Epiſcopos, & parochos, & curatos, ut non procedant contra abbates, priores, & alios, habentes beneficia regularia: nam ſi abſentes per alium ſua munia abſolvant, non tenentur fructus reſtituere, licet peccent non reſidendo; quia Trident. intelligitur de beneficiis ſecularibus, *Leſſ. c.* 34. *n.* 161. *Filiuc. tract.* 41. *c.* 6. *n.* 30. *Bonac. punct.* 4. *n.* 14.

Ex *c. Extirpandæ*, §. *Qui vero, de præb.* parochus, non reſidens, incurrit ipſo facto pœnam privationis parochiæ, ut libere alii conferri poſſit: ſed an requiratur, ut præcedat monitio, multi affirmant, multi negant apud *Garziam par.* 3. *cap.* 2. *n.* 135. & 136. ſed hodie ex Conc. Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 1. non incurrunt parochi dictam pœnam privationis, beneficii ipſo jure, ſed per ſententiam, præcedente citatione, & monitione, & coercitione per cenſuras, & ſequeſtrationem, & ſubtractionem fructuum, & alia juris remedia: & ita notat *Garz. n.* 139.

Ut autem Epiſcopus poſſit procedere ad privationis ſententiam, ut ſupra, requiritur una citatio perſonalis, vel tres in Eccleſia, & a die ultimæ citationis expectari debent ſex menſes, juxta *cap. Ex tuæ*, & ibi *Abb. n.* 10. *de cler. non reſid. Rot. deciſ.* 137. *n.* 1. *par.* 1. *noviſſ.* & requiritur, ut citatio fiat præciſe ad ſententiam per *gloſſ.* communiter receptam in *c. Cum contumacia verbo, Reſpondeat de hæret. in* 6. *Rot. ibi n.* 2. & requiritur, ut in termino peremptorio ab accuſatore, ſeu actore fiat inſtantia, ſeu reproductio, & accuſatio contumaciæ; alias circumductum cenſetur edictum, ideſt inſtantia citationis, *per tit. leg. Et poſt edictum* §. *Quod ſi is, ff. de judic. Afflict. deciſ.* 366. *n.* 14. *Rot. dict. deciſ.* 137. *n.* 1. In quo etiam nota, quod Vicarius generalis non poteſt ferre talem ſententiam privationis beneficii, ſine ſpeciali mandato per *c.* 2. *de off. Vic. in* 6.

Parochiale, ſeu curatum beneficium obtinens in Curia Romana cum juramento ſe transferendi ad reſidentiam intra certum tempus, & ibi perſonaliter deſerviendi, ſi non obſervet, ſed beneficium dimittat ad ſavorem alterius, varias pœnas incurrit, ut dixi *verbo Reſignatio c.* 1.

Ob quas autem cauſas poſſit Epiſcopus dare licentiam non reſidendi, etiam ad longum tempus, vide *Bonac. tract. de reſid. pun.* 5. *a n.* 2. ubi nota, quod in talibus caſibus debet a parocho, vel ab Epiſcopo provideri de Vicario idoneo, cum juſto ſtipendio, ut *Trident. ſeſſ.* 7. *cap.* 5. & 7. Et hic etiam nota differentiam, quod quamvis canonici etiam ultra tres menſes poſſint abeſſe, manentes in ſervitio ſui Epiſcopi, & fructus præbendæ non amittant; ut *Bonac. de hor. can. diſ.* 2. *quæſt.* 5. *pun.* 3. §. 2. *n.* 4. tamen ſecus eſt in parochis: neque enim poſſunt excuſari, ſi abſint ultra duos menſes, etiamſi inſerviant Epiſcopo, Eccleſias viſitanti, ut declaravit *S. Congregatio apud Bonac. tract. de reſi. pun.* 5. *n.* 14.

☞ *Inter cauſas, ob quas Epiſcopi dare poterant parocho licentiam non reſidendi, olim erat cauſa ſtudiorum, tam in docendo, quam in vacando ſtudio Sac. Scripturæ, & Juris Canon. in publicis univerſitatibus: verum poſt Conc. Tridentinum, eoſdem Epiſcopos hac facultate ſibi a Sac. Canonibus tributa, amplius frui non poſſe oſtendi ex pluribus decretis Cong. Concilii in Additionibus meis ad* Inſtit. Canon. Remigii Maſchat. part. I. pag. 389. col. 1. et part. II. pag. 18. ☜

CAPUT II.

Reſidentiam canonici, vel præbendati non facientes in loco Eccleſiæ, vel choro non intervenientes.

I. EX *c. un. de clericis non reſid. in* 6. diſtributiones quotidianas ſuas non faciunt canonici, et alii beneficiati, ſeu clerici cathedralium, et aliarum collegiatarum Eccleſiarum, ſi divinis officiis non interſint, etiamſi reſideant in civitate, ſeu loco Eccleſiæ, non obſtante conſuetudine contraria: ita ut qui aliquid ex dictis diſtributionibus aliter perceperit, dominium ejus non acquirat, ſed ad ejus reſtitutionem teneatur; exceptis tamen illis, quos infirmitas, ſeu juſta rationabilis corporalis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret.

☞ *Nota, quod licet in* cit. cap. unic. *Bonifacius videatur comprehendere in infirmitate quamcunque aliam neceſſitatem corporalem, vi particulæ* – ſeu – *itaut infirmitas, & corporalis neceſſitas ſint unum, & idem juſtum motivum percipiendi diſtributiones in abſentia: revera tamen eſt diverſum, cum particula* – ſeu – *non ſit declarativa, ſed ampliativa, & augumentativa: ac proinde juſta, & rationabilis abſentiæ cauſa, nedum eſt corporalis languor, & infirmitas, ſed etiam alia quælibet juſta, & rationabilis corporalis neceſſitas: ut hoſtilitas, periculum latronum, aquarum inundatio, contagium, exilium, injuſta carceratio, & alia impedimenta, ob quæ beneſi-*

neficiati intereſſe nequeant ; Stephanus VVeyms in Analyſi ad Conſtitut. XXIV. ex jut. antiq. deſumpt. *& per Conc. Triden. ſpeciatim innovetas Conſtit. XI.* n. 16.

II. Canonici, et beneficiati ſupradicti, ſi non reſideant in loco, ſeu civitate, non ſolum amittunt diſtributiones, ſed etiam omnes fructus præbendæ: ſi autem reſideant, ſed non interſint ehoro, amittunt diſtributiones, ſed non fructus præbendæ, per *c. Cum omnes 6. de conſtit. ibi gloſſ. verbo Conſuetudinem, c. 3. & 4. & c. Ad audientiam de cler. non reſiden. Garz. part. 3. c. 2. n. 360. Seraphin. deciſ.* 1131. *n.* 1. Eacipe, niſi ſit conſuetudo in contrarium, ut fructus præbendæ percipiantur in abſentia, ut *dict. c. Cum omnes, & gloſſ. in d. cap. Ad audientiam, verbo Conſtitutio*. Excipe etiam, ſi abſit ex cauſa rationabili, ut ob ſervitium Eccleſiæ, ut infra dicetur, ex *cap. Cum non deceat, de elect. in 6.* vel cauſa ſtudiorum, *c. fin. de magiſt.*

III. In *cap. Cum non deceat, de elect. in 6.* abſens a reſidentiæ loco pro Eccleſiæ utilitate, vel alia juſta cauſa, percipit fructus omnes beneficii, ſeu præbendæ, exceptis tamen diſtributionibus quotidianis, ut ibi, et *gloſſ. in dict. c. un. de Cler. non reſid. verbo Utilitas, Garzias par. 3. c. 2. n.* 361. et idem de omni privilegio conceſſo a Papa, ſive ut ab homine, ſive ut a jure, percipiendi fructus in abſentia, *Gonzalez in proœm. §. 7. n.* 206.

IV. *Triden. ſect.* 24. *c.* 12. *verſ. Præterea obtinentibus*, ſtatuit, ut obtinentibus in cathedralibus, aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet ſtatuti, aut conſuetudinis ultra tres menſes ab iiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe, ſalvis tamen Conſtitutionibus Eccleſiarum, quæ longius ſervitii tempus requirunt: alioquin primo anno privetur unuſquiſque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac reſidentiæ ſuos fecit: quod ſi iterum eadem uſus fuerit negligentia, privetur omnibus fructibus, quos ratione etiam præbendæ, ac reſidentiæ eo anno lucratus fuerit: creſcente vero contumacia, contra eos juxta ſacros Canones procedatur, ideſt ad privationem beneficii, ut notat *Garzias, c. 2. n.* 140. et Sacra Congregatio declaravit, ad abſentiam licitam trium menſium, non eſſe neceſſariam licentiam, vel cauſæ allegationem, ut apud *Barboſ. ad dict. c.* 12. *n. 65.* ſed ultra tres menſes requiritur licentia Epiſcopi cum cauſa legitima, *Rota recent.* 608. *n.* 1. neque ſufficit licentia Viceſgerentis, *Rot. n.* 5. *ibi*, et eadem habet *Rota noviſſ. dec.*689. *n.* 1. *&* 7. Et adverte, quod licet iſta pœna privationis fructuum non ſit latæ ſententiæ, ut ipſo facto amittantur, tamen habet rationem latæ ſententiæ, quatenus non requiritur ad hanc privationem fructuum monitio, ſed ſufficit citatio ad dicendam cauſam, quare non debeat privati; ut *Garz. n.* 145. cum S. Congreg.

Adverte etiam, quod licet per illam derogationem conſuetudinum generalem non contineatur regularitar conſuetudo immemorabilis; tamen fallit in caſu noſtro, ut declaravit Sacra Congregario, et Gregorius XIII. apud *Barboſam in dict. cap.* 12. *n.* 60. *& ſequentibus*.

Item nota, quod hodie *per Triden. Decretum dict. cap.* 12. canonici non amittunt, non reſidendo, fructus præbendæ omnes, ipſo jure, ſeu ipſo facto, ſicut olim per *c. un. de Cler. non reſid.* ſed requiritur citatio, etiam ut prima vice tantum dimidia parte priventur, ut notat *Garz. par. 3. c. 2. n.* 140. et idem dicendum de aliis beneficiatis obligatis ad reſidentiam, *Garz. n.* 141. ſcilicet, etiamſi ſint beneficia ſimplicia.

V. Ea eodem Trident. cit. *cap.* 12. ſtatutum eſt, ut diſtributiones illi tantum, qui ſtatis horis interfuerunt, percipiant; reliqui, quavis colluſione, aut remiſſione excluſa, his careant, juxta *cap. un. de Cler. non reſid. in 6.* ſupra relatum; quod S. Synodus innovavit, non obſtantibus quibuſcunque ſtatutis, aut conſuetudinibus.

Ex dictis concludunt DD. magis communitet, quod de jure communi abſens a loco reſidentiæ, etiam ſi intereſſe alias non poſſit choro, impeditus ob infirmitatem, vel corporis neceſſitatem, vel Eccleſiæ utilitatem, percipit quidem fructus præbendæ, ſed non diſtributiones quotidianas, niſi adſit talis illius Eccleſiæ conſuetudo: ſi autem ſit præſens in loco reſidentiæ, ſed non interſit choro, ob dictas cauſas rationabiles impeditus, conſequi debet etiam diſtributiones de jure communi: ita ex *dict. c. Un. de Cleric. non reſid. in 6. & c. Cum non deceat, de elect. in 6.* tenet *gloſſ. & Doctores in dict. c. un. Laym. lib. 4. tract. de benefic. c. 7. n. 3. Sanch. in opuſc. lib. 2. c. 2. dub.* 92. *&* 93. *Gutier. can. quæſt. lib.* 1. *n.* 139. & 145. Excipitur tamen caſus abſentiæ propter impedimentum, proveniens ex facto capituli injuſto, ut ob litem; quia tunc percipit diſtributiones, ſi tamen ſit præſens in loco, vel ſaltem per eum non ſtet, ut *Buratt. deciſ.* 694. *n.* 5. *& Seraph. deciſ.* 1239. *n.* 4.

Quamvis autem Trident. tres menſes vacationis indulgeat, tamen non debent omnes eodem tempore vacare, ne Eccleſia debitis defraudetur obſequiis, ſed minor pars arbitrio Epiſcopi, ut *Barboſ. ad Triden. dict. c.* 12. *n.* 65. & S. Congregatio in una Auximana reſpondit, duas partes ex tribus remanere debere, & omnes etiam in feſtis ſolemnioribus: alibi Sacra Congregatio declaravit quartam partem tantum poſſe vacare ſimul, apud *Barboſam ibi*.

☞ *Vide Additiones meas hoc eodem verb.* Reſidentia *pag.* 257. *& infra.* ☜

Tempore autem hujus vacationis non poſſunt frui diſtributionibus, omnino diſtinctis a præbenda, ideſt antiquis non detractis a præbenda, ita S. Congregatio apud *Barboſ. n.* 62.

Tempus hoc vacationis poteſt accipi ſive continue, ſive interpolate, *Garz. par. 3. c. 2. n. 306. Barboſ. de pot. Ep. alleg.* 53. *n.* 10.

Quod autem in *dict. c. Triden.* dicitur, remiſſionem non ſuffragari, limita, quia ſi canonicus reſtituerit injuſte perceptas diſtributiones, poſſent ii, quibus accreverant, eas eiſdem poſtea reſtituere, & donare, *Sanch. dub.* 108. *&* 19. cum aliis.

☞ *Nota I. ex decretis Cong. Conc. in Jaderen. 9. Maji* 1626. *ut* lib. 12. decretor. pag. 253. *in Terracinen.* 22. *Jan.* 1628. lib. 13. pag. 380. *& in Caſtri maris 4. Maji* 1737. *ut in* Theſaur. Reſol. tom. 8. pag. 59. *quod ſi canonici abeſſe velint extra diœceſim in menſibus a Concilio permiſſis, obtinere debent licentiam ab Epiſcopo.*

Hic tamen crederem, animadvertendum pro conciliatione decreti ſupra relati n. 4. *cum altero relato* §. Quamvis, *licet non opus ſit licentia Epiſcopi in caſu abſentiæ intra diœceſim, requiri nihilominus ſaltem illius ſcientiam, ne contingat vacatio, ſeu abſentia plurium eodem tempore cum diminutione divini cultus: alias hoc ultimum decretum nunquam locum habere poſſet.*

Nota II. hanc eandem trium menſium abſentiam locum habere dumtaxat, quando Conſtitutio, aut conſuetudo Eccleſiæ requirit ſervitium totius anni, non vero, ſi hoc alternatim præſtetur; cum mens Tridentini fuerit, ut novem integris menſibus Eccleſiæ ſerviretur; quemadmodum pluries declaravit S. Cong. Conc. ut in decretis relatis in Theſaur. Reſolut. *ejuſdem Cong. in Caſtri maris ſervitii chori* 30. *Jul.* 1735. tom. 7. pag. 107. *& in Capuana indulti 5. Decembr.* 1739. tom. 9. pag. 141.

Nota III. ex decretis ejuſdem Cong. diſtributiones injuſte perceptas a canonico abſente, non poſſe ſuas facere in caſu etiam donationis: imo ſic donatas teneri reſtituere, ut in Neapolitana 1592. lib. decret. 7. pag. 75. *& in Iſernien.* 1619. *imo eas nec Epiſcopus, nec capitulum condonare poſſunt, ut in cauſa Tarracinæ* 13. *Jan. & 14. Decemb.* 1624. lib. 12. pag. [illegible] 149. *&* 235. *ac aliis relat. a Bened. XIV.* Inſtit. eccleſiaſt. [illegible] §. 7. n. 42.

Nota IV. quoad diſtributiones dandas abſentibus ratione infirmitatis, hanc debere eſſe non levem, ſed gravem: item non deberi, ſi dum beneficiati erant incolumes, a choro abeſſe conſueverint, juxta plures declarationes dicta Cong. & præſertim ſub die 5. Mart. 1667. in Reatina, ut lib. 25. decretor. pag. 345. *ibi* – Sacra &c. cenſuit, otaturi dandam eſſe declarationem, alias editam, ſequentis tenoris: Congregatio Concilii cenſuit, canonico infirmo, durante ejus infirmitate, quamvis choro non interſit, deberi fructus omnes ſui canonicatus, necnon diſtributiones quotidianas, non ſecus ac ſi omnibus horis divinis perſonaliter intereſſet, dommodo ante infirmitatem fuerit ſolitus inſervire. Ceterum infirmitatem ipſam coram judice probandam.

Quod ſi agatur de cæco, cum hic, & inter ægrotantes enumerandus ſit, eadem Congreg. ut refert Bened. XIV. cit. Inſtit. Eccleſ. 107. §. 8. n. 48. *declaravit* – non teneri horis canonicis intereſſe, nec in choro eam officii partem, quam memoriter tenet, recitare, & nihilominus lucrari diſtributiones quotidianas, perinde, ac ſi intereſſet – *Item, ei eſſe tribuendas a die, quo lumine caruit, ut pariter declaravit* 29. *Jan.* 1661. lib. 22. decret. *Ulterius, nec teneri alium ſui loco ſubſtituere pro celebratione miſſarum in collegiata, ut ſatisfaciat iis miſſis, quæ cum canonicatu junguntur, ut ex pluribus ejuſdem decretis, & ſignanter in Mercatelli 8. Jan.* 1597. lib.

lib. 25. decret. pag. 189. & lib. 40. pag. 414.

Iste tamen cæcus, ut lucretur fructus grossos, ut vocant, præbendæ, tenetur eandem partem, quam memoriter tenet, privatim recitare, nisi ex dispensatione apostolica ejus recitatio commutata ipsi fuerit in alias preces, juxta contrarium sensum propositionis 54. inter alias proscriptas ab Innoc. XI. videlicet -- Qui non potest recitare matutinum, & laudes, potest autem reliquas, ad nihil tenetur; quia maior pars trahit ad se minorem -- *citatum enim decretum respectum dumtaxat habet ad præsentiam in choro, a qua eximitur, & ad distributionum perceptionem, quibus ideo privari non debet.*

Nota V. quoad distributiones dandas injuste carceri mancipatis, ex aliis dict. Cong. decretis in cit. Instit. 107. §. 8. n. 52. relatis, injustitia carcerationis constare debet ex favorabili judicis sententia, quæ transierit in rem judicatam; etiamsi hæc munita fuerit clausulis, vel -- tanquam non repertus culpabilis, vel ex hactenus deductis -- vel -- *non molestetur -- non vero si munita fuerit clausula -- ex quo satis. --*

Nota VI. quoad distributiones dandas absentibus ob evidentem Ecclesiæ utilitatem, ex decretis ejusdem Cong. ibidem relatis §. 9. per totum, illas lucrari posse, I. canonicum theologiæ ea die, qua legit: II. pœnitentiarium ea hora, qua actu confessiones audit, sive in confessionario, sive extra: III. canonicum deputatum ab Episcopo ad audiendas confessiones loco pœnitentiarii: IV. canonicos, seu beneficiatos, quibus annexa est cura animarum, actu eam exercentes, & sacramenta ministrantes tempore divinorum officiorum: V. canonicum absentem ob visitationem SS. Liminum tempore accessus, mansionis, & regressus; sive solus mittatur ab Episcopo, sive eum in dicta visitatione comitetur: pro qua tamen peragenda assignatum est tempus trium tantum mensium: VI. ex privilegio Clementis XI. ut ex ejus Bullario pag. 547. *absentes occasione exercitiorum spiritualium per decem dies, ad pie excolendum animum peragendorum in æde aliqua Regularium, de licentia tamen Episcopi; non vero tempore quadragesimæ, adventus, vel in festis magis solemnibus: hæc tamen non sunt peragenda ab omnibus simul, & eodem tempore: VII. promovendos ad Sacros Ordines, qui ex Conc. Romano, celebrato sub Bened. XIII.* an. 1725. tit. 30. cap. 2. *tenentur per sex menses continuos ante ordinationem commorari in seminario, vel in episcopiis apud Episcopos; quo tempore lucrari debent dictas distributiones, non secus ac si Ecclesiæ inservirent; dummodo præcise ibi morentur ad satisfaciendum dicti Concilii præcepto, & non ob correctionem, aut ut se instructiores reddant, ex declaratione Cong. Conc. in Setina 1. Decembr. 1731.* in Thes. Resolut. VIII. *eos, qui liberi, & immunes a choro declarati sunt, quique coadjutorem sibi adlegerunt, licet hic præsens non sit ratione infirmitatis, sive intra, sive extra locum, ubi sita est collegiata, quo casu coadjutus etiam liber est a servitio.*

Nota VII. ex aliis decretis ejusdem Cong. relatis in dicta Instit. 107. §. 11. per totum, non deberi absentibus distributiones, I. de emolumentis anniversariorum, quæ ex voluntate fundatorum distribui consueverunt solum inter præsentes: II. nec pœnitentiario, tempore, quo residet in confessionario, confessiones non audiens; aut quo missam celebrat, vel privatim officium recitat; etiamsi id faciat, ut opportunius confessiones audiat: III. nec canonico, aut beneficiato, Episcopum in visitatione diœcesis comitantibus: IV. nec inservientibus eidem Episcopo, missam privatim celebranti (secus si pontificialiter) aut quodcunque aliud munus obeunti; licet Episcopus in vim c. De cetero 7. *hoc tit. eos pro suo servitio adhibere possit, sive ii sint ex cathedrali, sive collegiata; non plures tamen quam duos; & dummodo annexam non habeant curam animarum, aut non sint coadjutores: verum tamen est, hos, sicuti & comitantes Episcopum in visitatione diœcesis, lucrari posse duas partes distributionum, si reditus omnes præbendæ constarent tantum dictis distributionibus: V. nec deberi Vicario generali Episcopi: VI. nec examinatori synodali, etiam vocato ad interessendum examini pro parochialibus Ecclesiis, vel pro collatione ordinum: VII. nec Inquisitoribus, seu ministris Sac. Inquisitionis: VIII. nec ministris generalis Cameræ Apostolicæ: v. g. Subcollectoribus spoliorum, decimarum &c. IX. nec visitantibus devotionis causa Ecclesiam Lauretanam, ac Angelorum de Assisio, aliaque loca pia: X. nec canonicis, aliisque cathedralium, & collegiatarum Ecclesiarum officialibus, qui in iisdem habent capellanias, chorum dimittentibus tempore divini officii, ut pœnitentiæ sacramentum administrent, aut devotionis gratia missam celebrent in dictis Ecclesiis: excepto casu, quo a superiore iis injungatur, ut eo tempore celebrent in iisdem Ecclesiis: qui tamen ex mandato Sac. Cong. abstinere debet ab hujusmodi jussu: XI. nec tandem magistris Juris Pontificii, aut Sac. Theologiæ, & has facultates addiscentibus: qui tamen cum indulto lucrari possent duas partes distributionum, si eorum præbendæ fructus nulli sint, vel valde exigui. Et notandum est, quod ex decreto Innoc. XII. ut in ejus Bullario* pag. 262. *hoc indultum non confertur studentibus, XXV. annum jam attingentibus, neque ultra triennium: qui Pontifex 15. Mar. 1692. mandavit insuper, idem indultum illis non suffragari, nisi Ordinario loci, & in actis ipsius cancellariæ præsentetur intra tempus a Secretario Cong. Conc. præfigendum: & hujusmodi indultum nunquam a Sac. Cong. confertur coadjutoribus.* ☜

CAPUT IV.

Residere, vel interesse choro coadjutor, aut coadjutus omittens.

I. COadjutor datus in beneficio, obligationem residentiæ, vel servitii chori annexam habente, tenetur residere, & inservire per se ipsum, ne Ecclesia defraudetur obsequiis: neque hodie admittitur coadjutor sine obligatione inserviendi; quia hæc esset species expectativæ prohibitæ a Trident. Conc. ut *Rota noviss. par. 1. dec. 392. & Rota rec. tom. 1. decis. 276. n. 1. & seq.* unde si choro non intersit, amittit distributiones, & si non resideat, amittit fructus etiam præbendæ; & ipse tenetur adjuto ad id, quod interest, quatenus propter hoc non poterit percipere fructus præbendæ, neque distributiones, *Rota ibi, n. 4.* imo procedi contra eum poterit ad privationem coadjutoriæ, servato juris ordine: de quo in *cap. Ex jure, de Cler. non resid. Rota ibi*: non tamen tenetur coadjutor extra chorum horas recitare, præcise ratione coadjutoriæ; quia non est proprie beneficiatus, sed ratione sacri ordinis, *Sanch. lib. 2. in opusc. c. 2. dub. 64. n. 3. & Rot. 1. recent. dec. 456. per tot.*

II. Coadjutus, etiam coadjutore inserviente, tenetur residere in loco, licet non teneatur interesse choro; ut colligitur ex declaratione S. Congregationis, relata a *Gonzal. gl. 1. §. 9. n. 30. Castropal. tom. 2. tract. 13. dis. 1. punct 9. in fin.* quia etiam is, qui ob senium, vel morbum excusatur a præsentia in choro, ut percipiat distributiones, tamen tenetur residere in loco; alias neque distributiones, neque fructus præbendæ percipere potest, ut dixi *c. præced.* quia sunt obligationes distinctæ.

Limita, nisi coadjutor daretur ob causam talem, quæ exigeret absentiam etiam a loco: vide *Barbos. in c. un. n. 14. de Cler. non resid. in 6. & gl. in eod. cap. un. verb. Absuerint.*

CAPUT V.

Residentiam non facientes clerici, tempore ordinationis alicui Ecclesiæ ab Episcopo adscripti.

EX Trid. *sess. 23. cap. 16.* nullus debet ordinari, nisi judicio Episcopi sit utilis, aut necessarius suis Ecclesiis, & nisi adscribatur illi Ecclesiæ, pro cujus necessitate, aut utilitate assumitur, ubi suis fungatur muneribus, ne incertis vagetur sedibus: quod si locum, inconsulto Episcopo, deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicatur, idest suspendatur: si autem nulli Ecclesiæ sit adscriptus, non potest Episcopus prohibere, ne discedat, ut declaravit sacra Congregat. *ad dict. c. 16. Trident. Barbos. ibi n. 2.* itaque ordinatus semel, vel tonsura initiatus, alicui Ecclesiæ adscriptus a proprio Episcopo, non potest inde discedere sine licentia Episcopi sui, neque alius Episcopus potest eum recipere, ut Sacra Congregatio declaravit *sup. dict. c. 16.* neque potest ordinari ab alio Episcopo, sive ratione domicilii, noviter acquisiti, sive jure collationis beneficii, vel jure triennalis familiaritatis: alias incurrit ordinatus suspensionem, duraturam ad arbitrium sui Ordinarii, & ordinans incurrit suspensionem a collatione ordinum per annum, ex Triden. *sess. 23. c. 8. de refor.* De pœnis autem clericorum vagantium, vide *Menoch. de arbitr. casu 531.*

☞ *Tridentini decretum in cit. cap. 16. sess. 23. declaratum, & ampliatum fuis ab Innoc. XIII. Constit.* Apostolici 13. *Maji 1723. decernente, hanc Triden. regulam omnino servandam esse, nedum quoad promovendos ad ordines, licet minores, sed etiam quoad prima tonsura initiandos. Hoc insuper addito, quod siqui reperirentur, vel clericali tonsura jam initiati, vel ad ordines, sive minores, sive majores jam promoti, qui nul-*

li certa Ecclesiæ, vel loco pio adscripti fuerint, Episcopi hanc adscriptionem, vel a se, vel a suis prædecessoribus omissam, statim supplere debeant, respectu illorum, qui beneficium ecclesiasticum possident: ex reliquis autem eo carentibus, illos tantum adscribant, quos Ecclesiis suis utiles, & necessarios noverint. Quæ Constitutio, licet emanata fuerit pro restauranda disciplina ecclesiastica in Regnis Hispaniarum, extensa tamen fuit ad totius orbis Episcopos, pro norma circa præmissa ab iisdem servanda, a Bened. XIII. Constit. In supremo 23. *Sept.* 1724.

☞ *Circa hanc adscriptionem vide notata supra c.* 4. *verbo* Apostasia *pag.* 64. ☜

CAPUT VI.

Residentiam Cardinales apud Sedem Apostolicam, vel in suis titulis non facientes.

I. EX Bulla 7. Leonis X. *Supernæ* §. 28. Cardinales omnes in Romana Curia residere tenentur, & si absentes creati fuerint, eo se conferre tenentur a die promulgationis hujus Bullæ, in Italia intra sex menses, extra Italiam intra annum: alioquin fructus beneficiorum, & omnium officiorum suorum emolumenta amittant, omnibusque privilegiis generaliter, vel specialiter Cardinalibus concessis, quandiu absfuerint, omnino careant: exceptis iis, qui excusantur aliqua justa causa impediente, ut ratione sibi commissi officii a Sede Apostolica, vel justo metu, vel ægrotatione.

Illa prima pœna privationis fructuum, est sententiæ ferendæ, propter *verb. Amittant.* ut ait *Tiraquell. in leg. Si unquam, verbo Revertatur n.* 152. *&* 153. cum magis communi: posterior autem pœna, scilicet amissionis privilegiorum, est latæ sententiæ, propter verbum *careant*, ut *Tiraquell. ibi n.* 161. præsertim propter particulam *omnino*, ut *Tiraquell. ibi n.* 76. & probat in terminis *Caputaquen. verb. Indult. decis.* 86. *p.* 2. *ex decreto consistoriali Pauli III.*

II. *Ex cap.* 2. *de cler. non resid. & ibi Canonist.* Cardinales tenentur in suis titulis residere; alias Papa contra eos potest procedere ad depositionem, monitione canonica præmissa; est communis sententia *apud Paris. lib.* 1. *de resign. quæst.* 10. *n.* 23.

Limita, quod hoc, ut teneantur in suis titulis residere, hodie non est in usu.

Limita secundo, quod Cardinalis censeatur in Curia residere, si maneat intra 40. milliaria, ut decisum ait *Cherubin. super Bulla* 5. *Pauli quarti, incip. Cum venerabiles, Schol.* 2.

Limita tertio, quod hodie illa pœna depositionis non irrogatur, nisi ob magnum contemptum, ut *Paris. ibi n.* 28.

Limita quarto, ut non procedat in Cardinalibus residentibus in suis episcopatibus, ut notat *Barbosa in dict. c.* 2. *de cler. non resid. ex Concil. Trid.* & hodie est certissimum *ex Bulla Urbani VIII. de qua sup. cap.* 1.

Limita quinto, quod hodie Cardinales creati absentes, tenentur intra annum ad Romanam Curiam accedere, & Limina SS. Apostolorum visitare, *ex Bulla Sixti V.* 50. §. 19. *Postquam*, sub pœna privationis cardinalatus ipso facto, ut *ibi*.

CAPUT I.

Resignantes, seu dimittentes beneficia curata ad favorem alterius, contra juramentum in Curia Romana præstitum de residendo, & per se deserviendo.

I. EX Bulla Pii IV. 87. in Bullario Laertii, *Inter multiplices* 10. *Martii* 1563. *edit. Romæ* 1586. quicunque beneficium parochiale, etiam titulo vicariæ perpetuæ, aliudve curatum, vacans per obitum a Sede Apostolica obtinuerit, scilicet prævio examine, ac Diœcesani, & testium fide de idoneitate, & ceteris de jure requisitis, & præstito juramento juxta stylum Curiæ, & Constitutiones Apostolicas, & etiam fidejussione se infra certum, & tunc expressum, tempus ad locum beneficii conferendi, & ibi, per seipsum curam exercendo, residendi, si hujusmodi promissionum implemento non præstito, in alterius favorem, etiam intrusi, vel possessoris, vel occasione litis motæ, aut alias resignaverit, cesserit, vel dimiserit beneficium prædictum, ipse, & ii, in quorum favorem ea egerit, & ii, qui ad ea consilium, auxilium, vel favorem præstiterint, omnes, si tamen sint Episcopis inferiores, incurrunt ipso facto pœnam excommunicationis, Papæ reservatæ, & privationem illius, & aliorum beneficiorum per eos obtentorum, & inhabilitatem ad ipsa in posterum obtinenda: quæ ipso facto vacare censentur, & dispositioni Sedis Apostolicæ reservata esse: quæ consanguineis, & affinibus, & confidentibus eorum, qui eis privati fuere, conferri non poterunt: vide de hac Constitutione *Sayr. lib.* 3. *de censur. c.* 31. *n.* 5. *Filiuc. tract.* 15. *n.* 167. *Barbos. alleg.* 50. *n.* 132. *Garz. par.* 11. *c.* 3. *n.* 44. 191. *& par.* 8. *c.* 2. *n.* 35. *Paris. de resign. lib.* 3. *quæst.* 2. *n.* 21.

Inde fit, ut hodie ex ordinatione Greg. XIV. non admittantur in Curia Romana resignationes parochialium, & aliorum beneficiorum, residentiam exigentium, nisi expressum fuerit in supplicatione, per quantum tempus illud beneficium resignans possederit: & non solet admitti, nisi resignans possederit per quinque annos, vel circa, idest, plus, vel minus sex mensibus, ut *Paris. & Garzias n.* 44. *cit.*

☞ *Quaranta verbo* Beneficiorum resignatio §. *ultimo* Sciendum, *refert, Innocentium IX. instituisse, ne illud renuntiare possit ante triennium.* ☜

CAPUT II.

Resignationem admittentes contra formam Bullæ Pii V.

EX Bulla Pii V. 58. *Quanta*, prohibitum est Episcopis, seu Ordinariis, patronis, & aliis, jus habentibus admittere resignationes beneficiorum, & officiorum ecclesiasticorum, nisi eorum tantum, qui aliquam ex his justis causis habeant resignandi; scilicet, si senio confecti, valetudinarii, corpore impediti, vel vitiati, crimini obnoxii, censuris ligati: item qui aliud beneficium obtinuerunt, Religionem ingressuri, matrimonium contracturi, si statim id reipsa exequantur; item habentes aliquam ex causis contentis in *cap. Nisi de renun.* juxta versus, *Debilis, ignarus, male conscius, irregularis, quem mala plebes odit, dans scandala, cedere possit*: item qui ob capitales inimicitias residere non possunt: quod si tamen quis sit in sacris constitutus, non posset etiam ex supradictis causis resignare, nisi Religionem ingressurus, vel nisi aliunde habeat congruam vitæ sustentationem: senio autem confectum hic intelligas septuagenarium (nisi alias sit debilis ob infirmitatem (*Zenzelin. & Gemin. in c. un. de Cleric. ægrot. in* 6. *& ibi Jo. Andr. verb. Senio Feliu. c. Quoniam n.* 4. *vers. Ad tertiam, ut lit. non cont. & facit leg.* 3. *ff. de jur. immun.*

Præterea statuit, ut prædicti simplices solum resignationes admittant; & ideo prohibuit, ne præfati resignationem admittentes, designent antecedenter successorem ad suggestionem resignantium, neque inter eos promissio, vel intentio de eo intercedat: item prohibuit, ne ipsi collatores, resignationem, ut supra admittentes, audeant ea beneficia, vel officia conferre propriis, vel eorundem resignantium consanguineis, affinibus, vel familiaribus. Sed quoad hanc ultimam prohibitionem, DD. Hispani dicunt, eam in Hispania non servari, sed ab ea fuisse supplicatum, & sic suspensam executionem, ita *Garz. par.* 11. *c.* 3. *n.* 270. *Barbos. alleg.* 69. *n.* 84. *Castropalao tom.* 2. *tract.* 13. *dis.* 6. *pun.* 1. *n.* 7. An autem possit ordinarius collator eidem renuntianti denuo idem beneficium conferre: respondeo, non posse, nisi ex nova causa, non prævisa, & cessante causa, ob quam facta est renuntiatio: *Paris. resign. lib.* 1. *quæst.* 13. *a n.* 43. *gloss. communiter approbata in cap. Ad nostram il* 2. *verbo Probarent de jurejur. Barbos. & alii Canonistæ in c.* 2. *de renu.* alias præsumeretur confidentia, ut dixi verb. Simonia *cap.* 3. *num.* 2.

☞ *Quoad collationem beneficii resignati consanguineis, affinibus, vel familiaribus, ex decreto Cong. Conc. approbato a Gregor. XIII. & relato a Bened. XIV.* de Synod. diœc. lib. 13. cap. 24. n. 4. *neque conferri potest, quamvis beneficium resignatum conferendum esset per concursum, ad quem ne admitti quidem debent. Secus si beneficium vacaret per obitum, ex declaratione Sixti V. ad Bullam Pianam relata* ibid. num. 5. *Hæc tamen prohibitio locum non habet in permutationibus, quas Pius admittere permittit Episcopo, dummodo sint sacris Canonibus consona, nec mala fide, & fraudulenter coram ipso fiant, idest in commodum potius permutantium, quam in Ecclesiæ utilitatem, vel necessitatem, ut animadvertitur* cit. cap. num. 10.

Nec

Nec locum habet in resignationibus beneficiorum jurispatronatus, ex declaratione dicti Greg. adnotata in libris Cong. Conc. ut ex testimonio Cardinal. Hieron. Matthæi, Præfecti, relato a Quaranta verb. Benef. resignation.

Quod si contra prædictam formam fuerit aliquid attentatum, id totum decernit irritum: & contra facientes incurrant pœnam suspensionis a collatione, confirmatione, institutione, prout cuique competat, in qua deliquerint, donec a Papa absolutionem meruerint obtinere: & recipientes talia officia, seu beneficia sibi collata, eisdem pœnis voluit subjacere: violare autem talem suspensionem audentes, scilicet beneficia, seu officia conferendo, præsentando &c. singulares quidem personæ excommunicationem; universitates autem, ut capitula, & conventus, suspensionem a divinis ipso facto incurrunt; & absolutio earum censurarum Papæ reservatur.

Amplia, ut resignatio contra formam præfatam, sit nulla, etiamsi ex ignorantia, & bona fide sit admissa; quia decretum irritans ligat ignorantes: *Azor. par. 2. lib. 7. c. 29. quæst. 5. §. Quærat, Parisius de resign. lib. 5. quæst. 6. n. 220. & n. 230.* ubi restatur de communi.

Amplia secundo, quod etiam recipiens tale beneficium contra formam, seu prohibitionem præfatam, incurrat suspensionis censuram, ut patet ex Bulla.

Amplia tertio, quod ista suspensio habet effectum suum, etiamsi non fuerit declarata; ita ut collatio beneficii facta a tali suspenso, sit ipso jure nulla, & irrita; quia hæc suspensio est censura, ideo non indiget sententia declaratoria, & quia ita statuit Pius V. in *dict. Constit.* ita *Rota recen. par. 2. decis. 17. n. 4.* Est tamen verum, quod si ignorabatur, collatorem tale delictum commisisse, & communi errore reputabatur habens liberam potestatem conferendi, collatio esset valida, *per leg. Barbarius ff. de off. Prato.* dummodo iste provisus esset solus: secus si concurrat cum alio provisore, re integra, ab habente potestatem conferendi veram, & non solum putativam, v. gr. a Papa, *Rota ibi n. 6. Lapus alleg. 89. n. 15. Boer. decis. 150. n. 13.* Quando autem dicatur res non integra, vide *Boer. ibi*, ubi docet, quod si provisus ab habente titulum putativum, adipiscatur possessionem intra annum, nihilominus dicetur res non integra.

Amplia quarto, quod etiamsi post aliquod tempus a die commissi criminis talis suspensus conferat, non potest provisus dicere, præsumi Episcopum fuisse absolutum medio tempore, quia hoc non præsumitur, nisi probetur, *Rota d. decis. 17. n. 5.*

Limitant aliqui suspensionis pœnam, latam contra provisos de talibus beneficiis, seu officiis, ut illa sit non a collatione, seu præsentatione; quia non quadrat; sed a beneficiis, & administratione; ita ut non possint se illi ingerere, sed abstinere debeant ab omni jure, & officio, ratione alicujus beneficii, seu officii competente, *Azor. par. 2. lib. 7. c. 19. quæst. 5. §. Quæres, Parif. lib. 5. quæst. 6. n. 198.* unde etiam inferunt, quod isti provisi suspensionem violantes, se ingerendo, non incurrunt excommunicationem, de qua supra, sed eam incurrunt soli conferentes, præsentantes &c. ita *Azor. loco cit.* sed contra alii putant, quod illa particula *eisdem pœnis* latius pateat, nempe, ut sit suspensio a beneficiis quibuscunque, antea scilicet obtentis, ut supra, & a collatione, præsentatione, electione &c. ratione suorum beneficiorum sibi competente: ita *Sanch. opuscul. lib. 2. c. 3. dub. 36. n. 18. & 21. in fin.*

Limitant secundo nonnulli pœnas præfatas hoc modo, quod irritatio actorum sit apposita, quacunque ratione resignatio admittatur, vel beneficium, seu officium conferatur contra formam præfatam, saltem in aliqua ejus parte; sed quod pœnæ suspensionis, & excommunicationis non incurrantur, neque impositæ sint, nisi quando beneficia, seu officia resignata legitime, conferrentur, seu tribuerentur consanguineis, affinibus, aut familiaribus supradictis; quia illæ pœnæ videntur adjectæ ad ultimum §. *Ceterum præcipimus*: & ita tenent *Parif. lib. 5. quæst. 6. n. 223. & 225. Azor. §. Quærat, Genuens. in praxi c. 53. n. 4. & 5. Ugolin. de potest. Episc. cap. 50. §. 18. n. 6. Barbos. allegat. 69. n. 46. Castropalao tom. 2. de relig. tract. 13. disp. 6. punct. 1. n. 7. in fin. Prosper August. ad Quarantam, verbo Benef. resignatio in fin.* & facit illa particula, *ut in quo deliquerint, puniantur*; punitur ergo collator suspensione a collatione, quia deliquit, conferendo personis prohibitis; nam admittendo resignationem sine causa, non bene punitur suspensione a collatione, cum in ea non deliquerit: sed alii dicunt, pœnas illas appositas esse transgressoribus illius formæ in quavis ejus parte, sive admittendo resignationem, sive conferendo, ut *Suar. de cens. disp. 22. sect. 6. n. 21. Filiucc. tract. 15. n. 201. Bonac. de censur. partic. disp. 2. quæst. 7. punct. 4.* & idem tenet *Garzias par. 11. c. 3. n. 208. Sanch. loco cit. n. 21.* sed prima sententia est magis communis, & mihi verior videtur.

Limita tertio, ut non incurrat censuras præfatas, qui contrasecit ex ignorantia inculpata, ut *Navarr. cons. 9. de renunc. n. 2.* qui ait, hoc posse habere locum tantum pro foro conscientiæ; imo etiam pro foro externo; ut si Episcopus conferat beneficium consanguineo resignantis, ignorans eum consanguineum, non incurrit suspensionem, nec privatur jure illud alteri idoneo conferendi, *Burats. decis. 162. n. 6. Rot. decis. 467. n. 3. & 4. par. 1. noviss.* ubi ait, actorem probare teneri, quod collator scivertt, illum esse consanguineum resignantis.

Limita quarto, ex eadem *decis. 467. n. ult.* quod si resignatio fuit nulla ex alia causa, tunc non intrant pœnæ hujus Constitutionis, v. g. si resignatio fuit ad favorem, sed conditionalis, & conditio defecit; poterit enim collator conferre, si illud beneficium vacet per obitum dicti resignantis: ita *Rota ibi*.

Limitant quinto, quod non intelligitur prohibita suggestio simplex, seu expressio desiderii resignantis de persona providenda, si hæc suggestio fiat post resignationem; ita *Sanchez lib. 2. opusc. c. 3. dub. 36. n. 23. Navar. cap. 27. n. 109. Garz. par. 11. cap. 3. n. 209. Quaranta, verbo Beneficii resignatio, vers. Pro complemento, Redoan. de simon. par. 1. cap. 25. Suarez tom. 1. de Relig. tract. ult. c. 35. n. 18.* quia hæc expressio non afficit resignationem jam factam, dummodo non intendatur persona prohibita, idest, consanguineus, vel affinis, vel familiaris: ita citati Auctores.

Imo aliqui addunt, neque esse contra Bullam istam, si ante resignationem resignaturus exprimat suam intentionem, si exprimatur per modum liberæ submissionis; quia Bulla prohibens talis intentionis expressionem verbo, vel nutu, intelligenda videtur de signo significante pactum, seu conditionem, vel modum annexum resignationi, unde restringatur provisio ad talem personam: ita tenet *Sanchez loco cit. Parif. de resign. lib. 14. quæst. 6. n. 7. Prosper August. ad Quarantam loc. cit. in fin.* sed contrariam sententiam alii tenent, scilicet prohiberi etiam intentionis expressionem cum libera submissione ante completam resignationem: ita *Garzias loco cit. n. 202. Ugolin. par. 1. de simon. c. 28. §. 2. in fin. Bonac. de simon. quæst. 4. §. 14. n. 5. Suarez loco cit. c. 35. n. 18.* & hæc tutior tenenda, ut patebit ex iis, quæ statim dicam *hic n. 2.*

Limita sexto, ut hæc Constitutio non contineat permutationem, *Cherub. schol. 1. super hac Bulla.*

II. Adde, quod secundum aliquos Doctores resignans, & admittens resignationem intentione expressa, etiam cum libera submissione, ut conferatur certæ personæ, incurrunt pœnas simoniæ confidentialis (imo & beneficialis ordinariæ, secuto effectu) ut *Abb. & alii apud Suarez loc. cit. & Redoan. & alii apud Bonac. n. 6.* sed contraria est verior, quod nisi intercedat pactum, seu conventio, seu obligatio tacita, vel expressa de conferendo tali personæ, non intrat simoniæ vitium; sed solum obstat Bulla Pii V. de qua supra: tenet *Bonac. ibi cum Covarr. Suarez, & Filiuccio*, & est communis sententia, ut patet ex Doctoribus plurimis, quos allegat, & sequitur *Garzias par. 11. cap. 5. n. 166. & n. 182. cum seqq.* Adverte autem, quod facta resignatione libera in manibus ordinarii collatoris, si moriatur resignans intra viginti dies, beneficium dicetur vacare per obitum, & non per resignationem, ut *Burat. decis. 162. n. 1.* unde non intrat tunc forma hujus Bullæ.

Adverte etiam, quod multo magis esset nulla institutio, vel collatio, si ante resignationem beneficii jurispatronatus, patronus nominaret, seu mandatum faceret ad nominandam certam personam, antequam beneficiatus libere renuntiasset in manibus Ordinarii; nam talis nominatio, seu mandatum, est tacita vacaturi beneficii promissio, quæ est irrita ipso jure, *c. Nulla, il 2. & c. Cum dilecta de concess. preben. Garz. par. 10. c. 1. n. 22. Castropal. tom. 2. tract. 13. dis. 3. pun. 5. n. 4. in fin.* & quia in tali casu est aperta designatio personæ, cui conferendum, seu qui instituendus sit in eo beneficio, quæ sunt contra Bullam præfatam Pii V.

Quæres, an ad resignandum beneficium jurispatronatus requi-

requiratur consensus patroni? respondeo, regulariter loquendo, requiri, *Paris. lib. 2. quæst. 4. a num. 4.*

CAPUT III.

Resignationem beneficii fieri procurantes per injustam carcerationem beneficiati.

EX *Clemen. Multorum, de pœnis*, si obtinens temporale dominium, virum ecclesiasticum capiat, captumque, donec suum resignet beneficium, detineat, tam hoc faciens, quam fieri procurans, incurrit in excommunicationem *can. Si quis suadente* 17. *q.* 4. *& c. Super, de sent. excomm.* sed etiam ipse procurans, si sit persona ecclesiastica; Prælatus quidem incurrit suspensionem triennio a perceptione fructuum suæ Ecclesiæ; inferior autem eo ipso est privatus beneficiis jam obtentis; & resignatio taliter extorta, etiamsi a Prælato proprio admissa fuerit, nullius est momenti, hoc est ipso jure nulla; & locorum Ordinarii, ubi constiterit eis de tali excessu, debent dictas sententias incursas declarare, & exequi.

Nota primo, quod hæc procedunt, quando capitur, seu incarceratur clericus per laicam potestatem; secus si per ecclesiasticam, ut notat *gloss. ibi, verbo Seculari, Vitalin. n.* 26. *&* 29. nam quoties carceratio est injusta, facta ab ecclesiastico, solummodo incurreret carcerans excommunicationem *can. Si quis suadente*: item intelligitur de carceratione facta vi publicæ potestatis, non autem si fiat privata audacia, ut *Vitalin. ibidem n.* 29.

Nota secundo, quod resignatio beneficii extorta per metum, etiam cadentem in constantem virum, est valida ipso jure, sed est merito rescindenda, ut de magis communi, & veriori testatur *Paris. de resign. lib.* 13. *quæst.* 2. *n.* 8. Fallit in casu hujus Clementinæ, quando fuit aliquis captus a domino temporali, & detentus, donec beneficium resignaret, ut communem ait *Parisius ibi n.* 18. *cum gloss. & Bonif. in dict. Clem.* sed an requiratur ad hanc irritationem actus, ut carceratio sit procurata a persona non ecclesiastica, dubitat *Vitalin. ibi n.* 293. sed contra verius videtur, & communiter tentum, quod sufficiat prædicta coactio a laica potestate: ita *Hostien. in c. Ad aures in prin. de his, quæ vi, Ruin. consil.* 121. *n.* 14. *vol.* 4. *Paris. loco cit. n.* 18. *& Rota decis.* 374. *n.* 2. *in novissimis.*

Nota tertio, quod ad incurrendam excommunicationem, ut supra, sufficit captura attentata per manus injectionem: sed ad hoc ut renunciatio sit nulla, utque procurantes incurrant alias pœnas supradictas, requiritur actus consummatus, scilicet captio, detentio, & ob detentionem facta resignatio, *Vitalinus ibidem n.* 26. *Cardin. n.* 13. *Ancharan. n.* 5. *Bernard. Diaz in praxi c.* 107. *Suarez de censur. dis.* 31. *sect.* 5. *n.* 21. *Filiuc. tract.* 17. *n.* 155.

Nota quarto, quod aliqui dicunt, pœnam istam suspensionis, latam contra Prælatos, non procedere contra Episcopos, per *cap. Quia periculosum, de sent. excomm. in* 6. ita *Vitalin. in dict. Clem. n.* 15. sed contra tenent alii communiter; quia nomen Prælati principaliter convenit Episcopis: ita *Suar. loco cit. n.* 17. *Alter. tract. de suspens. disp.* 16. *c.* 3. *Filiuc. n.* 154.

CAPUT IV.

Resignationes, & super eis provisiones Sedis Apostolicæ, vel Ordinariorum, non publicantes.

EX Bulla Greg. XIII. 85. *Humano*, statutum est, ut beneficiorum resignationes, & cessiones beneficiorum, seu jurium eorundem, etiam causa permutationis factæ in manibus Papæ, & super eis provisiones, vel mandata de providendo, publicari debeant cum litteris Apostolicis desuper confectis, intra sex menses, si beneficium sit intra montes; ultra montes autem intra novem menses, a data concessionis gratiæ, non autem a die præstiti super ea consensus numerandos; utque publicatio ista fieri debeat in cathedrali Ecclesia, & in Ecclesia beneficii, vel Ecclesiis illius, si plures habeat principales; si autem Ecclesia est ruralis, fiat in parochiali: & si locus periculosus sit, idest non tutus ad eum accessus, fiat in proxima parochiali: fierique debet publicatio, dum frequens populus ad Missarum solemnia accedit, palam exhibendo litteras originales, earumve transumptum authenticum, utque clara, & intelligibili voce pronuncietur qualitas beneficii, nomen, & cognomen resignantis, & resignatarii: & de his actis exemplum affixum Ecclesiæ relinquatur.

Ante hanc publicationem resignatarius, seu cessionarius possessionem apprehendere non possit vigore litterarum Apostolicarum; sed facta publicatione, petere debet ab executore earum litterarum Apostolicarum, præsentatis eisdem litteris cum testimonio, seu instrumento publicationis factæ, se in possessionem immitti.

Siquid autem prædictorum omnium omissum fuerit, dictis terminis elapsis, gratiæ, & dispositiones dictorum beneficiorum, seu jurium, cum omnibus inde secutis nullæ sunt, & irritæ ipso facto, & beneficia ista intelliguntur vacare in Curia a die resignationis, seu cessionis: neque possunt resignatarii ea beneficia retinere, neque per novam provisionem obtinere, sed sunt ad ea inhabiles, & incapaces: sed neque resignantes possunt ea retinere prætextu nullæ resignationis, nec eis suffragatur regula de annali, vel triennali.

Item talia beneficia non poterunt ab aliis impetrari certo modo, sed ejus modus vacationis est specialiter exprimendus nominatis resignantibus, & resignatariis: reservationes tamen pensionum, seu fructuum factæ super his, remanent validæ, dummodo resignantes, in quorum favorem reservationes sunt factæ, possessionem eorundem beneficiorum dimiserint: quod si resignationes fiant in manibus Ordinariorum, aut aliorum inferiorum Papæ, etiam causa permutationis, ordinarii collatores debent admittere, vel rejicere resignationem intra mensem; at provisus debet publicare provisionem, & possessionem capere in forma prædicta, intra tres menses a die sibi factæ provisionis: alioquin, illis elapsis, nulla est ejus provisio, & beneficium vacare censetur eo ipso: Ordinarii autem, & alii præmissa non perficientes sint privati ea vice potestate disponendi de dictis beneficiis; quæ potestas eo ipso devolvitur ad Sedem Apostolicam, a qua hujusmodi beneficia concedenda erunt, modis, seu conditionibus supradictis.

Nota hic, quod hæc Constitutio procedit non solum in resignatione ad favorem, sed etiam in absoluta, & libera dimissione; etenim hæc sola fieri potest in manibus Ordinarii, ita *Paris. de resign. lib.* 11. *quæst.* 2. *n.* 8. *& quæst.* 5. *n.* 49.

Explicant hanc Bullam *Paris. lib.* 11. *de resignat. in præfat. n.* 5. *Quaranta verbo Beneficiorum resignatio, Garz. par.* 11. *c.* 3. *n.* 273. *& seqq.*

Amplia, ut neque possessio decennalis suffragetur, non facta publicatione supradicta, *Parisius lib.* 11. *de resign. quæst.* 6. *n.* 112. *& n.*76. quia non habuit titulum ullum, etiam coloratum.

Amplia secundo, ut neque sufficiat, resignationem fuisse, & esse publicam, & notoriam toti populo; quia Bulla vult implementum in forma specifica, ita *Paris. quæst.* 6. *n.* 81.

Limita supradictam formam, ut non sit necesse in publicatione, litteras legere ad extensum, sed sufficit summam rei publicare cum exhibitione litterarum, & transumpti authentici, *Garz. n.* 290.

Limita secundo, quod termini prædicti dati ad publicandum non currunt impedito, *Navarr. cons.* 3. *de renunciat.* & tempus etiam pro forma requisitum non currit impedito, *Tiraq. de retrac. lignag. §.* 3. *gloss.* 4. *n.* 5. & id pro foro conscientiæ concedit *Paris. lib.* 11. *quæst.* 13. *n.* 111. ut si peste fuit impeditus, *Paris. n.* 1. vel ab adversario, *Paris. n.* 95. pro foro autem externo, quod currat impedito, ac etiam minori quatuordecim annis, & ignoranti, tenet *Parisius quæst.* 4. *n.* 34. *&* 75.

Limita tertio, quod publicatio præsumitur facta post triennium; & hoc modo indirecte suffragatur ei regula de triennali pro foro externo, *Garzias n.* 313. *Paris. quæst.* 14. *n.* 26. pro foro autem conscientiæ, si mala fides adfuit, non suffragatur, *Paris. quæst.* 7. *n.* 19. *& quæst.* 6. *n.* 90. *&* 92.

Limita quarto, quod ille terminus, qui dicitur currere a data concessionis gratiæ, intelligitur a die expeditarum litterarum, *Paris. quæst.* 13. *a n.* 119. *&* 124.

Limita quinto, quod publicatio, licet regulariter fieri debeat inter missarum solemnia in diebus festis; tamen hæc forma potest per æquipollens adimpleri, scilicet, quando similis sit concursus populi in alia occasione, *Paris. quæst.* 6. *n.* 25. *& seq.*

Limita sexto, ut non requiratur publicatio resignationis factæ causa unionis; dummodo unio fuerit effectum sortita, *Seraph. dec.* 1309. *n.* 5.

Limita feptimo, ut fufficiat breve compendium affigi in valva, feu in porta una Ecclefiæ, *Garz. n.* 295. & fufficit una die ibi manere, *Parif. q. 6. n.* 56.

Limita octavo, ut obtentam novam provifionem publicare fufficiat, *Parif. n.* 129.

☞ *Citata Gregorii XIII. Conftit. confirmata fuit a Bened. XIV. Conftit.* Ecclefiaftica 15. *Jun.* 1746. *ubi infuper inhibetur notatio Dataria, ne recipiat confenfus fuper quibuslibet refignationibus favore quorumcunque, etiam S. R. E. Cardinalium, factis, quoties mandatum procura habeat datam anteriorem octo menfium quoad refignantes citra montes, vel duodecim quoad degentes ultra montes. Item præcipitur, fupplicationem fuper admiffione cujufcunque refignationis fignari intra duos menfes a data refcripti; itaut intra fex menfes a data conceffionis, quoad beneficia citra montes, & intra novem, quoad exiftentia ultra montes, eorundem poffeffia cum effectu capiatur, & gratia refignationum cum litteris Apoftol. publicentur ad formam Conftit. Greg. XIII.* Humano. *Inhibetur conceffio prorogationis, etiam pro prima vice, ad dictam publicationem faciendam, nifi prius docto de litteris expeditis in officio Subdatarii, privative quoad alios Dataria officiales: ficuti & ulterioris prorogationis poft primam, & fecundam, nifi juftificatum fuerit coram Datario impedimentum non facta publicationis: a quo tot prorogationes concedi poterunt, quot neceffaria erunt ufque ad remotionem impedimenti: fub pœna, his omnibus non fervatis, nullitatis refignationum, & inhabilitatis ad beneficia, aliter refigasta obtinenda.* ☜

CAPUT I.

Ritus ecclefiafticos pro libito mutari poffe afferens.

EX *Trid. feff. 7. de Sacram. can.* 13. — Siquis dixerit, receptos, & approbatos Ecclefiæ catholicæ ritus, in folemni Sacramentorum adminiftratione adhiberi confuetos, aut contemni, aut fine peccato a miniftris pro libito omitti, aut in alios per quemcunque Ecclefiarum Paftorem mutari poffe, anathema fit — & idem habet *feff. 22. can. 5. & feff. 24. can.* 11. ex quibus apparet, quod hæc afferens cum contumacia, feu advertenter contra hanc Ecclefiæ definitionem, incurrit crimen hærefis, & pœnas, de quibus dixi *verbo Herefis*; & ita *Majolus lib. 3. c. 26. n. 1. in princ.* unde hodie in profeffione Fidei tenetur quis in fpecie ritus Sanctæ Ecclefiæ catholicæ approbare, ex *Bulla Pii IV.* 88. *In Sacrofancta* 13. *Novemb.* 1564.

☞ *Circa ritum fervandum in celebratione Miffæ, quem Trid.* feff. 22. cap. 8. de Sacrif. Miff. *præcipit, retinendum effe antiquum in unaquaque Ecclefia, S. Pius V. Conftit.* Providentia 20. *Aug.* 1566. *revocavit etiam facultatem quomodolibet conceffam græcis latino ritu, & latinis græco more eam, & divina officia celebrandi; fub pœna in aliter facere præfumentes perpetuæ fufpenfionis a divinis. Hanc Conftitut. confirmavit Bened. XIV. feq. Conftit.* Impofito.

Ex decreto tamen Sacra Inquifitionis ann. 1602. *approbante Clemente VIII. relata ab eod. Bened. Conftit.* Impofito 29. *Mart.* 1751. *§. 7. licet facerdotibus Ruthenis in Ecclefiis ritus latini uti altaribus, calicibus, & veftibus facris pro celebratione miffæ, etiam devotionis caufa, quibus utuntur latini; ficuti & facerdotibus ritus latini in Ecclefiis Ruthenorum uti altaribus cum eorundem antimenfiis, ideft linteis, epifcopali benedictione confecratis, loco facrati lapidis, calicibus, & veftibus; dummodo eorum quilibet celebret in fuo refpective ritu, feclufo fcandalo, & de licentia Prælatorum, ac rectorum ipfarum refpective Ecclefiarum: quod facere poterunt in folo cafu neceffitatis, cum fcilicet presbyteri latini longe degunt ab Ecclefiis latini ritus; ac propterea fecum deferre nequeant facratas tabulas lapideas fine gravi incommodo, & periculo eas confringendi, ut ex citato §. 7.* ☜

CAPUT II.

Ritum Latini, vel Græci in fua ordinatione mutantes.

IN *cap. Cum fecundum, de temp. ordin.* latini a græcis, & græci a latinis ordinari non debent, ritum fuum mutando, fed quifque ritum fuum cuftodire debet; unde neque poteft Epifcopus latinus fuo fubdito clerico latino licentiam dare, ut ordinetur a græco Epifcopo ritu græco, fed folum ritu latino, *cap. Quod translationem, de tempor. ordin. Abb. in dict. c. Cum fecundum, Barbof. in dict. c. Quod translationem, Azor. tom. 2. lib. 3. c. 48. quæft.* 14. alias ordinatus non recipit ordinis executionem, ut colligitur ex *dict. c. Quod translationem*, ut ibi *Abb. n. 2. in fin.* ubi ait, talem ordinatum non tolerari; videlicet eft ipfo facto fufpenfus: & melius probatur ex *dicta Decretali, Cum fecundum, in ipfo tex. integro* (unde fumitur *tex. citatus*) *in fin.* qui habetur apud *Ant. Aug. antiq. collect. decret. collec. 2. lib. 1. tit. 7. c.* 1. & ita in cafu nuper contingente judicatum fuit a Sacra Congregatione Sancti Officii de quodam clerico, qui primam tonfuram a latino Epifcopo receperat cum licentia fui Epifcopi græci ritus, deinde cum ejufdem licentia a græco Epifcopo minores acceperat, eum effe fufpenfum, tanquam fine licentia legitima ordinatum in minoribus: quia Epifcopus licentiam illam dare non potuit: imo neque ipfe Epifcopus latinus, habens fub fe græcos fubditos, poteft eos græco ritu ordinare, fed tantum latine latinus ordinare poteft, & pro græcis debet habere Epifcopum Vicarium græci ritus, qui eos græco ritu ordinet, ut *cap. Quoniam, de officio judicis ordinarii*; alias enim qui ordinatur contra ritum ordinantis, vel ordinati, eft ipfo jure fufpenfus, ut *Majol. lib. 3. cap. 26. n. 1. & lib. 4. cap. 32. n.* 2. Nullam autem irregularitatem incurrit, per fe loquendo, perperam ordinatus modis prædictis; nifi in fufpenfione, ut fupra incurfa, celebraverit, aut ad ulteriores fe fecerit promoveri: ita cenfuit *Sac. Congr. S. Officii*, ut fupra. Si tamen græcus laicus mutet domicilium, ad Ecclefiam latinam fe transferendo, vel ipfe græcus fubditus Epifcopi latini, confentiat tranfire ad ritum latinum, & latine a latino Epifcopo ordinari, id fieri poterit: fed non ordinabitur in facris, nifi promittat, & voveat caftitatem, faltem implicite: quod fi uxorem habeat, non poterit a latino fic ordinari, nifi cum uxoris confenfu voveat continentiam, *gloff. in c. Quoniam, & c. Nicæna 31. dift. Imola in c. Cum olim, n. 6. de Clerico conjug.* alias ordinatus erit irregularis: latinus autem laicus non poteft, etiam mutando domicilium, fe transferre ad ritum græcum, & ordinari a græco ad titulum Ecclefiæ græcæ, etiam cum confenfu fui Epifcopi latini, quia id jus canonicum, feu Papa non permittit: unde fi uxorem habeat, & fic in facris ordinetur a græco, non poteft uti matrimonio, fecundum veriorem fententiam, *Hoftien. in dict. cap. Quod translationem, ibi Abb. n. 3. Cardin. §. Quæro in eo.*

☞ *Notandum hic ex Conftit. Bened. XIV.* Etfi paftoralis 6. *Maji* 1742. *de dogmatibus, & ritibus ab Italo-Græcis tenendis §. 7. de Sacramento Ordinis n. 7. quod, ibi* — Si quis ritu græco, clericus, & lector tantum fuit initiatus, atque ex benignitate Sedis Apoftolicæ obtinuit, ut majores ordines latinis cæremoniis fibi conferantur, is, antequam fubdiaconus ordinetur, tres minores ordines omiffos debet ritu latino fufcipere. Si vero præter lectoris ordinem, ad fubdiaconatum etiam græco ritu afcendit, & ex difpenfatione itidem apoftolica facultas fibi facta fit ceteros ordines ritu latino fufcipiendi, antequam inter diaconos cooptetur, ex minoribus ordinibus exorciftatum tantummodo fupplere cogitur; cum per fubdiaconatum græco ritu collatum, acolythatum, & oftiariatum recepiffe cenfeatur: idem dicendum de eo, qui una cum reliquis inferioribus ordinibus diaconatum, aut etiam presbyteratum græce fufcepit, & latino poftea ritu ad facrum presbyteratus refpective ordinem, aut epifcopatum promovendus fit ex apoftolica conceffione, nimirum exorciftatus ordinem in ipfo, antequam presbyter ordinetur, aut epifcopus confecretur, effe fupplendum. — ☜

De ritu autem græcorum circa interftitia, & tempora ordinum, vide fupra verbo *Ordo, cap. 15. not.* 2.

☞ *Circa græcorum ordinationes vide Auctorem c. 4. verbo* Epifcopus, *& citat. Conftit. Bened. XIV.* Etfi paftoralis.

Circa eorundem græcorum omnimodam fubjectionem Ordinariis locorum, in quibus moram traxerint, quoad ea, quæ Dei cultum, Sacramentorum adminiftrationem, animarumque falutem, & hærefum extirpationem concernunt, vide Conftit. Pii IV. Romanus Pontifex 16. *Feb.* 1564. *in qua revocantur quæcunque privilegia, prætenfam ab iifdem græcis exemptionem concedentia.*

Huic Conftit. acceffit etiam citata Conftitutio Bened. XIV. Etfi paftoralis, *ubi §. 9. nn.* 19. *eadem fubjectio præcipitur græcis, feu Albanenfibus ritus græci, tam ecclefiafticis, & regularibus, quam laicis, in utraque Sicilia, vel aliis Italiæ partibus, Infulifque adjacentibus commorantibus; cum*

in iis locis non habeant suos Ordinarios græcos : revocanturque quæcunque contraria privilegia . ☜

CAPUT III.

Ritum Breviarii mutantes .

EX Bulla Pii V. 74. *Quod a nobis*, super reformatione Breviarii , statutum est , omnes , qui horas canonicas ex more , & ritu Romanæ Ecclesiæ jure , vel consuetudine dicere debent, teneri recitare ex præscripto , & ratione Breviarii Romani , ab eodem Pontifice reformati ; & neminem, nisi in hac forma, satisfacere posse , non obstantibus privilegiis , & consuetudinibus quibuscunque ; exceptis Breviariis expresse approbatis a Sede Apostolica ab ipsa prima institutione, vel consuetudine ; si tamen ista institutio, vel consuetudo ducentos annos antecedat.

Sacra Congregatio Rituum, decreto approbato ab Urbano Octavo, declaravit , post Bullam præfatam Pii V. non potuisse , nec posse , etiam per locorum Ordinarios addi calendariis Sanctorum Officia , nisi quæ in Breviario Romano , vel a Sede Apostolica , seu Sacræ Congregationis licentia conceduntur ; nec posse Sanctorum Officia , ut supra concessa certo ritu , in altiorem ritum , vel de loco ad locum mutari , præter concessionis formam ; neque officium fieri juxta ritum concessum de Sanctis , non appositis in Breviarii calendario , sine licentia , ut supra : & hæc omnia mandavit , & statuit innovando pœnas Constitutionis Pii Quinti respective.

Unde apparet , in casu talium mutationum non satisfieri , nisi parvitas materiæ , aut bona fides excuset , secundum ea , quæ docent *Suarez de relig. tom. 2. tract. de horis lib. 4. c. 11. n. 15. Less. lib. 2. c. 37. n. 77.* & alii apud *Dianam* allegati *tract. 12. resolut.* 10. *tom.* 1.

☞ *Circa impressionem , & venditionem Breviariorum sine licentia Inquisitorum , aut Ordinariorum , vide supra cap.* 1. *verb.* Breviarium . ☜

CAPUT I.

Romanæ Ecclesiæ Statum invadentes , aut detinentes , vel ejus supremam temporalem jurisdictionem usurpantes , aut detinentes .

E*Xtrav. Et si dominici , de pœnit. & remiss.* statuitur , ut in concessionibus absolvendi a casibus , & censuris Papæ reservatis , censeatur exceptus ille conspirationis in Statum Romani Pontificis , & cujuscunque offensæ in Statum Sedis Apostolicæ : unde aliqui putant ex eo textu esse excommunicationem latam in jure in tales delinquentes, ita *Sylv. verbo Excommun. 7. n.* 24. sed verius est non adesse, nisi ex sequentibus.

Primo quidem ex *Trid. sess. 22. cap.* 11. ubi fertur excommunicatio Papæ reservata , & aliæ pœnæ ipso facto incurrendæ, contra usurpantes bona , vel jura Ecclesiarum , aut fructus &c. aut impedientes , quominus percipiantur ab iis, ad quos pertinent : de quibus dixi , *verbo Usurpatio*.

Secundo ex Bulla *in Cœna Domini c.* 20. fertur excommunicatio Papæ reservata contra eos , qui invadere , destruere , occupare , aut detinere præsumunt civitates , terras , loca , vel jura ad Romanam Ecclesiam pertinentia , eique mediate , vel immediate subjecta : vel supremam jurisdictionem in illis locis eidem Ecclesiæ Romanæ competentem de facto usurpare , perturbare , retinere , & vexare præsumunt : & extenditur hæc excommunicatio contra adhærentes , fautores , ac defensores eorum , vel auxilium , consilium , favoremve præstantes : de qua re vide Expositores ejusdem Bullæ , & *Cokier. de jurisd. in exemp. par. 4. quæst. 75. n. 1. 2. &* 3. ubi ait , hic contineri etiam advocatos scienter patrocinantes : item ait contineri casum , quo Ordinarius , vel alius judex ecclesiasticus usurpat jurisdictionem in exemptos : itemque contineri ipsos exemptos , consentientes tali usurpationi : de qua re dixi *verbo Jurisdictio , cap.* 19.

Tertio ex eadem Bulla , *cap.* 17. ubi fertur excommunicatio Papæ reservata contra usurpantes jurisdictiones , fructus , reditus , proventus ad Sedem Apostolicam , seu Romanum Pontificem pertinentes : de qua re vide *ibi Expositores , &* dixi *verbo Usurpatio* .

Quarto ex *c. 3. Bullæ ejusdem in Cœna Domini* , ubi fertur excommunicatio contra piratas , seu latrunculos maritimos , mare Romanæ Ecclesiæ discurrentes : de qua re dixi supra , *verbo Pirata* .

CAPUT I.

Sacramentum Pœnitentiæ inter absentes perfici posse asserentes , vel tractantes , vel imprimi facientes , vel practicantes .

CLemens VIII. decreto , edito in generali Congregatione Universalis Inquisitionis Romæ anno 1602. die 20. Junii , & promulgato , ut apud *Cherub. in Bullario , Constitutione 87. ejusdem Papæ* , hanc propositionem , scilicet licere per litteras , seu internuncium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri , & ab eodem absente absolutionem obtinere , ad minus uti falsam , temerariam , & scandalosam damnavit , & prohibuit : quod si quis illam docuerit , defenderit , imprimi fecerit , aut de ea , etiam disputative , tractaverit , nisi forsitan impugnando ; vel ad praxim directe , seu indirecte , deduxerit , excommunicationem latæ sententiæ ipso facto incurrat , a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio , quacunque etiam dignitate fulgente , nisi a solo Summo Pontifice absolvi .

☞ *In citato decreto hæc facultas absolvendi expresse adimitur* – etiam S. R. E. Majori Pœnitentiario .

Nota , quod hoc decretum nedum accipiendum sit collective , *ut loquitur Suarez* disput. 21. de Pœnit. sect. 4. *& alii apud Dianam* 3. par. tract. 3. resol. 7. *quando scilicet tam confessio , quam absolutio facta , & data fuerit in absentia , sed etiam* divisive , *quando nempe confessio fiat in absentia , absolutio autem detur a præsente sacerdote , & e conversa , prout declaravit Paulus V. sub die* 14. *Jul.* 1605. *in* Congreg. *S. Officii , simulque decrevit , ut eadem interpretatio expungeretur a P. Suario . Verum circa hanc , et Pauli decretum Dominicus Viva* in Thesi confixa de confes. & absolut. §. ult. pag. 587. col. 2. edit. Patavin. 1737. *hæc habet* – Quod attinet ad Suarium ; hoc solum docuit , in eo decreto Clementis non comprehendi casum moribundi , quando scilicet adstantes testantur , quod ille , antequam sensibus destitueretur , absolutionem petierit , & ipse Clemens VIII. declaravit , hunc casum non comprehendi : ostendimus enim in hoc casu , non haberi in rigore confessionem in absentia per litteras , aut per internuncium . Ceterum , ne interim interpretatio illa Suarii aliis præberet ansam ad dicendum , quod universim liceat confessio in absentia , dummodo absolutio non detur absenti , aut viceversa , idcirco , ut notat Moya *tract. 3. disp. 6. quæst. 2. n.* 13. Pontifex decrevit , ut ea interpretatio a P. Suario expungeretur : ubi tamen Pontifici innotuit , quod ea interpretatio solum deserviebat ad explicandum , quo pacto casus moribundi eo decreto non comprehenderetur , & quod disertis verbis id solum doceretur a Suario , permisit , ut ad communem utilitatem ea operibus Suarii restitueretur , prout legitur loco laudato . – ☜

Advertendum primo , quod dicta opinio in hoc decreto non est damnata , ut hæretica : ideo contra eam asserentes non intrant pœnæ latæ sententiæ , contra hæreticos statutæ ; quamquam tales transgressores reddantur suspecti de hæresi : ita *Comitolus respon. moralium lib. 1. quæst. 16. n. 7. et* 8.

Advertendum secundo , quod hoc decretum non obstat , quin possit , & debeat confessarius , accedens ad infirmum (qui confitendi desiderium per se , vel per alios ostendit , sed ante adventum confessarii jam sensibus , seu rationis usu destitutus est , & in articulo mortis constitutus) ipsum jam præsens præsentem absolvere , ut habetur in *Rituali Romano Pauli V. jussu edito , tit. de sacram. Pœniten. §. Quod si inter.* de qua re vide *Bonacinam de sacram. Pœnit. quæst. 5. punct. 2. §. 4. diffic. 4. n.* 10. *Layman lib. 5. tit. de sacram. Pœnitent. cap. 3. in fin. et c.* 8. §. *Sed bene notat , Dianam resol. 4. 5. 7. et 8. tract. 3. tom.* 2.

☞ *Quod adeo verum est , ut amplius in dubium revocari nequeat , attenta etiam declaratione Urbani VIII. relata a Bened. XIV.* de Synod. diœces. edit. Patav. an. 1756. lib. 7. cap. 15. n. 8. *cum enim major Lusitaniæ Inquisitor supremæ Romanæ Inquisitioni hanc proposuisset quæstionem* – An censuram , & quam , mereatur hæc propositio? Valide impenditur absolutio , quando ægrotus coram uno , vel altero teste signa contritionis exhibet , deinde superveniente confessore , nullo externo signo confitendi voluntatem ostendit ; constat autem ex relatu internuncii , ægrotum ostendisse signa contritio-

tritionis, & confitendi voluntatem — *Sanctissimus*, *idest Urbanus*, *in Congregatione coram ipso habita* 24. *Feb.* 1632. — dixit, huic ægroto posse impertiri absolutionem, nec id repugnare decreto Clementis VIII. cum diversam contineat rationem. — ☜

CAPUT II.

Sacramentum confessionis, vel communionis annuæ omittentes.

Ex *cap. Omnis utriusque, de pœnit. & remiss.* statutum est, ut omnis fidelis, scilicet baptizatus, postquam ad annos discretionis pervenit, omnia peccata proprio sacerdoti sacramentaliter confiteri teneatur semel in anno, & pœnitentiam injunctam studeat implere pro viribus: item, ut suscipere teneatur reverenter Eucharistiæ Sacramentum in Paschate ad minus, nisi forte proprii sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione Sacramenti duxerit abstinendum: alioquin, & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens, christiana careat sepultura.

☞ *Utrique huic præcepto non satisfit per confessionem voluntarie nullam, aut per sacrilegam Domini manducationem, ut ex sequentibus proscriptis propositionibus, quas ex decreto Alex. VII. sub die* 24. *Septem.* 1665. *& Innoc. XI. sub die* 2. *Martii* 1679. *docens, defendens, vel de iis tractans, etiam disputative, publice, aut privatim, nisi forsan impugnando, eo ipso incurrit excommunicationem Papæ reservatam; & in virtute S. Obedientiæ, & sub interminatione divini judicii prohibetur ad praxim deducere.*

Propositiones proscriptæ ab Alex. VII. la 13. *&* 14. *in ordine.*

13. Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.

14. Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

Propositio proscripta ab Innoc. XI. la 55. *in ordine.*

Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

Proscripta ab Alex. VIII. die 7. *Decemb.* 1690. *sub pœnis, ut supra; quæ sunt in ordine la*

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt a sacra communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers. ☜

Nota primo, quod obligatio confitendi omnia peccata annuatim, intelligitur de mortalibus, non venialibus; nam venialia aliis etiam mediis tolluntur, *Trid. sess.* 14. *c.* 5. *de doctrina Sacram. pœnit.*

☞ *Praxis tamen Ecclesiæ est, ut in Paschate ante communionem quisque confessionem sacramentalem emittat, licet conscius sit peccatorum venialium dumtaxat; tum ut se peccatorem recognoscat, tum ut cum majori reverentia ad Eucharistiam accedat, prout loquitur S. Thomas* sent. 4. dist. 17. quæst. 3. art. 1. quæstiunc. 3. ☜

Nota secundo, quod illa pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ, est sententiæ ferendæ: hoc est certum, ut Doctores statim citandi fatentur: pœna item privationis ecclesiasticæ sepulturæ secundum multos, non est latæ sententiæ, ut tenet *Suarez de Sacram. Euchar. disp.* 70. *sect.* 3. *in fine*, *Fagundez in præcep.* 2. *lib.* 1. *c.* 4. *n.* 2. *Bonac. de Sacram. Euchar. quæst.* 7. *punct. ult. num.* 19. *Layman de Sacram. Eucharist. c.* 5. *n.* 10. *lib.* 5. sed contrarium est verius; quia cum sit lata per verbum *Careat*, secundum magis communem, est latæ sententiæ, *Tiraq. in leg. Si unquam*, *verbo Revertatur n.* 161. *&* 116. *de revoc. don.* & præsertim, cum in casu nostro non indigeat facto hominis positivo ad sui executionem, sed tantum facto negativo: unde posito, quod sit notorium, seu manifestum, quod talis defunctus sit sine confessione annua, vel communione paschali, non debent clerici eum ad sepulturam admittere, nulla desuper sententia Ordinarii expectata, *Sylv. verbo Sepultura*, *numero* 19. §. 4. *Is, quem*, *Tabiena n.* 14. *vers.* 6. *Angel. n.* 29. quamvis *Layman loc. cit.* dicat, parochos, cum jurisdictionem fori externi non habeant, non facile debere per se propria auctoritate illam pœnam exequi, sed monito, & jubente Ordinario; maxime, si omissio Sacramentorum possit aliqua causa excusari. Illud omnes concedunt, quod si talis non fuerit propterea per sententiam nominatim interdictus, ut supra, & signa contritionis, seu pœnitentiæ ediderit in mortis articulo, cum non potuerit tunc recipere Sacramenta, & de his constet saltem testimonio unius, sepeliri debet ecclesiastica sepultura, ut *Sylv. Tabiena*, *& Angel. ubi supra*, *Archid. in cap. Qui recedunt* 26. *quæst.* 6. *Laym. lib.* 3. *tract.* 5. *de sepult. c.* 12. *n.* 11. ubi testatur de communi.

☞ *Ludovicus de Ameno* de delict. & pœn. tom. III. tit. 5. §. 1. n. 12. *rejicit opinionem DD. hic citat. asserentium, quod si reus non sit nominatim interdictus, aut signa pœnitentiæ, etiam per unicum testem testificata dederit, sepeliendus sit in sacro, ibi* — Licet enim talis nominatim interdictus non sit, si tamen notorium sit, ipsum dolose, & culpabiliter negligentem circa Sacramenta fuisse, notorium ex consequenti est, ipsum in mortali decessisse: notorietas enim facti supplet sententiam judicis, & sic non debebit in loco sacro sepeliri. Nec enim, ut opinantur nonnulli, denegatio sepulturæ ecclesiasticæ ista supponit interdictum, ut, si hoc latum non fuerit, non sit locus denegationi sepulturæ; una enim pœna est separata ab alia, & una est ferendæ, alia vero latæ sententiæ; & ex consequenti hæc locum habet, licet illa non fuerit inflicta. Et hoc magis patet in casu simili, nam in decretali text. in cap. *Monachi*, §. *Qui vero de stat. monach.* contra monachos proprietarios sancitur excommunicatio ferendæ sententiæ, & pœna privationis sepulturæ ecclesiasticæ, latæ sententiæ; neque tamen proprietarius repertus, ut privetur sepultura in sacro, requirit, quod fuerit denuntiatus excommunicatus, sed sufficit notorietas, quod in proprietate decesserit; ita est in casu nostro. — ☜

CAPUT III.

Sacramentalem formam, vel benedictionem iterans super eadem materia.

Sacramentalem formam, vel benedictionem iterare super eadem materia, jam sacramentata, peccatum mortale est sacrilegii, ob injuriam Sacramenti, seu sacramentalis benedictionis, *Gloss. in c.* 1. *verbo Iterandum*, *de Sacram. non iteran. ibi Canonistæ*, *& Majolus lib.* 3. *c.* 15. *per totum:* & sacerdos taliter delinquens, ab officio, & beneficio suspensus, cum litteris, seu testimonio ad Sedem Apostolicam absolvendus, ab Ordinario suo mittendus est, ex *cap.* 1. *de secund. nup.* sed quamvis aliqui Doctores crediderint, ex illo textu esse suspensionem latæ sententiæ, tamen communis sententia docet, ferendæ sententiæ; imo talem missionem ad Sedem Apostolicam hodie non esse in usu, & posse hodie ab Ordinario suspendente suspensum absolvi, ut *Sanch. lib.* 7. *de matr. disp.* 82. *n.* 16. *&* 28. *Barbosa in d. c.* 1. *n. ult. ab Extravag. Joan. XXII. Certiorationi.*

Limita, quod quando prima vice Sacramentum fuit nullum, aut consecratio nulla, ut collata a non habente potestatem, tunc iteranda est forma, & consecratio; potest tamen in Sacramentalibus, quatenus sunt ab Ecclesia instituta, Papa de plenitudine potestatis ratificare talem benedictionem, seu consecrationem, ut absque alio facto sit eo ipso res consecrata, seu benedicta, ut *c. Aqua*, *ibi etiam Canonistæ de consecr. Eccl. vel Alt.*

☞ *Vide Gloss. in citat. cap.* Aqua *verb.* Toleramus. ☜

Similiter, si consecratio, seu benedictio, seu Sacramenti confectio, sit probabiliter dubia, potest repeti forma sub conditione super eadem materia, vel subjecto; quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum, *cap. Veniens, de presb. non bapt.* item, si non apparet, an res fuerit benedicta, seu consecrata, ver. gr. Ecclesia, Ara &c. cum non constet ex scriptura, vel saltem unico teste, vel præsumptione aliqua, potest, & debet absque ulla dubitatione, sub conditione consecrari, seu benedici; quia non dicitur iteratum, quod nescitur esse factum, *c. Solemnitates*, *il* 1. *de consecr. dist.* 1.

Limita secundo, ut non sit illicitum matrimonii contractum iterare; quia sic alii humani contractus iterari possunt; dummodo benedictiones non iterentur; ita DD. quos allegat, & sequitur *Sanchez lib.* 2. *de matr. disp.* 11. *n.* 31.

CAPUT IV.

Sacramenta alienis parochianis ministrans.

SI quis sacerdos ministret Sacramentum Baptismi alieno parochiano, animo usurpandi hanc jurisdictionem suæ parochiæ, incurrit in censuras, latas contra usurpantes jura Ecclesiarum, ut dicam infra verb. *Usurpatio*: si autem non animo usurpandi, sed gratificandi petentibus, nullam censuram, neque irregularitatem incurrit, ut *Bonac. tract. de baptism. pun.* 5. *n.* 10. *cum ibi alleg.* imo, si id faciat in necessitate, cum proprius parochus deest, seu haberi facile non potest, neque ullum peccatum committet, ut *Bonac. ibi cum alleg.*

Ministrans Sacramentum Extremæ Unctionis, vel Eucharistiæ alienis parochianis, si sit religiosus, incurrit in censuras, de quibus dixi verbo, *Parochialia jura*.

Matrimonio conjungens alienos parochianos, incurrit in censuras, de quibus dixi verbo, *Matrim. cap.* 1.

Pœnitentiæ Sacramentum ministrans sine approbatione, incurrit pœnas, quas vide supra verb. *Absolutio*: sed approbatus, ministrans alienis parochianis, sine facultate Episcopi, vel parochi, vel privilegio Papæ, invalide ministrat, & peccat mortaliter, nisi ob ignorantiam, aut malitiam proptir parochi, parochiani accedant ad alium sacerdotem, aut ob impedimentum proprii parochi, *per cap. Placuit de pœnit. dist.* 6. non tamen incurrit transgressor ullam pœnam ipso facto, nisi id faciat per usurpationis modum, ut supra dixi de baptizante, & probatur ex *dict. cap. Placuit*, ubi est pœna ferendæ sententiæ.

☞ CAPUT V.

Sacramentorum administrationem simulans.

P*Eccat peccato sacrilegii, magis quam qui conscius peccati mortalis, Sacramentum conficit, vel recipit, ut respondit Innocentius III. cap.* De homine 7. de celebr. missar. *de quodam presbytero, qui in peccato mortali existens, cum suo populo satisfacturus, teneretur missam celebrare, suppressis consecrationis verbis, panem, & vinum tantummodo pure sumpsit; quia nedum Deo illusit, sed etiam adstantes decepit, propter idololatriam, licet materialem respectu illorum. Quod hic dicitur de sacerdote fingente consecrationem, dicendum est etiam de confessario simulante formam absolutionis: & generatim de simulantibus formam aliorum Sacramentorum; quamvis id facerent ad evadendum, etiam urgentem gravem metum. Quare merito proscripta fuit ab Innoc. XI. die 2. Martii 1679. sequens propositio, sub pœnis in eam doceates &c. & ad praxim deducentes, prout in Additione ad hic præcedens cap. 2., quæ est in Ordine la*

29. — Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi. — ☜

CAPUT I.

Sacrilegium committentes.

NOta, quod licet sacrilegium in rigore theologico sit omnis violatio rei sacræ, idest rei, vel personæ Deo dicatæ publice, vel private, sumendo violationem pro omni actu irreverentiæ, etiam sine reali, seu physica rei ipsius mutatione, ut *S. Thom.* 2. 2. *quæst.* 99. *art.* 1. & 3. *Less. lib.* 2. *c.* 45. *n.* 11. *Laym. lib.* 4. *tract.* 10. *c.* 7. *n.* 1. & 2. tamen secundum jura, & pœnas externi fori sacrilegium intelligitur solum, quando irreverentia committitur contra res publice Deo dicatas, scilicet publica Ecclesiæ auctoritate, *leg. In tantam ff. de rer. divis. Petr. Greg. Tolos. lib.* 33. *Syntagm. c.* 14. *Suar. lib.* 3. *c.* 2. *n.* 1. *tom.* 1. *de relig.* Est autem crimen sacrilegii mixti fori, ut *Salzedo ad Diaz c.* 90. & late *Marta de jurisd. p.* 2. *c.* 11. *n.* 21. *cum alleg.* ubi *n.* 22. notat, quod judex ecclesiasticus, & secularis possunt concurrere respectu diversarum pœnarum, ut unus alium impedire non debeat: unde si judex laicus præveniat, nihil vetat judicem ecclesiasticum, quominus possit procedere ad sententiam censuræ promulgatoriam, vel declaratoriam contra eundem, per *cap. Placet* 16. *quæst.* 1. & *leg. Placet C. de sacros. Eccles. ibi Bal. & Fab.*

Est tamen differentia inter jus canonicum, & jus civile, quod de jure canonico sacrilegium punibile dicitur, sive auferatur sacrum de non sacro, sive non sacrum de sacro: de jure autem civili utrunque debet concorrere, scilicet ut sacrum de sacro ablatum sit: & unumquodque jus in proprio foro servandum erit: & ita *Boer. decis.* 254. *Marta loco cit. n.* 15. & 16. *Menoch. de arbitr. casu* 389. *n.* 12. & 13. & de communi testatur *Clarus* §. *Sacrilegium, in princ.*

Distinguitur autem sacrilegium in tres species: quia aut est contra personas, vel res mobiles, vel immobiles Deo dicatas, *S. Thom. art.* 3. *cit. Less. n.* 9. *Bern. Diaz & Salzedo ibi c.* 90. *praxis*.

Sacrilegium contra personas sæpe habet pœnas latæ sententiæ; ut violatio privilegii canonis, dixi *verbo Injuria*: violatio privilegii fori, dixi *verbo Jurisdictio*: item violatio voti solemnis per matrimonium, dixi *verbo Matrimonium*, *a.* 4. Similiter sacrilegium contra res mobiles sæpe habet pœnas latæ sententiæ, ut alienatio rerum sacrarum Ecclesiæ pretiosarum, dixi *verbo Alienatio*: item furtum rei sacræ cum effractione, de qua re infra dicendum, & dixi *verbo Incendiarii c.* 1. & 2. item oblationum ecclesiasticarum usurpatio, ut dixi *verbo Oblatio*. Denique & sacrilegium contra loca sacra habet sæpe pœnas latæ sententiæ, ut dixi *verbo Immunitas, c.* 1. *verbo Incendiarii, verbo Alienatio*, & aliis casibus infra explicandis.

I. Sacrilegii criminis damnatus, juris infamiam incurrit, & consequenter est irregularis; quia est crimen publicum, *l. Lege Julia, ff. ad leg. Jul. pecul. & de sacril.* nam & omnis injuria contra Religionem, est crimen publicum, *Clar. in praxi criminali, quæst.* 1. & quod sacrilegii reus sit infamis, & irregularis, est *text.* in *c. fin. de furt. c. Si quis presbyter* 50. *dist. Abb. & DD. in c. Conquestus de foro compet. Salzed. ad Diaz in praxi c.* 90. *lit. A.* & procedit, etiamsi non sit sententia condemnatus; si tamen crimen est notorium, quia cum sit crimen enorme, depositione dignum, ut *Bern. Diaz ibi n.* 2. *cum Hostien.* secundum magis communem, ipso jure infamem reddit, & irregularem, & probatur in *dict. c. fin. & in c. fin. de temp. ord.* Potest tamen super hac infamia, & irregularitate Episcopus dispensare, *Abb. in c. Cum te, de sent. & re jud. Tolet. lib.* 1. *c.* 62. §. *ult. Sayr. de censur. lib.* 7. *c.* 11. *n.* 45. & *c.* 12. *a.* 4. *in fin.* sed intellige, penitentia, vel ejus parte peracta, & cessante scandalo, per *dict. c. fin. de furt.*

☞ *Sacrilegium perpetrantes, surripiendo Hostias consecratas, ex Constitutione Innocentii XI.* Ad nostri Apostulatus 4. *Idus Martii* 1677. *mulctandi sunt a judicibus ecclesiasticis, & Inquisitoribus hereticæ pravitatis, privative quoad alios, si per legitima indicia, juxta regulas S. Inquisitionis*, cum Sacra Pixide, vel sine illa — confessi, aut convicti fuerint: quive propria malitia, vel de alterius ordine, seu mandato Hostiam, sive unam, vel plures Particulas consecratas prædictas apud se retinuerint, vel alio transferre, seu asportare præsumpserint .... & nisi constiterit, non fuisse ad malum finem, etiam pro prima vice, curiæ seculari tradantur, non obstante minori ætate, dummodo XX. attingant annum: quibus penis etiam mandantes subjaceant. — *Qua Constitutio confirmata fuit ab Alexandro VIII. Constitut.* cum alias 22. *Decembris* 1690. *cum declaratione, in ea comprehendi quoscunque, tam seculares, quam ecclesiasticos, etiam regulares, Societatis Jesu, ac S. Joannis Hierosolymitani, sub pœnis in eadem contentis, etiam quoad ecclesiasticos, degradationis realis, & traditionis brachio seculari.*

Citatæ Constitutiones confirmatæ, & innovatæ fuerunt a Benedicto XIV. Constit. Ab augustissimo 5. *Martii* 1744. *statuente, ac declarante, hujusmodi reis non suffragari* — quominus omnibus, et singulis penis, etiam pro prima vice, degradationis realis, et traditionis pariter pro prima vice brachio seculari — *exceptiones ab iisdem reis dari solitas, vel quod non satis constet de earundem Particularum consecratione; vel quod non fuerint subreptæ, asportatæ, vel respective retentæ ad malum finem: harumque exceptionum claram, & concludentem probationem ad dictos reos, & non ad fiscum spectare.* ☜

☞ *Anno* 1760. *die* 20. *Martii hac eadem de re emanavit Constitutio Clementis XIII. feliciter regnantis, cui initium* — Gravissimum, atque execrabile scelus — *illius summam sic habe. In ea confirmantur Constitutiones Innocentii XI. Alexandri VIII. & Benedicti XIV. circa pœnas adversus auferentes, vel habentes apud se, vel alio transferentes Particulas consecratas, quomodocunque etiam, sine qualitate fur-*

ti,

ti, sive per se, sive de mandato alterius; Et contra reos Missam celebrantes, vel fidelium confessiones excipientes sine sacerdotali charactere: ac præterea statuitur, quod spontanea confessio talium delictorum, facta a reis constitutis in primo generali interrogatorio, iisdem non suffragetur ad minuendam pœnam traditionis brachio seculari, in dictis Constitutionibus inflictam. Abrogando contrariam Tribunalium ecclesiasticorum praxim, atque consuetudinem, hactenus observatam.

CAPUT II.

Sacrilegium, exercendo jurisdictionem laiealem contentiosam in loco sacro.

EXercere judicia secularia in Ecclesia, seu loco sacro, sacrilegium est, & specialiter jure canonico prohibitum, *c. 1. de immunit. Eccles.* & est peccatum mortale ex genere suo, *Suar. tom. 1. de Relig. lib. 3. c. 4. n. 12. tract. 1.* & acta sunt ipso jure uulla, *Abbas in c. Cum Ecclesia, de immunit. Eccles. Suar. ibi, Layman lib. 4. tract. de sacril. c. 7. n. 9.* secus antem in actibus jurisdictionis voluntariæ, *Suar. n. 13. Abb in dict. cap. 1.* et an reus possit in Ecclesia citari, vide *Sperell. dec. 104. n. 3.*

CAPUT III.

Sacrilegium, spoliando Ecclesias cum effractione.

I. IN hoc casu esse statutam pœnam excommunicationis latæ senteutiæ contra taliter delinquentes, probatur ex *c. Quisquis 17. quæst. 4. & c. Conquesti 22. de sent. excommun.* & de commuui testatur *Suar. de censur. disp. 22. sect. 2. n. 6. Filiuc. tract. 15. n. 55. Cajet. verbo Eucomm. c. 21. Roderic. quæst. regul. 51. art. 2. §. Tertio notandum, tom. 2. Reginal. lib. 19. n. 60.* et tenent *Azor. par. 1. lib. 9. c. 27. quæ. 12. Sayr. lib. 3. c. 29. n. 15. & 29. de censuris.*

Amplia, ut appellatiune spoliationis intelligatur omne furtum grave, scilicet attingens ad mortale peccatum, *Suar. n. 11. Filiuc. n. 55.* et sufficit, quod effractio, seu violentia fiat contra portas, aut seras, vel muros loci sacri, *Abb. in dict. c. Conquesti, Tolet. lib. 1. c. 36. n. 7. Sayr. n. 6. Sylv. excomm. 7. n. 17. vers. 1.* et sufficit, si vel cardines moveat, vel fenestram vitream frangat, vel vectes, aut fenestras impingens, faciat eas cadere, vel cedere, et vi aperiri, ut *Sylv. & Sayr. ibidem.*

Limita primo, quud nomine Ecclesiæ uou continetur hic privatum oratorium, vel cœmeterium, si uou sit unitum Ecclesiæ, *Suar. n. 12. & 13. Reginald. lib. 19. n. 60. §. Infertur quarto.*

Limita secundo, ut inrelligatur hæc pœna solum coutra auferentes, vel destruentes res ipsius Ecclesiæ, seu ad ejus usum deputatas, *Regin. ibi §. Adverte tertio, Filiuc. n. 55. Suar. n. 12.* Adde, quod si tales spoliatores fueriut per Episcopum denunciati, non possunt absolvi, uisi a Papa, *dict. c. Conquestis, Suarez n. 14. Tolet. ibi, Layman lib. 4. tract. 10. c. 7. n. 19.* & tenentur Episcopi tales denunciare, per *text. cit. Suar. n. 21.* intelligimus autem hæc de denunciatione nominatim, *Sayr. n. 14.* aure denuntiationem autem excommuuicatio non est reservata, secuudum probabiliorem, *Cajet. Tolet. Reginal. Suar. Filiuc. ibid.* debet tameu prius præcedere satisfactio, *Sayr. n. 15.*

II. Ecclesiarum vinlatores notorii varias pœnas circa privationem Sacramentorum, & sepulturæ solemnia incurrunt: itemque incurrunt clerici, eos contra prohibitionem juris ad ea admittentes: de quibus dixi *verbo Incendiarii, c. 2.* & *verb. Sepultura c. 4.* ex *c. Super eo, de raptor.*

CAPUT IV.

Sacrilegium contra auferentes ornamenta, vel lapides Ecclesiarum Urbis Romæ.

EX Bulla Sixti IV. *Cum provida*, quæ est 3. in Bullario Laertii, statuta est excommunicatio latæ sententiæ, Papæ reservata, contra quoscunque, qoi de lapidibus porphyreticis, marmoreis, aliisve diversorum generum, seu colorum ad Ecclesiarum Urbis Romæ decorem, & ornatum deputatis, sive de aliis earundem Ecclesiarum ornamentis ausu sacrilego abstulerint, seu auferent in futurum, aut per se, vel per alios ad diversa loca asportare præsumpserint, aot talia habueriut, aut in surripiendo, servando, & retineudo auxilium præstiterint, vel favorem, & contra scientes, & nou revelantes Papæ: item statutum est ibidem interdictum latæ sententiæ contra Ecclesias, & loca, quorum usui taliter ablata deputata fuerint, seu deputabuutur; quod tandiu duret, quandiu ad loca, uude prius ablata fuere, absque dimiuutione aliqua fuerint reportata: in suo robore etiam permanentibus Constitutiouibus ab aliis Summis Pontificibus promulgatis, quibus excommuuicati declarantur auferentes lapides, seu ornamenta de Ecclesiis, seu sacris locis.

De hac re vide *Barbos. alleg. 50. n. 117. Bonac. de censur. partic. disp. 2. quæst. 3. punct. 13. Filiuc. tract. 15. n. 126. Gambarup. de excomm. Papæ reserv. c. 7. n. 19.* Et nota, quod hæc Constitutio est proprie dicta, durans per tempora futura, ut patet ex verbis ibi sæpe repetitis, *in futurum* &c. quidquid contra dicat *Filiuc.* qui putat, fuisse edictum pro tempore illo solum promulgatum: quod forte procedir, quoad obligationem denunciandi ibi appositam, non quoad reliqua.

☞ *Eu Constit. Clem. XI.* Cum sicut, *extrahentes vasa, & ornamenta sacra ex sacristia, & Ecclesia SS. Fabiani, & Sebastiani extra muros Urbis, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam.* ☜

CAPUT V.

Sacrilegium celebrantis in Ecclesia polluta.

ECclesia polluitur homicidio, vel injuriosa sanguinis, vel libidinosa seminis effusione, vel sepultura excommunicati vitandi, vel infidelis, scilicet nou baptizati, vel ob consecratinnem ejusdem Ecclesiæ ab Episcopo excommunicato vitando factam; ut *c. Proposuisti, de consecr. Eccles. & c. un. eod. tit. in 6. & Canonistæ utrobique*; & tunc suspenduntur divina organa, idest officia in tali Ecclesia, ot *cap. final. de consecr. Eccles. c. Tuarum de privil.* celebrans tameu in illa Ecclesia uun fit irregularis, ut *cap. Is, qui, de sent. excomm. in 6.* Nonuulli autem dicunt, quod iucurrat in suspensionem, vel inrerdictum ab iugressu Ecclesiæ, & postea celebrando, fiat itregularis: teuent hoc *Angel. verb. Consecr. n. 8. Sylvest. verbo Consecratio 2. in fin. Graff. par. 1. lib. 2. c. 48. n. 28. Armilla verb. Consecr. Azor. tom. 1. lib. 10. quæst. 16. Vivald. de susp. n. 86. gloss. in. dict. c. Is, qui, Lapus in c. Episcoporum de privil. in 6.* sed coutraria est communis, quam teuet *Tolet. lib. 5. cap. 8. §. Quinta causa, Suar. de Sacram. disp. 81. sect. 4. §. Sed quæret, Abb. in c. Si Ecclesia, de consecr. Eccles.* & plurimos allegat, & sequitur *Sayr. lib. 15. c. 16. n. 20.* contrariam dicens falsam; & tenet *Fagundez in primo præcepto lib. 3. cap. 14. n. 5. Barbos. allegat. 28. n. 54. Mirand. par. 2. q. 39. art. 6.*

☞ *Nota, ad statuendam Ecclesiæ pollutionem ex homicidio, vel sanguinis effusione, requiri, ut vulnus intra eam receptum fuerit: cum tunc solum juxta communem existimationem censeatur, actionem injuriosam illatam, & consummatam fuisse in loco sacro. Unde non pollueretur Ecclesia, si quis intra eam existens, vulneraret teli immissione existentem extra; & multo magis, si vulnus infligeret extra, & vulneratus moreretur, vel sanguinem effunderet intra Ecclesiam, ad quam confugit. E converso pollueretur, si existens extra, vulneraret immissione teli existentem intra, licet mors, vel effusio sanguinis sequeretur extra: quia ratione actus intra ipsam consummati, mors, vel effusio fieri in eadem censeretur: ita DD. communiter ex* gloss. in cap. Si Ecclesiam, de consecr. iu *6. inter quos præcipue Cabasut.* Jur. canon. Theor. lib. 5. cap. 21. num. 10. *Clemens Bisel.* Summa theolog. moral. part. 3. tr. 4. Append. 2. §. Si quis existens, *Remig. Maschat.* Instit. Canon. tit. 40. de consecr. Eccl. num. 14. ☜

An autem moderatio interdicti facta *ex c. Alma mater, de sent. excommun. in 6.* circa divina officia, & Sacramentorum administrationem in loco iuterdicto, procedat etiam in cessatione a divinis, quæ consurgit, & ipso jure infertur per Ecclesiæ pollutionem? respondeo negative secuudum veriorem, ut dixi *verbo Cessatio c. 1.* & præsertim quia moderatio *c. Alma* loquitur tautum de interdicto generali locali, ut *Suar. de censur. dis. 39. sect. 2. n. 13. Sayr. lib. 5. c. 7. n. 12.* multo miuus potest fieri illins extensio ad cessationem particularem: & ita in termiuis docet *Henriq. lib. 13. c. 51. in fin. cum Villadiego*: potest autem celebrari in Ecclesia polluta cum licentia Episcopi in casu urgentis necessitatis, *S. Thom. 3. par. quæst. 83. art. 3. ad 2. Sayr. lib. 5. cap. 16. num.*

29. *Miranda tom. 2. quæst. 39. art. 6. in fin. Suar. de Sacram. disp. 81. sect. 4. vers. His positis, Eman. Sà, verbo Ecclesia num. 19. & 23. per c. Missarum, de consecr. distinct. 1.*

Illud adverte, quod licet in Ecclesia polluta, vel cœmeterio polluto sepeliri fideles interim non debeant, ut *Abb. in dict. c. final. de consecr. Eccles.* per illum tex. tamen si sepeliretur, exhumari corpora non debent, nisi sint excommunicati, aut personaliter interdicti, non tolerati, *Suar. de censur. disp. 35. sect. 1. n. 20. Navarr. c. 27. n. 176. Bonif. in Clem. 1. de sepult. n. 76. Card. ibi n. 32.*

Polluta Ecclesia, pollutum censetur cœmeterium, si est contiguum, *tex. in c. un. de consf. Eccles. in 6.* dicitur autem contiguum, quando eorum extrema se contingunt, ut *gloss. ibi verbo contiguum:* requiritur ergo, ut inter ea unus sit tantum paries divisorius, seu communis; alias enim, si diversi essent singulorum parietes, non esset cœmeterium contiguum, sed separatum, ut *Sayrus lib. 5. c. 2. n. 17. cum ibi alleg.* & melius explicat *gloss. in dict. c. un. verb. Contiguum in addit. Jo. Andr.* ubi continua ait, quorum terminus est unus; & idem ait *Suar. dis. 52. de cens. sect. 2. n. 27. Bonac. de interd. punct. 1. n. 26.* & idem dicendum de capella Ecclesiæ contigua, *cap. Si civitas, de sent. excom. in 6. Suar. & Bonac. ibi.*

Adverte etiam, quod multi Doctores ex recentioribus asserunt, si Ecclesia polluta sit, sed ante publicationem in ea aliquis sacerdos bona fide celebraverit, hoc ipso censeri sufficienter Ecclesiam reconciliatam, ita *Eman. Sà, verbo Ecclesia n. 19. Castro de leg. pœnali lib. 2. c. ult. post concl. 3. Avila p. 2. 5. disp. 7. pun. 3. concl. 1. vers. Sed quid, Diana resol. 69. tract. 14. tom. 1. Bonac. de sacr. matr. quæst. ult. in fin. n. 27.* sed contrarium verum est, & in praxi Romæ servatum vidi, & tenet *Portell. in addit. ad dubia Regul. vers. Ecclesia n. 5. Layman lib. 5. tract. de Sacrif. Missæ, cap. 5. n. 13.* qui contrariam sententiam falsam asserit, & *Facund. in primum præcept. lib. 3. c. 21. n. 15.* quia inquit, reconciliationem pendere ex certa verborum forma, & solemnitate ab Ecclesia instituta; & ita supponunt omnes Doctores, qui communiter dicunt, si actio publicetur longe post, tunc pollutionis impedimentum vim habere, scilicet, etiamsi interim sæpius fuerit celebratum.

Hic adverte etiam, data, sed non concessa prima sententia, non esse admittendum id, quod *Diana resol. 69. tract. 14. tom. 1.* infert, esse probabile, scilicet, si sacerdos bona fide celebravit cum calice, vel patena, nondum consecratis, vel cum vestibus nondum benedictis, res hujusmodi ex hoc remanere consecratas, ut deinceps ad Missæ usum non indigeant alia consecratione, vel benedictione: etenim non est facienda extensio de Ecclesia tantum polluta, quæ tamen non dicitur execrata, sed remanet consecrata, ad vasa mere prophana, & nondum consecrata: sicut etsi quis celebret bona fide in loco prophano, nullus inferet, locum remanere consecratum, & habetur in *c. Aqua & ibi gloss. verb. Toleramus*, & ibi Canonistæ de *consecr. Eccl.* ubi probatur, Ecclesiam non consecratam, etiam per longi temporis celebrationem non reddi consecratam, (nisi Papa ratum habeat, & decernat haberi pro consecrata) non suffragante bona fide; & ideo recte *Fagundez tract. 1. lib. 3. c. 21. n. 15.* eam sententiam tanquam improbabilem, æstimat rejiciendam.

☞ *Videndus est canon* de fabrica 24. *de consecrat. distinct. 1. desumptus ex Epistola I. cap. 4. Vigilii Papæ ad Eutherium, qui favet Auctoribus cit. supra* §. Adverte. ☜

Circa modum autem reconciliandi loca polluta secundum ritum Sanctæ Ecclesiæ, vide *Barbosam alleg. 28. n. 55. cum seqq.* Et adde, quod Papa potest Ecclesiam pollutam reconciliare per dispensationem, etiam solo verbo, absque exteriori cœremonia consueta; quia potest solo verbo auferre maculam illam materialem, ex decreto Ecclesiæ perseverantem, retractatione talis decreti in tali casu, ut est tex. *in c. Aqua, de consecr. Eccles.* qui modus esset utilis, quando fuisset Ecclesia consecrata polluta, reconciliata a sacerdote, non habente privilegium id faciendi: & nunc esset periculum scandali, si vitium detegeretur, ut in *dict. c. Aqua.*

CAPUT I.

Sal externum ementes in terris Ecclesiæ Romanæ immediate subjectis.

HÆc actio, seu emptio prohibita fuit a Gregor. XIII. Bulla 49. *Ex incumbenti*, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, sed non reservatæ.

Sed revocata fuit hæc excommunicatio a pœna per Bullam Clem. VIII. *Frumenti* 49. §. 4. ubi tamen ipsam prohibitionem in reliquis confirmavit, & extendit: quare non bene hæc excommunicatio ab aliquibus recensetur inter alias, quasi etiam nunc vim obtineat, & a *Barbos. alleg. 50. num. 252.*

CAPUT I.

Sanctum Officium offendentes, vel non adjuvantes.

Vide *verbo Inquisitio.*

CAPUT I.

Schisma.

SChisma est scissio, seu separatio ab unitate Ecclesiæ catholicæ, quatenus est corpus mysticum, & morale, ex Romano Pontifice, ut capite, & universis fidelibus, ut membris constans, *S. Thom. 2. 2. quæst. 39. art. 1. Sanch. in decal. lib. 2. c. 36. n. 1. Suar. tract. de fide dis. 12. sect. 1. n. 1.* Quare schisma aliud est purum, seu simplex, quod in sola malitia voluntatis consistit, nolentis recognoscere Summum Pontificem, tanquam caput suum, aut nolentis cum aliis membris Ecclesiæ catholicæ communicare, licet non habeat errorem in intellectu, nempe quia credit, Papam esse vere caput Ecclesiæ, & credit unam Sanctam Ecclesiam catholicam: ita *S. Thomas ibi*: & præcipue fit, cum quis electus est a minori parte Cardinalium, aut alias non canonice in Papam: nam & ipse, & eum sequentes, sunt puri schismatici, *Suar. de censur. dis. 21. sect. 2. n. 12. & dis. 23. sect. 3. n. 2. Sayr. lib. 3. c. 32. n. 4.* Porus igitur schismaticus incurrit pœnas tantum schismaticorum: unde infertur, quod si quis catholicus in Anglia præster juramentum obedientiæ Regi, tanquam Ecclesiæ anglicanæ capiti, etiamsi interius rali non assentiatur errori, nihilominus vere incurrit crimen, & pœnas schismaticorum; quia ad hoc sufficit actus externus, etiam sine errore hæretiсali, ita *Sanch. lib. 2. c. 36. n. 14. Laym. lib. 2. tract. de caritate c. 11. n. 5.*

Aliud est schisma conjunctum cum hæresi, seu cum errore intellectus, quia non credit, Papam esse caput Ecclesiæ, vel non credit, esse unam Sanctam Ecclesiam catholicam & tales sunt, ut plurimum, schismatici nostri temporis, scilicet extra causam electionis Antipapæ; ut de græcis, ait *Pegn. in Directorio lib. 2. schol. 34. n. 1.* & generaliter docet hoc *S. Hieronymus*, relatus in *c. Inter Hæresim 24. quæst. 3.* & sequitur *S. Thom. 2. 2. loc. cit. art. 1. in fin.* assignans etiam illam rationem; quia schisma est via ad hæresim: tales ergo schismatici incurrunt pœnas non solum schismatis, de quibus *infra*, sed etiam hæresis, de quibus dixi *verbo Hæresis.*

Excusantur autem a censuris, qui sunt tantum materialiter schismatici, idest errore probabili excusati; quia sæpe accidit, ut quæstio sit omnino dubia: & ita *Abbas in c. Licet, de elect. Sayr. lib. 3. cap. 5. n. 19. Sanch. cap. 36. n. 3.*

I. Excommunicationem incurrunt schismatici quicunque latam, & Papæ reservatam *in Bulla in Cœna Domini, c. 1. ibi, necnon schismaticos, & eos, qui se a nostra, & a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt*: quo loco continentur non solum schismatici, per scissuram a capite, sed etiam a membris, ut supra; ita *Ugolin. in idem c. 1. Bullæ, vers. Necnon schismaticos, n. 9. Sanctar. de hæresi, c. 43. n. 3.* & adverte ibi per primam particulam *schismaticos*, intelligi de schismaticis per antonomasiam, idest quando præter verum Pontificem, alius eligitur, eique obeditur: per secundam vero ibi *& eos, qui*, intelligi schismaticos alio modo, scilicet, contumaciter recedendo a totali obedientia Papæ, ut Papa est; quia dicunt Doctores, tunc etiam esse verum, & purum schisma, ita *Sayr. lib. 3. cap. 5. n. 21. cum Cajet. Suar.*

de

de cens. dis. 21. *sect.* 2. *n.* 12. *Ugol. n.* 9. *Sanch. lib.* 2. *c.* 36. *n.* 12. *Duar. super idem c. Bullæ n.* 16. hæc est verior, & communis, quamvis alii intelligant per illam primam particulam contineri proprie schismaticos; per secundam autem contineri eos, qui contumaciter alicui mandato Papæ nolunt obedire: qui tamen non sunt schismatici, si in aliis illi consentiant obedire: ita *Tolet. lib.* 1. *c.* 19. *in fin.* sed communiter rejicitur, quia nolens in aliquo casu particulari obedire, etiam in despectum Papæ, non continetur in hoc cap. ut *Sayr. Suar. Sanch. ubi supra.*

Est etiam lata excommunicatio contra schismaticos per electionem Antipapæ, in *c. Licet, de elect.* & ex Bulla Greg. XV. de quibus dixi *verbo Conclave, c.* 4. *not.* 9. & continet tam ipsum electum, sese ingerentem, quam alios fautores, & sectatores: sed non est reservata talis excommunicatio, ex *dict. c. Licet:* hodie est reservata ex Bulla Cœnæ, ut supra dixi, & ex dicta Bulla Gregorii XV. Item generaliter contra schismaticorum Episcoporum, Cardinalium, Legatorum, & Dominorum temporalium sectatores quoscunque lata est excommunicatio, ex Bulla Pauli IV. 19. *Cum ex apostolatus*: sed non est ibi reservata: sed, ut dixi, hodie reservata est in Bulla Cœnæ, & Gregorii.

II. Infamiam, & irregularitatem incurrunt schismatici, si crimen schismatis sit notorium; quia est crimen enorme, depositione dignum, quod notorium inducit juris infamiam ipso facto, & consequenter irregularitatem, secundum magis communem Canonistarum, ut testantur in terminis *Azor. tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 20. *quæst.* 8. *Sayr. lib.* 7. *c.* 12. *n.* 15. & 16. imo alii dicunt, etiamsi sit occultum crimen, induci irregularitatem: ita tenet *Azor. ibi cum Specul. & Raym.* plures apud *Sayr. n.* 16. sed communiter rejicitur, *ut Sayr. & Sanch. ubi sup.*

Item contra multi recentiores dicunt, schismaticum occultum nullo modo esse infamem, vel irregularem; si autem sit notorium crimen, esse infamem, & irregularem improprie, ob infamiam facti, quæ per pœnitentiam diluitur, ita *Sanch. lib.* 2. *c.* 36. *n.* 20. *Bonac. super c.* 1. *Bullæ Cœnæ, pun.* 5. *n.* 13. *Sanctarell. de hæresi, c.* 43. *n.* 13. *Suarez. de irregul. disp.* 43. *sect.* 2. *n.* 7. verum non puto, a prima sententia communi recedendum: imo ex Bulla Pauli IV. supra citata, si Cardinales, Episcopi, Legati, & Domini temporales in schisma incurrisse deprehensi, aut confessi, aut convicti fuerint, ipso facto sunt ordinibus privati, idest ipso jure depositi, & ad ordines inhabiles: & fautores illorum sunt ipso jure infames, & consequenter isti omnes sunt eo ipso irregulares.

☞ *Ab hac Auctoris sententia non esse recedendum, asserit etiam Ludovicus de Ameno* de delict. & pœn. tom. III. tit. 2. §. 5. num. 12. ☜

III. Privationem beneficiorum ecclesiasticorum, & inhabilitatem ad illa ipso facto incurrunt schismatici omnes, secundum aliquorum opinionem; alii tamen dicunt, solum esse inhabiles ad acquirenda, *c. Quia diligentia, de elect.* non tamen esse ipso jure privatos acquisitis: ita *Sanch. lib.* 2. *c.* 36. *n.* 19. *Garz. p.* 11. *c.* 10. *n.* 161. & si crimen est publicum, solus Papa super hac inhabilitate dispensat; si est occultum, secundum aliquos, potest Episcopus dispensare, ex *Trid. sess.* 24. *c.* 6. ita *Garzias n.* 164. *Sanctarell. de hæresi c.* 43. *n.* 12. *in fin.* sed de hac re dixi *par.* 1. *cap.* 30.

Item schismaticus omni jurisdictione ecclesiastica ipso jure privatus est, *cap. Didicimus* 24. *quæst.* 1. quod intelligunt DD. esse verum, postquam fuerit nominatim denunciatus excommunicatus, ut *Coninch. tract. de virtutibus, disp.* 30. *n.* 47. *Duar. sup. c.* 1. *Bul. lib.* 2. *c.* 56. *n.* 13. valent tamen gesta via publicæ potestatis a schismatico occulto, & tolerato, *Garz. num.* 160. *cum Navarr. Abb. & Azor.*

IV. Sed ex Bulla Pauli IV. supracitata, *Cum ex Apostolatus*, Episcopi, & iis majores Prælati, & Cardinales, & Legati, necnon Domini temporales in schismate deprehensi, aut confessi, aut convicti, incurrunt ipso facto privationem omnium dignitatum, Ecclesiarum, beneficiorum, officiorum ecclesiasticorum, & vocis activæ, & passivæ, & dominiorum publicorum temporalium: eorum autem sectatores, seu fautores, sunt eo ipso ineligibiles active, & passive, & intestabiles, hæreditatum, & successionum incapaces, & omni actione judiciali, & omnibus beneficiis, & Ecclesiis privati, omnibusque dominiis publicis, vel privatis: & primo occupanti bona istorum temporalia conceduntur: dicuntur autem deprehensi in schismate, qui in fraganti, & per evidentiam facti, in eo crimine reperti sunt, vel probato crimine, vel confesso, condemnati, *gloss. in c. Ad abolendam, §. Præterea, verbo Deprehensi, ibi Host. Butr. n.* 19. *de hæret. glossa in c. Ex litterarum, verbo Deprehensam, de eo qui duxit.*

Limita, quod non propterea licitum est catholicis auferre a græcis mercatoribus bona eorum, etiamsi schismatici esse dicantur, seu Ecclesiæ schismaticorum, ut *Rota decis.* 480. *n.* 4. *par.* 1. *posthum. Farinac.* quia Ecclesia catholica eos tolerat, ut *Archid. c. Magnum* 11. *quæst.* 1. & quia ipsi seculares sæpe laborant ignorantia invincibili schismatis; unde requireretur monitio facta a Sede Apostolica, ut dixi *verbo Repræsaliæ, cap.* 2.

Secus dicendum est de aliis schismaticis, vel hæreticis subditis Principi hæretico, vel infideli diffidato, ut *Rota ibi n.* 3. & 4. & consentit *Rota divers. par.* 1. *dec.* 611. *n.* 3. & quod bona infidelium, qui sunt subditi Principis infidelis diffidari, possint rapi, vel furto subtrahi, probat *tex. in leg.* 2. *C. de commerc. & merc. & DD. allegati a Rota ibi, decis.* 480. *n.* 3. & de bonis, seu mercibus judæorum subditis turcæ, *Rota Seraph. decis.* 453. & idem tenet *Rota par.* 1. *noviss. decis.* 480. *n.* 3. & 4. secus est si sint christiani, & sub Principe infideli, ita *Rota ibi d. decis.* 480. & *Rota divers. d. decis.* 611.

V. Ineligibilis est ad paparum Episcopus, aut eo major Prælatus, etiam Cardinalis, aut Legatus, schismaticus semel existens; ita ut si ullo unquam tempore, etiam post electionem in Romanum Pontificem etiam in concordia, appareret talem schisma incurrisse, seu excitasse, electio censenda sit ipso jure nulla, nulla expectata declaratoria, non suffragante ei possessione, coronatione, aliove actu; & licitum est omnibus ab ejus obedientia impune quandocunque discedere, ex dicta Bulla Pauli IV. 19. §. 6. & 7. & licet hæc Bulla non reperiatur publicata, ut notat *ibi Cherubin. in apostilla*; tamen sufficit, quod hæc Bulla confirmata fuit a Pio V. Constit. 22. *Inter multiplices*, §. 3. quæ fuit publicata: ita *Cherubin. ibi*: unde apparet, quod in hac re est derogatum *c. Licet, de elect.* ubi nulla exceptio electo in concordia in Papam objici poterat: Bulla autem Greg. XV. de electione Papæ solum statuit, nullam censuram objici posse; unde hoc impedimentum schismatis, & hæresis ex hac Bulla Pauli IV. in suo vigore remanere videtur: tamen limita hanc pœnam, ut dicam infra *verbo Simonia, cap.* 7.

VI. Schismatici sunt suspecti de hæresi, ideo cogendi sunt abjurare schisma, *Duard. in dict. c.* 1. *Bullæ, quæst.* 56. *n.* 12.

VII. In *c.* 1. *de schism.* statutum est, ut ordinationes factæ a schismaticis, sint irritæ, ita ut ordinati remaneant suspensi, seu irregulares, de qua re dixi *verbo Ordo c.* 24. item, ut qui dignitates, aut beneficia accipiunt a schismaticis, careant impetratis; unde DD. communiter colligunt, collationem, seu provisionem beneficii factam a schismatico Episcopo, esse ipso jure irritam; quia verbum, *careat*, est latæ sententiæ, ita tenet *Rota, & DD.* quos allegat, & sequitur *Sanctarell. de hæresi, c.* 43. *n.* 15. *Barbosa in d. c.* 1. *n.* 7. *de schis.* quidquid dicat *Sanch. in decal. lib.* 2. *c.* 36. *n.* 20. asserens, collationem non fore irritam, sed irritandam, & pro hac allegat *Suar. de cens. dis.* 23. *sec.* 4. *n.* 4. sed immerito; nam *Suar.* tenet contrarium de collatione facta a schismatico, sed ait, non fore irritam collationem factam ab ordinatis a schismatico: tertio statutum est in *d. c.* 1. ut alienationes factæ de rebus ecclesiasticis per schismaticos omni careant firmitate, & ad Ecclesias sine omni onere revertantur: unde colligunt DD. alienationes istas esse nullas pro utroque foro, *Suar. loco cit. n.* 4. limitant autem hoc DD. ut non sit irrita alienatio facta in evidentem Ecclesiæ utilitatem, per *gl. in d. c.* 1. *verb. Firmitate, Sylvest. verb. Excomm.* 9. *n.* 29. *casu* 8. *Suar. n.* 5. *in fin.* quarto additur in *d. c.* 1. si quis prædictis contraire præsumpserit, excommunicationi se noverit subjacere. Ex quibus verbis inferunt DD. quod retinens beneficium, vel bona de manu schismaticorum contra prædictam Constitutionem, ipso facto excommunicationem incurrit, ita *Hostien. in d. c.* 1. *verb. Contraire, Anan. ibi n.* 6. *Sylv. loco cit. Suar. n.* 6. *in fin.* imo multi dicunt, quod etiam in dictam excommunicationem incurrunt, qui recipiunt beneficia, vel bona prædicta; ex hoc enim satis contraire videntur: ita tenet *gl. ibi, & Abb. n.* 2. *Anan. n.* 6. *Sylv. d. n.* 29. *Alter. tom.* 2. *dis.* 9. *cap.* 3. §. *Tria*, & hæc verior mihi videtur, atque communior. Adverte, quod hæc excommunicatio non est reservata, ut notat *Suar. ibi n.* 4. & quod non incurritur, si adsit ignorantia, saltem crassa, & non affectata, pro-

propter verbum, *præsumpserit*, ita *Suar. n.* 5. Adverte secundo, quod dictæ pœnæ irritationis collationis beneficiorum, & alienationum, & excommunicatio consequens, non procedunt, quando collatio, seu alienatio fieret a schismatico tolerato ab Ecclesia Romana; hujus enim acta sustinentur, ita *Abb. d. c.* 1. *de schis. n. ult. Anan. n.* 11. *in fin. Garzias de benef. par.* 11. *cap.* 10. *n.* 160.

Sed, si quæras, quando dicatur toleratus? resp. quod secundum aliquos DD. dicitur is, qui non est nominatim denuntiatus schismaticus, ob *Extravag. Ad evitanda* Martini V. ita *Sanch. lib.* 2. *in decal. c.* 9. *n.* 10. *Duard. in Bulla in Cœna Domini lib.* 2. *c.* 56. *n.* 13. *Navar. conf.* 10. *n.* 2. *de hæret.* & probabiliorem ait *Bonac. de cens. partic. dis.* 1. *quæst.* 2. *pun.* 5. *n.* 9. & 14. & communem ait *Alter. tom.* 2. *dis.* 9. *c.* 3. *in fin.* sed secundum alios schismatici tolerati dicuntur, quandiu sunt occulti: secus si sint notorii de jure, vel de facto, ita *Azor. part.* 2. *lib.* 3. *c.* 48. *quæst.* 11. *Innoc. in d. c.* 1. *n.* 4. & *ibi Host. col. ult. Alter. loco cit.* & probabiliorem ait *Valen. tom.* 3. *dis.* 3. *quæst.* 15. *pun.* 3. *post.* §. *Tertia sententia*: quia si sunt manifesti, sunt vitandi, & privati jurisdictione, ratione ipsius criminis, non tantum ratione excommunicationis, seu censuræ, de qua est sermo in *Extrav. Ad evitanda*. Hæc secunda sententia omnino tenenda est in casu schismatis super electiona Papæ, de quo casu est *text. c.* 1. *de schism.* quia in ea turbatione non possunt censeri tolerati, etsi nondum fuerint denuntiati; quidquid sit de schismaticis græcis, & similibus. Advertendum tertio, quod collatio, aut unio beneficii facta a Papa schismatico, postea convalescit præscriptione quadraginta annorum, cum titulo scilicet putativo, & bona fide; dummodo iste titulus putativus sit justo errore causatus, sive sit error facti, sive juris probabilis, v. g. quia erant probabiles dictæ sententiæ pro utraque parte: quia sufficit error facti, vel error juris valde dubii, ut probetur justus titulus ad præscribendum, ita *Rota decis.* 128. *in collect. Farinac. de contract. & crim.*

☞ CAPUT I.

Sacram Scripturam prædicantes, vel explicantes contra sensum, ab Ecclesia approbatum.

EX *Const. Leonis X.* Supernæ majestatis 19. *Decembr.* 1516. *præter pœnas contra tales a jure statutas, incurrunt ipso facto excommunicationem Papæ reservatam. Pœnas autem a jure statutas habes in Conc. Trident.* sess. 5. cap. 2. circa medium. ☜

CAPUT I.

Secreta Sancti Officii revelantes.

Vide *verbo Inquisitio, cap.* 6.

CAPUT II.

Secreta Sacri Consistorii revelantes.

Vide *verbo Consistorium, cap.* 1.

CAPUT III.

Secreta, aut alia in perniciem Christianæ Reipublicæ nuncians fidei inimicis.

Vide *verbo Nuncians cap.* 1.

CAPUT IV.

Secreta Sacræ Rotæ revelantes.

EX Bulla Urbani VIII. edita anno 1643. die 19. Novembris, vetitum est Auditoribus Sacræ Rotæ, & loca Auditorum tenentibus, propria, vel coadjutorum, seu loca tenentium vota, seu suffragia, in causis, quæ in eorum auditorio discutiuntur, vel suffragantium, aut non suffragantium nomina patefacere alicui, præterquam suis coadjutoribus, seu loca tenentibus, & suo unico adjutori studiorum, & alteri dumtaxat adjuncto, cujus opera quemlibet Auditorum, & loca tenentium uti oportebit: item vetitum est eisdem ea, quæ sive in eorum auditorio, sive extra, sive collegialiter, sive singulariter, inter ipsos tractata fuerint, causas, aut controversias in dicto auditorio discussas, sive dictum tribunal, sive personas litigantium, vel informantium concernentia, aliis, quam supradictis personis patefacere.

Transgressores autem incurrunt ipso facto pœnas perjurii, propter juramentum, quod præfati Auditores, & loca tenentes de hoc secreto in ingressu officii præstant: item excommunicationem Papæ reservatam privative ad omnes, etiam privilegiatos, ac etiam ad majorem Pœnitentiarium.

Similiter sub eisdem perjurii, & excommunicationis latæ sententiæ pœnis, vetitum est dictis Adjutoribus studiorum, & adjunctis, supradicta secreta revelare.

Denique prohibitum est ibidem, ne quis extra Summum Pontificem hujusmodi Constitutionem declarare, aut interpretari valeat, nisi ut verba sonant, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda.

Limita ex eadem Constitutione, ut permissum sit dictis Auditoribus, seu loca tenentibus manifestare difficultates, & motiva (ob quæ resolutio causæ dilata, vel impedita) litigantibus; reticito tamen nomine Auditorum, loca tenentium, & correspondentium, a quibus ea prolata fuerint.

Limita secundo, quod ex defectu plenæ advertentiæ excusari debeant a culpa gravi, & a censura ista, v. g. si inadvertenter aliquid de comprehensis hic, ab ore istorum exciderit, prout in simili de confessariis ait *Sot. in tract. de rat. teg. secretum mon.* 2. *quæst.* 2.

Limita tertio, quod si prædictorum aliquis aliunde cognovisset aliquid ex prædictis, non ligaretur hoc præcepto, dummodo non asseret, id cognovisse mediis, ut supra comprehensis in dicta prohibitione, ut in simili de confessario ait *Layman tract. de Sacr. Pœnit. c.* 14. *n.* 3. unde non incurreret Auditor, qui reo diceret, causam non fuisse hactenus expeditam, eo quod actor acta, vel informationes non attulerit, & similia; quia hæc assertio neminem aggravat, & nemini præjudicat, neque ejus rei notitia pendet a tractatu aliquo facto in Rota, vel extra inter eosdem Auditores, sed a notitia extrinseca, etiamsi forte de tali retardatione in Rota aliquid idem Auditor ponens dixisset.

Limita quarto, ut non incurrat revelans aliquid tractatum inter eos de causa committenda Rotæ, nondum tamen commissa; quia loquitur *tex.* de causis discussis in eorum auditorio, & sumus in materia pœnali, ideo stricte interpretandum.

☞ CAPUT V.

Secretum S. Congregationis Rituum revelantes.

QUæ pœnæ inflictæ sint in hujusmodi secretum revelantes, & in quibus casibus, ac terminis locum habeant, palam facit sequens juramenti forma impressa in decretis generalibus Urbani VIII. insertis in ejus Constitutione In causis Canonizationum 5. Julii 1634. *quam per extensum etiam refert Bened. XIV.* lib. 1. cap. 16. n. 16. De Servor. Dei Beatif. & Beator. Canoniz. *quod tam. Cardinales, quam Consultores in eadem Congreg. suffragium habentes, emittunt, cum ad id munus assumuntur.* — Nos tactis &c. juramus, & promittimus, fideliter exercere officium nostrum in his, quæ proponuntur in Congr. Sacrorum Rituum habendis coram Sanctissimo, & non revelare, nec loqui, nisi cum aliis dictæ Congr. Cardinalibus, tribus antiquioribus Rotæ Auditoribus, Consultoribus, ac Officialibus prædictæ Congregationis, ac duobus familiaribus ab unoquoque nostro deputandis, quæ fient, aut tractabuntur non solum in causis spectantibus ad dictam Congregationem, sed etiam in aliis ad illam non spectantibus, in dicta Congregatione coram Sanctitate Sua occasione discursus de rebus Magnatum, Religionum, vel aliis gravioribus occurrentibus, sub pœna perjurii, & excommunicationis latæ sententiæ, a qua nonnisi a Summo Pontifice dumtaxat, excluso etiam Majori Pœnitentiario, præterquam in mortis articulo, absolvi possimus: & sub eadem pœna perjurii, & excommunicationis, de qua supra, juramus similiter, & promittimus, quod, si per litteras, aut supplices libellos, sive etiam oretenus, vel per interpositas personas commendationes a quocumque, etiam cujusvis dignitatis, & præeminentiæ, nobis factæ fuerint de causis pertractandis in dictis Congregationibus, præfatas litteras scienter non aperiemus, sed clausas, & sigillatas mandabimus consignari in manibus Secretarii dictæ Congre-

gregationis; si vero non informatos de contentis in prædictis litteris contigerit per nos aperiri, & legi, si eædem continebunt similes commendationes tantummodo, pariter eas transmittemus ad eundem Secretarium: verum si de aliis negotiis in prædictis litteris pertractabitur, mandabimus, transcribi illam tantum partem continentem commendationem, diem datæ, & locum, necnon etiam subscriptionem illius, qui negotium commendavit, quam pervenire curabimus ad manus prædicti Secretarii; atque eisdem litteris non rescribemus, nisi de mandato dictæ Congregationis; & saltem in ipso actu votandi propalabimus, a quo, vel a quibus causa fuerit nobis commendata. Et ita nos præfati &c. promittimus, & juramus &c. —

Hoc secreti servandi onus nedum se extendit ad Congregationes generales, quæ coram Summo Pontifice habentur, ut in allata juramenti forma; sed etiam ad Antepræparatorias, & Præparatorias ex declaratione Clem. XII. die 11. *Maji* 1733. *relata ab eodem Bened. loc. cit. quæ est, ut sequitur* — Mandat igitur Sanctitas Sua, & in virtute S. Obedientiæ præcipit, ut secretum, quod inviolabiliter hucusque, paucis nonnisi annis novæ, inanditæque doctrinæ disseminatione exceptis, servatum fuit de suffragiis, nedum in generali Congregatione coram Sanctitate Sua latis, sive super virtutibus, sive super miraculis Beatorum, & Servorum Dei, verum etiam in Congregationibus, quæ Antepræparatoriæ, & Præparatoriæ nuncupantur, quæque ad illam generalem coram Sanctitate Sua ordinem dicunt, & connexionem cum ea habent, omnino servetur, & teneatur; itaut nemini in posterum sub quocumque prætextu liceat vota affirmativa, negativa, aut suspensiva super memoratis virtutibus, & miraculis, aliisque rebus, difficultatibus, obstativis, censuris, & sermonibus in prædictis Congregationibus latis, & habitis alteri cuicumque, qui de Congregat. Sacror. Rituum non est, sive directe, sive indirecte, propalare, & referre, sub pœna perjurii, & excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrendæ, in formula juramenti præstari soliti contenta, & expressa; & a qua nonnisi a Summo Pontifice pro tempore existente, excepto etiam Majori Pœnitentiario, præterquam in articulo mortis, absolvi possit. —

Idem juramentum præstant, & sub iisdem pœnis secretum servare tenentur etiam familiares Cardinalium, & Rotæ Auditorum, suffragium in Congregatione habentium, qui ab iisdem assumuntur pro auxilio in lectione, & studio causarum ad Beatificationem, & Canonizationem Sanctorum pertinentium, ut ex cit. decret. general. ejusdem Urbani relat. a Benedict. XIV. loc. cit. n. 17. *sicuti & duo familiares Secretarii Congregationis ex decreto Innoc. X. sub die* 10. *Jan.* 1654. *ibid. relato; nec non Magistri ceremoniarum dictæ Congregationis, ut ex altero decreto laudati Urbani, sub die* 21. *Jun.* 1632. *pariter relato ab eodem Bened. n.* 18.

Nota I. facultatem absolutionis ab hac excommunicatione hic sublatam tam ab Urbano, quam a Clemente Card. Majori Pœnitentiario, non reperiri eidem interdictam in posteriori Constit. Pastor Bonus *Bened. XIV., quam habes in calce hujus Operis: ceteroqui praxis est, ut numquam absolvat, nisi prius facto verbo cum Sanctissimo.*

Nota II. juxta deducta a dicto Bened. cit. cap. 16. n. 19. *non violari juramentum supradictum a Consultoribus, si in verbali informatione excitent oppositiones, & difficultates Procuratori, vel Advocato causæ ibi* — Et ratio a priori est, quia difficultatum excitatio in informatione verbali nec sensum Congregationis, nec proprium arguentis sensum per se demonstrat: non Congregationis, cum informatio verbalis Congregationem præcedat; non proprium arguentis, cum ratio dubitandi proponatur etiam ab eo, qui nullum habet dubium, nec aliquam habet difficultatem. — ☜

☞ CAPUT I.

Senatoris, vel Rectoris Romanæ Urbis electio.

EX *cap.* Fundamenta 17. de elect. in 6. *quod est Nicolai III. Incurrebant excommunicationem Papæ reservatam Imperatores, Reges, Principes, Barones, vel alii alterius nobilis præeminentiæ, potentiæ, seu potestatis, excellentiæ, vel dignitatis, eorumque fratres, filii, & nepotes, si absque Sedis Apostolicæ facultate assensum præbuissent electioni, vel assumptioni de se factæ ad Senatoris officium, & regimen Romanæ Urbis ad tempus, vel in perpetuum; vel si se in hoc per seipsos, aut interpositam personam intromisissent: ac etiam alii quicumque, qui sic electis, ac nominatis obedivissent, vel auxilium, consilium, aut favorem præstitissent. Verum cum hodie electio Senatoris (qui unus tantum est, non centum, ut olim) aut Rectoris, seu Gubernatoris Urbis, sit privative penes Papam, hæc decretalis non amplius locum habet; ideoque neque censura ibi inflicta: quam proinde perperam nonnulli Auctores referunt inter excommunicationes Papæ reservatas, adhuc vigentes.* ☜

CAPUT I.

Sententiam, quæ transivit in rem judicatam, revocari procurans.

EX *lege final. Cod. Ut lit. pend.* supplicans Principi pro retractanda sententia, quæ transivit in rem judicatam, incurrit ipso facto infamiam juris; unde etiam fit irregularis. Vide *DD. in dict. leg. final.*

Limita, ut non procedat, quando peteretur ex justa causa restitutio in integrum a Principe adversus sententiam latam definitive, tanquam ex plenis probationibus, vel coram eodem Judice peteretur restitutio adversus sententiam latam ex præsumptivis, ob supervenientes probationes, *Gemin. in c. Venerabilis, §. Porro n.* 5. *in fin. de sent. excommun. in* 6. *Felin in cap. Lator, declar.* 7. *de sent. & re judic. Natta consil.* 444. *n.* 14.

CAPUT I.

Sepulchri violatio.

NOta, quod quamvis olim de jure civili per illationem mortui locus efficeretur religiosus, *leg. In tantum, in fin. ff. de rerum divis.* & ideo non erat in commercio hominum, sed divini juris, §. *Nullius inst. eod.* neque de eo in judicio finium regundorum agendum, *leg. Quinque pedum, Cod. Finium regun. qui tex.* de loco hujusmodi signato præscriptione, idest inscriptione ista, *quinque pedum in agro*, ut moris erat, & multæ tales inscriptiones, seu lapides reperiuntur, & ita hunc textum intellexit, & bene *Volfang. Lazius de Rep. Rom.* tamen hodie de jure canonico locus non efficitur sacer, nisi auctoritate Episcopi fuerit deputatus ad sepulturam fidelium, *gloss. in cap. In ecclesiastico* 13. *quæst.* 2. *Sanchez de matrim. lib.* 9. *disp.* 15. *n.* 43. *Felin. in cap. Quanto, in fin. de judic.* Unde cum alias non sit locus sacer, est adhuc in commercio hominum, & potest vendi, & similiter, *Paris. cons.* 34. *n.* 14. *lib.* 4. *Barbos. in dict. c. In ecclesiastico, n.* 1. & similiter, & a fortiori sepulchra infidelium non sunt religiosa, neque sacra; imo illa destruere licitum est, *leg. Sepulchra hostium, ff. de sepulc. viol. Turrecr. in c. Infames* 6. *quæst.* 1. si autem fuerit locus auctoritate Episcopi deputatus, tunc est locus sacer, & non est in commercio hominum, neque acquiri, neque possideri ab aliquo laico potest, *leg. Si sepulchrum, Cod. de religios. Rot. par.* 1. *noviss. decis.* 22. *n.* 2. jus tamen sepeliendi in illo, seu usus sepulchri potest quasi possideri, & acquiri etiam a laico privative, ut nullus alius ibi possit sepeliri, sive sit sepulchrum hæreditarium, sive sit familiare, *Rot. num.* 2. & 3.

Est autem adeo favorabilis causa sepulchri, seu illati mortui, ut si, lite pendente, cadaver fuerit cum licentia Ordinarii illatum, etiamsi postea pronuncietur, jus non fuisse inferendi, non tamen debebit cadaver illud exhumari, *Rot. ibi n.* 4. cum aliis allegatis.

Præterea probanti quasi possessionem juris sepeliendi cumulative in tali sepulchro, saltem per unum actum executum absque licentia, & sine contradictione adversæ partis, est manutenendus, ut probat *Rot. par.* 1. *noviss. decis.* 508. *n.* 1. *in fin. & n.* 3. sed ad acquirendam quasi possessionem juris sepeliendi privative ad alios, requiritur prohibitio hujusmodi possidentis cum acquiescentia eorum, qui prætendunt jus ibi sepeliendi, *Rota ibidem n.* 4.

I. Excommunicationem incurrunt violantes sepulchra Sanctorum, inde alienando Reliquias, vel de locis Urbis Romæ auferendo Reliquias, etiam sine effractione, vel cum effractione etiam ab aliis locis extra Urbem: dixi *verbo Reliquiæ*, & *verb. Sacrilegium cap.* 3. item excommunicationem incurrit sepulturæ transferendæ causa cadaver exenterans, aut comminuens, ut dicam *cap. seq.*

Item infamiam juris ipso facto incurrunt, & consequen-

ter irregulares fiunt, quicunque de sepulchro violato damnati fuerint, *cap. Infames 6. q. 1. ibi Turrecrem. Sayr. lib. 7. c. 11. n. 8. Ugolin. de irreg. c. 60. §. 4. n. 6.* sive civili judicio damnentur, *leg. 1. ff. de sepulchr. viol.* sive criminali; quia, etsi sit crimen privatum de jure civili, tamen cum descendat ab actione famosa, damnatum infamat, *leg. Infamem, ff. de publ. jud.* imo de jure canonico, & civili hodie si sepultura sit in loco sacro, censetur crimen publicum, quia est crimen sacrilegii, & *leg. Juliæ peculatus, per gloss. in §. Lex Julia, inst. de publ. jud.* cum sit violatio loci sacri: unde damnatus fit infamis, & irregularis, ut dixi *verb. Sacrilegium cap.* 1. & procedit pœna prædicta, & dicitur violator sepulchri, sive frangat illud, sive in illo mortuos spoliet, ut *Turrecrem. ibidem*: & quamvis de jure civili non sit sacrilegii crimen auferre non sacrum de sacro, sed tantum si sacrum de sacro; tamen de jure canonico sacrilegii crimen est utrobique, ut de magis communi testatur *Layman lib. 4. tract. de sacril. cap. 7. n. 18.* & docet *Menoch. lib. 2. de arbitr. casu 389. n. 12. 13. & 14.*

Limita, ut non sit crimen sepulchri violati, si causa rationabili inde aliquid auferatur ab iis, qui jus habent, ut *Turrecr. in dict. cap. Infames n. 2.* item si inde thesaurus a defuncto, vel hærede reconditus ob honorem sepulturæ auferatur; quia hæc ibi ponere, vel superstitiosum, vel vanum est, *Turrecr. loc. cit.* & text. in *leg. Et si quis, vers. Fuaeris, ff. de relig. l. Lege, ff. ad leg. Jul. pecul.*

De materia juris sepulchrorum, vide *Genuens. in praxi, c. 33. & c. 61. & Murgam de sepul.*

CAPUT II.

Sepultura transferendæ causa cadaver comminuens.

EXtrav. 1. de sepult. statutum est, ne causa transferendi cadaveris defuncti de terris catholicorum ad alium locum, scilicet catholicorum, cadaver ipsum exenteretur, vel concidatur, aut elixetur, sed integrum transferatur, aut ibi relinquatur, donec incineretur, & tunc transferatur: & si quis contra hæc attentare præsumpserit, crudeliter modis prædictis corpus defuncti tractando, aut faciendo tractari, excommunicationem incurrat, Papæ reservatam, & cadaver illud, sic inhumane tractatum, ecclesiastica careat sepultura.

Amplia, quod licet aliqui putent ad has pœnas requiri, ut concurrerint tres illæ actiones, scilicet exenteratio, concisio, & elixatio, ut *Tolet. lib. 1. c. 36. §. Septima*: tamen communis sententia tenet singulas illarum sufficere: ita *Angel. excommun. 5. caus. 32. Suar. dis. 22. de censur. sect. 5, num. 1.*

Limita, quod non procedit hæc prohibitio de defuncto in terris infidelium, vel hæreticorum, *Tolet. Angel. ibi Suar, n. 2. gloss. in Extravag. verbo Catholicæ Fidei.*

Limita secundo, quod non sufficit attentatum, ut mandatum, sed requiritur actus consummatus, *Suarez n. 1.* propter illam particulam, *tractantes, vel facientes tractari.*

Limita tertio, quod aliquibus religiosis circa hanc prohibitionem concessum est privilegium, de quo vide *Dianam resol. 120. tract. 2. tom. 2.*

Limita quarto, quod aliqui Doctores dicunt, pœnam privationis sepulturæ cadaveri statutam, non esse latæ sententiæ; ideo ecclesiasticos illam non teneri observare, nisi sententia Episcopi accedat, aut notorium sit, talem in impœnitentia finali defunctum esse: ita *Suar. loc. cit. Filiuc. tract. 15. n. 78.* alii dicunt, hanc pœnam esse latæ sententiæ, sed non ligare ante declaratoriam, propter *Extrav. Ad evitanda*, de qua dixi, *verbo Censura cap. 4.* quia dicunt, hanc pœnam esse per modum censuræ latæ contra male tractantes cadaver, & contra ipsum cadaver: ita *Bonac. de cens. particular. disp. 2. quæst. 3. pun. 45. n. 8.* ego puto, esse pœnam latæ sententiæ, per ea, quæ dixi *verbo Sacram. cap. 2. & verbo Duellum c. 3.* & non habere locum in hoc casu *Extrav. Ad evitanda*; quia probabilius est, eam solum procedere de vitandis ratione sententiæ, seu censuræ, saltem improprie dictæ, ut suspensionis ad certum tempus, vel in perpetuum; non autem de vitandis ratione criminis immediate, ut dixi *verbo Usura cap. 1. n. 4.* Tamen, quia jam cadaver erat in quasi possessione ecclesiasticæ sepulturæ, æstimo ante sententiam, si res sit occulta, posse restitui pristinæ sepulturæ, non tamen alio transferri, per ea quæ dixi *part. 1. cap. 5.*

De translatione sepulchri, vide *Genuen. cap. 91. n. 12. in praxi, Dianam loc. cit. tex. c. Corpora Sanctorum, de consecr. dist. 1. leg. Nemo humanum, Cod. de relig.* per quæ jura prohibetur translatio cadaveris sepulti, nisi cum licentia Episcopi; quod intelligunt Doctores, si causa perpetuæ sepulturæ ibi sit humatum, vel nisi necessitas aliud exigat, ut Ecclesiæ renovatio: *Genuens. & Dian. ibi.*

CAPUT III.

Sepulturam in suis Ecclesiis inter vivos eligi ab aliquo, vel non mutari procurantes.

NOtandum, quod de jure communi cadaver debet sepeliri in sepulchro majorum suorum, *cap. Is, qui habet, & c. Licet de sepult. in 6. Rot. divers. decis. 333. n. 5. par. 1.* vel si id non extat, debet sepeliri in Ecclesia sua *parochiali, c. Cum quis, c. Is, qui, & c. Licet eod. tit. in 6.* Ex privilegio autem, juri communi inserto, quilibet potest sibi eligere sepulturam, *cap. 1. c. Cum liberum de sepult. Rot. dict. decis. 333. n. 1. & 5.* sic etiam de jure communi quisque potest in Ecclesia sua *parochiali* recipere ad sepulturam quem velit: *Clem. Dudum, §. Hujusmodi de sepult. & Abb. in c. Certificari n. 9. de sepul.* Ecclesiæ autem, quæ non habent populum, poterunt ex privilegio Papæ vel Episcopi: *Abb. ibi*: vide *Rot. par. 2. noviss. decis. 300. n. 2.* ubi *n. 3.* quod patronus Ecclesiæ non potest prohibere alios ibi sepeliri in alia non sua sepultura, quia non habet jus sepulturæ privativum ad alios.

In *cap. 1. de sepult. in 6. Bonif. VIII.* prohibuit in virtute sanctæ obedientiæ, & interminatione maledictionis æternæ, ne religiosi, aut clerici seculares aliquos inducant, mediante voto, juramento, vel promissione, ut in eorum Ecclesiis sepulturam eligant, vel electam non mutent: & si contraventum fuerit, primo electio, juramentum, votum, & pactum sunt irrita ipso jure: secundo eligentes, quoad electionem sepulturæ censentur intestati, & non possunt ibi, nec alibi eligere sepulturam, neque possunt in electa sepultura sepeliri vigore talis electionis, sed in sepultura, jure communi illis contingente: tertio, ut ecclesiastici præfati, præsumentes sepelire contra dictam prohibitionem in suis Ecclesiis, teneantur ipsa corpora, si petantur, & omne emolumentum, illis sepulturæ occasione obtentum, etiamsi non petatur, intra decem dies integraliter restituere illis Ecclesiis, apud quas alias sepeliendi de jure fuissent: quod si non fecerint, ipsorum non restituentium Ecclesiæ, apud quas tales defuncti sepulti fuerint, & cœmeteria earundem tandiu remanent ipso facto supposita interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plenaria omnium prædictorum.

Rationem hujus decretalis, seu prohibitionis affert *Rota decis. 333. n. 6. par. 1. divers.* quia cum sepultura sit jus spirituale, non debet intervenire inductio, sed libertas, ut notat *gloss. in dict. cap. 1. verbo Sepulturam.*

Limita, ut Decretalis non loquatur de laicis, sed de personis ecclesiasticis inducentibus: ita *Rota d. n. 6.* & ideo infert, quod potest quis, fundans majoratum, apponere legem, ut debeant successores sepeliri in tali sepulchro.

Clem. Cupientes, de pœnis, §. Sane, additum est, ut temetarii violatores præfatæ Constitutionis, quatenus prohibeant inducere aliquem ad eligendam sepulturam, vel electam mutandam, medio voto, vel juramento, vel pacto, incurrant eo ipso, ultra pœnas præfatas, etiam excommunicationem Papæ reservatam.

Amplia, quod hæc excommunicatio procedit, etiamsi non sit effectus subsecutus sepulturæ: *Bonif. in dict. Clem. num. ult.*

Limita, quod incurritur, nisi secutus sit effectus immediatus inductionis, idest electio per juramentum, vel votum, vel pactum; unde non sufficit promissio de eligendo, ut dicatur inductio facta, ita *Bonif. ibi, & Cardin. ibid. Gemin. in dict. cap. 1. de sepul. in 6. Roderic. quæst. regul. 58. art. 7. dub. 5. Sylv. verb. Excomm. 7. n. 49.*

Limita secundo, ut non procedant hæ Constitutiones, quando inducitur quis ad eligendam sepulturam in testamento, seu ultima voluntate: *Suarez disp. 22. de cens. sect. 4. n. 25. Sayr. lib. 5. c. 12. n. 9. Tolet. lib. 1. cap. 36. §. Quarta: Roderic. art. 7. cit. in fin. Bonif. in dict. Clem. n. 74.* debet tamen etiam tunc solum de loco sepulturæ moribundus interrogari in genere, ubi velit sepeliri; nam si in

specie

ſpecie interrogetur, ſeu ſuggeratur, an in illa Eccleſia, electio eſt nullius vigoris, ut *Genuen. in praxi, c. 61. n. 3. Cravett. conſ. 10. n. 12. Burſat. conſ. 226. n. 18. vol. 3.*

De electione ſepulturæ plura apud *Genuenſ. in praxi cap. 61.*

Quæres, an ſit crimen ſimoniæ vendere ſepulturam: reſp. affirmative, quia eſt res ſacra: ita *cap. Abolendæ de ſepul. c. Non ſatis de Simon. Rota deciſ. 561. n. 1. par. 2. poſth. Farinac.* unde pro ſepultura ordinaria, & debita chriſtianis in locis publice deſignatis nihil recipi poteſt: at vero pro loco, ſeu ſitu honorabiliore, ſeu extraordinario, ſeu alias illi mortuo non debito, pretium exigi poteſt; quia ille honor eſt quid temporale, pretio æſtimabile, ut *Rota ibi cum Soto, Spino, & Roderic. Genuenſ. in praxi c. 33. n. 19.*

Nota etiam, quod ſepulturæ electio eſt probanda, vel per teſtamentum, vel per duos teſtes, etiam ſingulares, *Genuenſ. in praxi, cap. 61. n. 8. cum ibi addit.*

CAPUT IV.

Sepultura chriſtiana, ſi hæreticis, vel eorum credentibus, receptatoribus, defenſoribus, vel fautoribus fuerit impertita.

IN *c. 1. de hæretic.* ſtatutum eſt in Concilio Lateran. ne præfati inter chriſtianos accipiant ſepulturam.

In *c. 1. de hæret. in 6.* qui ſupradictos ſcienter præſumpſerit eccleſiaſticæ tradere ſepulturæ, uſque ad ſatisfactionem idoneam excommunicationis ſententiæ ſe noverit ſubjacere: nec abſolutionis beneficium mereatur, niſi propriis manibus publice extumulet, & projiciat corpora damnatorum: & locus ille perpetuo careat ſepultura.

Adde, quod Eccleſia, ſeu cœmeterium per ſepulturam talium remanent polluta, ut dixi *verbo Sacrilegium, cap. 5.*

Quæres I. an procedat textus de hæreticis, & complicibus prædictis, etiam non denunciatis nominatim? reſpondeo, verius videri ſufficere, ſi ſit ipſorum crimen notorium, ita *Avila de cenſuris, par. 2. cap. 6. diſp. 10. dub. 1. concluſ. 3. in fin. Filiuc. tract. 22. n. 229. Pegna in directl. lib. 3. ſchol. 111. colum. 1. & colum. ult. Sanchez lib. 2. in decal. cap. 9. n. 7.* quia dicunt, non incurri hanc cenſuram, tanquam ob communicationem cum excommunicato, ſed ob violationem præcepti facti ſub pœna hujus cenſuræ: quamvis multi in contrarium teneant, requiri, quod fuerint eorum crimina prædicta, vel excommunicatio nominatim declarata, propter *Extrav. Martini V.* de qua dixi *verbo Cenſura c. 4.* ita *Simancas cathol. inſt. tit. 18. de deſun. n. 9. Navarr. conſ. 10. de hæret. q. 4. Suar. de cenſur. diſp. 12. ſect. 4. n. 11. Layman lib. 5. tract. de ſacriſ. Miſſæ, cap. 5. n. 8. Azor. lib. 8. c. 13. quæſt. 6. tom. 1.*

Quæres II. an hæc pœna ſolum procedat contra ſepelientem propriis manibus, an etiam contra cooperantes ad ſepulturam? reſpondeo, aliqui dicunt, ſolum contineri propriis manibus ſepelientem: ita *Bonac. de cenſur. partic. diſp. 2. quæſt. 2. punct. 30. n. 6.* ſecutus *Navarrum cap. 27. n. 51. Henriq. & Cajet.* qui loquuntur in diverſis terminis, ſcilicet *Clem. 1. de ſepult.* alii dicunt, contineri ſepelientem propriis manibus, inferendo cadaver in ſepulchrum, & etiam mandantem ſepeliri; non autem aliter cooperantes, ut fodiendo, deferendo ad locum, aſſociando: ita *Suar. diſp. 12. de cenſur. ſect. 4. n. 10. & diſp. 23. ſect. 4. n. 42.* ſed puto verius, contineri omnes cooperantes ad horum eccleſiaſticam ſepulturam: & primo continentur effodientes, geſtantes feretrum, deponentes cadaver: item mandantes, & clerici cum Cruce, & officiis divinis, ſeu precibus funus ducentes: item continentur alii, cum luminibus aſſociantes: item clerici permittentes, cum ex officio tenerentur impedire, ut in ſimili tenet *gloſſ. in Clem. 1. verb. Sepelire, de ſepult. & ibi Steph. & Anchar.* quos ſequitur *Franciſ. de Platea, tract. de excom. §. 5. n. 14.* & facit, quod etiamſi aliter dicant Doctores multi, ſupracitati in caſu *Clem. 1. de ſepult.* reſtringentes magis ſignificationem; illud poteſt ibi forte procedere, quia ibi tex. utitur particula *eos, qui &c.* & particula *ſepelire &c.* quæ ſunt minus univerſales: at in *d. c. 2.* de quo agimus, utitur textus particula *quicunque*, quæ de ſui natura eſt valde generalis, & continet eos, qui alias non continerentur: *Decius conſ. 113. n. 4. Seraph. deciſ. 980. n. 8.* & utitur particula *tradere ſepulturæ*, quæ latius patet; nam continet admittentes, & funus ducentes, ut Doctores communiter *in c. Quia in omnibus, de uſuris:* ubi tex. eadem particula *tradere* uſus eſt, & *ibi Abbas n. 2.* ubi explicat de admittentibus, & eodem modo explicat *Sayr. lib. 4. cap. 15. n. 5.* & *Bernardus Diaz in c. 117. praxis canon.* eandem particulam poſitam *in c. Excommunicamus, §. Credentes, de hæret.* explicat de omnibus intereſſentibus.

Quæres III. qualis ſit hæc pœna privationis eccleſiaſticæ ſepulturæ contra ipſum locum inflicta? reſpondent aliqui, eſſe ſpeciem interdicti: ita *Filiucius tract. 18. n. 40.* ſed non eſt proprie cenſura, cum ſit perpetua privatio, ita ut nullus fidelis ibi amplius ſepeliri poſſit, *gloſſ. ibi, verbo Locus, Franc. in princ. Gemin. n. 3.* neque eſt ſola pollutio loci ſacri; quia etſi locus ſacer, in quo ſepultus eſt hæreticus, vel hæretici complex, ſeu fautor &c. pollutus reddatur, ut ibi divina officia celebrari non poſſint, neque fideles ſepeliri: tamen eſt differentia: primo, quia locus, in quo ſepulti ſunt dicti delinquentes; quoad dictam pœnam privationis juris ſepulturæ, accipitur ſtricte, ut ſolum intelligatur de eo ſpatio præciſe, in quo fuit corpus, non autem de tota Eccleſia, vel cœmeterio: at per talem ſepulturam tota Eccleſia, vel cœmeterium polluitur, & ita diſtinguit *Suar. diſp. 12. ſect. 4. n. 11.*

Item differentia eſt, quia locus incurrit illam pœnam privationis, etiamſi tales delinquentes non ſint nominatim denunciati excommunicati; ſi tamen ſint per ſententiam damnati, ut dixi *ſupra quæſt. 1.* at non polluitur locus ſacer per iſtorum ſepulturam, niſi ſint nominatim denunciati excommunicati, quia ſolum ratione excommunicationis mortui polluitur Eccleſia, & non ratione hæreſis ſolius, ut *Coninch. de Sacram. quæſt. 83. n. 282. Filiuc. tract. 18. n. 40. Navar. conſ. 10. de hæret. n. 4. in fine, Laym. lib. 5. tract. 5. cap. 5. §. 4. per ſepulturam:* unde fit, ut per ſepulturam hæretici, vel complicis damnati, non denunciati excommunicati, non prohibeantur officia divina; ſed locus ille præciſus ſepulturæ maneat perpetuo irreconciliabilis, *Suar. loc. cit. n. 11.*

Ultimo adde, quod ſepeliens, ut ſupra, hæreticum, vel fautorem &c. fit ſuſpectus de hæreſi, & tenetur abjurare, & ſe purgare: *Pegna in direct. par. 3. quæſt. 40. n. 89. & lib. 3. ſchol. 111. col. 3. Farin. de hæreſi, quæſt. 142. n. 49.*

CAPUT V.

Sepelientes in loco ſacro, tempore interdicti, aut alias excommunicatos, vel interdictos, vel uſurarios manifeſtos.

I. CLem. 1. de ſepult.* decernit, ipſo facto excommunicatos eſſe eos, qui propriæ temeritatis audacia defunctorum corpora, non ſine contemptu clavium, in cœmeteriis interdicti tempore, in caſibus non conceſſis a jure, vel excommunicatos publice, aut nominatim interdictos, vel uſurarios manifeſtos ſcienter ſepelire præſumunt; a qua excommunicatione nullatenus abſolvantur, niſi prius ad arbitrium diœceſani Epiſcopi, eis, quibus fuerit præmiſſa irrogata injuria, ſatisfactionem exhibuerint competentem.

Amplia, quod abſolutio data contra hanc formam, eſt nulla, propter particulam *nullatenus*: ita *Tolet. lib. 1. cap. 39. col. 1. Navar. cap. 27. n. 137. Suar. diſp. 12. ſec. 4. n. 8. Cardin. in dict. Clem. quæſt. 7.*

Amplia ſecundo, ut a fortiori procedat contra ſepelientes in Eccleſia, ut *Suar. n. 9. cum Navar.*

Amplia tertio, quod tempus interdicti intelligitur de locali generali, vel ſpeciali, vel de perſonali generali: *Suar. diſp. 35. ſect. 1.*

Amplia quarto, quod continentur hic non tantum propriis manibus ſepelientes, quod voluit *Cajet. excommun. c. 46. Navar. ubi ſupra, Henriq. lib. 13. cap. 43. n. 3. Avila par. 2. c. 6. diſp. 10. dub. 6. Toletus loc. cit. verſic. 4. manifeſtos, in fin.* ſed etiam mandantes, ut *Suarez ibi n. 10. & Cardin. in dict. Clem. n. 28. in fin.* & auctorizantes, ut parochus, ſeu alii clerici, qui funeri præſunt, ut *Leſſ. lib. 2. c. 20. n. 188. Pyrrhus Siculus in ſpeculo diſp. 16. quæſt. 130. §. 4.* & generaliter omnes, ſine quibus talis eccleſiaſtica ſepultura non perficeretur; ut ſunt portantes feretrum, fodientes, clerici cantantes, & officium perſolventes, cum Cruce præeuntes, & non impedientes, cum impedire ex officio tenentur, ut *Sayr. l. 3. c. 35. n. 13. cum Ugolino, Alterius lib. 1. diſp. 4. c. 3. Reginal. lib. 32. n. 19. Angel. verb. Excom. 7. caſu 36. n. 5.* Itaque continentur omnes, & ſoli, qui talem ſepulturam procurant, vel admittunt ad illam, ut *Bonifac. in dict. Clem. n. 33. in fin.* non tamen puto, contineri aſſociantes honoris can-

causa: *Less. Suar. Pyrrhus Sirulus, Cardinalis, Bonif. Angel. Sayr. Ugolin. Alter. locis cit.* & est communis sententia: quamvis etiam associantes contineri teneat *gloss. Steph. & Anchar. in dict. Clem. Regin. lib. 32. n. 19.* & alii, quos allegavi *c. præcedenti*.

Limita primo, quod post dictam satisfactionem, illa excommunicatio non est amplius reservata: *Bonif. ibi num. 4. Card. n. 30.*

Limita secundo, quod hodie propter Extravagantem, *Ad evitanda*, non procedit hæc Clementina, nisi interdictum, cujus tempore sepelitur, sit nominatim denunciatum; nam alias non est obligatio denegandi sepulturam: *Suar. disp. 37. sect. 2. n. 5. Coninch. disp. 17. dub. 5. in fin.* & intelligitur similiter de excommunicato, vel interdicto defuncto, nominatim denunciato, vel notorio clerici percussore, *Sayr. lib. 2. c. 33. n. 9. Navar. cap. 27. n. 137. Filiuc. tract. 14. n. 71. Tolet. lib. 1. c. 39. in princ.*

Hic nota, quod refert *Baron. anno Domini* 1110. *&* 1111. Paschalis II. Henrico Regi Romanorum roganti, ut liceret ei tradere ecclesiasticæ sepulturæ Henricum tertium patrem suum, qui excommunicatus fuerat defunctus, negavit dicens, quod cui non communicamus vivo, non communicamus mortuo: sed postea idem Papa captus ab Henrico, coactus illi concedere nonnulla, quæ erant contra ecclesiasticam libertatem, concessit etiam, ut ejus patrem ecclesiasticæ traderet sepulturæ; & ita factum est: sed debet intelligi, ut infra dicam, quod Paschalis commiserit, eum prius absolvi, ut *cap. A nobis* 28. *& c. Sacris* 38. *de sent. excomm.* vel quod Papa dixerit, se eum habere pro absoluto; hoc enim sufficit: *Clemen. Si summus de sent. excomm.* neque requiritur alia solemnitas, quia Papa est supra jus, ita *gloss. ibi, & Vitalin. n. 23. 27. & 50. & alii Doctores.*

Item secundum multos Doctores similiter non procedunt pœnæ contra sepelientes usurarios manifestos, nisi sint declarati, ut *Suarez dis. 31. sect. 2. n. 10. Filiuc. tract. 17. n.* 188. *Layman lib. 3. tract. de contract. cap. 16. n. ult. Bonac. de contract. disp. 3. quæst. 3. pun. ult. n. 1.* sed vide *infra verbo Usura cap. 1.*

II. Clerici, admittentes ad sepulturam interdictos, vel excommunicatos, vel quoscumque in loco interdicto, incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ, ex *cap. Episcoporum, de privil. in 6.* de qua re dixi *verbo Censura, c. 7. & c. 14.*

III. Si religiosi, etiam exempti, sua præsumptione admittant ad sepulturam excommunicatos, vel interdictos nominatim ab Episcopo, vel tempore interdicti ab Episcopo editi, varias censuras incurrunt, & eorum Ecclesiæ, in quibus sepultura est facta, subjacent interdicto, dixi *verbo Censura, cap. 15. & 16.*

IV. Clerici, tradentes usurarios manifestos ecclesiasticæ sepulturæ, vel oblationes eorum accipientes, compellendi sunt reddere, quæ acceperint, & donec ad arbitrium Episcopi satisfecerint, ab officii sui manent executione suspensi; *tex. in c. Quia in omnibus, de usur. & cap. Quamquam, de usur. in 6.* sed de hac re vide *verbo Usura, cap. 1.* Qui autem dicantur usurarii manifesti, vide *verbo Usura cap. 7.* qui vero dicantur tradere sepulturæ, dixi *supra cap. 4.*

V. Clerici sepelientes in loco interdicto, scilicet tempore interdicti localis, exercendo in officio illo actum ordinis sacri, incurrunt irregularitatem: *Sayrus lib. 5. c. 14. n. 34. Tabiena. verbo Interdictum 6. n. 2.* at sepelientes in loco interdicto excommunicatos, vel interdictos, non fiunt irregulares: *Sayr. ibi*, qui multos allegat, *Suar. dis. 12. sec. 4. n. 14.*

VI. Ecclesiæ, vel cœmeteria sacra, in quibus fuerit sepultus excommunicatus, nominatim denunciatus, vel notorius clerici percussor, polluta remanent eo ipso, *cap. Consuluisti, de consecr. Eccl.* vide *Sayr. lib. 5. cap. 16. n. 22. Suar. de cens. disp. 12. sect. 4. n. 4. & de Sacram. disp. 81. sect. 4. §. Quarto violatur, Tolet. lib. 5. cap. 8. §. Tertia causa, Avila par. 5. disp. 7. §. Tertius casus*; & cadaver illud excommunicati est exhumandum, & procul ab Ecclesia projiciendum: ut *cap. Sacris de sepult. cap. Ad hæc, de privil. ibi Butr. Abb. Zabar. & Barbos.* Itaque quandiu non fuerit locus reconciliatus, fideles ibi sepeliri non possunt, per *c. un. de consecr. Eccles. in 6.* neque ibi interim possunt officia celebrari, ex *supra cit.* & dicam *cap. seqq.*

Limita, quod si sepultus absolvatur ab excommunicatione ab eo, qui illam dare potest pro utroque foro, ob signa edita in articulo mortis, tunc non erit corpus exhumandum, *Suar. disp. 12. sec. 4. n. 3. Sayr. lib. 2. cap. 4. n. 13. Barbos. in c. Ad hæc de privil.* a fortiori non est illicitum, imo debitum, sepulturæ ecclesiasticæ tradere eum, qui excommunicatus fuit etiam denunciatus, etiam excommunicatione Papæ reservata, si in articulo mortis fuit absolutus pœnitens, etiamsi a simplici sacerdote, etiam pro foro conscientiæ tantum, ut *cap. final. de sepult. ibi Abb. n. 3. Capella Tolos. decis.* 369. *Ugolin. de censur. tab. 2. cap. 9. §. 5. vers. Nam ecclesiastica*; & procedit etiamsi esset absolutus, nondum satisfacta parte, ut *Abb. in dict. cap. final. n. 3. & DD.* quos citat, & sequitur *Bonac. de cens. in comm. quæst. 3. punct. 9. n. 2. & 3.* secus tamen in usurario publico, ut dicam infra, *verbo Usura c. 1.* hæredes autem excommunicati, qui absolutus fuit in articulo mortis a confessario, cogendi sunt per censuras ecclesiasticas satisfacere pro defuncto, *dicto c. final. de sepult.*

☞ *Circa sepulturam dandam excommunicato, si in mortis articulo absolutus fuerit, excipe decedentem ex vulnere, accepto in duello, ut in Additionibus meis supra post c. 3. verbo* Duellum. ☜

CAPUT VI.

Sepultura christiana si infidelis tradatur.

Ecclesiæ, & cœmeteria sacra, in quibus sepultus fuerit infidelis, seu paganus, idest, neque baptizatus, neque cathecumenus, polluta remanent, ut ibi cessare debeant divina officia, & sepultura fidelium, donec locus purgetur, & reconcilietur, per *cap. Ecclesiam 27. & 28. de consecr. dist. 1. & ibi Canonistæ, Suar. de Sacram. disp. 81. sec. 4. §. Quinto violatur, Azor. tom. 1. lib. 10. cap. 26. quæst. 13. §. Quarto modo, Fagund. in prim. præcept. lib. 3. cap. 15. n. 57.*

Amplia, quod si Ecclesia erat tantum benedicta, nondum consecrata, parietes, ubi sepultum est cadaver, ablato corpore, abradi debent, *Jo. And. in c. Proposuisti, de consecr. Eccles. Azor. Fagund. & alii citati, c. Ecclesiam 1. & 3. cit.*

Amplia, quod Ecclesia, in qua sepulti sunt infideles, si nondum erat consecrata, non potest amplius consecrari, nisi Episcopo apta videatur, & purgata prius fuerit, ut supra, rasisque parietibus, & tignis reædificata, *dict. c. Ecclesiam* 28. intellige reædificandam quoad solum tectorium, seu incrustationem, & dealbationem, ut *gloss. Turrecrem. & Archid. ibidem* exponunt.

Limita, quod cathecumenus potest sepeliri in sacro, & pro eo licet orare, ut *c. 2. de presbyt. non baptiz.* quia habuit baptismum in voto.

Limita secundo, ut non procedat in infante sepulto in utero matris defunctæ, quia tunc infans non censetur moraliter persona a matre distincta, sed pars viscerum ejus: ita *Canonistæ in dict. c. Ecclesiam, il primo.*

Limita tertio, ut non sint dicenda Ecclesia, vel cœmeterium polluta, si infidelis sepultura in loco sacro sit occulta; sed requiritur, ut factum sit publicum; alias sufficit purgare locum, ut supra, secrete; postea poterit celebrari; ut de communi testatur *Suar. loc. cit. §. 2. Dubitari.*

CAPUT I.

Sequestrantes jurisdictiones, vel fructus, aut proventus ad ecclesiasticos pertinentes.

I. Ex *cap. 17. Bulla in Cœna Domini* excommunicatio fertur, Papæ reservata, contra eos, qui jurisdictionem fructus, reditus, vel proventus ad Papam, & Sedem Apostolicam, & quascunque ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum, ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant.

Amplia, ut procedat contra sequestrantes, etiamsi sibi nihil inde usurpent: ut *Suarez disp. 21. sect. 1. n. 98.*

Limita, quod in hac censura non continentur cooperantes; ut actor instans, vel procurator, vel advocatus; sed continetur Judex, seu magistratus, decernens sequestrationem, & executor; quia isti proprie dicuntur sequestrare; *Navarrus cons. 42. de senten. excommun. Quaranta verbo Bona Ecclesiæ usurpantes, in fine.*

Limita secundo, ut non procedat in sequestratione voluntaria, seu de consensu partium, sed solum de necessaria.

ria, quæ fit officio judicis: ut *Suarez*, & *Quaranta loco citato*.

Limitant etiam tertio multi, ut solum procedat contra sequestrantes vi jurisdictionis laicalis, non autem si via ecclesiasticæ jurisdictionis; ita *Duard. & Alter. super hoc c. Bullæ*, & *Navarrus c. 27. n. 71. versu Declaratio prima*; *Sousa super hoc cap. disp. 90. Ugolin. in cap. 17. super particula, vel etiam eos*.

Alii dicunt, contineri etiam judicem ecclesiasticum injuste sequestrantem, quando sequestratio est nulla, & irrita ipso jure: & facit quod, ut notat *Suar. ibid.* hæc excommunicatio non requirit in se actum usurpationis ullius, sive bonorum, sive jurisdictionis, sed sufficit sequestrare via jurisdictionis, sine facultate legitima; & ita tenet *Bonac. hic pun. 3. n. 17.*

II. Præterea sequestrantes injuste bona, vel jura, vel reditus, vel proventus ecclesiasticorum, vel piorum locorum, incurrunt etiam in excommunicationem Papæ reservatam, latam a *Trid. Conc. sess. 22. c. 11. de ref.* contra ea usurpantes, vel impedientes, quominus ea percipiantur ab iis, ad quos pertinent: & continet tam laicos, quam ecclesiasticos; nam ut *Suar. loco supra citato* docet, sequestrans, injuste impedit, quominus ea percipiantur ab iis, ad quos pertinent: sed de hac re dicam infra *verbo Usurpatio*.

CAPUT II.

Sequestrationem beneficii, vel fructuum ab Ordinario fieri impedientes, aut factam violantes.

Clem. un. de sequestr. poss. statuit, ut lite pendente in Curia Romana in petitorio, aut possessorio super causa beneficiali, secuta una sententia definitiva contra possessorem, qui prius saltem per triennium pacifice non possederit, ordinarius decernat sequestrum fructuum ejusdem beneficii, ac ipsius etiam beneficii apud personam idoneam, quæ illius plenam curam, & administrationem habeat; illiusque fructus inde, Ecclesiæ supportatis oneribus, victori restituantur: si quis autem hujusmodi sequestrationem impedire, vel fructus sequestratos quoquomodo præsumpserit occupare, excommunicationem incurrat ipso facto; a qua, nisi impedimento prius amoto, et occupatis per eum fructibus restitutis, nullatenus absolvatur; & si talis impediens, vel occupans de litigantibus fuerit, a jure in re, vel ad rem dicti beneficii eo ipso se noverit cecidisse; non obstante etiam oppositione de nullitate contra dictam primam sententiam.

Advertendum est, quod dicunt *Navar. cap. 27. n. 137. Suar. disp. 23. sect. 5. n. 1. Tolet. lib. 1. c. 39. §. 1.* jus hujus Clementinæ hodie ex stylo Curiæ esse aliquatenus immutatum; quia hodie quando lis pendet in Curia Romana, ut in Rota, & ibi fertur prima sententia, sequestratio non fit ab Ordinario vi hujus Clementinæ, sed auctoritate Apostolica per Rotam: unde dicunt isti Doctores, quod violantes, seu impedientes talem sequestrationem, incurrunt excommunicationem ab homine, quam ferre solet judex, seu auditor, qui sententiam tulit, & executioni mandari decernit: non autem hanc a jure latam incurrunt: sed alii verius, ut *Bonifac. in dict. Clement. num. 48. 49. Gonzalez in proœm. reg. 8. §. 7. num. 51.* dicunt, incurri hanc excommunicationem a jure; quia Rota, quæ sententiam tulit, mandat Diœcesano, ut sequestret, juxta determinationem hujus Clementinæ; unde dicunt, jus hoc non esse mutatum: nam quod in hoc textu dicitur de sequestratione facta ab Ordinario, intelligitur de mandato Rotæ: & facit *decisio 5. Cassadori de sequestr. poss.* vide etiam *Buratt. decis. 22. n. 36. super hac Clem.*

Adde, quod dictus impediens sequestrationem, vel fructus occupans, incurrit etiam in alias censuras, latas contra usurpantes fructus beneficiorum ex *c. 17. Bullæ, & Trid.* ut dixi *c. præced.* item si impediat per recursum ad laicam potestatem, incurrit in excommunicationem ex *c. 16. & cap. 13. ejusdem Bullæ*: alias autem impedientes Rotam, vel Ordinarium, quominus tali delegata jurisdictione utantur, non incurrunt *in c. 16. Bullæ*, ut communiter ibi Auctores dicunt: nam & Rota delegata tantum utitur jurisdictione, ut *gloss. in Clem. Auditor, de rescript.* cum ibi allegatis a *Barbosa n. 4.*

☞ *Ex Constit. Pii IV.* Sanctissimus 26. *Octobr.* 1560. *judices, lite pendente, sequestrare possunt fructus beneficiorum Sedi Apostolicæ reservatorum, seu affectorum, & ordinaria, vel alia auctoritate collatorum, adjiciendo pœnas contra litigantes. Ex Constit. S. Pii V.* Cordi 30. *Martii* 1568. *fructus beneficiorum, lite pendente, deponi debent apud personam, a judice eligendam, non obstantibus quibuscunque statutis, disponentibus, quod capitula, & canonici eos recipiant.* ☜

CAPUT III.

Sequestrantes deposita ecclesiasticorum.

Vide *verbo Deposita cap. 1.*

CAPUT I.

Servituti subjiciens christianum, aut alias eum injuste detinens, aut bonis expolians.

I. Pius V. Bulla 149. *Licet omnibus*, occasione fœderis, seu ligæ christianorum contra turcas initæ, statuit excommunicationem latæ sententiæ, Papæ reservatam contra omnes, qui in terris turcarum, seu invadendo turcarum loca, christianum cœperint, quasi mancipium, vel data mercede remigare compulerint, aut taleam, seu redemptionis pretium imposuerint, aut ejus bona diripuerint, vel illum cum uxore, liberis, & bonis suis libere abire non permiserint.

Ampliant aliqui, quod licet ex illa occasione hæc Constitutio emanaverit, est tamen lex perpetua, ut *Barbos. alleg. 50. n. 141. memor. cleric. c. 19. n. 21. Filiuc. tract. 15. n. 121.* sed contrarium alii tenent; quia ratio illius Bullæ fuit, ut ibi dicitur, ne ira Dei contra ipsam christianam classem provocaretur; & ita sentit *Cherub. in Compendio illius Bullæ*, et probabile ait *Bonac. disp. 2. quæst. 3. pun. 46. num. 1.*

II. Qui liberos homines in servitutem redigit, vel ab alio illicite in servitutem redactos emit, si sæpius hæc faciat, crimen plagii committit: de quo si in judicio condemnatus fuerit, infamiam juris incurrit, & consequenter irregularis efficitur, ex *l. g. 1. ff. de his, qui not. infam.* quia plagii crimen publicum est, §. *Est, & inter, inst. de publ. jud.* itaque requiritur ad crimen plagii exercitium, *Menoch. de arbitr. cas. 536. n. 19.*

CAPUT II.

Servus alienus ad Ordines promotus.

Servus ad Ordines promoveri non potest, quandiu servus manet, *can. Apost. 81. c. Nulli 54. dist. c. 2. de servis non ordin.* & est irregularis irregularitate impropria, quia tolli potest sine dispensatione per manumissionem, *Borgas. de irregul. par. 4. tit. de servis non ordinan. n. 1. Suar. de irregul. disp. 51. sect. 3. n. 3.* & si ordinetur, sciente domino, et patiente, habetur pro manumisso, et ingenuus efficitur, *Auth. Si servus, sciente, Cod. de Episc. & cleric. cap. Si servus, sciente, dist. 54.*

Si servus alienus ordinatus fuerit in sacris, domino invito, vel inscio, ab Episcopo sciente statum illius, aut sciente promotore, seu præsentante ad ordinationem, servus eo ipso liber efficitur; sed Episcopus, seu præsentator tenetur domino duplum restituere, *c. Si servus, absente, 54. dist. gloss. in c. 2. de serv. non ord. verb. Deponatur, Tolet. lib. 1. cap. 59. §. 5. Suar. loc. cit. n. 10. Laym. lib. 1. tract. de irreg. c. 8. n. 1. Innoc. in dict. c. 2. n. 5. Abb. ibi n. 1. versic. Quartus casus, Borgas. ibi, Sayr. lib. 6. c. 14. n. 4.* secus si fit in minoribus ordinatus, juxta communem sententiam, quam tenent iidem DD. excepto *Toleto* §. 6. qui ait, idem esse de ordinato in minoribus, quod etiam docet *Cardin. in dict. c. 2. quæst. 10.* & ad hanc pœnam tenentur alii etiam malitiose, seu culpabiliter cooperantes ad talem promotionem, *Layman c. 8. n. 1.* & est debita hæc pœna in foro conscientiæ ante sententiam; quia est conformis juri naturali ob interesse reale, & affectionis: ita *Suarez sect. 3. n. 12.* contrarium tamen, quod solum ad simplum ante sententiam teneatur, dicit *Bonac. tract. de irregul. quæst. 2. pun. 4. n. 3. versic. Tertio*: sed prima est vera, quia jus canonicum, invito domino, servum liberum facit cum hac dupli recompensatione, &

non aliter: si autem præfati culpabiles non possint restituere duplum, tunc ordinatus in sacris, vel se redimet, vel serviet, *dict. c. Si Servus*, 54. *dist. Suar. n.* 13. *Henriq. lib.* 14. *c.* 8. *n.* 7.

Si servus, se gerens pro libero, inscio Episcopo, & aliis, ut supra, se fecit promoveri in minoribus, deponitur, & restituitur domino ad servitutem suam temporalem, *c. Ex antiquis*, 54. *distinct. & dict. c.* 2. *de serv. non ordinan.* si autem ad diaconatum, vel subdiaconatum promotus est, tenetur se redimere, pretium, vel servum vicarium pro se præstando domino; alias depositus, reddendus est domino ad servitutem temporalem, *cap. Ex antiquis, & c. Frequens*, 54. *dist. Abbas in dict. c.* 1. si autem sacerdos ordinatus est, vel se redimet modo prædicto, vel si non potest, domino serviet in iis, quæ non dedecent statum sacerdotis, ver. gr. in spiritualibus, & aliis honestis servitiis, *dict. c. Ex antiquis, gloss. in dict. cap.* 2. *ibi Abb. n.* 1. *Turrecr. in dict. cap. Frequens, Tolet.* §. 5. *Henriquez* §. 7. si autem ipse sacerdos contumax fuerit, ut nolit operas hujusmodi præstare, tunc degradandus est, & domino in plenam servitutem restituendus, *Tolet. ibi cum Sancto Antonino, Rayn. & Goffr. & Sayr. n.* 4. *Majol. lib.* 1. *c.* 35. *n.* 4.

An autem servus in iis omnibus casibus, quibus domino restituitur ad integram servitutem, privetur privilegio clericali?

Respondeo primo, si erat in minoribus tantum ordinatus, cum constituendus sit omnimode in servitutem, & non debeat incedere in habitu clericali, apparet non frui privilegio fori, ex *Trid. sess.* 23. *c.* 6. nam, ut ait *Tolet. vers.* 10. non est permittendus incedere in habitu clericali, etiam consentiente domino, nisi eum manumittat: sed etiam de jure communi amittit privilegium fori, sive sit in minoribus, sive in sacris, quoties redditur domino omnimode in servitutem, *Turrecrem. in c. Nulli*, 54. *dist. Tolet. ibid. versic. Postremo, Sayrus n.* 5. *Majol. loc. cit. n.* 4. *in fine, Innocent. in dict. c.* 2. *in fine, Abbas n.* 8. *Henr. Boich. in fine*; quamvis *Cardin. in dict. cap.* 2. *q.* 18. *&* 19. *& ibi etiam Anan.* dicant, solum amittere privilegium fori, si fuerit actualiter degradatus, non si verbaliter tantum depositus.

De privilegio autem Canonis sunt variæ sententiæ: quidam dicunt, omnino privari privilegio, quia redditur domino, ut pro laico habeatur, atque tractetur, *gloss. in cap. Nullus, de servis non ordinandis, & in c. Ex antiquis*, 54. *dist. Suarez disp.* 51. *sect.* 3. *n.* 13. *Majol. n.* 4. §. *Quando vero*: alii dicunt, privari privilegio Canonis, quoad dominum, ut possit eum corripere, non quoad alios: *Hostien. in d. cap.* 2. *& ibi Henricus, Archid. in d. cap. Nullus sacros*, 54. *dist. cum Ugone, Turrecrem. in d. cap. Nulli, Toletus loc. cit. cap.* 59. *in fin.* sed magis communis ait, quod si est ordinatus in sacris, non privatur privilegio Canonis, etiam quoad dominum, nisi fuerit realiter degradatus; ita *Innoc. in c. De servorum, de serv. non ordin. Abbas in d. c.* 1. *n.* 1. *Cardin. quæst.* 16. *&* 19. *Sayr. n.* 5. *cum Asten. & Pisan. S. Anton.* 3. *par. tit.* 28. *cap.* 6. §. 6. *Campanil. divers. juris, rub.* 11. *c.* 8. *n.* 6. *Barbos. in d. c. Nullus, de serv. non ord.* Tenetur tamen servus in sacris ordinatus in omnibus casibus, quibus domino restituitur, etiamsi realiter fuerit degradatus, ad castitatis votum servandum, *Sayr. n.* 5. *Tolet. vers.* 9. *Innoc. in d. c.* 2. *Turrecrem. in d. c. Nulli.*

Adverte, quod dominus in casibus prædictis, quibus servum repetere potest, debet eum repetere coram judice ecclesiastico, *Cardin. in d. c.* 2. sed debet repetere intra annum a die scientiæ; nam post annum servus ordinatus fit liber, ut supra *d. Auth. & d. c. Si servus sciente*, *Sayr. c.* 14. *n.* 4. *cum allegatis.*

CAPUT I.

Simonia super quacunque re spirituali.

NOta primo, quod DD. communiter dicunt, nullam simoniam, etiam realem completam, pœnas habere latæ sententiæ, nisi in Ordine, & beneficio, & Religionis ingressu, ita docent *Sylv. verbo Simonia, quæst.* 19. *Less. lib.* 2. *c.* 35. *n.* 130. *Suar. c.* 55. *n.* 6. *de Simonia, Tanner. tom.* 3. *dis.* 5. *quæst.* 8. *Filiuc. tract.* 45. *cap.* 13. *n.* 2. 9. 10. 11. & de communi testatur *Layman lib.* 4. *de Simonia n.* 69. sed hoc non est absolute verum, ut infra apparebit.

Simoniæ crimen publicum est, *leg. Si autem, C. de Epis. & cler. cap. Tanta, de simon.* unde in omni materia commissa, condemnatum in judicio sententia definitiva reddit infamem infamia juris, & irregularem, ut *cap. fin.* 1. *quæst.* 3. ubi est sermo de beneficiis, & Sacramentis, & sacramentalibus, & *ibi glossa, & Turrecrem. & gloss. in cap. Ex diligenti, verbo Infamia, de simon. Boer. quæst.* 117. *n.* 4. *vers. Tamen non incurrit, Angel. verbo Simonia* 6. *n.* 8. *Menoch. de arbitr. casu* 401. *n.* 26. *Sanch. opusc. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 104. *n.* 7. 9. *&* 18. ubi multos allegat, & de communi testatur *Suar. tom.* 1. *de relig. tract. ult. de simon. cap.* 56. *n.* 11. & facit *cap. ult.* 1. *quæst.* 7. ubi omnia crimina in comparatione simoniacæ hæresis pro nihilo reputantur: unde in *Extravag.* 1. *de simon.* simonia super Religionis ingressu notatur infamia.

Adde, quod attenta communi sententia, quæ habet, omne crimen enorme depositione dignum notorium, afficere eo ipso infamia juris: idem dicendum de simoniaco, ut tenet magis communis Doctorum opinio apud *Sanchez loco cit. n.* 7. & probatur *cap. Inquisitionis, in principio, de accusat. & ex d. Extrav.* 1. *de simon.* Quod autem simonia sit crimen depositione dignum, est textus in *cap. Si quis Episcopus* 1. *quæst.* 1. quamvis aliqui contrarium doceant in simonia beneficiali, ut *Præpos. in cap. Presbyter n.* 4. *&* 5. 1. *quæst.* 1. *Sanchez d. dub.* 104. *n.* 9. *&* 16. *cum Henriq. Covarr. & Navarr.* asserentes, non esse crimen depositione dignum; ideo neque si notorium sit, reddere irregularem, vel infamem, nisi sequatur sententia condemnatoria, ut supra; quia est simonia contra solum jus positivum.

Amplia, quod super hac pœna infamiæ, vel irregularitatis non potest Episcopus, seu Prælatus cum subditis suis dispensare; quia est de gravioribus criminibus, ut supra dixi: ita *Sanch. dub.* 120. *n.* 43. *loco cit.* cum Summistis: excipe, nisi casus sit occultus, ex *Triden. sess.* 24. *c.* 6. *de refor.*

Amplia secundo, ut procedat pœna præfata non solum contra simoniacos principales, sed etiam contra cooperantes minus principaliter, ut mediatores; quia quoad pœnas sententiæ ferendæ, & quoad infamiam, & irregularitatem ex tali sententia resultantem, veniunt nomine facientium, seu committentium crimen, & pœna ordinaria puniuntur, *cap.* 1. *de testibus in* 6. *Gemin. Franc. & Anchar. ibi, & gloss. in d. cap. Si quis Episcopus, verbo Mediator.*, per illum textum.

Secus est quoad excommunicationem, & alias censuras latæ sententiæ; quia non comprehenduntur, nisi expressi reperiantur, ut dixi infra *cap.* 2. *& cap.* 10. *limit.* 5.

Amplia tertio, quod in hoc peccato simoniæ non datur parvitas materiæ: unde nunquam potest esse peccatum veniale ex parte materiæ, sed semper est peccatum mortale; quia ejus malitia consistit in contemptu rei spiritualis formaliter sumptæ, & non materialiter; forma autem est indivisibilis, *cap.* 1. *de bapt. leg. Cum hi*, §. *Si prætor, ff. de transac. Decius in cap. Appellationibus, de appell.* & quia omnis entitas spiritualis, pecunia, & re temporali quacunque æstimari non potest: unde etiam in parva materia a simoniaco res magna contemnitur, & magna adest injuria; neque excusat parvitas pretii, quin aggravet culpam, & injuriam in rem spiritualem, dum minoris æstimatur: atque ita docent *Navarr. cons.* 52. *n.* 2. *de simon. Reginal. lib.* 23. *n.* 166. *Sanch. in decal. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 1. *lib.* 7. *cap.* 28. *n.* 8. *& opusc. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 110. *Layman lib.* 4. *tract. de simon. cap.* 8. §. 1. *n.* 4. *Tanner. tom.* 3. *disput.* 5. *quæst.* 8. *n.* 26. Excipe casum de datis, & promissis in Curia Romana extra materiam spiritualem; quia in illo potest dari parvitas materiæ, excusans a pœnis, ut *Navarr. in Extravag. de dat. & promiss. n.* 20. *Sanch. in opusc. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 110. *n.* 4. Excipe etiam casum, de quo statim dicam.

☞ *Circa hanc primam exceptionem contrarium statuitur in Constit. Alex. VII. versu* Quin etiam, *quam vide infra in Additione ad cap. XV. hoc eod. verb.* Simonia. ☜

Amplia quarto, quod pactum simoniacum in omni materia, est ipso jure nullum, *cap. fin. de pac.* vide *Sanch. in opusc. lib.* 2. *c.* 3. *dub.* 113. *n.* 1. *&* 2. *vers. Ergo similiter*, sed non tenetur quis recepta restituere, nisi in beneficio, Ordine, & Religionis ingressu, *Sanchez n.* 2.

Limita, quod simonia non inducitur per pactum juri conforme, seu continens id, quod de jure tacite inest, *cap. Significasti, ibi gl. & DD. de elect. Rota Buratt. decis.* 445. *n.* 2. ubi multos Doctores allegat, & late *Sanch. opusc. loco cit. dub.* 25. *n.* 9. unde non est simonia, si fiat pactum in tractatu resignationis, ut resignatarius solvat certam summam resignanti pro fructibus spectantibus ad resignantem, dummodo non sit gravis excessus: nam hic parvitas materiæ excusat; quia æstimatio, & liquidatio fructuum potest habe-

bere latitudinem: & ita *Rota Buratt. ibid. n. 3.*

☞ *Propositiones circa simoniam proscriptæ, sub pœnis in eas docentes &c. & ad praxim deducentes, quas vide in fine Additionis post cap. 1, verbo* Missa *pag.* 198.

Ab Alex. VII. die 24. Sept. 1665. in ordine la

22. Non est contra justitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis; quia collator, conferens beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebaror.

Ab Innoc. XI. die 2. Mart. 1679. quæ sunt in ordine la

45. Dare temporale pro spirituali, non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale: vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale: imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic, ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis. ☜

CAPUT II.

Simonia super Ecclesiis, monasteriis, vel beneficiis realis contracta.

I. IN materia beneficiali prohibita est, tanquam simoniaca, omnis pactio, omnisque conventio, *cap. fin. de pactis, ibi gloss. verbo Cessare, cap. Tua nos, de simon. cap. Quæsitum, de rerum perm. ibi Canonistæ, Sanchez opusc. lib. 2. cap. 3. dub.* 25. ubi late explicat: & omnes pactiones hujusmodi sunt ipso jure nullæ, ut patet ex dictis juribus.

Hoc tamen intelligendum est de pacto oneroso, non de gratuita promissione conferendi rem spiritualem: unde sive Episcopus promittat Titio tale beneficium, quod vacat, illi conferre, vel patronus promittat ad illud præsentare, simonia non est, ut *S. Thom. 2. 2. quæst. 78. art. 2. ad 2. Navarr. in summ. cap. 23. n. 106. vers. Ad quartum*; quia illud pactum, licet secundum aliquos inducat obligationem ex justitia, tamen hoc fit ex libera, & gratuita voluntate ab initio.

II. Dispositio ipsa de Ecclesia, monasterio, vel beneficio ecclesiastico, super qua intervenit simonia, est ipso jure nulla, ut electio, collatio, institutio, nominatio, postulatio, præsentatio, resignatio, permutatio &c. & nullum jus inde acquiritur; neque tali modo quæsita beneficia, seu Ecclesia &c. retineri possunt, sed ante omnem declaratoriam dimittenda sunt, ut per *Extrav. Cum detestabile*, §. *Per electionem de simon.* & per Bullam quintam Pii V. incip. *Cum primum*, §. 8. neque a tali nullitate, & obligatione dimittendi excusat ignorantia facti, etiam invincibilis, seu bona fides, scilicet tertio simoniam operante ad ejus favorem, *c. Sicut tuis 34. & c. Nobis de simon. S. Thom. 2. 2. q. 100. art. ult. ad 3. Abb. in c. pen. de elect. Suar. tom. 1. de Relig. tract. ult. de simon. cap. 57. n. 35. Sanchez opusc. loco cit. dub. 116. n. 1. Covarr. in regul. peccatum, par. 2. §. 8. n. 8.* & rationes affert *S. Thom. ibi*: quia hæc non est privatio pœnalis juris quæsiti, sed obligatio restituendi nulliter, & injuste acceptum, ob defectum consensus Ecclesiæ, & ob irritationem actus acquisitionis ab initio; ex qua prima acquisitio impeditur, si non sit gratuita: & idem dicendum a fortiori de laborante ignorantia juris, ipsomet simoniam materialem perpetrante; quia ignorantia juris in hoc minus excusat, cum agatur de lucro captando, idest de beneficio acquirendo; in quo casu ignorantia juris non excusat a decreto irritante actum, ut DD. communiter apud *Mandos. in regul. 21. q. 4. n. 8. & 9.* & ita in casu nostro docent *S. Anton. par. 2. tit. 1. cap. 5. §. 3. Less. lib. 2. cap. 35. n. 142. Paris. de confiden. quæst. 21. n. 34. Ugolin. de Simon. tab. 1. cap. 8. n. 3. Sanch. opusc. lib. 2. cap. 3. dub.* 120. *n.* 24. & de communi testantur *Paris. & Sanchez ibi*: verum est, quod posita ignorantia facti inculpata, si per simoniam provisus, triennio in bona fide beneficium possideat, eo ipso titulus convalidatur, quia juvatur regula de triennali, ut *Suarez cap. 57. n. 39. Gomez super regula de triennali, quæst. 12. vers. Et ista, Sanchez loco cit. dub. 116. n. 21. & lib. 2. cap. 1. dub. 32. n. 2. cum aliis DD. Castropalao tom. 2. tract. 13. disput. 2. punct. 33. n.* 11. & omnes DD. id concedunt in ignorantia facti, idest tertio paciscente; & denegant proviso per se paciscenti cum ignorantia juris, ut *Sanch. dub. 120. n. 24. & cap. 1. dub. 32. n. 2.* & ita quod regula de triennali non suffragetur, stante ignorantia juris manifesti, ait *Laym. de benefic. cap. 15. n. 4. & 5. & Gomez dict. quæst. 12. §. Et ista*. Beneficium itaque simoniæ obtentum, per se loquendo, pro foro conscientiæ ante sententiam restitui debet ei, a quo processit; ut si erat vacans per obitum, dimittendum in manibus collatoris; si sit resignatum, resignanti reddendum; quia ante sententiam non sunt privati jure suo ob nullitatem actorum: & ita secundum magis communem tenent *Navarr. cap. 23. n. 105. Ugolinus de simon. tab. 1. cap. 28. §. 2. n. 5. Sanchez dub. 118. n. 4. Garzias par. 11. de benefic. cap. 3. n.* 214.

Sed quod dicunt de beneficio reddendo resignanti, ad praxim deducere est moraliter impossibile; nam si id fieret sine nova canonica collatione, in foro externo punirentur tanquam simoniaci confidentiales, ex Bulla Pii V. 85. incip. *Intolerabilis* §. 4. nova autem resignatio ad favorem primi resignantis via unquam admitteretur a Sede Apostolica, ob suspicionem confidentiæ: multo minus poterit resignans via juris beneficium repetere, ut *Garzias ibi n.* 218. nisi quando simonia esset contracta a mediatore cum resignatario, inscio resignante, ut *Garzias ibi n. 224. in fin.*

III. Fructus quoque perceptos ex tali beneficio simoniace provisus restituere tenetur, etiam pro foro conscientiæ, ante omnem sententiam, *Extrav. Cum detestabile*, §. *Per electionem, de simonia*, Bulla 5. Pii V. *Cum primum*, §. 8. de qua re vide *Quarantam, verbo Simon. §. Altera pœna*.

Amplia, ut etiam mediatores simoniæ teneantur secundo loco, seu in subsidium ad restitutionem Ecclesiæ læsæ, scilicet, quoad fructus, & aliud quodcunque interesse: & idem est de aliis cooperantibus: ita *Ugolin. tab. 4. de simon. cap. 8. n. 3. & 4.* addit *Quaranta ibi*, etiam confessarium remanere obligatum ad hanc restitutionem, si absolvendo pœnitentem, fuerit causa, quominus restituat fructus perceptos.

Limita, quod non tenebitur restituere fructus ille, qui ignoranter, & bona fide beneficium simonia obtinuit, si illos consumpsit, neque locupletior est effectus: *Quaranta ibi*, vel si, bona fide perseverante, eos triennio præscripsit, ut *Sanch. loc. cit. dub. 16. n.* 20.

Sed neque secundum probabilem, tenetur restituere fructus perceptos, correspondentes labori, seu servitio impenso Ecclesiæ, ver. gr. in cura animarum, ita *Sanchez in opusc. lib. 2. cap. 3. dub. 115. n. 10. cum S. Thom. Sylv. Soto, S. Anton. & Henriq.* quamvis contra teneant *Covarr. Rebuff. Navar. apud Sanch. ibi n. 9.* sed horum opinio est vera pro foro externo.

IV. Pretium simoniacum, seu lucrum omne, quod pro beneficio, seu Ecclesiæ provisione, seu dispositione acceptum est, restituendum est ante omnem sententiam, etiam pro foro conscientiæ, juxta communissimam sententiam, jure canonico sic in pœnam statuente, ut *cap. De hoc, de simon. Navarr. cap. 17. n. 32. Suarez tom. 1. de relig. tract. ult. cap. 60. n. 3. & 6. Less. lib. 2. c. 35. n. 169. Petr. Navarra lib. 2. cap. 2. n. 405. Sanchez loco cit. dub.* 114. & procedit etiam in mediatoribus, ut teneantur quidquid mercedis simoniace acceperunt, restituere, *Navar. conf. 99. n. 1. de simon.* Et quidem, si simonia non fuit realis contracta, idest utrinque completa, sed alter dedit pretium, alter beneficium non contulit, seu dispositionem non fecit conventam, communis sententia docet, pretium ante sententiam declaratoriam restituendum eidem, a quo solutum est, *Sanchez dub. 114. n.* 2. cum ibi allegatis: si autem simonia fuit utrinque completa, tunc alii dicunt, restituendum Ecclesiæ, cui per simoniam injuria illata est; alii dicunt ante sententiam declaratoriam restituendum ei, qui illud dedit; alii dicunt, restituendum pauperibus; alii vero restituendum pauperibus, vel Ecclesiæ læsæ; & sunt omnes istæ probabiles sententiæ, ut tute quis eligere possit, quam maluerit, ut *Sanchez dub. 114. n.* 12. prima, & secunda sunt magis communes, ut patet ex Doctoribus recensitis a *Sanch. ibi*: tamen veriorem puto ultimam opinionem, scilicet Ecclesiæ, vel pauperibus restituendum, per *cap. De hoc c. Audivimus, de simon.*

V. Excommunicationem incurrunt Papæ reservatam omnes simoniæ beneficialis complices, scilicet tam principales, quam mediatores, procurantes illam committi, *Extrav. Cum detestabile, §. Statuentes, de simon.* & Bulla Pii V. la quinta *Cum primum*, §. 8. & licet in dicta Extrav. sit illa particula futuri temporis *incurrant*, neque additum sit *ipso facto*; tamen intelligitur, esse latæ sententiæ, *Cassador. decis. 1. n. 4. de simon.* & est communissima opinio Theologorum, & Canonistarum.

Amplia, ut secundum communem, & veriorem sententiam procedat non solum contra mediatores, idest proxenetas,

tas, de quibus nemo dubitat, & contra intercessores immediatos, secundum communem sententiam (contra *Sanch. opusc. lib. 2. c. 3. dub. 26. n.* 10. qui ait, probabile esse contrarium) sed etiam contra intercessores mediatos: *Quaranta verbo Simon. §. Est & alia, Diana par. 4. tract. 4. resol.* 151. *& quamvis Sanch. ibi* contrariam probabilem dicat, tamen *Turrian. apud Dianam ibi alleg.* non audeat concedere, eam esse probabilem: an autem etiam contra alios cooperantes minus principaliter, ut dantes auxilium, vel consilium, &c. negat *Ugolin. de simon. tab. 4. cap. 8. n. 4.* quia isti non reperiuntur expressi in dicta lege pœnali: sed dicendum est, eos contineri, si cooperentur directa intentinne, ut id fiat; quia tunc procurasse dicuntur, ut dixi *verbo Procuratio*; nam ta *dict. Extravag.* sunt expressi mediatores, & procurantes: non tamen continentur qui cooperantur remote, scilicet vendendo suam operam, per se indifferentem, sed tamen directam ad finem rei spiritualis obtinendæ; ut si pecuniam accipiat janitor, ut admittat ad audientiam, *Sanch. dub. 27. n. 9.* ut qui suppnnit fictum patrimonium, vel paciscitur, ut sibi retrocedatur post Ordines receptos, non incurrit pœnas simoniæ, ut dixi *verb. Ordo, cap.* 11. *n. 6.* & ita accipiens pecuniam, ut falsum, aut verum testimonium faciat, quod promovendus ad Ecclesiam sic legitimus, non incurrit vitium simoniæ, quia pretium accipit pro actione mere temporali, & de se indifferente, & quæ est tantummodo medium remotum ad obtinendum Ordinem, vel beneficium, aut dignitatem, unde non sumit speciem a re spirituali.

VI. Inhabilis redditur ipso jure simoniace provisus ad idem beneficium canonice obtinendum, scilicet per novam provisionem, etiam pro foro conscientiæ, etiam in casu occulto, per *cap. pen. de elect. cap. De simoniace, de simon. & ex Bulla quinta citata Pii V. §. 8. Suarez tom. 1. de relig. tract. de simon. cap. 58. n. 9. Filiuc. tract. 45. cap. 13. n. 26. Garzias par. 8. cap. 1. n. 56. Sanchez lib. 2. cap. 3. dub. 104. n. 13.* ubi ait, non valere novam provisionem, nisi facta fuerit expressio in supplicatione de ingressu simoniaco præcedenti.

Amplia hanc pœnam, ut procedat, etiamsi quis beneficium obtineat per simoniam ignoranter, & bona fide; quia adhuc non potest sine dispensatione illud canonice obtinere nova provisione, ut *cap. penult. de elect. Sanch. dub.* 120. *n.* 21. *&* 22.

VII. Inhabilis etiam efficitur ipso jure simoniace beneficium assecutus, ad alia beneficia obtinenda, ex dicta *Bulla* 5. *Pii V. loco cit.* imo etiam de jure communi procedit hæc pœna contra omnes simoniacos in beneficiis, etiam contra mediatores, secundum communem sententiam Canonistarum, & Summistarum, ut apud *Sanchez dub. 104. n.* 13. & tenet *Garzias n.* 71. *loco cit.* alii tamen contra tenent, hanc pœnam inhabilitatis generalis non procedere, nisi ratione infamiæ, & irregularitatis per sententiam condemnatoriam, vel notorietatem criminis incursæ: & dicunt Bullam Pii V. in hac particula non fuisse usu receptam: ita tenet *Navarr. cons. 92. de simon. Sanch. ibi n. 14. Suar. de relig. tom. 1. tract. ult. cap. 58. n. 11. Eman. Sà, verbo Simonia, n. 9. Less. lib. 2. c. 35. dub. 26. Tannerus tom. 3. disp. 5. quæst. 8. n. 97. Laym. lib. 4. tract. de Simon. n. 74. Paris. de resignat. lib. 4. quæst.* 2. sed non recedendo a prima sententia, quam observat stylus Sacræ Pœnitentiariæ, nota, quod hæc pœna obligat ante omnem sententiam in conscientia, secundum veriorem; quia est pœna mere privativa, *Azor. tom. 3. lib. 12. cap. 21. in fin. Filiuc. loco citat. cap. 13. n.* 26. & dixi *part. 1. cap.* 30.

VIII. Infamem ipso jure esse omnem simoniacum in materia beneficiali multi DD. dicunt, ex *cap. fin. 1. quæst. 1. 3. gl. in cap. 1. verb. Mediatores, de testibus, in 6.* ut apud *Garz. 8. cap. 1. n. 57. & 60.* sed contrarium merito tenent alii communiter, quos allegat, & sequitur *Garzias n.* 61. scilicet requiri sententiam condemnatoriam de simoniæ crimine, ut *Garzias ibi*: vel saltem requiri notorietatem juris, vel facti, ut cum communi sententia tenet *Sanchez dub. 104. cit. n.* 18. imo *Garzias n.* 61. putat, non induci hanc pœnam, nisi per sententiam fuerit specialiter inflicta; quod non puto verum, & est contra sententiam omnium Doctorum.

IX. Irregularem esse ipso jure omnem simoniacum in beneficiis tenent multi, & hanc magis communem ait *Paris. de confid. quæst. 61. n.* 14. sed contraria est verior, & magis communis, nempe, non esse irregularem, nisi ratione infamiæ juris, secuta sententia, vel stante notorietate, ut *Sanch. dub.* 104. *n.* 15. *Garz. loco cit. n. 68. & 69.* cum multis per eos allegatis.

Sed quæres, quis possit in prædictis pœnis absolvere, & dispensare? respondeo primo, circa nullitatem pactorum nullus, excepto Summo Pontifice, potest dispensare; ipse enim solus potest purgare vitium simoniæ, ut dicam *hoc eodem c. in fin.*

Secundo, circa obligationem dimittendi beneficium, seu nullitatem provisionis, & inhabilitatem ad illud beneficium, si simonia sit scienter contracta, nullus, excepto Summo Pontifice, dispensare potest, ut *cap. penult. de elect. Quaranta verbo Simonia, §. Caveat autem, Sanch. opusc. lib. 2. c. 3. dub.* 120. *n.* 27. cum communi sententia, & Sacra Congregatio apud *Garziam par. 8. cap. 1. n.* 74. imo neque major Pœnitentiarius hodie potest se intromittere, ex Brevi reformationis SS. D. N. Urbani VIII. *anni 1634. die 27. Septembr.* quod etiam olim fuerat a Pio IV. statutum in *Bulla reformat.* ut apud *Toletum lib. 5. cap. 93.* & apud *Quarantam loco cit.* si autem simonia sit contracta, ignorante eo, qui beneficium accepit, scilicet facto tertii; tunc si, cognito vitio simoniæ, statim sponte renunciavit, potest etiam Episcopus dispensare, si est beneficium simplex, per *cap. pen. de elect. Sanch. n. 22. & 27.* ubi ait communem: si autem est dignitatis, vel curatum, variæ sunt sententiæ, de quibus *Sanch. ibi*: certe tunc poterit major Pœnitentiarius dispensare.

Tertio, circa obligationem restitutionis fructuum male perceptorum, ut supra, in casu publico, petenda compositio in Dataria: in occulto vero etiam in Pœnitentiaria peti potest, ut patet ex *Brevi reformat. suprad.*

Quarto, circa obligationem restitutionis pretii accepti, potest & in Dataria, & in Pœnitentiaria compositio impetrari: quamvis enim ex *dict. Bulla Pii IV.* non posset in Pœnitentiaria impetrari ulla compositio, tamen ex Brevi dict. reformationis non est denegata talis facultas, si tamen casus sit occultus.

Quinto, circa excommunicationem Papæ reservatam, dico primo, quod hodie potest etiam in publicis in Sac. Pœnitentiaria absolvi, etiam ex Brevi prædicto reformationis: item Episcopus in casibus occultis potest absolvere, ex *Triden. sess. 24. cap. 6. de ref.* neque huic juri est hactenus derogatum in hac parte: tertio religiosi, privilegia habentes, possunt absolvere in Urbe Roma, & extra Urbem, ex decr. Clem. VIII. de quo *verbo Absolutio, c. 2.*

☞ *Vide dicta supra pag. 51.* ☜

Sexto, circa pœnam inhabilitatis ad alia beneficia, nnn potest Episcopus dispensare etiam in occultis, neque vigore Tridentini Concilii *capit. 6. sess.* 24. quia non loquitur de inhabilitate, ut Sacra Congregatio apud *Suar. tom. 1. de relig. tract. de simon. cap. ult. n. 11. & Bonac. de simon. q. 6. punct. 2. difficul.* 2. contra *Sanch. dub. 120. n. 40. cum Henriq.* potest autem major Pœnitentiarius dispensare, ut patet ex dict. Brevi reformationis, in occultis.

Septimo, circa pœnam infamiæ, & irregularitatis, dicendum est, non posse Episcopum dispensare, ut dixi *supra cap.* 1. & ita *Sanchez dub. 120. n. 43. Ugolin. tab. 4. cap. 6. §. 7. in fin.* neque major Pœnitentiarius, quia supponimus, hanc pœnam non incurri, nisi in casu publico, scilicet notorio juris, vel facti, ut supra dixi.

☞ *Ex Constit. Bened. XIV.* Pastor bonus, *relata in fine hujus Operis, quæ modo servatur, §. 23. & 24. clarius explicatur, quænam sint facultates majoris Pœnitentiarii circa simoniam.* ☜

X. Scientes, aliquem commisisse crimen simoniæ super beneficio, tenentur Papæ illum revelare per se, vel per alios: & ita complices revelando, veniam consequuntur; quod si non revelaverint quantocius, absolvi non possunt, donec revelaverint, *Extrav. Cum detestabile 2. de simon.* inde dicunt aliqui DD. istos incurrere excommunicationem eandem; tenent *Sylvest. excomm. 7. casu 43. Covar. in regula peccatum, par. 2. §. 8. n. 7. vers. Ceterum*, & alii apud eundem: alii dicunt, solum esse casum reservatum; & hæc est communior sententia Recentiorum, quam tenent *Navarr. cap. 27. n. 106. Ugolin. tab. 4. cap. 9. Filiuc. n. 10. Suar. cap. 56. n. 6.* sed hodie hæc obligatio non est in usu: *Filiuc. n. 10. Sanch. dub. 104. n. 4. Navarr. cap. 27. n. 106. §. Vigesima prima, cum S. Antonin. Sylvest. & Cajet.* quamvis contra *Ugolin. cap. 9. tab. 4. de simon.* asserat, esse in usu.

☞ *Similem Constitut. ediderat Eugenius IV.* Cum detestabile 15. *Kal. Junii 1434. in Bullar. Cherub. la VII. in ordine tom. 1. ubi imponitur sub eadem pœna hujusmodi onus revelandi.* ☜

Amplia prædictas pœnas, quod procedunt, non solum in simonia super beneficio proprie dicto, sed etiam super offi-

cia

cio ecclesiastico, ut colligitur ex *dict. Extravag. Cum detestabile*, §. *Per electiones*: unde DD. nomine officii dicunt, contineri officia habentia jurisdictionem ecclesiasticam, seu regimen spirituale, ut Prioris, Guardiani, Generalis, Provincialis, Abbatissæ &c. ita *Cajet. excomm. casu* 75. *Navarr. cap.* 27. *n.* 116. *Suar. disp.* 22. *de censur. sect.* 5. *n.* 24. *Laym. de simon. n.* 72. *Sanchez loco cit. dub.* 104. *n.* 5. & 11. & ita in terminis de abbatissatu monialis *Rota Cassadori decis.* 1. *de simon.* & tutior videtur, & probabilior; quamvis alii contra dicant, solum contineri beneficia proprie dicta: *Navar. cap.* 23. *n.* 111. *Less. cit. n.* 137. *Azor. cap.* 2. *quæst.* 6. *Bonacin. de censur. particul. dis.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 24. *n.* 4. *Barbos. in dic. Extrav. n.* 9. alii vero dicunt, quod si officium non habet præbendam, non continetur in hac Extrav. *Filiuc. tract.* 45. *cap.* 13. *n.* 23. illud est certum, quod omne officium ecclesiasticum, tametsi careat jurisdictione spirituali, ut capellania manualis, item officium sacristæ, œconomi &c. est materia simoniæ quoad peccatum; sed non quoad pœnas juris, de quibus in hoc 2. *cap.* locuti sumus, ita *Ugolin. de simon. cap.* 48. §. 7. *cum alleg.* unde est peccatum simoniæ conferre famulo capellaniam manualem (a testatore libere fundatam cum obligatione, ut sit in ejus hæredis domo pædagogus puerorum suorum, absque alio stipendio, *Sanch. opusc. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 28. *n.* 7.

Limita, ut secundum probabiliorem non sit locus dictis pœnis, nisi simonia sit effecta realis contracta, idest ex utraque parte impleta, seu executione accepta: alias enim, etiamsi, v. g. beneficium esset collatum, sed provisus nihil adhuc præstitit ex parte sua, diceretur non realis, sed conventionalis, quæ non inducit pœnas hujus *cap.* ita *Navarr. cap.* 23. *n.* 104. & 111. & *consil.* 40. *n.* 2. & *cons.* 60. *n.* 4. & *cons.* 5. *n. ult. de Simon. Covarr. in reg. peccatum par.* 2. §. 8. *n.* 7. *Ugolin. de Simon. tab.* 3. *cap.* 5. *Less. cap.* 35. *n.* 149. *Suarez de simon. cap.* 56. *n.* 3. *Layman tract. de simon. n.* 68. *Azor. tom.* 3. *lib.* 12. *cap.* 21. *q.* 10. *Sanch. in opusc. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 106. *n.* 4. & hanc communem esse sententiam, ait *Salzedo ad Diaz in praxi cap.* 94. *lit. D. Parif. de confid. quæst.* 1. *n.* 142. *Castropalao tom.* 3. *trac. ult. de simon. punct.* 21. *n.* 4. & tenet ubique *Rota*, ut *Cassad. decis.* 5. *de constit. Cavaler. decis.* 352.

Sufficit autem ad hoc, ut sit realis contracta, quod ex parte provisi litteræ sint expeditæ, *Sanch. dub.* 106. *n.* 3. *dub.* 37. *n.* 6. sufficit ex parte resignatarii mandatum consentiendi in pensionem, *Navarr. consf.* 13. *de simon.* sed hoc est restringendum, ut procedat, si, & postquam consensus a procuratore fuit formiter præstitus in cancellaria; alias enim non est actus completus, quia est mandatum revocabile, re integra, *Parif. de resig. lib.* 9. *q.* 25. & ideo nullum jus est quæsitum resignanti, seu pensionario, *Navarr. consf.* 33. *n.* 3. *de simon.* & potest resignans pœnitere, *Rota par.* 2. *recent. dec.* 327.

Non sufficit ex parte promittentis pecuniam, tradidisse chyrographum obligationis de solvendo, *Navar. consf.* 5. *n. ult. de simon.* sed sufficit, tradidisse illi schedulam bancariam; quia per talem actum facta intelligitur delegatio, & novatio, & habet vim solutionis, quoad debitorem, ita *Navar. consf.* 33. *n.* 3. *de simonia*: item simonia in præsentatione dicitur realis contracta, facta præsentatione, & soluto pretio præsentanti, ut *Extrav. sup. cit.* quia ipsa præsentatio aliquod jus spirituale tribuit præsentato ad rem, idest jus petendi institutionem, *Innocen. in cap. Quod sicut, de elect. Seraph. decis.* 1238. *n.* 4. & ita in terminis *Laym. n.* 68. *de simon.* & *Navarr. consf.* 13. *de simon.* & idem de resignatione dicendum videtur, etiamsi nondum a Papa sit facta provisio; quia ipsa resignatio est dispositio de beneficio, & ita *Navarr. consf.* 21. *de simon. n.* 3. dummodo jam extensus fuerit consensus resignantis, *Navarr. consf.* 33. *n.* 3. quia tunc acquiritur aliquod jus resignatario, ut non possit resignans retrocedere: non tamen sufficit, si resignatio fuit facta in manibus Ordinarii non potentis illam admittere, verbi gratia in manibus Ordinarii ad favorem tertii nominati, ut *Sanch. lib.* 2. *opuscul. cap.* 3. *dub.* 34. *n.* 14. neque sufficit, quod beneficiatus resignaverit, seu tradiderit de facto alteri beneficium suum pro pretio; quia nullum jus spirituale in tali casu transfertur, sed nuda detentio, *Achill. de Grassis decis.* 342. *alias tertia, de simonia, Parif. de confiden. quæst.* 40. *n. ult.* dicit etiam *Sanch. loc. cit.* & *Navarr. consf.* 33. *alias* 48. *n.* 2. *de simon.* non dici simoniam contractam, seu realem completam, quando etiam secluso pacto simoniaco, collatio, seu provisio esset nulla ex alio capite; quia tunc nihil spirituale datur: & puto hujus rei exemplum; si quis tractavit, & convenit de resignando beneficio alicui certis pactis, & obligationibus, sed cum clausula, *salvo, & reservato beneplacito Papæ*, constitueruntque procuratorem ad resignandum, seu consensum cum dictis conditionibus præstandum, cum clausula, *nec aliter*, &c. sed procurator excessit formam mandati, & sine dictis conditionibus resignavit, & ipse resignatarius, sic obtinens beneficium a Papa, adimplevit pacta, seu conditiones: quia cum provisio Papæ fuerit nulla, & nulla resignatio, resignatarius nullum jus spirituale consecutus fuit; unde non dicetur simonia realis contracta, & ita *Parisius loc. cit.* & *idem Parif. de resign. lib.* 1. *quæst.* 3. *n.* 80. ubi ostendit, quod si facta sit resignatio, seu mandatum ad resignandum ad favorem sub certis conditionibus, si conditiones non fuerint adimpletæ, resignatio habetur pro non facta, & provisio facta a Papa, nullum jus tribuit, neque titulum coloratum; unde neque potest provisus juvari regula de triennali, & potest resignans agere spolio: quod est verum, dummodo conditiones non essent de jure, seu de stylo Curiæ impossibiles, idest valde difficilis impetrationis: quia istæ impossibiles habentur pro non appositis, *Caputaquen. decis.* 89. *seu* 11. *verbo Resignatio, num.* 1. *par.* 3.

Limita etiam, quod mediatores non incurrunt dictam pœnam inhabilitatis, & privationis beneficiorum; quia *in Extravag.* 2. *de simon.* solum sunt expressi, quoad excommunicationem: & ita *Navarr. consf.* 69. *num.* 1. *de simon. Sanchez opuscul. lib.* 2. *dub.* 104. *num.* 6.

Limita denique dictas pœnas, ut non procedant, quoties pacta fuerunt apposita super beneficio, salvo beneplacito Papæ, & ab eo sunt admissa; quia cessant, & purgantur omnes labes simoniæ, ubi Sedis Apostolicæ auctoritas intervenit, *Navarr. cap.* 23. *n.* 108. *Parif. de resign. lib.* 14. *quæst.* 6. *n.* 12. *Cassad. decis.* 3. *de renunciat. Rota decis.* 380. *posth. Farinac. par.* 2. hanc limitationem plenius examinant, & declarant *Suar. cap.* 24. *num.* 30. *Layman num.* 45. *Sanchez dub.* 42. *num.* 7. & 8.

Quæres, an in *d. Extrav. Execrabilis*, nomine beneficii contineatur præceptoria S. Joannis Hierosolym. respondeo, Canonistæ communiter affirmant: ut *Parif. de confid. quæst.* 17. *Azor. tom.* 1. *lib.* 13. *cap.* 6. *quæst.* 3. *Mota*, quem lequitur *Garzias par.* 1. *cap.* 4. *n.* 1. & 7. quia sunt vere beneficia, licet ad nutum amovibilia, ob votum obedientiæ, *Rota noviss. decis.* 584. *num.* 9. *par.* 2. *Navarr. consf.* 13. *num.* 5. *de stat. regul.*

Contrarium vero tenent communiter Theologi, ut *Suar. tom.* 1. *de relig. tract. de sim. cap.* 27. *n.* 6. *Filiuc. tract.* 45. *cap.* 6. *quæst.* 2. *n.* 2. *Victoria*, & *Aragon. quos sequitur Bonac. de simon. quæst.* 4. *n.* 15. *Roder. Vega*, & *Ledesma apud Garziam loco cit. n.* 7. in hoc tamen omnes conveniunt, pacta super dictis præceptoriis esse illicita, & peccaminosa, & rescindenda: *ita Suarez*, & *Filiuc. ibi*: cum hoc temperamento, secunda sententia probabilis est in occultis; sed prior in praxi fori recepitur: excipe, quod non est simonia, si Magnus Magister, seu generalis Præceptor conferat uni præceptoriam cum onere pensionis, *Rota par.* 2. *recen. decis.* 302. quia pendet a nutu Magni Magistri, & ideo licet ei hoc facere.

CAPUT III.

Simonia super beneficiis confidentialis.

I. EX Bulla 85. Pii IV. *Romanum decet*, prohibita est omnium Ecclesiarum, monasteriorum, officiorum, & beneficiorum ecclesiasticorum receptio in confidentiam, scilicet cum pacto illa conferentibus, vel resignantibus dimittendi, seu retrocedendi, sive gratis, sive cum pensione; aut cum pacto ea, vel ex eis fructus, vel pensiones in alios transferendi: & pœnæ statutæ sunt contravenientibus.

Prima, ut provisiones vitio confidentiæ infectæ, sint ipso jure nullæ, & beneficia, & alia supradicta, sic in confidentiam recepta, intelligantur vacare a die receptionis confidentialis, & dispositio eorum est Sedi Apostolicæ reservata.

Secunda, quod a prima die receptionis hujusmodi, ipsi recipientes fructus beneficiorum, seu officiorum, seu pensionum obtentarum suos non faciunt, & Cameræ Apostolicæ devoluti censentur, eique debiti sunt, eosque in utroque foro restituere tenentur: quod etiam notant *Navarr. cap.* 32. *n.* 16. plene *Quaranta, verbo Simonia*, §. *Altera*

Tertia, quod præsumentes cum tali confidentia supradicta beneficia, seu officia &c. recipere, Cardinales, & Episcopi, & alii Prælati incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ; alii vero excommunicationem: hæ censuræ sunt Papæ reservatæ, & nec privilegiati religiosi, & alii possunt absolvere, in Italia extra Urbem Romam, ex decreto Papæ Clem. VIII. ut dixi *verbo Absolutio cap. 2.* Addit *Tolet. lib. 5. cap. 93. Quaranta, verbo Simonia §. Caveat*, Pium IV. statuisse, ut major Pœnitentiarius non dispenset super retentione beneficii, vel fructuum confidentia acceptorum, neque absolvant Pœnitentiarii confidentiarios, nisi cum clausula – dimisso beneficio ab utroque, super quo confidentia commissa fuerit. –

II. Ex Bulla Pii V. 85. *Intolerabilis*, statutum est, ut si quis Ecclesiam, vel monasterium, aut aliud beneficium ecclesiasticum qualecunque ex resignationa, vel cessione, simpliciter, vel cum circuitu retrocessionis, cum regressu, vel accessu, etiam sola dimittentis intentione, receperit, ut illa, vel illud etiam in eventum regressus, vel accessus, eidem dimittenti, vel alteri postea conferantur, aut illius fructus, vel eorum pars alii, vel aliis concedantur, vel pensiones solvantur ex eisdem, hæc confidentia censeatur: item si convenerit, ut resignans ipse faciat expensas provisionis beneficii; ex hoc enim præsumitur confidentia, quod etiam notat *Navarr. cons. 74. de simon.* item si resignatarius ex pacto faceret expensas pro litteris pensionis resignantis, ut *Navarr. ibi not.* item si collator conferat beneficium vacans, ea conditione tacita, vel expressa, ut transferatur in alterum, vel ut provisus fructus illius, vel partem ad utilitatem, vel arbitrium collatoris, vel cedentis, aut alterius transferat, vel pensionem illi, vel illis, quem, vel quos collator, vel cedens, vel alius voluerit, persolvat, simonia confidentialis censeatur: item si id a patrono, seu præsentatore, seu alectore fieri contigerit, quod de collatore dictum est, confidentia censeatur: item si mediator extiterit, vel intercessor in negotio concessionis beneficii alicui factæ, & pro ea re fructus aliquos dicti beneficii receperit, vel pactum intervenerit de percipiendo, seu solvendo eidem: ita habetur in *dicta Bulla §. 5. Denique*, & explicat *Paris. de confid. q. 22. n. 14. Mascard. concl. 1312. n. 32.* modum probandi, vel excusandi confidentiam, vide apud *Rot. recent. par. 1. decis.* 108. transgressoribus autem, scilicet Ecclesias, monasteria, beneficia, fructus, pensiones, aliasve res, intercedente hoc vitio confidentiæ, recipientibus, ibi statutæ sunt pœnæ latæ sententiæ: etenim non solum sunt privati dictis beneficiis &c. sed etiam omnibus aliis prius legitime obtentis, & remanent Sedi Apostolicæ reservata; & ad hujusmodi inhabiles redduntur in futurum, & in juris subsidium excommunicati sunt, excommunicatione Papæ reservata.

Amplia hujusmodi pœnas, ut incurrantur statim accepto beneficio in confidentiam, etiam non secuto effectu prætenso, scilicet translatione beneficii, vel fructuum, ut patet ex dictis Bullis; & ita communiter Doctores, infra citati.

Amplia secundo, ut sit locus istis pœnis, si Episcopus conferat beneficium, reservata pensione pro persona a se nominanda, ut *Rota decis. 166. n. 5. & 6. par. 1. noviss.* secus si persona certa ab initio ad vitam tantum gravati, *Rota ibi*.

Amplia tertio, ut sufficiat, etiamsi pars fructuum retrocedatur, seu retrocedi conveniatur, atiamsi sint fructus unius anni, aut alia pars considerabilis, ut *Paris. de confid. quæst. 27. num. 98.*

Amplia quarto, pro foro externo probari confidentiam, si post cessionem, cedens se in beneficio cesso immiscuerit, vel illius fructus perceperit, vel partem illorum, ex Bulla Pii V. *Intolerabilis*, §. *Ad probandum*.

Limitant primo aliqui, ut Episcopi, & Cardinales, & Prælati non incurrant excommunicationem ex confidentia, quia licet Bulla Pii V. generaliter loquatur, videtur intelligenda juxta Bullam Pii IV, quam ibi confirmat, seu declarat, in qua non excommunicationem, sed interdictum incurrunt: ita *Navarr. cap. 23. n. 109. & 200. Azor. 3. par. lib. 12. cap. 10. quæst. 4. Sayr. lib. 3. cap. 31. n. 6. Filiuc. tract. 15. n. 179. Laym. lib. 4. tract. de simon. n. 76.* sed contrarium verius tenet *Paris. de confid. quæst. 27. n. 27. Barbos. alleg. 50. n. 138. Filiuc. tract. 41. cap. 11. n. 16. Bonac. q. 7. §. 1. n. 11. tract. de simon.* & facit illa particula, *In juris subsidium*.

Limita secundo, ut in dictas pœnas non incurrant, nisi recipientes beneficia, seu officia prædicta in confidentiam, ut patet ex dictis Bullis: non autem complices, seu mediatores, neque ipse conferens, aut resignans beneficium in confidentiam, neque is, cui deinde ob pactum confidentiale ceditur beneficium, vel fructus &c. incurrunt tamen isti omnes excommunicationem, & pœnas simoniæ realis contractæ, de qua dixi *cap. præced.* quando fuerit simonia utriuque perfecta, seu executa, scilicet, accepto beneficio in confidentiam, & executa promissione confidentiali: ita *Suar. cap. 43. in fin. tract. de simon. & Filiuc. tract. 41. cap. 11. n. 16. Bonac. de simon. quæst. 7. §. 1. n. 11. Laym. de simon. num. 78. & Sanch. lib. 2. opusc. cap. 3. dub. 104. num. 6.* ubi ait, mediatores nullas incurrere pœnas simoniæ, nisi excommunicationem *Extravag. 1. de simon.* quia in ea sola exprimuntur; & idem ait *Navarr. cons. 98. n. 2. de simon.* quamvis *Quaranta, verbo Simonia, §. Est & alia pœna, ampliat. 2.* teneat, cooperantes incidere in excommunicationem istam, non in alias pœnas confidentiæ: sed intelligendus est in hoc sensu, scilicet, cum fuerit simonia utrinque completa: & ita etiam sentit *Paris. de confid. quæst. 22. num. 10. & 14. cum Mascar. & Majol.*

Limita tertio, ut secundum magis communem non sit confidentia, punita in Bullis supradictis, promittere retrocessionem fructuum, vel pensionem eidam resignanti; sed tantum si alteri ad voluntatem resignantis, vel si eidem collatori, vel patrono promittat reddere fructus, vel pensionem; ut patet ex eisdem Bullis, & ita *Sanchez, opusc. lib. 2, cap. 3. dub. 34. n. 12. Navarr. cons. 76. n. 6. de simon. Paris. de confid. quæst. 1, n. 93. Garzias par. 11. cap. 3, num. 194. Mascard. concl. 1312. vel 1307. Menoch. præsumpt. 9. n. 8, lib. 5.* contrariam tamen pluribus probat, & tenet idem *Paris. de confid. quæst. 27. n. 100.* quod intret confidentia, etiamsi pactum sit de fructibus, vel parte eorum eidem resignanti retrocedenda: certe non intrarent pœnæ istæ, si pactum esset de aliqua pecuniæ summa persolvenda: nam tunc esset simonia realis ordinaria, de qua dixi *cap. præced.*

Limita quarto, secundum probabiliorem, ut non procedant istæ pœnæ in recipientem pensionem per confidentiam, scilicet pacto inito, illam, vel fructus ejus in constituentem, vel consentientem transferendi, aut in alium ejus arbitrio: quamvis enim dictæ Bullæ videantur loqui etiam de confidentia super pensionibus, vel fructibus; intelligendæ sunt, quando initur pactum cum recipiente beneficium de pensione, vel fructibus retrocedendis, seu transferendis, non autem si id fiat extra occasionem recepti beneficii; est communis sententia, tenet *Tanner. tom. 3. disp. 5. quæst. 8, n. 95. Filiuc. tract. 45. cap. 13. n. 23. Navarr. cap. 23. n. 111. & cons. 3. de constitut. Paris. de confid. quæst. 42. n. 2. Suar. de simon. cap. 43. n. 4. Garzias par. 1. cap. 5. n. 57.* sed contra *Bonac. quæst. 7. punct. 1. n. 10.* & sane, quod talis translatio pensionis in confidentiam, scilicet, ut fructus, vel eorum pars solvantur alicui tertio, sit simonia confidentiali infecta, & ideo nullius vigoris, tenet *Rota decis. 403. num. 1. par. 1. noviss.* & hoc mihi verius videtur, scilicet quoad nullitatem actus, non tamen quoad ceteras pœnas; & sic concordari possunt Auctores.

Limita quinto, quod illa pœna reservationis beneficii non procedit in foro conscientiæ ante sententiam, ut dicam infra, *cap. 5.*

Statuta enim est hæc reservatio consecutive ad alias pœnas ibi statutas contra confidentiales: & facit quod dicam infra *cap. 15. limit. 3.*

Ideo ante sententiam poterit prædictus confidentialis restituere beneficium in manibus illius, a quo accepit in confidentiam; quia nullum jus in ipsum confidentialem translatum est; ita *Sanch. opusc. lib. 2. cap. 3. dub. 118. n. 4. & 5.* vel potest illud dimittere in manibus ordinarii collatoris, ut illud det alii digno: quia licet ipse nullum jus habeat de jure, & beneficium vacaverit a die receptionis in confidentiam, ut in *d. Const. 85. Pii IV.* dicitur §. 5. tamen cum casus sit occultus, & habeat titulum coloratum, potest sic resignare libere, per ea, quæ ait *Sanch. ibi n. 8.* adde, quod illa reservationis pœna non procedit in beneficiis jurispatronatus laicorum; quia illi non est ibi expresse, nec tacite derogatum, ita *Sanch. ibi, dub. 54. n. 14.* neque privatur jure præsentandi alium patronus laicus, præsentans indignum, *Sanch. dub. 59. num. 1.*

Limita sexto, quod simonia confidentialis non intrat in beneficiis manualibus, quæ conferuntur religiosis a suis Prælatis, v. g. in præceptoriis, seu prioratibus Religionis Sancti Joannis, aut Sancti Spiritus; quia sunt ad nutum amovibiles, & talia beneficia, seu præceptoriæ possunt conferri

a ge-

a generali Præceptore cum onere pensionis ad favorem alterius Militis, seu Religiosi, vel distribui fructus unius prioratus inter plures ad tempus; vel conferri tale beneficium cum obligatione illud alteri cedendi post certum tempus: hæc habet *Rot. decis.* 302. *par.* 2. *rec.*

Limita septimo, quod hæc simonia confidentialis dicitur conventionalis, licet ex una tantum parte sit adimpleta, scilicet beneficio collato, seu translato, ut *Caputaq. decis.* 260. *n.* 2. *&* 3. *par.* 2. *&* *decis.* 358. *n.* 2. *par.* 3. & quamvis hæc conventionalis sufficiat ad incurrendam excommunicationem, & obligationem dimittendi illud beneficium, & inhabilitatem ad alia beneficia obtinenda, non tamen inducit privationem aliorum beneficiorum, antea alias licite obtentorum, nisi efficiatur realis per implementum præstitum ab eo, qui beneficium accepit in confidentiam: ita *Caputaq. ibi.*

☞ *Vide circa hoc propositionem proscriptam in Addit. ad c.* 1. *hoc eod. verb.* Simonia *p.* 391. ☜

CAPUT IV.

Simonia in examine ad parœcias.

1 TRident. *sess.* 24. *cap.* 18. *de reform.* statuit, ut cum parochialis Ecclesiæ, etiam receptivæ, vacatio contigerit, sive per obitum, sive per resignationem, sive in Curia, sive extra, Episcopus tres ex synodalibus Examinatoribus eligat, qui cum eo examen perficiant nominaturum ad parochiam, seu alias accedentium, seu concurrentium ad examen pro illa obtinenda: & addit – caveant, ne quidquam prorsus occasione hujus examinis, nec post accipiant; alioqui simoniæ vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant, a qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocunque antea obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles reddantur. –

I. Ex hac particula, *vitium simoniæ incurrant*, intelligunt DD. communiter, incurri excommunicationem contra simoniacos super beneficiis latam, de qua dixi *cap.* 2. ita *Navarr. cons.* 67. *de simon. Ugolin. tab.* 1. *cap.* 48. §. 7. secundo, incurrit provisus nullitatem provisionis, seu consecutionis parochiæ illius, ut *Ugolin. ibi*, & patet ex dictis *supra cap.* 2. tertio incurrunt omnes privationem omnium beneficiorum, etiam antea legitime obtentorum, ut patet ex textu, & hanc pœnam ligare in foro conscientiæ ante declaratoriam probat idem textus Trident. & docet *Ugolin. ibidem*: tamen alii dicunt, hanc pœnam non esse usu receptam cum tanto rigore, ideo non teneri ante sententiam dimittere: ita *Less. cap.* 35. *n.* 148. *Tannerus p.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 8. *num.* 98. quarto incurrunt inhabilitatem ad quæcunque beneficia, ut patet ex eodem textu.

Amplia hoc decretum, ut neque a sponte dantibus dari, vel accipi possit, etiamsi liberaliter ad captandam benevolentiam Examinatoris; quia est prohibitum hic ob speciem simoniæ, *Garzias p.* 9. *cap.* 2. *n.* 390. *Suar. de simon. cap.* 49. *num.* 2. *in fin.*

Amplia, ut incurrat pœnas simoniæ dans pecuniam uni de Examinatoribus, licet etiam sine eo ipse esset habiturus sufficientia suffragia ad magis idoneum; quia jam dicitur simonia contracta, data pecunia, & habito suffragio illius: secus si, ipso ignorante, ab alio data sit pecunia uni de Examinatoribus, remanente adhuc numero sufficiente, ut supra, ita *Sanchez opus. lib.* 2. *cap.* 116. *num.* 9. *DD. in cap. Matthæus de simon. per illum tex.*

Limita prædictas pœnas, ut non procedant, nisi simonia utrinque realiter completa, scilicet dato pretio Examinatori, & approbatione facta ab Examinatore; quia hæc est simonia ordinaria in materia beneficiali, de qua dixi *cap.* 2. & ita *Navarr. loc. cit.*

Limitant secundo aliqui, ut excuset ab his pœnis levitas materiæ, ut si modica esculenta, vel poculenta Examinandus fuerit elargitus: ita *Petrus Ledesma in sum. par.* 2. *tract.* 7. *concl.* 7. *Zerola in praxi*, *verbo Parochia* §. 2. *dub.* 13. sed contraria verior videtur ob illam particulam, *ne quidquam prorsus*, & ita *Garzias par.* 9. *cap.* 2. *num.* 390. ubi late examinat hanc materiam, & *num.* 375. ubi refert declarationem Sacræ Congregationis.

CAPUT V.

Simonia, procurando beneficia in Curia Romana, vel pro ignorantibus cum intentione cum provisis super eisdem contractandi, vel pro se, vel pro aliis, cum oblatione pensionis; vel pro aliis cum spe consequendi præmium temporale ab eisdem.

EX Bulla Pauli IV. 12. *Inter ceteras*, prohibitum est, procurare in Curia Romana beneficia pro personis cognitis, sed id ignorantibus, cum spe super eisdem beneficiis cum provisis contractandi, seu paciscendi; vel pro se, sive pro alio procurare, cum oblatione pensionis annuæ; vel pro aliis procurare beneficia, cum spe pensionis ab eis obtinendæ, vel recipiendi alicujus, quamvis modici commodi temporalis; & contravenientes incurrunt, primo excommunicationem Papæ reservatam: secundo nullitatem provisionis illius, ut teneatur provisus in conscientia illud dimittere, *Gonzal. gloss.* 15. *n.* 89. tertio tale beneficium remanet Sedi Apostolicæ reservatum, tanquam vacans in Curia, ut notat *ibi Gonzalez*: non tamen in hoc præjudicatur patronis laicis; quia eorum juri non est expresse derogatum, ut notat *Less. cap.* 34. *n.* 36. *&* 37. sed neque ista pœna reservationis ligat ante sententiam pro foro conscientiæ: unde si res sit occulta, poterit ordinarius collator conferre iterum illud alteri; vel si fuit procuratum per resignationem, poterit restitui eidem resignanti, ut dixi supra *cap.* 2. quarto incurrunt privationem omnium beneficiorum antea legitime obtentorum: quinto inhabilitatem ad omnia beneficia: sexto tenentur fructus perceptos ex tali beneficio Cameræ Apostolicæ restituere ex eadem Bulla.

Amplia, quod [illegible] pœnæ etiam propter illam spem, seu intentionem, [illegible]; quia ille actus internus componit unum [illegible] cum externo, & est punibilis per legem positivam, etiam nullo pacto externo interveniente: ita *Garzias par.* 11. *cap.* 3. *num.* 191.

Limita hanc Constitutionem, & pœnas, ut non incurrantur per solam procurationem, seu attentatum, sed requiritur actus consummatus, scilicet quod simonia fuerit completa: & dicitur completa hoc loco, si supplicatio fuit signata, & publicata gratia in Cancellaria, unde jus est quæsitum, ut possit petere litteras expediri, *Garzias par.* 11. *cap.* 3. *num.* 191. *in fine.*

Limita secundo, ut non procedat de beneficio procurato extra Curiam, ut *Garz. ibi*, *Filiucc. tract.* 15. *n.* 101. verum est, quod procurans beneficium, sive in Curia, sive extra Curiam cum oblatione præmii, incurrit etiam pœnas simoniæ beneficialis, quando vel beneficii vacantis litteras obtinuerit, vel quando resignatio ad ejus favorem facta fuerit, & præstitos, & extensus in Curia consensus, ut dixi *supra cap.* 2. & ita habetur in eadem Bulla: adde quod procurans beneficium per oblationem prædictam, etiam solo pacto inito, scilicet acceptata provisione, & acceptans incurrunt pœnas simoniæ de datis, & promissis in Curia, ut dicam *infra c.* 15. neque expectandus est effectus.

Limita tertio, ut non procedat, si præmium offerretur, vel pensio cum clausula – reservato beneplacitu sanctæ Sedis Apostolicæ – & eidem exponeretur in supplicatione oblatio prædicta; quia tractatus cum tali reservatione non inducit peccatum, nec pœnas: *Less. cap.* 35. *n.* 92. *Suar. de simon. cap. ult. n.* 1. *&* 2. late *Paris. de confident. q.* 49. *n.* 46. *&* 50. *Sanch. consil. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 39.

Limita quarto, ut non procedat in procurantem beneficium pro alio cum intentione minus principali præmii, seu gratitudinis, ut per *Garziam loco cit. & Cherub. super eadem Bulla*: vel cum intentione consequendi justum præmium laboris sui, *Sanchez dub.* 26. *n.* 4. *Diana resolut.* 39. *tract.* 2. *Miscell. tom.* 1. vide etiam, quæ dixi de hac re *supra*, *verbo Beneficium cap.* 3.

CAPUT VI.

Simonia super beneficiis, turnorum lucra dando, vel recipiendo.

QUoniam turnorum occasione, idest circularis vicissitudinis conferendi beneficia, collatores captabant lucra, exigentes annatam, vel sportulas, vel munera, & idem sæpe capitula faciebant pro admissione ad possessionem;

quæ

quæ omnia simoniacam labem continent, ut *cap. finali* t. *quæst.* 3. *cap. Cum Ecclesiæ, cap. Jacobus, de simon.* ideo per pœnales Constitutiones huic malo obviam itum est.

I. *Extravagan.* 2. *de elect. & Extravag. un. ne Sede vacante*, statutum fuit, ut certa ratione fructus beneficii vacantis dividerentur inter successorem in beneficio, & eum, qui ius annatæ habebat; & qui aliter percepisset, si intra mensem non restituisset integre, incurrerent Prælati quidem, idest Episcopi, vel majores, suspensionem, seu interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & a pontificalibus; capitulum autem, vel collegium, interdictum, donec restitueret; singulares personæ incurrerent excommunicationem, a qua non possent absolvi, nisi præmissa satisfactione, extra mortis articulum.

Sed Trident. *sess.* 24. *cap.* 14. statuit, ne pro provisione, electione, confirmatione, collatione, institutione, aut admissione in possessionem cathedralis, sive canonicatus, sive beneficii, sive præbendæ, sive distributionum, deductiones ex fructibus, promissiones, compensationes, aut aliæ conditiones, seu tumorum lucra interponantur, non obstante quacunque Constitutione, vel consuetudine, etiam immemorabili, exceptis erogationibus consuetis applicari in usus pios, laudabili consuetudine, seu Constitutione introductis, & ab Episcopo approbatis: hodie tamen non potest fieri statutum, etiam auctoritate Episcopi, ut aliquid, etiam ad usus pios erogetur: sed requiritur auctoritas Papæ, ut *Garz. par.* 8. *c.* 1. *n.* 88. Dicitur autem ad usum pium, si pro sacristia, vel pro fabrica, vel pro seminario applicetur; secus si pro massa capitulari, vel pro fabrica bonorum capituli, seu massæ, *Garz. n.* 90. committentes autem contra hoc decretum, pœnis contra simoniacos latis a sacris Canonibus, & Constitutionibus Apostolicis, quas omnes innovat, teneri decernit.

Sed quia dubium esse poterat, quas pœnas Prælati, & alii clerici ex multis a jure diversimode statutis incurrerent, postremo Pius V. Bulla 104. *Durum nimis*, declaravit, & confirmavit istud Tridentini decretum, decernens, Episcopos incurrere suspensionem ab officio pontificali, donec absolvantur a Papa, prævia satisfactione, seu restitutione receptorum; collegia, & universitates incurrere interdictum; non tamen est ibi Papæ reservatum, singulares personas incurrere excommunicationem Papæ reservatam: & declarat, contineri in his pœnis tam dantes, quam accipientes; & derogavit omnibus in contrarium, ut *ibi n.* 3. ubi adest clausula irritans: unde recipientes tenentur ad restitutionem, *Castrop. t.* 3. *tract. de sim. dis.* 3. *pun.* 12. *n.* 9.

Adverte primo, quod hæc procedunt, quando aliquid datur, vel accipitur, tanquam ex statutis, vel consuetudinibus supradictis; secus si privatim ex pacto, seu conventione; quia tunc non hisce pœnis locus esset, sed latis contra simoniacos super beneficiis, scilicet simonia reali contracta, vel confidentiali, juxta diversos modos delicti: de quibus dixi *supra cap.* 2. & 3. & ita colligitur ex dicto Trident. decreto.

Adverte secundo, quod Episcopus non potest, conferendo beneficium, reservare fructus alicui pio operi, sed bene potest dimittere, ut beneficium diutius vacet, ut fructus applicentur alicui pio operi ex justa causa, ubi Camera non accipit vacantis beneficii fructus, & nisi sit beneficium, quod de jure debeat statim provideri, ut parochiæ, canonicatus &c. & ita *Sanch. opusc. l.* 2. *c.* 3. *dub.* 25. *n.* 12.

Adverte tertio, quod ex dictis hodie non permittuntur istæ consuetudines, vel statuta de tumorum lucris, seu deductiones, nisi de applicandis ad usus pios, *Sanchez ibidem n.* 15. & 16. *Garz. par.* 8. *cap.* 1. *n.* 86.

Adverte quarto, ex dicta Bulla certam taxam, seu limitationem esse factam deductionum, quæ ad usus pios admittuntur: ibi vide, & plene amplia, & limita hanc materiam, ut apud *Garziam loc. cit. Castropalaum tom.* 2. *de relig. dis.* 2. *pun.* 1. §. 2. *n.* 19.

Limita primo, dictum decretum Tridentin. & Constit. Pii V. quod pro possessione canonicatus, vel pro stallo dantes aliquid, licet incurrant in censuras, ut supra, non tamen amittunt jus in re, seu titulum, ideo possunt continuare possessionem, ut *Navarr. conf.* 44. *n.* 3. *de simon. Garz. loco cit. n.* 82. & *n.* 97.

Limita secundo, quod excusantur ab his pœnis, qui dant aliquid necessitate compulsi ad redimendam vexationem, cum non possint tali consuetudini introductæ obviam ire, ita *Less. lib.* 2. *cap.* 35. *n.* 111. *in fin. Castropalao loco supra cit. n.* 9. *in fin. Garz. cit. n.* 73. nam & de jure communi, si habens titulum, det coacte pro redimenda vexatione, excusatur, nec invalidat titulum, ut late *Garz. ibi n.* 94. & 97. *Castropalao tract. de simon. dis.* 3. *pun.* 20. *n.* 3. & ita in hoc casu isti DD. dicunt, dictum decretum, quoad dantes pro possessione canonicatus, passim non observari.

Limita tertio, quod per hoc non est prohibita consuetudo, quod fructus beneficii dimidii anni cedant in utilitatem mensæ capitularis, quando scilicet hoc onus impositum est beneficio, & non beneficiato, *Garz. n.* 90.

☞ *In Constitutione Innocen. XII.* Ecclesiæ catholicæ 22. *Septem.* 1695. *præter dictas pœnas additæ sunt aliæ per contrafacientes, ipso facto absque alia declaratione incurrendæ, videlicet* — privationis dignitatum, canonicatuum, & præbendarum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum: & quoad regulares, etiam vocis activæ, & passivæ, ac graduum, & officiorum, tam quorumcunque per eos respective obtentorum, perpetuæque inhabilitatis ad illa, & alia similia, vel dissimilia quæcunque in posterum quomodolibet obtinenda. —

Bened. XIV. Constitut. Pastoralis 15. *Jul.* 1754. *declaravit, sub cit. Const. Innoc. XII. super capitulationibus, Sede vacante, initis, quoad inflictas pœnas comprehendi etiam monasteria, & collegia utriusque sexus, videlicet mixta ex maribus & fœminis, juxta nonnullarum provinciarum consuetudinem, sub unius priorissæ, abbatissæ, vel præposita regimine: necnon ab eadem prohiberi quascunque pactiones, & capitulationes, etiam per se honestas, & licitas, tam ante, quam post electionem.*

Circa mediam annatam vide notata infra post c. 5. *verbo* Vacantia. ☜

CAPUT VII.

Simonia super electione Papæ.

EX Bulla Julii II. 3. *Cum tam divino*, simonia commissa in electione Papæ ab electo, aut eligentibus, reddit ipso facto electionem nullam, quæ nullo tempore, neque per intronizationem convalescit: & licitum est omnibus ab ejus obedientia discedere impune quandocunque; & inducit ipso jure privationem cardinalatus, & Ecclesiarum, & omnium beneficiorum tam electi, quam eligentium culpabilium: imo electus etiam pensionibus ipso facto privatur, ut ibi: at vero eligentes culpabiles, si intra octo dies a sic electo discesserint, & se aliis Cardinalibus innocentibus conjunxerint, eo ipso restituuntur in pristinum: mediatores vero talis simoniæ, si Episcopi fint, vel Legati Principum, aut alia dignitate præditi, incurrunt pœnas privationis omnium beneficiorum, feudorum, & bonorum, sicut rei læsæ majestatis, & hæresis, & ad hujusmodi omnia inhabiles efficiuntur, & intestabiles.

Denique §. 10. *ejusdem Bullæ*, præcipitur omnibus, & singulis Cardinalibus, ne Sede vacante, prædictis contravenire, vel contra præmissa, vel eorum aliquod statuere, disponere, ordinare, vel aliquo modo facere, vel attentare præsumant, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Papæ reservatæ; & derogavit omnibus contrariis Constitutionibus, etiam *cap. Licet, de elect.* addit *Sanchez opusc. lib.* 2. *c.* 3. *dub.* 104. *n.* 12. *cum Cajet. & aliis*, hanc Constitutionem fuisse approbatam in Concil. Lateranensi: adde quod Cardinales, Sede vacante, jurant, se servaturos eam Constitutionem, ut infra dicam.

Advertendum primo, circa illam pœnam nullitatis electionis Papæ ob simoniam, olim magnam fuisse controversiam, an esset irrita talis electio, de qua Canonistæ *in cap. Licet, de elect.* & verius est, ex *dicto cap. Licet* non fuisse irritam, neque potuisse contra electionem Papæ canonice factam, idest a duabus partibus Cardinalium concorditer, opponi de simonia: *S. Antonin.* 2. *par. tit.* 3. *de super c.* 11. *versic. Sed quid cum duo, Fulgos. & Jason in l. Barbarius, ff. de offic. Præt. Card. in dict. cap. Licet, Sanchez loco cit.*

Sed, stante dicta Constitutione Julii II. quæritur, an hodie sit irrita, eique possit opponi de simonia: communis sententia ait, irritam esse, & opponi posse; ita *Cajet. verbo Excommunicatio, cap.* 24. *in fin. Cardin. Jacobatius lib.* 4. *de Concil. art.* 4. §. *Ex his concludit, n.* 85. *Redoan. tractat. de simon. par.* 2. *cap.* 34. *n.* 15. *Azor. par.* 2. *lib.* 4. *cap.* 5. *quæst.* 7. §. *Deinde, Sanch. loco cit. n.* 12. *Barbos. in dict. cap. Licet, Ugolin. de simon. tab.* 1. *cap.* 48. §. 2. *n.* 9. *Scortia in select.*

select. const. theorem. 135. §. *Sed dubitatur*: sed contrarium tenet *Suar. tom.* 1. *de relig. tract. ult. de simon. cap.* 57. *n.* 57. *Tanner. tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 8. *n.* 98. & 110. & hanc valde probabilem ait *Less. lib.* 2. *cap.* 35. *n.* 145. *Filiuc. tract.* 45. *cap.* 13. *n.* 23. *Bossius in praxi*, *tit. de ambitiosis in fin.* quia putant, dictam Bullam non esse receptam cum tantu rigore in hac particula: sed non video, quomodo hæc ratio subsistat; quia semper Cardinales jurant in conclavis ingressu eam observare; & quia non constat, hactenus hunc casum contigisse; unde neque contrarium observatum fuisse dici potest: aliam addunt rationem, quia alias sequeretur, quod Ecclesia non esset unquam certa de capire suo; cum tamen Papam electum a duabus partibus Cardinalium concorditer, negare Papam esse, & Christi Vicarium, sit vel hæreticum, vel erroneum, ut *Tanner. disp.* 1. *de fide quæst.* 4. *n.* 162. *cum Bannes*, *Castro*, & *Turrecr.*

Sed ad hoc fundamentum respondet *Less. num.* 146. dato quod talis electus, propter dictam Constitutionem non esset verus Pontifex, stante tamen electione alias canonica, ut supra, & vitio existente occulto, eum habendum esse pro vero capite Ecclesiæ, eumque vere tunc fore verum caput Ecclesiæ, habiturumque assistentiam infallibilem Spiritus Sancti, ob titulum coloratum, concurrente scilicet communi errore: quod etiam tenent *Innocent. Hostien. Anan.* & *Bellamer. in dicto cap. Licet*, & *Jacobat. loco cit. n.* 84. §. *Ex his concludit*; qui ait, nec posse opponi de simonia contra talem electionem, nisi vitium simoniæ sit publice notorium de jure, vel de facto: & consentiunt ex parte *Innoc. in cap. Nihil n.* 5. *de elect. Bal. in leg. Non mutat C. de lib. caus. Jas. in leg. Barbarius n.* 64. *ff. de off. prat.* qui dicunt, quod acta a Papa, simoniace electo, sed vitio non notorio, sunt valida: sed ait *Innoc. num.* 4. quod vitio comperto, ejus acta rescindi debent, ne recipiant executionem: addit tertiam rationem *Suar.* quod dictæ Constitutioni Julii II. fuit derogatum per Bullam Pii IV. 53. *In eligendis*: sed contra est, quia *ibi* §. 28. confirmat Constitutionem Julii II. cum suis pœnis, & eam jurari mandat post conclavis ingressum: & quamvis §. 29. ne schismatis detur occasio, statuat, non posse excludi a voce activa, & passiva Cardinales prætextu cujuscunque censuræ, quod etiam fuerat statutum *in Clem. ne Romani*, §. *penult. de elect.* & hoc etiam confirmavit Gregor. XV. Bulla 13. *Æterni Patris*; tamen hoc non relevat in casu nostro, quia oppositio non fit ratione censuræ, sed criminis, & decreti irritantis.

Advertendum secundo, quod illa pœna privationum, & inhabilitatum non habet locum, nisi simoniaca electione perfecta, non autem attentata: excommunicatio tamen lata contra Cardinales, agentes contra dictam Bullam, seu pacta simoniaca ineuntes, procedit etiam contra attentantes, ut patet ibi, & notat *Cajetan. verbo Excommunicatio*, *cap.* 24. sed solum procedit de attentatis, vel actis Sede vacante, ut *Cajet. ibi* notat.

Ex Bulla quoque Gregor. XV. *supra allegata*, irrita decernuntur omnia pacta tacita, vel expressa, etiam jurata, super electione Papæ, Sede vacante, inita super electione, vel exclusione, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, Papæ reservatæ, privative etiam ad majorem Pœnitentiarium: vide de hac materia quæ dixi *verbo Ambitus*, *cap.* 3. & *verbo Conclave*, *cap.* 4. & 5.

☞ *Vide Const.* Pastor bonus *in fine Operis*. ☜

An autem simoniam committentes super electione Papæ, incurrant in excommunicationem, & pœnas latas in *Extravagante Cum detestabile*, *de simonia*, de qua dixi *supra cap.* 2. respondeo, quoad excommunicationem incurrere mihi probabilius videri, cum ibi agatur de simonia, etiam super electione ad Ecclesias: & ita *Navar. consil.* 17. *de senten. excommunic.* sed quoad pœnam nullitatis electionis, non video, per illum textum derogatum fuisse specialiter statuto in *cap. Licet de elect.* ideo non æstimo, eos incurrere in pœnam ex vi illius Extrav. quamvis aliunde in eam incurrant, ut *dixi*.

CAPUT VIII.

Simonia super jure patronatus, vel præsentatione.

I. PAtronus, jus patronatus vendens, vel alio modo, seu titulo pro re temporali transferens in alium; necnon quilibet tali modo illud recipiens, simoniam committit, & uterque illud ipso facto amittit, & Ecclesia efficitur libera, ut deinceps qui habebat institutionem, habeat liberam collationem, *cap. De jure*, *cap. Quia clerici*, *de jurepatronatus*, *Trident. sess.* 25. *c.* 9. *de refor. Rota part.* 1. *recen. dec.* 302. *n.* 4. & *decis.* 95. *n.* 3. *tom.* 2. *posth. Farin.* & procedit etiamsi pecunia detur ad redimendas vexationes, si non interveniat beneplacitum apostolicum, *Rota in dict. decis.* 302. *n.* 4. vel saltem est res dubia, & periculosa, ut *Rota dict. decis.* 95. *par.* 2. *noviss. n.* 3.

Amplia primo, ut procedat, etiamsi permutetur cum re temporali, vel si vendat quis universitatem bonorum, seu rem temporalem, cui annexum est jus patronatus, pluris, seu majori pretio ratione juris patronatus, *Sanchez lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 79. cum multis Doctoribus, quidquid in contrarium sentiat *Garzias par.* 5. *cap.* 9. *n.* 35.

Amplia secundo, ut neque vendens rem temporalem justo pretio, cui annexum est jus patronatus, possit dicere se cum ea vendere jus patronatus, vel se vendere rem illam, & jus patronatus: sed solum post verba venditionis rei temporalis, potest declarare animum suum, ut jus patronatus transeat cum re illa vendita, vel se vendere rem illam cum jure patronatus, *Sanch. dub.* 81. *n.* 4. & 6. *Genuens. in praxi cap.* 84. *n.* 2.

Amplia tertio, ut neque possit patronus jus illud transferre in laicum gratis, sine consensu Episcopi, sed bene potest in locum ecclesiasticum transferre, *Sanch. dub.* 76. *Rot. recent. par.* 1. *decis.* 301. *n.* 1. & 2. ubi ampliat, ut neque sufficiat licentia Vicarii generalis, nisi habeat speciale mandatum; & idem habet *Rota part.* 2. *noviss. decis.* 247. *n.* 3. & 4. non esset autem simonia in laicum gratis juspatronatus transferre sine licentia Episcopi; tamen incurreret in pœnam privationis latæ sententiæ dans, & recipiens, ex *Trident. loc. cit.*

☞ *Concilium loc. citat. loquitur dumtaxat de transferentibus*, *ibi* – nec dictum juspatronatus, venditionis, aut alio quocumque titulo in alios contra canonicas sanctiones transferre præsumant: si secus fecerint, excommunicationis, & interdicti pœnis subjiciantur; & dicto jurepatronatus, ipso jure privati existant -- *unde pœna privationis latæ sententiæ non videtur extendenda etiam ad recipientes*, *ut Auctor extendit*. ☜

II. An autem dicta pœna privationis juris patronatus liget etiam in foro conscientiæ ante sententiam? multi affirmant; quia patronus sic abdicavit jus suum, quantum in se fuit, per venditionem: ita tenet *gloss. Lamber. Abb. Innoc. Paul. de Cittadin.* & *Cajet.* quos allegat *Sanch. dub.* 82. *n.* 3. sed probabilius dicunt, non ligare; quia per actum nullum patronus non est privatus jure suo; & ideo illi restituendum esse ante sententiam; ita tenet *Sanch. n.* 6. *cum Joann. Andr. Cardin. Goffredo*, & *Rocho*, & facit quod dixi *supra cap.* 2.

III. Patronus, vendens juspatronatus, & illud emens, non incurrunt in excommunicationem, & alias pœnas latas contra simoniacos, de quibus dixi *supra cap.* 2. quia *Extravag.* 2. *de simonia* loquitur solum de Ecclesiis, seu beneficiis, non autem de jurepatronatus: at vero patronus, præsentans pro pretio, seu recompensatione temporali, & præsentatus hoc modo, incurrunt excommunicationem, & nullitatem provisionis ipso facto, & alias pœnas, de quibus dixi *cap.* 2. per dictam Extrav. & ita *Sanch. dub.* 107. *n.* 5. dixi *supra cap.* 2. & 3.

IV. Pretium datum pro præsentatione, & datum pro venditione juris patronatus, secundum magis communem, ante sententiam est restituendum Ecclesiæ læsæ: alii dicunt, pauperibus restituendum: alii dicunt, restituendum ei, qui illud persolvit; *Sanchez dub.* 83. & *dub.* 114.

V. Patronus, promittens, se præsentaturum pro futura vacatione, non vacante tunc beneficio, non incurrit pœnas simoniæ, si gratis promittat simplici pacto nudo: sed ea promissio est nullius momenti, & irrita ipso jure, *cap.* 2. *de concess. preb.* & *cap. fin. eo tit. Sanch. opusc. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 68. *n.* 3. & 4. est enim contra bonos mores, non tamen simoniaca.

CAPUT IX.

Simonia in Ordine recipiendo, seu conferendo.

I. EXcommunicationem Papæ reservatam incurrunt ordinans simoniace, & ordinatus, si conscius fuerit, & mediatores, *Extrav.* 2. *de simonia Suarez tom.* 1. *de relig.*

tract. ult. cap. 5. Less. lib. 2. cap. 35. n. 71. & 141. Sanch. opusc. lib. 2. cap. 3. dub. 104. n. 20. & amplia, ut dans pecuniam mediatori, ut ipse intercedat pro admissione ad Ordines, incidat in hanc pœnam, Sanch. ibi n. 93. unde dans pecuniam alicui, ut supponat se pro eo ad examen, similiter eandem pœnam incurrit.

II. Suspensionem incurrit ordinans simoniace a collatione omnium Ordinum per triennium de iure communi antiquo, secundum aliquos, ex cap. pen. de simon. sed alii probabilius dicunt, perpetuam suspensionem incurrere ex dicto jure, ut Sanch. n. 38. sed hodie ex Bulla Sixti V. 91. Sanctum, & salutare, incurrit perpetuam suspensionem a collatione Ordinum, etiam primæ tonsuræ, & ab executione munerum pontificalium; & est Papæ reservata, ut ibi, cum validissima derogatione, ut dicam infra Amplia tertio.

Similiter Ordines recipiens simoniace, incurrit perpetuam suspensionem ab executione suorum Ordinum, ex d. Extrav. 2. de simon. & intelligitur secundum probabiliorem sententiam, & communem, non solum suspensus quoad simoniace susceptos, sed etiam quo ad alios, Less. n. 135. Suar. de censur. disp. 31. sect. 4. n. 33. Sanchez dub. 104. n. 23. & communem ait Avila 3. part. disput. 5. dub. 9. & hæc suspensio est Papæ reservata ex dict. Bulla Sixti V. ut dicam infra.

Mediatores simoniæ in Ordine, non incurrunt suspensionem ullam, Sanchez opusc. lib. cit. dub. 104. n. 6. & 30. Navarrus cons. 98. n. 2. de simon. excepto præsentatore, qui incurrit suspensionem ad triennium ab executione Ordinum suorum, cap. penult. de simon. sed intellige de præsentatore ex officio, qualis est archidiaconus, de quo in cap. un. de scrut. in ord. fac. vel similis, cujus officium sit examinare ordinandos, & idoneos Episcopo renunciare; ita Jo. Andr. ibi, & Barbos. n. 3. cum Campanil. & idem est de Episcopo, qui concedit litteras dimissorias, ut Barbos. ibi, et Campanil.

III. Interdictum quoque incurrit ab ingressu Ecclesiæ ordinans aliquem simoniace, & est reservatum Papæ, ex dicta Bulla 91. Sixti V. contra male promotos.

IV. Violantes supradictas censuras exercitio Ordinum illis vetito, varias pœnas incurrunt: primo enim omnes præfati incurrunt irregularitatem: secundo Episcopus, seu ordinans simoniace scienter violans suspensionem, aut interdictum, de quibus supra, incurrit suspensionem ab administratione Ecclesiæ, & a perceptione fructuum omnium suorum beneficiorum; & est reservata Papæ, ex dicta Bulla Sixti V. Excusat autem ab hac suspensione etiam ignorantia culpabilis, si non sit affectata, Sayr. lib. 4. cap. 17. in fin.

Simoniace autem ordinatus, si violet præfatam suspensionem, etiam per exercitium Ordinum minorum, ultra dictam irregularitatis pœnam, si sit clericus secularis, incurrit privationem officiorum, & beneficiorum, & ad talia inhabilitatem; & ea beneficia remanent reservata Papæ, tanquam vacantia in Curia: clericus autem regularis incurrit privationem vocis activæ, & passivæ, & ad eam fit inhabilis: & istæ pœnæ similiter sunt Papæ reservatæ ex eadem Bulla Sixti V. Sayr. loc. cit.

V. Pretium ab ordinante, vel mediatore acceptum, non est restituendum ex vi juris positivi; quia jus canonicum, nihil de eo statuit; sed tamen restituendum est, quatenus exigit jus naturale, ut quando ordinator tenebatur ex officio ordinare, vel presentator præsentare &c. Less. lib. 2. cap. 35. n. 169. Suar. lib. 1. de relig. tract. ult. cap. 59. n. 16. & cap. 60. n. 13. Filiuc. tract. 45. c. 13. n. 35. Sanchez opusc. lib. 2. c. 3. dub. 105. n. 5. & generaliter in omni casu, quo accipitur pretium pro ipso sacramento, scilicet re pure spirituali, quæ in se non habet temporale annexum, pretio æstimabile, sicut habet beneficium: ita Sanchez dub. 113. n. 2. Suar. cap. 59. n. 35. Less. n. 160. Layman lib. 4. tract. de simon. n. 79. secus est, quando pro labore annexo, extra actum ordinationis interveniente, acciperetur aliquid contra prohibitionem Trident. Concilii, de quo infra dicam: pretium igitur restituendum est danti, ut de jure naturali, Suar. cap. 59. n. 23. Filiuc. c. 13. n. 29. Layman ibi, cum allegatis: unde si restituere sit paratus, sed creditor condonet liberaliter, poterit deinceps retinere tuta conscientia: & licet Tridentinum, de quo infra, prohibeat ratione Ordinum quidquam accipi, etiam sponte oblatum, sub censuris, & pœnis simoniæ in Ordine; non tamen prohibet condonationem: Less. c. 35. n. 61.

Amplia primu, supradictas pœnas, ut procedant etiam de simonia super prima tonsura; quia secundum communem modum loquendi, in jure canonico venit Ordinum appellatione, Suarez c. 5. n. 5. de simon. Filiuc. tract. 45. cap. 13. n. 9. Ugolin. tab. 4. c. 3. n. 2. Layman tract. de simon. n. 71. Salzedo ad Diaz in praxi c. 94. §. Quinta; præsertim hodie, stante decreto Tridentini Concilii, de quo statim dicam.

Amplia secundo, quod a Tridentino Concilio sess. 21. c. 1. de reform. statutum est, ut nihil pro collatione quorumcunque Ordinum, etiam clericalis tonsuræ, nec pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacunque de causa, etiam sponte oblatum, Episcopi, & alii Ordinum collatores, aut eorum ministri, quovis prætextu accipiant: notarii autem pro singulis litteris dimissoriis, aut testimonialibus, decimam tantum unius aurei partem accipere possint, ubi non est consuetudo nihil accipiendi, et ubi nullum aliud sit eis constitutum stipendium pro tali munere: et qui secus fecerint, tam dantes, quam recipientes, pœnas a jure inflictas ipso facto incurrant, idest inflictas a jure ipso facto pro simonia in Ordine, videlicet excommunicationem, suspensionem, & juris infamiam, juxta supra dicta, & c. 1. supra eo: ita Sanchez opusc. lib. 2. c. 3. dub. 104. n. 21. & nota ibi nomine ministrorum contineri Examinatores: gloss. in c. 1. verbo Minister ibi, Barbos. n. 4. de simon. Suar. c. 22. n. 7. Ugolin. tab. 1. de sim. c. 42. §. 3. n. 1. qui plures allegat.

De notario autem, an ibi contineatur, ut minister sub eisdem pœnis, si excedat taxam contra prædictum decretum, aliqui affirmant, quia revera simoniacus est; ita Bonac. de simon. quæst. 7. §. 2. n. 15. alii verius negant, quamvis sit simoniacus; & dicunt, Tridentinum intelligi debere comprehendere in pœnis eos, qui proxime concurrunt cum Episcopo, & qui alias de jure puniuntur dictis pœnis, etiamsi sponte oblatum accipiant: non autem contineri notarium, & ita Less. c. 45. n. 133. Filiuc. tract. 45. c. 13. n. 9.

Amplia tartio, ut neque Episcopos vigore Trid. sess. 24. c. 6. possit in casu etiam occulto, absolvere a prædictis censuris ob simoniam in Ordine incursis Papæ reservatis, ut supra, quia Sixtus V. derogavit etiam dicto decreto Tridentini: & quamvis Clemens VIII. Bulla edita, Romanum decet, quæ est 40. redegerit dictam Bullam in aliis ejus capitulis ad terminos juris communis; tamen excepit censuras, & pœnas latas in dicta Bulla contra simoniacos in Ordine: ita notant Sanchez opusc. lib. 2. c. 3. dub. 120. n. 4. 8. & 9. & dub. 104. n. 28. & dub. 120. n. 9. Suar. c. 61. n. 6. et c. 56. n. 15. Less. n. 134.

Limita primo, ut Episcopus non possit quidem absolvere, neque dispensare cum simoniace promoto scienter, vel cum ignorantia crassa, vel supina; sed bene possit cum simoniace omnino ignoranter promoto, scilicet quando tertius, eo ignorante, pecuniam dedit; quamvis enim etiam hoc casu promotus, sit suspensus secundum communem sententiam Canonistarum, & Summistarum, per c. Si quis a simoniacis 1. quæst. 1. tamen Episcopus potest cum tali dispensare, ex c. De simoniace 22. de simon. & ita distinguunt, & docent ibi gloss. verbo Remanere, & Canonistæ communiter, & plurimi, quos allegat Sanch. opusc. lib. 2. c. 3. dub. 120. quod tamen limitant communiter Doctores; dummodo Episcopus ipse non sit complex super illa simoniaca ordinatione, ut apud Sanch. n. 14. licet ipse nu. 15. cum Navarro teneat, etiam tunc posse dispensare: addit Sanch. dub. 104. n. 46. esse valde probabile, promotum simoniace omnino ignoranter, ex ignorantia invincibili, vel non crassa, nec supina, non esse ipso jure suspensum, neque irregularem; & hoc tenent multi Canonistæ, quos ipse allegat, ibidem.

Limita secundo, quod non incurrit in dictas pœnas recipiens sponte oblatum liberaliter post Ordines collatos; antea vero recipi non potest, ex dicto decreto Tridentini, Sanch. dub. 19. n. 4. quamvis aliqui dicant, quod etiamsi ante ordinationem sponte, & vere liberaliter donaretur, non intentione movendi animum Episcopi, vel ministri, non incurrerent in dictum decretum, ut Less. cap. 35. n. 61.

Limita tertio, quod dictæ pœnæ non incurruntur, nisi sit simonia realis utrinque completa, Less. c. 35. n. 134. Navarr. c. 23. n. 104. Tannerus tom. 3. disp. 5. quæst. 8. n. 93. Laym. n. 71.

☞ *Nota, quod si Episcopus non corrigat simoniacos subditos in administratione Sacramentorum, suspendendus est ab officio per duos menses*, can. Quidquid 101. caus. 1. quæst. 1. & ibi gloss. verb. Excommunicationi. ☜

CA-

CAPUT X.

Simonia super Religionis ingressu.

I. Extravag. 1. *de simonia*, inter communes prohibetur omnibus religiosis utriusque sexus, etiam militaribus, ne a volentibus ingredi eorum Religionem, Ecclesias, monasteria, domus, seu loca, in eorundem receptione, ante, vel post illam pastus, pecunias, jocalia, aliasve res, etiamsi ad usum pium deputanda, directe, vel indirecte petere, vel exigere quoquomodo præsumant, sed gratis illos admittant; solumque recipere possint ab ingredientibus hujusmodi ea, quæ ab illis sponte, & plena liberalitate, omni pactione cessante, offerentur; qui secus egerint, tam dantes, quam recipientes excommunicationis, si capitulum, vel conventus fuerit, suspensionis sententiis eo ipso decernuntur subjacere, & absolutio Papæ reservatur; poterit autem Episcopus, vel Prælatus absolvere in occultis delictis, ex *Trident. sess.* 24. *c.* 6. *de ref.* de hac re *Sanch. opusc. lib.* 2. *c.* 3. *dub.* 104. *a n.* 50.

Amplia, quod procedit, sive detur, & accipiatur pretium pro admissione ad professionem, sive ad habitum, ut *Filiuc. tract.* 45. *c.* 13. *n.* 11. *Bonac. de simon. quæst.* 7. §. 4. *n.* 11. imo etiamsi pro admissione professi ad tale monasterium, seu domum, ut probatur ex *d. Extrav.* quamvis alii putent, solum procedere de datione pro admissione ad professionem, ut *Barbos. in d. Extrav. n.* 5. *Suar. de censur. disp.* 22. *sect.* 59. *n.* 7. *Laym. lib.* 4. *tract. de simon. n.* 71.

Limita quod non procedunt pœnæ istæ, nisi simonia realiter utrinque contracta fuerit, seu impleta, ut *Barbos. Suar. Laym. ibi, Sanch. n.* 50.

Limita secundo, ut non procedat de ingressu Confraternitatis, *Sanch. opusc. lib.* 2. *c.* 3. *dub.* 23. *n.* 8. neque secundum aliquos pro ingressu Religionis militaris, excepta Religione Sancti Joannis; quia illa militia emitur tunc, non quatenus res spiritualis, sed quatenus est honor humanus, *Diana resol.* 64. *tract.* 2. *tom.* 2. *cum Villalob.* contra *Azor. tom.* 3. *lib.* 12. *c.* 16. *quæst.* 5. neque pro ingressu monialis, si detur causa sustentationis, seu dotis, ex decreto Martini V. *Suar. n.* 7. *Sanch. dub.* 104. *n.* 50. *Barbos. n.* 2.

Limita tertio, quod illa suspensio contra capitula, & conventus non intelligitur ab officio, & beneficio, sed ab officio tantum capitulari, seu administratione; ita *Marius Alter. Suar. & Filiuc.* quos sequitur *ibi Barbos.*

Limita quarto, quod hodie secundum multos, non procedit hæc decretalis etiam de ingressu virorum, si detur aliquid causa sustentationis, *Sanch. ibi, Barbos. n.* 3. *Mirand. tom.* 3. *quæst.* 8. *art.* 7. *Eman. Sà, verb. Simonia n.* 2. *Suar. c.* 17. *n.* 16. & 17. *cap.* 59. *de simon.* quoad moniales certum est, hanc decretalem esse revocatam, etiamsi monasterium sit locuples, etiam quoad ordinarium numerum, *Less. c.* 35. *n.* 131. *Mirand. ibi, Bonac. de simon. quæst.* 7. §. 4. *n.* 6. *Diana tom.* 2. *tract.* 2. *de dub. regul. resol.* 100. *Suar. de relig. lib. ultimo tract. de simon. c.* 17. *n.* 16. & 17. *Sanchez opusc. lib.* 2. *c.* 3. *dub.* 23. *n.* 6. & *in decal. lib.* 7. *c.* 23. *n.* 4. Restitutio autem datorum facienda est danti ante professionem, *c. Veniens de simon. Sanch. dub.* 141. *n. ult.* at post professionem restituenda, seu relinquenda eidem monasterio ad usum communem *ex d. Extrav.*

Limita quinto, quod in pœnis *istius Extrav.* non continentur mediatores, seu cooperantes, quia hi non sunt expressi, sed soli dantes, & accipientes, ut *Sanch. lib.* 2. *opusc. c.* 3. *dub.* 23. *n.* 6.

II. Si quis simoniace receptus fuerit ad professionem, simonia scienter contracta, tam recipiens, quam receptus de monasterio sine spe restitutionis expellendus est, & in locum arctioris regulæ ad pœnitentiam perpetuam detrudendus; vel si non inveniatur talis locus arctioris observantiæ, saltem ad alium locum mittendus ejusdem Ordinis, *cap. Quoniam de simon.* si autem ignorante ipso receptum, seu professu, simonia sit contracta cum recipiente, debet receptus renunciare illi loco, & postea poterit de novo recipi ibidem, si absque scandalo ibi possit permanere, alias ponendus in alio loco ejusdem Ordinis, *c. De regularibus, de simonia*: aliqui dicunt, hanc pœnam mutationis loci esse latæ sententiæ, & procedere etiam in casu occulto, etiam pro foro conscientiæ: ita *Sylvest. Rayn. & Valder. apud Sanchez dub.* 104. *n.* 51. sed contrarium tenet ipse *Sanchez per dict. cap. Quoniam*, ex quo apparet, esse pœnam sententiæ ferendæ, neque obligare ante sententiam, maxime cum pœna hæc sit gravissima.

III. Simoniace ad professionem admissus, & admittens, incurrit juris infamiam, ut *Extrav.* 1. *de simon.* §. *Ceterum*, de qua dixi supra *cap.* 1. videtur tamen, requiri notorietatem facti, vel juris, ut ibi dixi.

IV. Taliter receptus, & recipiens, erunt irregulares ratione infamiæ, ut dixi *cap.* 1. imo receptus erit specialiter irregularis, quia non poterit promoveri ad Ordines titulo religiosæ professionis, cum ea sit simonia infecta, & nullum jus tribuat professo; neque in favorabilibus habetur pro professo, ex *dict. cap. Quoniam*: intellige post sententiam saltem declaratoriam: ut per *Sylvest. verb. Simonia, quæst.* 15. §. *Secundum, Sanch. n.* 53.

V. Recipiens simoniace ad professionem, amittit eo ipso potestatem recipiendi, *Sylv. loco cit. n.* 15. §. *Octavum, Sanch. n.* 53. sed etiam hæc pœna non obligat ante declaratoriam, cum sit privatio juris quæsiti.

Advertendum autem, quod in pœnis hic enarratis *num.* 2. 3. 4. 5. 6. & 7. potest Episcopus, seu Prælatus cum suis subditis dispensare, dummodo ipse dispensans non fuerit complex criminis: ita *Sylv. dicto* §. *Octavum, Sanc. n.* 53.

VI. Professus per simoniam, valide professus est, sed non acquirit jus sustentationis, seu portionis communis, sed solum necessaria alimenta illi debentur, neque habet vocem activam, vel passivam in ea Religione, secundum *Navar. commen.* 4. *de regular. n.* 25. *Sanch. dub.* 104. *n.* 54. & facit *cap. De regularibus, cap. Quoniam, cap. Dilectus, il secondo, de simonia*, ubi dicitur expellendus, & in arctius monasterium detrudendus ad pœnitentiam (sed contra, quod non sit iis privatus ante sententiam, vel expulsionem, tenet *Suar. cap.* 57. *n.* 9. *Less. cap.* 35. *n.* 132. *Sanch. n.* 54. *Laym. n.* 70. *de simonia*.

VII. Ex *Trid. sess.* 25. *de regul. cap.* 16. cautum est sub anathematis pœna, ne ante professionem, excepto victu, & vestitu, quocunque prætextu aliquid ex bonis novitii, vel novitiæ tribuatur monasterio a parentibus, vel propinquis, vel curatoribus ingredientis, ne discedendi libertas aliquo modo auferatur; imo abeuntibus restituantur omnia, quæ illius sunt; & ad id potest Episcopos per censuras ecclesiasticas religiosos compellere: aliqui putant, per illa verba *sub anathematis pœna*, latam esse sententiam excommunicationis contra dantes, & recipientes: ita tenet *Mirand. tom.* 2. *quæst.* 35. *art.* 8. *concl.* 2. *Valasc. de part. cap.* 16. *n.* 31. *Manuel. tom.* 2. *sum. cap.* 7. *n. ult.* sed contraria est verior, videlicet esse sententiæ ferendæ, seu comminatoriam, *Sanch. lib.* 7. *in decal. cap.* 5. *n.* 26. *Suarez disp.* 22. *sect.* 5. *n.* 15.

Adde, quod neque potest novitius donare monasterio, vel illi renunciare bona aliqua, nisi cum licentia Episcopi, vel Vicarii, intra duos menses proximos ante professionem, ex *dict. cap.* 16. *Trident.* potest tamen etiam ad favorem monasterii testari, vel donare causa mortis, *Sanch. c.* 5. *n.* 24.

CAPUT XI.

Simonia super Indulgentiis, vel facultate absolvendi a reservatis, aut privilegiis circa interdictum, vel Baptismum.

Ex Bulla 99. Pii V. *Quam plenum*, prohibitum est ob speciem simoniæ, Prælatis Ecclesiarum publicare Indulgentias, aut edicto concedere, seu communicare facultatem eligendi confessarium cum facultate absolvendi a casibus reservatis, aut privilegium Missæ, & sepulturæ tempore interdicti, & assumendi duos, pluresve compatres in Baptismo, solventibus pecuniam sub prætexto piæ causæ: contrarium attentantes, si Episcopi sint, etiam Cardinales, incurrunt suspensionem, seu interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & a perceptione fructuum suæ Ecclesiæ, donec a Papa absolvantur, satisfactione præmissa: inferiores autem Episcopis, incurrunt excommunicationem, Papæ similiter reservatam: item tales publicationes, seu communicationes gratiarum sunt ipso jure nullæ, ex *dict. Bulla*. Vide *Bonac. de Simonia, quæst.* 7. §. 5.

Aliam etiam Constitutionem Pii V. contra publicantes Indulgentiam consequendam a porrigentibus manus adjutrices, vide *verbo Indulgen. c.* 2.

CAPUT XII.

Simonia super sepultura electione,

Vide *verbo Sepultura*, *cap.* 3.

CAPUT XIII.

Simonia officialium Sacra Pœnitentiariæ.

Vide *verbo Munera*, *cap.* 2.

CAPUT XIV.

Simonia super dispensatione matrimoniali,

TRident. *Concilium sess.* 24. *c.* 5. *de refor. matrimon. in fin.* statuit, dispensationes de contrahendis matrimoniis nonnisi raro, & ex causa, & gratis concedendas : & *sess.* 25. *de ref. cap.* 18. statuit, quod cum urgens, justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverit, cum aliqnibus dispensandum esse, id causa cognita, & gratis a quibuscunque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum : aliter facta dispensatio subreptitia censeatur.

Limita, quod non censetur, hoc decretum prohibere jura expeditionum, quæ officialibus Cancellariæ pro ipsorum labore persolvuntur, *Garzias par.* 8. *cap.* 1. *n.* 100.

Limita secundo, quod hoc decretum non est receptum in Curia, quoad compositiones, quæ justis de causis a Papa percipiuntur ex causa rationabili, & honesta, scilicet propter sustentationem Papæ, & onera Pontificatus sustinenda: nam sacrum Tridentinum Concilium *decr. ult. de ref. ses.* 25. intellexit, decreta sua omnia, salva semper Sanctæ Sedis auctaritate: & ita *Garz. n.* 101. *Less. lib.* 2. *cap.* 35. *dub.* 9. *n.* 58. *Suarez de relig. tract. ult. de simon. cap.* 20. *n.* 11. *Sanch. consil. lib.* 1. *c.* 3. *dub.* 17. *n.* 4. *& seq.* cessante autem illa causa rationabili, illicita esset, & simoniaca exactio, siqua a Papa, seu curia Romana fieret circa actum potestatis spiritualis : & ideo olim tales exactiones non fiebant, ut ex *Epist.* 8. *Zachariæ Papæ ad S. Bonifacium*, de qua *Baron. annal. tom.* 9. *ann. Christi* 743. *pag.* 153. *in fin.* & ita *Redoan. de sim. par.* 1. *cap.* 11. *n.* 5. *Suar. n.* 11. *Ugol. de simon. tab.* 1. *cap.* 52. *n.* 5.

Remanet tamen de cetero in vigore, & observantia dictum Tridentini decretum in hoc, ut gratis dispensationes matrimoniales dentur, seu applicentur a Commissariis per litteras Apostolicas deputatis: nam in litteris in forma commissaria præcipitur officiali diœcesano, idest Vicario generali, ut gratis expediat; quod si aliquid muneris, aut præmii occasione dictæ commissionis, seu expeditionis exigere, aut oblatum recipere temere præsumpserit, excommunicationis latæ sententiæ pœna innodatus tandiu existat, donec per satisfactionem a Sede Apostolica absolutionis beneficium meruerit obtinere: & in litteris, quæ aliquando eidem Episcopo ad instantiam oratorum diriguntur, ponitur clausula – & si munus, aut præmium quodcunque exegerit, aut oblatum receperit, ab exercitio jurisdictionis, & pontificalium, & a perceptione fructuum tandiu sit suspensus, donec a Sede Apostolica relaxationem per satisfactionem condignam meruerit obtinere – ut refert *Conrad. de dispens. lib.* 7. *c.* 6. *n.* 9.

Et in litteris in forma pauperum concessis ob copulam propter infamiam avertendam, additur – ut in talis transgressionis eventu, absolutio, & dispensatio per ipsos facienda, sit nullius roboris, & momenti. –

Amplia primo, quod ob prædicta Commissarius nihil potest accipere, etiam pro examine testium, aut informationum, mercedis titulo, *Navarr. cons. ult. de rescript. Genuen. in praxi c.* 25. *n.* 13.

Amplia secundo, ut neque excusentur ratione consuetudinis, etiam immemorabilis, *Garzias numero* 100. *&* 103. quamvis alii contra dicant, valere consuetudinem, ut Vicarius accipiat scutum unum aureum pro dicto examine, & informatione: & ita tenet *Sanch. lib.* 8. *dis.* 35. *n.* 9. 10. *&* 11. dicens, illam prohibitionem intelligendam de muneribus, seu pretio dispensationis, non de mercede laboris: sed hic contra videtur, cum id usurpetur, reclamante, & contradicente Papa, & Sacra Congregatione, ut ait *Conrad. ibi n.* 14.

Limita, quod non est illicitum post expeditionem dispensationis aliquod munus sponte, & liberali animo oblatum in signum gratitudinis accipere, *Sanchez n.* 14. alia in hac materia vide apud *Sanchez & Garziam ibidem*.

CAPUT XV.

Simonia super datis, vel promissis, pro gratia, vel justitia obtinenda in Curia Romana.

I. EXtravag. 1. *de sentent. excommunic.* a Bonifacio Octavo lata est excommunicatio contra promittentes aliquod parvum, vel magnum, & contra promissionem acceptantes, (etiamsi talis promissio fiat sub verbis generalibus, & plene non expressis) & contra dantes, & recipientes parvum, vel magnum, & contra promissionem acceptantes, (etiamsi talis promissio fiat sub verbis generalibus, & plene non expressis) & contra dantes, & recipientes parvum, vel magnum pro aliqua justitia, sive gratia pro se, aut pro alio, quibuscunque modis apud Sedem Apostolicam obtinenda; & contra eos, qui sciverint aliquem de prædictis culpabilem, & intra triduum non revelaverint Papæ, vel alicui, per quem ad Papam verbum fideliter referatur, & absolutio reservatur Papæ; ita ut, nisi ex speciali Papæ mandato absolutio dari prædictis non possit, nisi in articulo mortis, si ad Papam accessus haberi non possit: neque absolvantur, nisi prius quantum quis dederit, vel receperit, integraliter pauperibus largiatur: & justitia, sive gratia taliter obtenta, nullius est roboris, vel momenti: & gratia, seu justitia sic obtenta scienter utentes, in eandem excommunicationem incurrunt, eodem modo reservatam.

Adverte, quod hæc Extravagans non punit causas secundarias, scilicet cooperantes; quia eos non expressit, sed exprimuntur in Constitutione sequenti : ita *Navarr. notab.* 7. *super Extrav. eadem*.

II. Greg. XIII. Bulla 24. vel 18. *Ab ipsa*, Constitutionem prædictam eum suis censuris, & pœnis omnibus innovavit, & extendit contra audentes aliquam ex tribus actionibus infra dicendis, ibi vetitis, committere : & contra dantes in illis, vel aliis supra in Bulla Bonifacii VIII. vetitis, auxilium, consilium, vel favorem: tres autem actiones a Gregorio vetitæ sunt.

Prima, sordida nundinatio in conquirendis hac, illac expeditionibus negotiorum gratiæ, & justitiæ apud Sedem Apostolicam, innitendo, seu fiduciam habendo in potentiorum suffragationibus: hoc autem ita explicant communiter Interpretes, ut incurrat in hanc Constitutionem quicunque pretium accipit, vel de eo paciscitur, ut sit mediator, seu procurator, seu solicitator pro obtinenda gratia, vel justitia, si hoc pretium prætendat ratione favoris potentiorum, cui innititur: ita *Navarr. in hanc Extrav. n.* 40. *Molina disput.* 91. §. *Atqui*, *Filiucc. tract.* 15. *n.* 129. sed non placet: quia hoc jam erat prohibitum per *Extravag.* Bonifacii : itaque æstimo, per hæc verba incurrere in pœnas istas eum, qui profitetur, seu exercitium facit procurandi expeditiones prædictas spe pretii consequendi, non ratione solius laboris, sed favoris, cui innititur, seu quo sperat, se obtenturum gratiam, seu justitiam; quia verbum *Nundinari*, significat exercitium emendi, vel vendendi, & *hac*, *illac conquirere* similiter frequentiam importat; unde non requiritur hic pactum ullum iniri ad hanc actionem perficiendam, sed frequentia, & intentio prava.

Secunda actio, ambire donis, vel pollicitationibus eos, quos putant gratia, idest favore præstare apud eos, qui facturi sunt gratiam, vel justitiam: unde incurrunt transgressores in hanc Constitutionem, etiamsi non obtineant intentum, neque is dona, aut promissiones acceptet, quod significat verbum *Pollicitari*, ut *Filiuc. tract.* 15. *n.* 129. *Sanchez opusc. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 104. *n.* 56. *in fin.*

Tertia, fingere, scilicet mentiendo, se potentiorum operam, seu industriam quæsivisse pretio, vel muneribus pro tali gratia, vel justitia obtinenda, ut ab oratore, seu litigatore remunerationem reportet, ut ait *Molina tom.* 1. *dis.* 92. §. *Tertia*, *Filiuc. n.* 129. *Navar. tract. de datis, & promissis*, *notab.* 23. *n.* 42.

Addit etiam Gregorius in eadem Bulla contra omnes supra-

prædictos pœnas privationis omnium beneficiorum, & officiorum ecclesiasticorum, & secularium, & infamiæ juris, & inhabilitatem ad hujusmodi, ipso facto incurrendas: impunitatem vero concedendam decernit suos complices revelantibus, stante delicto occulto.

Limitant multi hanc Constitutionem, ut procedat solum, quando agitur de justitia, vel gratia obtinenda apud Sedem Apostolicam via spiritualis pontificiæ potestatis; non autem si a Papa, vel ejus officialibus, quatenus Papa est Princeps temporalis: ita *Navar. not.* 18. *vers. Tertio*: *Molina vers. Jamvero*: contrarium tenent *Azor. par.* 3. *lib.* 12. *c.* 24. *quæst.* 7. *Filiuc. n.* 139. qui hanc ait probabiliorem, & tenet *Bonac. de censur. in partic. dis.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 31. *n.* 4. qui hanc ait probabiliorem, & consentit *Ugolin. in c.* 9. *Bulla Cœnæ Domini in princ. n.* 2. *cum Tol.* & hanc veriorem ait *Scortia in select. consl. Theoremate* 334. §. *fin.* etenim procurare officia, pecuniam dando, seu munera intercessoribus, etiam de jure civili illicitum est, & dicitur crimen ambitus, (inferens pœnam infamiæ juris ipso facto) ut *leg.* 1. *ff. ad leg. Jul. de amb. Lucan. tract. de fisco par.* 2. *n.* 42. *Salicet. in rub. Cod. ad leg. Jul. de amb.* ibi de dante munera amico principis, seu domestico, & *Boss. tit. de ambit. n.* 1. *&* 6. Non est autem crimen simoniæ procurare pecunia aliquid temporale apud Sedem Apostolicam; ideoque recte dicta Extrav. Bonif. non est posita sub titulo de simonia.

Limita secundo, quod quamvis in Constit. Bonifacii puniantur dantes, vel promittentes parvum, vel magnum; tamen in casibus, quibus non sit proprie simonia (ut in casibus additis a Gregorio sæpe accidit) excusat parvitas materiæ a pœnis præfatis: est communis sententia, ut *Molina versic. Utrum*, *Navarr. notab.* 3. *in fine*, *&* *notab.* 10. *n.* 20. *Sanch. dub.* 110. *n.* 4. *loc. cit.*

Limita tertio, quod in casibus, quibus non sit proprie simonia super beneficiis, non invalidatur gratia, neque justitia ob pacta, seu data, ut supra, si aderat ignorantia inculpata, seu invincibilis, *Sanch. lib.* 9. *de matrim. disp.* 32. *num.* 18. *Bonac. de censur. partic. dis.* 2. *quæst.* 3. *punct.* 31. *in fin.* & ratio est, quia hæc irritatio est pœnalis, ut dixi *supra par.* 1. *c.* 29. imo non sufficit ad pœnas in casibus Constitutionis Gregorii ignorantia culpabilis, nisi sit affectata, ut *Navar. num.* 38. *Scortia in select. Constit. theorem.* 333. §. *Ligat*, propter verbum *audentes*, *&* *Molina vers. Cum Gregor.*

Limita quarto, quod pœnæ contra non revelantes, non videntur esse in usu, ut *Bonac. num.* 18. & facit, quod in simili dixi *cap.* 2.

☞ *Citata Constit. Bonifac. VIII. & Greg. XIII. confirmata fuerunt ab Alex. VII.* Inter gravissimas 2. *Maji* 1656. *& majori distinctione declaratis casibus in ipsis contentis, ad alios novos extensa, in qua statuitur.*

I. Quoad materiam, relatas Constitutiones, spirituales non tantum materias, verum etiam temporales, & mixtas complecti.

II. Quoad personas, gratiam, vel favorem concedentes, esse de omnibus intelligendum universim, sive sit Papa, sive minister aliquis, judex, officialis, etiam Episcopus, & Cardinalis, & quacunque alia persona cujuscunque dignitatis ecclesiasticæ, vel secularis: item quoad personas, gratiam, & favorem impetrantes, neminem excipiendum, licet Papæ conjunctum, & ad ipsum pertinentem, etiam laicum, si expeditio Romæ obtinebitur, vel alibi, ubi moretur Romana Curia.

III. Mediatores comprehendi mediatos, & immediatos cujuscunque gradus, & praeminentiæ, etiam in casibus, in quibus ad aliquem bonum finem datur, sive promittitur, sive accipitur, cessatque omnis mali suspicio, aut propter juris acquisiti defensionem, aut illud (nondum habitum) acquirendum, aut propter res, quæ arbitrio substant, & ad quas judices, & ministri, nec de jure, neque celeriori, faciliorique expeditione tenentur.

IV. Omnia verba, aut signa prohiberi, etiam equivoca, quæ apta quocunque modo sint, ut principalem afficiant, aut mediatorem quacunque obligatione justitiæ, aut fidelitatis, etiam sub remunerationis, vel gratitudinis signo.

V. Eos comprehendi, qui dant ad effectum impediendi, aut quocunque modo justitiam retardandi, aut gratiam, ex quo sive damnum, sive molestia, aut vexatio concurrentibus provenit: omnes comprehendi mediatores mediatos, aut immediatos.

VI. Præfatas prohibitiones locum habere in gubernationum provisionibus, officiorum, & munerum etiam minorum; neque a Sedis Apostolicæ ministris supra dicta munera imponi posse pensionem, responsionem, & præstationem, aut alicujus generis onus; vel sibi, vel aliis, aliquam commodi, aut emolumenti portionem reservare.

VII. Non posse agentes, aut mediatores exigere pactum, aut promissionem a partibus, nec rem aliquam accipere prætextu, quod judicum, ministrorum, officialium, aut magnatuum operam, auctoritatem, vel officium pretio, vel muneribus, aut promissionibus hujusmodi comparaverint, seu quæsierint: & eos pariter comprehendi, qui accipiunt sub titulo, quod adhibuerint, & applicaverint in recurrentium beneficium, cum juris proprii, & spei præjudicio, favorem, & gratiam, suis erga dominos præstitis servitiis acquisitam, & ipsis debitam.

VIII. Declaratur, scriptas pœnas, atque prohibitiones locum habere, quamvis promissiones, pollicitationes, atque oblationes nec sint acceptatæ, neve sit traditum id, quod fuit promissum, aut oblatum: & etiam in casu, quo res promissa, data, aut oblata mediate, vel immediate movere animum nequeat ad gratiæ, aut petitæ justitiæ concessionem: ac insuper prohibitas intelligi actiones, non tantum, quæ legi naturali, & divinæ, sed eas etiam, quæ solè legi humanæ, præfatisque Constitutionibus adversantur. Excipitur, quod sola esculenta, & poculenta dari, & accipi juxta morem Curiæ possint, & curiales suam pacisci convenientem mercedem.

IX. Declaratur tandem, quod dictæ Bullæ, & pœnæ in ipsis contentæ, dici nequeant abrogatæ, nec derogatæ ob scientiam, patientiam, aut Principis tolerantiam, nec ob diuturnius quodcunque temporis spatium, ipsis innovatis adversus quemcunque usum, aut contrarium usum: sublato dumtaxat, atque cassato articulo faciendæ denuntiationis delinquentium a Bonifacio præscriptæ. Hactenus tenor Constit. Alex. A Constitutione vero Innoc. XII. Sacerdotalem 29. *Jan.* 1699. *qua confirmatur, & innovatur cit. Alex. Constit. declaratur ulterius, comprehendi etiam omnes agentes, expeditores, procuratores, aliosque curiales, & quemcunque negotiorum gestorem, laicos, ecclesiasticos, & regulares, suorum etiam capitulorum, & Ordinum procuratores, scribentes vel suis principalibus, aut correspondalibus notulas transmittentes, & ipsis quocunque modo insinuantes, etiam per interpositas personas, se pro impetranda justitia, vel gratia, aut post earundem impetrationem, munera dedisse, aut ea necessaria esse, sive animo revera munus dandi, sive simulandi id egerint: etiam sub prætextu redimendæ injustæ, & evidentis vexationis, aut quod salarium, seu honorarium ipsis datum, seu promissum, aut consuetum labori, ac diligentiæ in negotio adhibitæ minus respondeat: aut aliis quibuscunque prætextibus, in relata Alex. Constit. jam damnatis, aut forsitan in futurum pro excusatione allegandis: & etiam in adductis prohibitionibus comprehendi casus, in quibus dictum, scriptum, aut insinuatum fuerit ante, vel post impetrationem gratiæ, vel justitiæ, quod pro eisdem impetrandis a specialibus Sedis Apostolicæ extra Curiam delegatis, seu ab ordinariis ejus judicibus, aut a Nunciis, Legatis, vel Vicelegatis tradita fuerint munera, vel ea in Curia necessaria esse pro eorum comparando favore, vel pro litteris commendatitiis apud ipsos obtinendis. Et pari modo subesse dictis pœnis principales, & correspondales ubique locorum, qui solvent, transmittent, aut mandabunt, ut solvatur, aut pecunia transmittatur ad dictum effectum dandi munera, vel eam solvendi ministris gratiæ, vel justitiæ in Curia, aut delegatis extra Curiam: quæ pœnæ incurrentur, licet pecunia non fuerit transmissa, sed tantum notulis, epistolis, aut alias quomodolibet a principalibus in partibus petita, vel ab eisdem principalibus respective oblata.*

Nota I. attento harum Constitutionum tenore, hodie corrigendam esse plurimorum Auctorum doctrinam, qui olim Bullas Bonif. & Greg. sunt commentati, ut Navarrus, Diana, Bonacina; cum aliter, atque sensu diverso fuerint opinati.

Nota II. pro praxi (præsupposito, quod non sit casus de simonia, de qua habenda est ratio juxta propria ejus principia) præfatas Bullas, tum sint de gratia, & justitia, quæ apud Sedem Apostolicam obtinentur, non comprehendere Legatorum Curias, neque Nunciorum, aut aliorum ipsius ministrorum; dummodo ejusdem Sedis delegati extra Curiam non sint, ut dicitur in novissima Innocent. Const.

Nota III. ad pœnas incurrendas, satis esse, quamcunque accipere rem parvam, juxta textum Bonifatiana ibi — seu aliquod parvum, vel magnum promittant — *& quamvis æqua valde videatur eorum doctrina, qui materiam requirunt sufficientem, ut ab ea accipientis animus ad petitæ gratiæ, vel justitiæ concessionem moveatur: cum tamen ab Alex. Bulla id*

in præsenti prohibitione comprehendi declaretur, hoc est dare, aut promittere &c. etiam tunc, cum res ad petiti concessionem movere animum nequeat, libentius amplector sententiam, quæ ad pœnas incurrendas, affirmat, satis esse eam materiæ quantitatem, quæ in furti materia, gravem inferat culpam, Bonac. tom. 3. disp. 2. quæst. 3. punct. 31. o. 3. *licet etiam opinentur aliqui, eam ad furti rigorem non esse admittendam, sed dantis, & accipientis qualitate inspecta, latius arbitrium aliquod adhiberi posse. Vide Dianam* coord. tom. 5. tract. 7. res. 54. *qui nihilo tamen minus aliquas admittit illationes, juxta laudatæ Bullæ tenorem in præsens rejiciendas.*

Nota IV. donationem, aut meræ liberalitatis munus non prohiberi: verum in praxi id erit satis difficile, ut ab omni purgetur vitio: cum hujusmodi (præcipue in excessu) liberalitates non habeantur in usu, & si in usu sunt, non levem suspicionem præseferunt.

Nota V. non prohiberi aliquid dare, vel accipere post gratia, vel justitiæ impetrationem, cum in cit. Constitutionibus *id non exprimatur; ideoque ad casus haud expressos non sunt extendendæ: dummodo tamen pactum, aut antecedens non intervenerit promissio, cujus executio post impetrationem differatur.*

Nota VI. circa restitutionem rei acceptæ in dd. Constit. *præceptam, hanc faciendam esse pauperibus, nec accipientem absolvi posse, nisi ea integre in effectu secuta: sicuti & nec dantem, qui itidem in pauperes datum erogare debet, antequam absolvatur, quoties sibi ab accipiente id restitutum fuerit, aut obtinere potest, ut sibi restituatur: Bonac.* loco citato.

Nota VII. ignorantiam harum legum, aut pœnarum excusare a peccato, & a censuris juxta communem doctrinam, quæ in ignorantiæ materia, præsertim in censuris, traditur. Vide Lezana tom. 2. v. Dare num. 41. ☜

CAPUT XVI.

Simonia super datis, & promissis, pro gratia, vel justitia obtinenda, de pecuniis, seu bonis communitatum, vel universitatum Status temporalis Ecclesiæ Romanæ.

Vide *verb. Munera cap. 7.*

CAPUT XVII.

Simonia super pensionibus ecclesiasticis.

SImonia super pensione clericali est peccatum mortale, *Garz. par.* 1. *c.* 5. *n.* 53. ut de communi *Castropalao tom.* 3. *tract.* 17. *dis.* 3. *pun.* 13. *n.* 8. sed nullas habet pœnas a jure latæ sententiæ, nisi quando pactum super pensione est correspectivum cum dispositione de beneficio, idest quando pensio offertur, vel exigitur, ut medium, seu pretium pro beneficii ecclesiastici consecutione, vel collatione, institutione, resignatione, præsentatione &c. *Garz. ibi Ugolin. de simon. tab.* 1. *c.* 26. §. 3. *in fin. Navarr. cons.* 52. 59. & 60. *de simon. Burat. decis.* 469. *n.* 17. & *dixi sup. c.* 3. *lim.* 4. & *c.* 5. & *verb. Gratia c.* 7. vel quando datur aliquid, vel promittitur pro obtinenda pensione a Sede Apostolica, juxta ea, quæ dixi *supra c.* 15. si tamen ea fiant sine scientia, & consensu Papæ: imo omne pactum simoniacum ad consentiendum reservationi pensionis reddit gratiam subreptitiam, ut dixi verb. *Gratia c.* 8. & omne pactum simoniacum super pensione est nullum, ut dixi *sup. c.* 1.

Ex his infertur solutio sequentium quæstionum.

Prima est, quando agitur de beneficii resignatione, & resignans ad favorem, petit sibi reservari certam pensionem: sed quia illud beneficium de stylo Curiæ non est capax tantæ pensionis, resignatarius rogat amicum, ut præstet consensum, quatenus a Papa pars illius pensionis super ipsius beneficio constituatur: quæritur an hoc sit licitum.

Respondeo, quod si amicus iste consensum præstet omnino gratis, & liberaliter, sine dubio licitum est, & frequenter admittitur a Sede Apostolica, *Navarr. cons.* 60. *de simon. n.* 5. *Paris. de resign. lib.* 6. *quæst.* 2. *n.* 20.

Si autem amicus ab initio gratis consentiat, sed post consensum præstitum resignatarius ex gratitudine cautionem illi præstaret indemnitatis, ut quod ipse solvet, etiam eam pensionis partem, vel illi restituet, quidquid eo nomine solvet, hoc etiam licitum est pro utroque foro, ut *Navarr. loco cit. Rota decis.* 301. *n.* 5. & 6. *in collec. Farin. de contr. & crim.* & in simili *Paris. de resign. lib.* 14. *quæst.* 7. *n.* 53. & est verum, etiamsi præcessissent verba generalia pollicitationis grati animi: nam secuto post consensum pacto, seu cautione de indemnitate, nulla inde potest desumi præsumptio, vel conjectura vitii simoniæ, etiam pro foro externo, ut *Seraph. decis.* 129. *n.* 9. & 10.

Si vero resignatarius ante præstitum consensum ab amico, illi promitteret, eum servare indemnem, ut supra; aliqui dicunt, hoc licitum, & carere vitio simoniæ: ita ab Officialibus Sacræ Pœnitentiariæ fuisse responsum ait *P. a Costa in addit. ad Navarr. cons.* 60. *de Simon.* quia cum hoc pactum communiter fiat, & non lateat Pontificem, utique admittendo hujusmodi consensus, consentire Pontifex censetur.

☞ *Non ita certe respondissent hodierni Officiales.* ☜

Adde, quod cum hæc conventio de indemnitate fiat inter resignatarium, & illum tertium, qui consensum præstat pensionis constitutioni, & non præcise, & formaliter tanquam mediator, ut resignatio fiat, sed indifferenter, non videtur inficere resignationem; & quia pactum indemnitatis videtur causa remota: unde non videtur afficere resignationem; ut in simili *Sylvest. verb. Simon. quæst.* 8. *dif.* 5. *vers. Adde tertia, Guil. Andrian. Angel. Armilla, & Vasch. apud Sanch. in opusc. lib.* 2. *c.* 3. *dub.* 26. *n.* 3. 6. & 7. item, quia quando tertio cooperanti nobis ad beneficium obtinendum, damus aliquid ratione damni emergentis, quod patitur occasione talis cooperationis, non censetur simonia: ut in simili *Sylvest. ver. Simonia q.* 8. *vers. Secundo, Azor. tom.* 3. *lib.* 12. *c.* 4. *quæst.* 2. *vers. Quæres. Ugol. tab.* 1. *c.* 36. §. 3. *num.* 4. *de simon. Suarez tom.* 1. *de Relig. tract. de simon. c.* 53. *num.* 17.

Tamen contrariam sententiam, quod hoc pactum antecedens consensum, sit illicitum, & reddat resignationem ipsam & reservationem pensionis simoniacam, & nullam, & inducat pœnas simoniæ, tenet *Navarr. dict. cons.* 60. *de simon. Garz. p.* 1. *c.* 5. *n.* 61. *cum Paris. & Vega*: quia hoc nihil aliud videtur, quam emere, & vendere pensionem, tanquam medium ad beneficium obtinendum: & quamvis tale pactum aliquando in Dataria fuerit admissum, tamen propter *citatum cons. Navarri* nunc non admittitur, sed rejici tanquam simoniacum mandavit S. D. N. Urbanus VIII. volens consensum præfatum omnino simpliciter, & gratuito præstari; unde hodie hæc secunda sententia est certa: immo ipse a Costa in manuscriptis excipit suam doctrinam, si juramentum esset præstitum, quod nullum fuisset vitium simoniæ, quod solet præstari: possent tamen evitari pœnæ, & nullitas rescindendo pactum hujusmodi, re integra, ut *Navarr. ibidem n.* 4. idest antequam ratione dicti pacti indemnitatis quidquam fuerit solutum.

Secunda quæstio est circa pactum de pensione extinguenda certo pretio, sine licentia Papæ initum, an inducat pœnas simoniæ? & respondeo, si pactum sit, ut medium ad consecutionem beneficii, scilicet antecedens resignationem, tunc habent locum omnes pœnæ simoniæ super beneficiis: si vero fiat pactum sine licentia Papæ ex intervallo post resignationem admissam; primo quidem pactum est nullum, quoad hoc, ut nihilominus etiam pensionarius teneatur officium recitare, sub obligatione restituendi de proprio, *Bonac. tract. de simon. quæst.* 4. §. 13. *n.* 13. *cum Suar. & aliis, Rota part.* 1. *divers. decis.* 454. *n.* 7. *Buratt. decis.* 469. *n.* 17. Adde, quod pensionarius tenebitur restituere pretium extinctionis, seu compensare pro rata cum pensionibus, & deinceps poterit ulteriores pensiones, extinctione irrita existente, ita *Beya, Vival. Henriq. Navarr. apud Sanch. opusc. lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 46. *n.* 4. alii tamen dicunt, extinctionem pro foro conscientiæ validam remanere, si fuerit pretium solutum, salva obligatione officii recitandi, ut supra, ita *Sanch. ibi, & Garzias par.* 1. *c.* 5. *n.* 24. verum prior sententia est communis, & praxi recepta, *Garzias n.* 20. & paciscentes possunt puniri, tanquam simoniaci pœna arbitraria, *Ugolin. de simon. c.* 28. §. 3. *n.* 8. *Buratt. d. decis.* 469. *n.* 17. illud est certum, hoc casu non incurri excommunicationem, *Garzias n.* 20. *Buratt. ibi*: item verum est, licere fructus pensionis ad vitam vendere certo pretio, manente jure directo, seu titulo pensionis, cum obligatione officii recitandi, sub obligatione restituendi, ut supra, ita *Garzias n.* 29. *Less. c.* 35. *n.* 122. *Bonacina loco cit. n.* 13. *Layman de simon. n.* 47. sed ista constitutio procuratoris ad exigendos fructus pensionis, vita pensionarii durante, etiam in solutionem debiti facta, non impedit,

dit, quo minus possit pensionarius libere pensionem extinguere, *Rota recent. par.* 1. *decis.* 129.

Item nota, quod hæc extinctio, seu cassatio pensionis solum requirit consensum partium, & auctoritatem Papæ, & solam signaturam, sine expeditione litterarum: *Rota par.* 2. *rec. dec.* 327.

Tertia quæstio est de liberali, & gratuita reductione pensionis ad minorem quantitatem, cum clausulis extinctivis ulterioris summæ, seu cum pacto de non petendo ultra quantitatem reductam, an subsistat sine beneplacito Apostolico? respondetur, subsistere, nam & sine beneplacito Apostolico in totum cassari pensio, & remitti potest gratis, *Rota par.* 1. *divers. decis.* 454. *n.* 7. *Buratt. decis.* 469. *n.* 1. *& decis.* 528. *n.* 2. *&* 3. sed si inter gravatum, & pensionarium ulterius in continenti conventum esset, ut retardata solutione residui dictæ pensionis, scilicet partis non extinctæ, ultra terminum in litteris præstitutum, ver. gratia ultra semestre, vel ultra annum, aut biennium, reductio, seu diminutio prædicta eo ipso sit nulla, & nullius valoris; hujusmodi conventio, & ipsa reductio pensionis absque beneplacito Apostolico facta in totum corrueret, & ratione individuitatis, seu correspectivitatis pactorum utile per inutile vitiaretur; quia pensio pro ea parte semel extincta per reductionem, seu pactum de non petendo, non potest ob moram, seu conditionem reductionis resolutivam privatorum voluntate reviviscere, nisi Apostolicus accedat assensus; & consequenter ipsa quoque reductio, seu pactum de non petendo antecedens vitiatur; quia reductio non censetur facta, nisi sub tali conditione, quæ, ut supponitur, valide apponi non potuit: ita *Rota dict. decis. Buratti* 469. *n.* 2. *& seq.* si autem ex intervallo prædicta conditio, seu pactum de petenda integra pensione esset adjectum, ipsa adjectio, seu pactum hoc posterius vitiaretur, non autem vitiaret præcedens pactum de non petendo, idest reductionem, ut *Rota ibi*.

☞ *In constit. Bened. XIV.* In sublimi 29. *Augusti* 1741. *pacta cassationis pensionis contemporanea resignationi damnantur, et annullantur tanquam simoniaca, per hæc verba* §. 3. — statuimus, & declaramus, omnia hujusmodi pacta, & conventionem pro cassatione, seu abolitione pensionum per anticipatas, seu anticipandas solutiones contemporanee ad resignationes beneficiorum cum reservatione pensionis, per quascunque personas, quavis dignitate, honore, ac præeminentia insignitas inita, tamquam a Sac. Canonibus, & Apostol. Constitutionibus improbata, & simoniacam labem redolentia, nulla, cassa, ac irrita; & omnes cassationes, abolitiones, & extinctiones pensionum hujusmodi, quas in posterum intra sex menses, a die captæ possessionis beneficii per resignatarium, computandos, fieri contigerit, etiamsi nullum præcedens pactum intervenisse inter partes probari possit, & cassatio prædicta secuta sit vigore supplicationis manu nostra, vel Romani Pontificis pro tempore signatæ, quam nullatenus, tamquam per subreptionem, & fraudes obtentam, neque in judicio, neque extra ad ullum effectum eis suffragari volumus, irritas, nullas, & inanes esse, ac omnibus viribus, ac effectu vacuas, & quatenus opus sit, motu &c.... damnamus, revocamus, annullamus, cassamus & abolemus: & insuper tam resignantem, quam resignatarium ab omni jure beneficii decidisse, eosque ipso facto, absque ulla declaratione, vel judicis sententia, privatos, et ad alia obtinenda inhabiles esse, ac fore; et a quocunque beneficium hujusmodi, tanquam de jure, et de facto vacans, impetrari posse: et præterea resignantem ad restituendas pecunias pro cassatione pensionis hujusmodi indebite, et simoniace perceptas, quæ arbitrio Ordinarii erunt piis locis applicandæ, vel pauperibus personis distribuendæ, sub peccato gravi teneri, et ecclesiasticis remediis, ac pœnis, si renuat, ipso jure absque alia sententia, et declaratione cogi posse, motu... decernimus, et declaramus.

§. 4. Et quoniam etc.... ut omnis aditus fraudibus, et dolis.... quoad fieri potest, intercludatur, volumus, præcipimus, et declaramus, sub hac nostra voluntate, constitutione, et dispositione comprehendi omnes et singulas cessiones, seu translationes in ipsum resignatarium, aut in aliam personam, commodi, seu utilitatis percipiendi fructus pensionum hujusmodi; necnon alias quascunque cessiones, translationes, resignationes, extinctiones, abolitiones, quovis modo, titulo, nomine, colore, et auctoritate per anticipatas solutiones, seu repræsentata pecunia, factas intra dictum tempus sex mensium, et etiam ultra id temporis spatium, dummodo reprobum illud, et detestabile pactum præcessisse constiterit. — ☜

CAPUT XVIII.

Simonia super jurisdictione spirituali.

I. IN *c.* 2. *ne Prælati vices suas &c.* Episcopus, seu Prælatus, vendens, seu pretio accepto, concedens alicui exercitium suæ episcopalis jurisdictionis, conferendi hoc officium potestatem amittat, et emptor talis officii eodem privetur, et idem statuitur, seu confirmatur *c.* 2. *&* 3. *eod. tit. & c. Ad nostram de simonia* prohibetur Prælatis, ne pro vicariatu pecuniam exigant: *& c. Consulere de simon.* si quis per pecuniam ecclesiasticarum rerum administrationem obtinere voluerit, simoniam committit; et tam dans, quam recipiens ab illa Ecclesia juste excluduntur.

Amplia, ut etiam simonia sit, ut supra, prohibita, si Episcopus Vicarium deputet cum pacto, ut pars emolumentorum vicariæ ipsi Episcopo reservetur, vel ut Vicarius minori solito stipendio contentus sit, ita *Azor. tom.* 3. *lib.* 12. *c.* 14. *q.* 1. §. *Sed cur. Barbosa in d. c.* 1. *ne Prælati*: secus tamen est in parocho, qui petenti concedit licentiam ministrandi aliquod Sacramentum in parochia sua; quia potest reservare sibi emolumentum illius actus, *Suar. de simonia c.* 24. *n.* 42. *Ugolin. de simon. tab.* 1. *c.* 36. *n.* 4.

Amplia secundo, quod iste contractus venditionis spiritualis jurisdictionis, est ipso jure nullus, ut probatur *d. c. Consulere*, & notat *Navarr. cap.* 23. *n.* 111. §. *Ad decimum tertium:* et tenetur emptor sub peccato mortali illud officium emptum dimittere, *Navarr. ibi*.

Limita, quod illa pœna, qua punitur Episcopus, seu Prælatus, vendens jurisdictionem, seu vicariam, scilicet, ut amittat potestatem de cetero tale officium conferendi, non est latæ sententiæ, sed ferendæ; quia verbum amittat, est futuri temporis: et hæc est magis communis sententia, ut testatur *Tiraquel. in l. Si unquam, verb. Revertatur n.* 154. quidquid dicat *Barbos. in d. cap. Ne Prælati vic. suas*.

Limita, quod ex prædicta simonia nulla incurritur excommunicatio, neque privatio officiorum ipso facto: *Navarr. loco cit.*

CAPUT I.

Societatis Jesu Institutum impugnantes, vel mutari procurantes.

EX Bulla Gregorii XIII. 89. *Ascendente Domino*, §. 24. impugnantes Institutum, seu constitutiones Societatis Jesu, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, et inhabilitatem ad officia, et beneficia secularia, et regularia.

Ex Bulla Gregorii XIV. *Ecclesiæ Catholicæ* §. 20. regulares personæ, etiam ejusdem Societatis, Institutum prædictum, aut constitutiones impugnantes, aut mutari, aut alterari procurantes, aut alteri, quam Summo Pontifici, aut generali Præposito, vel congregationi ejusdem Societatis proponentes mutanda, scienter, seu ex præsumptione, incurrunt excommunicationem, inhabilitatem ad omnia officia, et dignitates, et privationem vocis activæ, et sunt Papæ reservatæ.

De his vide *Roder. quæst. regul.* 1. *art.* 5. *tom.* 1. *Filiuc. tract.* 3. *n.* 146. *Cherubin. in compen. super Bulla Gregorii XIV. supradicta, Mirand. tom.* 1. *quæst.* 10. *art.* 3. *Bonac. de censur. particul. disp.* 2. *quæst.* 3. *pun.* 35. *Coninch. tom. de virt. disp.* 29. *n.* 223.

☞ CAPUT II.

Societatis Jesu tam professi, & coadjutores formati, quam qui post absolutum probationis biennium tria substantialia vota, etiam simplicia, emiserunt, absque expressa licentia ab eadem Societate discedentes.

EX *Constit. Greg. XIII.* Ascendente Domino 8. *Kal. Jun.* 1584. *eo ipso incurrunt apostasiæ, & excommunicationis pœnas, a quibus absolvi nequeunt, nisi a Papa, vel a dicta Societatis generali Præposito, etiamsi exirent* — prætextu melioris frugis, et transitus ad alium quemcunque Ordinem (Carthusiano dumtaxat excepto) — *ut* §. 14. *cit. Constit. & ut disponitur* §. 22. *ante hujusmodi absolutionem, & a Societate dimissionem, matrimonium contrahere nequeunt: quinimo ad il-*

lud

lud contrahendum inhabiles redduntur: quod si contraxerint nullum, & irritum declaratur.

Nota hic obiter quoad ejectos a Societate, ex Constit. Bened. XIII. Iniuncti 14. *Jun.* 1728. *Societatem Jesu non teneri, nec obligatam esse ad ullam subministrationem, sive congruæ sustentationis, sive alimentorum, sive alio quocunque titulo, & causa illis faciendam, qui post biennium probationis, & emissionis votorum simplicium, extra dictam Societatem a suis superioribus ejiciuntur, tametsi, dum in ea permanebant, ad sacros, etiam Presbyteratus, Ordines sine beneficio ecclesiastico, ac patrimonio, & ad titulum religiosæ paupertatis promoti fuerint.* ☜

☞ CAPUT III.

Societates illicitæ.

Vide Conventicula. ☜

CAPUT I.

Sodomia.

SOdomiæ crimen committens, ipso facto afficitur juris infamia, ante sententiam condemnatoriam, aut aliam notorietatem, ut *l. Prima*, §. *Removet*, *ff. de postb. ibi glos.* notat, *verbo Passus*, & *leg. Cum vir nubit*, *Cod. ad legem Jul. de adulter. ibi glos.* notat, *verbo infames*: est communis sententia, ut apud *Farinacc. quæst.* 148. *n.* 11. *Barbos. allegat.* 44. *n.* 8. unde infamis de jure civili, est etiam infamis de jure canonico, *Garzias par.* 7. *c.* 8. *n.* 11. sed aliqui dicunt, non ligare hanc pœnam pro foro conscientiæ, imo neque pro foro externo ante sententiam declaratoriam, ut de communi testatur *Jason in l. Si quis major*, *C. de transact.* alii dicunt, sufficere delicti publicitatem: ita *Sanchez opusculorum lib.* 6. *c.* 3. *dub.* 6. *n.* 12. sed magis communis ait, requiri, & sufficere notorietatem juris, aut facti: ita de communi *Toletus lib.* 1. *c.* 74. *in fine*, & dixi *par.* 1. *c.* 33. Et quidem, posita hujusmodi notorietate, ex alio etiam capite fit infamis; quia est crimen enormissimum, depositione dignum, imo & degradatione, & traditione Curiæ seculari, ut *c. Clerici de excess. Prælat.* unde notorium existens, notatur juris infamia, secundum magis communem, ut communem restatur *Toletus lib.* 1. *c.* 74. *Sayr. lib.* 7. *cap.* 12. *n.* 12. & 24. ubi in terminis de sodomia, & plurimos allegat *Garzias par.* 11. *c.* 3. *n.* 110.

Amplia, quod etiam impubes, rationis usum adeptus, incurrit hanc pœnam, licet pœnam ordinariam minor ætas etiam minui faciat, tanquam causa minuens culpam: ita *Abb. in consil.* 22. *n.* 2. *vers. Non obstat minoritas*, *lib.* 1. *Molina disp.* 9. *n.* 20. *tract.* 4.

Consequenter ergo sodomiæ causa infamis effectus, est irregularis, ut *Quaranta*, *verbo Sodomia*, *in explicatione Bullæ Pii V. limit.* 1. *Tolet. loco cit. Majol. lib.* 5. *c.* 43. *n.* 1. sed requiritur, ut dixi, publicitas, vel notorietas: ita *Ugolin. de irregular. c.* 43. §. 2. *vers. Quare contrariam*, *Tolet. loc. cit. Quaranta loc. cit. in addit. limit.* 1. & *Garzias par.* 11. *c.* 10. *n.* 194. *Diana resolut.* 21. *tract.* 3. *miscell. tom.* 1.

Addunt multi, sodomitam clericum, etiam occultum, esse ipso jure suspensum, ut etiam pœnitentia peracta, si celebret, fiat irregularis: & hanc tenet, & communem dicit *Farinac. quæst.* 148. *n.* 27. cum multis, & communem testatur *Garzias par.* 11. *c.* 10. *n.* 194. sed contraria opinio est magis communis, ut constat ex allegatis per *Garziam ibi n.* 195. quibus adde *Suarez disp.* 31. *sect.* 4. *n.* 20. *tract. de irregul. Sayr. lib.* 7. *c.* 12. *n.* 22. *Diana resol.* 69. *miscell.* 3. cum ibi allegatis.

Ex Bulla autem Pii V. 72. *Horrendum*, omnes sacerdotes, & alii clerici seculares, vel regulares cujuscunque gradus, & dignitatis, tam dirum nefas exercentes, ipso facto sunt privati omni privilegio clericali, omnique officio, & dignitate, & beneficio ecclesiastico, & per judicem ecclesiasticum degradati, tradendi sunt Curiæ seculari puniendi.

Limita primo, quod loquitur de exercentibus; unde requiritur consuetudo, seu frequentia, *Barbosa in d. cap. Clerici, de excess. Prælat. Garzias par.* 11. *c.* 10. *n.* 198. est tamen verum, quod etiam per unum actum possunt, & debent degradari, & tradi Curiæ seculari puniendi, per *dict. c. Clerici*, & ita *Farinac. quæst.* 148. *n.* 30.

☞ *Hoc etiam verum est ex prima Constitutione ejusdem Pontificis* Cum primum 1. *Apr.* 1566. *cum enim* §. 11. *sic disponatur* — Si quis crimen nefandum .... perpetraverit, Curiæ seculari puniendus tradatur: & si clericus fuerit, omnibus ordinibus degradatus, simili pœna subjiciatur — *clare patet, ad hanc pœnam incurrendam corporalem, nempe per Curiam secularem infligendam, non requiri frequentiam actuum, cum sufficiat, sodomiam perpetrasse.* ☜

Limita secundo, quod pœna privationis privilegii clericalis ex dicta Bulla illata, non ligat ante sententiam declaratoriam judicis ecclesiastici, ut in simili dixi *verbo Assassinium*: & ita in terminis *Diana resol.* 51. *tract.* 2. *de immun. tom.* 1. ubi plures allegat: neque enim est ista pœna privationis censura aliqua, seu suspensio, ut quidam putant, neque irregularitas, sed pura pœna privativa, seu depositio verbalis latæ sententiæ, ut *Filiuc. tr.* 17. *n.* 126. *Suar. de cens. dis.* 31. *sect.* 4. *n.* 22. *Quaranta dicta lim. prima*, *Avila par.* 3. *disp.* 5. *dub.* 3. *Diana resol.* 21. & 67. *tract.* 3. *miscell. tom.* 1.

Sodomiæ reus efficitur ipso jure intestabilis, ut testamentum ejus nullum sit: ita de communi *Farinac. quæst.* 148. *n.* 16. & 17. requiritur tamen sententia, saltem declaratoria criminis, ut *Farinac. ibi.*

☞ CAPUT I.

Solicitantes ad turpia in confessionibus sacramentalibus confessarii, & sacerdotes.

INcurrunt pœnas inflictas a Gregorio XV. Const. Universi Dominici 30. *Aug.* 1622. *confirmatoria*, & *ampliatoria Constit. Pii IV.* Cum sicut 16. *Apr.* 1561. *editæ contra eosdem solicitantes mulieres in actu confessionis in Regnis Hispaniarum*, *quas pœnas Gregorius extendit ad casus solicitationis cujuscunque personæ*, & *pro toto Terrarum Orbe*, *cujus Constitutionis tenor refertur*, *confirmatur*, & *ampliatur a Bened. XIV. Constit.* Sacramentum pœnitentiæ 1. *Jun.* 1741. *ut sequitur* — §. 1. Dudum quidem a fel. record. Gregorio Papa XV. Prædecessore Nostro, per suas Litteras in forma Brevium sub datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die 30. Augusti 1622. Pontificatus sui anno secundo, sapienter provisum fuit contra quoscunque sacerdotes, audiendis confessionibus deputatos, ad turpia, & inhonesta solicitantes; & deinceps successivis temporibus, ad earum Litterarum interpretationem, ac declarationem, plura subinde a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium adversus hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum sub die 11. mensis Februarii Anni Domini 1661. prodierunt decreta, & a rec. mem. Alexandro PP. VII. pariter Prædecessore Nostro, in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Universalis Inquisitionis die 24. Septemb. 1665. coram eo habita, inter alias ab euangelica veritate, & Sanctorum Patrum doctrina alienas, & dissonas propositiones, sexta videlicet, & septima, huc revocandæ, damnatæ, & prohibitæ fuerunt; Nos itaque mature perpendentes, quanti momenti sit ad æternam animarum salutem ea ubique exacte observari, & quanti ad infirmas oves curandas, & decorem Sanctæ Ecclesiæ Dei retinendum intersit, ne aliqui sacerdotes pœnitentiæ Sacramento nefarie abutentes, pœnitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant, sed animo secum recolentes, se a Christo Domino præsides, & judices animarum constitutos, ea sanctitate, quæ sublimitati, dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacramentum administrent: motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostra, præfatas Litteras hujusmodi, ac omnia, & singula decreta prædicta, ad illarum interpretationem, & declarationem emanata, Apostolica auctoritate tenore præsentium probamus, & confirmamus, illisque omnibus, & singulis inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; atque etiam, quatenus opus sit, denuo committimus, & mandamus omnibus hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, & locorum Ordinariis omnium Regnorum, Provinciarum, Civitatum, Dominiorum, & locorum universi Orbis christiani, in suis respective diœcesibus, ut diligenter, omnique humano respectu postposito, inquirant, & procedant contra omnes, & singulos sacerdotes, tam seculares, quam regulares, quomodolibet exemptos, ac Sedi Apostolicæ immediate subjectos, quorumcunque Ordinum, institutorum, societatum, & congregationum, et cujuscunque dignitatis, et

et præeminentiæ, aut quovis privilegio, et indulto munitos, qui aliquem pœnitentem, quæcunque persona illa sit, vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante, vel immediate post confessionem, vel occasione, aut prætextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco, ad confessiones audiendas destinam, aut electo, cum simulatinne audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta, & turpia solicitare, vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tune, aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, vel tractatus temerarin ausu habuerint; & quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus eulpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate, & circumstantiis severe animadvertant per condignas pœnas, juxta memoratam Gregorii Prædecessoris Nostri Constitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus: dantes etiam, si opus sit, & rursus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme, & Ecclesiæ Dei injuriosum remaneat, ob probationum defectum, impunitum, jam alias in præfata Constitutione tributam, procedendi cum testibus, etiam singularibus, dummodo præsumptiones, indicia, & alia adminicula concurrant.

§. 2. Meminerint præterea omnes, & singuli sacerdotes, ad confessiones audiendas constituti, teneri se, ac obligari suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, solicitatos, sedulo monere juxta occurrentium casuum circumstantias, de obligatione denunciandi Inquisitoribus, sive locorum Ordinariis prædictis, personam, quæ solicitationem commiserit, etiamsi sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut solicitatio inter confessarium, & pœnitentem mutua fuerit, sive solicitationi pœnitens consenserit, sive consensum minime præstiterit, vel longum tempus post ipsam solicitationem jam effluxerit, aut solicitatio a confessario, non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter confessarii, ne pœnitentibus, quos noverint jam ab alio solicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denunciationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti judici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos, spondeant, ac promittant.

§. 3. Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odin, vel ira, vel alia indigna causa commoti, vel aliorum impiis suasionibus, aut promissis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei judicio posthabito, & Ecclesiæ auctnritate contempta, innnxios sacerdotes apud ecclesiasticos judices falso solicitationis insimulant: ut igitur tam nefaria audacia, & tam detestabile facinus metu magnitudinis pœnæ coerceatur, quæcunque persona, quæ execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per se ipsam innocentes confessarios impie calumniando, vel scelesie procurando, ut id ab aliis fiat, a quocunque sacerdote, quovis privilegio, auctoritate, & dignitate munito, præterquam a Nostris, Nostrisque Successoribus, nisi in fine vitæ, & excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendæ, quam Nnbis, & Successoribus prædictis rasfervamus, perpetuo careat.

Ut facilius in hac Constitutione sancita intelligantur, dignoscanturque casus, in quibus confessarii rei sint solicitationis, ac pœnitentes ad eorum denunciationem obstringantur, transcribere hic juvat Notas, *quas clarissimus vir Philippus de Carboneano, nunc meritissimus Provincialis in Romana Provincia Ordinis Minorum regularis observantia, adjecit post hanc Constitutionem in suis accessionibus* ad Theologiam moralem universam Pauli Gabrielis Antoine Societ. Jesu *editionis Romana* 1757. *part. II. pag.* 241. *& seqq.*

NOTÆ.

1. In hac Constit. n. 1. approbantur, et confirmantur, cum aliorum Romanorum Pontificum Litteræ, tum etiam et singula decreta ad illarum interpretationem, et declarationem emanata.

2. Confessarios vero, pœnitentes ad inhonesta solicitantes, Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, tamquam hæreseos suspectos, denunciandos esse, statnere Paulus IV. 16. Apr. 1561. Pius IV. 6. Apr. 1564. Clem. VIII. 3. Decem. 1592. et Paulus V. 1608. Horum vero Ponrificum Constit. quæ pro Regnis dumtaxat Hispaniæ, Portugalliæ, et Algarbiorum editæ fuerunt, Gregorius XV. ea, quæ incipit *Universi Dominici Gregis*, ad fideles omnes extendit, atque ampliavit; quippe constituit, denunciare quoque oportere sacerdotes, qui sive in confessionali, sive in loco ad confessiones audiendas destinato, confessionem simulantes, ad inhonesta solicitaverint; sive inhonestos sermones habuerint, vel turpia tractaverint, præcepitque, ut confessarii, pœnitentes de denunciandi obligatione monerent.

3. Decreta supremæ Inquisitionis, quæ Benedictina Constitutione confirmantur, et quæ regulas certas exhibent pro solvendis in hujusmodi materia casibus, referuntur a Laurentio Cozza in dubiis selectis circa solicitationem: is itaque pag. 19. ait, Paulum V. sub die 29. Novemb. 1612. declarasse, quod etiam ex vi Constitutionis Pii IV. comprehenderentur solicitantes masculos: & ita rescripsisse Cardinalem Mellinum an. 1613. sub die 28. Peb. ad Petrum Castilln, Inquisitorem Generalem Lusitaniæ. Pag. 40. in Cong. Generali supremæ Inquisitionis, die 11. Feb. 1661. declaratam fuisse improbabilem opinionem, quæ asserit, denunciandum non esse confessarium, qui chartam ad venerem provocantem mulieri, domi legendam tradiderit. Pag. 62. in eadem Congregatione improbatam fuisse opinionem, quæ ab onere denunciandi pœnitentem eximit, si eum confessario convenerit in simulatione confessionis, ut liberius de rebus inhonestis tractarent. Pag. 65. ex decretn ejusdem Cong. 25. Jul. 1624. mulierem, quæ solicitanti sacerdoti consenserit, non teneri in denunciatione ad consensum suum aperiendum; teneri tamen ad denunciandum, etiamsi ipsa prius solicitaverit, & ad consensum ipsa traxerit confessarium. Pag. 32. die 21. Feb. 1661. improbatam fuisse npinionem illorum, qui contendebant, non esse denunciandos sacerdntes, qui propter alterius solicitationem abjuraverint. Pag. 174. decisum fuisse 17. Nov. 1624. confessarios solicitantes non esse cogendos ad denunciandos seipsos: iis addimus sequens Pauli V. decretum 10. Jul. 1614. in generali Cong. S. R. Inq. habita in Palatio Apostnlico coram SS. D. N. D. Paulo divina providentia Papa V. &c. facta relatione, quod multi confessatii tractant cum mulieribus in confessionali, extra occasionem confessionis, de rebus inhonestis; SS. decrevit, ut contra hujusmodi confessarios procedatur in Sancto Officio: & aliud coram Alex. VII. 8. Jul. 1660. qun decernitur, teneri pœnitentem ad denunciandum, etiamsi nulla fraterna correctin, vel alia monitio præmissa fuerit: atque etiam illud, quo 26. Jul. 1628. definitum fuit, mulierem solicitatam teneri ad denunciandum, etiamsi sponte sciret, solicitantem comparuisse: rursus die 22. Jan. 1727. Sacr. Cong. S. Offic. respondens dubiis propositis a P. Carolo Josepho Spediæ præfecto missinnum in America, decrevit, mulieres solicitatas non teneri ad denunciationem, si ministri Inquisitionis, & Vicarii Episcopi in longinquis regionibus degentes, sine gravi incommodo adiri nequeant. Die 11. Maii 1707. eadem Sac. Cong. ait, puella solicitata, in simplicitate constituta, & absque notitia inhonestatis, tenetur denunciare confessarium solicitantem, postquam compos effecta fuerit, & notitiam præteritæ solicitationis acquisierit.

Denique fer. 5. die 5. Aug. 1745. — in generali Congr. Sanct. Romanæ, & universalis Inquisitionis, habita in Palatin Apostolico Quirinali coram SS. D. N. Bened. Divina providentia Papa XIV. & Eminentis. ac Reverendis. DD. S. R. E. Cardinalibus adversus hæreticam pravitatem Inquisiroribus generalibus, a S. Sede Apostolica specialiter deputatis. — Sanctissimus D. N. solicite animadvertens, quam grave sit delictum illnrum perditorum hominum, qui sacrosanctæ Missæ sacrificio, ac salutaris pœnitentiæ Sacramento ad animarum reparationem a Christo Domino institutis, in illatum perniciem, & damnationem abutuntur, decrevit, quod in posterum sacerdotes tam seculares, quam regulares cujuscunque Ordinis, instituti, Congregationis, & Societatis, etiam de necessitate exprimendæ, vel in actu sacramentalis confessionis, sive illius occasione, aut prætextu, ad turpia solicitantes, vel sacrificio Missæ abutentes ad sortilegia, præter pœnas a jure, & Apostolicis Constitutionibus, ac signanter sant. mem. Sixti V. & Gregorii XV. contra eosdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitatem incurrant ad præfati sacrificii celebrationem; quodque ejusmodi decretum significetur singulis cujuscunque Ordinis superioribus, ac præpositis, ad hoc, ut de illn, sicuti & de prædictis, aliisque Summorom Pontificum Constitutionibus, juxta præscriptum in generali decretn supremæ Inquisitionis die 15. Decemb. 1633. semel saltem in anno, idest feria sexta post octavam Assumptionis B. M. Virginis in publica mensa, vel in capitulo, ad hoc specialiter convocatos; ac insuper in quocunque generali, vel provinciali capituln, vel alio quovis nomine nuncupato capitulari congressu, suos subditos,

ac religiosos commonendos curent, ejusdemque commonitionis coram suprema Congregatione juratum testimonium exhibeant, --

4. Constitutiones hæ contra solicitantes in confessione editæ in singulas nationes universim vires suas extendunt, ac latinos, æque ac græcos sua amplitudine comprehendunt, Constit. *Etsi Pastoralis*.

5. Hæ sunt propositiones ab Alex. VII. 24. Septemb. 1665. damnatæ. *I. Confessarius, qui in sacramentali confessione tribuit pœnitenti chartam, postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur solicitasse in confessione, ac proinde non est denunciandus. II. Modus evadendæ obligationis denunciandæ solicitationis est, si solicitatus confiteatur cum solicitante, hic potest ipsum absolvere, absque onere denunciandi.*

6. Atque hæc sunt, ex quibus certæ, tutæque regulæ sunt deducendæ, quibus indicatur, qui denunciandi sint, quas ob causas, quando, & qua ratione denunciare oporteat: esto itaque

Prima regula. *Denunciandi sunt omnes, & singuli sacerdotes, sive absolvendi jurisdictione, & auctoritate polleant, sive careant.*

Hujusmodi regula expresse legitur num. 1. & 2. Constitutionis: quamobrem dubitari amplius non potest, quin simplex sacerdos, is scilicet, qui ad valide absolvendum jurisdictione careat, denunciandus sit, si confessionem simulando, vel prætexto, aut occasione confessionis, modo infra explicando, solicitaverit, vel inhonesta, atque turpia tractaverit. Sed cum nihil, sive in hac, sive in aliorum Pontificum Constitutionibus, vel supremæ Inquisitionis decretis statuatur de denunciandis vel clericis, vel laicis, qui solicitandi causa confessionem simulaverint, vel confessionis prætextu solicitaverint, non videtur probanda, quæ Gipsio tribuitur opinio, qui ut refert Cozza pag. 153. clericos etiam, laicosque denunciandos esse contendebat, harumce legum virtute: nam si juxta reg. 15. juris, odia restringi, & favores convenit ampliari, atque juxta reg. 49. in pœnis benignior est interpretatio facienda, manifestum est, pœnis subjiciendos non esse, qui in lege non designantur, sed excludi videntur: in iis ergo Constitutionibus, cum soli sacerdotes nominentur, ac denunciationis pœnis subdantur, clerici, laicique præsumuntur exclusi. At si ii missam celebrarent, & sacramentalem confessionem audirent, ob alias Const. Inquisitorum judicio, ac pœnis gravissimis supponuntur, atque hanc ob rem denunciandi essent, ut debitas pœnas subirent.

Secunda. *Qui aliquem pœnitentem, quæcunque persona illa sit, sive pro se ipso, sive pro alia persona solicitaverit.*

Habes hic clare definitum. Primo denunciandum esse confessarium, sive solicitaverit fœminam, sive masculum, ut liquet, tum ex supra relato supremæ Inquisitionis decreto, tum etiam ex Constit. verbis; nam τὸ *aliquem pœnitentem, quæcunque persona sit*, innuit vel masculum, vel fœminam. Deinde denunciandum quoque esse, qui non pro se, sed pro alia persona pœnitentem incitaverit, seu ad turpia provocaverit, ut in Const. num. 2. expressum est.

Tertia. *In actu sacramentalis confessionis, vel ante, vel immediate post.*

Qui eo temporis spatio ad turpia provocat, quod inter confessionis initium, & absolutionem intercedit, is solicitare dicitur in actu confessionis. At quid sit solicitare, vel immediate ante, aut immediate post confessionem, non convenit inter Auctores, ut videre est apud Cozzam dub. 21. pag. 95. communior autem opinio, quæ meo judicio, vera est, atque fini legis omnino consentanea, asserit, vocabulum istud *immediate*, non pro physico, sed pro morali significato esse usurpandum, scilicet, non pro momento, quod nullo interjecto medio, vel præcedit, vel subsequitur confessionem; sed pro brevi illo temporis spatio, in quo si quidpiam fiat, attentis circumstantiis, secundum communem loquendi modum, ac prudentum judicium, sive immediate ante, vel immediate post confessionem factum dicatur. Quare, qui mulierem, petentem confessionem, sive ad confessionem paratam, & quam paulo post ad confessionem accessuram noverit, ad inhonesta incitaret, is immediate ante confessionem solicitare diceretur, licet breve temporis intervallum provocantem actionem, confessionemque intercederet. Atque eamdem ob causam, immediate post confessionem solicitare diceretur, qui vel illico post absolutionem, vel in Ecclesia, cum primum e confessionali egreditur, mulierem ad turpia provocaret, sive chartam ei traderet ad venerem incitantem, domi legendam. Imo communior opinio est, hac quoque lege comprehendi, qui pœnitentem deinceps sequatur, eamque vel in itinere, aut domi solicitet: is enim secundum prudentum judicium statim post confessionem solicitasse diceretur; quia cum primum potuit, præconceptum in confessione de solicitando desiderium executioni demandavit: sed indicati casus clarius comprehenduntur sub regula, quam subjicimus.

Quarta. *Vel occasione, aut prætextu confessionis.*

Occasio, & prætextus, dum hic exprimunt, quæ sunt invicem distincta, atque omnino diversa: nam confessionis occasione solicitare, est ex confessione provocandi motivum sumere: prætexto vero confessionis solicitat, qui confessionem prætexit, sive fingit, ac simulat, ut liberius vel inhonesta tractet, vel ad venerem incitet. Occasione confessionis tribus modis confessarius solicitare posse videtur. Primo: dum ex expressa, aut tacita confessionis petitione solicitandi motivum sumit: tum enim medicinam petenti, venenum, atque panem expectanti, scorpionem porrigit, juxta Const. allegorias; atque veneratione, demissione animi, confidentia, aliisque pœnitentis affectibus erga Sacramentum, ac Christi ministrum abutitur, quo facilius ad inhonesta incitet; adeoque denunciandus est: secundo ex confessione ipsa, hoc est, dum intelligendo, quæ cum aliis egit, vel facere optavit, aut ad venerem proclivitatem, occasionem nanciscitur, vel verbis, vel signis ad inhonesta provocandi. Tertio demum, cum notitia utitur, quam ex confessione habuit, ad incitandum, & facilius movendum ad assensum: ab hac enim notitia motum ad solicitandum, manifestum est, ex ipsa confessione incitandi occasionem desumere. Sed ut pœnitens hanc ob causam denunciare teneatur, habeat necesse est certa indicia, quibus prudenter judicare possit, ex hujusmodi scientia solicitandi motivum accepisse; nam si indicia hujusmodi desint, præsumi potest, aliis ex causis motum fuisse ad solicitandum: suppetunt vero pœnitenti hujusmodi indicia, si confessarius brevi post confessionem tempore, pœnitentem solicitet, veluti personam, quæ facile acquiescere soleat, vel natura sua ad hujusmodi actus propensa sit, & si aut generalibus verbis, aut nutibus in solicitando utatur, quibus indicare videatur, se scire, vel quid cum aliis egerit, vel quam alias ad hæc propensa fuerit, aut quidpiam iis simile, quod ex confessione noverit.

Quinta. *Vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali.*

Hac regula ii designantur, qui denunciandi sint ratione loci, in quo ad inhonesta aliquem provocent: scilicet ii, qui in loco destinato ad sacri pœnitentiæ ministerii exercitium, & ad absolvendos fideles a peccatis, etiam extra quamcunque confessionis occasionem, & simulationem, ad turpia solicitant, vel inhonesta tractant. Constat id primum ex decreto supremæ Inquisitionis sub Paulo V. quod una cum aliis a SS. D. N. Bened. XIV. approbatum, & confirmatum fuit; deinde ex eo, quod finis legis videatur hujusmodi pœnis sacerdotes subjicere; quia in loco, ex quo fideles solutionem a culpis, ac animæ salutem quærunt, novis culpis ligare, atque in perditionem, & mortem æternam ducere student.

Sexta. *Sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem.*

Tria locorum genera distinguuntur, in quibus confessiones audiri solent. *Primus*, inquit Felix Potest. tom. II. pag. 3. cap. 9. *est confessionale ordinarium, quod confici solet ex ligno, habens laminam ferream cum parvis foraminibus, quodque in Ecclesia collocatur*. Atque hujusmodi est, quod in superiori regula indicatur. *Secundus est locus quicunque ab illo distinctus, ubi confessiones audiuntur: tales sunt in domibus religiosis cellulæ quædam in primo claustro, aut in sacristia*, atque hujusmodi confessionis locum designari, ait verbis illis, *sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato*. At si in hujusmodi cellulis confessionale, ut supra dictum est, constructum adsit, quod *formam habeat tribunalis ordinarii sacramentalis judicii*, tunc ad locum prioris generis pertinebit; ac solicitans, sola loci circumstantia inspecta, denunciandus erit. Tertius locus est, quem confessarius ad confessionem audiendam pro suo arbitrio eligit: *ita potest esse in Ecclesia, in foro, in domo, in agro, ubique*: atque hunc solum designant illa verba, *ad confessiones audiendas electo*.

Qui in prioris generis loco solicitant, sunt juxta quintam regulam denunciandi; qui vero in locis secundi, &

ter-

tertii generis, quæ loca destinata, aut electa dicuntur ad confessionem, solicitaverint, tum tantum sunt denunciandi, cum vel confessiones audiunt, aut audire simulant. Hinc confessarius e confessionali provocans mulierem, vel ante sedentem, vel transeuntem, vel rem aliquam indifferentem secum tractantem, aut cum ea inhonestos ibi sermones habens, denunciandus esset; non vero, si extra occasionem confessionis, vel ejusdem simulationis in loco secundi, & tertii generis eadem, vel similia ageret.

Septima. *Ad inhonesta, & turpia, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, tunc, aut postea legendam, tentaverint.*

Quamquam omnia peccata inhonesta sunt, & turpia, quod in unoquoque finis honestus desideretur, ac turpitudo illa insit, quæ deformitate ad regulam morum continetur; tamen juxta communem loquendi modum, cum inhonesta, & turpia dicimus, venereos actus indicamus. Atque hoc sensu inhonesta, & turpia in pontificiis Constitutionibus usurpantur, ut cum Theologis omnes fatentur, tum etiam constat ex eo, quod hujusmodi peccata legibus, pœnisque illis statuendis motivum dederint: atque demum ex ipsa Inquisitionis praxi. Igitur harumce legum virtute denunciandi non sunt, ad furtum, vel alia facinora pœnitentes provocantes. At ob Sacramenti abusum, atque hæreseos suspicionem, ii quoque, legibus in hæreseos suspectos latis, Inquisitorum judicio subjiciuntur; quamobrem Auctores bene multi, denunciandos esse tuentur, licet non denunciantes, pœnas in hac Constit. stabilitas non subeant.

Aliis Constitutionum particulis indicatur, denunciandos esse, qui provocant, incitant, sive alliciunt verbis, aut signis &c. quæ vel ex se, aut ex loci consuetudine, sive ad venereum conciliandum amorem, sive ad venereos actus inducant. *Signa sunt*, inquit Felix Potest. cap. 4. *oscula, tactus impudici, etiam sui ipsius confessarii, tactus manus pœnitentis sine causa, missio osculi manibus, studiosa compressio pedis, aut oculi, & similia signa amatoria, quibus amantes uti soleant ad invitandum, aut alliciendum aliquam personam ad sui amorem. Quod est verum, etiamsi solicitatio fiat per signa venialiter inhonesta, nempe leviter indicativa amoris lascivi: quia licet tales actus sint ex se leves; ex circumstantia tamen sacramenti, cum qua sunt conjuncti, sunt graves, & mortales.*

☞ *Hi actus & extra d. casum sunt mortales.* ☜

Litteræ quoque amatoriæ, traditæ etiam, ut domi legantur, sufficiens denunciandi motivum præbent, ut verbis Constit. liquet: sufficit autem litteras hujusmodi tales esse, quæ ad profanum amorem alliciant.

Octava. *Aut cum eis illicitos, & inhonestos sermones, vel tractatus temerario ausu habuerint.*

Quemadmodum superioribus verbis eos denunciandos esse præcipitur, qui vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante, aut immediate post, sive in confessionali extra occasionem confessionis, vel alio in loco confessionem simulando, solicitare, & provocare tentaverint: ita hac regula, denuntiandos esse præscribitur, qui in iisdem circumstantiis cum pœnitentibus, sive cum iis, quibuscum confessionem simulaverint, illicitos, & inhonestos sermones, aut tractatus habuerint. Ex quo apparet, non solum eos denuntiare oportere, qui illicitis, inhonestisque sermonibus, ac tractatibus ad turpia solicitaverint, seu provocare tentaverint; sed etiam illos, qui vel turpia verba proferant, vel illicitos, aut castitati contrarios sermones habeant, sive de rebus tractent, quæ vel turpes sint, aut pudori, honestatique adversentur, licet hujusmodi verbis, aut tractatibus, nec solicitare, seu provocare contendant, nec ex parte pœnitentis solicitatio, & provocatio sequatur ulla. Rem ita ostendit Potest. cit. tom. III. cap. II. *sub his verbis comprehenduntur etiam sermones inhonesti sine provocatione; nam hæc clausula est distincta a priori*, solicitare, vel provocare tentaverint, *& additur disjunctiva*, aut, *quod non esset verum, imo clausula hæc esset superflua, si solum comprehenderet sermones inhonestos cum provocatione.*

Nona. *Denunciare oportet, etiamsi solicitatio inter confessarium, & pœnitentem mutua fuerit.*

Cum mutua solicitatio sit, sive a pœnitente incipiat, sive a confessario, ut est manifestum, ex hac regula clare deducitur, falsam, & improbatam omnino esse ab Apostolica Sede illorum opinionem, qui denunciandum non esse tuentur confessarium, solicitanti feminæ consentientem.

Decima. *Sive solicitationi pœnitens consenserit, sive consensum minime præstiterit.*

Horum verborum sensus, atque regulæ hujusmodi usus ex supradictis abunde patet. Hic vero in memoriam revocandum est supremæ Inquisitionis decretum *Nota* 2. indicatum, quo decernitur, pœnitentem teneri ad denunciandum, non vero ad aperiendum præstitum solicitationi consensum; ac decretum aliud ejusdem Congregationis sub die 27. Januarii 1613. *ubi decretum fuisse volunt nonnulli*, inquit Cozza pag. 91. *quod confessarius, qui mulierem pœnitentem ante ejus pedes signo Crucis munitam solicitat, dicens ei, nolle suam confessionem audire pro tunc, ut commodius solicitet, sit denunciandus.*

Undecima. *Vel longum tempus post ipsam solicitationem jam effluxerit.*

Non solum hic illorum proscribitur opinio, qui contendunt, post triennium denunciandi obligationem cessare; sed innuitur etiam, tandiu in pœnitente denunciandi onus manere, quoadusque satisfecerit. Imo & eos quoque denunciate debere, qui vel ob ignorationem legis de denunciandis solicitantibus, vel, quod non illico ob simplicitatem, solicitationis verba, aut nutus intellexerint, nonnisi post longum tempus agnoscunt, aut teneri ad denunciandum, vel solicitatos fuisse.

Duodecima. *Aut solicitatio a confessario, non pro seipso, sed pro alia persona peracta fuerit.*

Regula ex iis, quæ supra sunt explicata, clara est. Addimus autem hæc alia verba, quæ in Gregoriana Constitutione habentur: *qui ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis perpetranda solicitaverint*, ut confessarii intelligant, denunciandos esse solicitantes cum pro se ipsis, tum pro aliis personis, tum etiam per alias personas.

His præmissis, monentur confessarii, ut *caveant diligenter, ne pœnitentibus, quos noverint jam ab alio solicitatos, sacramentalem confessionem impertiant, nisi prius denunciationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti judici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant, ac promittant.*

Ex his manifestum est, omnes pœnitentes gravi præcepto obligatos esse ad denunciandos solicitantes confessarios, nec sine gravi culpa id omittere posse: agitur enim de re gravi, cujusmodi est sacramenti abusus, ac de crimine, quod præ se suspicionem fert hæreseos.

Neque solum pęnitentes, sed ii quoque, qui vel solicitantem confessarium casu viderunt, vel audierunt, vel immediate, aut ab ipso solicitante confessario, sive ex solicitato pœnitente solicitationis scientiam habuerunt. Id universim Theologi ostendunt ex eo, quod hujusmodi confessarii sint hæreseos suspecti, quodque testes quoque de immediato auditu, per Inquisitionis edicta suspectos de hæresi denunciare præcipiantur.

Quæstio duntaxat est, num denunciare teneatur, qui idem ex levibus, ac suspectis personis audierit? tutior vero, & communior opinio est, hos quoque denunciare debere: quia in causis ad Sanctum Officium spectantibus admittuntur etiam testes inhabiles, excommunicati, perjuri, infames &c. nec privati est, sed Inquisitoris investigare, & decernere, num persona, ex qua audita fuit facta a confessario solicitatio, fide sit digna. Cujus quidem rei ratio est, quod hæreseos, aut hæreseos suspicionis crimen ita christianæ reipublicæ perniciosum sit, ut ad illud extirpandum omnia adhibere oporteat media, atque adeo cujuscunque generis testes. Ad cohibendum vero hac in re calumniatores, Sanctiss. D. N. Bened. XIV. in superiori Const. num. 3. penas in calumniatores, sive falsos delatores constituit, ut ibi legere est.

Igitur omnes pęnitentes, vel ex pęnitentibus audientes, solicitantem confessarium denunciare tenentur; idque etiamsi delictum occultum sit, ac solicitans vir bonæ famæ, ex decreto Alex. VII. die 24. Sept. 1665. & etiamsi sciat sub sigillo naturali, jurejurando quoque confirmato; quia hoc ad privatum bonum, denunciatio vero hujus criminis ad publicum reipublicæ christianæ bonum spectat; ac publicum bonum privato anteponendum est: neque juramentum de re mala tenet, ut ex Bord. argumentatur Felix Potest. cap. 12.

Persona solicitata tenetur per seipsam denunciare; quia hæc obligatio est personalis: & si per alium denunciaret, denunciatio esset ex auditu alterius. Qui per epistolam denunciant, nisi subscribant proprium nomen, & cognomen, non satisfaciunt, ac sunt deinceps ab Inquisitore vocandi, ut iterum juridice deponant.

Si

Si mulieres nobiles sint, eut puellæ, quæ denonciare debeant, ac vereantur ad Inquisitionis tribunal accedere, monere debent per intarnuntium Inquisitorem, nt domum notarium mittat ad suscipiendam denuntiationem. Aptior vero internuntius est confessarius, cui Inquisitor de solicitatione jem monitus, committere potest, ut recipiat in scriptis jurameoto firmatam denunciationem, ex decreto Inquisit. Rom. jussu Urbani VIII. e7. Sept. 1624. Qui quidem modus servari maxime debet io recipienda monialis denunciatione, ne res eliis monialibus manifestetur. Reliqua patent ex ipsa Const., in qua pænæ quoque in delinquentes statutæ leguotur.

Nota. Qui in partibus schismaticorum, hæreticorum, & mahumetanorum deguut, licet subjecti sint Constitutionibus contra solicitantes; tamen in iis locorum circumstantiis, in quibus nulle spes adsit punitionis denunciati, atque mulieres sine periculo, & infamie deounciare nequeant, denunciatos vero facile pœoam declinare posse credatur, recurrendo, vel ed Episcopos schismaticos, vel ed laicos judices infideles, ex decreto Sac. Coug. S. O. die 21. Febr. 1630. attentis supredictis caulis, ebsolvendi sunt, & liberandi ab hujusmodi onere denunciandi; moneri tamen debent, ut *eessantibus supra narratis periculis, & impedimentis, teneantur denunciare.*

Hactenus laudatissimus Auctor pro recto intellectu in praxi allatarum Constitutionum Summorum Pontificum & decretorum supremæ Universalis Inquisitionis.

Propositiones proscriptæ circa solicitationem ab Alex. VII. allatæ jam sunt supra pag. e94. col. 1. *quas docentes, ipso facto incidunt in excommunicatinem Papæ reservatam: & in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub interminatione divini judicii prohibetur omnibus, ne eas ad praxim deducant, prout in citato Alexandri decreto.* ☜

CAPUT I.

Spolium ecclesiasticum defraudantes.

Vide *Vacantia*.

CAPUT I.

Sponsalia secundo contrahens, primis legitime non dissolutis.

IN tali casu, quis incurrit juris infamiam ipso factu, & consequenter est irregularis, per *l. 1. in fine, ff. de his, qui not. infam. Molina disp. 6. n. 8. tract. 4. Laym. de irregul. cap. 4. n. 1.* & procedit, etiamsi hæc sponsalia essent invalida, ratione alicujus impedimenti irritantis, *leg. Quid ergo, ff. eod.* item contrahens sponsalia, coustante primo matrimonio, fit suspectus de hærosi, per ea, quæ dixi *verbo Matrimonium, cap. 3.*

CAPUT I.

Sortes in electione.

Vide *verbo Electio, cap. 2.*

CAPUT I.

Sponsiones facientes super vita, vel morte Papæ, vel electione Papæ, vel promotione Cardinalium.

HÆ sponsiones sunt prohibitæ ob suspicionem simoniæ, & tam ipsi spondeotes, quam sponsiones hujusmodi permittentes in terris suis, & dantes in eis anxilium, consilium, vel favorem, incurrunt excommunicationem Pepæ reservatam, ex Bulla Gregorii XIV. *Cogit nos*, quæ est 4. in Bullarin; & tales pollicitetiones sunt irritæ, etiam in foro conscientiæ, ut recepta retineri non possint, sed restituenda sunt non danti, sed piis locis illius civitatis, vel oppidi, ubi contractus est celebretus, vel ubi detectum fuerit crimen: & eisdem locis piis dominium ipso jure acquiritur; & si plura sint loca pia, est locus præventioni, agendo rei vindicatione: & cuique datur super hoc actio populeris: neque possunt præfati ebsolvi, etiam in articulo mortis, nisi prævia hac restitutione, si fieri possit, ex *eadem Bulla*: neque valet concordatio partis facte cum locis piis; quia nondum exacta, ad alia loca pia devolvuntur, ex *dicta Bulla*.

Item personæ ecclesiasticæ sponsiones prædictas facientes amplius, eo ipso in utroque foro privatæ remanent omnibus beneficiis obtentis, & inhabiles ad futura; & Ordinarius potest de illis sic vecantibus disponere, etiamsi alias dispositiooi Sedis Apostolicæ essent reserveta: ita ex eadem Bulla. Vide de hac re *Sayr. lib. 3. c. 31. n. 2. Filiuc. tract. 32. n. 105. Scortiam in select. const. theorem.* 384. qui late pertractat.

☞ *Omnes supradictæ pœnæ incurruntur dumtaxat a præsumentibus prædicta facere, ut in cit. Bulla.* ☜

☞ CAPUT I.

Statuta Tolosanæ Ecclesiæ turbantium pœnæ.

Vide cap. I. Tolosanæ Ecclesiæ statuta turbantium pœnæ.

CAPUT I.

Ad studia quæcunque accedentes religiosi sine licentia.

IN *cap. e. ne cler. vel mon. in 6.* ut periculosa evagandi occasio religinsis auferatur, prohibitum est omnibus religiosis accedere ad quævis studia litterarum, nisi a suo Prælato cum consilin sui conventus, vel majoris partis ejusdem, eundi licentia primitus sit concessa: temerarius autem violator hujus prohibitionis, excommunicetionis sententiam incurrit ipso facto.

Amplia, ut procedat de studiis, etiam alias licitis religiosis, ut humanitatis, philosophiæ, & theologiæ, ut Canonistæ hic communiter, *Barbos. n.* 10. *Sanchez in decal. lib. 6. cap. 8. n. 73. Toletus lib. 1. cap. 38. §. 14.*

Limita, ut procedat solum, quando ediret religiosus studia extra claustra suæ Religionis existentia, *Sanch. n. 75. & Barbos. n.* 11. cum aliis, & habitando extra claustra suæ Religionis causa hujusmodi studinrum; nam si hebitat in convento, sed die tantum accedit ad universitatem, non incurrit hanc censutam, *Suar. de censur. disput. 23. sect. 4. n. 35. Sanchez n. 75. 76. & 79. Sayr. lib. 3. cap. 33. n. e0. Filiuc. tract. 14. n. 136.*

Limite secundo, quod ed henc censuram incurrendam non sufficit, discessisse e monasterio, sed requiritur accessus consummatus, idest, perventum esse ad locum studiorum, scilicet ed scholas, saltem prima vice, *Tolet. vers. Circa tertium.*

Limita tertio, quod in Religionibus, in quibus licentia habitandi extra claustra non pendet ab immediato superiore, scilicet locali, sed a Provinciali, vel Generali, non requiritur tunc consilium conventus, *Sanchez n. 77. Barbos. num.* 11.

CAPUT II.

Ad studia legum civilium, aut medicinæ exeuntes religiosi.

I. IN *cap. Non magnopere, ne clerici, vel Mon. sec. neg.* ex Concil. Later. sub Alexand. III. statutum fuit, ut nulli omnino religioso professo ad legendam physicam, idest medicinam, legesve mundanas permittatur exire; si vero exierit, & ad claustrum suum intra duorum mensium spatium non redierit, sicut excommunicatus eb omnibus evitetur.

Honorius tertius in *c. Super specula, ne Cleric. vel Mon.* confirmavit dictam Constitutionem Alexan. III. & declaravit, illud verbum, *ad legendas leges*, intelligi ad audiendas; & quia illa verba, *sicut excommunicati ab omnibus evitentur*, secundum multorum opinionem non censebantur importare canonem latæ sententiæ, ut *Abb. in dict. cap. Super specula, n. 1. Anchar. n. 3.* idcirco idem Honorius *ibi* decernit, ipso factu excommunicationem incurrere transgressores; præcipitque, ut a diœcesanis, & capitulis loci domicilii eorundem, & loci studiorum, ubi emanent, publice excommunicati denuncientur.

Amplia, quod neque Prælati possunt super hoc cum suis religiosis dispensare, *Abb. in cap. Non magnopere, super verbo*

bo Nulli omnino, *Suar. disput. 24. de cens. sec. 3. n. 13. Sanctarell. de haresi tract. de Apost. cap. 1. n. 15.*

Amplia secundo, quod tempus duorum mensium, pro termino constitutum ad poenam incurrendam, incipit currere a die, quo religiosus exit a claustris ad audiendas leges, vel physicam, etiamsi nunquam accesserit ad locum studiorum hujusmodi, *Suar. n. 14. & 16. Sayr. lib. 3. cap. 33. n. 4. Abb. in dict. cap. Super specula*, *n. 8. Sanctarell. n. 20.* & communem testatur *Barbos. in c. Non magnopere*, *n. 7.* est contra *S. Antonin.* qui putat, incipere a die, qua coepit vacare dictis studiis.

Limita primo, ut non contineantur religiosi vacantes dictis studiis extra claustra, existentibus in civitate, ubi est ipsorum conventus, & ipsi non pernoctant extra claustra; quia jam apparet, eos non manere continue duos menses extra claustra, quod necessarium est ad hanc poenam, *Cajet. excommunic. cap. 50. Tolet. lib. 1. c. 37. n. 4. Navarr. cap. 17. n. 116. Sayr. n. 1. Abb. in c. Non magnopere n. 13. Suar. n. 11.* est contra *Filiuc. tract. 14. n. 128.* qui putat, esse locum poenae, etiamsi habitet in claustris, si extra vacet dictis studiis.

Limita secundo, ut non contineatur in hac prohibitione religiosus, vacans studiis legum extra claustra cum licentia superioris, de qua dixi *c. praced.* si vacet legibus, quatenus conducunt ad pleniorem Canonum, vel Theologiae intelligentiam, *Jo. Andr. in dict. c. Super specula*, *ibi Abb. n. 2. Henric. n. 6. Barbos. n. 3. & 7. Tolet. loco cit. n. 4.* verum est, quod pro foro externo contra eum praesumeretur, ut *Tolet. ibi*, *Sanctarell. n. 11. loco cit.*

Limita tertio, quod haec excommunicatio non est reservata, sublata contumacia, ut patet ex textu, & religiosi non exempti possunt pro foro externo absolvi ab Episcopo loci delicti, & Episcopo loci domicilii, *Henric. in d. c. Super specula*, *cum gl. Innocen. & Host. ibidem.*

II. Religiosi, praedictae prohibitionis transgressores, etiamsi legis periti, & doctores effecti sint, non possunt fungi officio advocati, neque possunt audiri, etiamsi patrocinari velint in causis, alias permissis, ut in piis causis: ita statutum est in *dict. c. Non magnopere*, & declarant *gloss. in dict. c. Super specula*, *ibi Goffr. & Card. oppos.* 1. & procedit, etiam absolutione ab excommunicatione obtenta, ut *Abb. in dict. c. Super specula*, *n. 10. Abb. antiquus ibi in fine.*

III. Religiosi praedicti transgressores, reversi ad claustra, in choro, capitulo, & mensa, & ceteris ultimi fratrum existant: & intelligitur haec privatio antianitatis, etiam post absolutionem excommunicationis obtentam, *Abb. antiquus loco cit.*

IV. Additur in *dict. cap. Non magnopere* alia poena contra dictos religiosos transgressores, scilicet, ut amittant totius spem promotionis, nisi forte ex misericordia Sedis Apostolicae cum eis dispensetur; per quae verba dicunt, eos incurrere ipso facto irregularitatem: ita *Sylv. verb. Irregul. n. 12. Rebuff. Specul. & Bernard. Diaz*, quos allegat, & sequitur *Majol. lib. 1. c. 1. n. 13. Sanctarell. c. 1. n. 15. Avila part. 7. disp. 9. dub. 1. sect. 1. Abb. in dict. c. Super specula*, *n. 2. Henric. n. 9.* est communis sententia: licet *gloss. in dict. c. Non magnopere*, *verbo Misericordia*, sentiat, hic agi de promotione ad dignitates: sed illa particula, *totius promotionis*, comprehendit promotionem tam ad dignitates, quam ad Ordines, & beneficia, *Abb. loco cit. Card. in c. Non magnopere*, *oppos. 4.*

CAPUT III.

Studiis juris civilis, vel medicina vacantes clerici seculares.

In *c. Super specula*, *ne clerici*, *vel Mon.* Honorius tertius id, quod fuerat statutum in *c. Non magnopere eod. tit.* contra religiosos ad praedicta studia exeuntes, extendit ad archidiaconos, decanos, plebanos, praepositos, cantores, & alios clericos, personatus habentes, nec non ad presbyteros, si praedicti ab his studiis infra spatium duorum mensium non destiterint: & hoc omni appellatione postposita, firmiter observari decrevit.

Amplia, ut extensa censeatur contra clericos, seu sacerdotes praedictos, non solum prohibitio, & poena excommunicationis latae sententiae, non reservatae, sed etiam poena inhabilitatis ad officium advocati, & amissionis antianitatis, & irregularitatis, Papae reservatae: de quibus dixi *c. pracedenti*: ita tenent communiter DD. *gloss. in dict. cap. Super specula*, *verbo Hoc extendi*, *Abb. n. 12. Anchar. n. 15. Sylv. verbo Excommunicatio 9. n. 27. in fine*, ubi testatur de communi.

Amplia secundo, ut procedat, etiamsi isti non exeant a loco domicilii sui ad audiendas leges, vel physicam, sed eis vacent in propria patria, *Henric. in d. c. Super specula n. 7. Cajet. verb. Excomm. cap. 50. Tolet. lib. 1. c. 37. §. Rursus*, *Suar. de cens. disp. 23. sect. 3. n. 19.*

Limita, quod haec prohibitio poenalis non extenditur ad omnes clericos beneficiatos, sed solum ad sacerdotes, vel ad clericos, dignitatem, vel personatum habentes.

Limita secundo, ut non procedat, si isti vacent studiis legum civilium in ordine ad meliorem notitiam Canonum, vel Theologiae, ut dixi *c. praced. limit. secunda*: & ita *Henriq. in d. c. Super specula n. 9. Jo. Andr. & Hostien. ibi*, quos sequitur *Tolet. loco cit. Barbos. in d. c. Super specula*, qui alios allegat *n. 1. & 7.* quia attenditur, quod principaliter agitur.

Limita tertio, nisi illae universitates publicae habeant privilegium a Sede Apostolica, ut ad aliquot annos etiam clerici, & sacerdotes ibi studere possint, cum derogatione ad *c. Super specula*: quo privilegio stante, etiam poterunt doctoratus gradum assumere, *Bapt. de S. Blasio tract. de contradict. juris civilis*, *& Can. contrad. 34. Sanctarell. de Apostas. c. 2. n. 22. Abb. in d. c. Super specula*, *n. 4.* & tale privilegium ad quinquennium habere universitatem Patavii, ait *Bapt. de S. Blasio*, *& Sanctarell. loco cit.*

Limita quarto, quod non est prohibitum clericis studere legibus civilibus, vel medicinae in propria domo, adhibito aliunde doctore, vel in domo proprii doctoris privatim, sed tantum publicis in scholis audire, *Anchar. in d. c. Super specula n. 4. Calder. consil. ult. de magistr. n. 7. Sylv. excommun. 9. n. 22. Tolet. loco cit. §. Quarta*: quamvis *Abb. in dict. c. Super specula*, *Navarr. Suar. & Filiuc.* apud *Barbos. in dict. c. Super specula n. 3.* contrarium teneant, & *Barbosa* ait, esse probabilem sententiam.

Limita quinto, quod non est hic prohibitum clericis praefatis jus civile docere, vel medicinam, vel doctoratus gradum in talibus disciplinis assumere, ut *Barbos. ibidem*, cum allegatis.

CAPUT IV.

Studiis juris civilis, vel medicina incumbentes religiosos, habitu dimisso, doctor, seu magister scienter docens, vel in sua schola retinere prasumens.

Ex *cap. 1. ne Cleric. vel Monach. in 6.* tales doctores, vel magistri in hoc casu incurrunt excommunicationem non reservatam.

Amplia, quod incurrunt excommunicationem, non ex eo, quod participent in crimine criminoso; nam hanc incurrunt, post quam religiosus ipse fuerit nominatim denunciatus, ex *c. Nuper 29. c. Si concubina*, *de sent. excommun. Barbosa in d. c. Nuper*, *n. 3.* cum allegatis, *Layman lib. 1. tract. de excommun. c. 3. n. 1. Sanch. lib. 6. in decal. c. 8. n. 89.* sed hanc, de qua in textu nostro, incurrunt statim atque ad scholam admittunt, seu retinent scienter, vel scienter eum docent, ut *Sanch. ibi.*

Ampliant etiam aliqui, ut procedat haec excommunicatio, si magistri doceant, vel retineant religiosos, habitum retinentes; quia dicunt, subintelligendam esse in textu ibi particulam, *maxime habitu dimisso &c.* ita tenent in *dict. c. 2. Archid. n. 7. Gemin. ibi verbo Doctores*, *n. 1. & Franc. ibidem*, *Asten. summ. par. 2. lib. 7. tit. 2. art. 2. casu 37. Rosella excommun. 16. casu 26. n. 5. Sylv. excommun. 9. casu 26. n. 56.* sed communis Recentiorum sententia est in contrarium, quam tenent *Cajet. excommun. c. 61. Navarr. c. 27. n. 134. Suar. disput. 23. sect. 4. n. 36. Toletus lib. 1. c. 38. explic. excommun. 14. Sayr. lib. 3. c. 35. n. 5. Sanch. lib. 6. c. 8. n. 89.* quia in poenalibus non est facienda extensio contra verborum significationem.

CAPUT I.

Stuprum.

STuprator virginis, sive consentientis, sive vi adactæ, quando de hoc crimine condemnatus fuerit, afficitur infamia juris, & consequenter irregularis, ut promoveri non possit: est enim hoc crimen publicum legis juliæ, §. *Item lex Julia, Institut. de publ. Judic.* & de communi testatur *Majolus lib. 5. c. 40. n. 1. cum Grillando*: imo quia stuprum in personam virginis, est crimen depositione dignum in clerico, si fuerit violentum, sive cum consensu puellæ; ut *Bernard. Diaz in praxi c. 86. n. 2. & ibi Salzedo*: & de magis communi *Farin. quæst. 147. n. 62.* ideo quoties fuerit notorium crimen, erit infamia juris affectus, & irregularis, ut de communi *Majol. loco cit.* qui addit, quod etiamsi hodie quoad pœnas sit facta mitigatio in stupro virginis consentientis a jure canonico, ut infra dicam; tamen quoad infamiam, & irregularitatem non est differentia: & verum est, quia quando lex nova mitigat pœnam ordinariam legis antiquæ, commutando graviorem in leviorem, non censetur sublata infamiæ pœna, ut *Bart. in leg. Quid ergo, §. Pœna gravior, col. pen. ff. de his, qui not. inf.*

Stuprator virginis consentientis, ex jure canonico tenetur illam ducere in uxorem, & dotare, ut *c. 1. de adult. ibi Canonista, & Farinac. q. 147. n. 97. Diaz in praxi loc. cit. cum Salzeda*: & hoc jus non solum servatur in foro ecclesiastico, & in terris Ecclesiæ, sed etiam passim in foro laicali, ut *Avus meus decis. Pedemon. 3. n. 3. Farinac. n. 101. & 122.* ex quibus apparet, quod stuprum in personam virginis consentientis, est crimen mixti fori, *Farin. n. 53.*

☞ *Quamvis in cit. c.* Si seduxerint t. de Adulter, *pœna stupratoris laici sit, ut stupratam dotet & nubat* – dotabit eam, & habebit uxorem – *hæc tamen particula conjunctiva ex communi interpretatione intelligitur disjunctiva, per leg.* 53. Sæpe ff. de verb. signif. *& ita etiam ex consuetudine servatur in praxi, dummodo stuprum non factum fuerit vi, ut probat Fagnan. lib. V. decret. in c.* Pervenit 2. *n. 3. hoc eod. tit. Posita hac alternatione dotandi, vel nubendi, electio erit stupratoris, tamquam debitoris. Non dabitur vero electioni locus, si stuprata nolit ei nubere, vel non possit ob aliquod impedimentum; & tunc tenebitur eam dotare: et si dotare nequeat, tenebitur ipsam volentem ducere. Si tandem hæc nubere nolit, loco solutionis dotis, succedet pœna fustigationis, vel alia &c. Remig. Maschat. Institut. Canon. hoc tit. par. II. n. 12. pag. 523. a me typis dat. cum Addit.* ☜

Limita, quod hæc obligatio ducendi, & dotandi non habet locum pro foro conscientiæ ante sententiam, si nulla sit de his facta promissio, vel si non fuit stuprum, invita puella, cum ejus diffamatione subsecuta, seu præjudicio, ita quod non possit amodo invenire æqualem conditionem, *Navarr. cap. 16. n. 16. Less. lib. 2. cap. 10. n. 5. Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 14. n. 11. Farinac. n. 119.*

Limita secundo, quod non procedit hæc pœna in clerico, etiam in minoribus; quia non cogitur ducere, sed solum dotare; & ulterius arbitraria pœna puniendus est: ita *Abb. in cap. 1. & 3. de adulter. Farinac. n. 108. Diaz loco cit. n. 2. & ibi Salzedo.*

Limita tertio, quod ad prædictum effectum ducendi, & dotandi debeat stuprum probari concludenter, ut non sufficiat verisimile: unde *Rota decis. 290. par. 1. noviss. n. 1.* ait, non sufficere, quod puella sit solita stare ornata ad fenestras, & recipere salutationes virorum; quia adhuc stat præsumptio pro virginitatis statu: & idem est etiamsi sit visa frequenter colloqui super tecto domus cum juvene, existente super alio tecto, *Rota ibi.*

☞ *Romæ, præter onus dotandi, vel nubendi stupratam, & refectionis damnorum, ex edicto Eminentissimi Card. Guadagni, Papæ Vicarii, jussu Bened. XIV. publicato die 13. Septemb. 1736. stuprator subjacet pœnæ corporali, triremium videlicet, si laicus fuerit, & ergastuli si clericus: aut etiam relegationis, judicis arbitrio, juxta casus, gradus, & conditionis personæ circumstantias; & potissimum juxta majorem, vel minorem seductionem factam defloratæ: hæc vero subjacet pœnæ carceris, juxta pariter circumstantias, ut supra, & qualitatem seductionis, quam vel passa fuerit, vel ipsamet fecerit.*

Si stuprum commissum fuerit cum promissione matrimonii, nulla eidem stupratæ competit actio, nisi promissionem legitime, & concludenter probaverit: sicuti nec si esset disparis conditionis cum deflorante, itaut ex matrimonio sic contracto oriretur grave aliquod scandalum, aut consanguineis ignominia, licet promissionem concludenter probaret: firmo tamen remanente onere in deflorante refectionis damnorum favore partium, prout de jure.

Tandem parentibus, fratribus, aliisque, quibus de jure competit puellarum custodia, ac proinde querela, & accusatio secuti stupri, si reperti fuerint, vel lenocinii rei, vel conniventes pravæ deflorantis, & defloratæ sanfuetudini, adimitur actio petendi tam dotem nomine defloratæ, quam refectionem damnorum, quorum æstimatio, a deflorante debita, & judicis arbitrio taxanda, exigi debet a Fisco in pios usus, prout ei libuerit, eroganda.

Quibus præterea pœnis prædicti subjaceant, vide supra verbo Lenocinium *cap. I. pag. 179.* ☜

☞ CAPUT I.

Supellectilis sacræ benedictio.

Vide supra verbo Consecratio, *c. 2. pag. 109.* ☜

CAPUT I.

Superstitio.

I. EX *cap. 6. Aliquanti 26. quæst. 5.* clericus, & laicus divinationem consulere, vel docere detectus, ab Ecclesia habeatur extraneus: per hæc verba importari excommunicationem latæ sententiæ, ait *Martin. del Rio lib. 4. disquis. magic. cap. 2. quæst. 7. sect. 4.* quia putat, illud verbum *habeatur* esse imperativum præsentis temporis: sed contraria est communis, scilicet esse verbum futuri temporis, & sic esse canonem ferendæ sententiæ: ita *Suar. tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 2. cap. 19. n. 41. in fin. Sanch. in decal. lib. 2. cap. 38. n. 91.* qui ait, saltem stante dubia hujus verbi significatione, mitiorem partem eligendam: præterea hic est Canon Concilii Agathensis, quod est provinciale, ideo non ligat universaliter.

II. Ex *cap. 1. Si quis ariolos 26. quæst. 5.* ex decreto Gregorii Papæ junioris in Concilio Romano – si quis ariolos, aruspices, vel incantatores observaverit, vel phylacteriis, idest, chartis incantationum usus fuerit, anathema sit – hæc particula, *anathema sit*, videtur continere canonem latæ sententiæ, ut dicunt multi Doctores, quos allegat *Sanchez de matrim. lib. 7. dis. 12. n. 2.* & quidem *Suar. cap. 19. n. 5. loco cit.* ait probabile esse, tunc temporis hunc fuisse excommunicationem latæ sententiæ per hunc canonem; sed hodie ait, non esse latæ sententiæ ob desuetudinem: alii absolute dicunt, illum non esse canonem latæ sententiæ, sed ferendæ, ut *gloss. d. quæst. 5. in princ. & Turrecr. ibi*, & quia est verbum ambiguum, accipi debet in mitiorem partem: ita *Sanch. in decal. cap. 38. n. 91. Navarr. cap. 27. n. 12. Azor. lib. 9. cap. 26. §. Quæres, an ipso jure, tom. 1.*

III. Ex Constitutione Joannis XXII. de qua *Director. Inquis. par. 2. quæst. 43. Tabien. excommun. casu 4. n. 1. Azor. loc. cit. Reginal. lib. 17. num. 167. Vival. candel. excommun. 45. nulli reser.* dicitur lata excommunicatio contra eos, qui in divinationibus abutuntur rebus sacris, aut dæmones in eis venerantur, aut pacta faciunt expressa: ita tenent supra citati Auctores; sed alii communiter dicunt, eam Constitutionem non fuisse usu receptam, vel non fuisse sufficienter promulgatam: ita *Sanchez lib. 2. cap. 38. n. 91. Suar. lib. 2. c. 19. num. 6. Bonac. de censur. in partic. disp. 2. quæst. 2. punct. 38. n. 1.*

☞ *Pœnam inflictam contra sacerdotes, tam seculares, quam regulares cujuscunque ordinis, instituti, congregationis, & societatis, etiam de necessitate exprimenda, in actu sacramentalis confessionis, sive illius occasione ad turpia solicitantes, vel abutentes sacrificio missæ ad sortilegia, vide in decreto Sac. Cong. Universalis Inquisitionis a Benedicto XIV. approbato, quod per extensum refertur supra in Additione verbo* Solicitatio cap. 1. n. 3. §. Sanctissimus *pag. 293. col. 2.*

Nota tamen inhabilitatem ad sacrificii celebrationem, ibidem inflictam, non incurri in casibus occultis, prout animadvertit Nicolaus Terzago, Episcopus Narnien. in Instruct. practica ad confessarios suæ diœcesis §. De casibus, & censuris reservatis Sedi Apostolicæ. ☜

IV. Ex Bulla Leonis X. 7. *Supernæ*, in Concilio Lateranensi

ranensi edita — laici utriusque sexus facientes sortilegia per invocationem dæmonum, incantationes, divinationes, superstitionesque, excommunicationi, & aliis pœnis, tam civilis, quam canonici juris subjaceant — verbum autem, *subjaceant*, est latæ sententiæ, ut dixi *verbo Injuria*, *c.* 2. sed Doctores communiter dicunt, censoras latas a Leone X. in dicto Concilio Lateranensi non fuisse usu receptas, *Tolet. lib.* 1. *c.* 41. *n.* 3. *Filiuc. tract.* 14. *n.* 97. *Cajet. Navarr. & Suar.* quos sequitur *Bonac. loco cit. n.* 1. *in fin.* quare concludunt DD. communiter, ob superstitionis actus præcise nullam esse latæ sententiæ censuram: ita *Sylv. verbo Superstitio*, *quæst. ult. Alex. Alens.* 2. *p. quæst.* 164. *n.* 5. *Less. lib.* 2. *c.* 43. *n.* 29. *Suar. c.* 19. *n.* 5. *&* 6. *Azor. lib.* 9. *c.* 26. *quæst.* 3. *Filiuc. tract.* 24. *n.* 197. *Borgas. de irreg. par.* 6. *tit. de sortil. n.* 5. *Bonac. loco cit. n.* 22. *Barbos. in d. c. Si quis ariolos n.* 5. excipiuntur tamen aliqui casus.

Primus est, quando in actibus superstitionum conjungitur error in intellectu hæreticalis; tunc enim incurritur excommunicatio, & omnis pœna, lata contra hæreticos, de quibus dixi *verbo Hæresis*, *c.* 1. & quidem si superstitio sapit manifeste hæresim, pro foro externo præsumitur hæreticus, seu vehementer suspectus redditur de hæresi; unde nisi se purget, & abjuret, præsumitur pro foro externo censuras, & pœnas hæreticorum incurrisse: ita *Azor. loco cit.*

Secundus est, quando quis scienter legit, vel retinet libros, scripta, opera, tractatus, vel chartas astrologiæ judiciariæ, geomantiæ, hydromantiæ, pyromantiæ, & aliarum hujusmodi divinationum, vel artis magicæ, aut quibus sortilegia, veneficia, auguria, aruspicia, vel incantationes, & superstitiones continentur; tunc enim incurrit excommunicationem latam in Indice, ut statuit Sixtus V. in Bulla 17. *Cœli, & terræ*, *Quaranta verbo Libri*, *Bonac. tract. de excommun. ob hæresim*, *pun.* 4. *n.* 4. hujusmodi enim pronunciationes de actibus liberis ex astris, aliisve signis, etiamsi asserantur non certo, sed sub levi conjectura, si non in genere, sed in particulari, sunt vetitæ ex Constitutionibus Apostolicis Sixti Quinti, & Urbani Octavi; & communiter a Theologis saltem ut scandalosæ damnantur, ut *Sanch. lib.* 2. *in dec. c.* 38. *n.* 30. *et* 34. *Bonac. in dec. dis.* 3. *quæst.* 5. *punct.* 3. *n.* 12. *Suar. de relig. lib.* 2. *c.* 11. *n.* 34. *tom.* 4. *Less. lib.* 1. *c.* 43. *n.* 42. *Tol. lib.* 4. *c.* 15. §. *Advertendum*, *in fin. cum addit.* sed hæc excommunicatio non est reservata, ut patet ex *reg.* 10. *in fine in Indice libror. prohibitorum.*

☞ *Adverte hic cum Ludovico de Ameno* tom. III. de Delict. & Pœn. tit. 6. §. 5. n. 22. *non esse audiendos DD. ibid. relatos, opinantes, Constit. Sixti non obligare, nisi in foro externo; quandoquidem* (*ait*) — in utroque foro militare, non solum dum futura prænunciantur, verum etiam dum astrologos declarat, se id non asseveranter affirmare — *et cum ipso quam plurimi DD. quos citat.* ☜

Sed si in illis libris, vel scriptis pronunciatur certo de futuris contingentibus, seu actibus hominum ex astris, vel aliis rebus creatis, tanquam ex causa, seu ratione necessarii influxus, seu coactionis arbitrii humani, vel asseritur, cognosci secreta cordium, seu actus pure internos, vel asseritur, effectus supernaturales posse cognosci in causis naturalibus; tunc incurrunt tam auctores, & credentes, quam tenentes, vel legentes scienter, in excommunicationem latam in *cap.* 1. *Bullæ in Cœna Domini*; quia talis doctrina est hæreticalis: ita *Suar. lib.* 2. *c.* 19. *n.* 8. *loco cit. Armilla verbo Astrolog. n.* 1. *Filiuc. tract.* 24. *n.* 85. *Arnald. Albert. tract. de agnosc. assert. heret. quæst.* 16. *n.* 1. *et* 11. idem si asseratur, hujusmodi artem astrologiæ judiciariæ, seu divinatoriæ non esse ab Ecclesia improbatam, ut *Farinac. quæst.* 181. *n.* 61. ubi alios allegat: quæ intelligas, si auctor ibi ex professo tractet de hoc errore; quia jam apparet, eum esse hæreticum: si autem obiter tantum hunc errorem liber contineat, si auctor est alias reputatus catholicus, non habet locum excommunicatio in Bulla Cœnæ Domini, sed Iudicis: in dubio autem auctor hæc docens, præsumitur hæreticus, *Bonacin. de cens. partic. dis.* 1. *q.* 2. *pun.* 4. *n.* 4. *cum Farinac. et Duardo.*

Tertius casus est ex Bulla Urbani VIII. *Inscrutabilis*, edita anno 1631. Kal. April. quando quis per media superstitiosa inquirit de statu reipublicæ christianæ, vel Sedis Apostolicæ, vel de vita, & morte Romani Pontificis, pro tempore existentis, vel ejus consanguineorum usque ad tertium gradum, v. g. consulendo super his ariolos, aruspices, vaticinatores, vel astrologos &c. item si quis talia judicia recipiat etiam sponte sibi oblata, vel eis utatur, vel scienter ea retineat, vel alteri ostendat: item si quis talia judicia, seu pronunciationes faciat, etiamsi asserendo, se non certo affirmare; vel a se facta retineat, vel det aliis, vel ostendat, vel de eis verbo, aut scripto, etiam improbando, tractet: tales enim delinquentes, tam seculares, quam ecclesiastici, Episcopis inferiores, omnes incurrunt eo ipso pœnas excommunicationis, & reatus læsæ majestatis, scilicet confiscationis bonorum, etiam feudalium, & privationis beneficiorum, dignitatum, officiorum ecclesiasticorum, & inhabilitatis ad prædicta: & ecclesiastici degradandi sunt, & Curiæ seculari tradendi ad pœnam corporalem, statutam ibidem. Episcopi vero, & iis maiores Prælati incurrunt pœnam excommunicationis, & privationis Ecclesiarum, & beneficiorum, & inhabilitatem ad hujusmodi. Cognitio autem harum causarum reservata est Romæ Vicario, & Auditori Cameræ: extra vero in provinciis, Legatis, & Nunciis: in aliis autem locis Ordinariis locorum, & ubique etiam Inquisitoribus contra hæreticam pravitatem. Additum est etiam in ea Bulla, ut ecclesiastici, præsumentes impedire dictos judices, seu perturbare dictarum causarum cognitionem, incurrant eo ipso pœnas excommunicationis, & privationis beneficiorum, officiorum, & vocis activæ, & passivæ, & inhabilitatis.

Nota, quod dictæ pœnæ non procedunt contra inquirentes de affinibus Papæ; quia non continentur nomine consanguineorum, maxime in pœnalibus, *Joan. Andr. in c. Sciant cuncti*, *de elect. in* 6. *Specul. tit. de rescr. præsentan.* §. *Ratione autem impetrantis*, *vers. Quid de collateralibus.*

Nota secundo, quod absolutio dictarum excommunicationum ita fuit in Brevi reformationis Sacræ Pœnitentiariæ ab eodem Urbano Papa Octavo reservata, ut Sacra Pœnitentiaria non possit absolvere prædictos inquirentes per media præfata: quoad alios autem in eadem Bulla comprehensos, non fuit reservata absolutio in illo Brevi.

☞ *Circa hanc facultatem majori Pœnitentiario sublatam*, *vide in fine hujus Operis Constitutionem Benedicti XIV.* Pastor bonus §. 13. ☜.

V. Superstitionis crimen, secundum aliquos, reddit ipso facto infamem infamia juris, & consequenter reddit irregularem, etiam pœnitentia peracta: ita *Sylvest. verbo Superstitio*, *quæst.* 11. *Majolus lib.* 5. *c.* 31. §. *Quid igitur*, facit *c. Quisquis* 2. *quæst.* 8. ubi dicitur, tales non esse admittendos ad accusandum: sed contraria est verior, quod isti non sint ipso jure infames, neque irregulares, nisi post sententiam condemnatoriam, *Sanch. lib.* 2. *in decal. c.* 38. *n.* 9. *Suar. tom.* 1. *de relig. tract. de superst. lib.* 2. *c.* 19. *n.* 3. *&* 13. *Filiuc. tract.* 24. *n.* 197. secuta autem sententia condemnatoria, sunt infamia juris notati, & irregulares; quia est crimen publicum: ita *Borgas. de irregular. par.* 6. *tit. de sortil. n.* 7. *&* 8. *Abb. in c.* 1. *in fin. de sortil.* per *c. Constituimus* 3. *quæst.* 5. *& c. Quisquis* 2. *quæst.* 8. imo quia hoc crimen est depositione dignum, *c. Siquis Episcopus* 26. *quæst.* 5. *ibi gloss. & Turrecr. Azor. tom.* 1. *lib.* 9. *c.* 26. §. *Quæres*, *an ipso jure*, *Diaz in praxi c.* 100. *n.* 2. ideo si fuerit notorium de jure, vel de facto, reddit infamem, & irregularem secundum magis communem, *Sayr. lib.* 7. *c.* 12. *n.* 3. quamvis alii dissentiant, ut *Garziae p.* 7. *c.* 8. *n.* 66. *& p.* 11. *c.* 3. *n.* 113. *&* 117. *Laym. tract. de irregul. c.* 4. §. *Dico* 3.

VI. Superstitionis exercitio lucra acquisita restituenda esse pauperibus quidam dicunt, ut in terminis de mathematicis est *tex. in c. Non sane* 14. *quæst.* 5. sed communiter contrarium tenent DD. nisi astrologus, vel magus, seu superstitiosus ementitus sit, seu finxerit, se præstare, quod non poterat, & tunc tenetur danti restituere: ita *Petrus Navarra lib.* 2. *de rest. c.* 2. *n.* 113. *Sanch. lib.* 2. *c.* 38. *n.* 96. *Laym. lib.* 4. *tract. de superstit. c.* 4. *n.* 8. & probatur *l. Item apud* §. *Si quis astrologus*, *cum gloss. verbo Non potest*, *ff. de injur.*

☞ *Ex Constit. Gregor. XV.* Omnipotentis Dei 20. *Martii* 1623. *Quæ deficit in Auctore*, *statuitur* — ut constito, quod aliquis pactum cum diabolo fecerit, & a fide apostatando, maleficiis, sive sortilegiis unam, seu plures personas ita læserit, ut ex maleficio, vel sortilegio mors secuta sit, etiam primo lapsu, Curiæ seculari tradatur, debitis pœnis puniendus. Qui vero, similiter apostatando, pactum cum diabolo, ut præfertur, fecerit, & maleficium, seu sortilegium commiserit, ex quo, licet mors secuta non sit, infirmitas tamen, divortia, impotentia generandi, sive animalibus, frugibus, vel aliis fructibus damnum notabile provenerit,

muro

muro claudi, sive perpetuis carceribus, in Sancto Inquisitionis officio, ubi illud existit, fabricandis, mancipari debeat.

Qui vero similium delinquentium notitiam habuerint, eos Episcopo, sive Inquisitori denunciare teneantur. —

CAPUT I.

Suspensionem violantes, & alia de suspensione,

Vide *verbo Censura*.

☞ CAPUT I.

SYNODUS

Metropolitani, & Episcopi negligentes statis temporibus celebrare provincialem, vel diœcesanam Synodum.

IN *can.* Quoniam quidem 7. distinct. 18. *qui est desumptus ex sexta Synodo, & a Leone I. confirmatus, statuebatur, ut si Metropolitanus negligeret provincialem Synodum semel in anno celebrare (quod tempus a Trident.* cap. 2. sess. 24. de ref. *extensum est ad quodlibet triennium) canonicis pœnis subjacere deberet, nullam tamen explicando; verum Innoc. III. in Conc. Lateran. declaravit, esse suspensionem a sui officii executione, ferendæ tamen sententia, ut clare patet ex verbo, quo usus est in cap.* Sicut olim 25. de accusat. *ibi* — A sui executione officii suspendatur — *& quamvis Concilium Lateranense sub Leone X. utatur verbo, latam sententiam præseferente, ibi* -- Circa hoc autem negligentes, pœnas in iisdem canonibus contentas, se noverint incursuros — *itidemque Tridentinum* cit. cap. 2. — Quod si.... negligentes fuerint, pœnas Sacris Canonibus sancitas incurrant -- *utriusque tamen Concilii decreta relationem habent ad pœnas a supracitat. textibus statutas, nihilque circa easdem pœnas innovarunt, prout declaravit Cong. Concil. teste Fagnan. ad dict. cap.* Sicut olim, nom. 109.

Iisdem pœnis subjacet Episcopus, negligens Synodum diœcesanam quotannis celebrare, tam ex cit. Triden. decreto, quam ex declaratione Cong. Conc. ut in dubio positionis 77. ejusdem Cong. ad dict. c. 2. sess. 24.

Non desunt tamen DD. relati a Bened. XIV. de Synod. Diœc. lib. 1. cap. 6. n. 5. edit. Patav. 1756. *qui hoc Synodi quotannis celebrandæ præceptum nimium benigne moderentur, quibus tamen objicienda sunt verba ejusdem Bened. ibi* — Nos vero, quamquam non negemus, potuisse Tridentini decretum contraria consuetudine nonnihil emolliri, & temperari; non idcirco tamen approbamus effrenem istam licentiam, quam privati Doctores sibi usurpant, illud pro libito, etiam contra expressa ejusdem verba, interpretandi, & limitandi: neque illos excusamus Episcopos, qui, cum nihil sit, quod eos impediat, ex sola socordia, & negligentia, Synodum facere prætermittunt: eosque magis redarguimus, qui cum plures annos diœcesim gubernaverint, ne de cogenda quidem Synodo unquam cogitarunt; hi enim, ceterique, qui ex mera incuria, & inertia præfato Tridentini præcepto non parent, & sine ulla causa Synodum facere omittunt, meminisse deberent, se, præter reatum inobedientiæ, pœnam incurrere suspensionis ab officio, statutam *in cap.* Sicut olim, de accusat. *Quisquis autem hoc salutare statutum neglexerit adimplere, a sui executione officii suspendatur: licet pœna hujusmodi, ut ipsa indicat vox* Suspendatur *non sit latæ, sed ferendæ sententia, quod in eodem cap.* Sicut olim *adnotarunt* Hostiensis *in fine*, Joannes Andreas num. 7. Fagnanus n. 105. & seq. *referens etiam resolutiones Sacræ Cong. Conc.* Thomassin. de vet. & nov. Eccles. discipl. par. 2. lib. 3. cap. 75. num. 10. Neque audiendi sunt, qui, ad propriam obtegendam ignaviam, se consulto, & prudenter abstinere dictitant a Synodi coactione, ne novarum Constitutionum in dies accessione, commissæ sibi diœcesis status perturbetur: nam in primis necesse non est, ut novæ Constitutiones in Synodo edantur, sed quandoque expedit, solum urgere executionem illarum, quæ jam sancitæ fuerunt.... Deinde difficile videtur hoc tempore, quo ecclesiastica disciplina quotidie consenescit, & labefactatur, aliquam inveniri diœcesim, cui opus non sit ulla nova Constitutione, qua saltem antiquæ leges corroborentur, & quæ morum corruptela pene obsoleverunt, reviviscant. —

Item tenetur Episcopus infra sex menses post celebratum provinciale Concilium, diœcesanam Synodum celebrare, ut in ea publicentur dicti Concilii provincialis decreta. Cumque dubitatum fuerit in Cong. Conc. ut refert Fagnan. in cit. c. Sicut olim, *an eam negligens, incurreret pœnam suspensionis duorum mensium, juxta can.* Decernimus 17. dist. 18. *desumptum ex cap. 6. Concilii Toletani 16. Congregatio respondit* — Episcopum teneri ad congregandam dictam Synodum diœcesanam juxta *dict. cap. fin. & DD. ibidem*. Nec Tridentinum Concilium Episcopum ab hoc onere liberavit: ideo ad tollendum omnem scrupulum ab eo, qui omisit eam Synodum celebrare, petendam absolutionem a Papa, & monendum Episcopum per litteras Congregationis, ut deinceps servet *d. cap. fin.*

Nota I. quod si Episcopus habeat duas cathedrales unitas, tenetur Synodum alternatim celebrare in ambabus, ex decreto dict. Cong. in Ampurien. 8. Maji 1694. ut lib. 44. Decret.

Nota II. quod licet Tridentinum loc. cit. *nullam mentionem faciat pœnæ inferendæ recusantibus accedere ad Synodum diœcesanam, si de jure ei interesse teneantur, possunt tamen per Episcopum censuris, aliisque pœnis, etiam pecuniariis coerceri; prout etiam ii, qui vel ad eam ita cunctanter se conferunt, ut perveniant, cum jam absoluta est, vel priusquam absolvatur, recedunt, ut ex declaratione Cong. Conc. probat laudatus Bened.* in cit. tract. de Synod. Diœc. lib. 3. cap. 1. num. 5, & cap. 12. num. 1. & 2.

☞ CAPUT I.

Tabacum ante Sacram Communionem, & in Ecclesia sumentium pœna.

P*Ulveris nicosiani, vulgo tabaci, sumptio, sive fumo in os injecti, sive naribus attracti ante Sacram Communionem, tam sacerdotibus, quam cuicunque alia persona vetita fuerat a Concilio Mexicano an.* 1585. *per Sedem Apostolicam approbato, ut affirmat* Card. de Aguirre in præfat. ad tom. 4. Conciltor. Hispan. num. 16. lib. 3. tit. 15. §. 13. *cui prohibitioni Card. Borgia Archiep. Hispalensis an. 1642. addidit pœnam excommunicationis latæ sententiæ in sacerdotes sibi subditos, illo utentes una ante Missæ celebrationem, altera post eamdem celebratam hora. Clericatus autem* decis. 54. ad Novemb. cas. 2. num. 13. & 14. *refert, Congregationem Conc. sub die 1. Apr. 1678. jussu Innoc. XI. injunxisse Episcopis, ut sub pœna suspensionis, ipso facto incurrenda, prohibere possent sacerdotibus, ne mane, antequam missam celebrarent, ullatenus tabacum sumerent. His ducti prohibitionibus nonnulli Auctores, relati a Bened. XIV.* de Synod. Diœc. edit. Patav. an. 1756. lib. XI. cap. 13. n. 2. *opinati sunt, illius sumptionem omnibus vetitam esse ab Ecclesia ante Sacram Communionem: quorum tamen opinionem satis confutatam fuisse ibidem demonstrat ab aliis Auctoribus; solam quæstionem in medio relinquens de tabaci folii masticatione; adhærendo tamen sententiæ affirmanti, per eam naturale jejunium violari, si aliquid succi in stomachum trajiciatur.*

Ad sumptionem tabaci quod attinet in Ecclesia, nulla adest generalis prohibitio, sed pro particularibus aliquibus Ecclesiis dumtaxat: sic Urbanus VIII. Constit. cum Ecclesiæ 30. *Jan. 1642. eum inhibuit, sive solidi, sive in frusta concisi, aut in pulverem redacti, ore, vel naribus, aut fumo per tubulos, alioque quocunque modo in Ecclesiis, atriis, & ambitu civitatis, & Diœc. Hispalens.* — sub excommunicationis latæ sententiæ, eo ipso absque alia declaratione per contrafacientes incurrendæ pœna — *Ad quam tamen incurrendam requiritur ausus, & præsumptio, ut expresse disponitur in eadem Constit. Sic Innoc. X. & XI. excommunicatione latæ sententiæ perculerunt, illum sumere audentes intra Vaticanam Basilicam, ac insuper dictus Innoc. XI.* 10. *Octobr.* 1681. *ut refert Cleric.* loc. cit. *inflixerat pœnam suspensionis a divinis, ipso facto incurrendæ, & scutorum XXV. solvendorum a Presbyteris, tabacum sumentibus in sacristiis Urbis Romæ.*

Verum hodie per ea, quæ animadvertit Bened. XIV. loc. sup. cit. num. 3. *nec hujusmodi prohibitiones in Urbe amplius attendendæ sunt, nec expedit, ut ab Episcopis tabaci usus sub censurarum pœna interdicatur: etenim* — cum a communi (*sunt verba Benedicti*) consuetudine sit adeo cohonestatus, ut nulli prorsus scandalum præbeat, aut admirationem causet, quod bene perpendit Lazarus Benedictus Miglioruccius — *Instit. jur. Canonic. tom. 1. pag.* 187. — nimium profecto severum se præberet Episcopus, si Mexicanæ, aliarumque similium Synodorum vestigiis insistens, aut omnibus ante Sacræ Eucharistiæ perceptionem, aut solis sacerdotibus ante mis-

mitte celebrationem tabacum interdiceret; adjecta præsertim in transgressores censurarum pœna: quapropter, cum Nos in minoribus constituti, Sacræ Congregationis Concilii Secretarii munus obiremus, semper Episcopis auctores fuimus, ut ejusmodi Constitutionem, jam aliquando formatam, a suis Synodis subtraherent, ne nimii rigoris notam incurrerent, aditumque aperirent subditorum querelis, ad Sacram Congregationem Concilii deferendis: quod multo magis iisdem consulendum ducimus, postquam fan. mem. Bened. XIII. exploratum habens, a tabaci usu omnem nunc abesse inhonestatem, atque indecentiam, illum sumere permisit intra Vaticanam Basilicam.

CAPUT I.

Thalmud, & alia impia hebræorum scripta legentes, & retinentes &c.

HÆc jamdudum damnarunt, retinerique prohibuerunt *Summi Pontifices Greg. IX. Innocentius IV. Clem. IV. Honorius IV. Joannes XXII. Julius III. Paulus IV. & Gregor. XIII. postremo Clem. VIII. Constit.* Cum hebræorum 28. *Feb.* 1593. *approbans, & innovans damnationem a suis Prædecessoribus decretam, sequentes addidit pœnas* §. 6. *ibi* — præcipientes tam ipsis judæis, quam quibuscunque typographis, bibliopolis, seu mercatoribus, aliisque quibuscunque christifidelibus, etiam cujuscunque status, gradus, ordinis, vel conditionis existentibus, sub pœnis amissionis librorum, & publicationis omnium bonorum, fisco ejus Principis, in cujus ditione libri reperti fuerint, applicandorum, ac aliis etiam gravioribus, & corporis afflictivis, arbitrio Diœcesani, ac etiam Inquisitoris, si inibi fuerit, statuendis, ac moderandis: necnon quoad christianos etiam excommunicationis majoris latæ sententiæ, per unumquemque contrafacientem eo ipso incurrendæ, ne hujusmodi libros, & alia scripta superius prohibita, ut præfertur, retinere, habere, legere, edere, typis excudere, seu imprimere, describere, vel exemplare, advehere, emere, vendere, donare, commutare, aut alias quomodolibet distrahere, vel alienare — *ne audeant, (quod verbum est in fine §. sequentis, cum quo connectitur hic prior).*

Incurrerent insuper excommunicationem Papæ reservatam delinquentes contra dispofita in hoc sequenti §. 7. — neve quisquam, etiam sub prædictis, & aliis pœnis contra fautores apostatarum a fide, & hæreticorum a sacris canonibus, & Constitutionibus Apostolicis inflictis, ipsis hebræis, pro habendis, scribendis, seu imprimendis hujusmodi libris, vel undecunque afferendis, seu transvehendis, aut pro eorumdem legendorum licentia de cetero impetranda, opem, consilium, auxilium, vel favorem præstare, aut impendere quoque modo audeant — *tunc enim incurrerent in excommunicationem latam in* cap. 1. *Bullæ in die Cœna Domini legi solita (quæ quidem Papæ est reservata) tamquam hæreticorum fautores, prout tales expresse declarantur in hoc eodem* §. 7.

CAPUT I.

Testamenta, seu ultimas voluntates exequi negligens.

SI testator non determinavit tempus, intra quod legata, seu relicta sint exequenda, executores, seu hæredes tenentur legata pia, & profana quamprimum possunt exequi pro foro conscientiæ, *c. Si hæredes, de testam. Eman. Sà, verbo Legatum, n.* 22. *Sanch. opusc. lib.* 4. *c.* 1. *dub.* 53. *n.* 6. *Molina tom.* 1. *disput.* 251. §. *Dubium item est*; qui ait, differentem notabiliter exequi sine causa rationabili, cum posfit exequi, peccare mortaliter, & *Layman lib.* 3. *tract. de ultim. voluntat. c.* 11. & 12. *Abb. in dicto c. Si hæredes, n.* 5. *Covarr. n.* 4. qui omnes concludunt, dilationes concessas a jure ad solvenda legata, procedere tantum, quoad pœnas juris incurrendas: item pro foro externo potest Episcopus differentem exequi sine causa rationabili, etiam ante annum, vel sex menses, cogere ad exequendum per censuras ecclesiasticas, vel interdicendo ei bonorum administrationem defuncti: ita ex *dict. c. Si hæredes*, tenet *Covarr. Molina, Laym. & Sanch. loco cit.*

I. Si hæres, vel executor differat solvere legata pia ultra sex menses, numerandos a die publicationis testamenti, & notitia habita, tenetur ea solvere cum fructibus omnibus, & usuris, & emolumentis, quæ a die mortis defuncti percipi potuissent, §. *Si autem hæres, vers. Si autem legatum, Auth. de Eccles. tit. Abb. Imola, & Barbat. in d. c. Si hæredes, ibi, Covarr. n.* 5. *Sanch. loc. cit. disp.* 56. *n.* 1. *Molina disp.* 251. §. *Quando a testatore.*

Hic adverte, quod fructus legati profani non debentur legatario, nisi qui percepti sunt a die aditæ hæreditatis, vel a die moræ adeundi, ut late *Sanch.* probat, & ex communi testatur *opusc. lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 16. *n.* 1. & 8. fructus autem legati pii debentur legatario, quatenus sunt percepti, a die mortis testatoris; quia ex tunc est dominium ipso jure translatum, etiam ante aditam hæreditatem, per *leg. fin. Cod. de Sacrof. Eccl. Tiraq. de privileg. piæ causæ, cap.* 53. *Molina disp.* 194. *colum.* 1. at post sex menses tenetur etiam præstare usuras legales, idest moratorias, quantum scilicet interest ratione justi lucri cessantis, vel damni emergentis, ex dicta Auth. ut exponit *Lupus in leg. Curabit, comment.* 1. §. 3. *n.* 36. & 65. & quidem etiam ante sex menses pro foro conscientiæ, posita mora, ut supra dictum est, teneretur hæres præstare dictas usuras, seu interesse.

II. Si hæres, seu executor semel monitus a judice, vel ejus nuncio, seu litteris, non exequatur intra annum, perdit omne lucrum, & commodum ex illa ultima voluntate, sibi alias proveniens, *Auth. Hoc amplius Cod. de fideic. & Auth. de hæred. & Falc.* §. *Si quis autem, &* §. *ultim.* & habetur in *d. c. Si hæredes, de testam. & ibi Canonistæ, & Barbos. n.* 2. & hanc pœnam esse latæ sententiæ, seu jure incurri, dicunt *gloss. in d.* §. *Si quis autem, verbo Auferri, Bal. Salic. Jas. Angel. & Corn. in dict. Auth. Hoc amplius, Barbos. loco cit. Menoch. de arbitr. casu* 498. *n.* 58. & communem dicit *Martinez apud Sanch. lib.* 4. *cap.* 1. *dub.* 56. *n.* 7. *Sanch.* tamen *n.* 8. contrarium tenet cum *Covarr. Angel. Castren. Padilla, Tello, Navarr. & Lopez*, quia verbum *Amittet*, ibi positum, est futuri temporis, ideo sententiam exigit: illud est certum, non obligare hanc pœnam ante declaratoriam sententiam, cum sit privativa juris quæsiti, ut *Laym. cap.* 11. *n.* 13. *in fin. Molina disp.* 251. §. *Illud etiam.*

Amplia hanc pœnam, ut procedat etiam in executores ecclesiasticos seculares, & regulares, ut *Barbos. in d. c. Si hæredes, n.* 5.

Limita, quod executor non privatur legitima, seu lucro, quod ex juris dispositione alias sibi debebatur, sed tantum, quod ex voluntate testatoris sibi deferebatur, ut *d. Auth. Hoc amplius*, & late *Barbos. in d. cap. Si hæredes, n.* 6. sed hoc verum, quoad legata profana: nam differens solvere, seu exequi legata pia, privatur etiam legitima, ut de communi testatur *Barbos. n.* 11. cum allegatis ibidem.

III. Præterea hæres, seu executor monitus, differens exequi relicta per annum integrum, privatur munere executoris, & defertur Episcopo quoad legata pia; quod est certum: sed quoad profana secundum receptiorem defertur solum ecclesiastico judici, seu Episcopo, si prævenit in causa; quia hoc judicium compellendi executores est mixti fori: ita *Abb. in d. c. Si hæredes, n.* 7. & *in c. Cum esses, n.* 33. *Molina disp.* 251. §. *Dubium autem, Sanch. lib.* 4. *opusc. cap.* 1. *dub.* 54. *n.* 8. *per d. Auth. Hoc amplius, & cap.* 3. *de testam.* si autem prævenit judex laicus, tunc alii a jure sunt assignati executores ordine successivo, *dict. Auth. Hoc amplius, et Doctores citati*: requiritur autem monitio, saltem una, facta per judicem, sive personaliter, sive edicto, ita ut annus incipiat currere a die monitionis, ut *Sanchez dub.* 54. *n.* 10. qui plures allegat, & alios allegat, & sequitur *Barbos. in d. cap.* 3. *n.* 3. secundum magis communem.

Adde, quod hæc pœna privationis, est latæ sententiæ, ut *Sanch. n.* 16. cum communi, & *Barbos. in d. c. Si hæredes n.* 2. imo etiam ante annum privari executor eo munere, si bis monitus ab Episcopo, ut intra certum tempus legata pia exequatur, non paret, ut *Sanch. n.* 13. *Surdus de aliment. tit.* 8. *privil.* 32. *n.* 7. *et* 8. & per eos adducti.

Legata subsidiorum dotalium a testatoribus, ea lege confraternitatibus, aut piis locis relicta, ut illa virginibus puellis distribuantur, ab his tuta conscientia retineri nequeunt, si vere virgines non sunt, ut tacite declaravit Bened. XIV. in Constit. enim Pastor bonus 13. *Apr.* 1744. §. 27. *impertitur Cardinali majori Pœnitentiario facultatem cum eisdem dispensandi super hujusmodi subsidiorum retentione* — in occultis *tamen*, & foro conscientiæ tantum, quatenus illæ in posterum honeste vivant — *Et hæc injusta retentio locum habet, sive ante, sive post assignationem dotis, virginitatem*

amiserint: & etiam postquam nupserint, Campioni Instruct. confes. par. 2. cap. 49. n. 31. ☜

CAPUT I.

Testimonii causam fingens, ob quam judex ad mulieris examinandæ domum accedat.

IN *cap. Mulieres, de jud. in 6.* Mulieres seculares invitæ personaliter extra casus a jure expressos ad judicia trahi non debent: quod si necessarium fuerit mulieris testimonium, mittatur ad eam tabellio, vel, si id fieri non possit, tunc judex ad eam personaliter accedat: si autem fingatur causa talis, ob quam judex debeat personaliter accedere ad domum mulieris, fictor hujusmodi ipso facto sententiam excommunicationis incurrat; quæ tamen non est reservata, ut *gloss. ibi verbo Incurrat*. Mulieres autem religiosæ, neque volentes, personaliter ad tribunalia vocandæ sunt: & quidquid contra præmissa actum fuerit, est irritum & inane ex *d. cap.*

Limita, quod non sufficit ad pœnam excommunicationis fictio causæ, nisi sequatur accessus iudicis; non tamen requiritur, ut sequatur examen: ita *Cajet. verb. Excommunicatio, cap. 59. Navarr. cap. 27. n. 125. vers. 18. Suar. de censur. dis.* 23. *sect.* 4. *n.* 13. *Sayr. lib. 3. cap. 34. nu. 13. Tolet. lib. 1. cap. 38. §. Octava, Joan. Andr. in dict. cap. Mulieres, ibi, Anchar. n. ult. Franc. n. 2.*

Limitant secundo aliqui, ut text. solum procedat de judicibus ecclesiasticis, vel secularibus in terris Ecclesiæ; quia jura canonica pœnalia, vel exorbitantia a jure communi, simpliciter loquentia de judicibus circa praxim judiciorum regulandam, solum intelliguntur de judicibus Ecclesiæ subjectis, *gloss. in Clem. Dispendiosam, verbo Usuris, de judic.* & ita in terminis *Gemin. & Franc. in d. c. Mulieres, in fin.* sed contrarium verius videtur; quia lex canonica, statuens aliquid ad vitandum periculum peccati, generaliter intelligenda est pro utroque foro, ut ait *Suar. num.* 15. *Clarus §. fin. quæst.* 28. *Quæro igitur.*

Nota, quod quando testes ad judicem venire non possunt, propter justum impedimentum, ut hic, vel alias ob valetudinem &c. judex debet mittere ad eos domum examinatorem peritum, ad eorum dicta excipienda, ut *cap. Si qui testium, ibi gloss. & DD. communiter de test. Rota decis. 44. in collect. Farin. de contr. & crim.* ubi ait communem.

☞ CAPUT I.

Tolosanæ Ecclesiæ statuta turbantium pœna.

EX *Constit. Joannis XXII.* Salvator *relata in Extravag. comm.* cap. 5. *personæ, ea turbare præsumentes, excommunicationem; universitates interdictum; conventus, capitula, sive collegia suspensionem incurrunt, Papæ reservatam.* ☜

CAPUT I.

Tornaamenta agentes.

Vide *verbo Ludus, cap.* 3.

CAPUT I.

Transmarinam peregrinationem assumentes sine licentia Papæ.

Vide *verbo Peregrinatio, cap.* 2.

CAPUT I.

Tutelæ, vel curæ munus ecclesiasticis imponentes, & illud ecclesiastici acceptantes.

I. MUnus tutelæ, vel curæ injungens clerico, vel monacho, aliquando incurrit in censuras, & pœnas ecclesiasticas, ut dixi supra *verbo Immunitas, cap. 3. num.* 2.

II. *In can. Pervenit 86. dist.* ex Concilio Chalced. cap. 3. decrevit Sancta Synodus, neminem de iis, qui clero annumerantur, hoc est Episcopum, sive clericum, aut monachum, misceri secularibus procurationibus, nisi forte qui legibus ad minorum ætatum tutelas, sive curationem inexcusabiles attrahuntur, aut ab Episcopo ad curationes rerum ecclesiasticarum, vel orfanorum, ac viduarum deputantur: si quis vero transgressus fuerit hæc præcepta correctioni ecclesiasticæ subjaceat.

Ex hoc tex. aliqui putant, quod acceptantes tutelam testamentariam, vel dativam, incurrant suspensionem ipso facto, propter illa verba — correctioni ecclesiasticæ subjaceat — quia verbum subjaceat solet importare canonem latæ sententiæ, ut dixi sæpius, & notavi in Indice verbo subjaceat: & ita in hoc casu tenet *gloss. in dict. can. Pervenit, verbo Correctionis:* contaria tamen sententia est communis, eos scilicet nullam incurrere suspensionem, sed solum esse puniendos arbitrio Prælati, per illa verba, correctionis &c. ita *Hugo, Archid. & Turrecrem. ibi, Navarr. cons. 1. num. 5. ne cler. vel monach.*

Nota primo, quod clerici possunt acceptare tutelam legitimam, sed non tenentur; quia ab omnibus civilibus muneribus sunt exempti; ita *gloss. in d. c. Pervenit, verbo Tutelas, Molina tom. 1. de just. disp.* 21. *§. Clerici, Sanch. in decal. lib. 6. cap.* 14. cum communi: monachi autem eam non possunt acceptare, secundum probabiliorem, ut *Sanch. ibi n.* 25.

☞ *Possent tamen cum beneplacito Apostolico.* ☜

Nota secundo, quod si clerici, vel monachi tutelam, vel curam testamentariam, vel dativam suscipiant gerendam, nulliter suscipiunt, & acta ipsorum erunt nulla ipso jure, ut de communi testatur *Sanch. loc. cit. n.* 22.

Nota tertio, dubiam esse quæstionem, an laicus tutor, vel curator existens: possit clericus fieri: & primo est certum, quod tutor, vel curator legitimus potest promoveri; quia non repugnat statui clericali, ut supra dixi, & ita *Innoc. in cap. un. de oblig. ad ratioc.* & veriorem dicit *Sylvester, verbo Ratiocinia, n.* 3. & tenet *Ber. Diaz ibi, Salzedo, cap. 20. praxi n.* 2. De tutore autem, vel curatore testamentario, vel dativo, sunt duæ sententiæ: aliqui dicunt, quod quia tutela, & cura est munus publicum, ut §. 1. *Inst. de excus. tutorum;* consequenter tutores, & curatores dicuntur obligati ad ratiocinia publica, & ideo non possunt, nisi administratione deposita, & ratiociniis absolutis, promoveri, juxta quæ diximus *verbo Obligati cap. 2. n.* 2. & ita tenent *Ugolin. de irregularit. cap. 58. §. 1. n. 1. Tolet. lib. 1. cap. 60. n.* 2. ubi ait, esse communem sententiam: alii dicunt, quod tutela, & cura est munus privatum civile, non publicum, ut habetur *in leg. Athletæ, §. Tutela, ff. de excus. tut.* & ideo tutores, & curatores, finito officio, etiam nondum redditis ratiociniis, possunt promoveri ad clericatum, dummodo non sit periculum manifestum, eos condemnandos esse de dolo, ratione malæ administrationis: & hanc sententiam tenet *Sylvest. verb. Ratiocinia, n. 2. Sayr. de cens. lib. 6. cap. 14. n. 8. in princ. Bern. Diaz cum Salzedo in praxi, cap. 20. n.* 2. ubi tantum excipit tutores Principum, *Bonac. de cens. disp. 7. quæst. 2. pun. 4. n. 4. Barbos. in d. cap. un. de oblig. ad ratioc. n. 2. in fin.* & hæc sententia magis communis, & verior mihi videtur: quia, ut ait *gloss. communiter recepta, tut. verb. Publicum munus, & in dict. leg. Athletæ, §. Tutela*, tutela dicitur munus publicum auctoritate, quia injungitur etiam invitis ex publica potestate; utilitate vero est munus privatum: in casu autem nostro, cum tractetur de tutela in ordine ad rationes reddendas, considereturque, ut respicit privatam utilitatem principaliter, scilicet personam, & bona pupilli, dicenda sunt ratiocinia privata.

Nota quarto, quod clericus existens, si munus tutelæ subeat, potest promoveri, dummodo, si tutela sit testamentaria, vel dativa, eam deponat, ut *Barbos. in d. c. unic. n. 7. cum ibi alleg.*

Nota quinto quod tutor, vel curator damnatus iudicio tutelæ, & rationibus distrahendis, de dolo malo, efficitur ipso jure infamis, & consequenter irregularis erit, *ex leg. 1. ff. de his, qui not. infam. can. Irreligiosum 87. dist. ibi Archid. n.* 1. & dixi supra *verbo Obligati, cap. 2. n.* 2.

Nota sexto, quod tutor, & curator, si velit ingredi Religionem bono zelo, potest id facere, rationibus redditis: & hæc est justa causa excusandi se ab hoc publico munere, per ea, quæ dixi supra *verbo Obligati, cap. 2. n.* 2. & multo magis si vovit Religionis ingressum, antequam tutelæ, vel curæ munus subiret: imo in hoc casu alias respondi, teneri tutorem deponere tutelam, Religionemque ingredi; quia munus tutelæ invenit eum jam præventum voto, & status ipsius jam erat mixtus, seu implicitus: & idem hoc casu judicandum de eo, quod de religioso, per ea, quæ

docet

docet *Bal. in leg.* 1. *in fin. Cod. an. serv. ex suo sac. Anan. in d. cap. un. de oblig. ad ratioc. in fin. Jason. in leg. Cum quædam puella*, *n.* 11. *ff. de jurisd. omn. jud. Balb. decis.* 229. sed hæc intelligas, ratiociniis prius redditis, & debitis persolutis, ut dixi *d. verb. Obligati cap.* 2. *n.* 1. & dummodo alius remaneat, vel provideatur tutor, vel curator idoneus pupillo, seu minori: qua in re ad intelligentiam breviter dico, quod cum per professionem hic tutor mortuus civiliter reputetur, *leg. Deo nobis*, *ibi gloss. verb. Legitime*, *Cod. de Ep. & cler.* ideo si erat ipse tutor testamentarius, vel legitimus, non solus, sed cum aliis, remanent alii, si sunt sufficientes; nisi testamentarii dati sint cum clausula, ut unus non possit sine alio administrare, ut *Rot. infra cit.* alias in ejus locum a judice alius dandus: si vero erat solus testamentarius, eo professionem faciente, succedit tutor legitimus; si autem erat legitimus, succedet dativus (si nullus alius sit consanguineus, qui succedat) hæc habentur *in leg. Si quis sub conditione*, *ff. de testam. tut. leg. Intestato*, *ff. de legit. tutor. & utrobique gloss. & gloss. in leg.* 1. *in fin. Cod. de testam. tut. ibi Salyc. n.* 3. *Antonin. Piteggius tract. de tutor. & cur. quæst.* 9. *n.* 8. *Rot. Buratt. decis.* 384. *per totam*: sed si erat solus testamentarius, eo manente in novitiatu, dativus providendus est a judice, quia posset ad seculum, & ad tutelam redire *per §.* 2. *&* 3. *inst. de attil. tut.*

CAPUT I.

Vacantium Ecclesiarum, seu beneficiorum bona, vel fructus occupantes.

Quicunque vacantis Ecclesiæ, seu beneficii bona, vel fructus occupat per usurpationem, idest tanquam ex jure sibi non vere competenti, incurrit excommunicationem Papæ reservatam, nec absolvendus, nisi satisfactione præcedente: & si usurpantes sunt patroni illius Ecclesiæ, seu beneficii, ipso facto sunt privati jurepatronatus: clerici autem, sive usurpantes, sive consentientes, ultra pœnas prædictas, incurrunt privationem omnium beneficiorum, & inhabilitatem ad beneficia consequenda, ex *Trid. sess.* 22. *cap.* 11. *de reform.*

Item occupantes per usurpationem fructus, vel proventus, vel jurisdictiones Ecclesiarum, vel beneficiorum, incurrunt in excommun. latam in *c.* 17. *Bullæ in Cœna Domini*: quia licet ibi tantum sit sermo de dictis rebus pertinentibus ad Papam, & Sedem Apostolicam, & ad personas ecclesiasticas, ratione Ecclesiarum, seu beneficiorum suorum; tamen etiam, Sede vacante, dicti fructus, & bona dicuntur pertinere ad personas ecclesiasticas, saltem in genere, idest ad successores, quibus postea conferentur Ecclesiæ, seu beneficia vacantia: & ita tenent *Suarez de censur. disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 97. *Navar. c.* 27. *n.* 70. *vers. Sexta*, *Sayr. de cens. lib.* 3. *c.* 21. *n.* 4. est communis contra *Cajet. verbo Excommun. c.* 27. *Tolet. lib.* 1. *c.* 9. *n.* 6. sed quoad fructus, & bona, quæ, vacante beneficiu, capit Camera Apostolica ratione spolii, non potest esse dubium, quin sit locus excommunicationi *in d. c.* 17. *Bulla in Cœna Domini*.

Est tamen advertendum, quod multi putant, Bullam ibi loqui tantum contra usurpantes vigore laicæ potestatis publicæ, ut *Sosa super Bulla in Cœna Domini*, *disp.* 90. *Ugolin. in d. c.* 17. *vers. Vel etiam*, *Navarr. c.* 27. *n.* 71. *Alter. ibi cap.* 2. *col.* 3. sed quod procedat de quocunque usurpante quavis potestate, tenet *Regin. lib.* 9. *c.* 25. *n.* 372. *Duard. Filiuc.* quos sequitur *Benac. super eadem Bulla*, *quæst.* 18. *punct.* 3. *n.* 2.

Aliæ etiam sunt censuræ specialiter latæ contra usurpantes, vel occupantes bona, vel fructus Ecclesiarum, & beneficiorum vacantium, de quibus infra dicemus.

CAPUT II.

Vacantium Ecclesiarum, vel piorum locorum bona occupare præsumentes per usurpationem jurispatronatus, seu custodia in eisdem, & ad hæc clerici cooperantes.

In *c. Generali* 13. *de elect. in* 6. fertur excommunicatio, nulli reservata, contra omnes, qui regalia, custodiam, seu guardiam, advocationis, seu defensionis titulum in vacantibus Ecclesiis, monasteriis, seu quibuslibet aliis piis locis de novo usurpare præsumentes, bona earundem Ecclesiarum, seu locorum vacantium occupare præsumunt; & contra clericos, & monachos, & personas earundem Ecclesiarum, seu locorum hæc fieri procurantes: item fertur pœna privationis, seu inhibitionis a perceptione fructuum, seu proventuum earundem Ecclesiarum, seu locorum contra clericos, qui talia facientibus se non opponunt, ut deberent.

Nota primo, quod ad incurrendam præfatam excommunicationem, & pœnas, requiritur, ut duo concurrant in principali delinquente, scilicet usurpatio tituli jurispatronatus, seu custodiæ, seu advocatiæ, & simul occupatio de bonis earundem Ecclesiarum, seu locorum ecclesiasticorum vacantium: ita *Navar. c.* 27. *n.* 123. *Suar. de cens. disp.* 23. *sect.* 4. *n.* 6. *Tolet. lib.* 1. *c.* 39. *circa quartam excomm. Sayr. lib.* 3. *c.* 34. *n.* 10. *Filiuc. trac.* 14. *n.* 56.

Nota secundo, quod illa pœna inhibitionis a perceptione fructuum &c. non est censura suspensionis, sed pœna pura ecclesiastica privationis fructuum, seu proventuum; quia non est inducenda censura, nisi eam verba sonent, *Reginal. lib.* 30. *tract.* 2. *n.* 182. *Roderic. quæst. regul.* 18. *art.* 1. *§.* 1. *tom.* 2. *Filiuc. tract.* 20. *n.* 215. *Eman. Sà*, *verbo Confessor*, *n.* 11. *Suar. disp.* 23. *sect.* 4. *n.* 7. *in fin.* unde dicit *Suarez*, non teneri clericos per se exequi eam pœnam, sed requiri declaratoriam, seu executoriam; sed ego puto, eos teneri abstinere in conscientia a tali perceptione sub peccato mortali, ratione præcepti injuncti, per illa verba *districtius inhibemus*: & ita sentit *gloss. ibi verbo Inhibemus*.

Nota tertio, pœnas istas latas contra non impedientes, cum debeant secundum probabiliorem intelligi procedere contra eos, qui tenebantur ex justitia, seu ex officio impedire, & non tantum ex charitate: ita *Archid. in dict. c. Generali*, *Suarez loco cit. n.* 7. omnes autem clerici ejusdem loci, seu beneficii tenentur extraneum a tali usurpatione, & occupatione impedire ex justitia, non autem clerici extranei, per ea, quæ habet *Less. lib.* 2. *c.* 13. *n.* 75. *Sotus lib.* 4. *de just. quæst.* 7. *art.* 3.

CAPUT III.

Vacantium Ecclesiarum secularium, vel regularium bona clerici earundem occupantes.

In *c. Quia sæpe*, *de elect. in* 6. statuitur, ne vacante Ecclesia cathedrali, vel collegiata, vel regulari, capitula, aut collegia, aut conventus, earumve singulares personæ, de bonis relictis a defuncto Prælato, seu fructibus Ecclesiæ vacantis (quæ omnia, vel in utilitatem Ecclesiæ expendi, vel successori reservari debent) occupent, dividant, surripiant, dilapident, vel consument, non obstante quocunque privilegio, vel consuetudine; præsumentes autem contra facere, incurrant suspensionem ab officio, & a quibuscunque beneficiis, donec plene restituant.

Nota, quod ait, fore ab officio suspensos, intelligendum de officio ordinis, & jurisdictionis, *Suar. de cens. disp.* 26. *sect.* 1. *n.* 11. *Sayr. lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 2. *&* 7. quod autem ait, fore suspensos a beneficiis, aliqui intelligunt etiam ab omnibus beneficiis ubique locorum, ut ait *gloss. ibidem*, *Gemin. n.* 17. *Anchar. n.* 3. *Franc. n.* 2. sed secundum communem est a beneficiis tantum, quæ in ea Ecclesia læsa obtinent, *gloss. in Clem.* 2. *verbo Beneficiorum*, *de vit. & hon. Cleric. Sayr. lib.* 4. *c.* 6. *n.* 25. *Suar. disp.* 26. *sect.* 1. *n.* 21. *Abb. in c. Pastoralis*, *§. Verum*, *n.* 21. *de appellat.*

Nota secundo, quod hæc censura suspensionis, facta integrali restitutione, cessat, nec indiget absolutione, *gloss. ibid. Gemin. n.* 17. *Anchar. n.* 3. *Franc. n.* 2. & de communi testatur *Ugolin. de cens. tab.* 4. *§.* 2. *n.* 4.

Nota tertio, quod non dicitur facta plena restitutio, si deficiat etiam in minimo, usque ad unum ovum, ut *gloss. ibi verbo Plene*, *Archid. Anchar. ibi in fine*, *Franch. n.* 2. *Sayr. lib.* 4. *c.* 17. *n.* 6. *&* 7. *Ugolin. tab.* 4. *de suspens. c.* 4. *§.* 2. *n.* 7. neque sufficit cautio, etiam idonea, *gloss. in cap. Præsenti*, *verbo Restitutionem*, *de off. ordin. in* 6. *ibi Gemin. n.* 17. *Anchar. n. ult.* tamen *Ugolin. loco cit.* ait, sufficere, si is, ad quem res pertinet, debitum condonaverit, vel fidem ei habuerit de futura restitutione, dilatione concessa; idque verum puto.

Nota quarto, quod hæc decretalis non loquitur, nisi de Ecclesiis, ut supra, non autem de aliis beneficiis; quia de his est alibi cautum, ut *c. seq.* dicemus: & ita *gloss. in d. c. Quia sæpe*, *ibi Barbos. n.* 7. *Boer. decis.* 340. *n.* 2.

Nota quinto, quod hæc decretalis procedit de jure com-

mu-

muni. An autem poenae istae procedant etiam, quando Camera Apostolica capit ea bona jure spolii, dicam *cap. seq. & cap. 6.*

CAPUT IV.

Vacantium beneficiorum bona occupantes collatores, patroni, vel custodes eorundem.

IN *cap. Praesenti, de offic. ordin. in 6.* statutum est, ne ordinarii collatores, aut patroni, aut custodes beneficiorum, seu locorum ecclesiasticorum quoromcuoque vacantium occupent, aut in suos usus convertant fructus eorundem, aut bona dimissa a defunctis rectoribus dictorum beneficiorum, seu locorum, quae vel jure spolii ad Ecclesiam eandem pertinent, & in ejus utilitatem convertenda, aut saltem successori reservanda, nisi speciali privilegio, aut consuetudine legitime praescripta, aut alia rationabili causa ipsis occupantibus competant: quo tamen casu fieri debet deductio pro oneribus Ecclesiae supportandis, seu ministris alendis, & aere alieno solvendo: si quis autem contra praedicta agere praesumat, Episcopi incurrant ipso facto suspensionem, seu interdictum ab ingressu Ecclesiae: inferiores vero clerici suspensionem incurrunt ab officio, & beneficio; & durant hae censurae, quousque restitutionem fecerint de praedictis.

Nota, quod ex causa rationabili Episcopus potest beneficii vacantis fructus applicare suae mensae, vel alteri piae causae, dummodo haec concurrant: primo, quod applicet ad tempus, non perpetuo: secundo, quod faciat hoc palam, & cum consensu capituli: tertio, quod non fiat praejudicium alteri habenti jus super illius fructibus, ut hodie in multis locis habet Camera Apostolica: quarto, quod id fiat tempore vacantiae: ita *gloss. in c. un. ut Eccles. benef. sine dimi. conf.* & magis communem ait *Felin. in c. Cum accessissent, n. 34. de const.*

Nota secundo, quod debita contracta a beneficiato defuncto in utilitates Ecclesiae, unde illa sit facta meliotis conditionis, non sunt solvenda ab haeredibus beneficiati de patrimonialibus, sed de reditibus ecclesiasticis, remanentibus Ecclesiae, vel de acquisitis per tales reditus a beneficiato eodem defuncto, ut *gloss. hic, verbo Debitis, Navarr. §. 9. de spolio, n. 9. Filiuc. tract. 43. c. 6. n. 13.*

Nota tertio, quod neque haec decretalis, neque altera, de qua dixi *cap. praeced.* procedunt hodie in beneficiis, & bonis, seu fructibus spolio Camerae Apostolicae subjectis; quia hae Constitutiones solum loquuntur de illis fructibus, & bonis, quae ad eandem Ecclesiam pertinent jure spolii, vel successori in eadem, prout de jure communi.

Nota quarto, quod hic non derogatur privilegiis, & praescriptionibus.

Nota quinto, quod patronus laicus non habet custodiam Ecclesiae patronatae, sed tunc custodia ad Praelatum pertinet, ad quem pertinet institutio, qui deputabit oeconomum beneficio vacanti, ut *c. Cum vos, ibi gloss. verbo Oeconomus, de off. ord.* at patronus ecclesiasticus, idest cui ratione beneficii sui competit jus patronatus, habet custodiam beneficii vacantis, *c. Bonae de appell.* & ita *Lambert. de jure patr. par. 2. lib. 2. quaest. 1. art. 29.*

CAPUT V.

Vacantium beneficiorum in Ecclesiis suis fructus annales occupantes praetextu consuetudinum, vel privilegiorum.

I. EXtrav. un. ne Sede vacante, statutum fuit, ut in Ecclesiis, in quibus ex consuetudine longi temporis, privilegio, vel statuto, fructus, seu obventiones beneficiorum in eisdem vacantium, vel etiam post eorum provisionem, pro primo, vel secundo, vel ulteriori anno, defuncto, aut fabricae, aut Ecclesiae, aut personis, aut annalia hujusmodi habentibus applicanda essent in totum; tale jus habentes nihil exinde percipiant, ultra summam, pro qua unumquodque dictorum beneficiorum solet in decimae solutione taxari, & reliquum remaneat successori in dicto beneficio; vel ipsi jus habentes dimittant dictam summam taxatam successori, & reliquum sibi accipiant; itaut intra decem dies, postquam sciverint beneficia ipsa vacare, eligere alterutrum teneantur: alias optio ad dictum successorem transeat ipso jure: in illis autem Ecclesiis, in quibus decimarum taxatio non est facta, fructus, & obventiones beneficii vacantis, quos io decima solvere consuevit, per medium dividantur, et eorum medietatem habeat is, cui jus annalium in eo competit beneficio, et alia medietas relinquatur beneficiato pro sua sustentatione, et oneribus Ecclesiae sufferendis: quod si alter non sit contentus tali medietate, ea transeat ad alterum cum oneribus Ecclesiae: si quis autem praedictorum ultra praemissa perceperit, illudque iis, ad quos pertinebit, intra mensem non restituerit cum effectu, si sit Episcopus, a pontificalibus, et ingressu Ecclesiae eo ipso noverit se suspensum; capitulum, universitas, vel collegium interdicto, donec cum integritate illicite percepta restituerit, se noverit subjacere; singularis autem ecclesiastica persona, vel mundana excommunicationis incurrat sententiam ipso facto, a qua extra mortis articulum, nisi satisfactione praemissa, minime absolvatur, non obstantibus etc.

De hac decretali ultra *Canonistas ibi, Navarr. de redit. quaest. 3. n. 12. Covarr. in cap. Cum in offic. n. 9. de testam. Gutier. lib. 2. pract. quaest. 114. n. 14. Suar. de censur. disp. 37. sect. 1. n. 11.*

Nota, quod haec poena est solum contra eos, qui illicite, ut supra, percipiunt, praetendentes jus annalium ex aliquo privilegio, statuto, vel consuetudine; non autem contra beneficiatos, aliquid supra taxam percipientes ex suo beneficio, ut *gl. verb. Praedictorum.*

Nota etiam, quod illa suspensio ab ingressu Ecclesiae, proptie est interdictum, ut *Suar. ibidem.*

II. Sed hodie ex Bulla 104. Pii V. *Durum* prohibitum est, ne vigore statuti cujuscunque, aut consuetudinis, etiam immemorabilis, aut privilegii, etiam a Pontifice juramento firmati, etiam ex causa urgentissima concessi, vacantibus Ecclesiae cathedralis, vel collegiatae beneficiis, fructus, seu annalia applicare possint in totum, vel ex parte mensae episcopali, aut capitulo, alterive loco, aut personis Ecclesiae: contravenientes autem incurrant poenas ipso facto, scilicet Episcopi tandiu sint ab exercitio officii pontificalis suspensi, donec a Sede Apostolica, praevia satisfactione, absolvantur; capitula vero, & collegia ecclesiastico sobjaceant interdicto; singulares personae, Episcopis inferiores, excommunicationem incurrant Papae reservatam: & addit, ut canonici, vel beneficiati tempore admissionis ad possessionem jurantes observare praefata statuta, seu privilegia, seu consuetudines; item Episcopi, & capitula, & personae inducentes ad tale juramentum praestandum, in dictas censuras respective incidant ipso facto: & omnia in contrarium acta decernit irrita: excipit tamen Pius V. ibidem,

Primo consuetudines, seu statuta, seu privilegia jam introducta, per quae dicti fructus fabricae Ecclesiae, vel sacristiae, aut alteri pio loco reperiantur applicati; ita tamen, quod si applicatio sit facta ultra semestre tempus, dimidia tantum pars eidem competat loco, & altera dimidia a beneficiato integre percipiatur.

Secundo excipit consuetudines, privilegia, & statuta, quibus capitula, collegia, vel personae habent jus annalium, seu perceptionis fructuum beneficiorum a primo tempore vacationis, usque ad eorum provisionem, seu possessionis consecutionem; quia quoad hoc noluit derogari juri illorum.

Unde apparet, hodie per Bullam ex parte tantum esse derogatum Extrav. praefatae, quoad jus annalium, & quoad poenas ibi statutas: nam hodie Episcopus non incurret interdictum ab ingressu Ecclesiae, sed solam suspensionem a pontificalibus.

☞ *Circa deductiones ex fructibus beneficii, pactiones &c. vide poenas additas ab Innoc. XII. supra post cap. VI. verbo* Simonia *pag.* 284. *col.* 2.

Circa mediam annatam ex Constit. Bened. XIII. Pius 29. *Apr.* 1725. *pro Italia, & Insulis adjacentibus, obtinentes parochiales una cum incertis annuum reditum scutorum centum monetae Romanae excedentes, & canonicatus, ac beneficia tam residentialia, quam non, & simplicia, sita extra Ecclesias collegiatas, cujusvis valoris, tenentur solvere mediam annatam pro fabrica cathedralis: sicut & obtinentes dicta omnia respective beneficia, sita in Ecclesiis collegiatis, vel alias translatis, pro fabrica collegiatae, sive dicta beneficia fuerint liberae collationis, sive jurispatronatus mixti, ac etiam laicalis, & ad quemcunque electio, collatio, institutio, & provisio pertineat, sive nimirum ad Metropolitanum, vel Ordinarium, sive ad capitulum, sive ad alium quemcunque inferiorem, dummodo non pertineat ad S. Sedem, aut etiam legitima non vigeret consuetudo solvendi, vel dimittendi fructus sex mensium,*

sium, aut similem; non tamen minorem ratam favore fabricæ, vel sacristiæ: in quibus casibus nihil solvendum erit.

Hæc autem media annata deponenda est apud personam, deputandam ab Episcopo cum scientia, & consensu capituli, ac reinvestienda in bonis stabilibus, & tutis pro dote fabricæ dumtaxat eorundem respective Ecclesiarum. Et si Archiepiscopus, Episcopus, vel Ordinarii inferiores, & respective capitula, ac singuli canonici in causa fuerint, ut vel ratione minus fidelis, idoneique depositarii, aut ex causa non facti, vel minus tuti, & exinde deperditi investimenti, aut demum propter erogata capitalia, vel fructus in alios usus, aliquod præjudicium emerserit patrimonio fabricæ, ipsi, eorumque heredes, & successores teneantur ad omnia damna, & interessa favore prædictæ fabricæ, eorumdenque bona omnia pro potiori cautela affecta sint, & specialiter hypothecata favore ejusdem fabricæ. Per hoc vero Episcopi non eximuntur ab onere, iis a sacris canonibus injuncto, Ecclesias cathedrales reparandi.

Ab onere hujus mediæ annatæ excipiuntur beneficia Archidiœcesis Beneventanæ, ac aliarum diœcesum, & collegiatarum, in quibus reperitur opus, seu peculiare patrimonium fabricæ, sufficienter instructum; aut onus conservandi, & restaurandi Ecclesias residet penes communitates locorum, vel earum patronos, sub pœna in hos, huic oneri non satisfacientes, patronatum amittendi.

CAPUT VI.

Vacantium Ecclesiarum, seu beneficiorum fructus, vel defunctorum clericorum bona ad Cameram Apostolicam pertinentia occupans.

NOta, quod licet de jure communi fructus Ecclasiæ, vel benaficii vacantis, per œconomum, ab Episcopo, vel capitulo daputandum, percipiandi sint, & vel in utilitatem Eeclesiæ, ejusdemque onara supportanda axpendendi, vel saltam successori in beneficio servandi sint, *cap. cum vos de off. ordin. cap. Quia sæpe, de elect. in 6. c. Præsenti, de off. ordin. in 6.* similitar bona a Prælato, seu benaficiato acquisita ax fructibus ecclasiasticis, suam congruam sustentationem excedentibus, remaneant aidam Ecclesiæ, seu beneficio jure spolii, seu legitimæ successionis, *cap. Placuit* 12. *quæst.* 3. *cap. Cum in officiis, cap. Relatum, n.* 2. *de testam. cap.* 1. *de success. ab intest.* de quibus vide *Azor. tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 9. *quæst.* 8. *Covarr. in d. c. Cum in offic. n.* 6. *Molinam tom.* 1. *disp.* 147. *concl.* 5. *Navarr. de spolio*, §. 10. *n.* 1. *Garziam par.* 2. *de benef. cap.* 1. *n.* 89.

Tamen ax novo jure in multis facta ast eorum applicatio jure spolii Cameræ Apostolicæ: & primo fructus beneficiorum Italiæ, Sedi Apostolicæ reservatorum, seu affectorum vacantium, ax Bulla Pii IV. *Constit.* 32. & Sixti V. *Bulla* 100. §. 20. de quibus *Garzias n.* 90. *ibid.*

Secundo, omnia a benaficiatis, seu alaricis acquisita ax fructibus bonorum ecclesiasticorum, inconsumpta tampore obitus remanantia, si, & quatanus tastandi facultate legitima a Seda Apostolica obtenta, de eis non disposuerint, ax Bulla 29. Pauli III. *Romani Pontificis, Navarr. de spol.* §. 5. *n.* 3. *Filiuc. tract.* 43. *cap.* 5. *a n.* 1. & procadit hoc atiam de acquisitis ax pensionibus ecclesiasticis clericalibus, ex Bulla Pii V. 42. *Romani* §. 6. *Garzias par.* 1. *cap.* 5. *n.* 161. & lata *Filiuc. tract.* 43. *cap.* 4. *n.* 18. & facit *Rota Buratt. decis.* 448. *n.* 3. *Molina, & Navarr. infra limit.* 3. *allegati.*

Tartio, itam omnia bona ecclesiasticis acquisita per illicitam negotiationem, per Bullam 19. Pii IV.

Quarto, bona a clericis relicta illegitimis, ut dicta Bulla Sixti V. §. 15.

Quinto, bona regularium extra claustra degantium, & dacadentium, ax Bulla Gregorii XIII. 43. nisi quatenus facultate tastandi habita disposuerint, ut ibidam, da qua re dixi *verbo Apostasia, cap.* 2. *in fine.*

Sexto, bona claricorum extra residentiam dabitam decedentium, ex Bulla 91. Pii V. & 7. Julii III.

Septimo, fructus beneficiorum vacantium a dafuncto inexacta, ex eadem Bulla Julii III.

Limita circa ista: primo, quod multi dicunt, fructus benaficii vacantis pertinare ad Camaram, quandu beneficium vacat de jura, & de factu; secus si da jure tantum, ut quia collatio facta, fuit nulla ax aliquo dafectu occulto; unde dicunt, revalidato titulo, fructus ad eundem pertinere provisum: ita *Eman. Sà, benefic. n.* 21. *Navarr. de spol.* §. 12. *n.* 3. & 4. *Filiuc. tract.* 43. *cap.* 8. *n.* 18. *Borgas. de irregul. par.* 7. *tit.* 1. *n.* 17. *Bellam. decis.* 842. Contrarium videtur statutum in Bulla prædicta Sixti V. 100. §. 13. ubi reservat Cameræ omnes fructus Eeclesiarum, & benaficiorum male perceptos, atiam ax titulo infecto: sad id intalligendum pro foro axtarno: vel procedit solum, quando provisus non obtinuit postea tituli convalidationam, & hoc verius est.

Limita secundo, airca bona ab ecclesiasticis acquisita per illicitam negotiationam, dubium essa, an hæc applicatio sit legis pœnalis, ut non liget anta santentiam: *dixi verbo Negotiatio*: alias atiam limitationes, & declarationes in materia spolii, vida apud *supra citatos Doctores.*

☞ *Vide Additiones supra pag.* 211. *col.* 1. ☜

Limita tertio, quod spolium non competit Ecclasiæ, seu Cameræ per obitum obtinantis beneficia, vel pensiones, non axcadantia in univarsum reditus ducatorum triginta auri de Camera; dummodo illa abstinuerit ab omni illicita nagotiatione, ex Bulla Pii V. 42. *Romani* §. 6. *Filiuc. tract.* 43. *c.* 8. *n.* 20. *Bonac. de just. dist.* 3. *quæst. ult. pun.* 2. *de spolio* §. 1. *vers.* 6. *sequitur sub n.* 6. *cum allegatis per eos, & Molina tom.* 1. *de just. dis.* 145. §. *Fere hactenus*: qui etiam dicunt, idem esse, atsi beneficiorum, sau pensionum reditus axcessisseut 30. ducatos, si tamen congruam sustantationem illius non axcassarint; quia iden Pius V. axcipit a spolio raditus non excedentes 30. ducatos, quia samper censantur necessarii ad congruam cujuscunque clerici sustentationem: item addunt, prædictam axceptionem, seu axemptionem a jure spolii procadere, atiamsi clericus aliunde ax suo patrimonio potuisset habere congruam sustentationem; quia potast clericus accipera sustentationem ax reditibus beneficii, sau pensionis, & suo patrimonio parcere, illudqua reservare suis consanguineis: dicunt tamen, quod si claricus in vita non declaravit hanc suam voluntatam, non poterunt hæredas hoc declarare, seu prætendere, quod ipse se sustentaverit, seu voluerit se sustentare ax reditibus acclasiasticis, sed potius præsumitur, favore Ecclesiæ voluisse ax suo patrimonio se sustentare: ita *Rodoan. de spol. quæst.* 6. *n.* 12. *Filiuc. cap.* 8. *n.* 17. *Bonac. n.* 5. *loc. cit.* sad *Navarr. cons.* 4. *n.* 5. *de pecul. cleric.* contrarium tenat, asserens, quod ex communi usu censetur voluissa suo patrimonio parcere; & hanc sententiam probabilam ait *Bonac. ibidem*: & satis probabilem eam puto quoad reditus pensionum, vel quoad beneficiorum raditus, quando certa portio ax illis assignatur beneficiato pro ejus sustentationa, aliis portionibus resignatis fabricæ Ecclasiæ, pauperibus; & ita tanant *multi graves Auctores, Rodoan. ibi n.* 8.

Limita quarto, quod Curiam Romanam sequentes, & Romanam Urbem incolentas, & Romani cives originarii (in ipsa Urbe, val ajus districtu intra decam milliaria decedentes) habent liberam facultatam disponandi, tam inter vivos, quam per ultimam voluntatem, de acquisitis ex reditibus acclesiasticis, ex Bulla 18. Pauli V. *In eminenti* §. 2.

Advertendum autam, quod ax *Bulla S. D. N. Urb. VIII.* 80. *Æternus*, §. 6. declaratum ast, quæcunque indulta, facultates, seu privilegia, etiam per modum lagis, aut specialitar concessa disponendi, sive inter vivos, sive per ultimam voluntatem, val transmittandi ab intastato, aut succedendi circa bona ex ecclesiasticis reditibus acquisita, non extandi ad fructus inaxactos, etiamsi talia emolumenta inaxacta, v. g. affictus, pensiones &c. daberentur defunctu, rationa fructuum jam percaptorum: unda in hac re limitatur etiam dicta Constitutio, seu privilegium, Romanis a Paulo V. concessum: non tamen derogat Constitutioni prædictæ Pii V. 42. scilicet exemptioni a iure spolii, quoad acquisita ex pensionibus, ducatos 30. non excedentibus, quia Constitutio Urbani VIII. non loquitur da iis, qui ipso jure sunt liberi a jure spolii Camaræ Apostolicæ.

Itaque hodia pensiones inexactæ, atiam termino maturato, vel quæ debentur pro rata fructuum jam percaptorum hæredibus pensionarii, termino non maturato, juxta *Rotam Cavaler. decis.* 129. & *Burat. decis.* 67. *n.* 3. debentur Cameræ Apostolicæ, si pensio excedit ducatos 30.

Limita quarto, quod in spolio non continentur vasa, & ornamanta, paramenta, libri ad divinum cultum, ordinata, scilicat ad usum capellæ, vel functionum sacrarum; quia aa ad Ecclasiam, seu monasterium pertinent, & ipso jure sunt sacristiæ illius applicata, etiam Episcopo, vel Prælato dacedanta extra residentiam, seu extra claustra, ex Bulla Pii V. 42. *Romani* §. 1.

Occupans bona Ecclesiæ vacantis, vel defuncti beneficiati, ad Cameram pertinentia, contra jus spolii supradictum, si præ-

prætextu privilegii, aut alterius facultatis injuste id faciat, incurrit in excommunicationem latam a Tridentino, & in Bulla Cœnæ Domini, de quibus dixi, *cap.* 1. si autem furtive occupet, nullam a jure communi censuram incurrit, secundum probabiliorem, ut dicam *verbo Usurpatio*: sed incurret excommunicationem, quando a commissariis spolii ecclesiastici promulgabitur contra non restituentes, vel non revelantes, ita *Marius Alter. tom.* 2. *disp.* 12. *c.* 3. *in fine.*

☞ *De justitia spolii, ejusque Collectorum deputatione, numero, & exemptione, vide Bened. XIV.* de Synod. Diœc. edit. Patav. an. 1756. lib. 3. cap. 8. n. 6. & seqq. ☜

CAPUT I.

Valorem verum reditus beneficiorum obtinendorum in Curia Romana non exprimentes.

§. EX regula Cancellariæ 55. de valore, cautum est, ut in gratiis beneficiorum apud Sedem Apostolicam obtinendis eorum annuus valor exprimi debeat; alias gratiæ sint nullæ, scilicet ob vitium subreptionis.

Limita primo, ut non procedat dicta irritatio seu subreptio, quando valor falsus, est expressus per excessum negative, scilicet per clausulam illam, solitam apponi in supplicationibus de stylo Curiæ, *cujus fructus valorem annuum scutorum, ver. gratia* 200. *auri de Camera non excedunt*: tunc enim gratia non irritatur, licet valor beneficii sit longe minor scutis ducentis, ut ait *Mandos. super reg.* 22. *de union.* quia tunc satis censetur regulæ satisfactum; quia si Papa Titio concedere voluit beneficium valoris 200. multo magis concessisset beneficium illud, si scivisset, esse minoris valoris, ut 100. *Mandos. ibi, & Gomez super ead. reg. de valore in præfatione*, & quia cessat periculum defraudationis annatæ, ut ait *Gomez ibi.*

Et hæc vera sunt, etiamsi valor hoc modo excessivus, expressus fuerit ad effectum reservationis pensionis; ut cum Episcopus beneficium vacans in mense suo confert Titio cum reservatione pensionis 100. ad favorem Caii, reservato beneplacito Apostolico; tunc enim cum tam gratia pensionis, quam provisio beneficii debeat in Curia Romana expediri, supplicatione porrecta Papæ, si partes in supplicatione valorem excessivum expresserint, ut Papa putet, beneficium esse capax tantæ pensionis, & in gratia, seu litteris reservationis pensionis expressus fuerit valor non præcisus, sed conditionaliter per clausulam, dummodo 100. remaneant rectori, non irritatur gratia in totum, sed reservatio pensionis subsistit eatenus, quatenus fructus excedant illa 100. quæ pro congrua reservata sunt rectori, ita *Buratt. decis.* 369. *n.* 8. *Garzias par.* 1. *cap.* 5. *n.* 427.

II. Pensionarius, exigens pensionem reservatam ad ipsius favorem a Papa, litteris subreptitiis, ideft quatenus gratia reservationis irrita sit modo supradicto, aut alias quomodolibet, incurrit excommunicationem Papæ reservatam, & alias pœnas latas contra usurpantes fructus beneficiorum ecclesiasticorum, de quibus dicam *infra verb. Usurpatio c.* 5. easdemque pœnas omnes incurrit beneficiatus, scienter solvens hujusmodi pensionem, tanquam consentiens usurpationi, ut ibidem dicam: etenim hæc est proprie usurpatio fructuum, cum exigantur tanquam ex jore ad ipsos usurpato, seu nullo, ut explicabo ibidem: neque enim potest rector beneficii in præjudicium sui successoris, seu Ecclesiæ gravatæ consentire pensioni irritæ, & præsertim contra decretum Apostolicum: neque potest se excusare, dicendo, se solvere tantum sua vita durante, & in damnum proprium; quia respondetur, quod etiam sic præjudicat successori; quia pensionarius constituitur in quasi possessione, & successor rectoris oneratur incommodo probandi, reservationem fuisse nullam, in totum scilicet, vel parte excessiva, ut *Rota recent. par.* 1. *decis.* 547. *n.* 4.

CAPUT I.

Vectigalia nova imponentes, vel augentes.

IN *c. Si quis Romipetas* 24. *q.* 3. Calixtus Papa sic statuit — si quis mercatores novis teloniorum, aut pedagiorum exactionibus molestare tentaverit, donec satisfecerit, communione careat christiana — item in *c. Innovamus de cens.* Alexander tertius, ne quisquam alicui novas pedagiorum exactiones sine auctoritate, & consensu principum statuere aliquo modo præsumat: si quis autem contra hoc fecerit, & commonitus, non destiterit, donec satisfaciat, communione careat christiana.

Nota, quod per hæc verba *communione careat christiana*, infertur pœna excommunicationis transgressoribus, ut *Molina dis.* 666. *in fin. tract.* 2. *de just. Alter. tom.* 1. *lib.* 5. *disp.* 6. *c.* 2. §. *Hæc facultas, Cardin. in d. c. Innovamus, n.* 2. & videtur esse latæ sententiæ, ob illam particulam *careat*, ut de communi testatur *Butrius in c. Potuit, de loc. Tiraquell. in leg. Si unquam, verbo Revertatur, n.* 166. *C. de revoc. donat.* & veriorem dicit *Felin. in c. Ex tenore, n.* 17. *de rescript.* & senet *Azor. lib.* 5. *c.* 9. §. *Tertia regula, tom.* 1. & in terminis *Alterius c.* 2. §. *Qua in re*: quamvis contrarium teneat *Hostien. in d. c. Innovamus*, §. *Si quis Romipetas, in princip.* & alii, quos allegavi *verbo Peregrinus cap.* 1.

In *cap.* 5. *Bullæ in Cœna Domini*, est excommunicatio latæ sententiæ contra omnes, qui in terris suis pedagia, seu gabellas novas imponunt, vel augent, præterquam in casibus a jore, vel ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis, vel augeri, seu imponi prohibita exiguut.

Amplia, ut nomine pedagii, & gabellæ hic contineatur omne onus patrimoniale reale, vel mixtum, *Navarr. c.* 27. *n.* 61. *& cons.* 8. *de cens. Ugolin. super eod. c. Bullæ*, §. 2. *vers. Secundo affecit, Suar. de cens. disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 41. *Vivald. super eod. c. casu* 5. *n.* 1. *Filiuc. tract.* 16. *n.* 103.

Limita primo, ut non procedat hæc excommunicatio, quando gabella, vel vectigal esset impositum auctoritate supremi principis, ut communiter tenent Doctores, quos allegat, & sequitur *Barbosa in d. c. Innovamus, n.* 3. & sufficit, si habeat iura supremi, etiamsi habitu Imperatorem recognoscat: ita *Tolet. lib.* 1. *c.* 21. §. *Dices, Filiuc. tract.* 16. *n.* 104. *Graff. tom.* 1. *lib.* 2. *c.* 125. *n.* 15. ubi ponit exemplum in Serenissimo Duce Sabaudiæ: & *Suarez de legib. lib.* 3. *c.* 8. *n.* 9. & idem de omni principe, a quo non datur appellatio, *Navarr. cons.* 7. *de cens. Ozasch. dec.* 155.

Limita secundo, ut non incurrat hanc censuram recipiens indebitum vectigal a sponte offerente, nulla scilicet exactione, ideft coactione, vel requisitione interveniente, *Cajet. verbo Excommun. c.* 71. *Ugolin. hic*, §. 3. *Sayr. lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 9. *Tolet. c.* 21. *in fin. Suar. n.* 43.

Limita tertio, ut non incurrat exigens vectigal non impositum, aut supra quam impositum est, si id faciat, non ut pro vectigali recipiat, sed ut furtivum sibi reservet: est probabilior, & magis communis sententia, *Sylv. verb. Excom.* 7. *n.* 54. *Filiuc. n.* 214. *Tolet. c.* 21. §. *penult. Bonac. super Bulla Cœnæ quæst.* 6. *pun. ult. n.* 15. quamvis contrarium probabile sit, quod tunc etiam exigens, incurrat in hanc excommunicationem, ut *Filiuc. n.* 113.

☞ CAPUT I.

Venatio clericis prohibita.

IN *cap.* Episcopum 1. de cleric. venat. *quod falso in codice Decretalium adscribitur Concilio Aurelianensi, cum desumtum sit a Conc. Agathensi an.* 506. cap. 55. *Episcopis, presbyteris, & diaconis prohibetur tetentio canum, aut accipitrum ad venandum: Episcopis quidem sub pœna suspensionis per tres menses, presbyteris per duos, diaconis vero per unum, prout habetur in genuino textu* citati cap. 55.

Nota I. hanc suspensionem esse ferendæ sententiæ, ut clare præsefert verbum Suspendatur, *quo utitur textus in codic. Decretal. imo tunc dumtaxat ferendam, cum quis ex enunciatis in hac voluptate (in venatione scilicet exercenda) sæpius detentus fuerit, prout in cit. textu.*

Nota II. glossa hic verbo Voluptate *tenet, hac eadem pœna puniri posse subdiaconum verum non videtur amplectenda; cum enim innitatur rationi desumtæ a cap.* Miramur 7. de servis non ordin. *ubi declaratur, quod subdiaconalis ordo, postquam cooptatus fuit inter sacros a S. Gregorio I. relat. in can.* Ante triennium 1. distinc. 31. *ac postmodum etiam ab Urbano II. relat. in can.* Erubescant 11. distinc. 32. *cum diaconali gradu eodem gaudeat privilegio, nullatenus facienda est illatio a privilegio ad pœnam, cum neque in ipsis materiis pœnalibus, ex vulgatis, facienda sit de casu expresso ad non expressum, etiam ex identitate rationis: quidquid sit, quod tempore emanati canonis Conc. Agathens. subdiaconatus minoribus dumtaxat accensebatur ordinibus. Poterit vero puniri arbitrio Episcopi, ut dicam infra; non tamen præcise vi hujus decretalis, vel alterius textus canonici, ha-* ben-

bentis vim legis universalis, & extendentis dictam pœnam ad subdiaconum: quamvis ceteroqui reperiatur extensa in Conciliis provincialibus, relatis a Consal. hoc eod. cap. prout etiam reperitur in sexta Synodo, habita an. 1265. a Nicolao Gelant. Episcopo Andegavensi cap. a. tom. 1. Spicileg. pag. 729.

Hanc eandem prohibitionem renovavit etiam iisdem fere verbis Concilium *Epaonense an.* 517. *can.* 4. *quam postea* Concilium *Germanicum an.* 742. *can.* 2. (*non Aurelianense, ut refertur in* cap. 2. cit. tit. de cleric. venat.) *extendit ad omnes clericos per hæc verba* Omnibus servis Dei (*idest clericis, ut gloss. hic*) ut venationes, & sylvaticas vagationes cum canibus, & accipitres, aut falcones non habeant, interdicimus (*sic in textu apud Gonzal.*): *nulla tamen hic legitur adjecta pœna.*

Cum autem duo sint genera venationum, altera scilicet sit clamorosa, seu saltuosa, quæ fit magno armorum, canum, accipitrum apparatu, & tumultu ad capiendos apros, cervos, & majores feras; altera quieta, quæ nimirum exercetur solis laqueis, & retibus, aut etiam cum armis, sed paucis adhibitis canibus, sine ullo strepitu, ad occidendum volucres, minoresque feras non feroces, communior DD. *sententia est, ut clamorosa dumtaxat sit interdicta; quamvis contraria sit juri conformior.*

Nec audiendi sunt, qui dixerunt, hos canones contrario usu abrogatos fuisse, cum argumententur ex facto abusivo, quod juri non derogat, quos, ut male loquentes, redarguit Zipæus in jur. Pontific. novi analitica enarrat. lib. 3. tit. de vit. & honest. cleric. n. 11. & lib. 5. tit. de cleric. venat. *& propterea, ut ait laudatus Zipæus cit. tit. de cler. venat.* — Conc. Trident. sess. 24. cap. 12. de reform. §. Vestitu (*quod tamen loquitur de solis canonicis Ecclesiæ cathedralis*) non male videbitur accipi posse juxta hanc distinctionem, dum non simpliciter, sed ab illicitis venationibus clericum jubet abstinere; & sic accipiendum cap. a. distinc. 34. (*quod est cit. Conc. Agath.*) quod jubet abstinere ab immoderata omnium bestiarum, & volucrum venatione. —

Sub qua autem pœna hodie interdicenda sit omnibus clericis venatio clamorosa, relinquendum videtur Episcoporum arbitrio, ex deductis a Bened. XIV. de Synod. Diœc. edit. Patav. an. 1756. lib. XI. c. 10. n. 8. & 9. *quæ tamen pœna non debet esse nimis rigorosa, præsertim pro prima vice, nec sub excommunicatione ipso facto, aut privatione privilegii clericalis, ut ex decretis Cong. Episcop. & Regul. in Assisien. 16. Mart. 1622. & in Eugubina 16. Jan. 1596. in Licien. 18. Jun. 1602. & 5. Apr. 1604. ac in Squillacen. 15. Jul. 1605. relatis a Lucio Ferraris, Prompt. Bibliot. verb.* Clericus art. 6. n. 35.

Clericis autem in sacris constitutis prohiberi potest ab Episcopo delatio sclopi sub pœna suspensionis a divinis, ipso facto incurrenda, ut declaravit Cong. Conc. in Sarsinaten. 12. Aug. 1641. lib. 17. decret. pag. 499.

Nequit autem Episcopus aliis clericis, arma deferentibus comminari, aut infligere pœnam privationis privilegii fori, sed aliis pœnis animadvertendi sunt ad præscriptum Concilii Viennensis in Clem. 1. de vit. & honest. cleric. *ut eadem Conc. Cong. respondit ad dubium an. 1625. prout legitur* lib. 12. decret. pag. 317. ☜

CAPUT I.

Veneficium.

Vide *verbo Poculum, cap. 4.*

☞ CAPUT I.

Veneream delectationem admittere parvitatem materiæ asserentes.

I*Nciduni in damnationem factam a Clem. VIII. & Paulo V. a quibus, teste* Claudio La Croix lib. 3. part. 1. in Addit. ad dub. 1. de impudicitia n. 110. quæst. 196. Resp. §. 1. *approbata est sententia negativa, præceptumque, denunciandos esse Inquisitoribus docentes, amplexus, & oscula libidinosa non esse mortalia, licet sola delectatio venerea in eis placeret sine ordine ad copulam* — & ideo (*ita cit. Auctor*) aliqui apud Mendo dis. 5. n. 4. putant, sententiam oppositam esse damnatam: alii vocant improbabilem, falsam, temerariam, scandalosam — *& n. 911. §. 2. hæc insuper habet* — Quod ad Societatem Jesu attinet, Claudius Aquaviva V. Generalis tale dedit decretum ad totam Societatem 24. April. 1612. — *In virtute S. Obedientiæ, & sub pœna excommunicationis &c. præcipitur, ne quis in Societate publice, vel privatim, non modo ut veram, & probabilem, sed ne ut tolerabilem quidem ulla ratione doceat opinionem eorum, qui tradunt, in re venerea exiguam aliquam delectationem, deliberate quæsitam, propter levitatem materiæ excusari a mortali, aut placere sibi significet, aut secundum illam consilium cuiquam det.* — Idem extendit Vincentius Caraffa VII. Generalis 19. Jan. 1647. etiam ad delectationem non quæsitam, sed naturaliter obortam: unde sustineri non potest sententia *Aer. de pecc. decis.* 46. *n.* 17. qui putat, non esse mortale, si quis consentiat in tales motus leves, sponte obvenientes: ideo etiam ipse postmodum *tit.* 5. *dis.* 58. *num.* 46. sententiam suam retractavit. —

Eandem retractationem fecit Sanchez lib. 5. in decalogum, cap. 6. n. 12. *Et merito quidem; quia, cum delectatio venerea sit individua, ipsius malitia relucet tam in parvo, quam in magno; ideoque non admittit parvitatem materiæ, nisi excuset imperfectus consensus, vel defectus plenæ advertentiæ, & deliberationis.*

Cum dicta negativa sententia concordat decretum Alex. VII. in quo damnatur sequens propositio la 40. in ordine inter alias ab eodem proscriptas 18. Martii 1666. — Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum, habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis. — ☜

CAPUT I.

Vis publica, vel privata.

Vide *verbo Arma, cap.* 10.

CAPUT I.

Visitationem monialium impedientes.

C*Lemen. Attendentes, de stat. Mon.* statutum est, ut singula monasteria monialium annis singulis visitentur, & Ordinarius loci visitet monasteria sibi subjecta: idest non exempta, potestate ordinaria; exempta autem, idest immediate Papæ subjecta, potestate a Sede Apostolica hic delegata: alia vero exempta, suis Prælatis subjecta, ab eisdem visitentur: item, ut in visitatione hujusmodi procuretur reformatio, seu emendatio circa habitus vanitatem, & alias seculares actiones: item, ut mulieres, quæ canonicæ seculares dicuntur, quæ nec renunciant proprio, neque professionem aliquam faciunt, visitentur ab Ordinario loci, sive ordinaria, sive delegata potestate, ut supra: item, ut in dicta visitatione visitatores sint contenti duobus notariis, & duabus personis suæ Ecclesiæ, & quatuor aliis viris honestis, & maturis: denique statuit, quod præsumentes impedire dictos visitatores in præmissis, nisi moniti resipiscant, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, non obstantibus quibuscunque &c.

Nota, quod hæc excommunicatio ex hoc textu non est reservata: tamen si Ordinarius visitet potestate ordinaria, impediens eum, incurrit excommunicationem latam, Papæ reservatam in *Bulla Cœnæ Domini cap.* 16. si autem utatur potestate delegata, ut supra, non incurret in excommunicationem *Bullæ in Cœna Domini*, nisi impediat per recursum ad laicam potestatem, seu tribunal; quia tunc incurret in excommunicationem latam in *Bulla Cœnæ Domini dicto cap.* 16.

Nota secundo, quod magis communis sententia ait, in terminis hujus Clem. sufficere ad incurrendam excommunicationem, quod fiat una monitio, etiam extrajudicialis, *gloss. & Cardin. hic n. 3. Angel. excommun. 7. casu 39. Sylv. excommun. 9. n. 74. Bertacch. verbo Monitio, n. 23.* quamvis contra, quod trina requiratur, teneant *Suarez disp. 23. de censur. sect. 5. n. 9. Filiuc. tr. 14. n. 73. Bonac. de censur. in par. disp. 2. quæst. 2. punct. 4. n. 4.* non tamen sufficit monitio ab initio facta per edictum, sed requiritur, ut fiat post impedimentum præstitum, *Sylvest. n. 74. Angel. excomun. 7. casu 39. Navarr. cap. 27. n. 140. Tolet. lib. 1. cap. 39. §. Quinta*, nisi timeretur periculum in mora, ut *Jo. Andr. hic Cardin. n. 2. Bonif. hic §. Si qui, n. 2.*

Nota

Nota tertio, quod Tridentin. *sess.* 25. *cap.* 9. *de regul.* confirmat hoc idem, quoad jus visitandi sub distinctione, de qua in hac Clem. non obstantibus quibuscunque &c.

Nota quarto, quod Prælati possunt ingredi clausuram monialium ex causa visitationis, dummodo intrent, a paucis, iisque senioribus, ac religiosis personis comitati, ex Bulla 28. Greg. XIII. *Dubiis*, ut dixi *verb. Clausura*, *cap.* 6. & ita *Miranda p.* 3. *quæst.* 2. *art.* 14. *concl.* 2. *Barbos. de potest. Episc. alleg.* 102. *n.* 45. qui ait, tunc posse ingredi cum duobus, aut tribus sociis; unde videtur restrictus numerus concessus ab hac Clemen. per dictam Bullam Gregorii.

Est tamen advertendum, quod licet Prælatus excedat in hoc, verb. gr. si ingrediatur solus, vel cum majori numero sociorum, vel a junioribus clericis, vel secularibus viris associatus, non incurret in pœnas latas in dicta Bulla; quia eas tantum incurrit, intrando sine causa necessaria, ut notat *Sanchez lib.* 6. *in decal. cap.* 16. *n.* 100. *Bonac. de clausura*, *quæst.* 4. *pun.* 5. *n.* 12.

Nota quinto, quod licet Episcopi ex Tridentin. *sess.* 25. *de regul. cap.* 5. possint visitare monasteria monialium exemptarum, subdita Prælatis regularibus, pro causa tantum restituendæ clausuræ, & sic ingredi eorum septa; tamen hoc est intelligendum, quando constaret, clausuram esse violatam, & prius monito Prælato, ut restituat, *Miranda loco cit. conclus.* 3.

CAPUT II.

Visitationis occasione procurationem in pecunia numerata accipientes, aut munera, aut procurationem ab aliis non visitatis.

IN *c.* 1. *Romana*, §. *Procurationes*, *de cens. in* 6. & §. *sequent.* statutum est, ne visitator procurationem in pecunia accipiat, & ne Episcopus, vel inferior Prælatus visitans, vel quisquam familiarium visitantis aliquod munus, quodcunque sit, & qualitercunque offeratur, præsumat accipere: quod si fuerit contra hæc præsumptum, recipiens maledictionem incurrat, a qua nunquam, nisi duplum restituat, liberetur, de qua pœna maledictionis dixi *part.* 1. *cap.* 41.

II. In *cap. Exigit* 2. *eo tit. in* 6. habetur constitutum in Concilio Lugdunensi, ut universi, & singuli, qui ob procurationem, sibi ratione visitationis debitam, præsumpserint pecuniam exigere, vel etiam a sponte offerentibus recipere, vel alias constitutionem *dict. c. Romana* violare, munera recipiendo, vel visitationis officio non impenso, procurationem, etiam in victualibus, aut aliquid aliud procurationis occasione accipiendo, duplum ejus, quod receperint, Ecclesiæ, a qua id receptum fuerit, intra mensem reddere teneantur: alioquin ex tunc Episcopi, & iis majores, interdicti ab ingressu Ecclesiæ; Episcopis inferiores suspensionis ab officio, & beneficio pœnas incurrant, quousque de duplo plenariam satisfactionem impendant: nulla eis in hoc dantium remissione, liberalitate, seu gratia valitura.

III. In *Extrav. unic. de censib.* statutum fuit, ut procurationes, vel in victualibus, vel in pecunia volentibus, secundum summam ibi taxatam, secundum qualitatem Ecclesiarum recipere possint visitatores: si quid autem ultra taxam, sive ipsi visitatores personaliter visitantes, sive eorum substituti, vel eorum visitantium familiares, etiam a volentibus, receperint, duplum intra duos menses restituere teneantur Ecclesiæ eidem: visitatores quod ipsi, vel ipsorum familiares, ipsis visitatoribus scientibus, vel ratum habentibus; familiares autem, quod dominis ignorantibus acceperint, de suo proprio: alias Prælati interdictum incurrant ab ingressu Ecclesiæ; substituti suspensionem ab officio, & beneficio, quousque Ecclesiis de duplo plenariam satisfactionem impenderint: familiares clerici similiter suspensionem ab officio, & beneficio; laici vero interdictum ab ingressu Ecclesiæ, & suspensionem a receptione sanctissimæ Eucharistiæ, donec de duplo satisfecerint cum effectu, eo ipso incurrant, nulla eis condonatione, vel gratia valitura.

IV. In Tridentino *sess.* 24. *c.* 2. *de refor.* statutum est, ut victualia prædicta, seu procuratio visitatori, ac suis frugaliter, ac moderate pro temporis tantum necessitate, & non ultra, ministranda sint: item, ut hæc procedant etiam in visitatione testamentorum ad pias causas: item, ut liberum sit visitatis, si velint, pecunia redimere procurationem; & tunc visitator teneatur recipere procurationem pecuniariam secundum æstimationem procurationis, alias in victualibus præstari solitam: & caveant visitatores, ne ipsi, aut quisquam suorum quidquam ultra accipiant, præter quod jure debetur, quovis nomine; nec pecuniam, nec munus quodcunque sit, & qualitercunque offeratur, non obstantibus consuetudinibus, etiam immemorabilibus: at in locis, in quibus consuetudo est, ut gratis visitatio exhibeatur, id observetur: & si quis amplius contra supradicta accipere præsumpserit; præter dupli restitutionem infra mensem faciendam, aliis etiam pœnis juxta *d. c. Exigit* multetur: idest incurrat Episcopus interdictum ab ingressu Ecclesiæ; inferiores vero suspensionem ab officio, & beneficio, donec plenarie duplum restituant.

Itaque hodie, quoad pœnas visitatorum servabitur Constitutio Concilii Lugdunensis, de qua *in d. c. Exigit*, quæ est innovata per Tridentinum Concilium, ut supra, ut nisi restituant recepta intra mensem, incurrant in censuras in eisdem Constitutionibus latas, & innovatas, *Sanch. opusc. lib.* 2. *c.* 3. *dub.* 18. quamvis *Suar. de cens. disp.* 37. *sect.* 1. *n.* 7. dicat, hodie terminum restituendi esse duorum mensium, per dictam Extravag. sed non advertit ipse ad Concilium Tridentinum.

An autem familiares visitantium incurrant in pœnas *cap. Exigit*, *vel Extravag. supra citata*, *Suar. loco cit.* ait, non contineri in *c. Exigit*, sed solum in *dict. Extravag.* unde putat, eos incurrere post duos menses pœnas ibi statutas: sed contrarium puto verius, quo ad familiares clericos; quia in *dict. cap. Exigit*, verba sunt generalia de violantibus Constitutionem *cap. Romana*, ubi etiam familiares continentur sub præcepto, seu prohibitione: & ita tenet *Suarez* sibi contrarius *disp.* 31. *sect.* 3. *n.* 15. unde cum Tridentinum innovaverit *dict. c. Exigit*, sequitur, ut familiares clerici incurrant post mensem pœnas statutas in *c. Exigit*; familiares laici pœnas statutas in *Extrav. un. de censib.*

Limitant primo aliqui, ut excuset a dictis pœnis parvitas materiæ, ut esculenta, & poculenta modica, ultro oblata, quæ non valeant de se animum movere, seu avaritiam sapere, vel pauperiorem reddere offerentem, ita *gloss. in dicto c. Romana*, *verb. Aliquod munus*, & *gloss. dicto cap. Exigit*, *verbo Munera*, *Sanchez loco cit. Marius Alterius tom.* 2. *disp.* 13. *cap.* 6. *col.* 3. sed contrarium, ut neque hujusmodi xenia possint accipere, alias incurrant in pœnas, ob particulam illam *munus quodcunque sit*, tenent *Jo. Mon. Jo. Andr. Franc.* & *Gemin. in dict. cap. Romana*.

Limita secundo, id quod dicitur, non valere condonationem, ut procedat, antequam realis fiat restitutio; nam postea, restitutione facta, & peracta visitatione, ex intervallo poterit eadem quantitas, tanquam ex nova causa liberalitatis, a visitatis ei reddi, & per visitatorem recipi, ut *Azorius* 2. *par. lib.* 7. *c.* 7. *quæst.* 9. *Suarez tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *tract. de horis Canonicis*, *c.* 30. *n.* 17. *Fuscus de visitat. lib.* 1. *c.* 15. *n.* 25. *Filiuccius tract.* 23. *c.* 4. *quæst.* 10. *Menoch. de arbitrar. casu* 429. *n.* 6. *Henriquez lib.* 7. *cap.* 36. *num.* 3.

Limitant tertio Doctores communiter, quod notarius Episcopi non prohibetur accipere sua emolumenta, *Navarr. cons.* 1. *de censib. Barbos. allegat.* 73. *n.* 42. *Gemin. in dict. cap. Romana*, *cum Hostien.* & *Joan. Mon.* qui limitant, nisi aliunde habeat stipendium: sed contra, quod notarius nihil possit accipere, absolute reperio declaratum a Sacra Congregatione super *eod. cap. Trid.*

Limitant quarto aliqui, quod potest confessarius, habens privilegium absolvendi a censuris, & pœnis ecclesiasticis, absolvere ab obligatione restituendi duplum, ut solum teneatur simplum restituere, & sic cessabunt censuræ: ita *Emanuel Sà*, *verbo Suspensio ipso jure lata*, *n.* 13. sed non puto, hanc pœnam dupli contineri sub particula absolutionis a pœnis, cum indigeat dispensatione adversus dictas Constitutiones, quam non potest concedere confessarius, ut dixi *par.* 1. *in fine*.

CAPUT I.

Vota quinque, Papæ reservata commutantes.

IN *Extrav. Et si dominici*, *la seconda*, *de pœnit.* & *remiss.* Sixtus IV. statuit, ut nullus confessariorum prætextu quorumcunque privilegiorum ab ipso Papa concessorum, possit commutare vota peregrinationis transmarinæ, visitationis liminum Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & Sancti Jacobi in Compostella, & castitatis, & Religionis, nisi de speciali Papæ licentia in scriptis, cum derogatoria individuali ad eam Constitutionem: & contra hæc com-

commutare attentantes, incurrant excommunicationem, Papæ reservatam.

☞ *Reservatum est etiam Papæ votum perpetuum, quo quis, episcopatum acceptando, se ad animarum curam sibi commissarum obstringit, juxta responsum Innoc. III. ad Archiepiscopum Calaritanum an.* 1206. *relatum in cap.* Nisi cum pridem 10. de renuntiat. *ut animadvertit Bened. XIV. in epistola circulari ad Pœnitentiarios, & confessarios* – Fra le fatiche – §. 3. *n.* 42. *pro Jubilæo universali an.* 1750. *non vero reservata sunt alia vota perpetua, nec illud visitationis Almæ Domus Lauretanæ, ut aliqui Doctores perperam dictitarunt, prout pariter animadvertit idem Bened. loc. cit.*

His addita sunt alia duo; votum scilicet a tertio acceptatum, & votum pœnale, seu præservativum a peccato, quæ dictus Bened. Const. Convocatis 7. *Kal. Decemb.* 1749. *nec tempore Jubilæi dispensari, aut commutari posse statuit* §. 32. *ibi* – Quare in eo, quod pertinet ad vota, quamvis simplicia, seu perseverantiæ, seu alia emitti solita in aliqua Congregatione, vel communitate, & in vota obligatoria, a tertio acceptata non se ingerant (*Pœnitentiarii scilicet Basilicarum, & Ecclesiarum Urbis pro Anno Sancto deputati; ad quos directa est Constitutio*) nec admodum dissimiliter se gerant circa vota pœnalia, seu præservativa a peccato, ne detur ansa peccandi liberius: nisi forte circumstantiæ adsint, quæ aliquam commutationem suadeant; & commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refrænet, quam prior voti materia – & §. 37. *tribuendo iisdem Pœnitentiariis tempore Jubilæi facultatem commutandi vota, Papæ reservata, eamdem reservationem repetit ibi* – omnia, & singula simplicia vota, etiam jurata, etiam Sedi Apostolicæ reservata, exceptis Castitatis, Religionis, aliisque superius §. XXXII. memoratis votis, commutare in alia pia opera valeant. – ☜

Limita, quod intelligitur hæc pœna contra commutantes prætextu privilegiorum, ab eodem Sixto IV. concessorum: unde hodie non videtur esse in usu hæc Constitutio, *Navarr. c.* 27. *num.* 115. *Suar. de cens. disp.* 22. *sect.* 5. *n.*28. *Sanch. lib.* 40. *num.* 23.

Limita secundo, ut vota pœnalia de supradictis non censeantur Papæ reservata, ut *Sanch. lib.* 40. *n.* 89. neque quando quis dubitat de animo se obligandi, etiamsi verba sint clara obligationis, *Sanch. lib.* 4. *c.* 40. *num.* 26. *in decal. & c.* 44. *n.* 3.

☞ *Circa vota pœnalia vide notata supra.* ☜

Limitant aliqui tertio, ut votum transmarinum intelligatur Papæ reservatum, si sit peregrinationis, devotionis causa, non autem subsidii Terræ Sanctæ: & idem est de visitatione liminum Apostolorum, ut *Sanchez cap.* 40. *n.* 77. sed contraria est communis, quod imo votum subsidii Terræ Sanctæ sit reservatum, & quod non possit ab Episcopo commutari; secus in voto transmarino, causa devotionis, quod dicunt, non esse Papæ reservatum, sed dispensabile, seu commutabile ab Ordinario, *glos. in c. Ex multa, de voto, verbo Ad neutros, Abb. ibi n.* 4. & communem Canonistarum ostendit *Suarez tom.* 2. *de religion. tract. de voto, lib.* 6. *c.* 21. *n.* 2.

Sed tenendum est, utrumque votum hodie esse reservatum, scilicet sive causa peregrinationis, sive subsidii, *per dict. c. Ex multa, & dict. Extravag. & si Dominici*: & ita servat praxis non solum Curiæ, sed & Ecclesiæ totius, ut pro dispensatione, seu commutatione voti peregrinationis, devotionis causa ad Terram Sanctam, vel Sanctum Jacobum, vel ad Limina Apostolorum, ad Sedem Apostolicam recurratur, ut videmus quotidie ad Sacram Pœnitentiariam recursum haberi: & hanc veram, & certam, & communem sententiam, & praxi receptam probat *Suarez ibi n.* 5. votum tamen subsidii Terræ Sanctæ hodie non est in usu.

Limita quarto, ut votum castitatis non sit Papæ reservatum, quando non est absolutum, sed restrictum ad tempus, vel certum objectum, *Sanchez cap.* 20. *n.* 48.

Limita quinto, ut votum professi de transitu ad strictiorem, non sit reservatum, *Sanch. lib.* 4. *c.*40. *n.* 74. *Diana resol.* 91. *tract.* 2. *tom.* 2.

Limitant sexto multi, quod dicitur de quinque votis reservatis, ut non procedat de juramentis solitariis, seu informibus, non habentibus votum annexum; etiamsi juret quis, se facturum aliquid de illis quinque rebus, v. gr. se religionem ingressurum &c. dicunt dispensationem, seu commutationem talis iuramenti non fore Papæ reservatam, sed posse a proprio Prælato, seu Episcopo dispensari, & commutari: ita tenet *Navar. Tabien. Ledesma, & alii*, quos allegat *Sanchez de matrim. lib.* 8. *disput.* 13. *n.* 3. *& in decal. lib.* 3. *cap.* 19. *n.* 6. *& Diana par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 69. & quamvis contraria sit magis communis, tamen quoad pœnam, de qua in hac Extrav. certum est, non comprehendi juramenta, per ea, quæ dixi supra *par.* 1. *cap.* 9.

Limita septimo, ut non sit reservatum Papæ votum emissum sine plena libertate, idest ob metum, etiam levem; unde poterit a proprio Prælato dispensari, & commutari, *Less. lib.* 2. *cap.* 40. *n.* 106. *Sanch. in decal. cap.* 40. *n.* 26. *lib.* 4. *cum allegatis ibi*.

Limita octavo, secundum aliquos DD. ut non sit votum Papæ reservatum, sed dispensabile ab Episcopo, & privilegiatis, votum perseverantiæ in religione, sive ante novitiatum, sive in ipso novitiatu fiat; quia dicunt, hoc votum esse formaliter distinctum a voto ingrediendi, ita *Sanch. in decal. lib.* 4. *cap.* 40. *n.* 75.

Et confirmatur ex sententia aliorum dicentium, votum perseverantiæ intelligendum esse habere hanc conditionem, ut si in novitiatu repererit Religionem sibi convenire, teneatur profiteri, & perseverare; e contra posita causa rationabili, possit discedere; quia jus canonicum vult in novitiis hanc libertatem: & sic non erit opus dispensatione: ita tenent *Sotus, & Pegna apud Less. lib.* 2. *cap.* 41. *n.* 47. *Aragon. & Ledesm. apud Suar. tom.* 3. *de relig. lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 2. *Reginal. lib.* 18. *n.* 383. & probabilem dicunt *Less. ibi, & alii recentiores*.

Tamen contraria sententia est verior, scilicet, quod votum perseverantiæ sit Papæ reservatum, sicut votum ingrediendi Religionem; imo & multo magis, quia votum perseverantiæ idem est, quod votum profitendi, quod est propriissime Religionem ingredi, ut *Auth. Ingressi, cap. De sacr. Eccl. ibi Bar. n.* 1. *Bal. n.* 3. *Salic. n.* 3. & quia votum perseverantiæ non importat qualitatem solam ingressus, sed ipsam substantiam respicit voti Religionis intrandæ; ideo non potest dici, non esse reservatum Papæ, per ea, quæ *Less. n.* 105. & ideo hanc secundam sententiam esse veram, & communem ait *Suar. tom.* 3. *de relig. lib.* 4. *cap.* 7. *n.* 7. ubi bene id probat: imo multi DD. dicunt, tunc votum ingrediendæ Religionis esse Papæ reservatum, quando vovens se obligavit ad perseverandum, seu ad profitendum, ut refert *Suar. dict. cap.* 4. *n.* 1. ubi etiam ait, votum perseverandi, secundum communem sententiam, excludere conditionem supradictam, itant vovens quatenus ex parte sua privet se libertate ibi a jure concessa.

Limita nono, ut non sit reservatum votum disjunctive factum, scilicet de materia reservata, & de non reservata, ut ingredi Religionem, vel sacerdotem fieri; quia potest se determinare ad non reservatam, ita *Sanch. cap.* 40. *n.* 42. cum aliis.

☞ CAPUT I.

Vocis privatio in Capitulo.

P*Renotandum, privationem vocis tam activæ, quam passivæ in Capitulo non semper inductam esse per modum pœnæ, ut inferri solet ob varia delicta, prout in hoc Opere passim inflicta reperitur; sed aliquando etiam imponi definitive, ob defectum scilicet alicujus qualitatis, requisitæ tamquam conditio, sine qua alterutra quis frui prohibetur: in quo sensu hic de ea sermo est. In multis itaque casibus statuta est ex dispositione juris communis (salvis tamen in eorundem aliquibus peculiaribus statutis, & consuetudinibus)* &c.

I. Ex defectu status, clericalis videlicet, aut religiosi, juxta claros textus cap. Sacrosancta 51. de elect. & cap. Ex eo 32. §. In Ecclesiis eod. tit. in 6.

II. Ex defectu ætatis: sic pupilli, vel impuberes activa voce non gaudent, cum discretione careant, ut citat. cap. Ex eo.

Ex quo pariter defectu privatur suffragio passivo, ut eligi nequeat in Abbatissam monialis, si minor sit annis quadraginta, quæque octo annis laudabiliter post expressam professionem non vixerit; aut si his qualitatibus nulla reperiatur, si non excesserit annum trigesimum, & quinque saltem post professionem laudabiliter pariter vixerit, Trid. sess.25. c. 7. de Regul. *super qua ætate non posse Episcopum dispensare, decisum esse refert* Barbosa Collect. in Conc. Trid. hoc eod. cap. 7. *Verum, si una solum reperiatur in monasterio, habens* æta-

ætutem a Trident. requisitam, ipsa deberet eligi, licet esset alia hac habilior, quamvis eidem deficeret unus tautum ætatis mensis, ex decreto Cong. Episcop. & Regul. in Viterbien, S, Rosæ 13. Maji 1623.

Item privatur eodem passivo suffragio in Italia, & Insulis udjacentibur, si post expletum ubbatissatus munus non vacaverit ub omni præfectura, saltem triennio, ex Const. Greg. XIII. de qua noster Auctor pag. 124. col. 1.

Ex hoc ipso ætatis defectu non gaudet passivo suffragio eligendus in Episcopum, nisi trigesimum annum ætatis exegerit, cap. Cum in cunctis 7. de elect. quod est Alex. III. in Conc. Lateranensi, juncto Conc, Trident. sess. 7. cap. 1. innovante dictam Alexandri Decretalem: nec sufficeret, si trigesimum attigisset, ut in terminis juris communis pro aliis sufficeret; cum id speciale sit in Episcopo, nedum ex citt. capp. sed etiam ex Constit. Greg. XIV. Onus Apostolicæ 15. Maji 1591. ubi §. 9. expresse declarat, debere annum trigesimum jam explevisse: quidquid antiquiores ante dictam Constit. in contrarium senserint.

Et nota, quod si dispensaretur u Pupa, ad minus deberet esse annorum xxvii. ut ex Conc. Lateran. V, sess. 9. de reform. Curiæ cap. 1.

III. Ex defectu usus rationis, ob identitatem rationis n. 11. ullatam: unde furiosi, ac mente capti privantur suffragio in quacunque electione, quandiu sunt iu umentia, & nisi habeant lucida intervalla: Reiffenst. lib. Decretal. §. 7. num. 166. de elect.

IV. Ex defectu natalium: sic privatur suffragia passivo illegitimus, capp. Cum in cunctis 7. & Innotuit 20. de elect.

V. Ex defectu fidei catholicæ in parentibus: sic privantur eodem suffragio filii catholici, nati ex purentibus hæreticis usque ad secundam generationem in linea paterna, & usque ad primam iu materna: dummodo iidem parentes ante mortem Ecclesiæ unitati reincorporati non fuerint, eap. Statutum 15. de hæret. in 6. quam tamen dispositionem locum non habere in Germania, ubi hæretici tolerantur, asserit Remigius Maschat Scholarum Piarum lib. 1. Instit. Canonic. tit. de elect, §. 1. n. 7.

VI. Ex defectu significationis Sacramenti, ob bigamiam videlicet: sic bigamus est incapax passivi suffragii, ut late noster Auctor pag. 189. col. 1. & 2.

VII. Ex defectu virginitatis: sic monialis eligi uequit in Abbatissam, juxta magis communem senteutiam, nisi sit virgo, saltem existimata, canone Juvenculas 12. caus. 20. quæst. 1. de qua tamen vide Auctorem pag. 203. num. 111.

VIII. Ex defectu corporis: sic corpore vitiati privantur passivo suffragia, ob irregularitatem, & indecentiam, ut tot, tit. de corpor. vitiat. non ordinand.

IX. Ex defectu Ordinis sacri: sic canonici Ecclesiæ cathedralis, & collegiatæ, non promoti ad Ordinem saltem subdiaconatus, licet ubaliis canonicis id eis concederetur, privantur suffragio activo, juxta Clement. Ut ii 2. de ætat., & qualit. præficiend. & Trident. sess. 22. cap. 4. de reform. de quo in Auctore pag. 70. col. 1. & 2. ubi etiam §. An autem habes resolutionem, num & priventur passivo.

Et quamvis cit. Clementina extendatur etiam ud Ecclesias regulares, quoad mancipatos divinis officiis, seu ad celebranda divina mysteria deputatos; quia tamen Tridentin. dict. cap. 4. nullam mentionem facit de Regularibus, & Congregatio Concilii declaravit, ut refert Reiffenst. loc. cit. n. 178. præfatum Trident. decretum non loqui de Ecclesiis Regularium, ideo ad astruendam Regularibus professis vocem in eorum capitulis, servandæ sunt cujuslibet Ordinis laudabiles consuetudines, & peculiaria statuta.

Sic passivo suffragia privatur eligendus in Episcopum, nisi fuerit in sacro Ordine antea, saltem sex mensium spatio constitutus, ut habent verba Trident. sess. 22. cap. 2. de reform. Quæ conditio uberius explicata legitur in Constit. Greg. XIV. Onus Apostolicæ 15. Maji 1591. ubi §. 9. Pontifex nedum vult, eum iu uno ex Sacris Ordinibus constitutum esse, sed etiam in omnibus: utitur enim plurali termino: Sacris Ordinibus saltem ante sex menses initiatum esse.

X. Ex defectu personalis interessentiæ in capitulo: sic electores divisim votum suum dare nequeunt, sed debent esse collegialiter congregati, juxta cap. Quia propter 42. de elect. ubi statuitur, ut præsentibus omnibus electio celebretur. Quando autem suffragium dare possint per procuratorem, vide idem capus §. Illud autem.

XI. Privatur etiam utroque suffragio monialis, professa iu monasterio, ubi duæ ipsius sorores, pariter professæ, præexistunt: non quidem ex jure communi, sed ex prudenti Sedis Apostolicæ dispositione, ut ex sequenti responso S. Cong. Episcop. & Regul. ad Archiepiscopum Bracharensem sub die 26. Aug. 1616. relato a Matthæuc. Official. Curiæ cap. 32. num. 3. — Utique hæc Sacra Congregatio .... Aut igitur tertia soror intra præfinitum monialium numerum in monasterium introducenda est, aut supra illum: si ut numerata ingredi voluerit, eleemosynam dotalem duplicatam monasterio persolvat, suffragioque tam activo, quam passivo carebit, quousque altera ex duabus ejus sororibus vita decesserit: si vero, ut supra definitum monialium numerum admitti petierit, speciali Sac. hujus Congregationis licentia opus erit: quæ quidem concedi non solet, nisi ex conditione, ut ipsa tertia soror triplicatam eleemosynam dotalem monasterio absolvat: nec reliquis ejus duabus sororibus simul superstitibus, activo, vel passivo suffragio gaudeat. —

Quam quidem dispositionem inductam arbitror ad amovendas dissensiones, conjurationesque, quæ facilius evenire possent inter moniales, quam inter canonicos, & regulares, in electione, aliisque capitularibus negotiis pertractandis, ob præsumptionem ortam a mutabilitate, & inconstantia, suapte natura sexui fœmineo congenita, juxta clarum textum in cap. Forus 10. de verb. signif. §. Testes: ibi, nam varium, & mutabile testimonium semper fœmina producit, utpote fragilis, & corruptibilis, leg. Qui testamento §. Mulier ff. de testam. cum ceteroquin neque activo, neque passivo suffragio priventur tertius, vel etiam plures germani fratres canonici, aut illorum coadjutores, ut declaravit Cong. Conc. in Vercellen. 23. Aug. 1631. & 14. Aug. 1634. posit. 40. pag. 20. ad cap. 4. Trident. sess. 22. de refor. ac in Potentina jujuris ferendi suffragium 29. Novembr. 1670. lib. 26. Decret. pag. 471. idem declaravit quoad patruum, & duos illius nepotes canonicos in eadem cathedrali, in Phesulana 14. Martii 1639. lib. 16. Decret. pag. 181. & hoc etiamsi patruus, qui erat præpositus in paritate votorum, haberet votum decisivum, Lauden. 12. Febr. 1689. lib. 39. Decret. pag. 58. a tergo.

XII. Ex eadem prudenti dispositione, ad obviandum nimirum fraudibus, privatur suffragio activo in capitulo religiosus, collocatus de familia iu aliquo conventu, nisi per tres menses immediate proximos capitulo celebrando, ibidem continuo permanserit, ut ex decreto ejusdem Congr. Episcopor. 7. Febr. 1648.

Reticentur alii casus, tum ex diversis Apostolic. Constitutionibus, tum ex peculiaribus statutis locorum, aut Ordinum regularium desumendi.

CAPUT I.

Usurariorum pœnæ.

ADvertendum est, nullas pœnas latæ sententiæ in jure reperiri contra usurarios occultos, sed solum contra manifestos, Molina disp. 334. §. Circa prædicta, Pyrrhus Siculus in speculo Confess. tract. de usur. disp. 15. quæst. 130. n. 3. Tolet. lib. 5. cap. 36. §. ultim. Filiuc. tract. 34. n. 155. unde cum usurariis occultis confessarius procedere debet, sicut cum aliis obligatis ad restitutionem ex delicto, ut Pyrrhus, Toletus, & Filiuc. ibid. qui autem dicantur usurarii manifesti, dicam infra cap. 7.

Usurarius vero manifestus multas pœnas ipso facto incurrit, quando scilicet delictum ejus fuerit consummatum, nempe recipiendo usuras, Sylv. verbo Usura 9. quæst. 4. & 8. Luis. Turrian. de just. disp. 63. dub. 3. n. 6. Ugolin. tract. de usur. cap. 24. §. 5. n. 3. ubi ait esse communem sententiam; & dummodo sit cum exercitio, seu consuetudine fœnerandi; nam alias non dicitur usurarius, ut dicam infra, cap. 7.

Prima pœna usurarii manifesti est, quod absolutio sacramentalis, & communio eucharistica, aliaque Sacramenta sunt ei deneganda, donec realiter, & plenarie usuras restituerit, vel idoneam cautionem præstet de restituendo pro viribus patrimonii sui, cap. Quia in omnibus, de usur. cap. Quanquam eod. tit. in 6. Cui autem, & qualiter, & coram quibus sit hæc cautio exhibenda, vide dict. cap. Quanquam, & dicam infra cap. 5. debet autem ea cautio esse pignoratitia, vel fidejussoria, ut neque sufficiat hypotheca in bonis usurarii, si non interveniat rei traditio, scilicet pignus, ut Gemin. in dict. cap. Quanquam, n. 13. Francus ibi, & communem ait Covar. lib. 3. variarum cap. 3. n. 6. Ugolin. cap. 24. §. 3. n. 2. neque sufficit, quod in testamento mandet u-

furas restitui, ut *dict. cap. Quanquam in princ.* quod est verum, dummodo usurarius præstare possit hujusmodi cautionem idoneam: alias enim, si non sit solvendo, ut neque pignora, neque fidejussores præstare possit, sufficiet cautio juratoria, jurando, se, quando poterit, restituturum, & jurando, se tunc meliorem cautionem præstare non posse, ut *gloss. in dict. cap. Quanquam*, *Navar. cap. 17. n. 279. Less. lib. 2. cap. 20. n. 187. Filiuc. n. 155. Phyrrhus quæst. 130. n. 2. Turrian. dub. 2. n. 1. Ugolin. §. 2. vers. 2. & 3.* si vero neque juratoriam cautionem præstare possit, ut quia jam moribundus, sensus amisit, editis prius signis pœnitentiæ sufficientibus ad absolutionem, absolvi poterit, *Tolet. loco cit. §. Quando vero*, *Molina §. Secundum est*, *Turrian. & Pyrrhus*, *ubi supra*, *Lessius loc. cit.* & si recuperet sensus, tunc cautio exigenda, ut *Lessius ibid.*

Et nota, quod ad evadendam hanc pœnam, & sequentes sufficit satisfactio, vel cautio, etiamsi posset realiter satisfieri; quidquid dicat *Toletus* contra communem sententiam.

Secunda pœna est, quod usurarius manifestus ante restitutionem, vel cautionem, ut supra, non sit permittendus Missæ ministrare, aut interesse, ex *c. Quia in omnibus*, *de usur.* & de communi testatur *Lup. de usur. in dict. cap. Quamquam*, *in præfat. n. 10.* sed melius probatur ex *Trident. sess. 22. in decreto de observ. & vitand. in celebr. Miss.* quod etiam observat *Ugolinus de usur. cap. 24. n. 4.* nam Tridentinum *ibi* statuit, neminem, qui publice, & notorie criminosus sit, sancto Altari ministrare, aut sacris interesse permittendum: aliis autem divinis officiis assistere non prohibetur, ut *Toletus loc. cit. cum Soto*, *& Sylvestro*, *& Lessio*, *lib. 2. cap. 20. n. 186.*

Tertia pœna est, ut non sit admittendus ad oblationes, *dict. cap. Quia in omnibus*, *de usur.* alias admittens, incurrit pœnas, de quibus dicam infra *c. 4.* & dixi supra *verbo Sepultura*, *cap. 5.*

Amplia, ut hæc procedant non solum de oblationibus proprie, & stricte sumptis, quæ scilicet inter Missarum solemnia offeruntur, sed etiam de his, quæ absolute Deo extra Missarum solemnia offeruntur: non tamen de his, quæ offeruntur per viam contractus onerosi, ut pro Missis celebrandis &c. aut quæ offeruntur, ut pauperi in eleemosynam: nam hujusmodi improprias oblationes ab usurario recipere non est prohibitum, dummodo habeat aliunde bona sufficientia integrali restitutioni usurarum: ita *Suarez de censur. disput. 31. sect. 2. n. 6. Filiuc. tract. 17. n. 100.* item non est prohibitum recipere oblationes proprie dictas ab usurario, postquam satisfecit, vel cautionem præstitit de satisfaciendo, juxta dicta supra circa primam pœnam, ex *cap. Quanquam citat.* ita *Toletus lib. 1. cap. 36. §. Quando vero*, *Luis. Turrian. disp. 63. dub. 3. n. 10.* qui ait, hanc limitationem ex juris benignitate magis, quam ex juris rigore procedere.

Pœna quarta est, ut non possit admitti ad ecclesiasticam sepulturam, etiamsi pœnitens decesserit, nisi prævia restitutione, vel saltem præstita cautione ab ipso, vel ab hæredibus de restituendo, quamprimum fieri poterit, pro viribus patrimonii ejusdem defuncti, juxta dicta supra *n. 1.* ex *dict. c. Quanquam*, *& c. Quia in omnibus*, ita *gloss. in Clem. 1. verbo Manifestos*, *de sepult. Toletus loco cit. Ugolinus cap. 24. §. 4. vers. Hæc tamen*, *Lupus loco cit. n. 11. Sylvest. verbo Usura 9. quæst. 4. gloss. in dicto c. Quanquam*, *verbo Mandaverint*, *Anchar. n. 3. Cardin. in Clem. 1. n. 25. de sepult.*

Si autem usurarius manifestus moriatur impœnitens, etiamsi facta fuerit integralis restitutio, vel cautio præstita, carere debet ecclesiastica sepultura, tanquam notorius peccator impœnitens defunctus: ita *Abb. in d. cap. Quia in omnibus*, *de usur. n. 4. Lupus in d. c. Quanquam*, *in præfat. n. 11. Ugolin. de usur. c. 24. §. 2. n. 1. gloss. in d. cap. Quanquam*, *verbo Mandaverint*: tradentes autem usurarium ecclesiasticæ sepulturæ, incurrunt pœnas varias, de quibus dicam infra *cap. 5.*

Adverte, quod si usurarius in morte edidit signa contritionis, etiamsi sacramentaliter absolutus fuerit, nulla facta restitutione, neque cautione præstita ab ipso ob subitam sensuum amissionem, juxta ea, quæ dixi supra *n. 1.* non poterit tradi ecclesiasticæ sepulturæ, nisi hæredes restituant prius, vel caveant pro viribus patrimonii defuncti restituere, ut *Sylvest. verb. Usura 9. quæst. 4. vers. Quarta est*, ex dicto *c. Quanquam*, & *ibi* tenet *gloss. in verbo Denegetur*: & ita intelligas *Toletum loco cit.* dum ait, usurarium post absolutionem posse tradi ecclesiasticæ sepulturæ: quod si usurarius occultus sepultus fuit in loco sacro, postea manifestum factum est, quod fuit usurarius, si quidem impœnitens decesserit usurarius, ejus cadaver exhumandum est, & ejiciendum de luco sacro ad sepulturam asini: ita *Abb. cons. 81. Card. cons. 2. Gemin. in d. c. Quanquam*, *Lupus dicto n. 11. Ugolin. cap. 24. §. 2. n. 1. Turrian. dub. 3. n. 8.* simile habes *Regum lib. 4. cap. 23.* si autem mortuus est pœnitens, tunc non debet exhumari, neque extrahi, etiamsi hæredes non caveant, nec satisfaciant, quia de ossibus defuncti non est habenda quæstio, nisi sit sepultus contra prohibitionem Ecclesiæ, nam iste in communione Ecclesiæ decessit: ita *Joan. Andr. in dicto cap. Quanquam*, ita *Lupus in præfat. n. 11. Bald. in l. Principaliter*, *la prima*, *C. de libe. cav. Ugol. cap. 24. §. 2. vers. 6.*

Quinta pœna est, quod testamentum facere non potest usurarius, ex *d. c. Quanquam*, *de usur. in 6. ibi*, nullus manifestorum usurariorum testamentis intersit, nisi de usuris satisfecerint, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum præstent idoneam cautionem, juxta formam ibi statutam: aliter facta testamenta non valeant, sed sint irrita ipso jure: & procedit pro utroque foro, etiam ante declaratoriam, ut dixi *par. 1. cap. 33.*

Amplia, quod hic dicitur de testamento, ut procedat etiam in codicillis, & donatione causa mortis, ut *Barbos. in d. cap. Quanquam*, *n. 8. & 9.* cum allegatis, & magis communem ait *Clarus*, *§. Donatio*, *quæst. 7. & Cevall. contr. comm. q. 11. n. 12.*

Amplia secundo, quod non sufficit, usurarium defunctum esse cum signis pœnitentiæ, vel etiam absolutione sacramentali suscepta, sed requiritur restitutio, vel cautio idonea, ut supra: ita *Rota decis. 202. n. 2. apud Farinac. collect. crimin. & contract. Barbos. n. 6. ibidem.*

Amplia tertio, quod etiamsi testamentum factum sit ante crimen usuræ commissum, tamen irritatur, si usurarius manifestus postea existat, *Surd. de alim. tit. 7. quæst. 41. n. 18. Lup. Gemin. Anchar. & Covarr.* quos sequitur *Ugolin. cap. 24. §. 5. vers. Quarto*, *& Rota loco cit.*

Amplia quarto etiamsi usurarius manifestus pœnitentiam agat, & restituat, vel caveat, si postea occulte usuram committat, testamentum ejus erit irritum; quia ejus pœnitentia probatur per hoc simulata; ita de communi testatur *Rota d. decis. 202. n. 1.* cum allegatis: quamvis contrarium teneant *Ugolin. loc. cit. vers. Tertio locum*, & alii.

Limita primo, quod vice versa testamentum factum ab usurario manifesto reconvalescit, si postea usuras restituat, vel caveat, ut *Surdus*, *Ricc. Gratian.* quos sequitur *Barbos. in d. c. Quanquam n. 11.* non tamen reconvalescit, si hæredes restituant, vel caveant, *gloss. in Clemen. 1. verbo Manifestos*, *de sepult. Bal. in l. Si hæreditas*, *C. de test. man. Laurent. de Rodulph. tract. de usura*, *par. 2. q. 99. Less. cap. 20. n. 188. Ugolin. cap. 24. §. 5. vers. Postremo cum.*

Limita secundo, quod valet testamentum usurarii, si decessit pœnitens, sed non restituit, neque cautionem præstitit, quia non potuit: ita *Sylvest. v. usura*, *quæst. 3. Turrian. disputat. 63. dub. 3. n. 10. Bal. Angel. S. Antonin. Laur. de Rodulph.* quos sequitur *Ugolin. §. 5. vers. 5.*

Limita tertio, quod si usurarius decessit pœnitens, valet ejus testamentum ad pias causas, scilicet quatenus non agatur de præjudicio tertii; magis communem ait *Ugolin. vers. Sexto non valet*, quamvis multi contrarium teneant apud eundem.

Sexta pœna usurarii manifesti est infamia juris, *cap. Inter dilectos*, *de excess. prælat. c. Infames 3. quæst. 7. c. Infames 6. quæst. 1. l. Improbum fœnus*, *C. Ex quibus causis inf. irr.* & de communi testatur *Covarr. var. lib. 3. cap. 3. n. 2. Bern. Diaz*, *& Salzedo in praxi cap. 91. n. 1. Ugolin. cap. 26. n. 1. Lupus in d. c. Quanquam*, *in præfat. n. 6.* ubi etiam de clericis affirmant, & consequenter est

Septima pœna irregularitas ad Ordines, & inhabilitas ad beneficia, ex *d. c. Inter dilectos*, *Majol. lib. 5. cap. 29. n. 1. Ugolin. loco cit. n. 7. Diaz*, *& Salzedo loco cit.* addit *Abbas in d. cap. Inter dilectos*, *n. 6.* quod clericus usurarius potest etiam privari beneficiis obtentis: potest tamen cum isto post correctionem, seu emendationem vitæ Episcopus dispensare, ut possit promoveri, & promotus ministrare, ut *Abb. in d. cap. Inter dilectos*, *n. 6. Ugolin. n. 7. Salzedo ibid. litt. A.*

Addunt multi Doctores, quod hæc infamiæ pœna, & irregularitas tollitur per pœnitentiam, & restitutionem, vel cautionem supra dictam: ita *Felin. in c. 1. lim. 8. de probat.*

Ma-

Mathesil. sing. 196. *Filiuc. tract.* 34. *n.* 106. *Salas de usur. disp.* 47. *n.* 1. *Cevall. contr. comm. quæst.* 11. *n.* 5. est contra *Diaz, Majol. loco cit. & Ugolin. n.* 7.

Limita supradictas pœnas, ut procedant de usurariis christianis, non autem de judæis, secundum probabiliorem: unde testamentum judæi non erit nullum, etiamsi non restituat: ita *Azor. par.* 1. *lib.* 8. *cap.* 22. *quæst.* 15. cum per eum allegatis, & communem ait *Farin. in fragmen. litt. l. n.* 683.

Limitant secundo multi Auctores, ut præfatæ pœnæ contra usurarios manifestos statutæ, & aliæ similiter latæ contra eos, qui usurarios manifestos ad divina admittunt, seu ad spiritualem communicationem, de quibus dicendum in sequentibus capitibus, non habeant hodie locum, nisi tales usurarii sint nominatim declarati, propter Extrav. *Ad evitanda*, de qua dixi *ver. Censura c.* 4. & ita tenent *Suar. de censur. disp.* 31. *sect.* 2. *n.* 10. *Less. lib.* 2. *c.* 20. *n.* 188. *Salas de usur. disp.* 47. *n.* 9. *Filiuc. tract.* 17. *n.* 100. *Bonac. de censur. in particul. disp.* 3. *quæst.* 3. *punct.* 6. *n.* 7. *& de contract. disp.* 3. *quæst.* 4. *punct. unic. n.* 1. & late probat *Ugolin. de usur. cap.* 24. §. 8. *n.* 3. *per totum*.

Alii dicunt, non requiri declaratoriam, de qua in dicta Extrav. idest denunciationem publicam, sed sententiam specialem, seu declaratoriam in judicio de notorietate hujus criminis usurarum exercitii, & ante hanc sententiam non esse locum pœnis prædictis: ita *Menoch. de arbitr. casu* 335. *n.* 12. *&* 13. & inclinat *Suar. & Filiuc. loco cit.* & quod non possit dici delictum notorium, nec pro eo procedi ad pœnas, nisi fuerit per sententiam declaratum, ait communem sententiam *Clarus* §. *fin. quæst.* 9. *in fin.* ubi ait sic in praxi receptum: sed hæc doctrina *Clari*, & aliorum a *Menoch.* allatorum debet intelligi vera, quando agitur ad pœnas inferendas, quæ de sui natura requirunt declaratoriam, vel executoriam, idest quæ requirunt factum hominis positivum; secus autem in pure privativis, de quibus hic agimus, ut dixi *supra par.* 1. *cap.* 5.

Alii distinguunt, quod declaratoria non requiritur ad incurrendas pœnas *c. Quia in omnibus, de usur.* sed bene ad incurrendas pœnas *c. Quanquam de usur. in* 6. ita tenent *Lupus in dict. cap. Quanquam in præf. n.* 32. *&* 33. *Covarr. variarum, lib.* 3. *c.* 3. *n.* 5. sed recte refutantur ab *Ugolino loco cit.* quia non assignant rationem differentiæ.

Igitur alii dicunt dictas pœnas, de quibus *hic, & seqq. capitib.* procedere, & ligare ante omnem declaratoriam, seu denunciationem, quia Extravag. *Ad evitanda* loquitur de iis, qui vitandi essent ratione sententiæ, seu censuræ, non autem de vitandis ratione criminis notorii; ita tenent *Sylvest. verbo Usura* 9. *quæst.* 4. *vers. Quarta, Navarr. c.* 17. *n.* 280. *Armilla verbo Usura, n.* 53. *Molina tom.* 2. *disp.* 334. *Filiuc. tract.* 14. *n.* 71. *Vrvald. de suspen. n.* 50. *Marius Alterius tom.* 2. *disp.* 11. *c.* 2. *in fin. Jason. consil.* 78. *n.* 3. *vol.* 3. *Mascard. verbo Usurarius, conclus.* 1425. *n.* 6. & hæc est communior sententia: solum autem requiri puto declaratoriam judicis, vel sententiam, quando ratio notorii posset esse dubia, ut late distinguit, & conciliat *Mascard. verbo Notorium, concl.* 116. *n.* 11. ubi ait, notorium facti permanentis facile posse excludere omne dubium, secus in notorio juris.

Adde, quod causa usurarum, si quæstio sit juris, an aliquis contractus in genere, seu specie sit usurarius, est ecclesiastica; si autem sit quæstio facti, idest, an hic contractus sit usurarius, vel illa persona usuraria, est mixti fori, *Clarus* §. *Usura, vers. Hoc crimen, Cevallos contr. com. quæst.* 11. *n.* 9. Vide *Dianam resolut.* 77. *tract.* 2. *tom.* 1.

Qualiter autem fieri debeat restitutio usurarum, bene tractat *Rota, decis.* 152. *par.* 1. *noviss. ubi per cap. Cum tu de usur.* concludit, quod usuræ certorum dominorum, eisdem sunt restituendæ: si autem sunt incertorum, sunt distribuendæ pauperibus, in foro quidem externo, scilicet quando erat publicus usurarius, eligendis ab Episcopo, ut certa fiat satisfactio: in foro autem conscientiæ, videlicet in occultis, fieri debet ab eodem usurario, ejusque hæredibus; ita *Rota ibi n.* 6. concordans sententias Canonistarum, & Theologorum.

Item ex *Rota decis.* 177. *par.* 1. *noviss.* possessiones usuris comparatæ, vendendæ, & pretium creditoribus, qui usuras solverunt, restituendum, *cap. Cum tu*, §. *Possessiones de usur. & gloss. verbo facultates in c.* 2. *de usur.* ait ante omnia legata, etiam pia, esse restituendas usuras: item & donationes factæ inter vivos ab usurario, revocandæ sunt in subsidium, pro restitutione usurarum, ita *Rota ibi n.* 1. cum Medina, nec poterunt donatarii in foro conscientiæ ea bona retinere etiam ante sententiam; ita *Rota ibi*: quod si quis usurario solveret speciem aliquam in causam usurarum, ver. gr. fundum, gemmam, in hoc casu hic posset etiam actione reali repetere eandem rem a quocunque, etiam tertio possessore: *Rota ibi n.* 3. *cum Villagut.* non tamen habent isti creditores ex causa usurarum solutarum hypothecam in bonis usurarii, quæ usurarius de usuris comparavit: unde non poterunt revocare alienata ab usurario ex causa onerosa, sed solum si ex lucrativa, propter æquitatem *leg. Si & me, & Titium ff. si cer. pet.* ita *Rota ibi n.* 2. *&* 3. cum communi sententia: quod si adsint alii creditores ex causa non usuraria, sed usurarius non habeat, nisi bona ex usuris acquisita, solis creditoribus ex causa usurarum illarum satisfaciendum est; ita *Rota ibi n.* 1. *cum Medina*.

☞ *Retentionem bonorum indulsit judæis baptizatis Paulus III. Const.* Cupientes 21. *Mar.* 1542. *licet dicta bona acquisita fuerint ex usuris, dummodo non notæ sint personæ, quibus essent restituendæ. Quod confirmavit etiam* Clemen. XI. *Constitut.* Propagandæ. ☜

An autem usurarius mentalis restituere teneatur in conscientia, quando scilicet expresse non convenit de fœnore sibi solvendo, sed tamen ea principali intentione credens sibi lucrum solvendum, quod postea debitor ipse ex causa mutui non rogatus, non tanquam usuras, sed liberaliter solvit, communis Canonistarum affirmat, in foro conscientiæ teneri, etsi non cogatur in foro externo; ita *Innoc. Joan. Andr. Abb. Anchar. Hostien. in cap. Consuluit de usur.* sed communis Theologorum negat ad restitutionem teneri, ut probat *Azor. tom.* 3. *lib.* 5. *tit. de usura, c.* 16. censent tamen, quod si iste solitus esset mutuo dare tali modo, & ab omnibus, seu passim hujusmodi lucrum capere, etiam pro foro externo usurarius declarandus esset, per ea, quæ refert *Anchar. in dict. cap. Consuluit, n.* 5. & etiam in foro conscientiæ teneretur.

Ultimo addo, quod licet secundum magis communem sententiam, de jure communi crimen usuræ sit fori ecclesiastici, & possit inquiri, & criminaliter procedi a judice ecclesiastico contra usurarios, etiam ad pœnam criminalem, ut testatur Gabriel *comm. concl. lib.* 7. *concl.* 20. *n.* 2. *&* 3. tamen in regnis, seu territoriis, in quibus ex principum secularium constitutionibus latæ sunt pœnæ contra usurarios, ut in Regno Neapolis lata est pœna confiscationis omnium bonorum, tunc poterit etiam judex laicus inquirere, & procedere contra usurarios ad pœnas hujusmodi, ut probat *Covar. resol. lib.* 3. *c.* 3. & tenet, & communem testatur *Aloys. de Leo in leg.* 1. *n.* 24. *C. de Summ. Trin.* & late probat *Marta de Jurisd. par.* 2. *cap.* 7. *a n.* 8. Intelligas tamen, confiscationem fieri posse restitutis usuris iis, ad quos pertinent; & intellige, quod non potest judex laicus judicare de quæstione juris, an talis contractus sit usurarius; hoc enim pertinet ad judicem ecclesiasticum, sed solum potest cognoscere super quæstione facti, ita *Marta loco cit. n.* 11. *&* 22.

☞ *Juvat hic referre, qui usuræ labe etiam notandi sint ex sententia Congregationis, speciatim deputatæ a Bened. XIV. inserta in ejus littera encyclica* Vix pervenit 1. Nov. 1745. *ad omnes Italiæ Ordinarios, n.* 2. *ibi* — Neque vero ad istam labem (*usuræ*) purgandam ullum accersiri præsidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non excedens, & nimium, sed moderatum, non magnum, sed exiguum sit, vel ex eo, quod is, a quo id lucrum solius causa mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat; nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæstuosis agitandis negotiis utilissime sit impensurus. —

Quando cambium, quod vocant obliquum, cujus notionem præbet Card. de Luca lib. 5. tit. de cambiis in summa part. 2. n. 16. *ab usuræ palliatæ labe possit esse immune, vide Bened.* XIV. de Synod. Diœces. edit. Patav. an. 1756. lib. 10. cap. 5. a n. 8. ad 10.

An autem immunis sit ab usuræ labe etiam contractus societatis cum assecuratione capitalis, & fructuum, qui appellatur contractus trinus, seu contractus trium contractuum, vide pariter eruditissime deducta ab eodem Benedicto cit. lib. cap. 7. per totum.

Propositiones proscriptæ circa usuram ab Alexand. VII. die 18. *Mart.* 1666. *& ab Innocentio XI. die* 2. *Mart.* 1679. *sub pœnis in eas docentes &c. & ad praxim deducentes; prout in fine Additionis ad cap. I. verbo* Missa.

Ab

Ab Alex. VII. quæ est in ordine la

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

Ab Innoc. XI. quæ sunt in ordine la

40. Contractus Mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, & cum contractu retrovenditionis præviæ, inito cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur, tamquam ex justitia debitum.

CAPUT II.

Usurarii heredes, vel complices.

ISti, nisi restituant, quandiu ratiociniis sunt obnoxii ratione usurarum, irregulares sunt: hæredes tamen si repudiant hæreditatem ab initio, evadent hanc irregularitatem, *Hostien. in cap. Tua nos, de usur. Sylvest. verbo Ratiocinia, Tabiena ibi, Abb. in c. 1. de obl. ad ratiocin. Majol. lib. 5. cap. 29. n. 4.*

CAPUT III.

Usurarium manifestum admittentes ad communionem Altaris, vel ad pœnitentiæ Sacramentum.

I. SI clericus admittat usurarium ad Communionem Altaris, secundum multos incurrit in suspensionem, latam in *c. Quia in omnibus, de usuris*, ubi expresse prohibetur admitti ad Communionem Altaris: & ita tenent *Sayr. lib. 4. de censur. c. 15. n. 5. cum Angel. Sylv. Tabiena, Vivald. & aliis*, tenet *Lupus in c. Quanquam, de usur. in 6. in præf. n. 13. Ugolin. c. 24. de cens. in princ. n. 4.* tamen contraria est verior, quia *text. in prædicto c. Quia in omnibus*, prohibet tria, idest usurarium admitti ad Communionem Altaris, & ad oblationes, & ad ecclesiasticam sepulturam: sed solum fert suspensionem contra admittentes ad sepulturam, vel oblationes: & ita tenet *Suar. disput. 32. sect. 2. n. 6. Bonac. de suspen. partic. quæst. 3. punct. 6. n. 1. Filiuc. tract. 17. n. 100.* idemque dico de admittente ad Sacramentum pœnitentiæ: quamvis enim *c. Quanquam* id prohibeatur, non tamen extensa est censura ad eum casum.

CAPUT IV.

Usurarium manifestum clerici admittentes ad oblationes.

IN *cap. Quia in omnibus, de usuris*, statutum est, ne oblationes usurarii manifesti quisquam accipiat; qui autem acceperit, & quæ accepit, reddere compellatur, & donec ad arbitrium Episcopi satisfaciat, ab officii sui maneat executione suspensus. De hac re vide *supra c. 1. n. 3.* ubi declaravi, de quibus oblationibus intelligatur hic textus.

Amplia, quod hæc pœna, & obligatio restituendi est latæ sententiæ; quia licet feratur per verba sententiæ ferendæ, tamen quia simul fertur suspensio ipso facto incurrenda, donec restituat, consequenter obligat ipso facto: ita *Less. c. 20. n. 187. Anan. in dict. c. Quia*, dicens, dominium non fuisse translatum in Ecclesiam, & *Cardin. ibi n. 3. Ugolin. c. 24. §. 1. de usur.* est contra *Suar. de censur. disp. 31. sect. 2. n. 6. Bonac. de censur. partic. disput. 3. quæst. 3. punct. 6. n. 6.* qui putant, non teneri restituere ante sententiam, & suspensionem ferri, donec satisfaciat, non donec restituat.

Amplia secundo, quod hæc suspensio est latæ sententiæ, ut neque prærequirat monitionem, *Suar. n. 7. Abb. hic n. 9. cum Innocent.* quia verbum *remaneat* non indiget sententia: & veriorem ait *Sylvest. verbo Usura 9. quæst. 4. §. 4. Est*: alii tamen dicunt, requiri monitionem, *Host. & Joannes Andr. & Cardin. hic n. 3. Anchar. n. 8. Henric. Boich. n. 2. in fin.* qui dicunt, hanc esse benigniorem sententiam.

Limita, ut possint recipi oblationes ab usurario, qui satisfecit, vel cavit, ut dixi supra *cap. 1.* item multi limitant, quod intelligitur hodie hæc pœna de usurario denunciato, propter Extrav. *Ad evitanda*, ut *Bonac. de censur. in partic. disp. 3. q. 3. punct. 6. n. 7. Suar. disput. 31. sect. 2. n. 10. Filiuc. tract. 17. n. 100.* sed contraria est probabilior, quod sufficiat esse notorium, *Navarr. c. 17. n. 280. Armilla verbo Usura, n. 53. Molina tom. 2. disp. 334. Filiuc. tract. 14. n. 71. Vival. de suspens. n. 50. Alter. tom. 2. disput. 11. cap. 2. in fin.*

CAPUT V.

Usurarium manifestum tradens ecclesiasticæ sepulturæ.

I. EX *cap. Quia in omnibus, de usur.* statutum est, ne usurarii manifesti, si in hoc peccato decesserint, christianam accipiant sepulturam; qui autem christianæ tradiderit sepulturæ, donec ad arbitrium Episcopi satisfaciat, ab officio sui maneat executione suspensus.

De hac censura dixi *supra cap. præcedenti*: & nota, quod ex vi hujus textus non erat locus hisce pœnis, si usurarius decedebat pœnitens, mandando in suo testamento usuras restitui, ut notat *gloss. in cap. Quanquam, verbo Mandaverint, de usur. in 6.*

II. Sed ex *dict. cap. Quanquam*, statutum est ulterius, quod & si usurarius manifestus mandaverit usuras restitui, & sic pœnitens decesserit, nihilominus ecclesiastica careat sepultura, donec de usuris fuerit satisfactum, vel cautio idonea de satisfaciendo pro viribus hæreditatis, præstita illis, quibus facienda est restitutio, si præsentes fuerint, aut aliis, qui possint acquirere, vel eis absentibus, loci Ordinario, aut ejus Vicario, vel parocho, in cujus parochia testator habitat, coram aliquibus fide dignis de ipsa parochia, aut notario de Ordinarii mandato: & in ea cautione quantitas debita exprimenda est, quatenus sit certa, vel verisimilis, arbitrio recipientis cautionem: alias si minor quantitas expressa fuerit ex culpa cautionem admittentis, admittens tenebitur reliquum restituere de proprio: quod intelligas, si adfuit ejus culpa gravis, ut notat *gloss. ibi, verbo Teneatur*; & sic tenebitur etiam in foro conscientiæ; quia ex officio obligabatur diligentiam adhibere sufficientem.

Additur in *eodem textu*, ut omnes religiosi, & alii, qui manifestos usurarios contra præsentis satisfactionis formam ad ecclesiasticam ausi fuerint sepulturam admittere, subjaceant pœnæ latæ in *dict. cap. Quia in omnibus*, idest suspensionem ab officio incurrant.

De hac re, quando liceat usurarium tradere sepulturæ ecclesiasticæ, & quando exhumari debeat, dixi supra *c. 1. n. 4.* & quando incurrantur hæ pœnæ, dixi supra *verbo Sepultura, cap. 5.*

III. *Clement. 1. de sepult.* qui usurarios manifestos in Ecclesiis, vel cœmeteriis scienter sepelire præsumunt, ipso facto excommunicationem incurrunt, a qua non possunt absolvi, nisi prius ad arbitrium diœcesani Episcopi, eis, quibus præmissa fuerit injuria irrogata, satisfactionem exhibuerint competentem, nullo eis privilegio, in quacunque verborum forma concesso, suffragante.

Hujus textus explicationem posui supra, *verbo Sepultura, c. 5.* solum addo, quod hæc pœna excommunicationis non sustulit pœnam suspensionis, clericis impositam *in d. c. Quia in omnibus*; ideo in eis utraque concurret: ita *Abb. in d. c. Quia in omnibus, n. 3. Anan. n. 9. Cardin. n. 3. in fin.* sed hæc excommunicatio latius patet; nam procedit etiam contra laicos sepelientes: cessat tamen hæc pœna, quoties usurarius pœnitens decessit, & restituit, vel cavit, juxta dicta supra *cap. 1. n. 4.*

An autem hæ pœnæ locum habeant ante declaratoriam de manifesto usurarum exercitio, dixi supra *cap. 1. & verbo Sepultura, cap. 5.* & supra proxime, *cap. 4.*

CAPUT VI.

Usurariam pravitatem approbantes, seu adjuvantes, statutis, sententiis, consuetudinibus, vel dogmatibus.

I. EX *Clem. un. de usuris*, quicunque communitatum potestates, capitanei, rectores, consules, judices, consiliarii, aut alii officiales, statuta, quibus usuras non solum exigi, & solvi concedunt, sed ad eas solvendas debitores scienter compellunt; aut repetentibus usuras gravamina imponunt, aut aliter repetitionem impediunt, facere, scribere, vel dictare; aut quod solvantur usuræ, aut quod solutæ repetentibus non restituantur, scienter judicare præsumpserint,

rint, excommunicationis sententiam incurrunt: item statutum est, ut eam etiam incurrant, qui talia statuta ante edita, intra duos menses de libris publicis non deleverint, aut si ipsa statuta, sive consuetudines hujusmodi præsumpserint observare: nota quod hæc censura non est reservata.

Amplia, quod licet textus loquatur contra communitatum officiales, tamen multi dicunt, continere etiam principes supremos, & dominos temporales, ut *Azor. tom. 1. lib. 5. cap. 17. §. Deinde, Molina disp. 331. §. Domini, Sylvest. Usura 9. q. 22. Salas de usur. dub. 47. n. 12. Filiuc. tract. 17. n. 34.* quamvis contrarium teneat *gl. & Jo. Andr. in d. Clem. Bonif. Vitalin. n. 40.* quæ sententia est magis conformis litteræ: & rationem affert *Vitalinus*, quia facilius tale crimen committitur a communitatibus, seu rebuspublicis, statuta facientibus.

Ampliant secundo multi, quod hic textus procedit etiam, quando prædicta fierent statuta &c. de usuris judæis persolvendis, vel ab eis non repetendis; quia textus generaliter loquitur, & quia dicunt, eodem modo injustum esse statutum, vel decretum potestatis secularis, permittens judæis usuras exigere, vel retinere, ut Doctores, quos allegat *Avus meus decis. Pedem. 57. n. 1.* & tenent *Sylv. loco cit. n. 22. Laur. in dict. Clem. Vitalin. ibi, n. 38. & 73. Cardin. n. 16. Azor. par. 1. lib. 2. cap. 10. col. ult.* qui plures allegat. Adde, quod neque Papa potest concedere directe usuras judæis, scilicet concedendo exactionem, vel denegando repetitionem; quia est actio intrinsece mala, *Berous in c. Super ea, n. 7. de usur. Anan. in c. Post miserabilem, n. 4. eod. tit.* & communem ait *Marquard. de judæis, par. 1. c. 11. n. 14. Clarus §. Usura, versic. Hæc autem.*

Contra tamen, quod hic textus non procedat, nisi de usuris, quas christiani exigunt, non autem si a judæis exigantur; quia Ecclesia non curat statuere de iis, qui foris sunt, *c. In primis 2. q. 1.* ex *1. ad Cor. c. 5.* & constitutio ecclesiastica generalis non continet judæos, nisi exprimantur, ait *Tabiena, verbo Usura 1. quæst. 5. & Patruus meus in consilio, addito eidem decis. Pedem. supra cit.* & quod princeps temporalis possit concedere actionem, seu compulsionem contra christianum ad solvendas usuras judæo, tenent multi, quos allegat *Avus meus dicta decis. 57. n. 3. & Navarr. cons. 33. n. 7. de Usuris, vel consil. 3. de judæis, Pyrrhus Siculus in specul. tract. de usur. disp. 16. q. ult. Ugolin. de usur. c. 2. §. 4. n. 1. Castren. consil. 397. Quædam communitas, lib. 2. in noviss. fol. 184.* qui ait, concedi posse executorem, non judicem, neque per viam sententiæ definitivæ, sed interlocutoriæ, auditis partibus.

Sed media sententia verior mihi videtur, scilicet non esse illicitum potestati, seu principi temporali, saltem ex consuetudine immemorabili, a Papa tolerata, vel ejus concessione expressa, permittere judæis mutuare christianis sub usuris, pignore accepto, & non concedendo actionem illis ad usuras exigendas, sed retentionem, denegando repetitionem coram suo tribunali: unde christianus, repetens pignus, solvet usuras; vel si non solvat, judæus retinebit pignus, quasi sibi in solutum traditum, ut distrahi possit solemnitate servata; & in tali casu potest princeps, seu judex concedere assistentiam subhastationi, ut quod reliquum fuerit supra sortem, & usuras, restituatur pignoranti; & quia in tali casu princeps, & judex se habet tantum permissive, permittendo fœnus impunitum ob majus bonum; & illa assistentia est ad favorem christiani: unde si judæus mutuat, vel nullo pignore accepto, vel pignore minoris valoris, non poterit in judicio petere usuras, nec ei concedetur exactio, ita *Azor. tom. 1. lib. 5. c. 17. §. In hac quæstione, & §. Tertia dubitatio, Castrens. cons. 295. Casus talis est, n. 4. & 5. lib. 2. fol. 145. in noviss. & cons. seq. in fin. Jas. in leg. Cunctos populos, n. 58. C. de summ. Trin. S. Anton. 2. p. tit. 1. c. 9. quæst. ult. vers. Sed cum sciat, Tabiena ver. Usura 1. quæst. 5. §. Notandum:* & quod requiratur Papæ licentia tacita, vel expressa, ait *Farinac. in fragmentis lit. l. n. 671.* ubi ait esse magis communem.

Similiter licitum est statutum, seu privilegium, quod solet fieri pro hebræis, ne teneantur restituere dominis pignora, quæ a fure ipsis hebræis data fuerint pro mutuata pecunia, nisi pecunia, & fœnore eisdem persolutis; dummodo observaverit hebræus fœnerator conditiones præscriptas in statuto, v. g. quod descripserit in libro numerum, & pondus rerum pretiosarum; ita *Rota decis. 182. in coll. Farin. de contrac.* quamvis de jure communi fœnerator quilibet, seu mutuator teneatur domino in tali casu rem restituere, etiam nulla pecunia reddita: si autem ei a domino reddita fuerit ad redimendum pignus, tunc si mutuator ignoravit rem furtivam, non poterit ab eo repetere; alias secus, *leg. Servus ff. de cond. ind. ibi Castr. n. 1. Jas. n. 1. Rota cit. n. 2. & 6.*

Si autem princeps, seu communitas concederet judæis actionem ad usuram, seu exactionem, tunc incurreret in pœnam *dicta Clementin. 1. de usuris*, quia facilius fuit concedere exceptionem, quam actionem: ita *Castrens. d. consil. 295. n. 4. & alii supra cit.* & idem ait *Azor. tom. 1. lib. 5. cap. 17. §. Tertia dubitatio;* item si faceret statutum, seu legem, denegantem christiano usurarum repetitionem a judæo in judicio seculari; nam hoc ait esse contra hunc textum; secus si tantum denegaret audientiam repetenti absque lege, sed sola consuetudine, & de facto.

Amplia tertio, quod hæc pœna ligat etiam non delentes statuta condita post hanc Clementinam; ut *Suar. de cens. disp. 23. sect. 5. n. 5. n. 30. Filiuc. tract. 14. n. 171.* quidquid contra dicat *Vitalin. in eadem Clement.*

An autem etiam hodie isti habeant dilationem illam trium mensium? affirmat *Suar. & Filiuc. ibi*, quoad eos, qui non fuerunt complices, sed successores statuentium, quia adest eadem ratio: contrarium tenet *Bonac. de censur. partic. dis. 2. q. 10. punct. 15. n. 7.* & in simili tenet *gloss. in c. Noverit 49. de sent. excomm. verb. Intra duos menses*, quam ibi sequitur *Joan. Andr. Cardin. n. 3. Anchar. n. 3. & Abb. n. 3.* qui ait, successores istorum a die scientiæ teneri quam primum delere, non expectato illo termino; aliqua tamen eis morula, seu dilatione, arbitrio prudentis concessa: & hæc videtur tenenda, ut magis communis Canonistarum.

II. Statuentes, vel decernentes aliquid contra recurrentes ad forum ecclesiasticum, pro repetitione usurarum, sive ab usurario fideli, sive judæo, incurrunt in pœnas latas contra facientes statuta, vel decreta contra libertatem ecclesiasticam, de quibus dixi *verbo Leges*: & in pœnas latas contra impedientes recursum ad forum ecclesiasticum, seu impedientes jurisdictionem ecclesiasticam, de quibus dixi *verbo Jurisdictio, Castrens. consil. 296. n. 4. lib. 2. fol. 145. Azor. tom. 1. lib. 5. c. 17. §. Deinde:* alias facientes statuta, vel decreta de usuris solvendis, vel non repetendis, non dicuntur facere contra libertatem ecclesiasticam, sed contra justitiam, ut *gloss. in hac Clem. verbo Tres menses, & ibi Canonistæ.*

III. Statuentes, & judicantes, & in his cooperantes ad exactionem usurarum, vel retentionem, denegando repetitionem, obligantur ad restitutionem, tanquam cooperantes injustitiæ secundo loco, idest in defectum usurariorum, *Sylv. verbo Usura 9. q. 22. Turrian. de just. disp. 64. dub. 4. n. 5. Tabiena, verbo Usura 1. quæst. 5.*

IV. Affirmans pertinaciter, exercere usuras non esse peccatum, vel faciens statutum approbans, & permittens usuras tanquam licitas, incurrit crimen, & pœnas hæresis, de quibus vide *verbo Hæresis*: ita *Clem. 1. de usur. §. fin. ibi gloss. verbo Hæreticum, & ibi DD. & Barbos. n. 12. & 13. Gratus cons. 49. n. 24. par. 2.*

CAPUT VII.

Usurariis manifestis locum ad fœnus exercendum dantes.

I. IN *cap. 1. de usur. in 6.* ut commoditas fœnus exercendi adimatur usurariis, statutum est, ne collegium, aut alia universitas, vel singularis persona alienigenas, aut alios non oriundos de terris suis, publice fœnus exercentes, vel exercere volentes, ad hoc domos in terris suis conducere, vel conductas habere, aut alias habitare permittat, sed usurarios hujusmodi manifestos omnes infra tres menses de suis terris expellat, neque unquam aliquos tales de cetero admittat, nemoque illis ad fœnus exercendum domum locet, vel alio titulo concedat: qui vero contrafecerint, si personæ fuerint ecclesiasticæ, Episcopi, aut Episcopis superiores, suspensionis, inferiores Episcopis, singulares personæ ecclesiasticæ, excommunicationis; universitates, & collegia interdicti sententiam ipso facto incurrant; & si has censuras respective incursas animo indurato per mensem sustinuerint, terræ ipsorum, quandiu ibi usurarii præfati permanserint, ecclesiastico subjaceant interdicto: laici vero a suis Ordinariis censuris compescantur, scilicet sententiis ferendis, omni privilegio cessante: hæ censuræ nulli sunt reservatæ, ut patet ex textu.

Nota

Nota primo, quod hic textus procedit solum de usurariis manifestis. Dicitur autem usurarius manifestus, quando hæc duo concurrunt, scilicet consuetudo, seu exercitium, seu frequentia mutuandi sub usuris, & publicitas notoria: nam nomen usurarii est verbale, ex natura sua significans exercitium, seu frequentiam; ita de omnibus pœnis usurariorum docet *Covarr. 3. variarum, c. 3. n. 2. §. Scribit, Lupus de usur. comment. 4. in præf. n. 22. Ugolin. de usur. c. 24. §. 8. nu. 1.* unde non sufficit unus actus, etiam notorius, *Menoch. de arbitr. c. 235. n. 6. cum Bart. & Salic. & aliis*, & tenet *Mantic. de tacit. & ambig. tit. 24. n. 13. lib. 8. Turrian. disput. 63. dub. 4. n. 4.* neque sufficiunt duo actus ad hanc consuetudinem facti, *Menoch. casu 81. n. 1. ibidem:* neque sufficiunt tres actus, ut quis dicatur usurarius, *Jas. consil. 154. volum. 4. Grat. cons. 39. n. 5. vol. 2.* sufficit tamen exercitium inchoatum, idest unus actus, exprimens intentionem exercendi, ut mensam proponendo, *Menoc. casu 235. n. 9. cum allegatis*: imo ad pœnas textus nostri, idest *d. c. 1. de usur. in 6.* sufficit voluntas publice exercendi fœnus, exterius expressa, seu significata absque ullo actu usuræ, ut patet ex textu, & docet *Suar. de censur. disp. 31. sect. 5. n. 13.* item quamvis consuetudo ista tollatur per pœnitentiam quoad forum interius, & per satisfactionem, vel cautionem idoneam quoad futum exterius, ut dixi *cap. 1.* tamen si postea reincidat in idem, etiam per unum actum, redit consuetudo, *Suar. tom. 2. de relig. tract. de juram. lib. 2. c. 6. n. 8.* & redit denominatio usurarii, & pœnas incurrit, *Rota decis. 202. n. 1. apud Farin. collect. de contract. & delict.* ubi addit, procedere etiam per unum actum occultum, tenetque *Feder. de Sen. cons. 7. Gemin. in cap. Quanquam, §. Omnes, n. 7. de usur. in 6.* & est communis sententia, ut *Rota ibi*.

Manifestus autem dicitur usurarius, quando ejus exercitium est notorium notorietate facti, ut quia publice habet mensam ad fœnerandum expositam, vel ita frequenter fœneratur (etsi privatim) ut populus de ea re certitudinem habeat, *gloss. in d. c. 1. de usur. in 6. verbo Manifesti, Clarus §. Usura, vers. Sed hic, Menoch. de arbitrar. casu 235. n. 9. Mascard. verbo Usura, conclus. 1425. n. 3. & 4.* vel si usuræ exercitium esset confessus coram magna popoli multitudine, ita ut publice confessus dici possit, *Menoch. n. 21.* & plures allegat *Mascard. n. 11.* sufficit autem, ut res sit notoria majori parti civitatis, vel oppidi, vel viciniæ, vel parœciæ, juxta ea, quæ dixi *par. 1. cap. 21.*

Item manifestus dicitur, si sit ejus exercitium notorium notorietate juris, & quia in judicio est de hoc confessus, vel condemnatus, *Covarr. lib. 3. var. cap. 3. n. 4. Clarus verbo Usura, n. 5. Menoch. casu 235. n. 12. Mascard. conclus. 1425. n. 8. Barbos. hic n. 9.* non tamen sufficeret, eum fuisse convictum, si non sit condemnatus, secundum probabiliorem, quam tenent *Abb. cons. 2. lib. 2. Federic. de Sen. consil. 64. Covarr. n. 4. cit. Menoch. casu 233. n. ult. Salzedo ad Diaz c. 92. praxis, Mascard. loco cit. n. 17.* quamvis contrarium teneant multi, ut dixi *d. c. 21. par. 1.* neque sufficit, confessionem factam esse coram parocho, & duobus testibus, secundum veriorem, & communem sententiam, *Bernard. Diaz, & Salzedo ibi, Menoch. n. 12. Filiuc. tract. 14. n. 111. Turrianus disp. 63. dub. 4. n. 4. Molina disp. 333.* quamvis contrarium teneat *Clarus §. Usura, loco cit.*

Adde, quod dicitur manifestus usurarius, si olim fuit manifestus, & pœnitentiam egit, & restituit, vel cavit, sed postea reincidit in crimen usuræ, etiam occulte; ut *Rota decis. 202. supra citata* cum communi sententia.

Non poterit autem dici usurarius manifestus, nisi contractus sit certo usurarius, quem celebravit: si enim talis contractus aliqua probabili ratione excusari possit a crimine usuræ, non erit dicendus usurarius manifestus, ver. gr. ex probabili DD. sententia, vel consuetudine, tolerata publice, ut *Grat. cons. 49. n. 12. lib. 2.* consuetudo enim hujusmodi excludit omnem præsumptionem usurariæ malitiæ (nisi ea sit patens, ut consuetudo dicenda sit corruptela) *Em. Sà, verb. Contractus, n. 4. Filiuc. tract. 38. n. 101. Rota decis. 43. n. 6. in collec. Farin. de contr. & decis. 708. n. 7. par. 1. noviss. Grat. cons. 39. n. 4. & 5. lib. 2.* unde non poterit contra hunc formari inquisitio, *Grat. n. 6.*

Nota secundo, quod illa suspensio contra Episcopos lata, est ab officio, & beneficio, quia est absolute prolata: ita *Sayrus lib. 4. cap. 12. n. 48. Suar. disp. 31. sect. 5. n. 15.* interdictum autem illud personale generale contra universitates, non ligat particulares de universitate, ut debeant abstinere a divinis, nisi cum universitatis culpa fuerit publica effecta, *Suar. disp. 37. sect. 2. n. 4. Filiuc. tract. 16. n. 128.* interdictum vero illud locale non obligat illos de tali loco, qui non fuere culpabiles, ut abstineant a divinis, nisi postquam fuerit denunciatum nominatim, *Suar. disp. 37. sect. 2. n. 5. Coninch. de censur. disp. 17. dub. 5. in fine, Sayr. lib. 5. cap. 12. n. 24. & lib. 5. cap. 4. n. 9. & 10. Ugolin. tract. de interd. tab. 5. cap. 17. §. 2.*

Nota tertio, quod illud interdictum personale contra universitates intelligitur solum contra universitates ecclesiasticas, non laicas: ita *Jo. Andr. hic, & Gemin. §. Qui vero n. 4. Armilla verb. Usura, n. 53. Navarr. c. 27. n. 136. Azor. tom. 3. lib. 5. de usura, c. 18. vers. Tertia pœna, Molina disp. 333. §. Capite primo*: contra *Archid. & Anchar. hic n. 4.*

Nota quarto, quod hæc constitutio secundum multos DD. procedit tam de usurariis christianis, quam de judæis, & aliis infidelibus, si eorum natio ibi non sit admissa ex licentia Papæ tacita, vel expressa: ita tenet *Joan. Mon. & Gemin. hic n. 6. Franc. §. Et quia, Felin. Decius, Alex. Lauren. de Rodulph. Rolan. & Ricciul. apud Barbosam hic n. 2. Navarr. cap. 27. n. 186. Sylvest. verbo Usura 9. quæst. 22. Luis. Turrian. disp. 63. dub. 4. n. 5. Alterius tract. de interd. dis. 12. cap. 2. Bonacin. de censur. partic. disp. 2. quæst. 4. pun. 1. n. 2. Filiucc. tract. 14. n. 111.* contrarium tamen tenent *Barbat. & Socciu. apud Barbos. hic n. 2. Azor. tom. 3. lib. 5. tract. de usura, cap. 18. §. Tertia pœna*, cum *Rosella, & Francisc. Aret.* & hanc communem ait *Armilla, verbo Usura n. 53.* & ita fuisse declaratum ab Eugenio IV. ait *Tabiena verbo Usura 1. quæst. 5. vers. 8.* & hanc consuetudine receptam ait *Clarus §. Usura, vers. Hæc autem*.

Adde, quod locum dantes usurario directe ad fœnus exercendum, tenentur ad restitutionem usurarum in subsidium, seu in defectu usurariorum, *Sylv. verbo Usura 9. quæst. 22. Tabiena verbo Usura 1. quæst. 1. Luis. Turrianus loc. cit. n. 5.* quia cooperantur directe ad usuras.

CAPUT I.

Usurpantes bona, vel proventus Ecclesiarum, vel piorum locorum, vel occupantes, vel impedientes, quominus percipiantur ab iis, ad quos pertinent, & clerici consentientes.

I. EX Trident. *sess. 22. c. 11. de reform.* decretum est, ut si quis clericorum, vel laicorum alicujus Ecclesiæ, vel alicujus beneficii secularis, aut regularis, vel Montium Pietatis, aliorumve locorum jurisdictiones, bona, census, aut jura, fructus, emolumenta, obventiones, quæ in ministrorum, & pauperum necessitates converti debent, per se, vel per alios, vi, aut metu incusso, vel per suppositas personas clericorum, aut laicorum, aliove colore, in proprios usus convertere, illosque usurpare præsumpserit, seu impedire, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur, is anathemati, idest excommunicationi tandiu subjaceat, quandio occupata, seu accepta restituat integre Ecclesiæ, seu administratori, seu beneficiato, ac deinde a Papa absolutionem obtinuerit: quod si prædicta committens, patronus fuerit ejusdem Ecclesiæ, ultra prædictas pœnas, jurepatronatus eo ipso privatus existat: clericus vero hujusmodi fraudis, & usurpationis fabricator, vel consentiens, eisdem pœnis subjaceat, & quibuscunque beneficiis privatus sit, & ad quæcunque alia beneficia obtinenda inhabilis efficiatur, & a suis ordinibus suspendatur arbitrio Ordinarii: non ergo sunt ipso jure suspensi, neque irregulares.

Nota primo, sine dubio hoc decretum procedere contra occupantes, vel impedientes perceptionem dictorum bonorum, per usurpationem proprie dictam, idest, non quasi furtive, aut manifesta rapina, sed tanquam ex jure ad illa, seu quasi ea bona ad ipsum pertineant, scilicet usurpando etiam jus, & potestatem ea percipiendi, seu dominium, vel quasi dominium: hoc est enim proprie usurpare, ut *gloss. in cap. Multi 2. quæst. 1. Cajet. excomm. cap. 27. vers. Quarta est, Suar. de censur. disp. 21. sect. 2. num. 96. Sayr. lib. 3. de censur. cap. 21. in fin. Filiuc. tract. 16. n. 223. Marius Alterius tom. 1. lib. 5. disp. 18. cap. 1. §. Usurpant, Tolet. lib. 1. cap. 28. in fin. vers. 3. Ut sit, Ugolin. super cap. 17. Bullæ in Cœna Domini, in princ. n. 4. & §. 2. n. 2.* sed etiam secundum multos Auctores procedere contra occupantes sine usurpatione, sed injuste, ut vi, aut clam; dummodo sciant, ea bona esse Ecclesiarum, seu piorum locorum, quia etiam hac ratione impediunt, ne percipiantur ab iis,

ad quos pertinent: ita *Bonac. de censur. partic. dis. 1. q. 18. pun. 4. n. 3. Azor. tom. 1. lib. 7. cap. 38. quæst. 16. Jo. Franc. Leon. Thesaur. fori Ecclesiast. par. 1. cap. 15. num. 53. Filiuc. tract. 15. n. 117. tr. 16. n. 223.* & ita esse declaratum a Sacra Congreg. Concilii referunt *Azor. Bonac. & Leon. loc. cit.* quod puto verum, si occupentur fructus rei, aut res fructifera; secus si res aliqua particularis furto auferatur, per ea, quæ dixi *supra verb. Sacril. cap. 3. & 4.* & quia videtur Trident. intelligendum de impediente per usurpationem, ut *Suarez disp. 22. sect. 6. n. 22.*

Item, quod procedat contra ipsos rectores beneficiorum, alienantes bona Ecclesiæ, vel piorum locorum sine licentia, & forma juris debita, & alios, ea sic recipientes, docent *Bonac. tract. de alien. bon. Eccles. pun. 5. n. 3. & Joan. Franc. Leon. loc. cit.* ubi ait, sic a Sacra Congreg. declaratum: sed contrarium in hoc tenent *Filiuc. tract. 44. cap. 6. n. 3. in fin.* & *Azor. loco cit.* quia dicunt, alienantes, & recipientes eo casu habere titulum coloratum, ideo non dici usurpare, nisi post præceptum judicis fuerint contumaces, & idem tenet *Barbos. in Extrav. Ambitiosæ de reb. Eccl. non alien. n. 22.*

Item procedere contra injuste impedientes perceptionem dictorum bonorum, seu fructuum, etiam sine usurpatione, *Filiuc. tract. 15. n. 117. & Mar. Anton. Genuen. pract. quæst. 150. n. 3.* qui propterea ait, in hoc decretum committere, ejusque pœnas incurrere beneficiatum, seu Prælatum, repudiantem legatum, vel hæreditatem Ecclesiæ ejus delatam, scilicet si sine causa rationabili hoc facit; præsertim cum hoc decretum loquatur contra præsumentes, idest dolo malo ea facientes.

Item, quod procedat contra Prælatum, seu rectorem beneficii, destruentem bona Ecclesiæ, ut cædentem arbores fructiferas &c. tenet *Bonac. de alien. punct. 2. n. 7.* quia hanc etiam ait, esse usurpationem, seu occupationem illicitam, & hic prohibitam; vel esse impeditionem, ne percipiantur eæ, earumve fructus ab iis, ad quos pertinent: sed contra *Azorius loco citato*, ait, non contineri in hoc decreto, & pœnis beneficiatum cædentem arbores, ut eas vendat, vel sibi retineat, sed continere extraneum vi, aut clam arbores beneficii cædentem, & occupantem: & idem tenet *Filiuccius locis citatis*.

Item procedit contra commutantem relicta, seu dispositiones factas ad loca pia, si id faciat sine beneplacito, seu facultate Sedis Apostolicæ; quia etiam hæc est impeditio, de qua in hoc decreto: non tamen continetur commutatio aliarum dispositionum ad pias causas sine licentia Sedis Apostolicæ; quamvis etiam hæc commutatio sit irrita, & usurpativa, ut *Clem. Quia contingit de relig. domib. ibi gloss. verb. Sedis; Canonistæ* communiter.

Nota secundo, quod illa pœna privationis jurispatronatus non ligat ante sententiam declaratoriam pro foro conscientiæ, cum sit privatio juris quæsiti, per doctrinam *Joann. Andr. c. 1. n. 10. de homic. in 6. Gomez in reg. de Annali, quæst. 52. Covar. in c. Alma, par. 1. §. 2. n. 9. Less. lib. 2. c. 29. n. 63. & c. 35. n. 147.* & in terminis de lege privante ipso facto jurepatronatus in pœnam, dixi *supra verbo Simonia, c. 8. n. 2.* unde neque peccaret, qui sciens patronum occulte incidisse in hanc pœnam, procuraret ab eo præsentationem, quia adhuc retinet titulum coloratum, & possessionem, imo verum titulum utilem, seu quasi dominium utile, ut dixi *par. 1. cap. 5. & 6.*

Limita autem, ut non sit illicitum patrono in limine fundationis cum consensu Episcopi, sibi reservare aliquod jus super fructuum perceptione, vel administratione, vel aliquod servitium, ut *cap. Præterea, il secondo, de jurepatr.* late *Sanch. in opusc. lib. 2. c. 3. dub. 52. a n. 3.*

Item pœna privationis beneficiorum, de qua hic, est latæ sententiæ, ob illam particulam *privatus sit*; quia verbum *sit* conjungitur participio præteriti temporis, *privatus*; unde privat ipso jure: ita *Gemin. in c. 1. §. ult. de elect. in 6. Tiraquellus in leg. Si unquam, verbo Revertatur, n. 184.* eum communt, *Sayr. lib. 1. de cens. c. 11. n. 9.* tamen non ligat ante sententiam declaratoriam, secundum veriorem, & receptiorem opinionem: ut *Jo. Andr. Gomez & Covar. loco citat.*

Item pœna inhabilitatis est latæ sententiæ ex hoc decreto per illa verba, *inhabilis efficiatur*, quæ de se non videntur requirere factum hominis, ut multi apud *Tiraquel. loc. cit. n. 208.* licet ipse contrarium teneat cum aliis Doctoribus: & ita quod sit latæ sententiæ, intelligit *Toletus lib. 1. cap. 41. §. Quarta habetur.*

Hæc pœna secundum magis communem ligat in foro conscientiæ ante declaratoriam, ut dixi *par. 1. cap. 30.* quamvis probabiliter contrariam multi teneant, ut *ibi* dixi.

Nota tertio, quod clerici, consentientes usurpationi, hic intelliguntur qui actione positiva concurrunt, vel negativa, quando ex officio impedire tenebantur: secus, si solum ex charitate, per *gloss. in c. Quanta, verbo Consentientes, de sent. excomm. Navar. c. 27. n. 78. Avila par. 2. c. 3. disp. 3. dub. 8. Molina disp. 33. n. 52. tom. 4.* & communem ait *Coninch. disp. 14. de cens. n. 174.* & tenet *Laym. lib. 1. tract. 5. par. 2. c. 5. n. 6.* quamvis contrarium teneant alii, scilicet contineri etiam non impedientes, quando ex charitate sub peccato mortali tenentur, *Sylvest. verbo Excomm. 6. n. 5. Suarez de censur. disp. 22. sect. 1. n. 56. Filiuc. tract. 15. n. 31.* & communem dicunt, & tenent *Sayr. lib. 3. c. 26. n. 24. & Marius Alterius tom. 1. lib. 5. disp. 12. cap. 6. colum. 11.*

II. Ex *Bulla in Cœna Domini, cap. 17.* fertur excommunicatio Papæ reservata contra usurpantes jurisdictiones, fructus, reditus, vel proventus ad Papam, & Sedem Apostolicam, & quascunque ecclesiasticas personas, ratione Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum ecclesiasticorum pertinentes.

Limitant Doctores hanc censuram, ut solum procedat contra usurpantes usurpatione proprie dicta (idest quasi ex jure ad dictos fructus, seu proventus) non autem contra fures, aut raptores: est communis sententia Interpretum hujus capitis, *Cajet. Navarri, Alterii, Toleti, Duardi, Suarez, Ugolini, Filiuc. Sousæ, & Reginal.* quos allegat, & sequitur *Bonac. quæst. 18. super Bulla Cœnæ, punct. 1. n. 3.* & sequuntur *Quaranta, verbo Bona Eccles. usurpantes, Riccius resolut. 415. n. 4.*

Procedit autem secundum veriorem contra omnes usurpantes, sive publica, sive privata potestate, sive laici sint, sive ecclesiastici, ut *Ugolin. c. 17. §. 1. in princ. Sayr. lib. 3. c. 21. n. 4. Sousa in Bullam Cœnæ, disput. 89. n. 1. Filiuc. tract. 16. n. 212. Duard. lib. 2. in Bullam Cœnæ, can. 17. quæst. 2. n. 1.* & alii: est contra *Navar. c. 27. n. 71. vers. Prima declaratio*, qui putat, hic solum agi de usurpantibus publica laicali potestate.

III. Ex Concilio Lateranensi, sub Leone X. *sess. 9.* incurrunt sententiam excommunicationis principes temporales, & interdictum terræ, seu dominia, si usurpent, aut occupent, aut sequestrent, aut detineant fructus Ecclesiarum: tractat *Marius Alter. disp. 18. lib. 5. c. 2. in fin. tom. 1.* sed censuræ Concilii Lateranensis præfati non fuerunt usu receptæ, nisi quatenus aliunde fuerint innovatæ, ut dixi *verbo Immunitas, cap. 4. n. 2.*

IV. Contra usurpantes oblationes Deo factas, ejusve Ecclesiis, vel ministris, sunt aliæ pœnæ, seu censuræ latæ sententiæ, de quibus dixi *verbo Oblationes, cap. 1.*

V. Contra religiosos decimas usurpantes sunt aliæ pœnæ latæ sententiæ; de quibus dixi *verbo Decimæ cap. 1.*

VI. Contra usurpantes fructus Ecclesiarum vacantium aliæ sunt pœnæ latæ sententiæ, de quibus dixi, *verbo Vacantia*.

VII. Usurpans, seu injuste detinens res Ecclesiæ alicujus, vel personæ ecclesiasticæ, etiamsi laicus sit, conveniri potest coram judice ecclesiastico ratione illius rei, & ab ecclesiastico judice potest coerceri, ex *cap. Si clericus laicum, de foro competen. & ibi Canonistæ communiter*, & de magis communi testatur *Osasch. decis. Pedem. 32. n. 6.* quod intelligas, dummodo a reo probabiliter non negetur, rem esse Ecclesiæ, seu clerici, ut ex eo textu notat *Felinus ibi in princip.* & alii Doctores, quos recenset *Barbos. ibi n. 2.*

CAPUT II.

Usurpare, vel per contractus acquirere laici procurantes juspatronatus, vel dominium directum in bonis ecclesiasticis, & ecclesiastici hujusmodi usurpationi consentientes.

IN *cap. 2. de reb. eccles. non alien. in 6.* prohibetur Prælatis Ecclesiarum (scilicet tam viris quam fœminis, ut ibi intelligunt *glossa, & Doctores*) suas Ecclesias, vel earum jura, vel bona subjicere laicis, quoad juspatronatus, vel dominium directum, perpetuo, vel ad longum tempus, sine sui capituli consensu, & Sedis Apostolicæ licentia speciali; & in contrarium gesta, sunt nulla, etiam quoad causam præscribendi: & Prælati contravenientes incurrunt sus-

peu-

pensionem ab officio, & administratione: & clerici illius Ecclesiæ, qui scientes aliquid contra prædictam prohibitionem esse præsumptum, denunciare id superiori neglexerint, incurrunt suspensionem triennalem a perceptione beneficiorum, quæ in Ecclesia obtinent, sic gravata: laici vero compellentes Prælatos, vel personas ecclesiasticas ad talia facienda, excommunicationis sententiam incurrunt, nulli reservatam: quod si ex hujusmodi contractibus cum dicta licentia, & consensu initis, ipsi laici aliquid usurpaverint ultra concessa, nisi legitime moniti, ab hujusmodi usurpatione destiterint, & usurpata restituerint, eo ipso sententiam excommunicationis incurrunt non reservatam; & procedi poterit ad supponendum eorum terras interdicto ecclesiastico.

Amplia, ut ibi dicta de Prælatis, procedant etiam contra Episcopos; quia ipsi principaliter Prælati dicuntur Ecclesiæ: ita *Suarez de censur. disput.* 31. *sect.* 5. *n.* 10. *Filiuc. tract.* 17. *n.* 147. *Alter. tom.* 2. *disp.* 12. *cap.* 4.

Limita primo, quod suspensio illa contra Prælatos est ab officio Ordinis, & ab administratione rerum temporalium Ecclesiæ gravatæ, non autem ab aliis beneficiis, *Suar. n.* 9. *Filiuc. ibid. Gemin. & Franc. in dict. cap.* 2.

Limita secundo, quod non denunciantes, ut supra, incurrunt, si sciant, & probare possint, & sine suo gravi damno valeant denunciare, *Suar. ibi n.* 9. *Marius Alterius ibid.* §. *Ad incurrendum*.

Limita tertio, quod hæc subjectio ad longum tempus dicitur, si ad decennium, vel ultra, quia *Extrav. Ambitiosæ, de rebus eccles. non alien.* prohibens locationem ultra triennium, non procedit in mera subjectione quoad juspatronatus, vel directum dominium nudum: ita *Suar. disput.* 23. *sect.* 4. *n.* 16. *cum glos. Sylv. & Navar. Filiuc. tract.* 14. *n.* 61. *Alter. loco citat.* Adde, quod usurpans juspatronatus, vel dominium directum in Ecclesia libera, vel loco pio, vel eorum fructus, vel bona, & clerici consentientes, incurrunt in pœnas latas in Tridentino Concilio, & Bulla in Cœna Domini, juxta dicta *cap. praced.*

Item usurpans juspatronatus, & bona, seu fructus in Ecclesia, seu beneficio vacante, & clerici consentientes, incurrunt in pœnas, de quibus dixi *verbo Vacantia*, *cap.* 2. item contra eosdem patronos, usurpantes fructus Ecclesiarum, seu beneficiorum vacantium, aliæ sunt pœnæ latæ, de quibus dixi *verbo Vacantia*, *cap.* 4.

CAPUT III.

Usurpantes jurisdictionem Ecclesiarum, vel piorum locorum.

PEr hanc usurpationem jurisdictionis incurruntur pœnæ latæ in Trident. Concilio *c.* 11. *& Bulla in Cœna Domini*, *cap.* 17. de quibus dixi *supra cap.* 1.

Amplia primo, ut incurrat in dictas pœnas usurpans jurisdictionem Ecclesiarum, seu ecclesiasticorum locorum, etiam ecclesiasticam, non solum si temporalem, secundum communem sententiam; quia textus generaliter loquitur: ita *Suar. de cens. dis.* 21. *sect.* 2. *n.* 95. *Duard. super Bulla Cœnæ Domini*, *lib.* 2. *can.* 17. *quæst.* 3. *n.* 13. *Sousa ibi*, *cap.* 18. *disp.* 86. *n.* 2. *Filiuc. tract.* 16. *n.* 219. quidquid contra teneat *Alterius super ea Bulla disp.* 18. *cap.* 1. *colum.* 1.

Amplia secundo, ut procedat, sive usurpans sit ecclesiasticus, sive secularis, ut dixi *supra cap.* 1. & ita de veriori sententia testatur *Bonac. super eadem Bulla*, *quæst.* 18. *pun.* 3. *n.* 2.

Sed an procedat tam de jurisdictione ordinaria, quam delegata, negat absolute *Bonac. disput.* 1. *de cens. partic. quæst.* 18. *punct.* 2. *n.* 20. sed contra puto, quando usurpans intenderet usurpare jurisdictionem delegatam privative, non solum cumulative, & in solidum; quia in hoc secundo casu nihil diminueret de jure alterius; cum enim jurisdictio delegata competat jure speciali, ut *leg.* 1. *ibi DD. ff. de offic. ejus*, & sit radicata, & fundata non in persona propria delegati, sed delegantis, ut *Abb.* quem sequitur *Felin. in c. Causam matrimonii n.* 7. *vers. Pro opinione Abbatis*, *de off. deleg.* & ideo est multiplicabilis, & communicabilis in solidum pro voluntate delegantis: & ita communicari censetur in solidum, quando diversis conceditur, ut singulis, ut *Felin. loco cit. n.* 7. *in fin. cum Bal. Bartolo, & aliis:* quare infero, quod si simplex sacerdos absolvat sacramentaliter alienum subditum sine licentia, seu approbatione Ordinarii illius, non incurrit in has censuras, quia hæc est usurpatio jurisdictionis non ordinariæ, seu juris parochialis, sed delegatæ, & non privative, sed cumulative, de qua re dixi *verbo Absolutio*, *c.* 2.

Usurpans jurisdictionem, seu exercens actus illius, quam non habet, punitur *leg. Cornelia*, *de falsis*, pœna arbitraria, ut *leg. Eos ff. ad leg. Corneliam de falsis*, *ibi Doctores*, ut dixi *verbo Absolutio*, *cap.* 2. §. *Secundum dubium*; quamvis *Menochius de arbitr. casu* 320. *in fine* sentiat, puniendum de crimine stellionatus, & non legis corneliæ, nisi cum expresse aliquod falsum committit; ut si se ingerat falsis litteris; ita *Menoch. n.* 6. sed quidquid de his duobus dicamus, sequitur, quod damnatus per sententiam definitivam, incurrit pœnam infamiæ, & consequenter est irregularis, ut dixi *par.* 1. *c.* 33. §. *Tertio modo*.

Ordinarii ecclesiastici, seu Prælati usurpantes jurisdictionem in exemptos, seu Sedi Apostolicæ immediate subjectos, incurrunt in pœnas, de quibus dixi, *verbo Jurisdictio cap.* 19.

Et notandum, quod Ordinarii non possunt interdicto subjicere prioratus S. Joannis Hierosolymitani, aliave loca Regularium, nisi in casibus a jure expressis, & latum est nullum, quando non procedunt uti Sedis Apostolicæ delegati; *Pilaja tom.* 2. *decis. lib.* 4. *decis.* 10. *n.* 5. sed Priores S. Joannis possunt denunciare excommunicatos laicos, extrahentes reos a suis Ecclesiis, nec dicuntur usurpare jurisdictionem, *ex declarat. S. Congreg. Immun.* 28. *April.* 1671. *quam refert Pilaja in addition. ad Francum de potestat. ad consider.* 75. *n.* 1.

Regulares, usurpantes jurisdictionem parochorum, incurrunt pœnas, de quibus dixi, *verb. Parochialia*.

Laici, usurpantes jurisdictionem ecclesiasticam, sive in personas, sive in causas ecclesiasticas, incurrunt pœnas, de quibus dixi *verbo Jurisdictio cap.* 1. *& seqq.*

Usurpantes jurisdictionem supremam Romanæ Ecclesiæ competentem in temporalibus, incurrunt pœnas, de quibus dixi *verbo Romana Ecclesia*.

CAPUT I.

Uxoricidium.

Vide *verbo Homicidium cap.* 5.

☞ *Supplenda ad additiones post caput I. verbo* Negotiatio *pag.* 211. *col.* 1.

In Epistola CLEMENTIS XIII. *feliciter regnantis ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos* Cum primum 17. *Septem.* 1759.

I. Confirmantur, & innovantur omnes, & singulæ canonicæ leges, & Prædecessorum Pontificum Constitutiones cum omnibus pœnis, & censuris, per eas respective indictis, contra clericos negotiatores, & secularibus negotiis se immiscentes, præsertim Pii IV. Urbani VIII. Clem. IX. & novissima Bened. XIV. de qua in cit. pag. 211.

II. Declaratur – prædictis omnibus legibus, ac pœnis subjici, ac subjectas censeri debere omnes, & singulas personas ecclesiasticas, non solum e seculari clero, sed etiam e regulari, cujuscunque sint Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, amplissimis licet, et singularibus indultis, privilegiis, et exemptionibus muniti; et cujus etiam expressam, et individuam mentionem fieri oporteret; ita ut quicunque adversus hujusmodi leges deliquerint, statutas in ipsis pœnas incurrant, ac respective ab iis, ad quos pertinet, juxta casuum distinctionem, et procedendi methodum, alias a Trident. Synodo, seu ab Apostolica Sede præscriptam, cum effectu multari, & puniri debeant.

III. Hortantur Ordinarii, ut non omittant omni severitate, & etiam ex officio, procedere ad formam eorundem Canonum, & Constitutionum in delinquentes clericos, tam ordinario, quam delegato jure sibi subjectos.

IV. Prohibentur, ne cum coram se ad trutinam revocari contingat clericorum secularium, aut regularium negotiationem, sinant valere privatas opiniones: sed, si quæstio est, num aliquis contractus sit licitus, vel potius interdictus censeri debeat, recurrant ad Sanctam Sedem pro declaratione.

V. Definitur, cambium activum esse actum veræ, & propriæ negotiationis; ideoque vetitum clericis tam secularibus, quam regularibus, tum proprio, tum alieno nomine, sub pœnis in clericos negotiatores inflictis.

VI. Statuitur, ne cuiquam ecclesiasticorum suffragetur, nec

 a su-

a superiore ecclesiastico admittatur excusatio, quominus dictis pœnis subjaceat, quod se secularibus negotiis immiscuerit ad subveniendum indigentia, aut parentum, aut sororum, aliarumve personarum, quibus ex naturæ debito opem ferre teneatur — nisi doceat, se antea præfatas necessitates, Apostolicæ Sedi, si intra Italiam, & Insulas adjacentes existat, si vero in remotioribus regionibus versetur, saltem Ordinario loci exposuisse, earumque intuitu, opportunam dispensationem, & facultatem prædictas personas industria sua juvandi, vel ab eadem Apostolica Sede, vel respective ab Ordinario, impetrasse. —

VII. Prohibetur dictarum dispensationum concessio tam in Urbe, quam extra — nisi cum ea conditione, quatenus adductæ causæ veritati nitantur, & nisi simul constet, prædictas indigentias nulla alia ratione levari posse: eoque etiam casu nunquam ecclesiasticis permittatur ejusmodi negotiationis genus assumere, cujus administratio clericalem statum, & characterem dedeceat: quinimo in ipsis indultorum rescriptis & litteris indicentur, ac præscribantur honestiores modi, quibus clericus, justa moderatione servata, & intra veræ indigentiæ mensuram pauperibus consanguineis opem præstare valeat.... Hoc insuper addentes, ne ea, quæ vel ab ipsis (*Ordinariis*) vel ab Apostolica Sede peculiaribus quibusdam clericis hoc in genere aliquando permissa, & justis concurrentibus causis, frequentius forsan indulta dignoscuntur (exempli gratia, ut Ecclesiarum fundos certa annua pensione conventa, colendos, exercendosque conducerent) eadem a reliquis ecclesiasticis, tanquam generaliter omnibus concessa, absque justa causa, & sine speciali indulto usurpentur. —

VIII. Declaratur, dictas facultates, ut supra concessas, esse irritas, & revocatas ipso jure, quoties allegatæ conjunctorum indigentiæ ressaverint, vel alia via eisdem provideri possit: super quorum executione, & observantia Ordinariorum conscientiam Pontifex re ipsa oneratam fore denunciat.

IX. Monentur dicti Ordinarii, ut debitis pœnis, etiam censurarum, puniant clericos, quos sibi constiterit quidquam admisisse, quod clericalem statum dedeceat, etiam in suorum bonorum administratione, rerumque ad proprios usus emptione.

X. Injungitur iisdem, ne patiantur, tam clericos, quam sacerdotes, in laicorum domibus obsequiis, abjectisque servitiis addictos, licet sub quovis honestiori titulo susceptum servitii genus obtegere nitantur, quietos in suo dedecore insordescere, sed curent, quatenus opus sit — tota ordinariæ, ac delegatæ jurisdictionis auctoritate, servatis, servandis, eosdem ad ecclesiasticæ vitæ instituta, & ad clericalis militiæ munera — *revocare.*

XI. Tandem, ut liberum sit dictis Ordinariis — in hoc rerum genere inordinata quæque corrigere, & reformare — *hæc habet Pontifex* — Quodcunque dispensationis, aut facultatis indultum circa præmissa a quolibet Romanæ Curiæ Officio hactenus concessum, prudenti arbitrio vestro moderandum permittimus: nullum vero in posterum concedi volumus, nisi auditis prius Fraternitatum vestrarum relationibus, & votis, adjectisque eidem indulto ejusmodi formulis, & conditionibus, per quas integrum Vobis relinquatur arbitrium de illius executione, & effectu ita cognoscendi, ut nulli ecclesiasticorum liceat, illius prætextu, negotium ullum, aut ministerium minus honestum contra interdictum vestrum assumere, aut susceptum retinere, & protrahere. ☜

☞ *Supplenda ad additiones post cap. XXVIII. verbo* Ordo *pag. 235. col. 1. circa requisita tam initiandorum prima tonsura, quam ad Ordines minores promovendorum in Regno Neapolitano.*

Præter ibidem allata ab Honoranti, desumpta ex cap. IV. Concordatorum inter Sanctam Sedem, & Majestatem Regis Neapoli, insertorum in Constit. Benedicti XIV. Memores Apostolici *Idib. Jun. 1741. statuuntur sequentia, videlicet.*

Num. VI. ut in casu vocationis multorum ad beneficium, aut capellaniam ecclesiasticam, ne multiplicetur numerus clericorum, Episcopus laicis præsentatis det litteras testimoniales de eorum idoneitate ad primam tonsuram, conferendam tamen ei, qui post discussam causam de ipsius bono jure coram judice ecclesiastico, etiam in concursu clericorum prætendentium, dictum beneficium, aut capellaniam obtinuerit; eundem tamquam arctatum reputando, cum fruitione privilegiorum, de quibus mentio facta est cit. pag. 235. §. Ab hac.

Num. VIII. quod clerici omnes, tam prima tonsura initiati, quam ad Ordines minores promoti, nullatenus clericalibus privilegiis fruantur, nisi quotannis obtinuerint a suis respective Ordinariis testimonium in scriptis, gratis concedendum, de adimplemento præscriptorum a Conc. *Trident. circa incessum in habitu, & tonsura, ceteraque in cit. cap. IV. disposita.*

Num. IX. quod Vicarii capitulares nullatenus concedere possint litteras dimissorias tam laicis, etiam arctatis ratione beneficii, aut capellaniæ, vere ecclesiasticæ, quam jam prima tonsura initiatis præsentatis ad aliquod beneficium, aut capellaniam, quæ actu requirat certum Ordinem, *absque consensu pleni capituli cum majoritate votorum, juxta cujuscunque capituli morem numerandorum, & in ejusdem actis registrandorum: quas neque in utroque casu concedere possunt, si dicti promovendi alias ab antecessore Episcopo rejecti fuerint. Interdicuntur insuper easdem concedere etiam* post annum luctus Ecclesiæ, *sine expressa licentia Sac. Cong. Concilii, si agatur de non vere arctatis, ut supra.*

Num. X. ordinati, & ordinantes contra formam hic, & in cit. additionib. expressam, pag. 234. & 235. incurrunt sequentes pœnas, videlicet: initiati prima tonsura, promotique ad Ordines, etiam sacros, remanent perpetuo suspensi ab exercitio Ordinum ipsis collatorum: ordinator, aut dimissorias concedens, si Episcopus sit, suspensus est per annum a collatione Ordinum, & exercitio pontificalium: Prælatus, Episcopo inferior, pontificalium usum habens, perpetuo suspensus est ab eorumdem exercitio: illorum vero usu carens, aut quacunque alia persona in dignitate constituta, perpetuo pariter suspensa est ab exercitio suorum officii, & Ordinum. ☜

Finis Secundæ Partis.

LAUS DEO.

☞ *Hæc novissima editio desumpta est ex secunda, ab ipsomet Auctore pluribus additionibus aucta, & emendata, in lucem edita Romæ MDCLXXV. in typograghia Francisci Tizoni, sumptibus Felicis Cæsaretti, sub signo Reginæ: prima siquidem in lucem prodiit, iisdem Romæ, sumptibus Hermanni Scheus, typis Ludovici Grignani MDCXL.* ☜

CONSTI-

CONSTITUTIO
BENEDICTI XIV.

– Pastor bonus – 13. *Aprilis* 1744.

☞ *Cum sæpe in hoc Opere mentio fiat de facultatibus Cardinalis Majoris Pœnitentiarii, quarum aliquæ ei restrictæ prius erant, ut sciatur, quæ hodie eidem competant, operæ pretium duxi hic transcribere dictam Constitutionem circa easdem facultates tam ipsius, quam Officii S. Pœnitentiariæ, pro regula ad hoc Sacrum Tribunal preces dirigendi juxta rerum opportunitatem.*



PAstor bonus .... *Omittuntur primi quatuor paragraphi, in quibus recensentur Constitutiones Prædecessorum Pontificum, Pii V.* In omnibus, *Innocent. XII.* Romanus Pontifex, *& Clementis XII.* Apostolatus Officium, *ad prædictas facultates spectantes.*

§. 5. Quocirca, re diu, & mature discussa, multisque desuper consultationibus habitis, & omnes Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, seu Litteras quaslibet, atque omnia vivæ vocis oracula, ipsius Pœnitentiariæ officium quomodocunque concementes, seu concernentia, præ oculis habentes; salva semper Majoris Pœnitentiarii facultate Romanum Pontificem consulendi in quibusvis particularibus casibus, etiam per præsentes Nostras Litteras non concessis, imo prohibitis, seu reservatis, & exceptis; itant ipsi Majori Pœnitentiario de Romani Pontificis speciali mandato, vivæ vocis oraculo desuper sibi facto, procedere asserenti, indubia fides debeat adhiberi; motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, infrascriptas facultates eidem Pœnitentiariæ, & Majori Pœnitentiario de cetero competere, ac in illa, & ab illo in hunc, qui sequitur, modum exerceri posse, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione statuimus, atque decernimus.

§. 6. Concedimus itaque Nostro, & pro tempore existenti Majori Pœnitentiario, ut omnes, & singulos, cujuscunque qualitatis, dignitatis, & gradus, ecclesiasticos seculares, & cujusvis Ordinis, congregationis, societatis, & instituti regulares, necnon laicos quoscunque utriusque sexus, tam præsentes, quam absentes ab omnibus, & quibuscunque culpis, criminibus, & excessibus, quantumcunque gravibus, & atrocibus, tam publicis, quam occultis, quandocunque, & quomodocunque commissis, & perpetratis, necnon ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque censuris, & pœnis ecclesiasticis, præmissorum criminum occasione latis, & per illos incursis, etiam in casibus, nedum Ordinariis, & regularibus superioribus, sed etiam Nobis, & Sanctæ Sedi specialiter, ac etiam per Litteras, quæ die Cœnæ Domini quotannis promulgantur, reservatis, injuncta semper iisdem pro modo culpæ pœnitentia salutari, & aliis, quæ de jure injungenda fuerint, absolvere, & absolvi mandare possit, & valeat: regulares nimirum a culpis, & censuris præmissis in utroque foro; ecclesiasticos vero seculares, necnon laicos, a prædictis culpis, & censuris in foro conscientiæ tantum: eosdem vero ecclesiasticos seculares, necnon laicos, tunc in utroque foro absolvere, & absolvi mandare possit, quando agitur de censuris publicis, latis a jure, præsertim Sedi Apostolicæ reservatis, etiam nominatim declaratis, vel si agatur de latis nominatim ab homine, tunc quando delegati, vel alterius judicis, a quo latæ fuerunt, jurisdictio expiraverit; seu quando absolutio per eosdem judices, aut alios ad Romanum Pontificem, & ad dictam S. Sedem remissa fuerit; seu quando sic censura ligati legitime impediuntur, quo minus præsentiam judicum, vel illorum, qui eos sic ligarunt, aut alium, seu alios, quos de jure deberent, adire possint.

§. 7. Ita tamen, ut ab ejusmodi censuris, ab homine latis, vel declaratis in utroque foro, ut præfertur, absoluti, vel qui absolvendi remittentur judici, coram quo censurarum causa pendet, in suis congruis casibus respective judicato paruerint, & parti satisfecerint, vel quamprimum potuerint, pareant, & satisfaciant, alioquin in easdem censuras reincidant. Renuente vero altera parte satisfactionem a reo oblatam, & in sententiis, seu decretis minime expressam, accipere, possit Major Pœnitentiarius pro sua prudentia convenientem satisfactionem arbitrari, & respective supradicti judicis conscientiæ remittere, ut ejusmodi pariter arbitretur; illaque per reum oblata, ac per aliam partem irrationabiliter recusata, valeat, adhuc firma remanente hujusmodi oblatione, ad absolutionem procedere, & ab alio procedi mandare.

§. 8. Romam quoque advenientes, ibique sacra loca visitaturos, ab omnibus per quemcunque judicem, vel alias quomodocunque, non tamen in Romana Curia nominatim promulgatis, vel, si alibi promulgatæ fuerint, in eadem Curia notoriis, censuris, ad effectum dumtaxat, ut Indulgentias, sacra eadem Urbis loca, pie, ac religiose invisentibus concessas, libere & licite consequi valeant, absolvere, & absolvi mandare possit; itant elapso congruo tempore, ab ipsa Pœnitentiaria ad effectum prædictæ visitationis præfiniendo, iisdem, quibus antea, censuris, teneantur. Eos vero, qui censuris ab homine nominatim ligati, pro absolutione Romam advenerint, sed pro illa obtinenda fuerint ad proprios judices remissi, & probabile mortis periculum in itinere pertimescant, poterit Major Pœnitentiarius ad congruum tempus, ab ipso pro hujusmodi itineris confectione arbitrandum, in foro conscientiæ tantum absolvere, & absolvi mandare, cum reincidentia, statim ac itineris terminum attigerint.

§. 9. Hæreticos occultos, qui nemini, & cum nemine suas hæreses communicaverint, possit idem Major Pœnitentiarius, in foro conscientiæ tantum, absque alia abjuratione coram Ordinario, vel Inquisitore facienda, absolvere, vel absolvi mandare: quod pariter ipsi liceat, quando prædicti hæretici occulti aliquos actus extrinsecos fecerint, ex quibus dignosci potuissent pro hæreticis; dummodo eosdem actus, quamvis de sua natura noscibiles, seu ad notitiam deducibiles, nullus, quem ipsi sciant, aut credant, notaverit, vel adverterit.

§. 10. Publicos vero hæreticos, seu apostatas a fide catholica, in foro conscientiæ tantum, absolvere, seu absolvi, mandare possit, in iis dumtaxat casibus, in quibus necesse non est complices denunciare; quando nimirum hujusmodi complices aut mortui sunt, aut in regionibus palam infectis existunt, & in illis degunt; non tamen quando complices in illis regionibus viverent, in quibus Inquisitionis S. Officii auctoritas viget.

§. 11. Principes porro, & alios jus imperii, etiam vicario nomine, habentes, ac dominia, & respublicas, seu personas illorum, & illarum administrationem habentes, vel habere solitas, necnon Episcopos, & alios superiores Prælatos, in casibus publicis, qui in præfatis Litteris, die Cœnæ Domini legi consuetis, continentur, etiamsi Romanus Pontifex propter infirmitatem, vel aliam causam ita fuisset im-

impeditus, ut celeriter consuli non posset, absolvere, & absolvi mandare nullatenus valeat.

§. 12. Minusque possit, etiam in occultis, etiam in foro conscientiæ tantum, absolvere, vel absolvi mandare S. R. E. Cardinales, aut alios cujuscunque qualitatis, status, gradus, conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, qui, vivente Romano Pontifice, de alio quopiam in ejus locum post ipsius mortem eligendo, vel excludendo tractaverint, suffragia inierint, ambitusve, aut pactiones fecerint; vel Sede Apostolica vacante, in censuras, seu pœnas in Litteris fel. rec. Greg. Papæ XV. & Urbani VIII. Prædecessorum Nostrorum super electione Romani Pontificis pro tempore facienda, 17. Kal. Septembris anno Incarnationis Dominicæ 1621. & 5. Kal. Februarii anno ejusdem Incarnationis 1625. respective emanatis, contentas, quomodolibet inciderint; præterquam si absolvi peterent, Sede Apostolica adhuc vacante; tunc enim absolvi poterunt modo inferius præscribendo pro tempore vacantis ejusdem Sedis.

§. 13. Nec pariter possit, etiam in occultis, etiam in foro conscientiæ tantum, eos cujuscunque qualitatis, status dignitatis, præeminentiæ, & conditionis fuerint, absolvere, & absolvi mandare, qui astrologia judiciaria, vel per se, vel per alios, de statu reipublicæ christianæ, sive de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis inquirentes, ejusdem Urbani VIII. Pont. Max. Litteris, pridie Kal. Apr. anno ejusdem Incarnationis 1631. contra prædicta perpetrantes editis, contravenerint.

§. 14. Nec similiter valeat in casibus publicis, etiam in judicium non deductis, violatæ immunitatis, seu libertatis ecclesiasticæ, ullatenus absolvere, seu absolvi mandare.

§. 15. Super quacunque irregularitate, & inhabilitate ex quocunque delicto, etiam homicidio voluntario, & ex quocunque defectu proveniente, possit idem Major Pœnitentiarius, in casibus tamen occultis, & in foro conscientiæ tantum, & prævia in gravioribus casibus matura discussione in Signatura Pœnitentiariæ agenda, dispensare, vel dispensari mandare, tam cum laicis, quam cum ecclesiasticis secularibus, & regularibus, cum quibus expediens videbitur, ad hoc, ut Ordinibus initiari, vel respective in susceptis, etiam in sacris, & Presbyteratus Ordinibus ministrare, & ad superiores ascendere, ac dignitates, etiam cathedrales, & metropolitanas, & quæcunque beneficia ecclesiastica, quandocunque ante dispensationem, alioquin canonice obtentas, vel obtenta, retinere, necnon ut hujusmodi beneficia, & dignitates (exceptis, quando agitur de homicidio voluntario, vel alio gravissimo excessu, Ecclesiis cathedralibus, & metropolitanis) etiam post delictum assequi valeant.

§. 16. Item cum hæreticis, & apostatis a fide catholica, quando hæresis, & apostasia hujusmodi, si de secularibus agitur, nullatenus est propalata, & quando casus gravitas non suadet, pœnitentes ad Sac. Inquisitionem remittendos esse, super quacunque irregularitate, inhabilitate, & infamia exinde contracta, tam ad Ordines, sive susceptos, sive suscipiendos, quam ad beneficia, dispensare, & dispensari mandare possit, & valeat.

§. 17. Cum homicidis, bannitis, aliisque criminosis, ut in Religionem recipi, & in ea professionem emittere licite possint, atque ut etiam qui homicidia voluntaria commiserint, aliquam ex approbatis Religionibus, tanquam clerici, ingredi, in eaque profiteri valeant, in utroque foro dispensare, seu dispensari mandari possit; ea tamen lege, quando sic oportere videbitur, ut fiscum, & partem prius concordaverint: & insuper cavendo, ne tempore novitiatus sacros Ordines suscipiant, aut ad superiores ascendant; sed id eis minime liceat, nisi post professionem emissam: ut autem in iis Ordinibus, quos antea suscepissent, etiam tempore novitiatus ministrare possint, quoties aliqua rationabilis causa id postulaverit, dispensare, & dispensari mandare possit; adjecta tunc clausula, ut si forte in Religione non perseveraverint, seu ad seculum redierint, ipso facto suspensi, etiam ab hujusmodi Ordinum antea susceptorum exercitio remaneant.

§. 18. Cum male promotis quibuscunque ad Ordines, in casibus tamen occultis, dispensare, vel dispensari mandare valeat; & signanter accedente legitima causa, dispenset, vel dispensari mandet cum promotis per saltum, in casibus similiter occultis, ad effectum scilicet, ut omissos Ordines secrete recipiant a quolibet catholico Antistite, gratiam, & communionem cum Sede Apostolica habente, extra tempora, & non servatis interstitiis, & absque dimissoriis; non tamen ut plures Ordines sacros eodem die recipiant.

§. 19. Cum promotis ad sacros Ordines, qui simoniam cum Episcopis promoventibus commiserint, dispensare, & dispensari mandare possit, in occultis dumtaxat, & in foro conscientiæ tantum, cum clausula, monitis monendis, & injuncta gravi pœnitentia, ac re præsertim in Signatura discussa.

§. 20. Titulos beneficiorum cum occulta inhabilitate, vel alio occulto vitio, etiam in concursu, male obtentorum, convalidare, vel convalidari mandare valeat.

§. 21. Verum a convalidatione titulorum, & condonatione fructuum abstineat quoad illos, qui de Ecclesiis cathedralibus provisi, munus consecrationis intra præfinitum tempus non susceperint.

§. 22. Cum vero agitur de simonia reali, scienter contracta, & de beneficiis super quibus eadem contracta fuit, abstineat a dispensationibus, seu convalidationibus titulorum, etiam in foro conscientiæ tantum, etiam in casibus occultis; nisi forte prædicta simonia contracta fuerit ignoranter, ignorantia facti, vel juris, & orator de illa certior factus, quam primum commode potuerit, dispensationem petierit. Idemque intelligatur de pensionibus, super quibus simonia realis scienter contracta, & commissa fuerit.

§. 23. Abstineat a condonatione pretii simoniaci, quando in Ecclesiam læsam, vel pauperes erogari debet; præterquam si delinquentium paupertas, & qualitas suadeant, aliquam ejus partem ipsis remitti, aut condonari posse; residuo semper in Ecclesiam, vel alios pauperes erogando.

§. 24. A compositione pariter, & condonatione fructuum Beneficialium, & episcopalium Ecclesiarum, ac etiam distributionum quarumcunque, quovis modo male perceptorum, in casibus non occultis, abstineat. In occultis vero, possit cum Gallis, Belgis, Germanis, Polonis, & ulterioribus componere, vel etiam condonare, injuncta eisdem pœnitentibus erogatione eleemosynæ, ipsius Majoris Pœnitentiarii, vel confessarii ab ipso deputandi, arbitrio limitandæ. Cum reliquis autem, videlicet Italis, Hispanis, Lusitanis, & adjacentium Insularum personis, discrete compositionem concedere, & ea mediante, fructus condonare valeat; pecuniis exinde redactis arbitrio Nostro, & Successorum Nostrorum pro tempore erogandis: pauperibus autem, quorum inopia compositionem non admittit, possit condonare, injuncta pro eorum viribus eleemosyna, modo supradicto. Porro quæ hic ordinantur, sine præjudicio illorum, quibus distributiones accrescere, vel non decrescere debent, sint, & censeantur ordinata.

§. 25. Quoad male ablata, vel retenta, quando domini incerti sunt, & casus occulti, partem aliquam delinquentibus pauperibus, si, eorum qualitate, & necessitate pensatis, ita videbitur, remittere, seu condonare, vel remitti, seu condonari mandare possit; residuum vero pauperibus distribui, vel in pia opera erogari: & quidem si fieri potest in locis, ubi illa ablata, extorta, vel usurpata sunt, mandare debet.

§. 26. Accipientes munera a Regularibus, exceptis rerum medicinalium, seu devotionis muneribus, ultra valorem decem scutorum monetæ, contra præscriptum a Prædecessoribus Nostris Clemente VIII. & Urbano, pariter VIII. in suis Constitutionibus, 13. Kal. Julii anni 1594. & 16. Kal. Nov. anni 1640. respective editis, non absolvat, nisi facta restitutione; vel si eam de præsenti nequeant adimplere, cum obligatione eandem, quamprimum poterunt, faciendi. Qui vero infra prædictum valorem ejusmodi munera acceperint, eos, injuncta arbitrio ipsius Majoris Pœnitentiarii, seu confessarii, per eum eligendi, eleemosyna, quæ in beneficium Religionis, seu conventus, cui de jure facienda esset restitutio, si caute fieri possit, erogetur, absolvere, seu absolvi mandare possit.

§. 27. Cum puellis, quæ virgines non sunt, & subsidia dotalia petunt, seu jam obtinuerunt a confraternitatibus, aut aliis locis, vel dispensatoribus piis, quibus injunctum est, ut illas virginibus tantum dent, seu distribuant, in occultis, & in foro conscientiæ tantum, quatenus illæ in posterum honeste vivant, facultatem habeat dispensandi: necnon dispensare possit, in occultis pariter, & in foro conscientiæ tantum, cum virginibus, quæ petunt, vel obtinuerunt ingredi, vel jam ingressæ sunt in conventus, seu monasteria destinata pro mulieribus ad bonam frugem traductis, ad effectum ea licite ingrediendi, seu in eis rema-

nen-

nendi, ac profitendi, & officia quæcunque suscipiendi, & exercendi.

§. 28. Juramenta quæcunque, in quibus exploratum sit, nullum cujusquam agi præjudicium, facultatem habeat in foro conscientiæ dumtaxat relaxandi.

§. 29. Vota simplicia quæcunque, quomodolibet emissa, tametsi privato juramento confirmata, etiam Religionis, castitatis, visitationis Sepulchri Dominici, aut SS. Liminum beatorum Apostolorum Petri, & Pauli de Urbe, aut sepulchri S. Jacobi de Compostella, possit idem Major Pœnitentiarius, in alia pietatis opera dispensando, commutare: etiam ad effectum contrahendi matrimonium, cum agitur de voto castitatis, aliisve ex se matrimonium illicitum reddentibus: item votorum implementum differre, et ab illorum transgressionibus absolvere: et respective dispensando commutari, differri, et absolvi mandare; consideratis causis talium commutationum, dilationum, aut absolutionum, et adjectis clausulis, quas apponere, iisque injunctis, quæ injungere hactenus in hujusmodi casibus Pœnitentiaria laudabiliter consuevit.

§. 30. Super recitatione divini officii, seu horarum canonicarum, propter aliquam impossibilitatem, seu moralem difficultatem, dispensandi, cum commutatione in alias preces, vel orationes, vel alia pia opera, earumque, seu eorum injunctione, habeat facultatem.

§. 31. Cum Regularibus autem super irregularitate, tam ex defectu, quam ex quocunque delicto quandocunque perpetrato, quomodolibet contracta, ut eadem irregularitate, aut quavis inhabilitate, aliisve defectibus quibuscunque, non obstantibus susceptis Ordinibus, & eorum privilegiis, uti, ac in illis, etiam in altaris ministerio ministrare, & Ordines non susceptos suscipere, ac in iisdem pariter ministrare, necnon quæcunque, quotcunque, & qualiacunque suorum Ordinum, & Congregationum, alioquin canonice obtenta, officia, beneficia regularia, munia, præeminentias, dignitates, & prælaturas, etiam majores, & principales, retinere, & exercere; necnon eadem, seu easdem, ad quæ, seu quas in futurum canonice, & juxta eorumdem Ordinum, et Congregationum regularia instituta, eligentur, vel aliter assumentur, recipere, assequi, gerere, ac libere, et licite exercere valeant, dispensare, eosque in pristinum, et ad eum, in quo ante præmissa quomodolibet erant, statum, et ad vocem activam, et passivam restituere, reponere, et plenarie reintegrare, et pœnas illis gratiose remittere, et condonare; (non tamen habilitare ad generalatum, quando agitur de publico natalium defectu); necnon pro majori absolutionum, & dispensationum prædictarum firmitate, quibusvis Constitutionibus, ordinationibus, statutis, & privilegiis quomodolibet obstantibus sufficienter derogare, præfatus Major Pœnitentiarius possit, & valeat.

§. 32. Volumus tamen, ut in hujusmodi casibus, qui occulti fuerint, in foro conscientiæ tantum, in publicis vero casibus in utroque foro, auditis tamen Superioribus, & matura circumspectione semper adhibita, cum iisdem Regularibus, ut præfertur, dispenset, vel dispensari mandet.

§. 33. Quoad apostatas, vel fugitivos Regulares, ad Apostolicam Pœnitentiariam recurrentes, servetur laudabilis ejusdem praxis, ut scilicet Major Pœnitentiarius, audito prius, si in Urbe adsit, Ordinis Superiore, seu Procuratore generali, injungat apostatæ, seu fugitivo, intra tempus, arbitrio ipsius Majoris Pœnitentiarii taxandum, reditum ad proprium Ordinem: interim vero, si expediat, a censoris eumdem absolvere, vel absolvi mandare possit, cum reincidentia, si intra dictum tempus minime redierit, (dilata tamen usque ad actualem reditum dispensatione super irregularitate, si forte eam insuper contraxisset; & alias prætcrea pœnas, sive de jure communi, sive ex statutis Ordinum, propter apostasiam, seu fugam inflictas, discrete moderari, commutare, vel etiam, juxta peculiares circumstantias, condonare possit. Si vero casus ejusmodi sit, ut, re præsertim in signatura discussa, censeatur expedire, quod absque reditu ad proprium, transitus eidem ad alium Ordinem concedatur; possit Major Pœnitentiarius istum etiam concedere, adhibitis tamen iis cautionibus, quas ad refrænandam vagandi licentiam necessarias, seu opportunas judicaverit; necnon illa præ oculis habendo, quæ infra circa transitum disponentur. Nemini autem Regulari quacunque de causa permittere valeat, ut in habitu seculari, seu clerici secularis in perpetuum extra claustra vivere possit.

§. 34. Quoad transitum vero de una ad aliam Religionem, non solum valeat illum concedere a laxiori ad arctiorem, juxta cap. *Licet de Regul.*, verum etiam ad æqualem, & ab arctiori ad laxiorem, ob justas tamen, & graves respective causas, ab eodem Majori Pœnitentiario probandas; audito prius Superiore Ordinis, a quo, & cum consensu Superioris Ordinis, ad quem faciendus est transitus. Pro maiori autem transitus firmitate, in his omnibus casibus possit idem Major Pœnitentiarius statutis, & privilegiis Apostolicis, quomodolibet obstantibus, opportune derogare.

§. 35. Verum abstineat ab hujusmodi transitu concedendo ad alias Religiones, seu Ordines, præterquam ad illas, seu illos, in quibus claustralis, & regularis observantia vigere dignoscatur; quod si de tali claustrali, & regulari observantia ullatenus dubitetur, exquirenda erit authentica Ordinarii attestatio. Abstineat pariter a transitu prædicto concedendo ad Ordines hospitalares, & militares, quamvis in istis claustralis, & regularis observantia vigeret, nisi forte ad Ordinem S. Joannis de Deo. Neque item eumdem transitum concedat ad Ordinem S. Benedicti antiquioris observantiæ, aut ad alias consimiles Congregationes, cujuscunque Ordinis fuerint.

§. 36. Concedere itidem possit transitum ab uno monasterio ad aliud, monialibus, tantum ultra montes existentibus, legitima concurrente causa, in Signatura discutienda, & approbanda; committendo tamen facultatem hujusmodi transitus admittendi, & exequendi, arbitrio Ordinarii, cum clausulis opportunis pro casuum varietate.

§. 37. Quo vero ad censuras, seu pœnas, in quas moniales incurrere, & peccata reservata, quæ ab eisdem committi contigerit, etiam in casibus violatæ clausuræ, qui tamen casus occulti fuerint, vel ubi agatur de aliquo occulto defectu dispensando, possit idem Major Pœnitentiarius præfatis monialibus confessarium cum opportunis facultatibus concedere.

§. 38. In casibus vero publicis clausuræ, a monialibus prædictis, vel ab aliis quibuscunque personis, ad malum finem violatæ, delinquentes non absolvat, nec absolvi mandet, nisi pro ipsis Episcopi, seu Ordinarii supplicaverint, & casus ad Congregationem S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositam deducti non fuerint.

§. 39. In matrimoniis contrahendis possit idem Major Pœnitentiarius, in foro conscientiæ tantum, super impedimentis occultis, quæ matrimonium non dirimunt, dispensare, vel dispensari mandare: itemque super omissione denunciationum, etiam ad effectum contrahendi secreto; in quo serventur, quando agitur de matrimoniis conscientiæ nuncupatis, Litteræ a Nobis datæ ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, & Episcopos sub die 17. Nov. anni 1741. per ea verba incipientes: *Satis vobis compertum*. At a dispensationibus concedendis super quocunque impedimento ex quovis gradu, sive consanguinitatis, sive affinitatis ex copula licita, seu ex cognatione spirituali proveniente, etiam in foro conscientiæ tantum, tametsi impedimentum sit occultum, & periculum scandalorum immineat, in iisdem matrimoniis contrahendis abstineat.

§. 40. In contractis vero matrimoniis, a dispensatione, seu matrimonii revalidatione in gradibus primo, & secundo, seu secundo tantum, consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita, etiam in occultis, pariter abstineat; præterquam si in secundo tantum gradu prædicto impedimentum saltem per decennium duraverit occultum, & oratores simul poblice contraxerint, & convixerint, & uti conjuges legitimi reputati fuerint. In tertio autem, & quarto gradibus occultis, in contractis possit dispensare; atque etiam in iisdem tertio, & quarto gradibus publicis, possit revalidare matrimonia, ex causa subreptionis, & obreptionis occultæ Litterarum Apostolicarum nulliter contracta; præterquam si falsitas consistat in narratione præcedentis copulæ, quæ antea revera non intercesserat.

§. 41. Quod si aliqui oratores obtinuerint a Nostra Dataria dispensationem super gradu prohibito in primo, & secundo, vel in secundo tantum, ac etiam in tertio, vel quarto, cum reticentia copulæ inter eos secutæ, quam sine honoris detrimento detegere non valeant, & ratione hujusmodi reticentiæ petant dispensationem pro matrimonio contrahendo, seu revalidationem matrimonii contracti; possit idem Major Pœnitentiarius, si copula sit adhuc secreta, hujusmodi dispensationem, seu respective revalidationem in fo-

Mmmm

foro conscientiæ tantum concedere; facta, quando agitur de primo, & secundo, vel secundo tantum gradu, compositione quinquaginta ducatorum auri de Camera ad Datariam transmittendorum, ad effectum (ut inconcussi moris est) erogandi in eleemosynas; nisi prior gratia expedita fuisset in forma pauperum; quo casu etiam hæc gratia similiter absque ulla compositione expediatur.

§. 42. Si qui vero oratores, obtenta dispensatione a Dataria super impedimento primi, & secundi, sive secundi dumtaxat gradus consanguinitatis, seu affinitatis, cum expressione quidem carnalis copulæ, sed tacita occulta, & maliliosa intentione in ipsa copula habita ad facilius obtinendam dispensationem, pro revalidatione hujusmodi dispensationis ad dictam Pœnitentiariam recurrant, possit idem Major Pœnitentiarius desuper absolute dispensare cum miserabilibus personis, explicite affirmantibus se, uti tales, & sub illa expressa qualitate, & forma miserabilium, dispensationes a Dataria obtinuisse: cum iis vero, qui non tanquam pauperes, sed uti ex honestis familiis, sive uti nobiles, sive uti illustres, ab eadem Dataria similiter dispensati fuerint, non dispenset, nisi soluta prius in Dataria, ad effectum pariter erogandi in eleemosynas, taxa, definienda arbitrio ejusdem Majoris Pœnitentiarii, pensatis circumstantiis cujuscunque casus, & respectu habito ad præjudicium componendæ, & ad vires supplicantium. Si tamen isti pauperes essent, itaut vere, & realiter integram summam taxatam, vel aliquam ejus partem solvere non possent, præfatus Major Pœnitentiarius opportune in hoc casu provideat, facto verbo, si peculiaris difficultas id postulet, cum Sanctissimo.

§. 43. Super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita, seu ex actu fornicario, proveniente, quotiescunque adsit rationabilis causa, licet periculum revelationis, seu scandalorum non immineret, vel non adesset in matrimoniis tam contractis, tam contrahendis, in foro conscientiæ dispensare & dispensari mandare possit, & valeat.

§. 44. Super occulto impedimento criminis adulterii, si fuerint cum fide data dumtaxat, neutro machinante, commissum, possit tam in contrahendis, quam in contractis matrimoniis dispensare. Si vero crimen hujusmodi fuisset, utroque, vel altero machinante, patratum, possit in occultis pariter dispensationem concedere; raro tamen, & quando necessitas postulaverit, ratione alicujus gravis imminentis periculi, quod prudéntia Majoris Pœnitentiarii, re præsertim discussa in Congregatione, vel Signatura, arbitrandum erit.

§. 45. Declaramus præterea, quod facultates præfatæ a Nobis Majori Pœnitentiario, & ejusdem Pœnitentiariæ officio concessæ circa dispensationes matrimoniales, locum habeant, etiamsi gradus, & impedimenta hujusmodi multiplicia sint, quacunque, & quantacunque multiplicitate: volentes, in Litteris hujusmodi dispensationum matrimonialium, posse prolem, ubi opus erit, sive susceptam, sive suscipiendam, non tamen in adulterio conceptam, in foro conscientiæ tantum, legitimam decernere, necnon apponi clausulam: Nullis &c, prout in hujusmodi materiis hactenus ipsa Pœnitentiaria servare consuevit.

§. 46. Ulterius super casibus quibusvis occulti impedimenti ad petendum licite debitum dispensare, aut dispensari mandare possit, & valeat.

§. 47. Facultates Pœnitentiariis minoribus ordinariis trium Basilicarum Urbis, aliisque extraordinariis, quorum deputatio pertinet ad prædictum Majorem Pœnitentiarium, possit idem ad libitum concedere, & restringere. Fratres vero minores Cappuccinos in confessarios nullatenus deputet in illis Regionibus, in quibus iidem confessionibus audiendis operam dare non solent.

§. 48. Dubia omnia in materia peccatorum, seu forum pœnitentiale, alias quomodolibet concernentia, cum consilio Doctorum, & Theologorum suorum, valeat declarare.

§. 49. Commissiones vero Majoris Pœnitentiarii non expirent, etiamsi committens, illis nondum præsentatis, & re integra, desinat quomodocunque Pœnitentiarius existere. Idemque intelligi volumus de illis commissionibus, quas Majori Pœnitentiario absente, vel ex aliqua justa causa impedito, alterius Pro-Pœnitentiarii ad tempus subrogati nomine expeditas, elapso hujusmodi subrogationis termino, præsentari contigerit.

§. 50. Omnibus denique christifidelibus, qui ex veteri, & laudabili instituto Pœnitentiarium Majorem, munere suo, statutis diebus hebdomadæ majoris, in tribus Urbis Basilicis solemni ritu fungentem, pie, reverenterque adierint, seseque pœnitentiali virga tangendos submiserint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis pœnitentiis in forma Ecclesiæ consueta relaxandi, perpetuam facultatem eidem Majori Pœnitentiario confirmamus, &, quatenus opus sit, de novo concedimus.

§. 51. Sede Apostolica vacante, quoniam animarum saluti, quæ omni tempore periclitatur, numquam non est subveniendum, unde merito Prædecessores Nostri officium Pœnitentiariæ etiam post obitum Pontificis continuare jusserunt; volumus, & decernimus, ut Major Pœnitentiarius (cujus facultas dicto tempore non expirat, sed tantummodo non habet exercitium extra Conclave), seu ejus officiales, facere, & expedire valeant quæcumque ad forum conscientiæ pertinent: ideo absolvere, seu absolvi mandare in dicto conscientiæ foro valeant ab iis quoque censuris, a quibus alias, vivente Pontifice, adempta etiam Majori Pœnitentiario, & Pœnitentiariæ officio, absolvendi facultas reperitur: hac tamen lege (quemadmodum fel. recor. Prædecessor Noster Clem. Papa XII. lata Constit. quæ incipit *Apostolatus Officium*, ad consulendum simul animarum fidelium saluti, & disciplinæ ecclesiasticæ conservationi providε cavit) quod nempe in hujusmodi censuris ad tempus dumtaxat, & cum reincidentia in easdem servatis alias servandis, absolutio concedatur: itaut qui fuerint absoluti, ad novum Pontificem, intra terminum, pro locorum distantia definiendum, recurrere pro eadem causa teneantur; neque liceat Pœnitentiario Majori, ejusque officialibus, præfixum terminum post Pontificis electionem ampliare, vel prorogare.

§. 52. Præterea concedimus, ut si quando aliquod gravius animæ periculum immineat, cui celeriter occurrendum videatur, re in Signatura diligenter examinata, & Majori quoque Pœnitentiario, si in Conclavi degat, pro materiæ gravitate consulto, & approbante, dispensare, aut dispensari mandare pro eodem foro conscientiæ, valeant; super illis etiam, super quibus alias, vivente Pontifice, inhibita sit Majori Pœnitentiario, & Pœnitentiariæ dispensandi facultas; ita tamen, ut oratores, sicuti superius dictum est, ad novum Pontificem post ejus electionem similiter debeant recurrere; aliisque appositis clausulis, pro casus natura necessariis, & opportunis.

§. 53. Pro foro vero externo, eadem Sede Apostolica vacante, eorum officium penitus conquiescat; ita ut a quibuscunque matrimonialibus, & aliis dispensationibus, & absolutionibus, ac declarationibus, necnon quibusvis aliis expeditionibus, forum fori mixtim, vel separatim quomodolibet respicientibus, omnino abstineant.

§. 54. Attamen concedimus, ut dicta Sede vacante, pro foro externo facere, & expedire valeant, quæ ad Regularium, & præsertim apostatarum, & fugitivorum remedium, in superioribus facultatibus concessa sunt: necnon ut monialibus confessarios extra Ordinem valeant deputare, si eos ex aliqua rationabili causa petierint, pro earum libitu, inter approbatos ab Ordinario ad audiendas monialium confessiones, eligendos.

§. 55. Et demum, ut illos, qui in aliquam censuram Sedi Apostolicæ reservatam, etiam ob violatam ecclesiasticam libertatem, vel immunitatem publice incurrerint, vel incurrisse declarati fuerint, & vere, ac sincere pœnitentes, & novi Pontificis, ad quem post electionem recurrere debebunt, mandatis obtemperare parati, beneficium absolutionis sibi ulterius non differri enixe deprecentur, absolvere, cum reincidentia, quemadmodum in superioribus dictum est, vel absolvi mandare possint......

IN-

INSTRUCTIO.

☞ *Circa executionem dispensationum in impedimentis matrimonii, desumenda ex sequenti Benedicti XIV. Institutione, la* LXXXVII. *in ordine, inter ipsius Institutiones ecclesiasticas, typis datas Romæ MDCCL. a Nicolao, & Marco Palearini, editione secunda latina, prout ibidem exarata legitur pag.* 558. *quam me transcripturum promisi in additione post caput V. verbo* Matrimonium *pag.* 192. *col.* 1.

Instruuntur Parochi, & Confessarii, quemadmodum confugere debeant ad Cardinalem Pœnitentiarium, & executioni mandare, quæ ab illo præcipiuntur, præsertim in difficultatibus, ad matrimonium pertinentibus.

I. EX quo pervenimus in hanc Sedem, hujusque Civitatis, ac Diœcesis administrationem suscepimus, adesse nunquam prætermisimus, cum examen indiceretur pro Ordinandis, Confessariis, aut Parochis, quibus absque ullo examine, vel prævio concursu, animarum cura confertur. Assiduo pariter convenimus ad cœtus ecclesiasticos, qui statis temporibus in hac Metropolitana haberi solent, ubi quæstiones Theologiæ Moralis proponuntur; idemque institutum retinere in posterum decernimus, donec singulari Dei beneficio salvi, & incolumes erimus. Itaque præ ceteris advertimus, a plerisque ignorari rationem, ac modum, quo ad Cardinalem Pœnitentiarium, ipsiusque Tribunal confugiant, cum aliquid ipsis difficultatis circa matrimonium obvenerit: certissimis etiam documentis adducti cognovimus, eos male se gessisse, cum executioni mandarent immunitates ab eodem Cardinali concessas, ex quo magnum detrimentum, in illos præsertim dimanavit, qui temere, & inconsulto rem gravissimi momenti peregerunt; ex quo pariter neglectæ fuerunt leges in iisdem immunitatibus præscriptæ. Quamobrem consilio etiam addito præstantium virorum, hanc institutionem promulgare constituimus, in qua non solum usi sumus auctoritate, ac sententiis Scriptorum, sed experientia, quam ex Romana Pœnitentiaria nobis per tot annos comparavimus, quibus Canonum interpretis munus in eodem Tribunali exercuimus. Congregationibus Indici consuetis interfuimus, operam, laboremque nostrum impendimus, cum judicium nostrum scripto etiam ferremus in iis rebus, quæ in medium proferebantur. Accedit etiam, quod vita functo Lancetta Sacræ Rotæ Decano, in ejus locum per aliquod tempus Rectoris Pœnitentiariæ munus obivimus. Mens tamen non est dissertationem conficere, sed Clerum nostrum solummodo instituere; neque de iis omnibus verba facere, quæ Romæ in Sacra Pœnitentiaria proponuntur, sed tantum de matrimonialibus dispensationibus, quæ ab eodem Tribunali concedi consueverunt. Itaque omittimus Sacræ Pœnitentiariæ institutionem, quam fuse, ac sapienter explicavit Cardinalis Petra, cui nos suffecti fuimus pro Sacris Canonibus interpretandis, & qui modo Summi Pœnitentiarii dignitatem obtinet. Cetera quoque omittimus, quæ ad ipsum Sacrum Tribunal pertinent, & duabus eximiis lucubrationibus exponuntur, quas nos ipsi nondum in lucem editas servamus. Eas magno studio congesserunt P. Thesaurus ex Societate Jesu, qui Romæ in Basilica Sancti Petri, Apostolici Pœnitentiarii munere perfunctus est, & Pater Syrus ex Ordine Minorum Sancti Francisci, Strictioris Observantiæ, qui in Basilica S. Joannis Lateranensis Pœnitentiarium pariter egit. Quare ad matrimoniales dispensationes hunc sermonem redigemus: & primum ordiemur a facultatibus ejusmodi, quas Pontifex Summo Pœnitentiario solet impertiri; nam ad ipsas referuntur omnia, quæ inferius subjiciemus.

2. Innocentius XII. Constitutione 12. quam Sacra Pœnitentiaria veluti normam sequitur, hæc decernit: *In matrimoniis contrahendis possit idem Major Pœnitentiarius, in foro conscientiæ tantum, super impedimentis occultis, quæ matrimonium non dirimunt, dispensare, vel dispensari mandare.*

☞ *Hodie attendenda est Constitutio* Pastor bonus, *supra allata.* ☜

3. Tria potissimum impedimenta Scriptores enumerant, nempe votum simplex, sponsalia jam inita cum alia muliere, & Ecclesiæ Interdictum: *Sanch. de Matrim. lib.* 7. *disp.* 17. *n.* 9. *Pontas in eodem tract. lib.* 6. *cap.* 4. *Perez de Matrimonio disp.* 23. *sect.* 8. *n.* 2. *Salmanticen. in cursu Moral. tom.* 2. *tract.* 9. *de Matrim. cap.* 13. *punct. unic. n.* 15. Innocentius XII. Summo Pœnitentiario facultatem omnimodam tribuit pro votis simplicibus *in foro conscientiæ* commutandis, & ob hanc causam, qui simpliciter vovit castitatem, aut aliquem Regularium Ordinem ingredi, seu Sacros Ordines suscipere, vel uxorem nequaquam ducere, si ipse matrimonium inire velit, ad Cardinalem Pœtentiarium confugere potest, ut voti peracti commutationem obtineat, quæ permitti solet, si legitima causa interveniat; nempe, si libidinis impetu vehementer conciretur, qui votum castitatis emisit, *Rosign. de Sacram. Matrim. part.* 2. *tom.* 7. *prænot.* 25. *clausul.* 2. Illud vero immutari solet hac conditione, ut singulis mensibus ad Pœnitentiæ Sacramentum accedat, aliisque piis operibus vacet, quæ a confessario præscribuntur. Ea pariter conditio pro ineundo matrimonio adjicitur, ut castitatem deinceps observet, postquam uxor vita decesserit. Quod si crimen aliquod cum alia muliere admittat, vel novum matrimonium absque nova facultate contrahat, pro certo habeat, votum castitatis gravi scelere violari, neque jure novi matrimonii uti posse: quæ omnia patefacere debet Sacerdos, a quo litteræ Sacræ Pœnitentiariæ sunt executioni mandandæ; *Navarrus in manuduct. ad Praxim execut. Epistol. Sacræ Pœnitent. part.* 1. *pag.* 47. *& seq.*

4. Si aliquis cum muliere sponsalia contraxerit, ac deinde aliam mulierem in matrimonium ducere peroptet, facultatem pro solvendis primis sponsaliis, dummodo occulta fuerint, & justa causa intercedat, *in foro conscientiæ* impetrare potest, ut animæ suæ saluti, atque innocentiæ prospiciat. De Interdicto Ecclesiæ dicere prætermittimus, quod publicum semper est, nec unquam Sacra Pœnitentiaria de rebus publicis judicium ferre consuevit.

5. Post hæc Summus Pontifex impedimenta dirimentia recenset, ac de ineundis matrimoniis verba faciens, hæc statuit: *At a dispensationibus super quocunque impedimento, ex quovis gradu sive consanguinitatis, sive affinitatis ex copula licita, sive ex cognatione spirituali proveniente, etiam in foro conscientiæ tantum, tametsi impedimentum sit occultum, & periculum scandalorum immineat, in iisdem matrimoniis contrahendis abstineat.*

6. Cum hæc ita sint, si quis fortasse aliquo ex allatis impedimentis teneatur, non quidem confugere ad Sacram Pœnitentiariam, sed ad Datariam oportet.

7. Præterit silentio Summus Pontifex occultum impedimentum publicæ honestatis, quod ex occultis sponsaliis inter virum, ac mulierem dimanat: quemadmodum Auctores fere unanimes sentiunt, licet Dataria nullum prorsus impedimentum *in foro conscientiæ* provenire contendat ex illis sponsaliis, quæ clam inita fuerunt: *Corradus in Praxi Dispens. lib.* 8. *cap.* 7. *n.* 10. *Zerola in sua Praxi part.* 2. *in vocabulo Sponsalia*. Quamobrem in dubium revocari potest, an Summus Pœnitentiarius idem impedimentum *in foro conscientiæ* solvere possit, si fortasse contractum fuerit, juxta communem sapientum virorum opinionem, & occultum sit, quia de initis sponsaliis nulla cognitio in vulgus emanavit: nam Summus Pontifex, uti modo exposuimus, solum agit *de impedimento, ex quovis gradu sive consanguinitatis, sive affinitatis, sive ex cognatione spirituali proveniente*. Itaque cum idem Innocentius XII. post evulgatam Constitutionem declaraverit *oraculo vivæ vocis*, integre se restituere Tribunali Sacræ Pœnitentiariæ universa, quæ ad ipsum antea spectabant; iis tantum sublatis, quæ in sua Constitutione recensuerat, hinc sequitur, Majori Pœnitentiario tribuendam esse facultatem solvendi propositum impedimentum, licet *de contrahendo* res agatur; nam hac eadem facultate præditus olim fuit, cum idem impedimentum occultum esset, & ad forum conscientiæ res omnis solum redigeretur: neque ullo modo verba Pontificiæ Constitu-

stitutionis adversantur, quæ impedimentum ejusmodi silentio prætermittunt.

8. Postquam de contrahendis matrimoniis sermonem habuit Pontifex, ad matrimonia jam contracta descendit, & hæc potissimum præscribit: *In matrimoniis vero contractis a dispensatione, seu matrimonii revalidatione in gradibus primo, & secundo, seu secundo tantum consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita etiam in occultis pariter abstineat: præterquam, si in hujusmodi secundo gradu tantum impedimentum saltem per decennium duraverit occultum, & oratores simul publice contraxerint, & convixerint, & uti conjuges legitimi reputati fuerint.*

9. Quare, qui matrimonium hoc pacto inierit, si remedium expectat, ad Datariam confugere debet, non autem ad Pœnitentiariam, nisi forte *impedimentum in secundo gradu saltem per decennium duraverit occultum, & oratores simul publice contraxerint, & uti conjuges legitimi reputati fuerint.* Post hæc Innocentii Constitutio Summo Pœnitentiario permittit, ut possit, *In tertio autem, & quarto gradibus publicis revalidare matrimonia nulliter contracta ex causa subreptionis, vel obreptionis occultæ Litterarum Apostolicarum, præterquam si falsitas consistat in narratione precedentis copulæ, quæ tamen antea non intercesserat.*

10. Magnum hic discrimen advertendum est inter eos, qui a Dataria dispensationem obtinuerunt, non explicantes in supplici libello copulam, quæ intercessit, aut voluntatem, & consilium, quod tunc habuerunt, nempe, ut facilius ejusmodi dispensationem assequerentur, & inter illos, qui copulam intervenisse falso exponunt, ut a ministris Dataria tutius dispensationem sibi surripiant. Equidem primi, si consulere sibi velint, propriam turpitudinem declarare debent; ideoque Summus Pontifex aditum ipsis ad Pœnitentiariam reclusit. Secundi vero detegant necesse est, ea labe, ac macula se esse immunes, quam in supplici libello contractam falso testati sunt. Quare, si quis ob hanc falsitatem impetravit dispensationem in quocunque gradu consanguinitatis, vel affinitatis, ad Datariam se convertere debet, novamque ex ipsa dispensationem exposcere.

11. Pontifex agit, uti superius dictum est, *de matrimoniis cum impedimento contractis in gradibus primo, & secundo, vel secundo tantum consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita*; agit etiam de matrimoniis contractis *in tertio, & quarto gradibus publicis*: sed nullam habet mentionem de occulto spiritualis cognationis impedimento, quod aliquando contingit. Hinc in dubium vocari potest, an summus Pœnitentiarius hac facultate præditus sit, cum de contractis jam matrimoniis res agitur; (nam, si de contrahendis adhuc matrimoniis sermo fiat, jam superius ostendimus, nullam Pœnitentiario inesse auctoritatem, ut ipsa dispensare possit). Itaque nemo inficiatur in matrimoniis initis eam facultatem Majori Pœnitentiario tribuendam. Quippe id consuetudine, institutoque Pœnitentiariæ comprobatur; neque adversari potest *oraculum vivæ vocis* Summi Pontificis post Constitutionem, uti superius indicavimus. Accedit etiam, quod Pontifex rem aperte declaravit, cum abrogare vellet auctoritatem, ne contrahenda matrimonia dispensarentur, si impedimentum cognationis spiritualis intercederet. Quare facultatem eandem non quidem sublatam, sed potius præservatam in contractis matrimoniis conjicere debemus: quia Pontifex nullum de ipsa verbum fecit, cum de iisdem matrimoniis ageretur.

12. Paulo ante diximus, reclusum esse aditum ad Pœnitentiariam illis, qui *a Dataria dispensationem aliquam obtinuerunt, non explicantes in supplici libello copulam, quæ intercessit, aut voluntatem, & consilium, quod tunc habuerunt, nempe, ut facilius ejusmodi dispensationem assequerentur.*

13. Equidem decertant inter se Scriptores, an hæc aperte exponenda sint, ut consanguinitatis, vel affinitatis impedimentum a Sede Apostolica dispensetur: *Salmanticens. lib. 2. tract. 9. de matrim. cap.* 14. *punct. 3. n. 9. & seqq.* reipsa tamen nullus dubitandi locus superest, cum Summi Pontifices mentem suam super hac re clarissime declaraverint: nam in suis litteris, cum dispensationem aliquam impertiunt, sub pœna *subreptionis*, vel *obreptionis* indicant, ut non modo copula explicetur, si prius obvenerit, sed etiam quo consilio, ac voluntate inita fuerit. Id autem sapienter constituerunt, ut gravissimum crimen incestus longe a consanguineis arceretur: *Corradus ibidem lib. 6. cap. 5. n. 36. & seqq. Syrus in Constit. Innoc. XII. facult. 32. §. 26. & facult. 33. §. 27.*

14. Cum hæc ita se habeant, quæ Innocen. XII. indulserit, afferamus. *Quod si oratores, qui obtinuerint a nostra Dataria dispensationem super gradu prohibito, tam in primo, & secundo, quam in secundo tantum, ac etiam in tertio, & quarto, tacita copula inter eos secuta, quam sine honoris detrimento detegere non valeant, & ratione hujusmodi taciturnitatis petant dispensationem pro matrimonio contrahenda, seu revalidationem matrimonii contracti, possit idem Major Pœnitentiarius, si copula sit adhuc secreta, in foro conscientiæ tantum concedere, facta, quando agitur de primo, & secundo, vel secundo tantum gradu, compositione quinquaginta ducatorum auri de Camera, ad Datariam transmittendorum, ad effectum, ut inconcussi moris est, erogandi in eleemosynas.*

15. Hæc postrema Innocentii XII. verba referri debent ad ea, quæ Pontifices antea constituerunt, ut nempe piis operibus totum impendatur, quod ex matrimonialibus dispensationibus percipitur; ac potissimum ad Litteras, quas Innocentius X. die 8. Novembris 1644. promulgavit, decernens, ne ejusmodi pecunia cum reliqua confundatur, quæ tradita est curæ Præfecti generalis ærarii pontificii, sed in Monte Pietatis deponatur, nec inde auferri possit, nisi prius mandatum a Pontifice obsignatum intercesserit, per quod eadem pecunia in pium opus convertatur: *Card. Pallavicin. lib. 23. Hist. Concil. Trident. cap. 8. n.* 11.

16. Verum Innocentii XII. propositam Constitutionem explicare prosequamur, quæ proculdubio servanda est in ea parte, quam modo commemoravimus, sive de gradibus consanguinitatis, sive affinitatis sermo habeatur, cum Pontifex nullos distincte, ac peculiariter gradus enumeret. Adjungimus pariter, quinquaginta ducatos non esse persolvendos, cum dispensatio circa primum, aut secundum gradum, non vero circa tertium, vel quartum comparatur; immo neque hanc pecuniam enumerandam esse, licet primus, vel secundus, aut secundus tantum gradus dispensetur, si *in forma pauperum* Litteræ expediantur: *Nisi prior gratia* (inquit Pontifex) *expedita fuisset in forma pauperum, quo casu etiam hæc gratia absque ulla compositione similiter expediatur.*

17. Disputatum olim fuit, utrum si quis dispensationem a vetito gradu consecutus fuerit, explicans quidem copulam, quæ prius intervenit, non autem nefarium consilium obtinendi facilius hac ratione eandem dispensationem, quæsitum, inquam, fuit, utrum Major Pœnitentiarius facultatem satis haberet, ut crimen ejusmodi remitteret, si copula esset publica, intentio vero occulta. Equidem P. Thesaurus *in sua Prax. ms. Pœnitentiar. tit. 6. n. 6. & in Praxi Ecclesiast. part. 2. ad vocab. Incestus cap. 2. §. Verum est*, docuit ad Datariam pertinere dispensationem ejusmodi occultæ intentionis, quemadmodum ad illam solummodo spectat a publica copula dispensare. Sed Innocentius XII., cujus verba inferius subjiciemus, Majori Pœnitentiario concessit, ut dispensationes ejusmodi impertiri posset: hinc nemini dubium esse debet, quin hæc facultas Majori Pœnitentiario tribuatur, licet publica fuerit copula, intentio vero occulta. Porro ea copula publica dicitur, quæ in Dataria fuit exposita, & Litteris Apostolicis inserta, quæ per Delegatum executioni mandantur.

18. Itaque facultatem dispensandi ab occulta intentione, licet copula sit publica, Majori Pœnitentiario denegari nequit, sive matrimonium contractum jam fuerit, seu contrahi debeat: sed jam verba Pontificis afferamus: *Si vero oratores, qui obtenta dispensatione a Dataria super impedimento primi, & secundi, sive secundi dumtaxat gradus consanguinitatis, sive affinitatis cum expressione quidem carnalis copulæ, sed tacita occulta, & malitiosa intentione in ipsa copula habita ad facilius habendam dispensationem, pro revalidatione hujusmodi dispensationis recurrant ad dictam Pœnitentiariam, possit idem Major Pœnitentiarius desuper dispensare cum miserabilibus personis, explicite affirmantibus, se uti tales, & sub illa expressa qualitate, & forma miserabilium, dispensationes a Dataria obtinuisse. Cum iis vero, qui non tanqam pauperes, sed uti ex honestis familiis, sive uti nobiles, sive uti illustres, fuerint similiter ab eadem Dataria dispensati, idem Major Pœnitentiarius non dispenset, nisi soluta prius in Dataria, ad effectum pariter erogandi in eleemosynas, taxa cum Datario pro tempore existente concordanda. Quod si supplicantes sint pauperes, ita*

ut

ut vere, & realiter integram summam taxatam, vel aliquam ejus partem solvere nequeant, præfatus Major Pœnitentiarius insimul cum eodem Datario opportune provideant.

19. Ex his verbis primo desumitur, nihil omnino solvendum esse *pro obtenta dispensatione primi, et secundi gradus, sive secundi dumtaxat, cum expressione quidem carnalis copulæ, sed tacita, et occulta malitiosa intentione*, si dispensatio ejusmodi a Dataria conceditur *in forma pauperum*. Paupertas vero testimonio eorundem oratorum comprobatur: nam revalidatio dispensationis ad forum conscientiæ tantum pertinet. Secundo, si illis dispensatio tribuatur, qui ex honestis familiis, atque uti nobiles, & illustres habeantur, quædam pecuniæ summa necessaria est, quam Major Pœnitentiarius una cum Datario constituit, ob hanc potissimum causam, ut detrimentum a Dataria susceptum in prima dispensatione compensetur. Tertio, si oratores in eam paupertatem redacti fuerint, ut pecuniam ab eodem Pœnitentiario, ac Datario decretam nec integre, nec partim persolvere queant, tum Pontifex indicit, ut ipse Pœnitentiarius, ac Datarius *opportune provideant*. Porro oratores nullas facere expensas tunc consueverunt, veluti si prima dispensatio *in forma pauperum* peracta fuerit. Quarto, si tertius, aut quartus gradus dispensetur *cum expressione quidem copulæ, sed tacita, et occulta intentione*, nihil prorsus expenditur; nam id solum exigitur in dispensatione primi, & secundi gradus, vel secundi dumtaxat, uti nuper explicavimus.

20. Crebro evenire solet, ut impedimentum affinitatis *ex copula illicita* ante matrimonium contrahatur: Major autem Pœnitentiarius *in foro conscientiæ* tantum ab hoc impedimento liberare potest, sive matrimonium initum fuerit, vel adhuc ineundum sit, modo tamen idem impedimentum occultum habeatur: *Super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita, seu actu fornicario proveniente, quotiescunque adsit rationabilis causa, licet periculum revelationis, seu scandalorum non immineat, vel non adesset, in matrimoniis tam contractis, quam contrahendis in foro conscientiæ tantum*. Si Pontifex illis verbis *ex actu fornicario* nequaquam usus esset, in dubium revocari posset, utrum Major Pœnitentiarius dispensare queat impedimentum affinitatis *ex copula illicita*, cum ad eandem cupulam stuprum, sive adulterium adjungitur: cum tamen Pontifex addiderit *ex copula illicita, seu ex actu fornicaria*, satis intelligitur ex illa particula *seu*, quæ alternationem indicit, in eo consilio fuisse Pontificem, ut omnem copulæ speciem complecteretur, sive fornicaria tantum existat, sive stupro etiam, atque adulterio contaminetur.

21. Tandem illud constat, in more positum non esse, ut Sedes Apostolica in matrimoniis jam contractis, seu contrahendis dispensationem impertiat *super impedimento criminis*, si illud publicum fuerit, vel conjugi mors illata sit, *altero, aut utroque machinante*: *Corrad. Prax. dispensat lib. 8. cap. 9. n. 4. et seqq. De Justis de dispens. matrimonial. lib. 2. cap. 16. n. 64. et seqq. Schmalzgrueber ad tit. decretal. de eo, qui duxit in matrimonium n. 65. et seqq. Miglioruc. Jur. Canon. lib. 2. pag.* 242. & profecto Clemens VIII. viris potentissimis id expetentibus constanter denegavit: *P. Syrus ibid. facult. 35. §. 29. n. 20.* Attamen, ut saluti animarum aliquo modo prospiceretur, Summo Pœnitentiario facultatem Pontifex concessit, ut *in foro conscientiæ tantum impedimentum criminis* dissolveret, si ipsum crimen occultum sit: monet vero Pontifex, id raro peragendum, si conjugis mors patrata fuerit, *utroque, vel altero machinante*: necessitas intercedere debet, aut gravissimum periculum; nec ullo modo tribui dispensatio hæc potest, nisi prius in Congregatione, vel Signatura Sacræ Pœnitentiariæ res diligenter examinetur. Id nos præ ceteris testari possumus, qui ad eos cœtus sæpissime convenimus, nostrumque suffragium tulimus, aut scriptum, aut oretenus, cum in eodem Tribunali Canonistæ munere fungeremur: *Super impedimento occulto criminis adulterii, si fuerit cum fide data dumtaxat, neutro machinante commissum, possit tam in contrahendis, quam in contractis matrimoniis dispensare: si vero crimen hujusmodi fuisset, utroque, vel altero machinante, patratum, possit dispensationem concedere, raro tamen, & quando necessitas postulaverit ratione alicujus gravis imminentis periculi, quod prudentia Majoris Pœnitentiarii, re præsertim discussa in Congregatione, vel Signatura, arbitrandum erit.*

22. Hæc potissimum ab Innocentio XII. præscribuntur de matrimonialibus dispensationibus, quæ a Sacra Pœnitentiaria tribui consneverunt, ac de illis etiam, quæ Summi Pœnitentiarii facultati unice conceduntur. Porro necessarium haud ducimus enumerare hic etiam reliqua omnia, quæ ad eandem Pœnitentiariam simul, & ad Episcopum communi jure pertinent. Nam Pœnitentiarius facultatem impertiri potest ineundi matrimonii in quacunque orbis parte absque promulgationibus, quæ fieri ante matrimonium solent: idem in sua diœcesi præstare potest Episcopus. Item, si conjux post initum matrimonium affinitatem cum altero conjugum per illicitam copulam contraxerit, Pœnitentiarius dispensare potest innocentem ex conjugibus, ut debitum exposcat, quo jure reus conjux post patratum scelus destituitur: *Quoties vero* (sic habet Innocentius XII. in eadem Constitutione) *affinitas hujusmodi post contractum matrimonium supervenerit, ut debitum peti possit, in eodem conscientiæ foro dispensari, & dispensari mandare possit, & valeat*. Eadem sane auctoritate Episcopus in sua diœcesi præditus est: *Sanchez de matrimon. lib. 8. disp. 12. n. 15.* Prætermittimus etiam celeberrimam controversiam, utrum Episcopi dirimentia impedimenta dissolvere possint in foro conscientiæ, antequam matrimonium contrahatur, & postquam contractum jam fuerit: non ignoramus magnis difficultatibus hanc quæstionem implicari, & neminem prorsus Episcopis eam facultatem tribuere, nisi gravissima aliqua causa id postulaverit: *Sanchez de matrimon. lib. 2. cap. 40. a n. 1. ad n. 12. & n. 8. Pont. de matrimon. lib. 8. cap. 13. n. 2. Perez de matrim. disp. 44. sect. 6. n. 50. N. Alexand. in Theol. Dogm. Moral. lib. 2. de Sacrament. Matrimonii regul. 10. tom. 2. edit. Venet. Salmanticen. in cursu Theologia Moral. tom. 2. tr. 9. cap. 14. punct. 1. n. 7. & seqq.*

23. Satis verba fecimus de ordinaria facultate Cardinalis Majoris Pœnitentiarii; quod si extraordinaria opus fuerit, illam a Pontifice per se obtinere potest, vel ipsam per Præsulem sacræ Pœnitentiariæ moderatorem exposcere: nunc de iis sermonem instituamus, qui ad eamdem Pœnitentiariam debent confugere. Id potissimum parochis, & confessariis contingit: nam perraro evenire solet, ut qui dispensationes implorant, amicos, & familiares Romæ habeant, qui negotium ejusmodi perficiant: sed quicunque ille sit, qui hoc peragendum suscipiat, necessario requiritur, ut res plane exponatur, & nihil a veritate sit alienum; nam fieri potest, ut contractum impedimentum falso existimetur. Omissis pluribus exemplis, quæ afferri possent, illud satis sit, nullum affinitatis impedimentum obvenire, licet ante matrimonium cum aliqua consanguinea futuræ uxoris copula habita fuerit, si ipsa perfecta non extiterit: *Sanchez lib. 8. de matrimonio disp. 25. n. 10.* Item si inter duos affines copula intercesserit, ac deinde facultas a Dataria matrimonii ineundi, & gradus dispensatio ab ipsis obtineatur, licet copulam in supplici libello non declaraverint, tamen fieri potest, ut nullam aliam dispensationem a sacra Prenitentiaria petere debeant, nempe, si mutuam inter se affinitatem antea cognitam, perspectamque non habuerint, cum scelus admiserunt, sed inito solum matrimonio in hanc cognitionem venerint: tunc enim incestus, uti fatentur Garzias *de beneficiis part. 8. cap. 3. n. 106.* ac Thesaurus, *in Praxi Sacr. Pœnitentiariæ tit. 6. num. 8.*, *materialis*, non *formalis* habetur.

24. Arcanum pariter, ac prudentia servanda est; id satis ostenditur exemplo parochi, quod P. Tiburtius Navarrus commemorat *in libro, qui inscribitur*: Manuductio ad Praxim executionis litterarum Sac. Pœnitentiariæ, *part. 2. pag. 87. edit. Rom. ann. 1714.* nam cum ipse ex sermone forte deprehendisset occultum impedimentum, dirimens matrimonium, quod jam palam celebratum fuerat, adeo incautus fuit, ut pluribus aliis rem patefecerit, quæ silentio occultanda erat: eosque conjuges publice disjunxerit, quos impedimenti ignaros, & inscios pati debuerat, donec Major Pœnitentiarius de toto negotio certior per ipsum fieret, opportunumque remedium afferretur. Aliam quoque viam inire poterat, nempe, eosdem conjuges clam separare, si impedimentum haud ignorarent, deinde ad sacram Pœnitentiariam rem totam deferre, remediumque exposcere. Qua de causa in libello, qui olim Romæ typis evulgatus est pro instruendis parochis, & confessariis, qui ad sacram Pœnitentiariam confugere debeant, hæc monentur: *Caveant, ne, quod occultum est, palam faciant, præsertim impedimenta occulta matrimoniorum; nam publica, vel ad publicum redacta non pertinent ad sacram Pœnitentiariam.*

25. Insuper universæ rei circumstantiæ, & causæ, ob quas dispensatio postulatur, plane exprimantur necesse est: *Accedit etiam nonnunquam* (sic in eodem libello, quem modo nominavimus, traditur) *per inadvertentiam exponentium, ut gratiæ juxta exposita obtentæ, irritæ evadant, eo quia causas, & circumstantias necessarias reticeant: unde fit, quod litterarum executores, casu postea pœnitentium examinato, rem aliter se habere, quam expressum fuerat, comperiant, & gratias subreptitias, aut obreptitias esse inveniant: quare pœnitentes confusi remanent, & spe novæ dispensationis se carere putantes, in prædictis vinculis, & obligationibus miserabiliter remanent.*

26. Paulo post agitur de causis, quæ ad obtinendam dispensationem explicandæ sunt: etenim communi omnium consensu, & juxta Tridentinam Synodum, *cap. 18. sess. 25. de Reformatione*, nulla unquam dispensatio concedi solet, nisi legitima causa intervenerit. Idem institutum, & disciplinam sequitur Pœnitentiaria, cum præsertim matrimoniales dispensationes petuntur, quas sine causa impertiri non consuevit. Idem observari a Dataria non videtur, cum aliquis religione adductus, licet pro dispensatione impetranda veram, ac legitimam causam in medium proferre queat, tamen anxius, & solicitus, an validum sit initum matrimonium, dispensationem expetit, & ne causam adducere cogatur, pecuniam largius persolvit, ut omni solicitudine, metuque amittendæ beatitudinis eripiatur: hac enim ratione, loco causæ, quæ exponi debuerat, gravis multa sufficitur, quam ille libenter impendit, ut egenis, piisque operibus erogetur. Hæc sapienter docet Cardinalis Pallavicinus *in loco allato.*

27. Sed perpauca de causis ejusmodi percurramus. Si de impedimentis, ac præsertim de voto res agitur, satis, superque jam ostendimus, quæ peragenda sint. Pro dispensandis sponsalibus aliqua ex iis causis proferri debet, quæ si probetur in foro externo, satis est, ut eadem sponsalia dissolvantur.

28. Si vero de impedimentis dirimentibus sermo habeatur, Innocentius XII. in sua Constitutione plures causas enumerat, nempe, cum prætermissa silentio fuit copula, cum dispensatio gradus a Dataria peteretur: pro causa afferri solet metus, ne communi honestati conjugum macula inureretur. Item, cum agitur de impedimento affinitatis, contracto *ex copula illicita*, aliqua causa rationi consentanea proponitur, licet copula, quæ prius intercessit, palam fieri posse non videatur, nec ulla mali species, aut offensio populo præbeatur; causa vero desumi solet ex metu, ne aliquod detrimentum, dissidium, aut scandalum excitetur, quæ fortasse evenirent, nisi dispensatio tribueretur. Porro causa ejusmodi semper probatur, cum res est de contractis matrimoniis, & palam celebratis: etenim matrimonia vix ulla dissolvi possunt, quin gravissima mala subsequantur, quæ sane dispensatione impedienda sunt, uti recte perpendit Auctor Institutionis, quæ pro novis confessariis Romæ promulgata est *par. 2. cap. 15. n. 324.*

29. Postremo res tota cum suis causis, & necessariis circumstantiis Cardinali Majori Pœnitentiario declaranda est per litteras latinas, seu hac nostra italica lingua confectas: reticetur illius nomen, qui dispensationem expostulat, ejusque loco littera N. sufficitur; locus tamen designatur, ubi dantur litteræ, ut quo responsa mitti debeant, innotescat: in fine litterarum nomen etiam, & cognomen describuntur illius, ad quem responsum dari necesse est: neque sane parochus, aut confessarius, cui Fidelis impedimento aliquo illigatus animum suum detexit, hanc provinciam recusare debet; ne forte ille totam Urbem circumire cogatur, ut inveniat, qui litteras datas a Pœnitentiaria executioni demandet. Accedit, quod sacra Pœnitentiaria jam consuevit ejusmodi executiones non tantum parochis, sed quibuscunque Sacerdotibus committere: *idem Auctor Institut. pro recent. Confessar. loc. cit. n. 322.*

30. Hoc pacto sibi quisque consulere potest absque ulla expensa; nam sacræ Pœnitentiariæ tribunal suis Administris stipendia persolvit, qui, dum munus ineunt, his verbis jusjurandum pronunciant: *Officium meum fideliter exercebo, & gratis, ejusque ratione nihil ab aliquibus, etiam sponte oblatum, vel donatum accipiam, præterquam salarium mihi constitutum: Card. Petra de Sac. Pœnit. part. 1. cap. 7. n. 23.* De hoc monendi erunt, qui dispensationem aliquam petere debent: nam *in periculoso statu manere coguntur, & sibi persuadent, sacræ Pœnitentiariæ tribunal aliquid lucri pro litteris prædictis recipere, cum revera sacræ Pœnitentiariæ Ministri nec aliquid, quamvis minimum, nec etiam sponte oblatum unquam recipiant, & gratis omnia exhibentes, singulos ad se recurrentes serena fronte complectantur.*

31. Sed jam sermone explicemus, quæ peragenda sint illis, qui litteras a Majori Pœnitentiario datas, exequi debent. Responsum sacræ Pœnitentiariæ, quo continetur facultas dissolvendi propositum impedimentum, vel hoc pacto traditur: *Discreto viro confessori, magistro in Theologia*, vel *decretorum doctori ex approbatis ab Ordinario*; vel *discreto viro confessario ex approbatis ab Ordinario*. Quocunque tandem modo id eveniat, nonnisi confessarius ab Episcopo loci probatus litteras Pœnitentiariæ exequi potest; nec satis habetur, si olim hanc approbationem consequutus fuerit, sed necessario requiritur, ut tempus ad confessiones audiendas præscriptum nondum absolutum sit. Adverti quoque debet, dispensationes mulieribus permissas, executioni mandari non posse a confessariis, qui viros tantum confitentes audire, & expiare queunt: e contrario Sacerdos, qui solis mulieribus Pœnitentiæ sacramentum administrare potest, idoneus non est ad exequendas dispensationes viris concessas.

32. Quod si litteræ Sac. Pœnitentiariæ ita inscribantur: *Discreto viro confessori, magistro in Theologia, vel decretorum doctori ex approbatis ab Odinario*, tum requiritur, ut doctoris lauream a publica aliqua Academia consequutus ille sit in Theologia, vel jure Canonico. Si Regularis ipse fuerit, haud satis habetur, quod Theologiæ facultatem, aut jus pontificium profiteatur, ceterosque Regulares in suis claustris edoceat: neque satis est, si magistri titulo, atque honore penes suos fruatur. Patres solummodo Societatis Jesu a Gregorio XIII. *La Croix lib. 6. part. 3. de matrim. n. 978.* privilegium acceperunt, quo Sac. Pœnitentiariæ litteras aperire possint, easque exequi, licet doctores in publica Academia declarati non fuerint, modo tamen inter confessarios ab Episcopo probatos recenseantur, & sint ex illorum numero, quos Præpositus Generalis Societatis designare solet, ut litteras Pœnitentiariæ accipiant, & exequantur. Eodem ferme privilegio prædit fuerunt ab Innocentio XI. Lectores Regulares S. Francisci, qui Minores Observantes appellantur: *Sporer. in supplem. Theol. Moral. pag. 319.* Putant nonnulli, ipsos hoc frui beneficio, qui participes sunt privilegiorum, quæ in Societatem Jesu collata fuerunt, quod tamen Pellizzarius falsum omnino testatur, *in Manual. Regul. to. 2. tract. 8. cap. 3. n. 180. & 193.* omissis tamen his controversiis Ordinum Regularium, quas dijudicandas minime suscipimus, id certum statuimus, probandos ab Episcopo esse Regulares confessarios, si veris privilegiis haud muniantur: *Marcus Paulus Lea in praxi ad lit. Majoris Pœnitent. part. 1. a pag. 11. ad pag. 15. edit. Mediol. 1655. Vanespen. Jur. Ecclesiast. universi part. 1. tit. 23. n. 24. & 25. Clericat. de Sacram. Matr. decis. 40. a n. 20. ad n. 25. La Croix tom. 2. lib. 6. part. 3. n. 954. & n. 978. Giribald. de Sacram. Matr. tract. 10. cap. 18. §. 1. n. 90. & seqq. Auctor. Instruct. pro recent. Confess. loco allato num. 322.*

33. Si litteræ Sac. Pœnitentiariæ hoc modo inscriptæ fuerint: *Discreto viro confessori, magistro in Theologia, vel Decretorum doctori, ex approbatis ab Ordinario*, & alicui reddantur, qui iis titulis careat, & tamen eas aperiat, non ideo novæ litteræ petendæ sunt a Pœnitentiaria, sed primæ tradi possunt viro, qui propositis titulis exornetur. Temere quidem se gessit, qui eas litteras sibi nequaquam inscriptas aperuit; ipsius tamen culpa nullum afferre debet detrimentum illi, qui litteras tradidit, neque ipsarum executionem impedire, si tamen hæc per doctorem in Sac. Theologia, aut jure Canonico perficiatur: *Rosignol. de matrim. part. 2. tom. 7. de matrim. tertio prænot. 25. clausul. 1. n. 5.* Illud etiam in disputationem vocari consuevit, utrum qui litteras accepit a Pœnitentiaria, inscriptas aut doctori, aut confessario per Episcopum approbato, ita tamen, ut quemlibet inter ipsos eligere queat, utrum, inquam, semel traditis litteris, ipsas repetere a confessario possit, aliique doctori, seu confessario illas committere? Id sane affirmant plures, inter quos Rosignolius *in eodem loco n. 11.* Giribaldus *In suo tract. 10. de Sacram. matr. cap. 18. §. 1. n. 92.* Diana *in edit. coord. tom. 3. resol. 105.* & Nardus *in voc.* Litteræ *n. 8.* recensentur. Contrarium alii tuentur, nisi nova dispensatio a Sacra Pœnitentiaria exposcatur, ac præsertim Marcus Paulus Leo *in Praxi ad lit. Major. Pœnitent. part. 1. de forma Votor. §. Remanet tamen*, rerum ad Sac. Pœnitentiariam spectantium peritissimus ejusmodi licentiam semper

per

per improbat, nisi forte delectus Confessarius, quod solet contingere, ignaros, & imperitus deprehendatur.

34. Post hæc agendum superest de clausulis, quibus uti consuevit Pœnitentiaria. Porro illa nunquam deest: *si ita est*. Quare, qui litteras exequitur, omnem curam, ac diligentiam impendere debet, ut cognoscat, an verum sit, quod Majori Pœnitentiario fuit expositum; an res ipsa, circumstantiæ, & causæ, ac rationes ad obtinendam dispensationem prolatæ veritati prorsus consentaneæ sint: nam ejusmodi executio committitur haud *pro mero* solum, sed *pro mixto* etiam foro conscientiæ. Quamobrem monere debet eum, qui dispensationem petiit, ut nihil a veritate alienum proferat. Deinde opus est, ut diligenter investiget, utrum revera probentur omnia, quæ ille testatus fuerit: *Syrus in suo opere edito de Praxi executionis litterarum, & resp. Sac. Pœnitent. quæst. 9. prælim.* Non tamen ulli testes inquirendi sunt, sed illum examinari solum fas est, qui dispensationem impetravit. Pontas censuit, jusjurandum elici posse, ut rei veritas magis comprobetur: *Pont. lib. 8. de matr. cap.* 21. *n.* 16. Hanc tamen sententiam reliqui omnes improbant. Quare, paucis jam superius dicta complectamur, adhibendam ab executore accuratam diligentiam, quam modo ostendimus; aliter irritam fieri dispensationem, nisi forte ipse aliunde rei veritatem, justamque causam cognoverit: *Bonac. tom. 2. oper. tract. de legibus disp. 1. quæst. 1. punct. 2. n. 5. Diana loco cit. resol.* 161. *Clericat. de Sacram. Matrim. decis. 40. n. 25. Rosign. loc. cit. clausula 3. n. 19. & seq. Giribald. in loc. cit. cap. 18. de Sacram. Matr.* §. 2. Quod si Confessarius pro certo habeat, falsum esse, quod Majori Pœnitentiario propositum fuit, ab exequendo dispensationem abstineat, licet qui ipsam postulavit, rei falsitatem tueri contendat, modo tamen Sacerdos id non perceperit, cum Pœnitentiæ Sacramentum, dispensando, administravit: non enim uti licet iis, quæ tunc deprehenduntur: *Sanchez de matrim. lib. 8. disp. 34. n. 21. de Justis de dispensat. lib. 1. cap. 8. num. 129. Rosign. loco allat. clausul. 3. n.* 22. *& seq. Clericat. in allata decis. 40. de matrim. n.* 25.

35. Disceptabant olim Theologi, utrum necessario requiratur, ut Sacerdos confitentem prius audiat, & expiet dispensandum, & tunc solum dispensationem, quæ a Pœnitentiaria data fuit, exequatur; omnis tamen dubitatio sublata est; nam sic in Pœnitentiariæ litteris indicitur: *Audita prius Sacramentali Confessione*. Qua de re conditio præscribitur, qua si careat, dispensatio irrita prorsus efficitur: *Marcus Paulus Leo loco citat. pag. 19. Adverte, facultatem Confessoribus per Brevia, seu Bullas Majoris Pœnitentiarii concessam, non esse liberam, ut possit Confessor ea simpliciter, & ad suum libitum, hoc est in Confessione Sacramentali, vel extra illam uti, sed est ita limitata, ut nonnisi in Sacramentali Confessione illam exercere valeat; &, si secus facit, nulliter facit, nam excedis fines mandati, qui fines diligenter sunt observandi etiam in minimis*; & paulo post: *Ista clausula* audita Sacramentali Confessione, *importat conditionem, sine qua non fuisset concessa hujusmodi facultas Confessario*.

36. Si dispensatio conceditur, *Audita prius Sacramentali Confessione*, & dum ipsa Confessio peragitur, aperte constat, irrogandam esse penam consentaneam crimini, quod impedimentum intulit eadem dispensatione solvendum. Id cavetur in litteris Sac. Pœnitentiariæ: *Injuncta ei, pro tam enormis libidinis excessu, gravi pœnitentia salutari*. Advertendum pariter id est, quod Syrus, *in opere edito de praxi execut. epistolar. Pœnitentiar. part. 2.* §. 1. admonet his verbis: *In commissionibus, aut rescriptis Sacræ Pœnitentiariæ, pro quorum executione inter alia præscribitur, quod oratori pœnitenti injungatur Confessio menstrua, idest singulis mensibus peragenda, ut sæpius in formulis habetur, nunquam prætermitti potest, cum talis pœnitentia, quæ inter graves computatur, sit individuata a Majori Pœnitentiario, cui parendum est, ut deleganti, & sit de stylo Pœnitentiariæ, qui facit jus*.

37. Eodem modo statuendum est de aliis pœnis, quæ a Sacra Pœnitentiaria præscribuntur: observari quoque debet, quod Syrus idem tradit: *ibidem*, si forte Confessarii arbitrio relinquatur pœnas sceleri consentaneas infligere: *Arbitrium, quod relinquitur Pœnitentiario in ordine ad pœnitentias individuandas, & injungendas, non importat meram & liberam voluntatem, ita ut possit illas libere injungere, prout sibi placuerit, sed importat arbitrium regulatum, idest arbitrium boni viri, & juri conforme*.

38. Quamobrem Confessarius, ut suo muneri recte satisfaciat, neque severitatis, neque humanitatis fines excedat: *Sanchez de matrim. l. 8. disp. 34. n. 35. & seq. Pontas de matrim. lib. 2. cap. 21. §. 1. n. 18. Clericat. in allata decis. 40. de Sacram. Matrim. n.* 28. Rationem quoque habebit conditionis, ætatis, & sexus illius, cui pœna irrogatur: *Navar. in manuduct. pract. executionis lit. Sac. Pœnitent. pag. 65*.

39. Non ita facile percipiuntur reliquæ clausulæ, quas inferius subjicimus, neque facile modus, ac ratio dignoscitur, qua executioni mandentur. Prima quidem est ejusmodi, quæ in cunctis dispensationibus matrimonialibus indicitur: *Dummodo impedimentum præfatum occultum sit*, sive hoc modo: *Dummodo omnino occultum sit*.

40. Id proculdubio implicatum est, ac difficultatis plenum, si Theologiæ Moralis Scriptores, aut etiam Forenses percurrantur. Marcus Paulus Leo, *part. 2. formular. dispens. matrimonial. pag.* 131. docet, id occultum nuncupari, quod omnes ignorant, vel perpauci sciunt, ita ut, nec manifestum, neque fama evulgatum dici queat. Hanc definitionem adeo planam asserit, ut nulla explicatione indigere videatur. Addit occultum vocari posse, quod duobus tantum, vel tribus innotescit. Alii tamen rem diligentius investigantes, quærunt, an occultum impedimentum existimari debeat, quod lateat majorem partem incolarum alicujus loci; quemadmodum si is locus affluat quinque millibus incolarum, inter quos mille, aut bis mille tantum illud impedimentum noverint, utrum occultum ipsum habeatur. Id autem unanimes inficiantur. Quippe vident occultum præscriptum a Sac. Pœnitentiaria hoc pacto in publicum manare, si publicum ex communi omnium sensu explicetur. Quare intelligentes in eu positam esse quæstionem, nempe, quot personis manifestum esse debeat impedimentum, ne occultum existimetur, consentiunt omnes prudentis Judicis arbitrio, ac sententiæ id relinquendum esse.

41. Plures aliæ quæstiones in hac re proponuntur, nempe, utrum occultum impedimentum censeatur, quod quidem publice cognoscitur in eo loco, ubi contractum fuit, sive alibi, occultum tamen est, ubi degunt qui dispensationem expostulant, & ubi dispensatio ipsa conceditur; utrum impedimentum, quod fuit aliquando publicum, diuturnitate temporis occultum fieri possit, ita ut dispensatio tribuenda videatur; postremo, utrum occultum habeatur impedimentum, si patratum crimen publice quidem innotescat, criminis tamen consilii prorsus ignorent, an impedimentum dirimens cum eodem crimine conjungatur. Res exemplo declaretur. Centum incolæ alicujus oppidi, quod tria millia hominum continet, cognitum, perspectumque habeant civem aliquem, priusquam cum muliere matrimonium iniret, cum ipsius sorore incontinenter, & impudice versatum esse: Hi tamen centum, qui hoc scelus deprehenderunt, adeo imperiti sint, ut penitus ignorent, ex *hac illicita copula* dirimens impedimentum manare, cujus causa matrimonium cum sorore contrahi nequaquam possit, irritumque fieri, si contrahatur. Inquirunt Theologi, an ejusmodi impedimentum occultum vocandum sit.

42. Nos itaque judicamus, hujus generis impedimentum *materialiter publicum* (ita rem explicant Theologi) *sed formaliter occultum appellari*. Scriptores fere omnes putant, satisfieri hac ratione Pœnitentiariæ mandato, quo illud jubetur: *Dummodo impedimentum sit occultum*: *Marcus Paulus Leo loco allato pag.* 132. *Bonacin. tom. 2. tract. de legibus disp. 1. quæst. 2. prop. unica n. 7. De Justis de dispensat. matrimonial. lib. 1. cap. 8. n. 175. Similiter* (inquit Giribaldus, *tract. 10. de Sacram. Matrimon. cap. 18. §. 4. n. 111.*) *potest esse nota multis, & toti viciniæ copula incestuosa ab aliquo commissa, & tamen erit formaliter occulta, si ignoretur ab illa nasci impedimentum affinitatis, dirimens matrimonium*: deinde sic habet, *n. 112. Executorem posse absolutionem, seu dispensationem concedere, si delictum, seu impedimentum sit occultum formaliter, quamvis sit materialiter publicum, quia sufficienter verificantur verba in dispensatione posita: dummodo impedimentum sit occultum*, Navarrus *In manuduct. pract. execut. litterar. Sac. Pœnitent. pag. 19. §. Advertere*; & Rosignolus *In cit. prænot. 14. de matrim. clausul. 6. §. Hic duplex*, eamdem probant sententiam, aliosque nominant, qui idem docuerunt. Ipsi tamen diversis opinionibus ceteras quæstiones pertractant, quas nuper indicavimus.

43. Antequam judicium nostrum in hac difficillima re exponamus, duo potissimum monenda sunt; primum a Confessario, priusquam litteras Pœnitentiariæ exequatur, dili-

gen-

genter, accurateque examinandum illud mandatum : *Dummodo occultum sit impedimentum*, quo talis conditio præscribitur: *Sine qua non* (ait Navartus, *in laudata manuduct. pag. 18.*) *Sacra Pœnitentiaria tali mateeiæ manum non opponeret*. Secundo, ut occultum impedimentum dignoscatur, parum conferre putamus, si illorum sententiæ tantum investigentur, qui nulla experientia præditi Sac. Pœnitentiariæ, de hac re temere scripserunt; sed necessarium ducimus perscrutari, quid hoc vocabulo occulti impedimenti ab eodem Sac. Tribunali intelligatur. Hæc autem cognitio ab illis solum comparari potest, qui munus aliquod in ipso Tribunali gesserunt.

44. Prosper Fagnanus Correctoris munere magna cum laude functus est, ad quem pertinet emendare supplices libellos, qui a Procuratoribus Sac. Pœnitentiariæ traduntur, *Card. Petra in tr. de Sac. Pœnit. pag. 144. & 379.* ipse quoque diplomata percurrit, & corrigit, siquid imprudenter exciderit. Itaque Fagnanus de occulto impedimento sapienter sermonem instituit, *cap. Vestra, n. 106. & seq. de cohabit. Cler. & Mulier. n. 45. & seq.* & primum ostendit, illud occultum impedimentum dici, quod nullo pacto demonstrari potest, & Dei solum judicio permittitur. Impedimentum vero quasi occultum illud esse, quod solum duobus, tribus, aut quinque testibus comprobatur. Post hæc ita scriptum reliquit: *Dicitur impedimentum, vel crimen occultum, licet aliquibus sit notum, puta quatuor, vel quinque, & hanc opinionem servat Sacra Pœnitentiaria*. Deinde hanc ipsam opinionem improbat *n. 120.* si Sac. Pœnitentiaria iis verbis non utatur: *Dummodo impedimentum occultum sit*, sed illis potius, *Dummodo impedimentum omnino occultum sit*: plerumque id accidit, cum impedimentum *criminis* dispensandum proponitur, potissimum vero, cum uterque conjux novo matrimonio copulatus, necem primis conjugis molitus fuerit: *Dummodo omnino occultum sit, quod uterque Oratorum in morte dicti mariti machinatus sit, & plane ignoretur, quod ejus mors inde secuta sit*, & delinquentibus solum innotescat. Quod si duo, quatuor, aut quinque crimen ipsum deprehenderint, tunc occultum minime diceretur.

45. Marcus Paulus Leo Procuratoris munus in Tribunali Sac. Pœnitentiariæ sustinuit, antequam Societatis Jesu nomen daret: *Card. Petra pag. 386.* P. Thesaurus ex eadem Societate Pœnitentiariæ peritissimus fuit, idque præclara ipsius dissertatione, nondum in lucem edita, satis comprobatur: insuper in Vaticana Basilica per plures annos Apostolicum egit Pœnitentiarium. Idem munus diu exercuerunt in Lateranensi Basilica Tiburtius Navarros, & Sytus ex Ordine S. Francisci Strictioris Observantiæ. Illis autem, qui hoc munere præditi sunt, inscribuntur frequentissime litteræ a Majori Pœnitentiario, ut illos absolvant, qui Romæ versantur. Itaque Marcus Paulus Leo hæc tradit *pag. 131. Dicendum secundo, notitiam duorum, vel trium nec minus nocere, quominus aliquod delictum sit occultum*. Thesaurus etiam ita scribit *in oper. de Pœnis Ecclesiast. part. 1. cap. 21. Etiamsi ees sit nota duobus, vel tribus, res occulta dicitur. Item si quinque, vel sex personis in aliquo Oppido, vel septem, aut octo in Civitate res nota sit, non dicitur publica, sed occulta*; idem affirmat, irritam dici nequaquam posse dispensationem a Pœnitentiaria concessam, illis etiam verbis superadditis, *dummodo occultum*, licet impedimentum notum sit tot hominibus, quot superius indicavit. Tiburtius Navarrus idem plane fatetur, *pag. 19. Res adhuc est occulta, si in Oppido est nota quinque, aut sex personis; in Civitate vero septem, aut octo, adhuc occulta censeri debet, modo scilicet ab illis non fuerit divulgata*. Sytus pag. 269. hæc habet: *Si delictum sit notum duobus, vel tribus alicujus Loci, aut Communitatis, aut Capituli, occultum censetur. Si in Oppido sit notum quinque, aut sex personis; in Civitate vero septem, aut octo, adhuc censetur occultum*. Navarrus vero, ac Thesaurus, *in locis allat.* monent Confessarium, ut abstineat ab exequendo dispensationem, si prudenti conjectura intelligat, post breve tempus futurum esse publicum, quod a paucis antea cognoscebatur.

46. Non omittunt iidem Scriptores reliquas quæstiones, quas paulo ante memoravimus, in examen vocare: ac primo *utrum occultum impedimentum censeatur, quod quidem publice cognoscitur in eo loco, ubi contractum fuit, sive alibi; occultum tamen est, ubi degunt, qui dispensationem expostulant, & ubi dispensatio ipsa conceditur*. Navartus, *cit. manud. pag. 20. & 21.* sapienter admonet Confessarium, ut minime exequatur dispensationem, si forte quis Majori Pœnitentiario declaraverit, crimen esse occultum in Civitate, exempli causa, Bononiæ, ubi vitam agit, & dispensatio tradenda est executioni, deinde silentio prætermiserit idem crimen publicum esse Neapoli, ubi patratum fuit: tunc Confessarius reum hortetur, ut ad Pœnitentiarium rursum confugiat, ipsique patefaciat, quod prius omisit, suum nempe crimen per Urbem Neapolis esse divulgatum. Sin autem id totum expositum fuisse in supplici libello Confessarius deprehendat ex litteris Sac. Pœnitentiariæ, tunc absque ulla difficultate pareat, & litteras exequatur.

47. Secundo inquiunt, *utrum impedimentum, quod fuit aliquando publicum, diuturnitate temporis occultum fieri possit, ita ut dispensatio tribuenda videatur*. Equidem Marcus Paulus Leo, *loco citat. pag. 133.* sic respondet: *Notandum quarto, & ultimo, non implicare, quod aliquid a sui origine, & principio fuerit publicum, & tractu temporis fiat occultum; tempus enim omnia devorat: & quæ non delet ab hominum memoria diuturnitas temporis? Hoc autem genus occultorum etiam pluries meo tempore Signatura Officii Sac. Pœnitentiariæ admisit; sed non eodem modo in omnibus casibus: in dispensationibus matrimonialibus per decennium; in irregularitatibus per viginti, & triginta annorum spatium*.

48. Postremo judicium nostrum libere feremus de illa quæstione, an occultum, ideoque solvendum censeri debeat impedimentum, quod Theologi *materialiter* publicum, sed *formaliter* occultum appellant. Exemplis rem totam planam faciemus. Si quis Monialium claustra ingressus fuerit absque facultate, quam tamen ipsi concessam antea ceteri omnes arbitrantur: item si quis hominem consulto interfecerit, populus tamen judicet, id fortuito contigisse, ut vitam suam tueretur; tandem si quis excommunicatus rem divinam fecerit, antequam illis vinculis, ac pœna solveretur; illum tamen jam absolutum omnes putent: si, inquam, ita se res habeant, nos ingenue fatemur, & credimus, crimen ejusmodi, tanquam occultum, a Sac. Pœnitentiaria dispensari posse, & ipsius litteras executioni mandandas a Confessario, cum ipsum crimen occulti limites non excedat. Contra vero est, si crimen publice innotescat, licet omnes fere ignorent pœnam ipsi crimini irrogatam, quæ *ignorantia juris* dicitur. Exemplum afferatur de muliere, quæ consilium nefarium iniit cum alio viro de marito suo necando. Si hoc scelus in populum evulgatum certo fuerit, licet perpauci intelligant, ob hanc causam *criminis* impedimentum interponi, ne eadem mulier post illatam marito necem cum illo scelesto homine matrimonio jungatur; si, inquam, id contingat, tunc rem captu difficilem semper existimavimus, impedimentum hujus generis tanquam occultum haberi posse, litterisque parendum Pœnitentiariæ, quibus illud decernitur: *Dummodo occultum*; & profecto, si hoc statueretur, jam crimen omne affinitatis *ex copula illicita*, & omne impedimentum *criminis*, licet hæc publica sint, dispensari tamen poterunt, tanquam occulta. Nam satis experientia compertum est, omnia impedimenta (si illud consanguinitatis, & affinitatis *ex copula licita* solum omittas) ignota esse non modo oppidanis, sed illis etiam, qui in magnis Civitatibus versantur. Postremo nos ipsi jurejurando affirmare possumus, per tot annos, quibus Sacræ Pœnitentiariæ addicti fuimus, suffragiumque nostrum, cum res ejusmodi proponerentur, scriptum, seu voce tenus dedimus, semper in more positum fuisse, ut impedimentum publicum *materialiter* spectaretur, & nunquam eo nos devenisse, ut examen fieret, an impedimentum *formaliter* occultum censendum esset. P. Thesauri, *in tract. de Pœnis Eccles. cap. 21. §. Advertendum secundo*, auctoritatem proferamus, qui superius allatam sententiam improbat, tanquam Sacræ Pœnitentiariæ institutis, ac consuetudini omnino contrariam, cui se accommodare debent, qui ipsius litteras, ac diplomata exequuntur: *Aliqui* (ait Thesaurus) *audent ulterius, & dicunt, etiamsi sit publicum ut delictum, si tamen sit occultum in ratione pœnæ annexæ a jure, posse dispensari, vel absolvi ab illa tanquam in occultis. Tamen contrarium tenendum est, quia hoc est juris ignorantia, quæ non excusat ad hunc effectum, & hoc observat Sac. Pœnitentiaria*.

49. Tridentina, *Sess. 24. cap. 6. de reformat.* Synodus impertit Episcopis, ut sibi subjectos dissolvere queant ab irregularitatibus, cunctisque suspensionibus, quæ ab occulto crimine proveniunt; deinde certos quosdam limites huic amplissimæ facultati constituit, ac præsertim, si ipsum crimen in forum contentiosum fuerit antea deductum: *Exceptis aliis deductis ad forum contentiosum*. Eosdem limites præscri-

scribit Sac. Pœnitentiaria, quæ non occultum, sed publicum, & omnibus perspectum crimen illud existimat, ex quo venit impedimentum, si semel *in forum contentiosum* adducatur: nisi forte reus sententia judicis in eodem foro declaratus fuerit innocens; tunc enim crimen tanquam occultum putat, & dispensatione solvendum: *aut tanquam repertus innocens* (inquit Fagnanus) *& non culpabilis, aut tanquam absolutus ex hactenus deductis, vel ex observatione judicii, seu tamquam non repertus culpabilis, nec de jure punibilis, cit. cap. Vestra n. 130. & seqq. de cohabit. Cleric. & Mulier.* Idem Fagnanus monet, dissolvi non posse impedimentum, cum ad forum contentiosum crimen allatum fuit, ubi reus nullam ex iis sententiis, quas superius memoravimus, obtinuit, sed in libertatem redditus est, interposita illa conditione, & cautione *de repræsentando*. Ceteri, qui de his rebus scripserunt, occultum fore docent crimen, quod in foro contentioso examinatur, si forte aliqua ex iisdem sententiis comparetur per falsos testes, aliasque rationes, quæ ab æquitate abhorrent. Nam licet hoc pacto semper impedimentum supersit, infamia tamen obliteratur, & crimen ipsum quibusdam tenebris obducitur: *Boschius De tripl. Jub. priv. sect. 1. casu 10. §. 3. n. 91. Sanchez de Matrim. lib. 2. disp. 37. n. 10. Gribald. tract. 10. de Sacram. Matrim. cap. 18. §. 4. n. 110. Rosignol. part. 2. de Matrim. contract. 15. clausul. 6. n. 53. Clericat. de Matrim. decis. 40. sub n. 29.*

50. In matrimonialibus dispensationibus illud semper subjicitur: *Ita quod hujusmodi absolutio, & dispensatio in foro judiciario nullatenus suffragetur*, sive *aliudque non obstet*. Aliquando id quoque decernitur: *Præsentibus laceratis, quas sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ lacerare tenearis, ita ut nullum earum exemplar extet, neque eas latori restituas. Quod si restitueris, nihil ei præsentes litteræ suffragentur.* Quandoque excommunicatio Sacerdoti exequenti litteras Pœnitentiariæ infligitur, nisi, peracto negotio, illas dilaceret, quandoque vero hæc pœna non indicitur; cum Summus Pœnitentiarius nullam curam suscipiat de criminibus ad forum contentiosum deductis, sed tantum expetat reum ab crimine solvere, & in foro conscientiæ de medio tollere impedimenta: ideo magnopere notandum, quod Navarrus tradit, *part. 2. dispen. Matrimon. cap. 1. Si contingeret aliquando etiam post contractum in vim dispensationis matrimonium, ut impedimentum ex occulto fieret publicum, posset Ordinarius Loci eos separare a thoro &c. Verum tamen est, quod in foro conscientiæ, seu in foro animæ, isti essent veri conjuges, quia vere fuerunt legitime dispensati in vim litterarum Sacræ Pœnitentiariæ quoad forum conscientiæ, & sic, si tempore separationis, remoto scandalo, debitum conjugale sibi adinvicem redderent, nullum peccatum committerent, quia per secretam dispensationem Sac. Pœnitentiariæ vere esset sublatum impedimentum tunc occultum.*

51. Idem Navarrus, *loco citato* adfirmat, ab Episcopo irrogari posse pœnam crimini in foro externo, quamvis Pœnitentiariæ dispensatio intercesserit, sed hanc conditionem perscribit, nempe, si idem Episcopus de dispensatione certior factus, ipsi tamen fidem præstare recuset. Porro in hac re duo perpendenda videntur, quæ a Sac. Pœnitentiaria continuo probari nos ipsi testamur. Primum, si Episcopus perceperit, aliquem matrimonio se junxisse mulieri, cujus matrem, aut sororem antea per *illicitam copulam* violaverit, nec idem Episcopus ullo modo deprehenderit, illum in foro conscientiæ fuisse absolutum, initumque matrimonium post dispensationem Sac. Pœnitentiariæ, neque reo fidem adhibere velit, qui se facultate ejusdem Pœnitentiariæ omni impedimento solutum fatetur; si, inquam, hæc ita se habeant, nemo Episcopum reprehendet, qui conjuges separare potest, reumque in foro externo plectere, postquam illius crimen plane comprobatum fuerit. Sin autem Episcopus, qui ejusmodi crimen cognovit, dum parat judicium constituere, moneatur, Pœnitentiariæ dispensationem intercessisse, quemadmodum si has partes cum Episcopo suscipiat confessarius, qui Pœnitentiariæ litteras executioni mandavit, & qui id facere secreto potest, ut Filiuccius *Oper. Moral. tom. 1. tract. 10. part. 2. n. 358.* testatur his verbis: *Non puto tamen prohiberi, quominus fieri possit aliqua fides a confessario de absolutione, vel dispensatione impensa pro consolatione pœnitentis, vel pro testimonio apud Episcopum obtentæ dispensationis in foro conscientiæ*, si, inquam, res ita sit, tunc Episcopus confessarii testimonio omnino debet acquiescere, nec ullam afferre illis molestiam, qui dispensationem sibi comparaverunt: *Judex habuit* (inquit Clericatus, *loco citato n. 34.*) *talem qualem notitiam hujus delicti, procurat per examen testium illud probare, ut puniat delinquentes, poterit ne confessarius eumdem Judicem admonere de dispensatione, ut supra elargita, ad hoc, ut desistat a formatione processus? Affirmative respondent, dummodo Confessarius secreto moneat Episcopum, parochum, & judicem, qui omnes acquiescere debebunt hujusmodi notitiæ, ac certificationi.* Non semel etiam accidit, quod pervicacibus indixerit Summus Pœnitentiarius, ut ab omni molestia, judicioque abstinerent.

52. Tempus conterendum non est, ut illud declaretur: *Aliunde non obstet*, quod satis per se intelligitur. Monet enim Pœnitentiarius, irritam esse dispensationem impedimenti propositi, si aliud silentio omissum fuerit; matrimonium nequaquam ineundum, si nondum celebratum sit. Sin autem peractum jam fuerit, sejungendos conjuges, donec ad Datariam rursum confugerint, si illud impedimentum publicum habeatur, sive ad Pœnitentiariam, si impedimentum ipsum in tenebris adhuc delitescat. Quare Sacerdos, cui Sac. Pœnitentiariæ litteræ, aut diplomata traduntur, prius exquirat necesse est, utrum aliud impedimentum intervenjat præter illud, quod Pœnitentiaria declaravit.

53. Illud quoque paucis expediemus, *præsentibus laceratis*, aut *laniatis*: Monetur Sacerdos, qui Pœnitentiariæ litteras, aut diplomata exequitur, vinculo majoris excommunicationis adligari, nisi pareat. Quippe de illa semper agitur, cum hoc solum vocabulum excommunicationis pronunciatur. Sciat etiam, indici *ipso facto*; nam illa verba *latæ sententiæ* adjunguntur: *Marcus Paulus Leo in praxi lit. Summi Pœnitent. part. 2. pag. 166.* Reliqua Marcus Paulus Leo, Navarrus plane declarant: *Neque eas latori restituas; quod si restitueris, nihil ei præsentes litteræ suffragentur, idest non suffragentur in foro judiciario; nam secuta executione legitimæ gratiæ, & dispensationis in foro conscientiæ, semper validæ remanent in eodem foro conscientiæ, quamvis in foro fori suffragari non possint.*

54. Ex illa Pœnitentiariæ: *laceratis*, seu *laniatis*: gravissimæ nonnunquam difficultates excitatæ fuerunt. Vir, ac Mulier, qui impudica consuetudine, atque amore simul degebant, conjuges vulgo putabantur. Oblatus fuit supplex libellus Majori Pœnitentiario, ut liceret ipsis coram parocho, ac duobus testibus clam matrimonium inire, quod illis concessum fuit, addito quoque privilegio, ac facultate, ut consuetæ promulgationes omitterentur. Illud litteris Pœnitentiariæ jussum postremo fuit: *laceratis*. Confecto itaque matrimonio, laceratæ fuerunt litteræ, quas dederat Pœnitentiaria. Post mortem parochi, qui matrimonio interfuerat, conjuges testimonium de contracto matrimonio petierunt ab eo, qui in parochi defuncti locum suffectus fuerat, ut jam procreatis liberis consulerent. Ille peracti negotii prorsus ignarus, morem conjugibus gerere recusavit, eosque suasit, ut mutuum consensum coram duobus testibus, ac seipso renovarent. Sacram ipsi Congregationem Concilii adiverunt, ubi die 19. Septembris anno 1684. propositum fuit: *An in conscientia & absque peccato possent præfati contrahentes coram dicto parocho, & testibus renovare consensum.* Sacra Congregatio *negative* respondit, novoque parocho præcepit, ut accepto illorum testimonio, qui præsentes adfuerunt, cum matrimonium celebratum fuit, & elicito a conjugibus jurejurando de matrimonii jam contracti veritate, in consuetum librum referret ipsum matrimonium; & ob eam causam, traditum fuit ipsi novum litterarum exemplar, quas Pœnitentiaria pro ineundo eodem matrimonio concesserat.

55. Id fortasse consilium rei aptissime consentaneum visum est iis, qui carebant experientia Sacræ Pœnitentiariæ, quæ nec parochi, neque contrahentium nomina exprimit, cum litteras, ac facultatem impertit concubinariis, ut matrimonium clam ineant coram parocho, ac duobus testibus, & solitæ promulgationes in Ecclesia prætermittantur. Ex hoc autem consequitur, quod tribui nequeat duplex harum litterarum exemplar, si forte opus fuerit. Quare, si concubinarii, qui veri conjuges censentur, Episcopum adire nolint, ut permittat omitti promulgationes, & matrimonium coram parocho tantum, ac duobus testibus familiaribus celebrari, ipsumque in librum ita referri, ut palam omnibus nequeat innotescere, sed potius eligant ad Majorem Pœnitentiarium se convertere, ut hæc omnia consequantur, tunc si ipse facultatem, ac dispensationem ejusmodi elargiatur, institutum est, ut in litteris illud omittat: *laceratis*. Item paro-

cho indicat matrimonium in consueto libro adnotare ea diligentia, quam modo exposuimus, ut testimonium, si forte requiratur, peracti matrimonii tradere possit, causamque suam parochus tueri, si opus fuerit, eodem exemplari litterarum Sac. Pœnitentiariæ, quas ipse retinebit.

56. Hoc sane pacto sublatum de medio est impedimentum, ob quod probari nequaquam poterat matrimonium, quod Sac. Pœnitentiariæ facultate conficiebatur, id gravissimum detrimentum aliquando ipsis conjugibus, aut procreatis liberis afferebat. Attamen non omnia satis impedimenta sublata fuerunt. Non semel contingit, concubinarios, qui veri conjuges habentur, illigari impedimento dirimente, quod nisi solvatur, contrahi nequit matrimonium, irritumque est, si contrahatur, Jam superius indicavimus, Episcopum haud ita facile se immiscere posse, cum dirimens impedimentum intercedit: quamobrem supplex libellus Sac. Pœnitentiariæ exhibendus est. Porro ipsa necessario superaddere illud debet *laceratis*, cum de impedimento dirimente res agitur; ex quo sequitur eisdem difficultatibus parochum implicari, qui facultatem accipit, ut matrimonio clam celebrando intersit: etenim, cum ipsa facultas simul contineat a proposito impedimento dispensationem, si illam lacerare jubetur, nec seipsum purgare, si contra aliquid contigerit, neque in libro matrimonium caute discribere potest; neque tandem conjuges matrimonii testimonium elicere queunt, si aliqua necessitas expostulet.

57. Quamobrem, cum in Tribunali Sac. Pœnitentiariæ Canonum interpretem nos ipsi ageremus, mos inductus fuit, ut quoties ejusmodi dispensationes a Pœnitentiaria postulantur, duo seorsim diplomata fierent, quorum primum solveret impedimentum, ibique adderetur, *laceratis*, alterum absque mandato lacerandi litteras, eoque tribueretur facultas ineundi matrimonium coram parocho, ac duobus testibus, ac demum juberetur idem parochus matrimonium ea diligentia in librum referre, quam nuper memoravimus. Id totum fusius explicavimus in dissertatione, quam de matrimoniis *conscientiæ* confecimus, & quæ typis edita fuit post consuetam pagellam S. Congregationis Concilii, quæ habita fuit die 9. Sept. anno 1724. Finem facimus, admonentes Presbyteros, qui Sac. Pœnitentiariæ diplomata exequuntur, ut sibi ante oculos ponant, quæ superius dicta sunt, utque diplomata lacerent, si jubeantur, & quæ servanda sunt, magno studio retineant, cum res est de matrimoniis, quæ superius indicavimus.

58. At vero imperiti difficilius se expedient, ut reliquis omnibus satisfaciant, quæ a Pœnitentiaria decernuntur. Illa subjicimus, ut pro muneris nostri ratione vehementius exeitemus confessarios, ac parochos, quibus Pœnitentiariæ diplomata inscribuntur.

59. Si de contractis jam matrimoniis agatur, & occultum impedimentum interveniat, quod uni solum ex conjugibus perspectum sit, hunc, si petatur a Pœnitentiaria, ut idem matrimonium ejus facultate confirmetur, in hanc sententiam diplomata traduntur: *Demum dummodo impedimentum præfatum occultum sit, & separatio inter latorem, & dictam mulierem fieri non possit absque scandalo, aliudque non obstet, cum eodem latore, ut dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut latoris delictum nunquam detegatur, matrimonium cum eadem muliere, & uterque inter se de novo secrete ad evitanda scandala, præmissis non obstantibus, contrahere, & in eo postmodum remanere legitime valeat, misericorditer dispenses.*

60. Præter eas conditiones, *dummodo occultum sit, & aliud non obstet*, de quibus satis jam diximus, tria rursum jubentur: Primum, ut isti conjuges separentur, si *id fieri possit absque scandalo*. Porro sapienter id cavetur a Sacra Pœnitentiaria; nam si publice matrimonium celebratum fuit, proculdubio veri conjuges existimantur; ideoque si sejungantur, admirationem id populo, & scandalum concitabit. At vero id continget, si domicilii, non autem si *thori* separatio perscribatur: nam si jubeantur ejusmodi conjuges fraterno tantum amore se prosequi, donec obtineant dispensationem, tunc major difficultas objicitur: etenim si mulier impedimenti sit ignara, ex hac nova vitæ ratione aliquid mali suspicabitur: sin autem uterque ipsum impedimentum noverit, tunc periculum incontinentiæ intercedet: *Animadvertas* (inquit de Justis *de dispensat. matrimon. lib. 1. cap. 8. n. 178.*) *quod rarissime, aut nunquam erit necessarium experiri, an possint conjuges separari, & honeste vivere tamquam frater, & soror, quia sæpe ex hujusmodi separatione oriuntur scandala, & periculum incontinentiæ, sicut etiam ex habitatione dicto modo facta.* Itaque judicamus a parocho, qui litteras a Pœnitentiaria, & facultatem exposcit, vel ab aliis exposci deprehendit, monendos esse conjuges (si impedimentum uterque cognitum habeat) vel alterum ex conjugibus, qui rei conscius est, ne in copulam consentiat, donec dispensatio reddatur. *Monendus est* (ait Navarrus, *in allata part. 2. pag. 76.*) *a confessario, ne prius consentiat in copulam, quam contrahat matrimonium, renovato consensu; quia tunc, quamvis absolutio, & dispensatio non redderetur nulla, fornicaretur tamen, quia ante matrimonium in copulam consentiret.*

61. Secundo indicitur, ut alter conjugum, qui impedimentum ignorat, certior fiat, primum consensum irritum fuisse, ita tamen, ut crimen, ex quo proficiscitur ipsum impedimentum, minime detegatur. Tertio, his peractis, clam matrimonium renovandum est, nempe, iterum mutuus consensus præstari debet.

62. Magno studio disceptatum olim fuit, utrum novus hic consensus, qui matrimonium reipsa constituit, coram parocho, ac duobus testibus peragendus videretur: nam Tridentina Synodus parochum, ac duos testes præsentes necessario requirit, dum matrimonium celebratur. Attamen nulla difficultas amplius superest, si discrimen inter occulta, & publica impedimenta habeatur. Si matrimonium publice initum est *coram parocho, & duobus testibus*, & impedimentum quoque publice innotuerit, idem matrimonium rite confirmari nequit, nisi consensus iterum *coram parocho, & duobus testibus* præbeatur. Contra vero est, si matrimonium celebratum fuit *coram parocho, & duobus testibus*, & impedimentum dirimens occultum servatur: tunc novus consensus certe præstandus est, sed clam inter contrahentes; nec amplius parochus, duoque testes requiruntur: nam semel mandato Tridentini Concilii jam paruerunt conjuges, cum primo matrimonium, licet interposito occulto impedimento, confecerunt.

63. Hæc ita decrevit Pœnitentiaria, S. Pii V. Pontificis auctoritate, uti Navarrus, *in suo consil. 4. de sponsalib.* fatetur, qui per tot annos eidem Sacro Tribunali operam præstitit suam: id etiam probat Sacra Congregatio Concilii, *in causis Hispalen. 20. Julii 1609. Decretor. lib. 11. fol. 58., & Constantinopolit. 2. Decemb. 1634. Decretor. lib. 15. fol. 130.* uti tradit Fagnanus, *cap. Is, qui fidem, n. 14. de sponsalib. & matrim.* qui per plures annos a Secretis præclare munus gessit; idemque Scriptores docent, *Zarol. in sua praxi ad verb. Dispensatio §. Quintum dubium, Vanesp. in Jur. Eccles. univers. part. 2. tit. 14. c. 7. n. 10. Giribald. tr. 10. de Sacram. Matrim. cap. 18. §. 6. n. 127. & seqq. Salmanticen. in curs. Theologia Moral. tom. 2. tract. 9. de matrimon. cap. 3. punct. 5. n. 118. & seq. Pignatell. consult. 27. per tot. tom. 8.* Insuper, cum Sacræ Rotæ Auditores hujus sententiæ veritatem in dubium revocassent, Cardinalis Carafa, Congregationis Concilii Præfectus duos ex iisdem Auditoribus accivit, Seraphinum nempe, & Comitolum, quibus ostendit Decreta a Sacra Congregatione super hac re confecta, Pœnitentiariæ institutis, & S. Pii V. declarationi esse consentanea. Qua de re Patres Sacræ Rotæ in posterum expositam paulo ante sententiam sequuti constanter fuerunt, *in dec. 900. cor. Seraph. & 395. n. 1. cor. Ludovis. 405. n. 19. & seq. part. 18. Recent. & in Spalaten. Nullit. Matrim. die 3. Martii an. 1653. cor. Præsul. Albergato.* Etenim Tridentina Synodus, cum jussit matrimonium contrahi coram parocho, & duobus testibus, nihil aliud statuendum voluit, nisi clandestina matrimonia impedire, ex quibus gravissima mala derivare consueverunt; ac potissimum, cum secreto matrimonium initum fuerat sine parocho, ac testibus, novum matrimonium simili ratione ab eodem conficiebatur, vel etiam publice adhibitis testibus, accitoque parocho; quæ sane corruptela nequit obtingere, cum publice matrimonium celebratum fuit, licet irritum ob impedimentum dirimens occultum, habeatur: quamobrem, cum parochus, ac testes primo matrimonio jam interfuerint, quod rite celebratum putabatur, quia impedimentum nequaquam innotuerat, ideo satis est, ut clam inter conjuges novus consensus præbeatur, cum ipsum matrimonium Sacræ Pœnitentiariæ facultate rite confirmandum est: *Pontas in suo diction. cas. conscien. in verb. Matrim. quart. cas. 4. & 5.*

64. Ex his apertissime constat, quod sermo est de matrimonio coram parocho, ac duobus testibus inito, ubi dirimens impedimentum occultum interponitur. Ex his omnibus desumitur, quoties indicit Pœnitentiaria, renovari matri-

tri-

trimonium ejusmodi, novumque assensum præberi, *Secrete ad evitanda scandala*, id mutuo a conjugibus perficiendum esse, nec parochum, aut testes præsentes requiri, neque ipsum confessarium, qui licet parochus haud sit, ad litteras exequendas Pœnitentiariæ designatur. Libellus, *par.* 2. *cap.* 15. *n.* 326. pro novis confessariis instruendis, Romæ evulgatus idem prorsus docet: *Nihilominus monemus, quoties ab ejusmodi conjugibus novus consensus præstandus est, ipsos cogi haud posse a confessario, ut testes, seque præsentem adhibeant: tum quia id non præcipitur in litteris Sacræ Pœnitentiariæ; tum quia pro certo habetur, idem matrimonium jam fuisse rite celebratum in facie Ecclesiæ.*

65. Porro veritati id consentaneum adeo est, ut Silvius *in supplem. ad D. Thom. quæst.* 45. *art.* 2. *quæsit.* 2. *conclus.* 4. hæc docuerit: *Quid, si dispensetur super impedimento occulto, sed ea conditione, ut contrahant servata forma* Concilii *Tridentini? Respondeo, etiam tunc illos posse consensum renovare absque parocho & testibus, si prius contraxerant coram illis: neque enim attentaverunt contrahere aliter, quam coram parocho & testibus.* Quam sententiam Pontas *loco cit. cas.* 5. magnopere commendat. Gruttierezius *de matrim. cap.* 47. *n.* 26. tamen adversatur ob hanc causam, quod verba dispensationis apertissime contrarium perscribunt, Giribaldus *tract.* 10. *de Sacr. Matrim. cap.* 18. §. 6. *n.* 132. aliique plures eandem opinionem sequuntur. Nos autem totam quæstionem solvemus adfirmantes, *agi de subjecto non supponente*. Siquidem Pœnitentiaria nequaquam utitur his verbis, *servata forma Concilii*, cum jam peractum matrimonium sua facultate confirmandum proponitur, sed tunc solum, cum solvendum est occultum impedimentum pro matrimonio adhuc ineundo. Id constat ex formulis dispensationum, quas Navarrus congessit.

66. Itaque rei difficultas in eo posita est, nempe, qua ratione fieri possit, ut alter conjugum ignarus impedimenti, certior de ipso reddatur, ita ut latoris crimen nequaquam innotescat: *Dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut latoris delictum nunquam detegatur*. Venespenius, *par.* 2. *suorum operum tit.* 14. *cap.* 7. *n.* 9. rei magnitudinem, & gravitatem expendens, hæc habet: *Magna hic prudentia, ac circumspectione opus est: unde merito executor hic non tantum humana, sed vel maxime divina consilia, & auxilia adhibebit, recurrendo ad Patrem luminum, ut eum lumine suo illuminet, quid in casu adeo perplexo agere debeat*. Clericatus autem, *decis.* 40. *de Sacr. Matrim. n.* 31. fatetur, plurimum se laboris impendisse, ut huic Pœnitentiariæ mandato, qua opus est diligentia, satisfaceret.

67. Nonnulli, ut se facilius hac difficultate expedirent, solam instructionem, non vero conditionem illis Pœnitentiariæ verbis contineri censuerunt, ita ut confessarius moneatur sedulam curam insumere, ut illud matrimonium irritum declaret, non autem patefaciat ignaro ex conjugibus causam impedimenti. Sin vero reipsa obtineri id nequeat, sed potius occasionem dissidii inter conjuges præberi intelligat, & inesse suspicionem, ne alter ex ipsis matrimonii vinculum dissolvi contendat, aliamque vitæ rationem suscipere, tunc Sacerdos ab eo consilio desistat, irritum detegere matrimonium omittat, idque solum diligenter curet, ut consensus inter ipsos conjuges renovetur eo modo, quem superius indicavimus. Hæc docet De Justis, *lib.* 1. *de dispensat. matrim. cap.* 8. *n.* 181. idemque Sanchez, *de matrim. lib.* 8. *disput.* 34. *n.* 61. antea scripserat: *Sed mihi persuadeo, non esse conditionem, sed instructionem quamdam confessarii, ut certior sit posterioris matrimonii contractus*. Plures alii sententiam eandem tradiderunt, *Aversa de matrim. quæst.* 11. *sect.* 4. *in vers. Demum juxta hoc, Bonacin. de matrim. quæst.* 2. *punct.* 9. *n.* 7. *Resignol. de matrim. part.* 2. *tom.* 7. *prænot.* 25. *clausul.* 7. *n.* 57. *Giribald. tract.* 10. *de matrim. cap.* 18. §. 5. *n.* 124. & *seq.* qui ex verbis Sacræ Pœnitentiariæ conditionem saltem inferri testantur, ita ut parendum sit, quoties fieri possit; aliter tamen, si discrimina nuper enumerata impendere videantur.

68. Nos tamen pro ingenii nostri tenuitate judicamus, haud probari posse illorum opinionem, qui instructionem solum, non vero conditionem indici per illam Sacræ Pœnitentiariæ clausulam arbitrantur; nam certissimum est inter Jurisperitos, quod vera conditio ex *ablativo absoluto* consequitur. Qua de re prætermitti nullo modo potest, licet gravissima incommoda jam exposita, interponantur: siquidem illud Pœnitentiariæ mandatum innititur juri communi, quod pro matrimonio rite confirmando expostulat novum a conjugibus consensum, & declarari impedimentum ignaro, ne idem consensus *per errorem* elicitus putetur, sive (ut res clarius explicetur,) ne permaneat primus consensus cum errore conjunctus, qui traditus fuit, cum matrimonium primo celebraretur. De impedimento conditionis non deest juris auctoritas, *cap. Proposuit*, & *cap. Ad nostram de conjugio servorum*, quæ matrimonium inter liberum, ac famulam irritum decernit, si ille mulieris conditionem ignoret, neque aliter confirmari posse, nisi novum consensum præstiterit, qui ante matrimonium conditionem conjugis nesciverat. Juris autem Interpretes in cap. *Propositum*, ad illa verba: *Inscia de eo, qui duxit in matrimonium*, adfirmant, consensum *per errorem* permanere, donec qui matrimonium cum famula iniit, consensum iterum reddat, postquam ipsius conditionem deprehendit. His auctoritatibus, & Interpretum sententia Scotus *in* 4. *Sentent. dist.* 35. *quæst.* 1. adductus, ita scriptum reliquit: *Primus consensus non fuit matrimonialis; & ideo ad hoc, quod sint conjuges, requiritur novus consensus: & tunc dico, quod, si impedimentum non exprimatur personæ insciæ, ipsa in copula carnali sequenti non consensit novo consensu, sed solum reddit in virtute primi consensus, qui nullus fuit, & ideo licet persona sciens de novo consentiat, non tamen sufficit. Hoc expresse ait Glossa in cap.* 1. *de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium. In primo consensu, qui nullus fuit, intelligitur perdurare, sicuti probatur de servo, qui creditur liber, cum quo contrahatur, si post manumittitur, uxore ignorante, non contrahitur matrimonium, quia post manumissionem factam, manendo cum eo, semper intelligitur approbare consensum primum, qui fuit erroneus, & non matrimonium.*

69. Difficilius se res habet, cum aliquis ob vim, seu metum in matrimonim consensit. Nonnulli ex Theologis asserunt, pro matrimonio ejusmodi confirmando satis esse liberum illius consensum, qui ad illud ineundum coactus fuit, non autem requiri, ut qui jam prius libere assenserat, & vim alteri conjugi allatam ignoraverat, rursum ad exprimendum consensum adigatur. Clemens tamen Octavus, a quo super hac re consilium petitum fuit, expendens, primum illum consensum pertinuisse ad materiam neque legitimam, neque idoneam, respondit, pro matrimonii confirmatione novum consensum ab utrisque conjugibus esse tribuendum, ab eo nempe, qui matrimonium per vim contraxit, & simul ab altero, qui vim ejusmodi ignorans, ultro, ac libenter eodem se matrimonio illigavit. Insuper adjecta fuit ea conditio, ut maritus, qui jam libere consenserat, prius moneretur, irritum fuisse matrimonium, eo quod uxor ad assentiendum coacta fuerit, cum primo celebratæ sunt nuptiæ: *admonito prius marito de matrimonii nullitate*. Hoc Pontificis responsum Comitolus, *lib.* 1. *Respons. Moral. quæst.* 120. ac Pontas fuse commemorant, *de matrim. lib.* 4. *cap.* 24. & 25. Postremo Sanchez, *lib.* 2. *de matrim. disp.* 36. cujus auctoritas plurimi facienda est, binas opiniones exponit, quarum prima tuetur haud necessarium esse, ut qui nescierat impedimentum, de ipso certior fiat, cum matrimonium novo consensu confirmandum proponitur; altera vero id necessarium prorsus adfirmat; quam proculdubio magis probabilem idem Sanchez *sub n.* 4. fatetur. Porro id satis est, ut hæc opinio præ ceteris teneatur, cum de Sacramento agitur, juxta proscriptam his verbis ab Innocentio XI. sententiam: *Non est illicitum in conferendis Sacramentis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetat lex, aut conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia tantum probabili utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis sacerdotalis, aut episcopalis.*

70. Ex his duabus opinionibus modo explicatis, de quibus etiam Schmalzgrueberius fusius verba facit, *lib.* 4. *in Decr. tit.* 16. *n.* 60. & *seq.* Sacra Pœnitentiaria tutioribus sententiis adhærere consueta, *Card. Petra in allato opere de Sac. Pœniten. part.* 1. *cap.* 9. *n.* 4. & *seq.* secundam amplexa est, uti constat ex formula, quam hucusque declaravimus. Itaque Sacerdos, qui Pœnitentiariæ diplomata, ac litteras exequitur, eidem sententiæ conformare se debet, quod Sayrus copiose demonstrat *in suo opere quæst.* 8. *prælim. Genet. tom.* 4. *sua Theol. Moral. tract.* 6. *cap.* 11. *quæst.* 14. & *tom.* 5. *Tract.* 9. *cap.* 7. *quæst.* 8.

71. Qui periti sunt moris, & instituti Sacræ Pœnitentiariæ, jam pro certo tenent, ad confirmandum matrimonium

nium requiri novum consensum, & simul ignaro conjugi detegendum impedimentum. Quamobrem rationem, modumque perscrutantur, ne crimen impedimenti causa in lucem proferatur. Ac primum, qui impedimenti conscius est, se ignarum fingat: deinde ostendat, se suspicari, ne ob aliquam causam rite celebratum fuerit matrimonium, ideoque mutuum ultro consensum præstari debere, ut in posterum ab omni solicitudine animi, metuque religionis liberentur.

72. Secundo, qui impedimentum cognitum habet, testimonium ab altero conjuge novi amoris eliciat, ita ut se paratissimum fateatur eodem se matrimonio adstringere, si adhuc in libertate versaretur: tunc novum mutuo consensum exprimant, & sic omnia in tuto collocantur.

73. Tertio, impedimenti conscius libere declaret, haud rite matrimonio consensisse, cum primo celebratum fuit; ideoque oportere consilio confessarii, atque internæ tranquillitatis causa, ut ambo consensum renovent, seque id libenter facturum ostendat. Quod si alter conjux eamdem voluntatem patefaciat, id satis erit, ut novus consensus juxta præscriptam normam elicitus intelligatur.

74. Quarto, si ob gravissimas difficultates nullus alius modus suppetat, tunc maritus impedimenti conscius *accedat ad conjugem insciam impedimenti, & cum ea habeat copulam affectu maritali*; cum enim conjux, quæ impedimentum ignorat, eodem tunc amore permota, ac devincta putetur, id satis pro consensu utriusque conjugis existimatur, ut matrimonium confirmari possit, nec innotescat crimen, ex quo venit impedimentum. Plures, *Navar. part. 1. de dispens. matrim. pag. 60. & pag. 74. Syrus in praxi executionis mandat. Sac. Pœnitent. pag. 126. & seq. M. Paulus Leo part. 2. formul. dispens. matrim. pag. 174. & seq. Giribald. tract. 10. de matrim. cap. 18. §. 5. n. 124. Auctor lib. pro novis Confessar. part. 2. cap. 15. n. 326. & seq.* hanc rationem exhibent: Auctor vero libelli pro instituendis novis Confessariis confecti, id quidem probat, nisi forte conjugem ignarum impedimenti, pœniteret ipsius matrimonii, animumque ab eo prorsus alienum haberet: tunc enim consensus eo modo expressus nullam vim, nullumque pondus assequeretur.

75. M. Paulus Leo, *part. 2. formul. dispens. matrim. pag. 174.* rationem primo loco expositam minime approbat: & quidem merito. Ipse prius affert clausulam Pœnitentiariæ: *Dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, sed ita caute, ut lateris delictum nusquam detegatur*; & inde asserit, quod, *hæc clausula est substantialis, & magni momenti*. Illud etiam superaddit: *Mulier inscia, est certioranda de nullitate prioris consensus, hoc est, certa efficienda: non fit autem certa per verbum illud: suspicor; sed solum titubans: nam certitudo dubitationem omnem excludit*. Idem M. Paulus secundæ rationi neqnaquam subscribit, ob quam conjux ignarus impedimenti, nunquam detegit irritum esse matrimonium, quod tamen necessarium ostendimus: *remanet* (inquit) *in sua ignorantia*.

76. Porro, si Marcus Paulus Leo improbat rationes primo, ac secundo loco positas, nos certe rationem quartam gravissimis difficultatibus implicitam intuemur. Omittimus quæstionem, utrum *per copulam affectu maritali habitam*, renovari consensus intelligatur. Inquirendum est, an id probari possit, cum litteris, seu diplomatibus Sacræ Pœnitentiariæ, quibus adjungitur superius allata clausula, parendum indicitur.

77. Itaque vel *copula affectu maritali* ante dispensationem, vel post dispensationem suscipitur. Primum absonum est; cum impedimenti conscius, neque petere, neque persolvere debitum queat alteri conjugi, licet infamiæ, seu vitæ periculum immineat, uti constat ex cap. *Inquisitione de sentent. excommunic.*: *In primo casu, quando alter conjugum pro certo sciat impedimentum conjugii, propter quod sine mortali peccato non valeat carnale commercium exercere*. Tum Innocentius III. ita statuit: *Debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale*. Idem jus, *in cap. liter. de restit. spoliat.* idem Salmanticenses confirmant, *citato tract. 9. punct. 4. cap. 14.* qui reliquos Theologos unanimes commemorant. Sin autem *copula habetur post obtentam dispensationem*, quo pacto conjux ignarus impedimenti, qui primum matrimonium rite confectum arbitratur, certior factus de eodem impedimento judicabitur, uti jubet Pœnitentiaria illis verbis: *dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata*? Hic quartus modus improbandus non esset, si diplomatibus Pœnitentiariæ satisfacientes, illorum opinionem amplecti possent, qui pro novo consensu haud putant, monendum esse inscium conjugem de impedimento, quod irritum matrimonium constituit. Cum tamen Pœnitentiaria contrariam sequatur sententiam, ideo ab ipsa discedere nequit, qui sacri illius Tribunalis diplomata, ac litteras exequitur.

78. Quamobrem prima, & quarta ratione prætermissa, de secunda, ac tertia verba facienda supersunt. Secundam rejicit M. Paulus Leo, quemadmodum indicavimus; illam tamen probat Sanchez, *de matrim. lib. 2. disp. 36. n. 5.* ob hanc causam, quod licet assensus cum errore, & ignorantia conjungatur, id tamen Theologi, *se habere concomitanter* testantur, neque voluntatis liberum consensum adimere. Pontius ab hac opinione se alienum præbet, & ejusmodi consensum per dolum expressum judicat, *in suo tractat. de matrim. lib. 4. cap. 25. n. 5.* Cum hæc ita sint, modus tertio loco propositus æquitati potius consentaneus videtur. Nam conjux ignarus matrimonium irritum cognoscit, non tamen crimen notum efficitur, ex quo consecutum est impedimentum; neque ullum mendacium admiscetur. Quippe certissimum est, primo matrimonio haud rite traditum fuisse consensum; neque a veritate abhorreret, si impedimenti conscius, affirmaret, primo matrimonio se nequaquam consensisse. Nam verus consensus appellari nequit, qui rite præstitus non fuit. Postremo hanc tertiam rationem unanimes Theologi reliquis omnibus anteponunt, *Sanchez loco cit. sub n. 7. Pontius allato loco n. 5. Syrus Navarr. Marcus Paulus Leo locis cit. Pontas in suo Dictionario ad verb. Matrim. quart. cas. 2.*

79. Priusquam in lucem hæc nostra Institutio prodiret, tenuitatem nostram agnoscentes, viris doctrina præstantibus illam ostendimus, qui judicium ferre possent. Rem sane gravissimam ipsi monuerunt, quid nempe agendum sit, si conjux haud immerito suspicetur, ne alter conjux de irrito matrimonio certior factus, novum consensum dare recuset; solutoque matrimonii vinculo, procreati jam liberi, tanquam spurii habendi sint; impedimentum tum detegi, aliaque mala, atque dissidia certo esse futura: utrum omissa tertia ratione, aliam seligere liceat ex his, quas paulo ante improbavimus, quæ tamen plurimum Scriptorum auctoritatibus corroborantur.

80. Hæc sane facienda plurimi existimamus. Quare respondemus primo, legitimam prolem haberi, cum impedimentum non innotescit, alterque conjugum rite contractum matrimonium arbitratur; illudque coram parocho celebratum fuit: *Pirhing. citat. tit. decret. §. 1. n. 4. & 5.* Deinde prætermittimus pericula omnia, quæ ex secunda, ac tertia ratione prius expositis dimanare queunt, ita ut necessario ad quartam deveniendum esse videretur. Quapropter si gravissimis incommodis tertia ratio, ac modus obnoxius judicetur, ad Majorem Pœnitentiarium confugiendum est eo pacto, quo delegatus, si ob aliquam difficultatem exequi præscriptam legem nequeat, delegantem adire debet, ejusque voluntati, & consilio acquiescere. Quippe Major Pœnitentiarius magnis illis difficultatibus fortasse adductus, aut aliquid de severitate remittet, aut facultates a Pontifice necessarias postulabit, qui, si non agitur de *impedimento erroris personæ*, quod refertur ad jus naturale, sed de aliis impedimentis, quæ a jure scripto decernuntur, non solum auferre de medio potest incommoda, quæ jam secuta ab illo sunt, *in Clementina unica de Immunitate Ecclesiarum*, uti constat quotidiana experientia, cum *in radice matrimonii* legitimam prolem declarat, sed etiam ob consensum naturalem initio præstitum, dispensare potest, si velit, a renovando consensu, quemadmodum apud Indos confirmata fuerunt quædam matrimonia, quæ Pucueles, & Quartarones (sic enim nuncupantur) haud rite iniverant, interposita Clementis XI. auctoritate, qui die 2. Aprilis anno 1705. ob hanc rem Litteras Apostolicas promulgavit. Si vero id spetandum minime videatur, quod nos ipsi difficillimum asserimus, cum solum evenisse certum sit, quoties ex impedimento juris positivi irrita matrimonia confecta fuerant a magna hominum multitudine, non autem a peculiari homine, si, inquam, obtinere id arduum habeatur, & *periculum sit in mora*, si adeundus sit Pœnitentiarius, tunc confessario, & parocho liber ad nos aditus semper patebit, ut nobis patefaciant impendentia pericula, silentio prætereuntes contrahentium nomina. Nos proculdubio divinam opem prius exposcentes, illud consilium dabimus, quod magis rei convenire videbitur. Equidem

dem Genettus, *loco allato* consulendum monet Episcopum, cum ejusmodi difficultates objiciuntur. Continget etiam fortasse, ut rebus omnibus diligenter examinatis, præter quatuor rationes superius expositas, alia deprehendatur, ob quam ignaro conjugi irritum matrimonium declaretur, nec tamen pareat crimen, quod impedimentum induxit, & nulla prorsus incommoda consequantur.

81. Hæc potissimum explicanda duximus, ut confessarii, ac parochi intelligant, antequam libellos supplices offerant Pœnitentiariæ, rem sedulo expendendam, utrum ad illam pertineat, & circumstantias omnes accurato studio investigandas; post hæc litteris suis ad Majorem Pœnitentiarium singula complectantur. Statim ac litteræ, seu diplomata ipsis a Pœnitentiario reddentur, sæpius illa percurrant, ut iis omnibus fideliter satisfaciant, quæ præscribuntur. Id autem peragendum est, dum pœnitentiæ Sacramentum administrant, & postquam consueta verba absolutionis a censuris, & peccatis pronunciarunt. Si res agitur de ineundo matrimonio, his verbis utantur: *Et insuper auctoritate Apostolica, mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento, ut, præfata impedimenta non obstante, matrimonium cum dicta muliere publice, servata forma* Concilii *Tridentini, contrahere, consummare, ac in eo manere licite possis, & valeas. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

Insuper eadem auctoritate Apostolica, prolem, quam ex matrimonio susceperis, legitimam fore nuntio, & declaro. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

82. Si de jam inito matrimonio res est, post consuetam absolutionem a censuris, & peccatis, hæc ita pronuncient: *Et insuper auctoritate Apostolica, mihi specialiter delegata, dispenso tecum super impedimento, ut eo non obstante, matrimonium consummare, & in eo remanere licite possis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

Et pariter eadem auctoritate Apostolica, prolem, si quam suscepisti, & susceperis, legitimam fore decerno, & declaro. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

83. His peractis, litteras, seu diploma dilacerent, si illud indicatur: *laceratis* &c.

Cum majora delictorum capita desumpta sint ex Bulla, die Cœnæ Domini legi solita, ut lectores illa, pœnasque iisdem inflictas cum ipsius Bullæ textu commode conferre possint, eum hic transcribendum duximus ex Constit.
Benedicti XIV. Pastoralis Romani Pontificis 30. *Martii* 1741. *in ejusd. Bullario*
Tom. I. num. xiv. cui Titulus — Litteræ Processus — *publicatæ die*
Cœnæ Domini MDCCXLI.

§. I. EXcommunicamus, & anathematizamus &c. quoscunque Hussitas, Wiclefistas, Lutheranos, Zuinglianos, Calvinistas, Ugonottos, Anabaptistas, Trinitarios, & a Christiana Fide Apostatas, ac omnes, & singulos alios Hæreticos, quocunque nomine censeantur, & cujuscunque sectæ existant, ac eis credentes, eorumque receptores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defensores: ac eorumdem libros, hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate nostra, & Sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quavis causa, publica, vel occulte, quovis ingenio, vel colore: necnon Schismaticos, & eos, qui se a nostra, & Romani Pontificis, pro tempore existentis, obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

De excommunicatione contra hæreticos, eorumque fautores &c. tractat Auctor pag. 139. *col.* 2. 142. *col.* 1. 170. *col.* 2. 205. *col.* 1. 299. *col.* 1. *&* 301. *col.* 1.

De excommunicatione contra legentes, retinentes &c. libros hæreticorum, aliasque prohibitos tractat pag. 181. *col.* 1., *&* 2.

De excommunicatione contra Schismaticos tractat pag. 102. *col.* 2. 270. *col.* 2, 271. *col.* 1.

§. II. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos cujuscunque status, gradus, seu conditionis fuerint: Universitates vero, Collegia, & Capitula, quocunque nomine nuncupentur, interdicimus, ab ordinationibus, seu mandatis Nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium, ad universale futurum Concilium appellantes: necnon eos, quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit.

De hac excommunicatione tractat Auctor pag. 67. *col.* 1.

§. III. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes piratas, cursarios, ac latrunculos maritimos, discurrentes mare nostrum, præcipue a Monte Argentario usque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defensores.

De hac excommunicatione tractat Auctor pag. 241. *col.* 2.

§. IV. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui Christianorum quorumcunque navibus, tempestate, seu in transversum (ut dici solet) jactatis, vel quoquomodo naufragium passis, sive in ipsis navibus, sive ex eisdem ejecta, in mari, vel in littore inventa, cujuscunque generis bona, tam in nostris Tyrrheni, & Adriatici, quam in ceteris cujuscunque maris regionibus, & littoribus surripuerint, itaut nec ob quodcunque privilegium, consuetudinem, aut longissimi, & immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcunque prætextum excusari possint.

De hac excommunic. tractat Auctor pag. 210. *col.* 1.

§. V. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris suis nova pedagia, seu gabellas, præterquam in casibus sibi a jure, seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis, imponunt, vel augent, seu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

De hac excommunic. tractat Auctor pag. 306. *col.* 2.

§. VI. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios Litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac supplicationum, gratiam vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vicecancellarios, seu Gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum: necnon falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, & etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarii, aut Gerentium vices prædictorum.

De hac excommunicatione tractat Auctor pag. 130. *col.* 2. 131. *col.* 1.

§. VII. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sarracenos, & Turcas, & alios Christiani nominis hostes, & inimicos, vel hæreticos per nostras, sive hujus Sanctæ Sedis sententias expresse, & nominatim declaratos, deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipso canape, quam alia quacunque materia, & ipsam materiam, aliaque hujusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant: necnon illos, qui per se, vel alios, de rebus statum christianæ Reipublicæ concernentibus, in Christianorum perniciem, & damnum, ipsos Turcas, & Christianæ Religionis inimicos, necnon hæreticos in damnum catholicæ Religionis certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstant, non obstantibus quibuscunque privilegiis, quibusvis personis, Principibus, & Rebus publicis per Nos, & Sedem prædictam hactenus concessis, de hujusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

De hac excommunicatione tractat Auctor pag. 70. *col.* 1. *&* 213. *col.* 1.

§. VIII. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, seu invadentes eos, qui victualia, seu alia ad usum Romanæ Curiæ necessaria adducunt: ac etiam eos, qui, ne ad Romanam Curiam adducantur, vel afferatur, prohibent, impediunt, seu perturbant: seu hæc facientes defendunt per se, vel per alios, cujuscunque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status, etiamsi pontificali, seu regali, aut alia quavis ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

De hac excommunic. tractat Auctor pag. 61. *col.* 2.

§. IX. Item excommunicamus, & anathematizamus illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem, sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent: necnon illos omnes, qui jurisdictionem ordinariam, vel delegatam a Nobis, vel no-

ſtris iudicibus non habantes, illam ſibi semare vendicantes, ſimilia contra morantes in eadem Curia audent perpetrare.

De hac excommanicatione tractat Auctor pag. 113. col. 1. & 114. col. 1.

§. X. Item excommunicamus, & anathematizamus omues interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientas, ſeu deprædantes romipetas, ſeu peregtinos, ad Urbem, cauſa devotiouis, ſeu peregrinationis, accedentes, & in ea morantes, vel ab ipſa recedentes, & iu eis dantes auxilium, conſilium, vel favorem.

De hac excommunic. tractat Auctor pag. 240. col. a.

§. XI. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes intarficientas, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcatantas, detinentes, vel hoſtiliter inſequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Sediſque Apoſtolicæ Legatos, vel Nuucios, aur eos a ſuis Diœceſibus, Territoriis, Terris, ſeu Dominiis eiicientes: necnon ea mandautes, vei rata habentes, ſeu præſtautes in eis auxilium, conſilium, vel favorem.

De hac excommunicatione tractat Auctor pag. 163. col. 1. 577. col. a. 186. col. a.

§. XII. Item excommunicamus, & anathematizamus omues illos, qui per ſe, vel per alios, perſonas eccleſiaſticas quaſcunque, vel ſeculates, ad Romanam Cutiam ſuper eorum cauſis, & negotiis recurrentes, ac illa in eadem Curia proſequentes, aut procurantes, nagotiorumque geſtores, Advocatos, Procuratores, & Agentes, ſeu etiam Auditores, vel judices ſuper dictis cauſis, vel negotiis deputatos, occaſione cauſarum, vel negotiorum hujuſmodi, occidunt, ſeu quoquomodo percutiunt, & bonis ſpolians: ſeu qui per ſe, vel per alios directe, vel indirecte, delicta hujuſmodi committere, excqui, val procurare, aut in eiſdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare non varensur, cujuſcunque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

De hac excommunic. tractat Auctor pag. 112. col. a.

§. XIII. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes tam eccleſiaſticos, quam ſeculates cujuſcunque dignitatis, qui prætexeutes frivolam quaudam appellationem a gtavamine, vel futura exacutione Litterarum Apoſtolicarum, esiam iu forma Brevis, tam gratiam, quam juſtitiam coucernentium: nacnon citationum, inhibitionum, ſequeſtrorum, monitoriorum, proceſſuum, executorialium, & aliorum dectatorum, a Nobis, & a Sede prædicta, ſeu Legatis, Nuuciis, Præſidentibus, Palatii uoſtri, & Cameræ Apoſtolicæ Auditoribus, Commiſſariis, aliiſque judicibus, & delegatis Apoſtolicis amanatorum, & quæ pro tempore amanaverint; aur alias ad Curias ſeculares, & laicalem potaſtatem recurrunt, & ab ea, iuſtante etiam Fiſci Procuratore, vel Advocato, appellationes hujuſmodi admitti, ac littaras, citationes, inhibitiones, ſequeſtra, monitotia, & alia prædicta capi, & retineri faciunt; quive illa ſimpliciter, vel ſina eorum beneplacito, & conſenſu, vel examine, exequutioni demandari: aus ne tabelliones, & notarii, ſuper hujuſmodi litterarum, & proceſſuum exaquutione, inſtrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cujus intereſt, ttadere debeans, impediuus, vel prohibeut: ac etiam partes, ſeu eorum agentes, conſanguineos, affines, familiares, notarios, exequutores, & ſubexequutotes litterarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum, capiunt, percutiuut, vulnarant, carcerant, detiueut, ex Civitatibus, locis, & Ragnis ejiciunr, bonis ſpoliant, perterraſaciuut, concutiunt, & comminantur per ſe, vel alium, ſeu alias, publice, vel occulte, quiva aliis quibuſcunque perſonis in ganere, vel in ſpecie, ue pro quibuſvis eorum negotiis proſequendis, ſeu gratiis, vel litteris impetrandis, ad Romanam Curiam accedant, aut tacurſum habeant, ſeu gratias ipſas, vel liſteras a dicta Sede impetrent, ſeu impetratis utantur, directe, vel indirecte prohibete, ſtatuare, ſeu mandare, vel alias apud ſe, aut notarios, ſeu tabelliones, vel alias quomodolibet retinere præſumunt.

De excomunicatione contra recurrentes a Litteris Apoſtolicis ad poteſtatem laicam tractat Auctor pag. 176. col. a. 237. col. a.

De excommunicatione contra impedientes illarum executionem pag. 576. col. 1.

De excommunicatione contra prohibentes acceſſum ad Romanam Curiam pro iiſdem litteris impetrandis, aliiſque negotiis pag. 513. col. 2. 175. col. 2.

§. XIV. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoſcunque, qui per ſe, vel per alios, auctoritate propria, ac da facto, quarumcunque exempsionum, vel aliarum gratiarum, & Litterarum Apoſtolicarum pretextu, beneficiales, & dacimarum, ac alias cauſas ſpirituales, & ſpiritualibus aunaxas ah Auditoribus, & commiſſariis noſtris, aliiſque judicibus accleſiaſticis, avocant, illorumque curſum, & audientiam, ac perſonas, capirula, conventus, collegia, cauſas ipſas pruſequi volentas, impediunt, ac ſe de illarum cognitiona, tauquam Judices interponuns, quive partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad revocandum, & tevocari faciendum cisationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas, ad faciendum, vel conſentiaudum, eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, a canſuris, & pœnis in illis contentis abſolvi, per ſtarutum, vel alias compellunt, vel exequutionem Litterarum Apoſtolicatum, ſeu exequutorialium, proceſſuum, ac decretorum prædictorum quomodnlibes impediunt, vel ſuum ad id favorem, conſilinm, aut aſſenſum præſtaus; esiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætenſionum: ſeu etiam donec ipſi ad Nos informandos, ut dicuns, ſupplicaverint, aut ſupplicari fecerint, niſi ſupplicationes hujuſmodi coram Nobis, & Sede Apoſtolica legitime proſequantur; etiamſi talia committeutes fuerint Præſidentes Cancallariarum, Conſiliorum, Parlameutorum, Cancallarii, Vicecancellarii, Conſiliarii ordinarii, vel extraotdinariis, quorumcunque Principum ſecularium, etiam imperiali, regali, ducali, vel alia quacuuque præfulgeanr dignitate; aut Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Commendatariis, ſeu Vicarii fuerint.

De hac excommunicatione tractat Auctor pag. 93. col. 1. pag. 564. col. 1. 173. col. 2. 575. col. s. & 176. col. s.

§. XV. Quive ex eorum prætenſo officio, vel ad inſtantiam partis, aur aliorum quorumcunque, perſonas eccleſiaſticas, capitula, conventus, collegia Eccleſiarum quarumcumque, coram ſe ad ſuum tribunal, audientiam, cancellariam, conſilium, vel parlamentum, præser juris Canonici diſpoſitionem trahuut, vel trahi faciunt, vel procurant directe, vel indirecte, quovis quæſito colore: necnon qui ſtatuta, ordinationes, conſtiſutiones, pragmaticas, ſeu quævis alia dacreta iu ganere, vel in ſpecie, ex quamvis cauſa, & quovis quæſito colore, ac etiam cujuſvis conſuetudinis, aus privilagii, vel alias quomodolibet fecerins, ordinaverinr, & publicaverint, vel factis, & ordinatis uſi fuerinr, unde libertas eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur, val deprimitur, ant alias quovis modo reſtringitur, ſeu Noſtris, & dictæ Sedis, ac quarumcunque Eccleſiarum juribus quomodolibet directe, vel indirecte, tacite, vel expreſſe præjudicatur.

De excommunicatione contra trahentes Eccleſiaſticos ad Tribunal laicum tractat Auctor pag. 114. col. 1. 173. col. 2. 174. col. s.

De excommunicatione contra facientes, vel adhibentes ſtatuta libertatis eccleſiaſticæ læſiva pag. 111. col. s. 170. col. 2. 172. col. 2. 179. col. 1.

§. XVI. Necnon qui Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque ſuperiores, & inſeriores Prælatos, & omnes alios quoſcunque judices ecclaſiaſticos ordinarios quomodolibet hac de cauſa directe, vel indirecte carcerando, vel moleſtando eorum agentes, procuratores, familiares, necnon conſangaineos, & affinas, aut alias impediunt, quominus ſua juriſdictione eccleſiaſtica contra quoſcunque utantur, ſecundum quod Canones, & Sacræ Coſtitutiones eccleſiaſticæ, & Decreta Conciliorum generalium, & præſertim Tridentini, ſtatuunt: ac etiam eos, qui poſt ipſorum Ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcunqua ſententias, & decreta, aus alias fori eccleſiaſtici judicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias ſeculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata esiam pœnalia, Ordinariis, & delagatis prædictis decerni, & contra illos exaqui procurant; eos quoque, qui hæc dacaruunt, & exaquuntur, ſeu dant auxilium, conſilium, patrocinium, & ſavorem eiſdem.

De hac excommunicatione tractat Auctor pag. 67. col. 2. 92. col. a. 93. col. 1. 572. col. 2. 574. col. s. 307. col. 2.

§. XVII. Quive juriſdictiones, ſeu fructus, reditus, & proventus ad Nos, & Sedem Apoſtolicam, & quaſcunque eccleſiaſticas perſonas, ratione Eccleſiatum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum eccleſiaſticorum pertinentes uſurpant, vel etiam quavis occaſione, vel cauſa, ſine Romani

Pon-

Pontificis, vel aliorum legitimam ad id facultatem habentium expressa licentia sequestrant.

De hac excommunicatione tractat Auctor p. 110. *col.* 2. 116. *col.* 1. 117. *col.* 1. 127. *col.* 2. 128. *col.* 2. 167. *col.* 1. 177. *col.* 1. 213. *col.* 2. 276. *col.* 2. 303. *col.* 1. 315. *col.* 2. 316. *col.* 2. 317. *col.* 1.

§. XVIII. Quive collectas, decimas, taleas, præstantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis personis ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, reditibus, & proventibus hujusmodi, absque simili Romani Pontificis speciali, & expressa licentia imponunt, & diversis etiam exquisitis modis exigunt; aut sic imposita, etiam a sponte dantibus, & concedentibus recipiunt: necnon qui per se, vel alios directe, vel indirecte prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi imperiali, aut regali præfulgeant dignitate; seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alii Potentatus quicunque, etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus, & Terris, quoquomodo Præsidentes, Consiliarii, & Senatores, aut quavis etiam pontificali dignitate insigniti: innovantes decreta super his per Sacros Canones, tam in Lateranensi novissime celebrato, quam aliis Conciliis generalibus edita, cum censuris, & pœnis in eis contentis.

De hac excommunicatione tractat Auctor p. 154. *col.* 2. *& seqq.*

§. XIX. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscumque Magistratus, & judices, notarios, scribas, executores, sub-executores, quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas ecclesiasticas, illas processando, bandiendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, & expressa hujus Sanctæ Sedis Apostolicæ licentia: quique hujusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel alias illa perperam abutuntur; etiamsi talia committentes fuerint Consiliarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, Vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

De hac excommunicatione tractat Auctor pag. 174. *col.* 1. *&* 2.

§. XX. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, seu per alios directe, vel indirecte sub quocunque titulo, vel colore invadere, destruere, occupare, & detinere præsumpserint, in totum, vel in partem, Almam Urbem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardiniæ, & Corsicæ, Terras citra Farum, Patrimonium Beati Petri in Tuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venusinum, Sabinensem, Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & Maritimas Provincias, illarumque terras, & loca, ac terras specialis commissionis Arnulforum, Civitatesque Nostras, Bononiam, Cæsenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avenionem, Civitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comachum, & alias Civitates, terras, & loca, vel jura ad jam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæque Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subjecta: necnon supremam jurisdictionem in illis Nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto usurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præsumunt: necnon adhærentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstantes.

De hac excommunic. tractat Auctor p. 266. *col.* 1.

Volentes, præsentes Nostros Processus, ac omnia, & quæcunque his Litteris contenta, quousque alii hujusmodi Processus a Nobis, aut Rom. Pontifice pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri.

Ceterum a prædictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo, cautione præstita, absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum, quibuscunque personis ecclesiasticis, sæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum Regularibus, etiam episcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipsisque Ordinibus, & eorum monasteriis, conventibus, & domibus, ac capitulis, collegiis, confraternitatibus, congregationibus, hospitalibus, & locis piis, necnon laicis, etiam imperiali, regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cujusvis Conciliis decreta, verbo, litteris, aut alia quacunque scriptura in genere, vel in specie concessorum, & innovatorum, aut concedendorum, & innovandorum.

De hac prohibitione tractat auctor pag. 12. *col.* 2. 21. *col.* 2. 24. *col.* 2. 25. *col.* 1. 26. *col.* 2. 50. *col.* 2. 51. *col.* 1. *&* 2. 139. *col.* 2. 319. *col.* 2.

Quod si forte aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui, absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, gravius contra eos spiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus, processuri.

De hac excommunic. tractat Auctor pag. 50. *col.* 2. *&* 51. *col.* 1.

Declarantes, ac protestantes, quamcunque absolutionem, etiam solemniter per Nos faciendam, prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi prius a præmissis cum vero proposito ulterius similia non committendi, destiterint, ac quoad eos, qui contra ecclesiasticam libertatem, ut præfertur, statuta fecerint, nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, & decreta hujusmodi publice revocaverint; & ex archivis, seu capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, & cassari, ac Nos de revocatione hujusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per hujusmodi absolutionem, aut quoscunque alios actus contrarios, tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam Nostram, vel Successorum Nostrorum quantocunque tempore continuatam, in præmissis omnibus, & singulis, ac quibuscunque juribus Sedi Apostol., ac S. R. E. undecunque, & quandocunque quæsitis, vel quærendis, nullatenus præjudicari posse, aut debere.

Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, indultis, & litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis, cujuscunque Ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, præeminentiæ fuerint: etiamsi, ut præfertur, pontificali, imperiali, regali, seu quavis ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus, seu locis a prædicta Sede, ex quavis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & sub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis concessis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint per Litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, & indultis hujusmodi, ac de Ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum mentionem: necnon consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcunque longissimis, & aliis quibuslibet observantiis, scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos Nostros Processus, ac sententias, quominus includantur in eis, se juvare valeant, vel tueri: quæ omnia, quoad hoc, eorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur, præsentibus pro expressis habentes, penitus tollimus, & omnino revocamus &c.

De hac derogatione agitur pag. 21. *col.* 2. 24. *col.* 2. *& locis cit. supra post §. Ceterum.*

Ut vero præsentes Nostri Processus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, &c. Universis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis, & Prælatis, ubilibet constitutis, hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ directe præcipiendo, mandamus, ut per se, vel alium, seu alios, præsentes Litteras, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries, in Ecclesiis suis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenerit, solemniter publicent, & ad Christifidelium mentes reducant, nuncient, & declarent.

Ceterum Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, aliique locorum Ordinarii, & Ecclesiarum Prælati, necnon Rectores, ceterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri seculares, & quorumvis Ordinum Regulares, ad audiendas peccatorum confessiones quavis auctoritate deputati, transumptum præsentium Litterarum penes se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant. Volentes earumdem præsentium transumptis &c.

INDEX

INDEX.

CAPITUM PRIMÆ PARTIS.

De Pœnarum latæ sententiæ natura; earumque excusatione, cessatione, absolutione, dispensatione, & suspensione.

CAP. I. *Quæ, & quotuplex sit pœna ecclesiastica.* Pag. 1
II. *An pœnitentia sit pœna ecclesiastica.* 2
III. *Quid sit pœna latæ sententiæ.* 3
IV. *An præceptum sub pœna latæ sententiæ significet obligationem sub mortali ad rem præceptam.* ibid.
V. *An pœna latæ sententiæ habeat locum etiam pro actibus internis, vel externis occultis, vel ante declaratoriam.* ibid.
VI. *An pœna latæ sententiæ, secuta sententia declaratoria, retrotrahatur.* 4
VII. *An pœna latæ sententiæ, commissa etiam ante declaratoriam, possit, vel debeat exequi ab iis, ad quos pertinet.* 5
VIII. *An pœna latæ sententiæ requirat actum consummatum, & an multiplicetur actuum, seu transgressionum multiplicatione.* 6
IX. *An pœna latæ sententiæ extendatur ex identitate rationis de casu ad casum.* 8
X. *An pœna latæ sententiæ contra committentem aliquod delictum extendatur contra cooperantes eidem.* ibid.
XI. *An pœna latæ sententiæ commissa ante declaratoriam, transeat in hæredes passive, vel active.* ibid.
XII. *An pœna latæ sententiæ legis antiquæ cesset per pœnam legis novæ, aut ambæ concurrant.* 9
XIII. *An pœnæ latæ sententiæ commissæ, purgatione moræ, pœnitentia, spontanea confessione, vel deprecatione tollantur, vel minuantur.* ibid.
XIV. *An pœnam latæ sententiæ incurrat ante finem termini, qui culpabiliter se arctavit, ut implere præceptum non possit intra terminum assignatum.* 10
XV. *An ignorantia juris, vel facti excuset a pœnis latæ sententiæ committendis, in totum, vel ex parte.* ibid.
XVI. *An in dubio juris, vel facti, pœna latæ sententiæ commissa censeatur.* 11
XVII. *An pueri, vel minores excusentur a pœnis latæ sententiæ.* 13
XVIII. *An metu gravi compulsus delictum committere, excusetur a pœnis latæ sententiæ.* ibid.
XIX. *An furor, vel dementia superveniens, a pœnis latæ sententiæ jam commissis excuset.* 14
XX. *Dispensatio, & absolutio a pœnis ecclesiasticis latæ sententiæ in quibus differant, vel conveniant.* 15
XXI. *Quando criminum, & pœnarum latæ sententiæ commissio dicenda sit publica, vel occulta, quoad facultates absolvendi, & dispensandi.* 17
XXII. *De differentia dispensationum, & absolutionum fori interni, & externi.* 18
XXIII. *Quis, & ex quibus causis dispensare possit super irregularitatibus, & suspensionibus pœnalibus, & aliis pœnis ecclesiasticis latæ sententiæ.* 20
XXIV. *Quis absolvere possit a censuris ecclesiasticis latæ sententiæ.* 22
XXV. *De suspensione pœnarum ecclesiasticarum latæ sententiæ a Judice facta, vel a creditore, vel a reo per appellationem.* 27
XXVI. *An pœna latæ sententiæ commissa, cesset temporis cursu, vel mutatione loci, seu fori.* 28

De diversis speciebus pœnarum ecclesiasticarum.

XXVII. *De depositione verbali latæ sententiæ.* 31
XXVIII. *De pœna ecclesiastica privationis officiarum, bonorum, graduum, & dignitatum, & inhabilitatis ad illa.* 33
XXIX. *De pœna latæ sententiæ privationis vocis activæ, & passivæ, & inhabilitatis ad illam.* 34
XXX. *De pœna latæ sententiæ privationis beneficiorum, & inhabilitatis ad illa.* 35
XXXI. *De pœna privationis pensionum ecclesiasticarum, vel inhabilitatis ad illas.* 36
XXXII. *De pœna privationis fructuum percipiendarum ex beneficiis, vel pensionibus ecclesiasticis latæ sententiæ.* 37
XXXIII. *Pœna infamiæ juris qualiter incurratur.* 38
XXXIV. *Pœna infamiæ juris qualiter tollatur.* 40
XXXV. *De pœna irritationis actorum latæ sententiæ.* 41
XXXVI. *De pœna confiscationis, seu privationis bonorum temporalium latæ sententiæ.* 42
XXXVII. *De aliis pœnis pecuniariis latæ sententiæ.* ibid.
XXXVIII. *De pœna Banni latæ sententiæ.* ibid.
XXXIX. *De pœna intestabilitatis latæ sententiæ.* 43
XL. *De pœna, qua Civitas ipso jure privatur pontificali, seu episcopali dignitate.* ibid.
XLI. *De pœna privationis ecclesiasticæ sepulturæ latæ sententiæ.* 44
XLII. *De pœna maledictionis, seu indignationis Dei, & Sanctorum, vel Summi Pontificis.* ibid.
XLIII. *De pœna excommunicationis, suspensionis, interdicti, & irregularitatis latæ sententiæ.* 45

Index secundæ partis quæ incipit pag: 46: nondum ut factus apparet tamen quamvis non clude in indice sequenti verum pagina reuenti

INDEX RERUM

Numerus arabicus paginam indicat,

Littera *a* columnam primam, littera *b* secundam significat.

A

ABBAS exercens pontificalia in aliena diœcesi, incurrit suspensionem. 228. *a*. Alienans res Ecclesiæ, quas pœnas incurrat. 55. *a* * *Si est vere Nullius, potest alienare res modici valoris*. 55. *b*. * *Neque consecrare Calices, neque campanas benedicere pro servitio alienæ Ecclesiæ*. 109. *b*. *Neque consecrare Ecclesias proprias, neque altaria*, ib. * *Quasi episcopalem jurisdictionem habens, sub quibus pœnis teneatur visitare limina Apostolorum*. 183. *b*. *In ejus promotione jurare debet hanc visitationem se facturum*, ibid. *Et in quos maneat*, ibid. * *Debet eligere Metropolitanum saltem vicinum*. 296. *b* *Abbas* quoad dimissorias, vide DIMISSORIAS ABBAS. * *Nequit conferre ordines minores, nec primam tonsuram subditis non suis, tam secularibus, quam regularibus, etiam cum dimissoriis suorum Ordinariorum, & Superiorum*. 231. *b*. *Et ordinatio est nulla*, ibid. Pœna contrafacientis, *ibid*. Item si renunciavit dignitati. 232. *b*. * *Sed tu adverte notata pag*. 231. *b*. Benedictio *Abbatis* non pertinet ad substantiam, sed ad solemnitatem. 235. *b*. Verum præcisa consuetudine, nondum benedictus, nequit valide Ordines conferre, *ibid*.

* ABBAS REGULARIS *etiam ratione solius administrationis, tenetur suscipere benedictionem ab Episcopo diœcesano, vel saltem ter petere, sub pœna suspensionis ipso facto ab officio per annum*. 46. *a*. *Semel benedictus, non tenetur iterum benedici, neque petere, licet ad aliud monasterium sit translatus*, ibid. *Qui Abbates ab hoc onere eximantur*, ibid. *In illius benedictione prohibetur Episcopus sub pœna interdicti per annum ab usu pontificalium aliquid accipere tam ante, quam post, etiam comestibilium, & sumptus augere, etiam prandii*, ibid. *Idem prohibetur ejus officialibus*, ib.

* ABBATISSA *ex quibus capitibus eligi nequeat*. 309. *b*. Ejus ætas, *ibid*. Ejus virginitas, 310. *a*. Ejus duratio, *ibid*. Nequit eligi, si sit illegitima. 250. *b*. Et an eligi possit non virgo. 310. *a*. Ipsius electionem turbantis pœna. 123. *b*. Debet fieri per secreta suffragia. 124. *b*. An in ejus electione committi possit simonia. 281. *a*. * Huic interesse potest Episcopus, vel per se, vel per alium, absque ulla impensa monasterii. 124. *a*. Etiamsi sint moniales exemptæ, & cum quibus limitationibus. 204. *a* * *Abbatissa* monialium exemptarum non debet confirmari ab Episcopo, *ibid*. Ejus pœna non monentis Episcopum de imminenti tempore professionis novitiæ. 202. *b*. 203. *a*. Non est subjectum capax censuræ suspensionis, *ibid*. An illius suspensio ab officio statim obliget in conscientia, *ibid*. Ipso facto privatur officio, si absque causa intra annum a suæ confirmationis tempore non recipit benedictionem, ubi mos est. 46. *a*. An hanc pœnam incurrat ante declaratoriam, *ibid*. *Abbatissa* temporalis non est benedicenda, nisi id introductum sit privilegio, vel consuetudine, *ibid*. Non habet jurisdictionem ecclesiasticam, sed potestatem œconomicam. 150. *b*. 203. *a*. An possit ferre suspensionem proprie dictam, *ibid*. Quando veniat nomine monialis. 204. *a*. * *Abbatissa Urbis Romæ quando incurrat suspensionem ab officio, Papæ reservatam*. *ibid*. *b*.

ABJURATIO facta ob hæresim formalem, etiam absolutione obtenta, numquam habilitat sacerdotem ad audiendam confessionem secularium. 142. *a*. 143. *a*. Ad quæ alia sic abjurans reddatur inhabilis, *ibid*.

ABLATIVUM absolutum non importat conditionem, seu formam essentialem, quando exprimit, quod tacite inerat de jure communi. 227. *a*.

ABORTUM fœtus animati procurans, vel causans, effectu secuto, incurrit excommunicationem reservatam locorum Ordinariis. 46. *a*. An ab ea absolvere possint Prælati, quasi episcopalem jurisdictionem habentes, & privilegium habentes absolvendi a quibuscunque censuris, etiam Papæ reservatis, *ibid*. Effectu secuto, quæ pœnæ, & quando incurrantur, 46. *a*, & *b*. Numquam licet procurare, etiam fœto non animato. 47. *a* * *Propositiones circa id proscriptæ, & pœnæ in illas docentes*, 47. *b*. *Abortui* cooperans, incurrit irregularitatem. 8. *b*. Et an etiam in dubio facti. 12. *a*, & *b*. * *Et quid in dubio, si secutus sit ex consilio*, ibid. *In praxi, qualecunque sit dubium, semper petenda est dispensatio*, ibidem. Si sit certo secutus, quando dispensari possit irregularitas inde contracta. 15. *a*. Pro hac dispensatione obtinenda debet exprimi, an fœtus sit a se genitus. 47. *b*. * *Si sit a Presbytero perpetratus, quomodo committatur confessario ejus absolutio a S. Pœnitentiaria*. 165 *b*.

ABSENS quando, & quomodo excommunicari, & suspendi possit. 85. *b*. 86. *a*. *Absenti* pro foro externo dari potest dispensatio, & absolutio a censuris. 19. *b*. Non sic in foro conscientiæ, *ibid*. Multo minus a peccatis. 266. *b* * *Intellectus decreti id prohibentis*, ibid.

ABSENTIA curam animarum habentium, & choro addictorum, vide RESIDENTIA. *Absentia* modica quæ dicatur. 257. *b*. * *Absentia trium mensium indulta a Conc. Tridentino, quomodo intelligenda*, ibid. *Qualiter usi possit obligatus ad residentiam*, ibid. *Absens* Episcopus, quos fructus retinere possit. 258. *a*. & vide RESIDENTIAM EPISCOPI. *Absentia* Parochi, vide RESIDENTIAM PAROCHI.

* ABSOLUTIO *a venialibus, & mortalibus aliàs absolutis nequit dari a simplici sacerdote non approbato*. 24. *b*. 23. *a*. 49. *a*. Neque ab excommunicatione minori. 21. *b*. 23. *a*. 87. *b*. Neque a quibuscunque peccatis ab approbato in absentia pœnitentis, & neque per litteras. 266. *b*. Quando, & quomodo dari possit a peccatis, & censuris etiam reservatis a simplici sacerdote. 25. *a*. In sacramentali confessione quando, & a quo dari possit extra territorium. 16. *a*. *b* * *Et vide limitationem*, ibid. *Absolutionis* facultas apposita in Bullis cum clausula — a censuris, & pœnis ecclesiasticis — se extendit ad solas censuras, privantes bonis spiritualibus, & non ad dispensationem. 2. *a*. & *b*. 2. *a*. *Absolutio* a censuris, & casibus reservatis, vide RESERVATIO CASUUM. A censuris Papæ reservatis, etiam non occultis, quando dari possit ab Episcopo, & quibus 23. *a*, & *seq*. An etiam ab aliis Prælatis. 24. *a*. An impeditus accedere ad Sedem Apostolicam pro absolutione, teneatur recurrere per litteras. 24. *b*. A quibus casibus papalibus dari nequeat *absolutio* ab Episcopo. 24. *b*. Dari potest ipsi Episcopo per deputatum a se, ab omnibus illis casibus, a quibus ipse *absolutionem* dare potest suis subditis, *ibid*. *Absolutio* a suspensione a quo dari possit. 23. *a*. Item ab interdicto. *ibid*. Item a censuris ab homine latis de præsenti, & quomodo detur a S. Pœnitentiaria. 25. *b* * *Et ibi nota exceptionem de delegato Papæ excommunicante*. Item a censuris ab homine latis de futuro, *ibid*. Item a censuris latis per sententiam generalem pro præcedenti culpa. *ibid*. Item a latis pro futuris delictis. 26. *a*. Data a censuris cum reincidentia, vide REINCIDENTIA. *Absolutionem* a censuris, & pœnis, vel illarum revocationem extorquentis pœna. 93. *a*. Item pro ea obtinenda jurisdictione laica compellentis. 175. *b*. * *Absolutio* data a confessario bona fide, elapso termino facultatis audiendi confessiones, an sit valida. 206. *b*. *Absolutionis* solemnis forma. 19. *b*. *Absolutione* unica indiget ligatus pluribus censuris, si sint latæ ab eodem superiore, secus, si a diversis, licet censura sit una. 8. *a*. *Absolutio* a censuris latæ sententiæ in quibus differat a dispensatione. 15, & 16. A censura, & interdicto aliquando datur invito. 15. *a*. A censuris etiam pro foro externo dari potest subditis etiam ratione quasi domicilii, vel vagationis. 15. *b*, & etiam peregrinationis, dummodo non sit assumpta in fraudem, 16. *a*. *Absolutio* data a censuris, & casibus reservatis sine facultate. 50. & *seq*. data a religioso a culpa, & pœna. 160. *b*. Quando sit danda invito, & impœnitenti. 15. *a*. Obtenta per subreptionem, an sit valida. 236. *b*. Eam dari posse in absentia asserentis, imprimentis, & ad praxim deducentis pœna. 266. *b*. *Absolutio* nullam causam requirit. 15. *a*. A casibus publicis, & occultis quando data esse dicatur 17. & *seq*. Data in foro interno, & externo in quo differat. 20. *b* & *seq*. A censuris, & pœnis ecclesiasticis a quo dari possit. 22. *b*. & *seq*. * *Absolutionem a censuris an reservare possint superiores Regularium*. 26. & *seq*. A censuris data, an, & qualiter rescindi possit, & reintrusio fieri in eandem censuram propter subreptionem absolutionis obtentæ. 135. *b*, & *seq*. Quando dari possit ei, qui non potest restituere, seu satisfacere, etiamsi canon ante restitutionem absolvi prohibeat. 209. *b*. *Absolutio* a censuris an possit denegari. 15. *a*. 100. *b*. Illius facultas an contineatur in generali mandato. 15. *b*. Semel concessa, non potest revocari, *ibid*. An censeatur data a Papa per ipsius litteras excommunicato directas, per salutationem, vel per concessionem sepulturæ. 44. *b*. *Absolutio* cui subdito dari possit. 15. *b*. 26. *a*. *Absolutio* generalis in Litteris Apostolicis non suffragatur multis insordescentibus. 27. *b*. 165. *b*. Item eadem a censuris quid operetur, & an Episcopos dare possit hanc *absolutionem*. 27. *a*. & *b*. An *absolutionem* dare possit Romæ, qui tulit sententiam censuræ. 26. *b*. A censuris dari debet secreto, nec testimonium confessarii in scriptis suffragatur in foro externo. 19. *a*. Posset tamen mitti ad Ordinarium, et possit, si velit, illud acceptare, *ib*. *Absolutio* commissa a S. Pœnitentiaria Ordinario in foro conscientiæ tantum, nequit fieri publice, *ibid*. Commissa confessario, nequit dari extra forum sacramentale, *ibid*. Potest dari absenti pro foro externo, *ibid*. *b*. Quæ solemnitas adhibenda in absolutione a censuris in foro conscientiæ. 19. *b*. Quando danda cum protestatione. 20. *b*. Ad cautelam quando, & quomodo danda, *ibid*.

ABSOLVENS a censuris, & casibus reservatis sine facultate quam pœnam incurrat. 50. *b*. & *seq*. Item *absolvens* non solventem decimas. 116. *a*. Item *absolvens* sacramentaliter ligatum censura excommunicationis, suspensionis, & interdicti. 88. *a*, & *seq*. Item excommunicatum a culpa ante absolutionem a censuris. 52. *a*. Item sacramentaliter *absolvens*, non obstante interdicto, vel cessatione a divinis. *ibid*. Item incendiarium, vel violatorem Ecclesiarum, non servata forma juris. 258. *b*. Item *absolvens* sacramentaliter non sacerdos sive clericus, sive laicus, & fit irregularis. 237. *a*. 47. *b*. Est vehementer suspectus de hæresi, *ibid*. Incurrit pœnas, etiamsi sit minor xxv. annis, *ibid*. * *Etiamsi audiat tantum confessionem, & non absolvat*, 48. *a*. Item pœnæ sacerdotis non approbati *absolventis*. ib. & *seq*. Item *absolventis* excommunicatum a Papa. 88. *a*. * *Item absolventis complicem delicti contra sextum præceptum*. 52. *b*.

ABSOLUTUS a censuris, non est dispensatus ab irregularitate. 1. *b*. *Absolutus* ab una censura, non remanet *absolutus* ab aliis, etiam ejusdem speciei, si non fuerit facta mentio de omnibus. 8. *a*. *Absolutus* pro foro interno, non dicitur *absolutus* pro externo. 18. *b*. Et potest declarari excommunicatus ab Ordinario, ac insuper irregularis, si celebravit, *ibid*. Potest tamen Ordinarius, si velit acceptare dictam absolutionem, etiam pro foro externo, dummodo non procederet ad instantiam partis. 29. *a*. Et quid, si absolutus fuit vigore Cruciatæ, *ibid*.

ABSTINEAT ab officio, an sit censura suspensionis, & latæ sententiæ. 158. *b*.

ABUSUS laicæ potestatis pro beneficiis obtinendis sub qua pœna prohibitus, 80, *b*.

ALCEPTIO personarum quando committatur in dispensatione concedenda. 63. *a* & *b*.

ACCESSISSE in favorabilibus dicitur etiam qui non pervenit, secus in odiosis. 240. *b*.

ACCESSUS, ET REGRESSUS in beneficiis sub qua pena prohibiti. 281. *b*, & *seq.*

* ACCUSANS *falso confessarium de solicitatione, vel procurans, ut falso ab aliis accusetur, nequit absolvi nisi a Papa*. 53. *a*.

ACCUSATOR prævaricans, & tergiversans, quam pœnam incurrat. 53. *a*, & *b*. *Accusatoris*, vel delatoris calumnia quam pœnam inducat. 53. *a*.

ACTA gesta ab eo, qui privatus est officio, quando valida, & quando non, vel cassanda. 4. *b*, & *seq.* Gesta a dispensato, vel absoluto, antequam ei nota esset dispensatio, vel absolutio, sunt valida. 16. *b*. *Acta* superioris tunc incipiunt esse nulla, cum cessat titulus celebratus ob privationis notorietatem. 34. *a*. Secus quando privatio est occulta, *ib.* *Acta* a beneficiato, qui est beneficio privatus, quando rescindantur. 35. *b*. *Acta* jurisdictionalia excommunicati non vitandi valent. 86. *b*. 87. *a*. Quando valeant, etiamsi sit vitandus, *ibid.* *Actorum* irritatio, vide IRRITATIO.

ACTUS internus quando puniri possit, & quando dicendus sit externus. 3. *b*, & 4. *a*. Externus qui dicatur. 3. *b*. *Actus* consummatus requiritur ad incurrendam pœnam latæ sententiæ, & qui casus excipiantur. 6. *a*, & *b*. *Actus* publici seu jurisdictionis ante declaratoriam non sunt irriti. 5. *a*. Item non evadunt irriti per delationem criminis ad forum, dummodo factum non sit notorium. 4. & *seq.* Validi sunt etiam post declaratoriam, si reus appellavit. 5. *a*. *Actus* internus facilius excusatur ob subreptionem, quam externus. 12. *a*. Internus punitur ob actum externum. 3. *b*. 4. *a*. 215. *a*. *Actus* irritus an inducat pœnam. 30. *b*. 281. *a*. *Actuum*, seu transgressionum multiplicatio quando inducat multiplicitatem pœnæ latæ sententiæ. 6. *b*, & *seq.*

ADVENA delinquens, quando, & a quo puniri possit. 30. *b*, & *seq.*

ADULTER quando fiat irregularis, si ipsius causa maritus occidat uxorem. 53. *b*. * *Item quando clericus, vel sacerdos, ibid.* *Adulter* clericus quando privetur privilegio clericali, *ibid.* *Adulter* conjux privatur jure petendi debitum 53. *b*. Non tamen in foro conscientiæ. 54. *a*. Quando hæc pœna ei remittetur, *ibid.* Adulteri paciscentes de contrahendo matrimonio post mortem conjugis, incurrunt impedimentum dirimens, *ibid.* * *Propositio proscripta circa adulterium, ibid.*

ADULTERA quas pœnas incurrat, & an ante declaratoriam. 54. *a*. Supponens marito partum adulterinum, tenetur ad restitutionem, & cui. 53. *b*.

ADULTERII pœnæ. 53. *b*. Est crimen mixti fori, *ibid.* & quando ecclesiastici dumtaxat, *ibid.* De eo damnatus sive clericus, sive laicus, est infamis, & irregularis, *ibid.* Quis dispensare possit ab hac infamia. *ibid.* *Adulterium* quando est causa divortii, 54. *a*. Cum promissione matrimonii causet impedimentum dirimens, *ibid.*

ADVOCATUS prævaricans, quam pœnam incurrat. 53. *a*. Revelans secreta parti adversæ, quando fiat infamis, *ibid.*

ÆQUITES S. Joannis Hierosolymitani delinquentes extra clausura, puniri possunt a locorum Ordinariis. 252. *a*.

ÆRE ALIENO gravatus ad Religionem, vel clericatum admittentis pœna. 215. *a*, & *b*. Item gravantis *ære alieno* Ecclesiam, vel beneficium. 214. *b*.

* ÆTAS *minor an excuset a pœnis blasphemiæ*. 83. *a*. *Ætas* requisita ad Ordines. 285. *b*, & *seq.* Ante eam illos recipientis, & conferentis pœna, *ibid.* Item ad episcopatum, & dignitatem. 122. *b*.

AFFINES in odiosis non veniunt nomine consanguineorum. 299. *b*.

AGNUS DEI cereos consecratos pingentis, aut miniantis, ac vendentis pœna. 54. *b*. Eos non pictos vendens, peccat mortaliter ob simoniam, *ibid.*

AGRORUM DEPOPULATOR quis dicatur. 217. *a*. Non gaudet immunitate, seu asylo sacro, *ibid.* * *Etiamsi sit diurnus, ibid.* Quando incurrat etiam excommunicationem, *ibid.*

ALBANENSES GRÆCI, vide GRÆCI.

ALCHIMIA sub qua pœna interdicta. 130. *a*.

ALEÆ LUSUS sub qua pœna prohibitus, & pœna lusores receptantium. 185. *a*, & *b*.

ALIENATIO bonorum ecclesiasticorum, non servata forma, quas olim pœnas inducebat, & quas hodie. 54. *b*, & *seq.* Ad eas incurrendas requiritur temeritas, & dolus, 55. *a*. Præter bona, quid aliud prohibitum sit alienare. 54. *b*. 55. *a*. Quæ bona *alienari* prohibeantur, *ibid.* Male *alienata* an possint recuperari ab ipsomet Prælato alienante una cum fructibus. 55. *a*. * *Alienationis contractus bona fide celebratus, non est ipso jure nullus, sed annullandus, ibid.* *Alienata* recipientes subjiciuntur iisdem pœnis. *ibid.* Qui sint casus a jure permissi, in quibus fieri possit *alienatio* sine solemnitate, 55. *b*. 56. *a*. *Alienatio* modici valoris quam summam requirat, 55. *a*. Quando neque hæc fieri possit. *ibid.* * *Non potest fieri diversis vicibus, si res sit magni valoris. ibid.* * *Si est modici valoris, facultas alienandi competit nedum Episcopo, sed etiam Abbati vere Nullius*, * *Non tamen superioribus Regularium, ibid.* *Alienationis* nomine venit quilibet actus, quo dominium transfertur. 56. *a*. Res relicta Ecclesiæ alienari nequit, licet id permiserit Testator, *ibid.* Facta sine beneplacito Apostolico favet Ecclesiæ, non emptori; qui cogi potest, ut stet contractui post obtentum beneplacitum, *ibid.* * *Sub nomine alienationis venit etiam assignatio, seu venditio fructus beneficii ad vitam beneficiati, ibid.* *Alienationi* in detrimentum Ecclesiæ auctoritatem præstantis, & illam fieri procurantis pœna, & ad quid teneatur. 56. *b*. Decretum delegati super *alienatione* facta, non servata forma, quando possit ab eo reformari, *ibid.* beneplacitum Apostolicum obtentum post rei *alienatæ* traditionem, est subreptitium, *ibid.* In *alienationis* commissione quomodo se gerere debeat commissarius, *ibid.* *Alienationem* locorum jurisdictionalium Ecclesiæ Romanæ procurantis, illamque Papæ consulentis pœnæ. 57. *a*. Item pœna *alienantis* loca jurisdictionalia Ecclesiarum, & piorum locorum, *ibid.* Et ubi locum habeat prohibitio, *ibid.* Item pœna *alienantis*, vel obligantis bona communitatum, vel universitatum Status temporalis Ecclesiæ Romanæ. 58. *a*, & *b*. Et quid veniat sub hujus *alienationis* nomine, *ibid.* *Alienans* ad quid teneatur, *ibid.* *Alienatio* in forenses bonorum stabilium, & jurisdictionalium, sive allodialium in Statu Sedis Apostolicæ sine ejus licentia, sub quibus pœnis prohibita. 58. *b*. 59. *a*. Ad quæ loca se extendat prohibitio, *ibid.* Qui contractus comprehendantur. *ibid.* Forensis nomine qui veniat. 59. *a*. *Alienatio* juris exemptionis facta a Regularibus, vel aliis exemptis. 177. *a*, & *b*. Item bonorum oneri missarum subjectorum, & pœnæ *alienatorum* pretium non reinvestientium cum hujusmodi oneris mentione. 197. *b*. Item pœna *alienantis* dominium directum, subjicienda laicis bona ecclesiastica. 316. *b*. 317. *a*. Item *alienationis* periculo bona suæ Ecclesiæ, seu beneficii subjicientis, illa onerando ære alieno. 214. *b*. *Alienatio* bonorum ecclesiarum an inducat pœnas contra usurpantes, vel impedientes latas. 315. *b*, & *seq.* *Alienatio* an dicatur repudiatio legati, vel hæreditatis. 316. *a*. An Extravagans AMBITIOSÆ, prohibens alienationem, sit ubique recepta. 55. *b*. *Alienatio* bonorum ad Regulares spectantium sub qua pœna, præter inflictam a dicta Extravaganti, prohibeatur. 57. *b*. In quorum bonorum *alienatione* pœna locum habeat, *ibid.* Ab ipsis Regularibus facta prætextu privilegiorum, sub quibus pœnis prohibita, *ibid.* & 58. *a*. A quo super his dispensari possint, 58. *a*. Qui contractus veniant nomine *alienationis*. 54. *b*. 55. *a*. 58. *a*.

ALIENATIO bonorum facta a reo post commissam pœnam amissionis, est invalida, & illicita etiam ante declaratoriam. 4. *b*.

* ALIMENTA *ejecto religioso non debentur a Religione*. 254. *b*. 255. *a*.

ALIQUID, an contineat modicum. 84. *a*.

ALLOCUTIO cum monialibus, vide MONIALES.

ALTARIS CONSECRATIO, vide CONSECRATIO.

ALTERNATIVA dictio — *aut*, vel *seu* — posita post genus, resolvitur in expositivam. 96. *b*.

AMBASCIATOR, vide LEGATUS.

AMBITIOSA DECRETA quæ dicantur. 34. *b*.

AMBITIOSUM aliqentis pœna. 61. *a*.

AMBITUS quid. 59. *a*. In electione, & quando illicitus pro obtinenda dignitate, *ibid.* Qui tractatus prohibiti, & sub quibus pœnis, *ibid.* *Ambitus* quoad pœnas non habet locum, quando agitur cum Principe supremo, *ibid.* Ad papatum, vivente Papa, sub qua pœna, & quæ pactiones, & tractatus prohibeantur; & item sede vacante. 59. *b*. 60. *a*. Item *ambitus* Nunciorum procurantium favores Principum ad obtinendas dignitates a Sede Apostolica. 60. *a*. Item *ambitus*, & subornatio in electione Regularium, 60. *b*. An pœnæ obligent ante declaratoriam, *ibid.* Item *ambitus* procurantis donis, vel pollicitationibus favores personarum pro obtinenda gratia, vel justitia a Sede Apostolica. 288. *b*, & *seq.* Item dantium, vel promittentium de bonis communitatum Ecclesiæ Romanæ pro gratia, vel justitia. 207. *a*. Item procurantis præsentationem, vel provisionem beneficii. 60. *b*. Item obtinentis beneficia per abusum laicæ potestatis. 80. *b*. Item illam procurantis, antequam vacent in casu vacationis. 60. *b*. Item Patroni præsentantis se ipsum, vel procuratoris sibi resignantis. 61. *a*.

AMITTANT, an sit canon latæ sententiæ. 145. *a*. 305. *b*.

* AMOR ERGA DEUM *an necessarius in attritione*. 73. *b*. *Propositiones proscriptæ circa Amorem, vel dilectionem Dei, ibid.*

ANATHEMATIS solemnis forma. 186. *b*.

ANATHEMA SIT, an significet excommunicationem latæ sententiæ, 298. *b*. 315. *b*. *Anathemati* subjicere quid importet. 201. *b*. 202. *a*.

* ANIMALIA *decipientes, & abducentes e Statu ecclesiastico, eorum recipientes, emptores, & commutantes, quam pœnam incurrant*. 61. *b*. Item illa extrahentes de eodem Statu. 61. *b*. 62. *a*.

ANIMARUM CURAM habentes, an omnes promoveri debeant ad sacerdotium. 77. *b*. 78. *a*.

ANNALIA quoad fructus vacantium beneficiorum. 304. *a*, & *b*.

ANNALIS, seu regula de *annali* possessione, non convalidat titulum in foro conscientiæ. 36. *a*.

* ANNATAS, *communia, & quindennia de beneficiis, debito tempore Cameræ Apostolicæ non solventium pœna*. 61. *a*. *Illarum justitia vera, ibid. b*.

* ANNATA *media ex quibus beneficiis solvenda*. 304. *b*. 305. *a*. *Cui applicanda, & quomodo, ac apud quem custodienda, ibid.* *Quæ beneficia ab illius solutione eximantur, ibid.*

ANNIVERSARIA non veniunt sub pœna privationis fructuum beneficiorum. 37. *b*. Illorum proventus distributiones. 261. *a*, & vide DISTRIBUTIONES.

ANNONAM onerantium pœna. 61. *b*. Item eam Romam deferri prohibentis, & pœna comprehendit etiam Cardinales, *ibid.* Item illam deferri impedientis ad Curiam Romanam, *ibid.* Item illam extrahentis de Statu ecclesiastico, 62. *a*. *b*. Eam extrahens sine licentia, ad quid teneatur, *ibid.* Eam emens, seu incettans pro suo usu ultra annum, *ibid.* Illam ad hostes Fidei deferentis pœna 60. *b*, & *seq.*

ANNUA CONFESSIO, vide CONFESSIONEM ANNUAM.

ANNUS NOVITIATUS, seu probationis, vide PROFESSIO RELIGIOSA.

APPELLATIO a judice ecclesiastico ad secularem sub qua pœna prohibita. 67. *b*. Item a Papa ad futurum Concilium. 65. *b*. 67. *a*. Item ad laicam potestatem a Papæ ordinationibus, & litteris. *ibid.* *Appellatio* an, & quando suspendat censuram. 57. *b*. * *In quibus casibus appellatio non detur*. 67. *b*. & *seq.* *ibique casus enumerantur*. *Appellatio*, etiam ad Papam, quibus Regularibus prohibita. 67. *b*. * *Appellatio quoad præsentationem indignæ ad parochiam factam a patrono*. 239. *a*. *In collatione beneficiorum per concursum quomodo regulanda*. 82. *a*, & *b*. *Appellatio* a sententia matrimonii, vide MATRIMONIUM. * *Appellationis jura a sententia nullitatis ejectionis debent a religioso produci coram carcerem formalem*. 253. *b*.

APPROBATIO confessariorum, vide CONFESSARII approbatio.

APPROBATIO generalis Constitutionum Regularium facta a Sede Apostolica, non fertur ad exorbitantia. 245. *b*.

APOSTASIÆ A RELIGIONE cooperantium pœnæ, & ad quid teneantur. 64. *a*.

APOSTATA A FIDE qui sit, & ejus pœnæ. 63. *a*. Quando illas incurrat, *ibid.* Quando absolvi possit a simplici confessario, *ibid.* APOSTATA A RELIGIOSA PROFESSIONE quando rigorose dicatur. *ibid.*, & *seq.* Non dicitur proprie *apostata*, si est fugitivus, *ibid.* Quas, & quando incurrat pœnas, *ibid.* *a*, & *b*. Quando incurrat irregularitatem. 63. *b*. Quando inhabilitatem ad gradus, *ibid.* & 64. *a*. Privatur privilegiis Religionis, & etiam exemptione, *ibid.* Est ineligibilis, *ibid.* Puniri debet ab Ordinario, *ibid.* Manente apostasia, nequit allegare causam nullitatis professionis, *ibid.* * *Non debentur ei a Religione alimenta, ibid.* Bona ab ipso acquisita, spectant ad Religionem, sed si moriatur extra claustra, ad Sedem Apostolicam, *ibid.* *b*. *Apostatæ*, & fugitivi debent quotannis requiri a superioribus, & respective recipi, sed cum

limi-

limitatione. *ibid. b.* Et sub quibus pœnis, *ibid.* Ordines recipientium, & conferentium pœna. 224. *a*, & *b*. APOSTATA AB ORDINE qui fit. 64. *b*. Quas pœnas incurrat, *ibid.* & *seq.* Quot modis fiat talis, *ibid.*

ARBORES ECCLESIÆ, vel pii loci cædens, quas pœnas incurrat. 316. *a*.

ARCHIDIACONI ætas quæ. 151. *b*.

ARCHIEPISCOPATUS erectio, vide EPISCOPATUS erectio.

ARCTANS SE, itaut in termino adimplere non possit, an incurret pœnas ante terminum. 10. *a*. 77. *b*. 257. *a*.

ARMA prohibita quæ, & eorum nomine quæ veniant. 72. *a*, & *b*. Ea deferentium pœna. *ibid.* Ea deferens clericus, vel monachus, quando fiat irregularis, *ibid. b*. *Arma* monachi præsumentes tenere intra septa, incurrunt excommunicationem non reservatam. 69. *b*. Sub nomine monachorum qui veniant, *ibid.* Quando ea deferentes fiant irregulares. 71. *b*. *Arma* præstans accipienti ad occidendum, qua pœna puniendus, & secuto homicidio, fit irregularis. 69. *b*. Et ad quid inde teneatur, *ibid.* *Armorum* appellatione, quæ veniant, *ibid.* & 71. *b*. *Arma* deferentis ad Sarracenos pœna. 70. *a*. & *b*. * *Ad Turcas deferens, quando excusetur*, *ib. b*. & vide TURCIS ARMA. Item pœna armis auxilium præstantis Infidelibus contra Fideles. 69. *b*. *Arma* Sarracenorum lorentis pœna tempore belli ubicunque. 70. *a*.

ARMATORUM collectas facientium pœna. 71. *b*. & 72. *a*. Qui illorum numerus supponatur, *ibid.*

ARTEM ludicram exercens, quando, & quas pœnas incurrat tam laicus, quam clericus. 72. *a*. *b*. Item *artem* ignominiosam clericus exercens, *ibid.* & 66. *a*.

In ARTICULO, vel periculo mortis absolvere potest quilibet sacerdos, etiam a censuris, & quomodo. 14. *b*. 15. *a*.

ARTIFICIUM an licitum ecclesiasticis, & qualiter differat a negotiatione. 210. *b*.

ASSASSINIUM quid sit. 72. *b*. Illud committentis pœna, *ibid.* & 73. *a*. * *Illius reus tam mandatarius, quam mandans, non gaudet asylo loci sacri*, *ibid.* Et si clericus sit, quis sit judex, *ib.*

ASSERTIONI Magistratus, quod habuerit commissionem a Principe, an sit credendum. 135. *b*.

ASTROLOGIA judiciaria, vide SUPERSTITIO.

ASYLO LOCI SACRI non gaudet assassinii reus tam mandans, quam mandatarius. 73. *a*. * *Nec occidens in duello, licet accisus moriatur extra conflictum*. 119. *a*, & *b*. Qui alii non gaudeant. 153. *b*, & *seq.* * *Nec expendentes præter usum destinatum pecuniam Mautis Pietatis*. 153. *b*. 305. *b*. An gaudeat procurans abortum fœtus animati. 46. *b*. * *An hebræus*. 154. *b*. * *Illo gaudet religiosus confugiens ad Ecclesiam propriam, & ad monasterio aliorum Regularium*. *ibid.*

ATTENTATUM, seu conatus per actum proximum sæpe pœnas inducit. 104. *a*. *Attentare*, an dicat actum consummatum. 161. *a*.

ATTRITIO, vide AMOR.

AUCTORITAS superioris regularis quando excuset a culpa, & pœna. 214. *a*.

AUCTORITATIVE facere qui dicantur. 88. *b*. *Auctoritative* fieri quid dicatur. 176. *b*.

AUDENS aliquid committere qui dicatur. 54. *b*.

AUFERATUR. an sit verbum latæ sententiæ. 78. *b*.

AUSUS TEMERARIUS quando requiratur ad incurrendam censuram. 10. *b*. 11. *a*.

AVOCANTIUM causas ecclesiasticas ad forum laicum pœna. 173. *a*, & *seq.*

AUT, dictio, inter genus, & speciem, stat expositive. 96. *b*.

De AUXILIIS DIVINIS tractatus edentes, vide LIBROS.

B

BANNIENS Episcopum consecratum, quas pœnas incurrat. 262. *b*. 163. *a*, & *b*. 186. *b*.

BANNITUS quando licite occidatur. 42. *b*. 43. *a*. Extra *bannientis* territorium non licite occiditur, nisi sit *bannitus* pro crimine læsæ majestatis, *ibid.* Sed cum limitatione. 187. *a*. Illum occidens extra territorium, fit irregularis ex defectu lenitatis; extra vero ex delicto, *ibid.* Clericus in sacris, vel beneficiatus illum occidens intra territorium, peccat, & fit irregularis ex homicidio illicito. 43. *a*. An liceat illum occidere proditorie, *ibid.* An occisor possit illius bona sibi sumere, *ibid.* *Banniti* Ecclesiæ Romanæ in temporalibus subditi receptantes, vel eorum publicam persecutionem impedientes, quas pœnas incurrant. 73. *b*. 74. *a*.

BANNUM diffidationis quid, & quotuplex, pro quo delicto, & quomodo feratur. 41. *b*. 43. *a*. Quibus privet, *ibid.* & 40. *a*. Non ligat ante declaratoriam. 43. *a*. Sententia *banni* est licita, *ibid.* *Bannum* a civitate quibus privet. 40. *a*. Item imperiale, *ibid.* & 42. *b*. Item simplex. 42. *a*.

BAPTISMUM reiterantis pœna. 74. *a*. Quando liceat reiterare, *ibid.* Temere reiterans, an fiat irregularis, *ib.* Quis ab hac irregularitate dispensare possit, *ibid. b*. Item rebaptizatum ordinantis pœna. 74. *b*. Item illum solemniter ministrantis, si non sit sacerdos, *ibid.* Illum ab hæretico recipiens, fit irregularis. 75. *b*. Secus infans, sicut & adultus in necessitate, *ibid.* Ab hac irregularitate solus Papa dispensat in casu publico, in occulto Episcopus, *ibid.* & 76. *a*. Item illum conferentis proprio filio, aut hunc tenentis in Baptismo, aut Confirmatione sine necessitate. 73. *a*, & *b*. Peccat, & amittit jus petendi debitum, *ibid.* Excusatur a pœnis ob ignorantiam juris, vel facti, *ibid.* Hæc pœna amissionis ligat etiam ante declaratoriam. *ibid.* Non ligat conjugem innocentem, *ibid.* Non amittitur jus hoc, si baptizet in necessitate, si matrimonium est contractum; secus si contrahendum, *ibid.* Et quid, si baptizaret filium ex concubina, *ibid.* Avia, vel avus baptizare nepotem prohibetur. 75. *a*. Item illum conferentis alieno parochiano. 168. *a*. Quando excusetur a pœna, *ibid.* *Baptismum* differens adultus usque ad ægritudinem, quas pœnas incurrat. 75. *b*. * *Baptismus non debet conferri extra Ecclesiam*. 76. *a*. *Qui casus excipiantur*, *ibid.* *Baptismi* forma, & * *Propositiones proscriptæ circa illius collationem*, *ibid.*

BELLUM quando proprie dicatur. 76. *b*. *Belli* species sunt represaliæ. 257. *a*. Quis indicere possit, *ibid.* Pœna illud inferentis, non præmissa diffidatione. *ibid.* Item ad illud in auxilium hæreticos, vel infideles vocantis pœna. 70. *b*. Quando liceat. 71. *a*. Item clerici beneficiati, aut in sacris illi, vel militiæ se immiscentis. 76. *a*. Et peccat, *ibid.* Quando excusetur, *ibid.* *Bellum* an inferri possit contra contemnentem censuram ecclesiasticam. 95. *a*. *Bellum*, vel militiam miles deferens, vel ex eo ignominiose dimissus, quam pœnam incurrat. 76. *b*.

BENEDICTIO SECUNDARUM NUPTIARUM hodie prohibita est sub pœna arbitraria infligenda ab Episcopo. 189. *b*. Num danda, si alter conjugum sit primo nubens, *ibid.* *Benedictio* non debet repeti super eadem materia jam *benedicta*, *ibid.* & 267. *b*. Quando possit, *ibid.*

BENEDICTIO SUPPELLECTILIS sacræ, vide CONSECRATIO.

BENEFICIATUS, privatus beneficio ob delictum, an faciat fructus suos ante declaratoriam. 35. *a*. Potest ante declaratoriam illud resignare, nec tenetur dimittere ante executionem mandato judicis, *ibid.* Illo non privatur ipso jure etiam ex homicidio, secus si sit incompatibile cum irregularitate, *ibid.* Quando hæ regulæ limitantur, *ibid. b*. Quis ab hac privatione dispensare possit. *ibid.* *Beneficiati* qualitates quæ debeant esse. 81. *b*. *Beneficiati* habitus, & illius dimissio, vide HABITUM BENEFICIATI. *Beneficiatus* ludens alea, vide LUDUS ALEÆ. *Beneficiatus* pensionem non solvens, vide PENSIONES ecclesiasticæ quo tempore, & BENEFICIUM CAP. ODOARDUS. *Beneficiatus* horas Canonicas non recitans, vide HORAS CANONICAS. * *Non potest vendere fructus beneficii, & sub qua pœna*. 56. *a*.

BENEFICIUM per sordes, vel simoniam procurantis pœnæ. 279. *a*. & *seq.* Item illud obtinentis, vel conferentis per abusum laicæ potestatis. 80. *b*. 81. *a*. Illud indigno, vel minus digno conferens, peccat, & tenetur ad restitutionem Ecclesiæ læsæ. 81. *b*. Quas pœnas incurrat. *ibid.* Et quid, si conferetur per concursum. *ibid.* & 82. *a*. * *Propositio circa hoc proscripta*, 81. *b*. Provisus occulte inhabilis per concursum, potest obtinere a S. Pœnitentiaria convalidationem tituli. 82. *a*. * *Beneficium curatum per concursum quomodo conferendum*. 82. *a*, & *b*. *Quo altro detur exclusis*, *ibid.* *Beneficium* conferens, ad illud instituens, vel nominans contra formam præscriptam, quando incurret excommunicationem. 91. *b*. Illius possessionem capientis, litteris non expeditis, pœna. 135. *a*, & *b*. Ad quos hæc se extendat, *ibid.* Item litteris expeditis, sed sine legitimo executore. 135. *b*. *Beneficii* nomine an veniat pensio. 36. *b*. *Beneficia* illegitimis non conferenda, vide ILLEGITIMIS BENEFICIA. *Beneficii* vacantis collatio ad quem pertineat. 80. *b*. *Beneficia* reservata S. Sedi quæ. 77. *a*. Quando hæc reservatio non præjudicet patrono laico, *ibid.* *Beneficium* procurans alicui in Curia Romana cum fraude, subjiciendo se examini pro eodem, quam pœnam incurrat. *ibid.* Ista fraus non præjudicat patrono laico, *ibid.* Illud in eadem Curia procurans cum intentione illud resignandi, quas pœnas item incurrat, & quando, *ibid.* Pœnæ non habent locum si cum hac intentione procurat extra Curiam, nec si procurat duo beneficia incompatibilia, *ibid. b*. *Beneficium* parochiale obtinens sine intentione, se ad sacerdotium promovendi. *ibid.* An ad fructuum restitutionem teneatur, & cui. *ibid.* Item si intra annum non promoveatur, *ibid.* & 78. *a*. Item pœna *beneficium* obtinentis in Cathedrali, vel collegiata, si intra annum ad ordinem illi annexum non promoveatur. 78. *b*. Quando excusetur. *ibid.* Non tamen ipso jure privatur *beneficio*, *ibid.* *Beneficia* incompatibilia quæ sint. 79. *a*, & *b*. Ea retinens, quas pœnas incurrat, *ibid.* Quando hæ locum habeant. 80. *a*. Quando teneatur primum, vel secundum dimittere, *ibid.* Non juvatur triennali pro retentione, illa possidens bona fide. 80. *b*. Quis dispensare possit super hac incompatibilitate. 80. *a*. Irregularis dispensatus a Papa ad plura beneficia, intelligitur de *beneficiis* successiva, nisi aliter exprimatur, *ibid.* *Beneficii* vacantis per assecutionem alterius incompatibilis collatio ad quem spectat. 80. *b*. *Beneficium* vacat per assumptionem ad episcopatum, & monasteria. 80. *a*. Pœna illud retinentis. 135. *b*. Illius privatio non inducitur ipso facto per perjurium. 88. *a*. Illius titulus est ostendendus, & pœnis non ostendentis. 107. *b*, & *seq.* *Beneficii* provisio, vel præsentatio suo tempore non facta cui devolvatur. 81. *a*. Intra quod tempus fieri debeat. *ibid.* Et quando incipiat, *ibid.* Hæc devolutio transfert jus ante declaratoriam, *ibid.* * *Beneficium* per obitum vacans conferri potest *beneficiati* consanguineis, affinibus, & familiaribus. 162. *b*. * Item permutatum, sed cum limitatione, *ib.* * Non autem resignatum, licet conferendum esset per concursum. *ibid.* & vide RESIGNATIO BENEFICIORUM. *Beneficii* curati resignatio, vide RESIGNATIO PAROCHIÆ. *Beneficii* collatio facta ab Episcopo schismatico est nulla. 271. *b*. *Beneficii* sequestrationem, ac fructuum ab Ordinario fieri impedientis, aut factam violantis pœna. 277. *a*. * *Beneficii* fructus, etiam Sedi Apostolicæ reservati, lite pendente, sequestrari possunt ab Ordinario, sed interim deponendi, *ibid.* * *Beneficii* fructuum male perceptorum ob omissionem professionis fidei condonatio nequit fieri ab Ordinario, sed a Sede Apostolica. 135. *a*. *Beneficii* accessus, & regressus sub qua pœna prohibiti. 181. *b*, & *seq.* *Beneficii* privatio nequit infligi, nisi in casibus in jure expressis. 35. *a*, & 35. *b*. Et qui sint, *ibid.* Non obligat ante declaratoriam. 35. *a*. An possit impetrari, non vocato reo, *ibid.* *Beneficii* collatio facta alteri, postquam possessor eo privatus est per injustam sententiam in foro conscientiæ, sed justam in foro externo, an sustineatur. 30. *a*. Ad *beneficium* inhabilitas, vide INHABILITAS AD BENEFICIUM. Ad *beneficia* inhabilitatos, regulariter non privatur obtentis. 36. *a*. Dispensatus super inhabilitate ad obtinendum unum *beneficium*, non potest illud commutare, neque resignare cum pensione, *ib. b*. *Beneficium* impetrans, vacans ipso jure ob delictum possidentis, vel per sententiam ferendam, quid probare teneatur. 35. *a*. *Beneficii* fructus, vide FRUCTUS BENEFICII. *Beneficii* titulus a quo, & in quibus casibus possit revalidari. 35. *b*, 36. *a*. An revalidetur per regulam de triennali, *ibid.* Unio *beneficiorum*, vide UNIO BENEFICII. * *Beneficium pro recipiendis Sacris Ordinibus quale debeat esse, & taxa*. 258. *b*, & *seq.* *A quibus oneribus debeat esse liberum*. 259. *a*. *An deducenda sint onera Missarum*, *ibid.* *Beneficii prætextu non conferendi, aut ementitum prætensum fundum ordinantis pœna*, 251. *b*. *Item beneficii imparis titulo ordinantis*, *ibid.* *Beneficium* præscribi non potest. 167. *a*, & *seq.* Illud ære alieno onerantis pœna. 114. *b*. * *Nec possunt vendi fructus ad vitam, & quæ pœnæ in vendentes*. 56. *a*. *Beneficii* collatio, prævio pacto de præsentando, quando nulla. 60. *b*. Item est nulla facta antequam vacet, *ibid.* Ad *Beneficium* patronus se ipsum præsentans, vide PATRONUS. *Beneficium* sibi resignare non potest procurator constitutus ad resignandum. 61. *a*. *Beneficii* Romæ obtinendi reditus non exprimentis pœna. 306. *a*.

BENEFICIUM CAP. ODOARDUS non suffragatur beneficiato pro non solvenda pensione. 140. *a*. Illud excludit obligatio cameralis, *ibid.*

* A BIBLIOTHECIS *Fratrum Minorum de Observantia tam libros extrahens, quam extrahentem non revelans, quas pœnas incurrat*. 82. *b*.

BI-

BIGAMIA quotuplex, & quomodo inducatur. 189. a, & b. Quis super ea dispensare possit, ibid. & 190. b. *Bigamia clerici in sacris matrimonium contrahentis quas pœnas inducet.* 64. b, & seq. 190. b. 221. a.

BIGAMUS est irregularis. 189. a, & b. Quis illum dispensare possit, ibid. & 190. b. Pœnæ ordines recipientis, eosque illi conferentis. 217. a. Item illius matrimonium benedicentis. 289. b.

* BLASPHEMANTIUM *pœnæ quæ.* 82. b. 83. a. *Ab his non excusat minor ætas, si blasphemans sit doli capax, ibid. Blasphemiarum numerus eodem impetu prolatarum, est exprimendus in confessione,* [a] *Et sententia negativa non est tenenda* 6. & 7.

BONA BANNITI an illius occisor retinere possit. 42. a. BONA CLERICORUM defunctorum cui cedant. 255. a, & b. Ab illis negotiatione acquisita, cui applicanda, ibid. Relinqui nequeunt illegitimis etiam legitimatis, * *Exceptis alimentis.* 152. a, & b. Damnatorum cui cedant, vide CONFISCATIO BONORUM. BONA DERELICTA, quæ censeantur. 210. a. BONORUM ECCLESIÆ confiscatio ob delicta clericorum sub qua pœna interdicta. 169. b. BONORUM ECCLESIASTICORUM furtum, rapina, incendium, effractio, damnum, vide SACRILEGIUM, & INCENDIARII. Illorum inventarium. 168. b. & vide INVENTARIUM. Illorum alienatio, vide ALIENATIO, EMPHYTEUSIS, LOCATIO. BONA ILLEGITIMIS RELICTA, an ab eis retineri possint. 155. a. BONA NAUFRAGANTIUM rapuit accipientis, vel detinentis pœnæ. 210. a. BONA RELIGIOSI extra claustra ab ipso acquisita, spectant ad Religionem. 64. a. Sed si moriatur extra claustra, debentur Cameræ Apostolicæ, ibid. * *Bona religiosi ad episcopatum, aut ad cardinalatum promoti sub qua pœna restituenda sint Religioni.* 255. b. *Illorum usus ei est interdictus, etiam de licentia superiorum, ibid. Sublata etiam Majori Pœnitentiario facultate dictas pœnas relaxandi, ibid. Bona religiosi ejecti cui cedant.* 254. a, & b. BONA EX USURA comparata, cui cedant. 312. a, & b. * Quando a Judæis retineri possint, ibid. b. *Bona*, vel proventus Ecclesiarum, aut piorum locorum occupantes, vel impedientes, vide USURPATIO BONORUM &c. BONA SPOLII ad Cameram Apostolicam pertinentia, quænam sint. 305. a, & seq. *Bonorum confiscatio*, vide CONFISCATIO BONORUM. *Bona* incertorum cui restituenda. 252. b.

BONONIÆ scholares, & magistri conducentes alienum hospitium intra tempus conductionis sine licentia inquilinorum, incurrunt excommunicationem non reservatam. 83. a.

BRACHIUM seculare Judices laici quando teneantur præstare ecclesiasticis judicibus. 99. b. Illud iis requirentibus non præbentium pœna. 159. a. Item illud magistratus Inquisitoribus S. Officii non præbentis. 163. b. *Brachio seculari clerici quando tradendi*, vide DEGRADATIO.

BREVIARII ritum mutantis pœna. 200. a. Pœnæ illud imprimentium, & vendentium sine licentia. 83. b.

BULLA semel promulgata, præsumitur esse semper in sui vigore. 212. a.

BULLA AUREA quoad Vicarium Imperii Romani. 157. b.

* BULLÆ CŒNÆ *casus nequeunt absolvi tempore Jubilæi, nisi exprimatur facultas in concessione.* 139. b. *Casus in ea, sive clare, sive dubie contenti, nequeunt absolvi a simplici confessario.* 12. b. 24. b. 50. a. Et quid, si præsumat ab illis absolvere, etiam prætextu privilegiorum, ibid. & 51. a. Ab illis neque Episcopus absolvere potest. 24. b. Ad incurrendas illius censuras semper sequiritur præsumptio. 14. b. Ab iis absolvens in articulo, vel periculo mortis, non servata forma, scilicet sine prævia cautione juratoria de stando mandatis Ecclesiæ, & satisfaciendo, incurrit excommunicationem non reservatam. 50. b. 335. a, & b. * *Propositio proscripta circa absolutionem a casibus in ea contentis.* 51. b. Hæc *Bulla* in quo derogavit cap. 6. sess. 14. Conc. Trid. 21. b. * *Debet quotannis ab Ordinariis publicari: & ejus transumptum a confessariis penes se retineri.* 335. b.

C

CADAT, an sit canon latæ sententiæ. 128. b.

CADAVER ultimo supplicio affecti non potest tolli de patibulo sine licentia Principis. 238. a. Ubi sepeliendum. 238. b. Quando cremandum, ibid. *Cadaver* parricidæ ubi sepeliendum. 238. a, & b. *Cadaver* quando exhumandum. 270. a. 276. a. Illius exhumatio, lite pendente, est prohibita. 273. b. Item illius exenteratio, vel coctio. 274. a.

CADUCITATIS pœna a quo, & quando incurratur. 9. a, & b. An hæres domini directi eam commissam possit declarare. 9. a. An admittat purgationem moræ. ibid. b. Illius remissio circa bona jurisdictionalia ad Ecclesias, & loca pia spectantia, sub quibus pœnis prohibita. 57. a.

[a] CALICES *consecrari nequeunt ab Abbatibus pro alienis Ecclesiis.* 209. b. *Neque a Prælatis regularibus, usu pontificalium carentibus, etiam pro propria Ecclesia, ibid.* Et vide CONSECRATIO.

CALUMNIATORIS pœna, & ad quid teneatur. 53. a. * *Falso calumnians confessarium innocentem de sollicitatione, nequit absolvi, nisi a Papa, ibid. Propositiones proscriptæ circa calumniam, & pœna in eas docentes &c. ib.*

* CAMBIUM *activum est negotiatio, adeoque ecclesiasticis prohibitum, & sub qua pœna.* 210. a, & b. 317. b.

CAMERÆ APOSTOLICÆ ministri rationes fideliter non reddentes, quas pœnas incurrant. 84. a. Qui veniat ministrorum nomine, ibid. Quid excusat a pœnis, ibid. Item confiscationes ei debitas defraudantes. 84. a, & b. Item ejus spolium occupantes. 305. a, & seq. Item Ecclesiarum, seu beneficiorum vacantium fructus ad ipsam spectantes, occupantes, ibid. Item illi annatas, & quindennia non solventes. 61. a. Item canones, & census, aliaque ipsi debita non solventes. 85. a. Ad ipsam spectent bona Religiosorum decedentium extra claustra, & quæ. 64. a. b. Item quæ bona religiosi ejecti illi cedant. 254. b. * *Illius libros, aut scripturas occultans, vel non revelans, an hodie excommunicationem incurrat.* 84. b. 85. a. *Illius actariorum officiis vendendis se immiscentis pœna.* 211. b.

* CAMPANÆ *nequeunt benedici ab Abbatibus pro alienis Ecclesiis.* 209. b.

* CANCELLARIÆ APOSTOLICÆ *officiales audentes se intromittere in causis sibi interdictis, incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, non reservatam, aliasque pœnas.* 85. a.

CANON – SI QUIS SUADENTE – vide PERCUSSIO CLERICI.

CANONES CAMERÆ APOSTOLICÆ debito tempore non solventium pœnæ. 85. a.

CANONICI quando priventur voce in capitulo. 309. b, & seq. * *Non priventur, si sint plures fratres in eodem capitulo.* 310. b. *Choro addicti possunt substituere alium loco sui, sed cum limitatione.* 148. a. Non residentes, vide RESIDENTIAM CANONICI.

CANONIS PRIVILEGIO quando privetur clericus, vide PRIVILEGIO CANONIS.

CANTILENAS, SEU LIBELLOS famosos edentis contra aliquos Regulares pœna. 180. b.

* CAPITULUM, *non potest condonare distributiones injuste perceptas absentibus.* 260. b. Idem sede vacante, quoad dimissorias, vide DIMISSORIAS.

CARCER perpetuus æquiparatur deportationi, & an causet infamiam. 42. a.

CARCERATIO clericorum injusta, vel ad reportandam resignationem beneficii, quas pœnas inducat. 264. a.

CARDINALES in assumptione pilei tenentur jurare præter alias, Constitutionem S. PII V. de non alienando, nec infeudendo loca jurisdictionalia Ecclesiæ Romanæ. 57. a. De eorum promotione sponsio, sub qua pœna prohibita. 296. a. Illos, vel ipsorum familiares lædentium pœna. 186. b, & seq. & vide MAJESTATIS LÆSÆ. Tenentur residere in Curia, si non sint Episcopi, & sub qua pœna. 262. a. Censentur ibi residere, si maneant intra quadraginta milliaria ab ea distantia, ib. Non tenentur hodie residere in Titulis, ibid. Recens creati tenentur intra annum ad Urbem accedere, & Limina Apostolorum visitare sub pœna privationis cardinalatus ipso facto. ibid. [a] *Cardinales seu Episcopi suburbicarii nequeunt in Urbe, sine licentia Cardinalis Vicarii suos subditos ad Ordines promovere, etiam in capella suorum palatiorum, & contraria apud prescripta est.* 127. b. 235. b. *Cardinales* Episcopi quoad residentiam, vide RESIDENTIAM EPISCOPI. *Cardinales* Protectores Ordinum Regularium dare possunt licentiam accedendi Romam Religioso illorum Ordinum, quorum sunt Protectores. 251. b. [a] *Non possunt supplere vocem absentium in electione Regularium.* 135. a.

* CARNIS PECCATA *Propositiones proscriptæ respicientes.* 306. a.

CASTITATIS VOTO ligati matrimonium contrahentis pœna. 190. b. 191. a.

CASTRATUS sine necessitate, est irregularis; secus ob necessitatem. 195. b. 196. a.

* CASUS *contenti in Bulla Cœnæ nequeunt absolvi etiam tempore Jubilæi, nisi in concessione exprimatur.* 139. b, & vide RESERVATIO CASUUM.

CASUUM RESERVATIO, vide itidem RESERVATIO CASUUM.

DE CASU AD CASUM in pœnalibus, etiam ex identitate rationis, quando pœna est latæ sententiæ, non fit illatio. 8. a.

CATHECUMENUS sepeliri potest in loco sacro. 276. b.

CATHEDRALIS fundatio est reservata Papæ. 129. a. Duæ in eadem Civitate esse non possunt. 128. b.

CAVALCATAS, seu collectas armatorum facientis pœna. 71. b. Quibus privetur, ibid. & 72. a.

CAUSA ad dispensandum, quæ requiratur. 22. a. An ea cessante, cadat vinculum. 15. b. *Causarum* ecclesiasticarum cursum impedientis pœna. 173. a, & b. Item eas ab ecclesiastico ad judicem laicum avocantis, ibid.

CAUSÆ MIXTI FORI, vide MIXTI FORI CAUSÆ, VEL CRIMINA.

CAUTIONEM dare debet absolvendus, si satisfacere nequeat. 276. a.

CEDULAS MONTIS PIETATIS, & S. SPIRITUS falsantis pœna. 201. b.

CEDULONES lacerantis pœna. 93. b.

CELEBRANS in suspensione, fit irregularis, non autem est excommunicatus, sed excommunicari potest. 91. b. Quam aliam pœnam incurrat, ib. *Celebrans* post sententiam injustam censuræ, non fit irregularis, sed peccat ratione scandali, si populus non sit certioratus de censuræ injustitia. 20. a. *Celebrantis* pœnæ censuris ligati, vel in loco interdicto. 91. a. Et fit irregularis, & dispensatur a solo Papa, ibid. Et privatur suffragio, tam activo, quam passivo, ibid. Quando coactus celebrans, excusetur a pœnis. 92. b. Item *celebrantis* divina in Ecclesia polluta. 269. b. Sed non fit irregularis. 94. a. Quando excusetur. 269. b. Item Missam *celebrantis*, & sacramentum non sumentis. 199. a. An illius sumptio sit de essentia sacrificii, & sub qua pœna præcepta, ibid.

* CELEBRATIO *Missarum, & divinorum Officiorum latino, vel græco ritu.* 285. a.

CENSURÆ sententia sine monitione, vide MONITIO. Illam ferens non in scriptis, & causa non expressa etiamsi sit superior regularis, quam pœnam incurrat. 86. a, & b. Quando ferri possit sine scriptura, ibid. Si lata est sine ea, est valida, sed relaxanda, ibid. b. *Censurarum* diversitas debet explicari pro obtinenda absolutione, vel dispensatione a S. Pœnitentiaria. 89. b. Pluribus ligatus, si absolvitur ab una, non remanet absolutus ab omnibus, si de iis non facta sit mentio. 8. a. Eadem *censura* lata a diversis superioribus, indiget duplici absolutione, ibid. Secus, si ab eodem, licet sit multiplex, ibid. A *censuris* absolutus, non est dispensatus ab irregularitate. 1. b. Quando incurrantur ex ausu temerario. 10. b. 11. a. Non incurruntur etiam a sciente legis prohibitionem, si invincibiliter nesciat, huic illas annexas esse. 11. a. An incurrantur a minoribus, & pueris. 13. a, & b. De sui natura non possunt esse perpetuæ. 15. a. 31. b. Ad tempus latæ, an cessent temporis cursu ipso jure. 28. b. Jam incursæ, non expirant morte illius, qui eas tulit. 31. b. Quando sint nullæ. 20. a. Et quid, quando sunt nullæ in foro conscientiæ, & validæ in foro externo, ibid. Illarum nullitatem prætendens, quomodo se gerere debeat, & an interim parere. 20. a. & b. Quid, quando est dubium de iis, ibid. Illarum absolutio quando est danda cum protestatione. ibid. b. *Censuras* excommunicationis, & interdicti Domini temporales violantes, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam. 92. a. *Censurarum* causa aliquem vexantium, vel impedientium illas promulgari, vel fulminari pœna. 92. b, & seq. Et qui comprehendantur, ibid. Item illarum absolutionem, vel revocationem extorquentium. 93. a. Obligant in foro conscientiæ ante declaratoriam. 4. b. * *Incurruntur in dubio facti, ideoque tutius est petere absolutionem in foro conscientiæ.* 12. a. b. Ab iis sine facultate absolventis pœna. 50. b. Quis a *censuris* latæ sententiæ absolvere possit. 22. b. & seq. * *A Confessariis nequeunt absolvi extra Sacramentum.*

tum Pœnitentia. 22. b. Neque absolvi possunt censura ob casus, sive clare, sive dubie contentos in Bulla Cœnæ. 12. b. Ab illis, & aliis Papæ reservatis quando absolvere possit Episcopus. 21. b. Quæ excipiantur. 21. b. 22. a. Non potest absolvere a reservatis Papæ, etiam occultis, post Concilium Tridentinum, ibid. A censuris, etiam non occultis, quando absolvere possit, & a qualibus. 23. & seq. An etiam alii Prælati. 24. a. An impeditus accedere ad Sedem Apostolicam, teneatur recurrere per Litteras. ibid. b. A quibus Episcopus absolvere potest alios, potest & ipse absolvi per deputatum a se, & quando eum deputare possit. 24. b. In articulo, vel periculo mortis potest ab iis absolvere etiam simplex sacerdos, si desit confessarius approbatus. 24. b. 25. a. * Mortem a quo possit absolvi, & ad quem effectum, ibid. Ab Episcopo absolvi possunt censura pro foro conscientiæ extra territorium, & etiam in Curia Romana respectu sui subditi. ib. b. * Non autem ab illius delegato, si non sit proprius parochus pœnitentis, ibid. a. Earum absolutio commissa confessario, dari nequit extra forum sacramentale. 19. a. An idem sit, si committatur Prælatis, & Episcopis, ibid. b. A censuris absolvi possunt etiam absentes pro foro externo, ib. Aliquando etiam inviti. 15. a. Item absolvi possunt in eodem foro externo subditi, etiam ratione quasi domicilii, seu vagationis. ib. b, & ib. a. Et etiam ratione peregrinationis, dummodo non sit assumpta in fraudem, ibid. Quæ solemnitas in ipsis absolvendis adhibenda. 19. b. An debeat exigi juramentum de stando mandatis Ecclesiæ, ib. & 315. a. A censuris latis ab homine quis absolvere possit tam pro præsenti delicto, quam pro futuro, ac præterito. 25. b, & 26. a. * Nota exceptionem de delegato Papæ excommunicante. 25. b. Quomodo absolvantur a S. Pœnitentiaria, ibid. Iis innodati Ordines recipientis pœna. 218. a. Item eos illi conferentis, ibid. * Quas censuras ferre possint superiores Regulares, & quas sibi reservare. 26. a, & b. * Enumerantur casus, quos sibi possunt reservare, ibid. b. A censuris cum reincidentia qui, & quando absolvere possint. 27. a, & b. Vide REINCIDENTIA IN CENSURAS. Censurarum sententia numquam transit in rem judicatam. 100. b.

CENSUS CAMERÆ APOSTOLICÆ debito tempore non solventis pœna. 85. a.

CESSANTE CAUSA dispensationis, vel absolutionis, an redeat vinculum. 15. b.

CESSATIO pœnarum semel incursarum. 9. a. 28. b, & seq.

CESSATIONEM A DIVINIS violans clericus tam secularis, quam regularis, etiam exemptus, incurrit excommunicationem. 93. b. Quis cessationem indicere possit, ibid. & 94. a. Eam non juste indicentis pœna, ibid. Indicta eo ipso dicitur, cum polluitur Ecclesia. ibid.

CESSIO BONORUM, vide BENEFICIUM CAP. ODOARDUS.

CHIRURGIAM clericus, vel monachus exercens, quando fit irregularis. 94. a. Et etiam clericus primæ tonsuræ, si sit beneficiatus, ibid.

CHRISTIANUM in servitutem redigentis, vel injuste detinentis, aut spoliantis pœna. 277. b. Christianorum nomine in favorabilibus non veniunt hæretici.

CHORO addictus beneficiatus, vide HORAS CANONICAS. Choro addicti non interessentes, vide INTERESSENTIAM CHORO.

CINGULO MILITARI qui privetur. 147. a.

CITATIO pro censuræ incursæ declaratione, vel promulgatione quando facienda, & quomodo. 85. b. 86. a.

CIVITAS an veniat nomine personæ. 104. a. Quando dicatur deliquisse. 43. b. Occidens suum Episcopum, privatur episcopali dignitate. 163. a. Et quando obliget hæc pœna. 44. a. Quando possit subjici cratro, ibid.

CLANDESTINUM MATRIMONIUM, vide MATRIMONIUM CLANDESTINUM.

CLAVIUM CONTEMPTUS quomodo intelligatur. 90. a.

CLAUSULA irritans quid operetur. 150. b. 151. a.

CLAUSURÆ nomine quid veniat. 94. b.

CLAUSURAM MONIALIUM ad finem luxuriæ violans, incurrit excommunicationem, Papæ reservatam. * Et neque absolvi potest ab Episcopo, etiam in casu occulto, neque a confessariis privilegiatis. 98. a. Secus, si ingrediens cum licentia, postea luxuriæ peccatum committat cum moniali, ibid. * Absolutus ab hac censura, in eam reincidit, si in posterum accedat tam ad illud, quam ad quodcunque aliud monasterium, & Ecclesias monialium, ibid. & b. Quam aliam pœnam incurrat, fornicans cum moniali, ibid. Clausuram monialium violantis pœna, intrando sine licentia. 96. a, & b. A quo, & pro quibus causis danda, ibid. Quid, si non detur in scriptis, ibid. An danda toties, quoties, ibid. * Pro ingressu in monasterium monialium Regularibus subjectarum non sufficit licentia superioris regularis, sed requiritur etiam licentia Episcopi. 97. a. Licentia ingrediendi pro certis monasteriis, non valet pro ingressu in alia non expressa, 96. b. * Ingressus interdictus est etiam Cardinalibus, Legatis a latere, & Nunciis, 97. a. Interdictus est etiam educandis, & famulis sine licentia Sedis Apostolicæ, ibid. b. Pœna monialis in clausuram introducentis quamcumque, etiam infantem, sine licentia. 96. b. 97. a, & b. Item pœna superioris tam secularis, quam regularis intrantis sine justa causa. 97. b. 98. a. * Item non observantis in ingressu formam præscriptam, ibid. Superior regularis delinquens, puniri potest ab Ordinariis, ibid. Confessarius intrans extra casus necessitatis, incurrit excommunicationem reservatam, ibid. Intrare debet cum socio, ib. Ejus habitatio debet esse omnino separata a monasterio, ibid. In eo prohibetur pernoctare quilibet alius, etiamsi superior sit, præter confessarii socium, ibid. Monialis clausura sine necessitate exeuntis pœna. 98. b. Item sine necessitate ei licentiam impertientis, ibid. Qui sint casus necessitatis, ibid. * Eam violat, si ascendit supra tectum, ibid. A quo possit absolvi, ibid. & 99. a. Clausura violata reparanda est ab Episcopo. 99. b. Magistratus secularis pœna petitum auxilium pro ea reparanda negantis, ibid.

CLAUSURA REGULARIUM ad quæ loca se extendat. 94. b. Quando, & quomodo frangatur ab ipsis Regularibus, & sub qua pœna, ib. Eam intrantium mulierum pœna, ibid. & 95. a. * Quæ non prohibeantur intrare. 95. b. Quid occasione processionum intra eorum claustra, ibid. Eam violantes Regulares, introducendo, comitando, & receptando mulieres, ibid. & 95. a. Si eas introducant ad malum finem, non dispensantur a S. Pœnitentiaria ab omnibus pœnis. ibid.

CLERICALIS STATUS desertio, & renunciatio, vide APOSTATA AB ORDINE.

* CLERICORUM nomine quando veniant Regulares. 88. a. Eorum nomine qui veniant in ordine ad dispositiones favore illegitimorum. 251. b. Clericorum decedentium bona cui cedant. 305. a, & b. * Clerici servitia laici præstare prohibentur. 317. b, & seq. Judicis laici munus assumentium pœna. 169. b. 170. a. Item lenocinium exercentium. 180. a. Item bigamorum. 189. a, & b. Item matrimonium contrahentium, si sint in sacris. 190. b. 191. a. Item habitum dimittentium, & profanum gestantium. 139. a. Item se enormitatibus immiscentium. 66. a. * Servientes alteri Ecclesiæ, quam designatæ ab Episcopo, gaudent privilegio fori. 65. b. Qua pœna puniendi, si designatam ab Episcopo, ipso inconsulto, deserant, ibid. Clerici falsantes monetam, sunt degradandi. 201. a, & b. Clerici negotiatores, vide NEGOTIATIO. Clerici venatores, vide VENATIO. Clericorum percussio, vide PERCUSSIO. Pœnæ se ipsos percutientium. 188. a, & b. Quorum sepulturæ assistere non debent. 158. b. Clericis quæ onera imponi prohibeantur, vide IMMUNITATEM PERSONALEM. Clerici peregrinaturi, quando ligentur pœna lata a suo Episcopo, etiam extra territorium. 30. b. Diffamati de crimine, debent se purgare. 17. b. Diffamati, quando non sint permittendi celebrare. ibid. Clerici majestatis læsæ rei, vide MAJESTATIS LÆSÆ. Clericus in minoribus, revertendo ad seculum, an peccet, & an omnia privilegia amittat. 64. b. & seq. Item, sufficiens habens beneficium, continetur in odiosis, etiam in canone disponente de Clerico in sacris. 94. a. Clericus Romæ commorans, & extra ordinem recipiens. 235. a, & seq.

COADJUTOR quoad residentiam, vide RESIDENTIAM COADJUTOR. * Nequit loco sui alium substituere ad recitandas horas in choro. 148. a.

COADJUTUS sub qua pœna tenetur residere in loco beneficii. 261. b.

COEMETERII pollutio. 370. a.

COGNATIO SPIRITUALIS voluntarie superveniens matrimonio, impedit debiti petitionem. 75. a.

COLLATIONIS BENEFICII denegatæ causa collatorem vexantis pœna. 183. b.

COLLATORIS beneficiorum pœna occupantis bona eorumdem beneficiorum vacantium. 304. a.

COLLECTAS ARMATORUM facientis pœna. 71. b. 73. a.

COLLEGIUM defraudans, quibus de eodem collegio restituere debeat. 137. b.

COMMENDATITIÆ pro Ordinibus recipiendis distinguuntur a Litteris dimissoriis. 233. b. 234. a. Quando requirantur, ibid. Pœna sine illis Ordines recipientis, & conferentis, ibid. Non se extendit pœna ad primam tonsuram, ibid. A quo expediendæ, ibid. Pro Religiosis ad quem dirigendæ. * Et quibus clausulis debeant esse munitæ. ibid. vide ORDINES RELIGIOSI A QUO EPISCOPO.

COMMORATIO quando dicatur. 235. b.

COMMUNICANS CUM EXCOMMUNICATO vitando, quam pœnam incurrat, & quando excusatur. 86. b, & seq. Communicans cum eodem in crimine criminoso, incurrit eamdem pœnam, ac ille. 87. b.

COMMUNICATIONIS PRIVATIO quandoque excommunicationem, quandoque suspensionem significat. 100. b. Communione christiana careat — quid significet. 306. b. A communione habeatur extraneus — an sit canon latæ sententiæ. 314. a. A communione repulsum se noverit — quid importet. 122. a.

COMMUNIONEM ANNUAM omittentis pœna. 267. a, & b. * Propositiones proscriptæ circa hanc, ibid. a. & vide CONFESSIONEM ANNUAM. Communionem eucharisticam post peccatum mortale sine confessione prævia accipi posse asserentis pœna. 107. b. 108. a. * Propositio circa id proscripta. ibid.

COMMUNITATUM de bonis munera facientium, & recipientium pœna. 207. a. Illarum bonorum alienatio, vide ALIENATIO, & OBLIGATIO BONORUM COMMUNITATUM.

COMMUTATIO PŒNITENTIÆ injunctæ per commutationem voti Papæ reservati. 3. a. Item pœnitentiæ pro dispensationibus matrimonii, ibid. Item pœnitentiæ injunctæ ab uno ex Pœnitentiariis Basilicarum Urbis, ibid. Commutatio votorum Papæ reservatorum sub qua pœna prohibita. 308. b, & seq.

COMPATERNITAS voluntarie superveniens matrimonio, impedit petitionem debiti. 75. a.

COMPELLENS dicit actum consummatum. 375. b.

COMPENSATIO quando fieri possit. 57. a.

* COMPLICIS NOMEN confessarius exquirens, quam pœnam incurrat, & quando denunciandus. 107. a. * Complicem in peccato contra sextum præceptum absolvens, nulliter absolvit, & quam pœnam incurrat. 52. b. Quando valide possit illum absolvere, ibid. & vide pag. 22. b. Sed si agatur de complice peccati contra sextum præceptum, vide sanctita citata pag. 52. b.

COMPOSITIO super restitutione fructuum beneficii, vel pensionis a quo concedi possit, & qualiter. 37. a, & b. Qualiter fieri debeat vigore privilegii de bonis alienis. 209. a. An sit solvenda Dateriæ, cum Litteræ revalidantur a S. Pœnitentiaria. 137. b.

CONATUS solus per actum proximum sæpe pœnas infert. 243. a. Solus sufficit ad incurrendam pœnam in crimine læsæ Majestatis. 6. a. Quando puniatur. 243. b.

CONCEPTIONIS B. MARIÆ VIRGINIS opiniones censurantis, & impugnantis pœna. 99. b. 100. a. * Propositio proscripta circa hanc materiam. 100. a.

CONCILII LATERANENSIS pœnæ, seu censuræ circa Prædicatores, & superstitionem an sint usu receptæ. 248. b. 299. a. CONCILIUM PROVINCIALE non adeuntium, & ante illud completum discedentium pœna. 100. b. CONCILII TRIDENTINI glossæ sub qua pœna prohibitæ. 366. b.

CONCIONATORES Regulares. 249. b. Concionatorum falsa miracula, aut dogmata, vel falsas revelationes prædicantium pœna. ibid. Vide PRÆDICATORES; PRÆDICATIO.

CONCLAVE tempore præscripto pro electione Papæ sine justa causa non intrantes, aut exeuntes, quas pœnas incurrant. 101. a. Intra illud degentibus, quæ cum exteris communicatio, & sub qua pœna prohibita, ibid. & b. Illius custodes quas pœnas incurrant, suo muneri deficientes, ibid. Et quas Officiales Civitatis. 103. b. Item illud furtive intrantes. 102. a. Item illius formam non servantes, ibid. Item illius occasione bona Electi, vel Cardinalium diripientes. 303. b, & 304. a. An in illo fieri possit electio mediate per sortes. 381. a. Reliqua, vide verbo PAPÆ ELECTIO.

CONCUBINATUS, & pravæ cum mulieribus consuetudinis pœnæ. 304. a, & seq. Quis dicatur concubinarius. 305. b. * Propositio proscripta circa concubinatum. 306. a. Concubinæ filium baptizans, non

potest cum ea matrimonium contrahere. 75. b. *Concubinarii notorii sepultura non polluitur Ecclesia, vel Cœmeterium*. 505. a. Ejus cadaver est exhumandum, si moriens, nulla dederit signa pœnitentiæ, *ibid.*

* CONCURSUS AD BENEFICIA *curata quomodo peragendus*. 82. a, & b.

CONCUSSIONIS crimen quid sit. 164. b.

CONDITIO resolutiva, seu privans jure aliquo, an obliget in conscientia. 78. a. 79. b.

CONDONATIONE prohibita, an & prohibita redhibitio facta per restitutionem. 308. b. *Condonandi* facultas quomodo intelligenda, & an ea facta uni ex duobus correis, alter liber fiat. 409. b.

CONFESSARII APPROBATIO requiritur ad validitatem confessionis. 48. a. Et *confessio* aliter facta, etiam bona fide, iteranda est, nisi adsit titulus coloratus simul cum errore communi, *ibid.* & b. * *Et, etiamsi, deficientibus his titulis, poenitens privatim sciat occultum defectum jurisdictionis in confessario*, ibid. & 49. a. Approbatio a quo hodie dari debeat, *ibid.* Quorum privilegia sine ea audiendi confessionem fiat revocata, *ibid.* * *Confessarius tam secularis, quam regularis approbatus in una diœcesi, nequit audire confessiones subditorum Episcopi approbantis extra ipsam*. 16. a, b. 49. b. *Excipitur proprius Parochus pœnitentis* 16. b. *Qui tamen nequit audire confessiones sui non subditi in aliena diœcesi*, ib. *Propositiones proscriptæ circa opinionum probabilitatem quoad absolutionem*. 49. a. *Non sufficit probabilis opinio jurisdictionis in confessario*. 48. b. Non approbatus, absolvens, quas pœnas incurrat. 49. b. * *Approbatio Regularium quomodo intelligatur concessa, ad quas se extendat, & an revocari possit, & quando*. 49. b. 50. a. *Propositiones proscriptæ circa approbationem*, ibid. *Confessarius regularis potest absque Ordinarii approbatione audire confessiones secularium, qui vere sunt de familia, & continuus commensales sui monasterii*, ibid. Quomodo pro aliis approbandus, *ibid.* * *Approbatus pro secularibus neque regularis, neque secularis intelligitur approbatus pro monialibus*, 49. b. *Non potest absolvere a casibus Episcopo reservatis, non obstante quocunque privilegio*. 50. a. *Propositiones proscriptæ circa hoc, & confessiones factas apud Regulares*. ibid. *Confessarius* privilegiatus a quibus casibus absolvere possit. 25. a. 50. b. Non debet dare pœnitenti testimonium in scriptis de absolutione data a censuris, & datum non suffragatur pro foro externo: potest tamen illud privatim mittere ad Ordinarium. 59. a. 329. a. An cogere possit pœnitentem pro crimine publico ad acceptandam pœnitentiam publicam. 2. b. Non potest commutare pœnitentias a Papa, vel a S. Pœnitentiaria impositas pro casu reservato. *ibid.* An commutare possit injunctas per commutationem pro votis Papæ reservatis in materiam non reservatam. 3. a. * *Confessarii casuum conscientiæ lectionibus non interessentis pœna*. 507. a. *An valide absolvat, & quando, elapso termino facultatis datæ ad audiendas confessiones*. 506. b. *Confessarii pœna nomen complicis exquirentis, & ipsum complicem absolventis a peccato contra sextum præceptum*, vide COMPLEX. *Non moneat pœnitentem sollicitatum de onere denunciandi sollicitantem*, vide SOLICITATIO. *Confessarius* infirmorum, vide INFIRMORUM CONFESSIO. *Confessarii* pœna absolventis a casibus, & censuris reservatis sine facultate. 50. b, & *seq.* Quando non debeat monere pœnitentem de aliquo. 203. b. Non monens illum, ut restituat, an ipse teneatur restituere. 279. b. Ipsius pœna non monentis pœnitentem de onere solvendi decimas. 556. a.

* CONFESSARII URBIS ROMÆ *litteræ patentes expendantur*. 106. a. & *seq. Quas conditiones servare teneantur, & sub quibus pœnis*, ibid.

* CONFESSARIUS MONIALIUM *approbatus pro uno monasterio, non intelligitur approbatus pro altero*. 49. b. *Nec approbatus pro una vice, intelligitur semper approbatus*, ibid. *Quid ordinario, & extraordinario prohibitum*. 107. b. *Confessarius monialium, Episcopo subjectarum tam ordinarius, quam extraordinarius quomodo se debeat gerere*. 99. a, & b. *Extraordinarius quando debeat deputari*, ibid. a. *Confessarius monialium, Regularibus subjectarum tam ordinarius, quam extraordinarius quoad deputationem, approbationem, & remotionem*. ibid. a, & b. *Illius habitatio*, vide CLAUSURAM.

* CONFESSARIUS NOSOCOMIORUM EJUSDEM URBIS *quis esse possit*. 506. b. *Non potest audire confessionem ibi degentium non infirmorum* ibid. CONFESSARIUS QUOAD EXECUTIONEM LITTERARUM S. PŒNITENTIARIÆ pro dispensatione matrimonii, vide MATRIMONII DISPENSATIO. Reliqua quoad *Confessarios* vide verbo ABSOLUTIO, CENSURÆ, CONFESSIO SACRAMENTALIS.

CONFESSIO SPONTANEA REI, vide SPONTANEA CONFESSIO.

CONFESSIO SACRAMENTALIS post peccatum mortale necessaria est ante celebrationem Missæ, aut Eucharistiæ sumptionem. 507. b. 308. a. Pœna contrarium asserentium. 108. a. * *Quæ causa excuset*, ibid. *Si ob justam causam non fuerit præmissa, an teneantur de præcepto eam quamprimum emittere etiam laici, si peccati lethalis conscii, S. Synaxim sumpserint*, ibid. Præceptum præmittendæ *confessionis* Papa nequit dispensare. *ibid.* * *Damnata est propositio, asserens quem uti posse notitia ex confessione habita*. ibid. b. *Item damnata est alia a Clem. VIII. non VII. ut ex errore Typographi impressum est cit. pag.* 88 b *quoad superiores Regulares respectu suorum subditorum*, ibid. Eam dimidiari posse asserentium pœna, *ibid.* * *Propositio proscripta circa hoc*, ibid. & 109. a. Pœna asserentium fieri posse in absentia, & per litteras. 266. b. Item annuam omittantis. 267. a, & b. * *An ad eam teneatur conscius dumtaxat peccatorum venialium*, ibid. a. Quando eam omittens, non est sepeliendus in loco sacro, *ibid.* & b. * *Illius præcepto satisfit per eam, quæ fit coram confessario regulari*. 50. a. *Propositiones proscriptæ circa annuam confessionem*. 267. a. *Confessionis* sigillum, vide SIGILLUM.

* CONFESSIO INFIRMORUM *audiri potest a Regularibus approbatis absque licentia Episcopi, & parochi*. 50. a. vide INFIRMORUM CONFESSIO. * *Confessionem Sacramentalem audiens, aut Missam celebrans clericus non sacerdos, si attigerit annum xx. degradandus est, & tradendus brachio seculari*. 13. b. CONFESSIONEM SACRAMENTALEM fieri ab infirmo medici non procurantis pœna. 195. a, & b. Reliqua, vide verbo CONFESSARIUS.

CONFIRMATIONIS SACRAMENTO non recepto, ad ordines promotus, an incurrat aliquam pœnam. 225. a. *Confirmationis* patrinus filio proprio existens, quam pœnam incurrat. 75. a.

CONFIRMATIO solummodo roborat gratiam, seu privilegium concessum cum suis præexistentibus qualitatibus. 134. a. *Confirmatio* Apostolica statutorum cum clausula irritante, ligat manus Ordinarii, ne possit dispensare. 250. b. 251. a. *Confirmationis* alicujus denegatæ causa vexantis pœna. 183. b. *Confirmatio* electionis quando, & quorum superiorum est necessaria. 135. b.

CONFISCATIO bonorum Ecclesiæ ob delicta clericorum interdicta est. 309. a. *Confiscatio* bonorum non obligat reum illa ultro restituere ante declaratoriam, etiamsi ante hanc crimen inficiaretur; neque ante executionem. 42. a. Post declaratoriam peccaret, si de iis interrogatus, ea negaret, vel occultaret, *ibid.* Ante illam quando peccet, si ea alienet, *ibid.* Ob quæ crimina hæc *Confiscatio* inferatur, *ibid.* A quo fisco executioni dari debet. 29. a. Bona damnati ad ultimum supplicium ad quos devolvatur, 42. a. *Confiscationes* Cameræ Apostolicæ debitas, pœnasque pecuniarias defraudantis pœna. 84. a, & b.

CONFUGITORUM ad Ecclesiam extractio, vide IMMUNITATEM LOCALEM.

* CONGREGATIONIS RITUUM SECRETA *revelantis pœna*. 272. b. 273. a. *Ad quos hæc se extendat*, ibid. a. *Quæ limitationes dentur*, ibid.

CONJUGATUS quando ordinari possit. 217. b. *Conjugatus* Clericus quando gaudeat privilegio fori. 66. a. 68. b.

CONJUGIS OCCISIO, vide HOMICIDIUM.

CONJUNCTORUM nomine qui contineantur. 92. b.

CONJURATIO, vide CONSPIRATIO.

CONSANGUINEORUM nomine in odiosis non veniunt affines. 299. b.

CONSANGUINITATIS *gradus reticitus in obtenta dispensatione matrimonii, quando eam nullam reddat*. 195. b. *Et qua declaratoria opus sit*, ibid.

CONSECRATIO ECCLESIÆ facta ab excommunicato vitando, vel ab Episcopo hæretico, aut schismatico, an sit valida, & an polluta remaneat. 109. b. *Consecratio* Ecclesiæ, vel Altaris quando possit reiterari *ibid.* Non intelligitur facta etiam per longi temporis Missæ celebrationem, bona fide habitam 270. a. Neque *Consecratio* Calicis, *ibid.* * *Consecratio Ecclesiæ, Altaris, & Calicis an, & quando fieri possit ab Abbatibus*. 309. b. CONSECRATIO EPISCOPI quomodo fieri debeat, & a quot Episcopis, ut sit valida. 126. a, & b. Non consecratus debita forma, quam pœnam incurrat, *ibid.* Item illam differens ultra tempus præscriptum, *ibid.* Ante sacerdotium est invalida. 225. a. Illius *Consecratio* hodie est reservata Papæ. 229. b. Facta ab Episcopo non tolerato. 225. b. 253. a. Si non fiat Romæ, fieri debet in Ecclesia cathedrali Consecrandi, vel in ipsius Provincia. 258. b.

CONSENTIRE an dicatur, dicens, si vis facere, fac. 12. b. *Consentire* delinquenti in pœnalibus, an dicatur quilibet, qui potest impedire, & non impedit. 356. b.

CONSERVATORES Ordinum regularium qui possint esse. 110. a. Quam jurisdictionem habeant, *ibid.* Eam excedentes, quas pœnas incurrant. 110. b. Alii sunt secundum jura, alii secundum privilegia. 110. a, & b. An hodie fiat revocati, *ibid.* Qualiter eligendi, vel mutandi, *ibid.*

CONSISTORII secreta revelantium pœna. 110. b. 111. a.

CONSPIRATIO quid sit. 111. a. *Conspirantium* pœnæ, *ibid.*

CONSTITUTIONES APOSTOLICÆ, & decreta legenda a Regularibus, vide LEGENDA A REGULARIBUS. *Constitutio* semel promulgata, præsumitur semper esse in suo vigore. 213. b.

CONSUETUDO contra libertatem ecclesiasticam est nulla ipso jure. 111. a. * *Licet immemorabilis, & etiam cum forma privilegii*, ibid. b. & 170. a, & b. *Consuetudo* immemorabilis fortiti cum fama constanti privilegii quam vim habeat, & pœnæ eam servantium, vel servari facientium, ac iniquam jurantium. 111. a, & b. Non prævalet contra decretum irritans, nisi sit immemorabilis. 42. a. Pœnæ iniquas *Consuetudines* jurantium, vel jurari facientium. 170. a, & b. *Consuetudo* est optima legum interpres. 74. a. *Consuetudo* facti qualiter probetur. 315. a. *Consuetudo* facti, seu exercitium qualem frequentiam actuum requirat, *ibid.* Et si fuerit sublata per pœnitentiam, an sedrat per unum actum. *ibid.* In malis actionibus, & damnatis quot actus requirat. 72. a. Quando excusare possit a peccato. 185. a. In materia veniali an possit efficere peccatum mortale. *ibid.*

CONSULTORES CONGREGATIONIS RITUUM, vide SECRETUM CONG. RITUUM.

CONTEMPTUS Clavium quomodo intelligatur. 90. a.

CONTINUUS ANNUS quando requiratur. 244. a.

CONTRACTUS qui veniant nomine alienationis. 55. a. 58. a.

CONTRITIONIS signa quæ dicantur sufficientia in moriente, ut absolvi possit. 105. a.

CONTUMACIA in censuris quando habeatur. 165. b. 166. a.

COVENTICULA illicita. 111. b.

CONVENTUS REGULARIUM mutatio. 246. a, & *seq.* Illius fundatio, *ibid.* Et vide MONASTERIORUM, *vel conventuum fundationes*. * *Qui subjectus sit jurisdictioni Episcoporum*. 247. b.

CONVERSO RELIGIOSO LAICO ordines conferri nequeunt. 224. a, & b.

COOPERANS an comprehendatur in pœnis. 8. a, & b. *Cooperans* delicto, quando puniendus, ut illud committens, *ibid.*

COPULA INCESTUOSA quando induat impedimentum matrimonii. 159. a, & *seq.* Et quid, si commissa cum intentione facilioris dispensationis, *ibid.* COPULA ADULTERA quando præsumatur. 217. a. CONJUGALIS quando præsumatur. 589. b.

CORONATIO PAPÆ non pertinet ad substantiam potestatis, sed ad solemnitatem. 237. b. Ante eam valent ipsius litteræ, & pœna id impugnantis. *ibid.* *Coronationi* huic adesse debent Cardinales Episcopi, qui possunt manere Romæ usque ad duos menses post ipsam. 238. a.

CORRECTIO JURIS est evitanda, quantum fieri potest. 208. a. Non infertur per sub auditos intellectus. 216. b. CORRECTIONI ECCLESIÆ subjacent, quid importet. 302. b.

CORREUS DEBENDI qualiter liberetur, altero compositionem ineunte. 209. b.

CORSICA, & Sardinia in odiosis venit nomine Italiæ. 201. b.

CREDITORIS declaratio ubi requiratur ad censuram incurrendam. 28. a, & b. Potest ipse terminum prorogare, *ibid.*

CREMATIO CADAVERIS quando fiat. 238. a.

CRIMEN PUBLICUM de jure civili, & canonico quod dicatur. 200. a. De jure canonico est quodcunque crimen quoad aliquos, non quoad omnes effectus. 38. b. & *seq.*

CRIMEN MIXTI FORI, vide MIXTI FORI CRIMEN, VEL CAUSA.

CRIMINOSUS, ingressus Religionem, quando, & in quibus casibus subja-

subjaceat judici seculari. 312. *a*, & *b*. Quando dicatur ingressus in fraudem. *ibid.* Pœna illum ad habitum, & professionem admittentium, *ibid.* Item illi ordines conferentis, ac ipsius recipientis in fraudem fori secularis, & in fraudem collectarum, seu munerum laicalium. 218. *b*, & *seq.*

CURÆ, VEL TUTELÆ munus clericis est prohibitum. 302. *a*, & *seq.*

CURAM ANIMARUM habentes, an omnes promoveri debeant ad sacerdotium. 77. *b*. 78. *a*. *Cura animarum* cum dignitate non venit nomine parochiæ. 78. *a*.

CURATOR, VEL TUTOR an possit fieri clericus, vel religiosus. 302. *b*.

AD CURIAM ROMANAM venientes, sunt sub protectione Sedis Apostolicæ. 113. *a*. Eam advenientium, & ab ea recedentium pœna Episcoporum sine licentia Papæ, eosque receptantium. 184. *a*. Item offendentis ad eam recurrentes, vel ibi causas prosequentes. 112. *b*. Item offendentis via juris occasione negotiorum in ea commorantes, 113. *a*, & *b*. Item offendentis ad eam euntes, & redeuntes quacunque ex causa, *ibid.* Item vexantis ad eam euntes, manentes, & redeuntes circa eorum beneficia via juris. *ibid.* Item prohibentis ad eam recursus, seu accessum, vel recessum liberum. *ibid.* Item impedientis, itemque cooperantis, ne ad eam eant ecclesiastici, vel ab homine, vel a jure citati, *ibid.* In Curia Romana factas Ecclesiarum provisiones nunciantibus aliquid donans, aut promittens. 213. *a*. Plures ad eam accedentes unica sclopi explosione occidens, tot excommunicationes incurrit, quot sunt occisi. 7. *a*. *b*. An ibi dispensari possit proprius subditus ab Episcopo extra forum conscientiæ. 16. *b*. Ad eam qui teneantur accedere pro absolutione a censuris, qui non. 23. *a*, & *seq.* An impeditus ad illam accedere, debeat recurrere per litteras ut a casibus papalibus absolvi possit. 24. *b*.

AD CURIAM SECULAREM ab ecclesiastica, appellando, recurrentis pœna. 67. *b*. 91. *b*. Item ecclesiasticos trahentis ad eam ab ecclesiastica. 114. *b*. Item pœna Curiæ secularis ad se trahentis ecclesiasticos, aut alios in causa ecclesiastica. 114. *a*.

AD CURIAS PRINCIPUM secularium Regulares euntes sine licentia, aut animo nocendi suis superioribus, quam pœnam incurrant. 114. *b*. 115. *a*.

CURSARII, vide PIRATÆ.

CUSTODIA MURORUM an possit imponi ecclesiasticis. 135. *a*.

CUSTOS VACANTIUM BENEFICIORUM bona occupans, quam pœnam incurrat. 304. *a*.

D

DÆMONIS invocatio, vide SUPERSTITIONIS PŒNÆ.

DAMNATIO AD TRIREMES successit in locum deportationis, seu damnationis in opus publicum. 40. *a*. 200. *a*.

* DAMNATUS AD TRIREMES *quando fiat irregularis*. 40. *a*. 200. *b*.

DAMNATUS AD MORTEM an hodie sit servus pœnæ. 40. *a*. *Damnatus* ad perpetuum carcerem an fiat infamis, *ibid.* *Damnati ultimo supplicio* cadaver quando cremandum. 238. *a*. *Damnatorum* bona, vide CONFISCATIO.

DAMNUM patiatur Ordinis sui, qualis pœna sit. 159. *a*.

DARDANARII, vide ANNONAM ONERANTES.

DATARIA APOSTOLICA quoad pœnitentiam pro dispensatione matrimonii, vide PŒNITENTIA INJUNCTA A DATARIA.

DEBILITATIO MEMBRORUM, vide MUTILATIO.

DEBITI CONJUGALIS privatio quando incurratur, & petitione privatus, a quo dispensari possit, 159. *b*, & vide ADULTER.

DEBITIS GRAVATI, vide ÆRE ALIENO GRAVATI, & OBLIGATI.

DECANATUS dignitas quam ætatem requiret. 221. *b*.

DECIDAT de proprio gradu, quid importet. 245. *b*.

DECIMARUM nomine quæ veniant. 115. *b*. Ea bona Oblatorum an ad religiosos pertineant, *ibid.* *Decimarum* privilegia alia realia, alia personalia sunt, *ibid.* Illas Ecclesiæ debitas religiosorum usurpantium, vel impedientium pœna, *ibid.* Item eas impugnantium, vel non monentium pœnitentes de onere easdem solvendi. 116. *a*. Item eas usurpantium, vel solvi impedientium quicumque ii sint. *ibid.*

DECLARATIONES SACRARUM CONGREGATIONUM quam vim habeant. 166. *b*.

DECLARATORIA SENTENTIA delicti, seu pœnæ requiritur, etiamsi lex præcipiat, ut quis sit privatus ipso jure absque alia *declaratione*. 33. *a*. Et quomodo intelligatur hæc clausula. 4. *a*.

DECLARATORIA ubi requiratur ad incurrendam pœnam, vel ad convalidandum actum. 4. *a*, & *b*. 5. *a*, & *b*. 9. *a*, & *b*. 23. *b*. 29. *a*. 38. *b*. 39. *b*. 41. *a*. 42. *a*. 43. *a*, & *b*. 44. *a*, 46. *b*. 38. *b*. 73. *a*. 84. *b*. 85. *b*. 95. *a*. 110. *b*. 140. *a*. 142. *b*. 132. *b*. 159. *a*. 161. *b*. 163. *b*. 166. *a*. 179. *a*, & *b*. 181. *b*. 186. *a*. 187. *a*. 191. *b*. 208. *b*. 219. *a*. 220. *b*. 227. *b*. 240. *a*. 241. *a*, & *b*. 253. *a*. 256. *b*. 274. *a*. 279. *b*. 287. *b*. 292. *b*. 299. *b*. 301. *b*. 312. *b*. 312. *a*. & *b*. 316. *a*, & *b*. 328. *a*, & *b*.

DECLARATORIA ubi non requiratur ad incurrendam pœnam. 3. *a*. 4. *a*, & *b*. 3. *b*. 6. *a*. 9. *a*. 33. *b*. 38. *b*. 43. *b*. 44. *a*. 51. *a*. 83. *b*. 96. *a*. 102. *a*. 121. *a*. 123. *a*. 140. *a*. 159. *a*. 161. *b*. 179. *b*. 182. *b*. 192. *a*. 212. *a*. 234. *a*. 238. *a*. 263. *a*. 271. *b*. 279. *a*. 291. *a*. 292. *a*. 312. *a*.

DECLARATORIA ubi requiretur, ut pœna obliget in foro conscientiæ. 4. *a*. 5. *b*. 32. *a*. 34. *a*, & *b*. 35. *a*, & *b*. 36. *b*. 37. *a*. 38. *b*. 42. *a*. 43. *b*. 46. *a*. 34. *a*. 58. *b*. 79. *a*. 101. *b*. 102. *a*. 105. *a*. 118. *a*. 129. *b*. 132. *a*. 135. *a*. 138. *b*. 146. *a*. 167. *b*. 168. *a*. 181. *b*. 187. *a*. 188. *a*. 203. *a*. 220. *b*, 240. *a*. 282. *b*. 298. *a*. 303. *b*.

DECLARATORIA ubi non requiretur, ut pœna obliget in foro conscientiæ. 4. *a*, & *b*. 5. *b*. 34. *a*, & *b*. 35. *a*, & *b*. 36. *b*. 37. *a*. 38. *b*. 41. *a*, & *b*. 46. *a*. 79. *a*. 82. *a*. 126. *b*. 127. *b*. 130. *a*. 134. *b*. 138. *b*. 147. *b*. 231. *a*. 206. *a*. 207. *a*, & *b*. 258. *a*. 279. *b*. 283. *a*. 312. *b*. 316. *b*.

DECLARATORIA CENSURÆ an suspendi possit per appellationem. 28. *a*. Et qualiter fieri debeat *declaratoria*. 45. *a*. 85. *a*, & *seq.* DECLARATORIA CREDITORIS ubi requiritur ad censuram incurrendam, potest ipse creditor terminum prorogare. 28. *a*. *Declaratoria* aliquando disponit. 62. *a*. A quo, & qualiter ferenda. 85. *a*, & *seq.* *Declaratoriam* pœnæ conventionalis incursæ an facere possit hæres creditoris. 9. *a*. DECLARATORIA LEX quid operetur. 134. *a*. DECLARATORIÆ PRINCIPIS privatim factæ an standum sit. 95. *a*. *Declaratoria* sententia definitiva homicidii requiritur, ut de eo accusatus dispensari possit a S. Pœnitentiaria. 18. *a*.

DECOCTI quas pœnas, & inhabilitates incurrant. 215. *a*, & *b*.

DECRETI APOSTOLICI executionem impedientis pœna. 176. *a*, & *b*. *Decretorum* circa adimplementum onerum missarum executionem non procurantium pœna. 198. *a*. *Decreta*, & *Constitutiones* Apostolicæ legenda a Regularibus in publica mensa, vel capitulo, & sub quibus pœnis. 178. *a*. *Decretum* irritans non sanatur præscriptione, neque contraria consuetudine, nisi hæc sit immemorabilis. 42. *a*. An liget ignorantes. 41. *b*. 263. *a*.

DEFINIRE DE FIDE quænam possit Papa. 205. *a*.

DEFLORATIO VIRGINIS, vide STUPRUM.

DEGRADATIO quid, & quotuplex, quomodo, & quando facienda, & quibus privet. 31. *b*. & *seq.* A quo dispensari possit, 32. *b*. Non ligat ante declaratoriam, *ibid.* *a*. An dispensari possit ab Episcopo, *ibid.* *b*. Et an restitui ab eo possit injuste degradatus, *ibid.* * *Non est facienda, nisi in casibus a jure expressis*, 33. *a*, & *b*. *Et an aliquando etiam in non expressis*, *ibid.* *a*. *Enumerantur dicti casus expressi*, *ibid.* Fieri potest, etiamsi clericus non sit tradendus brachio seculari puniendus. 32. *a* * *Facienda est de clerico falsante monetam*. 201. *a*, & *b*. *Degradatio* clerici celebrantis cum censura an facienda. 90. *a*.

DELATIO criminis ad forum non reddit actum publicum, seu jurisdictionis tritum, si ex accusatione non resultet infamia facti. 4. *b*, & *seq.*

DELATORIS CALUMNIA, vide CALUMNIATOR.

* DELECTATIO *venerea non admittit parvitatem materiæ*, & *pœna in id afferentem*. 307. *a*, & *b*.

DELEGATA JURISDICTIO in quo sit fundata, & quam pœnam incurret, illam usurpans. 317. *a*, & *b*. *Delegata* pluribus, an censeatur *delegata* in solidum, *ibid.*

DELEGATIO FACULTATIS ABSOLVENDI an dari possit confessario ab Episcopo, vel Prælato excommunicato, aut suspenso, ut ipsum *delegantem* absolvat. 97. *b*. *Delegatio* facultatis dari potest a Prælato ad secum dispensandum, vel absolvendum. 22. *b*. 24. *b*.

DELEGATUS an possit *subdelegare*. 16. *b*. Et quando dicatur functus officio. 56. *b*. Non potest *subdelegare*, quando electa est persona, non dignitas. 16. *b*. Quando ejus jurisdictio expiret, si ipsius sententia nulla sit ob non servatam formam commissionis. 56. *b*. Potest exercere jurisdictionem etiam extra territorium *delegantis* * *Dummodo non agatur de absolutione a censuris, si subdelegatus non sit proprius parochus*. 16. *a*. *Delegatus* Papæ, quando potest absolvere a censuris latis ab homine. 25. *b*. * *Et ibi nota exceptionem*. *Delegatus* an possit accipere munera, vel pretium, aut sportulas. 206. *b*. *Delegatus* pro decreto alienationis. vide ALIENATIO.

DELICTUM grave, vel leve qualiter cognoscatur. 21. *a*. *Delicta*, & pœnæ qualiter multiplicentur ex actuum multiplicatione in continenti. 6. *a*, & *seq.* Iteratum an sit exprimendum ab eo, qui petit dispensationem, vel absolutionem. 16. *a*. Idem *delictum* quando puniendum duplici pœna. 6. *b*, & *seq.* Et quando non. 9. *a*, & *b*. Quando dicitur publicum. 18. *a*. Dicitur tale, licet facta fuerit de eo transactio in Curia. *ibid.* An publicum in uno loco, dicatur etiam in alio, *ibid.* *b*. Commissum extra territorium, quando punibile a superiore delinquentis. 30. *a*, & *b*. Et quid, quando commissum partim in uno, partim in alio territorio. 31. *a*. Et quid, quando inceptum in uno, & consummatum in altero, *ibid.* & *b*. *Delicta* infamiam juris irrogantia tam de jure civili, quam canonico. 38. *a*. 40. *a*. *Delictum* an excusetur ob metum. 13. *b*, & *seq.* Item quando ob furorem, vel dementiam. 14. *b*. DELICTUM MIXTI FORI, vide MIXTI FORI.

DELICTI COMPLICEM absolvens, vide COMPLEX.

DEMENS an semper sit irregularis, & si est ad Ordines promotus, quando possit in iis ministrare. 14. *b*.

DEMENTIA, & FUROR qualiter probetur. 188. *b*. Superveniens, an excuset a pœnis latæ sententiæ. 14. *b*.

DENUNCIATIO de quibus facienda, & pœnæ in non denunciantes. 116. *a*, & *b*. 117. *a*. * *Denunciationem omittentes intra præscriptum tempus absolvi possunt ab excommunicatione incursa, postquam tamen denunciaverint, sed cum limitatione*. 116. *b*. *Non satisfit oneri denunciandi per epistolam sine nomine*, *ibid.* *Facienda est etiam de leviter suspectis de hæresi*, *ibid.* *Etiam non promissa correctione*, *ibid.* *Etiamsi denuncians probare nequeat delictum*, *ibid.* *Etiamsi illud sciat sub secreto naturali*. *ibid.* Item si *denuncians* habeat complices delicti, *ibid.* *Denunciare* tenetur quilibet, etiam filius parentes, & e contra. 243. *b*. *Denunciatio* extra casus hæresis, seu S. Officii, & læsæ majestatis, an facienda, si *denuncians* sciat, se delictum probare non posse, vel nonnisi cum suo gravi damno. 317. *a*. Qui alii *denunciandi*. 112. *b*. 257. *b*. Ad *denunciationem* faciendam, qui teneantur jure communi. 116. *a*, & *b*.

DENUNCIATIONEM PRO MATRIMONIO CONTRAHENDO, vide PROCLAMATIONES, seu PROMULGATIONES.

DEPOPULATORIS agrorum nomine qui veniat. 117. *a*. 154. *a*. Non gaudet asylo sacro. 117. *a*. * *Etiamsi sit diurnus*, *ibid.* Quando incurrat etiam excommunicationem, *ibid.*

DEPORTATIONI reorum successit damnatio ad triremes, & carcer perpetuus. 40. *a*.

DEPOSITA Ecclesiarum, vel ecclesiasticorum, aut piorum locorum sequestrantis, vel occupantis pœna. 117. *a*, & *b*.

DEPOSITIONIS pœna quæ, & quotuplex, & a quo facienda, & a quo dispensari possit, 31. *b*, & *seq.* In quo differat a degradatione. 31. *b*. Non privat privilegiis clericalibus, nec bonis, *ibid.* Nequit infligi, nisi in casibus expressis a jure. 32. *a*. Non ligat ante declaratoriam. *ibid.* Quando dispensari possit ab Episcopo, & a qua *depositione*, *ibid.* *b*. Differt a perpetua suspensione, *ibid.* Post *depositionem* celebrans, an fiat irregularis. *ibid.* *Depositione* dignum est omne crimen circa sacramentorum administrationem cum gravi scandalo. 200. *b*. *Depositio* ab officio an infamet. 40. *a*. Involvit perpetuam incapacitatem, seu inhabilitatem ad aliud per novam provisionem obtinendum, nisi intercedat dispensatio. 32. *b*.

DEPREHENSUS in delicto quis dicatur. 271. *a*.

DERELICTA BONA quæ censentur. 210. *a*.

DEROGATORIA sufficiens est clausula continens personas, etiam speciali, seu individuali nota dignas, 100. *a*. DEROGATORIA spe-

specifica, & individualis requiritur ad derogandum juri communi. 208. *a*.

DESERTIO CLERICALIS STATUS, vide APOSTATA AB ORDINE.

DESTRUENS bona Ecclesiæ, vel loci pii, quas pœnas incurrat. 315. *b*, *& seq.*

DETINENS injuste rem Ecclesiæ, potest conveniri coram judice ecclesiastico. 316. *b*.

DETRUSIO in monasterium hodie est commutata in pœnam triremium. 208. *b*.

DEVOLUTIO juris conferendi beneficium, vel ad illud præsentandi, si tempore debito non fiat collatio, aut præsentatio, ad quem spectet. 81. *a*.

DIACONI matrimonium contrahentis pœna. 190. *b*. 191. *a*.

DIES cœpta quando habeatur pro completa. 216. *a*. 244. *b*.

DIFFAMATOS de crimine capitali receptans, vide BANNITOS.

DIFFIDATIO quando dicatur, & quando risu. 220. *a*. Et vide DUELLUM. *Diffidatio* bonorum, vide BANNITOS.

DIGNIORIS electio, vide verbum INDIGNO.

DIGNITATIS nomine quid veniat. 33. *b*. 34. *a*. Illius privatio quando inducatur, *ibid.* A quo possit dispensari. 34. *b*. Illam obtinens in cathedrali, vel collegiata non promotus intra annum ad ordinem eidem annexum, quas pœnas incurrat. 78. *a*, *& b*. Quando excusetur, *ibid.* Non promotus, non privatur ipso facto beneficio, *ibid.*

DILATIO data a creditore an suspendat censuram. 28. *b*.

DILECTI FILII nomine in litteris Papæ an contineantur indigni. 44. *b*.

DIMISSIO MONASTERII, seu conventus sine facultate. 246. *a*, *& seq.*

DIMISSORIÆ pro recipiendis ordinibus a quo dari debeant. 227. *a*, *& seq.* Sine illis, aut cum illis falsis, aut subreptitiis tam ordinati, quam ordinantis pœnæ, *ibid.* An pœnæ se etiam extendant ad initiantem, & initiatum prima tonsura, 227. *b*. Quis dispensare possit super dictis pœnis, 227. *a*, *& seq.* * *Quid, si Episcopus ordinet in propria diœcesi suum subditum sine dimissoriis Ordinarii loci, in quo ille adultus moratus est.* 218. *a*. *Dimissorias* Abbates Nullius intra fines alicujus Diœcesis existentes, quando suis subditis concedere nequeant. 231. *a*. Quas pœnas incurrant, *ibid.* Ad quem spectet eas tunc concedere, *ibid.* *Dimissorias*, Sede vacante, intra annum non arctatis ratione beneficii concedentis pœnæ. 232. *b*. Item cum illis Ordines recipientis, *ibid.* Possunt tamen concedi, ubi Tridentinum non est receptum, *ibid.* Eas nequit concedere Vicarius capitularis tam intra, quam ultra annum, nisi habeat specialem facultatem a Capitulo, *ibid.* Secus est de Vicario Apostolico, nisi in litteris ad id fuerit restrictum, *ibid.*

DISJUNCTIVA inter diversas pœnas qualiter intelligenda. 84. *b*.

DISPENSATIO est præter jus. 13. *a*. Et stricti juris, & non extenditur ultra expressa. 15. *b*. 16. *a*. 150. *a*. *Dispensatio* a pœnis ecclesiasticis latæ sententiæ in quibus differat ab absolutione. 15. *ad tot.* 16. Ubi locum habeat. 15. *a*. Non est *dispensatus* ab irregularitate, absolutus a censuris. 2. *b*. 15. *b*. Semper requirit causam. 15. *a*. Et quæ debeat esse. 22. *a*, *& b*. Sobrie concedenda. 15. *b*. An, & quando sine peccato denegari possit, *ibid.* *a*. Facultas *dispensandi* a pœnis non continetur in generali mandato jurisdictionis. *ibid.* *b*. Ab illis latæ sententiæ *dispensare* nequit Vicarius generalis, etiam ex speciali mandato, nisi id sit ei concessum in individuo, *ibid.* *Dispensatio* potest revocari, *ibid.* An cesset, cessante causa, ob quam est data, *ibid.* Dari potest subditis ratione domicilii tantum, non ratione quasi domicilii, vel originis, *ib.* An valeat secunda vice obtenta post reincidentiam in aliquod delictum, reticita prima obtenta super eodem. 16. *a*. *Dispensatio* est actus jurisdictionis voluntariæ, ideoque exerceri potest extra territorium, etiam a delegato, si non adsit legitimus contradictor. 16. *a*. * *Non tamen, si facienda sit a Delegato extra territorium in sacramentali confessione, si non sit proprius parochus, ibid.* *& b*. An exerceri possit ab Episcopo in Curia Romana *ibid.* *b*. Et quid, si danda sit tantum in foro conscientiæ, *ibid.* *Dispensans* delegatus, non potest subdelegare, si sit electa industria personæ; secus si electa sit dignitas, *ibid.* *Dispensatio* data, sed non notificata *dispensato*, non reddit nullos actus ab eo gestos, *ibid.* Secus, si tantum commissionis litteræ expeditæ fuerint. *ibid.* Non datur accusato de homicidio, nisi secuta sit Declaratoria definitiva. 18. *a*. Data pro foro interno, non valet pro externo. *ibid* *b*. *Dispensatus* ad Ordines, & beneficia, non intelligitur *dispensatus* ad beneficia curata. 16. *a*. 150. *a*. Item an *dispensatus* ad beneficium, intelligatur *dispensatus* ad plura, *ibid.* Item dispensatus ad beneficium, an censeatur *dispensatus* ad pensionem, *ibid.* *& b*. Item *dispensatus* ad Ordines, an censeatur *dispensatus* ad pensionem, *ibid.* Alios casus vide *ibid.* *Dispensatio* commissa Confessariis, nequit dari extra forum sacramentale. 19. *a*. An idem, si committatur Prælatis, & Episcopis, *ibid.* *b*. Potest dari absenti pro foro externo. *ibid.* A quo dari possit super irregularitate, suspensione, & aliis pœnis latæ sententiæ. 20. *b*, *& seq.* * *Dari nequit a Superioribus Regularium quoad suos subditos.* 145. *b*. Quando dari possit ab Episcopo, & cui subdito. 21. *a*, *& seq.* * *Ab eo nequit dari super irregularitatibus, & suspensionibus reservatis Papæ post Tridentinum, etiam ex delicto occulto provenientibus ibid.* *b*. Nec super inhabilitate ad officia, & beneficia, ac privatione eorumdem. 22. *a*. *Dispensandi* facultas competens Episcopo in vim *cap.* 6. *sess.* 24. Tridentini, an competat aliis Prælatis, habentibus episcopalem jurisdictionem *ibid.* Item an Vicario generali, & capitulari, *ibid.* An eadem facultas competens Episcopo, committi possit ab eodem ad secum *dispensandum*. *ibid.* *b*. An Papa possit *dispensare* super traditione Apostolica. 208. *a*. *Dispensatio* in ordinando non præsumitur. 221. *b*. *Dispensationis* forma ex delicto. 237. *a*. *Dispensatio* concessa pro casu occulto, an vitietur, si casus fiat publicus. 18. *b*.

DISPENSATIO MATRIMONII, vide MATRIMONII DISPENSATIO.

DISTANTIA parva quæ. 258. *b*.

DISTRIBUTIONES, & anniversaria non continentur sub pœna privationis fructus beneficii. 37. *b*. Male perceptæ cui restituendæ, & applicandæ. *ibid.* *& 79. a*. Quis illarum privationem incurrat. 78. *a*, *& b*. Iis privantur obtinentes beneficium in cathedrali, & collegiata, si non fuerint promoti ad Ordinem requisitum, licet divinis Officiis intersint, *ibid.* *b*. *Nec retinere eas possunt, licet sibi a Capitulo condonentur.* 280. *b*.

DIVINATIO, vide SUPERSTITIONIS PŒNÆ.

DIVINORUM OFFICIORUM nomine quæ veniant. 88. *a*, *& b*. Ad ea excommunicatum admittentium pœnæ, *ibid.* Quando excusentur. *ibid.*

DIVORTII causa quando adulterium sufficiens est. 54. *a*.

DOCTOR in artibus an dicatur habere dignitatem. 295. *a*.

DOGMATA falsa, vel miracula prædicantium pœna. 242. *b*.

DOLUM, VEL FRAUDEM committentis pœna. 217. *b*. Dolus qualiter præsumatur. 158. *a*. Qualiter excusetur. 217. *b*. Dans causam professioni religiosæ, an eam irritet, vel tribuat jus expellendi. 245. *a*.

DOMICILIUM respectu pœnæ commissi delicti. 48. *b*, *& seq.* *Domicilium* quando religiosus dicatur habere in aliquo loco, seu Diœcesi. 234. *a*.

DOMINIUM directum in bonis ecclesiasticis laici usurpantis pœna. 316. *b*. 317. *a*. Item ecclesiasticorum huic usurpationi consentientium, *ibidem*.

DONATIO facta concubinæ an valeat. 205. *a*, *& b*. Facta a religioso sub qua pœna prohibita. 207. *b*, *& seq.* Et quid *de donatione facta* judicibus, & publicis officialibus. 206. *a*, *& b*. 207. *b*. *Donatio* remuneratoria quando dicatur, & quando inter prohibitos donare sit licitum. 207. *b*. *& seq.*

DONEC SATISFECERIT, censura lata, satisfactione præstita, an cesset ipso jure absque absolutione. 29. *a*.

DOS MONIALIS expulsæ cui debeatur. 254. *b*. Dotis privatio ob conjugis occisionem an obliget in conscientia ante sententiam. 247. *b*.

* DOTALIA SUBSIDIA *honestis virginibus distribuenda, ab iisdem retineri nequeunt, si non sint virgines.* 301. *b*. 320. *b*.

DUBIUM juris quid sit, & an excuset a pœnis latæ sententiæ. 11. *b*. An etiam excuset ab irregularitate, & censuris, *ibid.* An hæ pœnæ incurrantur in dubio facti, 12. *a*. Qui casus excipiantur, *ibid.* Dubium positivum quid sit. *ibid.* *& b*. * *In dubio, sive juris, sive facti de incursu in censuras, contentas in Bulla Cœnæ, nemo absolvi potest a simplici confessario. ibid.* *b*. *Dubitans* de justitia censuræ, an teneatur eam observare. 20. *a*, *& b*. Item *dubitans* de peccato, an teneatur illud confiteri. 11. *b*. Item *dubitans* confessarius de peccato reservato, an possit ab eo absolvere. 13. *a*. Item *dubitans* de mutilatione, an sit irregularis. 596. *a*. *Dubium* de abortu, vide ABORTUS.

DUELLUM formatum quid sit. 118. *a*. Committentis, vel ad illud cooperantis Clerici pœna. 117. *b*. 318. *a*. Fit irregularis, etiam non secuta morte, 118. *a*. Quis eum dispensare possit, *ibid.* Illud subditi Romanæ Ecclesiæ committentes, vel cooperantes, incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, aliasque corporales pœnas. 118. *a*, *& b*. * *Occidens in duello, licet occisus moriatur extra conflictum, non gaudet asylo immunitatis.* 119. *a*. *Moriens etiam extra conflictum, licet dederit signa pœnitentiæ, caret ecclesiastica sepultura, ibid.* *b*. Illud spectantes quas, & quando pœnas incurrant. 119. *a*, *& b*. *Duellum* informe, aut minus solemne quale sit, & pœna illud committentis, ad illud cooperantis, aut spectantis, 119. *b*. 120. *a*. A *duelli* peccato quis, & qualiter tam principales, quam complices absolvere possit, *ibid.* *& b*. * *Propositiones proscriptæ circa duellum, & pœnæ in illas asserentes, vel docentes.* 119. *b*.

E

ECCLESIA non curat de iis, qui foris sunt, seu de Infidelibus. 314. *a*. ECCLESIÆ nomine in odiosis non venit monasterium. 147. *a*. Quando ejus nomine non veniat Oratorium privatum, vel cœmeterium 269. *a*. *Ecclesiæ* fundatio, etiam Regularium, de cujus facultate fieri debeat. 247. *a*, *& b*. *Ecclesiarum* favore legata, & restitutiones impedientes religiosi, vel sibi appropriantes in præjudicium aliarum *Ecclesiarum*, quas, & quando pœnas incurrant. 252. *a*, *& b*. *Ecclesiarum* administrationem, litteris non expeditis, assumentium pœnæ. 134. *a*, *& b*. Ad quos hæ se extendant, *ibid.* Quando excusentur, *ibid.* *Ecclesiam* sibi commissam obligans, vel obligandi facultatem concedens, seu ære alieno gravans, quam pœnam incurrat. 214. *b*. *Ecclesiam* cum effractione spoliantis pœna. 269. *a*. De quibus rebus debeat esse spoliatio ad eam incurrendam, *ibid.* *Ecclesiarum* Urbis ornamenta, & lapides auferentium pœna, 269. *a*, *& b*. *Ecclesiæ* cathedralis fundatio est reservata Papæ. 158. *b*. *Ecclesiarum* incendiarii, vide INCENDIARII. *Illarum violatoris, & raptoris pœna.* 158. *a*. Item eum absolventis, non servata juris forma, *ib.* *Ecclesiæ* pollutio, vide POLLUTIO ECCLESIÆ. *Ecclesiæ*, vel altaris consecratio, vide CONSECRATIO ECCLESIÆ. *Ecclesiæ* deposita sequestrantes, vide DEPOSITA ECCLESIARUM. *Ecclesiæ* bonorum, vel proventuum occupatio, vide USURPATIO BONORUM &c. *Ecclesiarum*, & piorum locorum loca jurisdictionalia alienantes, vide ALIENATIO LOCORUM JURISDICTIONALIUM. *Ecclesiæ* Romanæ jurisdictionem usurpantis pœna. 266. *a*. Ejusdem locorum alienatio, vide ALIENATIO LOCORUM &c. *Ecclesiarum* vacantium bona, & fructus, vide VACANTIUM ECCLESIARUM &c.

ECCLESIASTICA IMMUNITAS, vide IMMUNITAS.

ECCLESIASTICARUM rerum rapina, vel furtum. 269. *a*.

ECCLESIASTICORUM bonorum usurpatio, vide USURPATIO.

ECCLESIASTICOS ad forum laicum trahentium pœnæ. 114. *a*, *& b*.

EDICTUM magistratus an duret, eo amoto. 335. *b*.

* EDUCANDÆ, ET FAMULÆ *in Monasteria monialium nequeunt admitti sine licentia Sedis Apostolicæ.* 97. *b*. 202. *a*.

EFFECTUS subsecutus an requiratur in delictis ad incurrendam pœnam. 213. *a*.

EFFICIATUR inhabilis — an sit latæ sententiæ, & liget ante declaratoriam. 316. *a*, *& b*.

EFFRACTIO quid sit. 269. *a*. *Effractionis* Ecclesiæ pœnæ. *ibid.*

* EJECTIO REGULARIUM *quando, ex quibus delictis, & quomodo fieri possit.* 253. *a*. *& seq.* Illegitime facta, quas pœnas inducat. *ibid.*

* EJECTUS RELIGIOSUS, *appellans ab ejectionis sententia, debet sua jura experiri intra carcerem formalem.* 253. *b*. *Ejectus* legitime ad quid teneatur. 254. *b*. Quibus pœnis subjaceat, *ibid.* Non potest promoveri ad Ordines, *ibid.* * *Non potest petere a Religione alimenta.* 254. *b*. 255. *a*. *Ejectos* superiorum non recipientium pœnæ. 255. *a*. Quando eos teneantur recipere. *ibid.*

ELECTIO ecclesiastica quot modis fieri possit. 220. *b*. 222. *a*. Facta, non servata forma juris, an sit nulla in foro conscientiæ. 202. *b*. 221. *a*. 225. *b*. Et quid, si facta per abusum laicæ potestatis. 223. *b*. Facta a procuratore secundum formam mandati generalis in scriptis, sed contra intentionem privatim specificatam, an valeat. 225. *a*. Facta per

fortes, est nulla. 121. a. Item facta ab excommunicato, vel suspenso, 120. b. Quando tamen potest esse valida, sed illicita, ibid. Item nulla est facta per subornationem. 60. b. ELECTIO indigni quando nulla ipso jure. 155. a. Et indignum non habentem qualitates requisitas eligentium pœna, 121. b. 125. a. * Dignioris electio quomodo intelligenda. 222. a. In quibus electionibus locum habeat, ibid. Propositio proscripta circa hoc, ibid. In electione ambitus quando illicitus, & sub qua pœna. 59. a, & seq. In ea qui tractatus prohibiti, ibid. Electio digni facta a minori parte eligentium, quando est valida. 123. a. Quando nulla, facta cum uno ex Electoribus voce activa privato. 33. a. Privatus voce passiva, ad quæ officia eligi nequeat, ibid. Electio præsentari debet electo intra tempus legitimum, & pœnæ non præsentantium. 223. a, & b. In quibus electionibus id locum habeat, ibid. Ad quem alias devolvatur electio, ibid. Electionis confirmatio, quando, & de qua necessaria. 125. b. Electionem per calumniam impugnantis pœna. 123. a. * A quibus beneficiis hic privetur, ibid. Si Electio impugnetur ante, vel post confirmationem, cui incumbat onus probandi. ibid. Electionis denegatæ causa eligentem vexantis pœna, ibid. b. Electio nulla qualiter revalidari possit. 224. b. Electionis de se factæ extra suum Ordinem religiosus consentiens absque licentia sui superioris, quam pœnam incurrat. 124. a, & b. Quis veniat nomine superioris, ibid. Electio Mendicantium ad prælaturam extra Ordinem. 122. b. Electio regularium officialium, vide REGULARIUM OFFICIALIUM ELECTIO. Electio Abbatissæ, vide ABBATISSA. Electio Papæ, vide PAPÆ ELECTIO.

ELECTUS se ingerens in officio ante confirmationem, privatur jure quæsito per electionem. 123. b. Ad quem electum hæc pœna se extendat, ibid. Eligens ambitiosum, & indignum, quam pœnam incurrat. 61. a.

ELEEMOSYNA PRO MISSA an recipi possit ab excommunicato, aut interdicto. 124. a, & b. Eleemosynæ missarum partem sibi retinentis, alteram celebranti tradentis pœna. 198. b. Item pœna laicorum, & clericorum missas colligentium, & minori, quam receperint, eleemosyna, earum celebrationem committentium, ibid. Eleemosynarum collectionem religiosis Ordinum Mendicantium prohibentis pœna. 125. b.

EMPHYTEUSIS locorum Ecclesiæ Romanæ interdicta quomodo, & quibus. 161. a. Pœna illam Papæ consulentis. 57. a.

EPISCOPATUS non est ordo adæquate distinctus a Sacerdotio. 255. a. Illius consecratio ante sacerdotium est invalida. ibid. Hæc consecratio male suscepta, seu non servatis circumstantiis, an valida. 156. a. Episcopatus erectio, & divisio facta sine facultate Sedis Apostolicæ. 228. b. Episcopatum alterum recipiens sine licentia Papæ, non statim primo privatur, sed utroque privandus est per sententiam. 80. a. Episcopatu privatur civitas, occidens proprium Episcopum. 163. a. Quam aliam ob causam, & an hæc pœna obliget ante declaratoriam. 43. b. 44. a. Episcopatus receptio nequit præcipi Religioso subdito a suo superiore. 150. b.

EPISCOPI eligendi ætas. 229. a, & b. 310. a. Et qui eligi nequeat, ibid. Episcopus se ingerens in alia diœcesi sine licentia, quam pœnam incurrat. 127. a, & b. Item in loco exempto, aut nullius diœcesis. 128. a, & b. Quid in his locis facere possit, ibid. Episcopi Synodum diœcesanam celebrare negligentis pœna. 300. a. Item non visitantis limina Apostolorum statutis temporibus. 183. a, & seq. Item Romam accedentis, & recedentis sine licentia Papæ, & illum sic recipientis. 184. a. Item conferentis ordines, postquam renunciavit Episcopatui. 232. a. Item non residentis, vide RESIDENTIAM EPISCOPI. Non residens, denunciandus est Papæ per Metropolitanum. 257. b. * Episcopus nequit dispensare super inhabilitate ad officia, & beneficia, nec super privatione eorumdem, nec super irregularitate, & suspensione, provenientibus ex delicto, etiam occulto, Papæ reservata post Tridentinum, neque absolvere a casibus occultis, eidem post Tridentinum reservatis, non obstante facultate ei tributa a cap. 6. sess. 24. ejusd. Trid. 21. b. 24. b. 180. b. An hac facultate ei concessa pro suis subditis, uti possit, deputando alium, a quo ipse dispensetur vel absolvatur. 22. b. 24. b. Quando, & a quibus possit absolvere censuris, Papæ reservatis, etiam non occultis. 23. a, & seq. An ab iisdem absolvere possit impeditos accedere ad Sedem Apostolicam, si recurrere possint per litteras. 24. b. An possit per censuras ecclesiasticas cogere delinquentem ad publicam pœnitentiam peragendam. 2. b. Potest pœnitentiam publicam in secretam commutare, ibid. Non tamen impositam a Papa, vel a S. Pœnitentiaria pro casu reservato, ibid. Potest ex causa rationabili commutare pœnitentias injunctas a Dataria pro dispensationibus matrimonialibus, concessis in forma commissaria, 3. a. Non tamen illas, quæ debent præcedere actum dispensationis, ibid. Potest in cathedrali deputare plures Pœnitentiarios, etiam Regulares. ibid. Episcopus civitatis, quæ privata est dignitate episcopali, ubi exercere possit pontificalia, & jurisdictionem. 43. b. Episcopi consecratio, vide CONSECRATIO EPISCOPI. Episcopus illegitimus, vide ILLEGITIMUS. * Episcopus regularis qua bona in Religione acquisita secum ferre possit. 255. b. Episcopus titularis, seu annularis an teneatur visitare limina Apostolorum. 183. b. 184. a. An possit Ordines conferre sine licentia diœcesani. 230. a, & b. Episcopus non incurrit interdictum, neque suspensionem, quando in lege tales pœnas infligente, de eo non est facta mentio. 86. a. 100. a. Quando incurrat. 100. a. Illius pœna se ingerentis in episcopatu, literis non expeditis. 157. a. Potest procedere, & punire, & cogere quemcunque ad vitandum mortale peccatum. 269. a. Episcopi an possint dari plures in eadem diœcesi. 127. a, & b. Reliqua de Episcopo vide verbo ORDO, ET DISPENSATIO &c. Episcopus quoad exemptos, vide verbo EXEMPTIO.

ERROR COMMUNIS, vide TITULUS COLORATUS.

ESCULENTA, & POCULENTA a quibus dono recipi possint. 206. b. 207. b. 289. b.

ET — dictio, an stet expositive. 2. a.

EUANGELIORUM LIBRUM laicis ad osculum offerentium pœna. 229. a.

EUCHARISTIÆ sumptio in Missæ sacrificio, sub qua pœna omittatur, & an spectet ad essentiam sacrificii. 299. a. Post mortale peccatum, nonnisi prævia confessione accipi potest. 307. b. 308. a. Illam ministrantis pœna alienis parochianis. 268. a.

EUGENIANÆ privilegium circa protectionem Curialium quoad eorum beneficia. 213. a.

EVIRATUS sine necessitate, est irregularis; secus, si ob necessitatem. 296. a.

EVITATIO EXCOMMUNICATI, vel irregularis quando obliget. 86. b, & seq.

EXAMINANDI ROMÆ EXTERI AD ORDINES promovendi, qui sint. 235. a, & seq.

EXAMINATORES SYNODALES in concursu ad parochiam. 85. a. Iisdem prohibitum est sub pœna simoniæ quidquam accipere, etiam sponte datum, item poculenta, & esculenta. 283. a.

EXAMINI pro beneficio obtinendo se pro alio fraude supponentis pœna. 77. a.

EXCOMMUNICATIONIS nomen quandoque significat suspensionem. 300. b. Qualiter ferenda. 85. a, & seq. Non potest ferri contra participantes cum excommunicato, ipsis non nominatis. 87. b. Nec contra universitatem. 43. a. Qualiter invalidet acta judicialia. 87. a. Excommunicatio major a quo absolvi possit. 22. b, & seq. A non reservata potest absolvere quilibet confessarius. 22. b. Quomodo incurratur. 87. b. A quo minor absolvi possit. ibid. Absolvi nequit a simplici sacerdote, ibid. A majori sine facultate absolventis pœna. 50. b, & seq. Sequitur personam, etiam extra territorium. 29. b. Reservata Papæ a quo, & quando possit absolvi ob impedimentum adeundi Sedem Apostolicam. 23. a. Excommunicationem excommunicati non servantis pœna. 88. b. Sub excommunicationis pœna — hæc clausula non est latæ sententiæ, nisi sit addita hæc alia — ipso facto, vel ipso jure incurrenda. 3. b.

EXCOMMUNICATUM absolvens prius a culpa, quam a pœna, quam pœnam incurrat. 52. a, & b. Excommunicare quodam est exemplum sententiæ excommunicationis, si illud petat. 86. a, & b. Excommunicatus vitandus quis sit. ibid. b. An vitandus in uno loco, sit vitandus ubique. 6. a. Cum eo communicantis pœna, & quando excusetur. 86. b, & seq. Communicans in crimine criminoso, incurrit eamdem pœnam, ac ille. 87. b. Excommunicatum ad divina admittentis pœna, ibid. Et quid, si sit excommunicatus a Papa. 88. a. Et quid veniat nomine divinorum, ibid. Excommunicatus non vitandus, an sit repellendus a limine judicii. 87. a. An ejus testimonium valeat, ibid. Excommunicati acta, vide ACTA JURISDICTIONALIA. Excommunicatum a Papa absolventis pœnæ. 88. a. Excommunicationem excommunicati non servantis pœna. ibid. b. Item pœna, si monitus, de Ecclesia exire nolit. 89. a. Quando excusetur, ibid. * Non est ejiciendus vi, ibid. Etiam non nominatim denunciatus, sed publicus, expelli potest. 92. a, & b. Excommunicatus clericus celebrans, vel coram se celebrari faciens, quas pœnas incurrat. 89. a, & b. Quando ab his eximatur, ibid. Exercens Ordinem, an, & quando incurrat pœnas. ibid. Celebrans, quando non incurrat irregularitatem, ibid. An sit degradatione dignus. 90. a. Faciens coram se celebrari, fit irregularis, & a quo dispensari possit. 89. b. Excommunicatus clericus, absolutus tantum in foro interno, declarari, & denunciari potest ab Ordinario; & si celebraverit, etiam declarari, incurrisse irregularitatem. 18. b. Item nulliter obtinuisse beneficium. 19. a. Et quid, si absolutus sit vigore Cruciatæ. ibid. Excommunicatum sepelientis pœna. 273. b, & seq. Item admittentis ad oblationem. 214. a. Excommunicatus occultus non tenetur se prodere, a missa discedendo. 89. a. Excommunicari quis, & qualiter possit pro debito civili. 240. a.

* EXECUTORES litterarum S. Pœnitentiariæ qui sint, & quomodo se gerere debeant in illarum executione. 326. b. 327. a. 332. a. An variari possint, postquam litteræ illis traditæ fuerunt. 326. b. In illarum executione tutiorem sententiam quis sequi debet. 331. b. Et vide S. PŒNITENTIARIA. Executoris de manu beneficii possessio capienda est. 235. b. Executor testamentarius, vide TESTAMENTUM.

EXEMPTIO a jurisdictione Ordinarii quando amittatur. 177. b. Quando non possit præscribi, ibid. Exemptionis privilegium qualiter præscribatur, ibid. Illius renunciatio est species alienationis, ibid. a. Illam violantis pœna, onere imponendo ecclesiasticis. 235. b. Exemptionis privilegio clericus conjugatus quando gaudeat, vide CONJUGATUS CLERICUS.

EXEMPTUS locus, vel persona quando dicatur, & quid in loco exempto possit facere Episcopus. 127. b. 128. a. Item Episcopi in exemptos jurisdictionem exercentis pœna 177. a. Item exemptorum consentientium, ib. Quando tamen puniri possint ab Episcopo. 90. b. An eos Episcopus declarare possit in censuras, & pœnas incidisse. ibid. Quando ab eodem absolvendi sint a censura, ibid.

EXENTERATIO cadaveris sub qua pœna prohibita. 274. a.

EXERCITIUM qualem frequentiam actuum requirat. 315. a.

EXHUMATIO cadaveris, lite pendente, prohibita. 273. b.

EXILIUM temporale an inducat infamiam. 40. a.

EXISTAT — an sit canon latæ sententiæ. 124. b.

EXPECTATIVÆ ad beneficia hodie sublatæ sunt. 61. a.

EXPRESSE dictum quando sit. 70. b.

EXTENSIO de casu ad casum in pœnis latæ sententiæ, etiam ex identitate rationis, non fit. 8. a.

EXTERI Romæ pro Ordinibus recipiendis, qui sint. 235. a.

EXTERNI FORI jurisdictionem parochus non habet. 167. a.

EXTRACTIO confugitorum ab Ecclesia, vide IMMUNITATEM LOCALEM. Extractio frumenti, & annonæ, vide ANNONAM.

EXTRANEI ab Ecclesia habeantur — an sit canon latæ sententiæ. 124. a.

EXTRAVAGANS — Ad evitanda. 86. b. Extravagantes an obligent. 207. b.

EXTRA tempora Ordines recipientis pœna. 255. a, & seq. * Qui Regulares extra ea ordinari possint, 256. a. Illorum privilegia non arctant Episcopos, ibid. Græci ea non servant. ibid. b. Et vide ORDO.

EX TUNC, an sit latæ sententiæ. 78. b. 274. b.

F

FABRICÆ S. PETRI deputatos offendentium pœna. 199. b. Qua conditione concedere potest compositionem pro missis omissis, 397. b.

FACIENTIUM nomine an veniant mediatores. 278. b.

FACTUM famosum quando dicatur. 27. b. Illius notorietas supplet sententiam judicis. 267. b.

FALSA dogmata, & miracula, ac falsas revelationes prædicantium pœna. 245. b.

FALSANTIUM Litteras Apostolicas pœnæ. 130. b. 131. a. Et quot modis falsentur, ibid. Item litteras Ordinariorum, ibid. Item falsantium litteras, & Sigillum S. Pœnitentiariæ. 239. b. 240. a. Item monetam Regis Franciæ. 330. b. * Item eam falsantium in locis Romanæ Ecclesiæ, ibid. & 201. a. Item cedulas Montis Pietatis, & S. Spiritus de

Urbr. ibid. b. *Falsum* metallum per artem Alchimiæ, vide ALCHIMIA.

FALSARII pœnæ, vide FALSUM.

FALSUM quod crimen sit, & ejus pœna. 259. *b*. Quis dispenset super irregularitate proveniente ex hoc crimine. *ibid. Falsi* causa an clericus damnari possit ad triremes. 228. *b*. *Falsi* crimen incurrit, absolvens sine facultate, aut usurpans gradum, vel officium publicum, quod non habet. 49. *b*. *Falsum* an dicatur committere, impetrans gratiam subreptitie. 237. *a*.

FALSUS TESTIS quam pœnam incurrat. 130. *a*. * *Falsos testes adhibentis pœna ad probandum statum liberum pro matrimonio contrahendo*. 190. *b*.

FAMA quid sit, & quid ad eam requiratur. 17. *b*.

FAMILIÆ religiosorum numerum taxatum superiorum augentium pœna. 248. *a*.

* FAMILIARIS *Episcopi pro Ordinibus recipiendis quis sit*. 229. *a*. *Familiares* Papæ, vel Cardinalis lædens. 187. *b*.

* FAMULÆ *Monialium intra clausuram admissæ urgente, sine licentia Papæ*. 97. *b*.

FERARUM agitatio sub qua pœna prohibita. 184. *a*, & *b*. Et pœna ecclesiasticorum eam spectantium, *ibid.*

FICTUS ACTUS an inducat pœnam latam contra actum exercentem. 236. *b*. *Fictus actus*, seu casus, quando contineatur in lege puniente aliquem actum. 50. *b*.

FIDEI disputationem laici assumentes, quam pœnam incurrant. 133. *a*. Quando eis liceat, *ibid. Fidei negatio quot modis committatur*. 140. *b*. & *seq. Ad Fidei professionem jure humano, & divino quis teneatur, ibid.* & 233. *a*. *Propositiones proscriptæ circa hanc materiam, ibid. Ad Fidei professionem jure humano præceptam quis teneatur, & pœna eam omittentium*, 231. *b*, & *seq. Quando ab ea excusetur*. 232. *a*. Non excusetur provisus a Sede Apostolica, etiam stante contraria consuetudine, *ibid.* An ad eam teneantur Prælati regulares, *ibid. b*.

FIDEJUSSIO facta super bonis patrimonii clericis prohibita. 224. *a*. Et quid de fructibus, *ibid. Fidejussione* facta a clerico in sacris, qui beneficii fructus ei relinquendi, *ibid.*

FIDELITATIS juramentum quis teneatur emittere, & pœna illud omittentis. 231. *b*. *Fidelitatem* promittere laicis an possint ecclesiastici. 170. *b*.

* FILII FAMILIAS *matrimonium sine consensu parentum contractum est validum, & pœna contrarium asserentis*. 195. *a*.

FILII HÆRETICORUM, & fautorum quas pœnas incurrant. 142. *b*. 143. *a*. * *Quando sint ineligibiles, seu quando priventur voce in suspendo*. 310. *a*.

FILII INCESTUOSI sunt infames. 395. *b*. Et quando non, *ibid.* Nati ex matrimonio contracto bona fide in gradu prohibito in facie Ecclesiæ, an sint legitimi in utroque foro. *ibid.* Nati ex matrimonio putativo, contracto cum impedimento irritante, sunt illegitimi. 392. *a*. *Filii* rei majestatis læsæ sunt irregulares, sed hæc irregularitas cessat, patre restituto. 74. *a*. *Filii* legitimi patris legitimati quoad beneficia. 150. *b*. *Filii illegitimi clericorum*, vide ILLEGITIMI FILII CLERICORUM.

FISCUS non potest sibi applicare bona rei ante sententiam declaratoriam. 5. *b*.

* FŒDERATORUM *Belgii Provinciæ incolæ quoad matrimonium contrahendum*. 193. *a*.

FŒTUS in utero matris non censetur persona a matre distincta quoad ejus favorem. 276. *b*.

FORENSIS nomine, qui veniat. 59. *a*. Quando puniri possit ob delictum. 30. *b*. 31. *a*.

FORMA non servata, an actus sit nullus. 102. *b*. 103. *b*. Est indivisibilis, & peccatum contra formam non excusatur quasi ob parvitatem materiæ. 278. *b*.

FORMA absolutionis solemnis an sit necessario servanda in omni absolutione, etiam per foro conscientiæ. 19. *b*.

FORNICATIO cum moniali. 98. *b*.

FORI mixti causæ, seu crimina, vide MIXTI fori causæ.

FORUM laicum an adire, vel ad illud adeundum cogi possit ecclesiasticus. 174. *a*, & *b*. *Fori* laici in fraudem Ordines recipientis, & conferentis pœna. 218. *b*, & *seq. Fori* mutatio quando præservet, vel non a pœnis commissi delicti. 28. *b*, & *seq. Forum internum*, seu animæ non tollit pœnam fori externi. 9. *a*. *In foro conscientiæ*, hæc clausula quomodo intelligenda. 19. *a*, & *b*. *Fori externi* jurisdictionem parochus non habet. 20. *b*. 267. *a*. *Fori privilegio* quando privetur clericus, vide PRIVILEGIO fori. *Forum mixtum* admittit præventionem. 9. *a*.

FORUS animæ, seu pœnitentialis, & forus quasi pœnitentialis, & forus externus qualiter differant. 2. *a*. 18. *b*, & *seq.* Et *fori interni, & externi* differentia quoad dispensationem, & absolutionem, *ibid.*

FRATRUM Minorum de Observantia libros e bibliothecis, tam extrahentis, quam non revelantis pœna. 82. *b*.

FRUCTUS beneficii in qua quantitate retineri possint a non residentibus. 258. *a*. 259. *a*. *Fructus* beneficii, vel pensionis, quibus quis privatus est sub pœna latæ sententiæ, an sint restituendi in conscientia ante declaratoriam. 37. *a*. Et eos, *ibid. b*, & 38. *a*. Iis non privatur suspensus ab officio. 37. *a*. Quando privetur interdictus, *ib.* Quando excommunicatus, *ib.* Obligatio eos restituendi non tollitur per regulam de triennali, sed usucapione triennali, & quando. 38. *a*. Quis dispenset super eorum retentione, seu compositione, 37. *a*. *Fructus distributionum male perceptarum cui restituendi, ib.* * *Sub qua pœna vendi nequeant ad vitam beneficiati*. 56. *a*. *Fructus* vacantis beneficii cui applicandi, & eorum deductio qualiter fieri possit. 304. *a*, & *seq.* An, & quando applicari possint ab Episcopo alteri pio loco. *ibid. a*. *Fructus legati pii, vel profani* a quo tempore debeantur ab hærede. 301. *a*, & *b*. *Fructus* an contineant distributiones. 37. *b*. *Fructus* intelliguntur, deductis oneribus, & qualiter isto deductio facienda. 297. *a*. *Fructus* annales beneficii vacantis occupantis pœnæ. 304. *a*, & *b*.

FRUCTUUM beneficiorum sequestratio, vide SEQUESTRATIO fructuum. * *Male perceptorum condonatio ob omissionem professionis fidei, fieri tantum potest a Sede Apostolica*. 232. *a*.

FRUMENTI extractio, vel delatio, vide verbo ANNONA.

FUGITIVI religiosi puniri possunt ab Ordinario tamquam Apostatæ. 252. *a*. Quando eis liceat fugere, *ibid.* Eos superiorum quotannis non requirentium pœna, *ibid.*

FUNDATIO Ecclesiæ, etiam Regularium; vide ECCLESIÆ fundatio. *Fundatio* conventus, seu monasterii, vide MONASTERII, vel conventus fundatio. * *Fundatio Scholarum Piarum fieri potest sine consensu præexistentium Regularium, etiam non servata distantia*. 248. *a*.

FURIOSUS quando sit irregularis. 14. *b*. Jam promotus ad Ordines, quando possit in iis ministrare, *ibid.*

FUROR qualiter probetur. 188. *b*. Et an excuset a pœnis. 24. *b*.

FURTI reus quam pœnam incurrat. 133. *a*. Et quam clericus. *ibid.* Quis ab ea dispensare possit, *ibid. Furti* causa ad damnum præter furem quis teneatur, *ibid.* * *Propositiones proscriptæ circa furtum, ibid. Furtum*, aut rapina rerum sacratum quale peccatum, & quam pœnam inducat. 158. *a*, & *b*. 269. *a*.

FURTIVA ordinatio quando dicatur. 219. *b*. 220. *a*. Pœna sic ordinati, *ibid.* Num valida, & quando, *ibid.*

FURTUM Hostiarum, seu Particularum Consecratarum. 268. *b*. 269. *a*.

G

GABELLAS augentis, novas imponentis, easque exigentis pœnæ. 306. *a*, & *b*. Item eas Clericis imponentis. 155. *b*. & *seq.*

GAUDEAT -- negative prolatum, an sit latæ sententiæ. 230. *b*.

GEMINATIO verborum quandoque facit esse canonem latæ sententiæ. 221. *a*.

GENERALIS religiosorum quoad electionem, & recusationem Generalatus. 123. *a*, & *b*. 124. *b*. 125. *a*. Electus, non indiget confirmatione. 125. *b*. An renunciare possit, *ib.* An deponi a Capitulo, *ib.*

* GENUFLEXORIA LAICORUM *intra presbyterium sub qua pœna interdicta*. 243. *a*.

GEOMANTIA, vide SUPERSTITIONIS pœnæ.

* GERMANIÆ *Parochi, & Religiosi non servantes concordiam inter se initam, quam pœnam incurrant*. 238. *a*.

GLOSSÆ in leges ecclesiasticas sub qua pœna prohibitæ. 166. *a*, & *b*. Item in Concilium Tridentinum, *ibid.*

GRADUS PROHIBITUS CONSANGUINITATIS *reticitus in dispensatione, quando invalidet matrimonium*. 191. *b*. *Quando non, ib. Qualiter opus sit declaratoria sanatione, ibid.*

GRADUS NOMINE quid veniat. 33. *b*. Ejus privatio quid, & quando inducatur, *ibid.* & 34. *a*. A quo possit dispensari. *ibid. b*. *Gradum* usurpans, quem non habet, quod crimen committat. 49. *b*. *Gradus* sui periculo subjaceat -- quid importet. *ibid.* Item *gradu* de proprio cadat -- 245. *b*. 246. *a*.

* GRÆCI SACERDOTES *quoad ritum latinum in celebratione Missarum, & divinorum officiorum*. 265. *a*. *Græcorum ritus in ordinatione a Græcis, latinus a latinis servandus est*. *ibid. a*, & *b*. *Græci in quibus subjiciantur Ordinariis latinorum ibid. b*. *Item in utraque Sicilia, & aliis Italiæ partibus, ac insulis adjacentibus, ibid. Græci* schismatici mercatores an spoliari possint bonis a catholicis, seu latinis. 271. *b*.

GRANATENSES LIBRI, & laminæ. 182. *b*.

* GRATIÆ DIVINÆ *de efficacia, & doctrina opinio*. 137. *b*. 138. *a*. *Propositiones proscriptæ circa gratiam, ibid.*

GRATIA SUBREPTITIA, an valeat, si adsit clausula, at non possit dari de subreptione; & an Papa possit aperire os in tali casu. 236. *b*, & *seq.* vide OBREPTIO, ET SUBREPTIO.

GRATIA BENEFICIORUM utentis pœna, litteris non expeditis, absque prætextu mandati de adipiscenda. 235. *a*, & *b*. Item illa utentis, litteris non expeditis, prætextu mandati de adipiscenda, & officialium dicta mandata concedentium, *ibid. a*. Item utentis gratia beneficiorum retinendorum post promotionem ad Ecclesias, litteris non expeditis. *ibid. b*. Item utentis litteris expeditis, sed sine manu legitimi executoris, *ibid.* Item utentis gratia Ecclesiarum, vel monasteriorum, litteris non expeditis, vel non ostensis. 234. *a*, & *b*. Item utentis gratia Papæ, litteris non expeditis. 233. *b*. 234. *a*. Et an tunc *gratia* valeat, *ibid.* Item utentis *gratia* pensionis, litteris non expeditis tempore legitimo. 236. *a*. *Gratias* Apostolicas impetrari impedientis pœna. 275. *b*.

GRATIAM, vel justitiam in Curia Romana procurantes, vel obtinentes pretio, muneribus, vel promissionibus, quas pœnas incurrant. 288. *b*, & *seq.* * *Quot modis obtineri possit, & qui comprehendantur*. 289. *a*, & *seq.*

GRATIANI decretum non est in omnibus a Sede Apostolica approbatum. 174. *a*.

GRATITUDINIS promissio, vel solutio an, & quando non inducat simoniam. 290. *b*.

GREMIUM Ecclesiæ excommunicatis quando non aperiat. 70. *a*.

GUBERNATORES Status ecclesiastici munera accipientes, quas pœnas incurrant. 207. *b*.

GUIDAGIA ecclesiasticis imponentis pœna. 155. *b*, & *seq.*

H

HABEATUR -- an sit verbum latæ sententiæ. 298. *b*. Item *Habeatur* extranei, *ibid.* & 114. *a*. *Habebunt* -- negative prolatum, est canon latæ sententiæ. 221. *a*, & *b*.

HABITUM CLERICALEM tam clericus beneficiatus, quam in sacris non deferens, aut profanum, quas pœnas incurrat. 65. *a*, & *seq.* 138. *a*, & *seq.* An illo dimisso, reassumere possit post commissum delictum. 219. *a*.

HABITUM Equites Militares deferre sub qua pœnam teneantur. 238. *a*.

HABITUM Religiosi dimittentis pœna. 138. *b*. 139. *a*. Item profanum gestantis. *ibid.* Quando excusetur. *ibid.* Item, eo dimisso, studiis incumbentis. 297. *a*. * *Habitum religiosus promotus ad Episcopatum, vel Cardinalatum tenetur deferre*. 255. *b*. *Ad quos religiosos hæc obligatio se extendat, ibid. Habitum religiosum* qua ætate assumi possit. 202. *a*. Illius assumptio sine debita facultate. 248. *b*. 249. *a*. Illum assumere cogens mulierem, quas pœnas incurrat. 225. *b*. * *An easdem incurrat, cogens virum, ibid.*

HEBRÆI *an gaudeant sacro asylo*. 154. *b*. *Hebræorum Thalmud, & alia impia illorum scripta legentium pœna*. 301. *a*.

HÆREDITATIS aditio sine inventario non obligat Ecclesiam ultra vires ipsius hæreditatis. 214. *b*. *Hæreditatem*, vel legatum Ecclesiæ delatum repudians, quam pœnam incurrat. 316. *a*.

HÆ-

HÆRES an teneatur ex delicto defuncti, & an agere possit ad pœnam. 8. *b*. 9. *a*. Quando subjaceat pœnæ latæ sententiæ ob delictum sui auctoris, *ibid.*

HÆRESIS EXTERNÆ absolutio, etiam occultæ reservatur Papæ. 239. *b*. * *Et etiam tempore Jubilæi, nisi data sit expressa facultas. ibid.* Hodie neque ab Episcopo absolvi potest. 24. *b*. * *Ad hæresim externam spectantia enumerantur.* 140. *b*, & *seq.* Quas pœnas inducat, *ib.* Illius causas cognoscentes Regulares, quam pœnam incurrant. 143. *b*. Ad quos superiores pœna se extendat, *ibid.* De *hæresi*, etiam leviter suspecti pœna. 143. *a*. Ad quæ inhabilis remaneat, *ibid.* Denunciandus est. 243. *b*. De *hæresi*, vel de ejus suspicione pœnitentiati, ad quæ inhabiles remaneant. 143. *a*. *Hæresi* suspecta dogmata prædicantes, quas pœnas incurrant. 242. *b*.

HÆRETICORUM pœnæ. 139. *b*, & *seq.* Ad quos extendantur, *ibid.* Item eos receptantium, defendentium, eisque faventium, & credentium. 142. *b*. Item filiorum eorumdem *hæreticorum*. 142. *b*. 143. *a*. Item sepelientium in loco sacro tam ipsos, quam eorum receptores, aut fautores. 275. *a*. Item eos certiorantium in præjudicium Reipublicæ Christianæ. 213. *a*. Item legentium, retinentium, imprimentium, vel vendentium libros ipsorum. 181. *a*, & *b*. Ad quos libros se extendant pœnæ, *ibid.* Quid requiratur ad eas incurrendas, *ibid.* * *Hæretici an gaudeant immunitate locali, & quomodo extrahendi.* 154. *a*. In favorabilibus non continentur nomine Christianorum. 210. *a*. * *Illorum filii quando priventur voce in capitulo, sive quando sint ineligibiles.* 310. *a*. *Hæreticorum* matrimonia, vide MATRIMONIUM HÆRETICI.

HASTILUDIUM quid sit. 184. *b*. 185. *a*. Illud committentis pœna. *ibid.* In eo moriens, privatur ecclesiastica sepultura, licet sacramentaliter absolutus fuerit. 184. *b*.

HISTRIONES sunt infames, & quando. 72. *a*. Pœna clericorum *histrionum*, *ibid. b*.

HOMICIDA voluntarius quis sit. 143. *b*, & *seq.* Ejus pœnæ, *ibid.* Quando teneatur dimittere beneficium. 146. *a*, & *seq.* Pœna filiorum. *ibid.* * *Homicidas religiosos Prælati regulares nequeant dispensare super irregularitate.* 145. *b*. *Homicidas* receptans, vide BANNITOS. *Homicida* sui ipsius quas pœnas incurrat, & an, & quando sepeliendus sit in loco sacro. 188. *a*, & *b*.

HOMICIDIUM quotuplex sit. 143. *b*. commissum cum moderamine inculpatæ tutelæ, non inducit irregularitatem, *ibid.* Quid in dubio, an necessaria defensio. 144. *a*. Quid, si committatur ad defensionem Reipublicæ, vel vitæ alterius innocentis, *ibid.* * *Quid, si ad defensionem proprii honoris, vel rerum magni momenti, ibid.* Quid, si sit casuale tantum sine culpa occidentis, *ibid.* Casuale quando dicatur, *ibid.* Quot modis possit esse culpabile, *ibid.* Quando causet irregularitatem, *ibid. b*. Illam inducit, quando data est opera rei illicitæ. 11. *a*. Culpabile quas pœnas inducat. 144. *b*. 145. *a*. Quando dicatur dolosum. 146. *b*. In rixa patratum, an dicendum voluntarium, vel casuale. 143. *a*, & *b*. Proditorii nomine quod veniat. 154. *b*. Quando sit tale, & ejus pœnæ, *ibid.* & 243. *b*. * *Propositiones proscriptæ circa homicidium.* 143. *b*. 146. *a*. *Homicidium*, vel mutilatio clerici, vel sacerdotis, vel proprii parochi quas pœnas inducat. 146. *a*, & *seq.* Et quas contra filios homicidæ parochi, *ibid.* Item *homicidium* Cardinalis. 186. *b*, 187. *a*. Item *homicidium* conjugis. 147. *a*. Item *homicidium* proprii Episcopi. 162. *b*. 163. *a*. Item Prælatorum Ecclesiæ, *ib.* *Homicidio* cooperans fit irregularis. 8. *b*. Secus illud ratum habens. *ibid.* De *homicidio* accusatus, non dispensatur a S. Pœnitentiaria, nisi secuta sit sententia definitiva absolutoria. 18. *a*. Ob *homicidium* in dubio facti incurritur irregularitas. 12. *a*, & *b*. Si est casuale, potest dispensari a S. Pœnitentiaria. 15. *a*. Si voluntarium, quando dispensari possit, *ibid.* De eo accusatus, quid requiratur, ut dispensari possit. 18. *a*.

HONORUM privatio quid sit. 33. *b*. & *seq.* Quando obliget in conscientia, *ibid.*

HORAS canonicas beneficiatus non recitans, legitime non impeditus post sex menses a possessione beneficii, præter peccatum mortale, non facit suos fructus præbendæ, et distributionum, & tenetur ad restitutionem pro rata omissionis ante omnem sententiam, & cui. 147. *b*. Item illas choro addictus, non recitans per se — *aut non psallens cum aliis*. 148. *a*. * *Choro addictus substituere potest alium loco sui, sed cum limitatione. ibid. Propositiones proscriptæ circa horarum recitationem, ibid. Nocuit tamen coadjutor. ibid.* Qui illas recitare non teneatur extra chorum, si non sit in sacris. 261. *b*. Quam pœnam incurrat, si non recitet in choro, *ibid.* Illas recitans ritu non approbato a S. Sede, non satisfacit. 266. *a*. Pensionarius habens pensionem titulo clericali, etiam non excedentem sexaginta ducatos, omittens recitationem Officii B. Virginis, tenetur itidem ad restitutionem. 148. *a*. Secus si conjugatus, pensionem clericalem habens ex privilegio, *ibid.*

* HOSTIAS, *vel Particulas consecratas surripientis pœna.* 268. *b*. *Quando, quomodo, & a quo puniendus, ibid. Clericus hujus delicti reus degradandus est, & tradendus brachio seculari, etiam minor xxv. annis, dummodo xx. attigerit, ibid. Et vide addita a CLEM. XIII. feliciter regnante. ibid.* & 269. *a*.

HYDROMANTIÆ, vide SUPERSTITIONIS pœnæ.

I

JAPPONIAS *ad Provincias ex Insulis Philippinis, aut a quibusvis Indiarum Occidentalium partibus sine licentia Papæ se transferentes Religiosi, quam pœnam incurrant.* 256. *a*.

JEJUNII continuatio ad conferendos Ordines in die Dominica an necessaria. 223. *b*. * *Ecclesiasticum an fideles teneantur servare.* 13. *b*. *Propositiones proscriptæ circa hoc, & pœnæ in illas docentes &c.* 148. *b*.

IGNOMINIOSUS existat — quid importet. 108. *a*, & *b*.

IGNORANTIA juris, vel facti an excuset a pœnis latæ sententiæ. 10. *a*, & *b*, & *seq.* 222. *b*. Inculpabilis quando excuset. 11. *a*. Crassa, & supina quando excuset. *ibid.* Non excusat ab incursu irregularitatis ex delicto, *ibid.* Nec quando agitur de reservatione peccati, *ibid.* Secus, si agatur de censuris, *ibid.* An minuat pœnam, *ibid.* Eam allegans, an teneatur probare. 150. *b*. *Ignorantia* obtentæ dispensationis, vel absolutionis non invalidat actum. 16. *b*.

ILLEGITIMI ad clericatum non promovendi. 148. *b*, & *seq.* Quando excusentur, *ibid.* Et pœna illos promoventis, *ibid.* Num pœnas incurrant *legitimati*, *ibid.* * *Sub qua conditione soleant dispensari.* 150. *a*. *Illegitimi* sunt incapaces etiam beneficii simplicis, *ibid.* Quis eos dispensare possit. *ibid.* Quomodo regulanda sit dispensatio, *ibid.* An illud obtinentes bona fide, juventur regula de triennali, *ibid.* Item incapaces sunt etiam pensionis. *ibid.* & *b*. An dispensati ad beneficia, censeantur etiam dispensati ad eam *ibid.* *a*. *Illegitimi* filii clericorum dispensari ad beneficia, quæ beneficia, & officia obtinere nequeant in eadem Ecclesia, in qua eorum pater beneficia obtinuit, vel obtinet. *ibid. b*. * *Illegitimi* sibi pater, & patris *legitimati* filius *legitimus*, ac filius *legitimus* natus ex patre *legitimato*, & nepos *illegitimi* patris quoad beneficia. *ibid.* *Illegitimus* quarum dignitatum sit incapax. *ibid.* *Illegitimus* eligi nequit in Episcopum, & pœna illum eligentium. *ibid.* *Illegitima* monialis nequit eligi in Abbatissam, *ibid.* *Illegitimi* quoad admissionem ad habitum, & professionem religiosam. 151. *b*, 152. *a*. *Illegitimi* Regulares dispensati a Papa in seculo quoad beneficia, nequeunt fieri Prælati regulares sine nova dispensatione. 150. *b*. *Illegitimis* etiam *legitimatis* nequeunt relinqui, vel dari bona clericorum, vel ecclesiastica. 139. *a*, & *b*. * *Dari tamen possunt alimenta, ibid.* An sint capaces donationis, vel legati facti ab extraneis. *ibid.* *Illegitimi* an censentur nati ex matrimonio putato valido. 170. *b*.

ILLITTERATO episcopatum, & ordines conferentis pœna. 121. *a*, & *seq.* 221. *a*. Quæ *litteratura* requiratur. *ibid.*, *a*, & *b*.

* IMAGINES *Jesu Christi, B. Virginis, Angelorum, & Sanctorum sculpentes, aut pingentes habitu peculiari alicujus Ordinis regularis, quas pœnas incurrant.* 152. *a*.

IMMEMORABILIS præscriptio, seu centenaria, quam vim habeat. 173. *b*. & *seq.*

IMMUNITATEM localem ecclesiasticam violantis pœna, offendendo, vel extrahendo confugitos ab Ecclesia. 152. *a*, & *seq.* Qui ea non gaudeant. 153. *a*, & *seq.* * *Refertur modus extrahendi in casibus permissis, ibid.* Item pœna violantis *immunitatem personalem*. 154. *b*, & *seq.* Quot modis violari possit. *ibid.* Qui ea gaudeant, vel non. 153. *a*, & *seq.* Et vide ASYLO. Item *immunitatem realem*, & quot modis. 157. *a*, & *b*. Item *immunitatem Ordinum Mendicantium*. *ibid. a*. Item *clericorum immunitatis* violationi consentientium. 155. *b*, & *seq.*

IMPEDIENS jurisdictionem ecclesiasticam Ordinariorum, quas pœnas incurrat. 172. *b*, & *seq.* Item litteratum, vel decretorum, vel gratiarum impetrationem a Sede Apostolica, vel aliis judicibus, aut earum usum. 175. *a*, & *seq.* Item S. Officium, seu Inquisitores. 163. *b*, & *seq.*

IMPEDIMENTA irritantia matrimonium Princeps secularis nequit statuere, & pœna in statuentem. 193. *b*, vide MATRIMONII impedimenta. Item *irritantia professionem*, & an sufficiat, Constitutiones Religionis esse generaliter a Papa approbatas. 245. *a*, & *b*. *Impedimenta* habens *irritantia*, vel *impedientia* professionem, an illa teneatur revelare. 244. *b*, & *seq.*

IMPEDIRE damnum quando quis teneatur ex justitia. 303. *b*.

IMPEDITUS Papam adire, quando absolvi possit ab Ordinario; & qui dicatur *impeditus*. 23. *a*, & *b*.

* IMPERII Romani Vicarii nomen assumentis pœna. 157. *b*.

IMPOTENTEM se reddens ad præceptum implendum peccat. 10. *a*.

IMPRESSIO librorum sine approbatione, vide LIBROS sine approbatione.

IMPUBES qui sit. 13. *a*. An incurrat pœnas latæ sententiæ, & censuras, *ibid.* & *b*.

IN, dictio, juncta accusativo, quandoque denotat conditionem. 313. *a*.

INCENDIARII quorumlibet locorum pœnæ. 157. *b*, & *seq.* Et qua conditione absolvendi. 158. *a*. Item eum absolventis, non servata forma, *ibid. b*. *Incendiarius* dolosus quando præsumatur in dubio. 158. *a*.

INCERTORUM dominorum bona cui restituenda. 252. *b*.

INCESTUS, & INCESTUOSI pœnæ. 159 *a*, & *seq.* * *Etiam extra figuram matrimonii est infamis. ibid. Intellectus textuum circa incestuosos, ibid. Incestuosi pœna temporalis.* 160. *b* Matrimonium contrahens, quam pœnam incurrat. 191. *a* & *seq.* *Incestuosus* sub figura matrimonii an excusetur ob præsumptam ignorantiam. 159. *a*. *Incestuosi* filius quando sit infamis, quando non. 191. *b*.

INCETTANS annonam monopolio, quam pœnam incurrat. 62. *b*.

INCOMPATIBILIA beneficia, vide BENEFICIUM.

INCORRIGIBILITAS etc. ei quando dicatur, & quid ipse amittat. 66. *a*. Religiosus quando dicatur *incorrigibilis*, * *Et quomodo hodie regulanda causa incorrigibilitatis.* 243. *a* 252. *b*. & *seq.*

INCURRAT, est verbum latæ sententiæ. 3. *a*, & *b*. 91. *a*. *Incurrat ipso facto, ipso jure ante omnem sententiam declaratoriam*, quomodo hæc clausula intelligenda. 4. *a*. *Incurrere* declaramus, an sit verbum latæ sententiæ. 152. *a*, & *b*.

INDEMNITATIS pactum quando sit simoniacum. 290. *a*, & *b*.

* INDIARUM *Occidentalium ex partibus se ad Japponias provincias, sine licentia Papæ transferentium Religiosorum pœna.* 256. *a*.

INDIGNATIONIS Dei, & SS. Apostolorum, vel Summi Pontificis pœna, quid importet. 44. *a*, & *b*.

INDIGNO beneficium conferentis pœna. 61. *a*. 81. *b*. Item illum eligentis, *ibid.* Item illum postulantis. 122. *b*. * *Dignioris electio quomodo intelligenda.* 122. *a*. *In quibus electionibus locum habeat, ibid. Propositiones proscriptæ circa hoc, ibid.*

INDUCTIO an dicat affectum consummatum. 274. *b*.

INDULGENTIAM Plenariam concedentes religiosi, quas pœnas incurrant. 260. *b*. * *Propositio circa eam proscripta, ibid. Indulgentias* publicantium porrigentibus manus adjutrices, vel ob quæstum pœna. 261. *a*. *Plenariam* concedere ad solum Papam pertinet. 260. *b*.

INFAMIA non est proprie pœna. 8. *b*. Sequitur personam. 29. *b*. Illa affectus jure civili, intelligitur talis etiam de jure canonico. 38. *a*. Reddit irregularem ad Ordines recipiendos, & ab exercitio receptorum, *ibid.* Inhabilitat ad beneficia obtinenda, non tamen ad obtenta, licet habeant titulum dignitatis, *ibid.* Quando, & quotupliciter incurratur tam ex jure civili, quam canonico. *ibid.* & *seq.* Quas limitationes admittat. 39. *b*. Quot copulative requirantur ad incurrendam infamiam juris ex genere pœnæ. 39. *a*. 40. *b*. Ob quæ delicta irrogetur. 38. *a*. & *seq.* Quomodo tollatur, & qualiter obliget, ac a quo possit dispensari. 40. *b*. *Infamiæ* pœna non censetur remissa per legem mitigantem pœnam legis antiquæ. 298. *a*. *Infamia juris* a quibus repellat. 38. *a*, & *seq.* *Infamia facti* qualiter contrahatur. 40. *a*. Et qualiter tollatur, *ibid.* & *b*. Item qualiter repellat a testimonio. 304. *b*.

* INFAMIS *quando fiat damnatus ad triremes*. 200. *b*. Non potest esse doctor. 195. *a*. *Infamis* de jure civili, est infamis de jure canonico.

nonico. 38. *a*. *Infami infamia facti* beneficii collatio an sit valida. 285. *b*.

* INFANTES *sub qua pœna prohibitum sit introducere in clausuram monialium*. 96. *b*.

INFEUDATIO locorum Ecclesiæ Romanæ probibita, & pœna illam Papæ insinuantis, vel suadentis. 262. *a*. * *Quæ loca comprehendantur, ibid.*

INFIDELIBUS auxilium contra fideles præstantis pœna. 69. *b*, & *seq.* Ipsorum bona fidelis quando rapere possit. 271. *b*. Illos in auxilium vocare in bello justo quando liceat Principi christiano. 71. *a*. Illorum matrimonium quando solubile. 190. *a*. Illos sepelientis in loco sacro pœna. 278. *b*.

INFIRMORUM *Confessio sacramentalis quomodo audienda*. 106. *a*, & *seq. Et ad quid post eam, & sub qua pœna teneantur confessarius, ibid. An pro illa audienda requiratur licentia parochi quoad confessarios seculares, ibid. Non requiritur quoad confessarios regulares, ibid. b. Auditæ confessionis testimonium tenentur relinquere sub pœna ipso facto incurrenda ab audiendis confessionibus. ibid. a, & b. Cui hæc pœna sit reservata, ibid. Infirmos de ea curanda medici non monentis pœnæ.* 105. *a*, & *b*. Quando excusentur, *ibid.* Quomodo suæ obligationi satisfaciat. *ibid.*

INHABILIS ad officia publica, est irregularis. 74. *a*. *Inhabilis* quis non efficitur ad similia ob simplicis privationis pœnam. 97. *b*. *Inhabilis* ad beneficia, an sit etiam inhabilis ad pensionem. 36 *b*.

INHABILITAS non continetur sub nomine pœnæ ecclesiasticæ. 5. *b*. Afficit personam etiam extra territorium. 30. *a*. *Inhabilitas* ad officia, gradus, honores, & dignitates quid sit, & a quo tolli possit, & an obliget ante declaratoriam, & a solo Principe supremo potest induci. 74. *a*, & *b*. *Inhabilitas* ad vocem activam, & passivam, & quis ad eam rehabilitare possit. 34. *b*. 35. *a*. Et vide VOCIS &c. *Inhabilitas* ad beneficia qualiter obliget. 35. *b*. Ex quibus capitibus oriatur, *ibid.* Quis *rehabilitare* possit, *ibid.* An se extendat etiam ad pensionem. 36. *b*. A quo possit dispensari. *ibid.* Super *inhabilitate* ad unum beneficium dispensatus, non potest illud commutare, neque resignare cum pensione. *ibid.* *Inhabilitas* ad beneficia obtinenda regulariter non privat obtentis, *ibid.* *Inhabilitatis* pœna a quo dispensari possit. 22. *a*. In occultis nequit dispensari ab Episcopo, etiam vigore *cap. 6. sess.* 24. *Trident.* 280. *b*.

INHABILITATIO ad actum qualiter obliget. 41. *a*. *Inhabilitationis* pœna a perceptione fructuum an sit suspensionis censura. 303. *b*.

INJURIÆ actione quis teneatur, & quam pœnam incurrat. 161. *b*. Et quando dicatur atrox, *ibid.* & *seq.* *Injuria* afficientis clericum per violentam manus injectionem pœna. *ibid. b*, & *seq.* Item *injuria* afficientis Papam, vel Cardinalem, aliosque Ecclesiæ Prælatos. 262. *b*, & *seq.* Et quid veniat nomine *injuriæ*, *ibid.* Item *injuria* afficientis Episcopum. 162. *b*, & *seq.*

INOBEDIENTIA cum contemptu contra præceptum, seu legem pontificiam, an sit hæresis. 44 *b*.

INQUIRENS de vita, & morte Papæ, vel consanguineorum, quam pœnam incurrat. 299. *a*, & *b*.

S. INQUISITIONIS OFFICIUM contra hæreticam pravitatem Domini temporales non adjuvantes, aut impedientes, aut de causis illius fori cognoscentes, quas pœnas incurrant. 103. *b*. Item Superiores regulares illud impedientes, aut illius causis se ingerentes. 143. *b*. Item illud impedientes per violentiam. 164. *a*. Item illius officiales aliquem concutientes. *ibid. b*. Item illius secretum, & processus revelantes. 165. *a*. *S. Inquisitionis* edictum circa denunciandos, vide DENUNTIATIO. Illius decretum quoad hæresim sub qua pœna legi facere debeant Regulares singulis annis. 143. *b*. Ab ipsa pœnitentiati, vel in ea abjurantes, ad quæ remaneant inhabiles. 143. a, & *b*.

INQUISITORUM, seu Officialium in causa Fidei, seu S. Officii aliquem injuste vexantium, aut conniventium pœna. 164. *a*, & *seq.* Item confiscantium bona Ecclesiarum, vel clericorum. 165. *b*. Item munera recipientium, *ibid.* * *Inquisitores post Bullam Cœnæ an possint absolvere lapsos in hæresim*. 21. *b*.

INSORDESCENS in censuris, quando habendus sit ut hæreticus. 265. *b*. 166. *a*. Cui *insordescens* non sustinetur absolvi a censuris, *ibid.* *Insordescentis* pœnæ, *ibid.* * *Propositio proscripta circa censuratam cessationem, ibid.*

INSORDESCENTIA in censuris quæ dicatur, & qualiter puniatur. 165. *b*. 166. *a*. Reddit suspectum de hæresi. 165. *b*.

INSTANTIA in judicio contra reum perimitur, elapso biennio, si non sunt nova indicia. 18. *a*. *Instantia* perempta, an restitui possit in rei præjudicium. 218 *b*.

INSTITUTIO BENEFICII an iterari, seu revalidari possit in beneficio patronatus sine nova præsentatione. 36. *a*. *Institutionis* denegatæ causa ad beneficia instituentem vexantis pœna. 123. *a*.

INSTITUTUM SOCIETATIS JESU impugnantis, vel mutari procurantis pœna. 291. *b*.

INSULÆ adjacentes an comprehendantur intra Italiam. 57. *a*. * *Ex insulis Philippinis, aut in quibusvis Indiarum partibus ad Japponicas provincias se religiosi transferentes sine Papæ licentia, quas pœnas incurrant*. 256. *a*.

INTEGRALIS RESTITUTIO an dicatur facta, si deficiat in minimo. 303 *b*.

INTENTIO mala quando punibilis. 77. *b*. *Intentio* directa delinquentis an requiratur in delictis ad incurrendam pœnam. 213. *a*.

INTERDICTUM quandoque in jure vocatur suspensio. 86. *a*. Pœna illud tam locale, quam personale violantis, etiamsi sit exemptus. 90. *a*. & *seq.* Et quot modis violari possit, *ibid.* Item illud violantis ad tempus latum. 86. *a*. Item Principum temporalium illud violantium. 92. *a*. *Interdictum* solemniter ministrando, violantis pœna, & hic an fiat irregularis. 91. a. Item illud violantis, sepeliendo in loco sacro. 275. *b*, & *seq.* Item celebrando, vel celebrari faciendo, vel admittendo alios ad divina. 90. *a*, & *seq.* Promulgatum, vel declaratum ab Episcopo Regulares, etiam exempti, violantes, quam pœnam incurrant, *ibid. b*. Sicut illud non servantes, quando observatur ab Ecclesia matrice. 91. *a*. Item pœna violantis, vel violari permittentis *Interdictum* latum ab Episcopo. 90. *b*. *Interdictum locale* quando obliget non culpabiles de tali loco. 315. *b*. Contra Universitatem quando liget, & an requiratur, ut illa sit nominatim denunciata, *ibid.* *Interdicti* censuræ a quo possit absolvi. 23. *a*. Illud Episcopi violantis pœna, & quot modis illud violare possit. 91. *a*. Ordinarii nequeunt subjicere *interdicto* Prioratus S. Joannis Hierosolymitani, neque alia loca Regularium, nisi in casibus a jure expressis, & latum est nullum. 327. *b*. *Interdicto* in Ecclesia celebrans, fit irregularis. 91. *a*.

INTERDICTUS, monitus, nolens de Ecclesia exire, incurrit excommunicationem Papæ reservatam. 90. *a*. Etiamsi Ecclesia non esset interdicta, *ibid.* Etiam non nominatim *interdictus*, si est publicus, arcendus est. 92. *b*. Illum sepelientis pœna. 90. *a*. 275. *b*, & *seq.* Ad quos hæc pœna extendatur, *ibid.* Quando admitti possit ad divina. 90. *b*.

INTERDICTUS bonis, ubique ligatur. 30. *a*.

INTERESSENTIAM choro omittentes, quas pœnas incurrant, & quando, & ex quibus causis excusentur. 259. *b*. & *seq.* * *Non est interdictum sustinere alium loco sui, sed cum licitatione*. 148. *a*.

INTERNUS actus an possit a lege puniri. 3. *b*, & *seq.*

INTERPRETATIO est facienda ad evitandam juris correctionem. 218 *a*. Quarum legum prohibita. 266. *a*, & *b*. *Interpretatio* in pœnis latæ sententiæ, est strictissima, ut non admittat extensionem, etiam ex identitate rationis. 8. *b*. *Interpretatio* legis, vide, LEX.

INTERSTITIA servanda sunt inter receptionem unius, & alterius Ordinis, & ad quem finem. 226. *a*, & *seq.* Inter quos Ordines præcipue servanda, *ibid.* Pœna ordinantium, & ordinatorum ea sacra, ea non servantium, *ibid.* Quod temporis spatium respective intercedere debeat, *ibid.* Quis dispensare possit in receptione Ordinum minorum, *ibid.* Quæ justæ causæ dispensationis. *ibid.* Et quæ in receptione sacrorum, *ibid.* Græci neque ea, neque tempora servant. 226. *a*. Inter sacerdotium, & Episcopatum non opus est ea servare, *ibid. b*.

INTESTABILIS effectus, a quibus repellatur, & qualiter hæc pœna obliget. 43. *a*, & *b*. 187. *a*. Vide itidem TESTAMENTUM.

INTESTABILITATIS pœna an obliget in foro conscientiæ. 287. *a*. Et vide TESTAMENTUM.

INTRUSIO in beneficium ecclesiasticum quando proprie contingat. 167. *a*, & *seq.*

INTRUSUS in beneficium, quas pœnas incurrat, & ad quid teneatur, & an ejus acta valeant. 167. *a*, & *seq.* De quibus beneficiis intelligatur, *ibid.* Item quas pœnas incurrat, ob non ostensionem tituli, *ibid.* Item ob litteras non expeditas. 168. *a*. Item illud non recipiens de manu legitimi executoris earumdem litterarum, *ibid.*

* INVENTARIUM *Bonorum ecclesiasticorum sub qua pœna conficiendum*. 268. *b*. *Inventario* de bonis hæreditatis non confecto, an Ecclesia hæres teneatur ultra vires ipsius hæreditatis. 214. *b*.

INVITO Ordines conferentis pœna. 220. *a*, & *b*. *Invito* absolutio a censuris quando danda. 15. *a*.

S. JOANNIS Hierosolymitani Præceptoria; vide PRÆCEPTORIA. Illius prioratus nequeunt subjici interdicto ab Ordinariis. 327. *b*. Illius Priores possunt declarare excommunicatum laicum, extrahentem reos fois Ecclesiis, *ibid.* Vide MILITES S. JOANNIS.

* JOCALIA *Palatii Apostolici, aliaque mobilia ad usum Pontificis retinentes, ac non revelantes pœna*. 85. *a*.

IPSO FACTO — IPSO JURE pœnam incurrere ante declaratoriam — hæc clausula quomodo intelligenda. 4. *a*.

IRREGULARIS ex delicto, efficitur inhabilis ad beneficia obtinenda. 244. *b*. 269. *b*. *Irregularis* efficitur, qui est inhabilis ad publica officia. 74. *a*. *Irregularis* effectus, an teneatur dimittere beneficium antea legitime obtentum, & an per sententiam privari debeat. 144. *a*. 145. *b*. 164. *b*. *Irregularis* canonicus an amittat distributiones. 270. *a*. *Irregularis* Ordines sacros exercens, an incurrat novam *irregularitatem*. 221. *b*. *Irregularis* effectus ex homicidio, non amittit eo ipso privilegia clericalia. 219. *a*. Dispensatus ad plura beneficia, intelligitur ad plura successive. 80. *a*. Dispensatus propter inhabilitatem ad unum, nequit illud resignare cum pensione. 36. *b*. *Irregularis* Ordines suscipiens, illique conferens, quam pœnam incurrant. 221. *b*. * *Irregularis quando fiat damnatus ad triremes*. 200. *b*. Quando fiat mandans percussionem. 144. *b*.

IRREGULARITAS non continetur sub nomine pœnæ. 5. & 2. Non est asserenda, nisi ubi reperitur jure expressa. 200. *a*. Obligat pro foro conscientiæ ante declaratoriam. 4. *b*. An incurretur in dubio facti, excepto dubio de homicidio voluntario. 12. *a*. Incurritur etiam ab ignorante. 25. *a*. Incurritur etiam ex cooperatione. 8. *b*. Non inducitur ex ratihabitione. *ibid.* Ex homicidio casuali, vel mutilatione incurritur etiam ab ignorante illam, dante operam rei illicitæ. 21. *a*. *Irregularis* non fit celebrans post sententiam injustam censuræ incursæ, licet peccet ratione scandali, si populus non est certioratus de injustitia sententiæ. 20. *a*. *Irregularitas* proprie non est, quæ tollitur absque dispensatione. 170. *a*. 216. *a*. A quo dispensari possit, & quæ forma adhibenda in dispensatione illius, quæ provenit ex delicto. 20. *b*, & *seq.* 236. *b*. *Irregularitatis* periculo pendente, non est quis promovendus. 170. *a*. Incurritur ob violationem censuræ interdicti, vel suspensionis ad tempus latæ. 86. *a*. An incurratur per exercitium Ordinum minorum. 89. *b*. Ob exercitium sacrorum in censura, quando incurratur. 89. *a*, & *b*. *Irregularitates* plures an incurrat celebrans ligatus variis censuris, *ibid.* *Irregularitas* non dispensatur per absolutionem obtentam a censuris. 5. *b*. An incurratur ex degradatione, incursa in casu occulto. 32. *b*. Non incurritur a deposito ab officio, si celebret, *ibid.* Quælibet *irregularitas*, sive ex delicto, sive ex defectu, reddit inhabilem ad obtinenda beneficia. 35. *b*. Et vide ibi exceptionem. *Irregularitas* orta ex occisione banniti, vide BANNUM DIFFIDATIONIS. Orta ex abortu. 46. *b*, 47. *a*. Incurritur etiam in dubio, an fœtus sit animatus. 47. *a*, & *b*. Si non est animatus, quando non incurratur, *ibid.* *a*. Pro obtinenda dispensatione ab hac *irregularitate* debet exprimi, an fœtus sit a se genitus. *ibid. b*. *Irregularitas* ob auditam confessionem, & absolutionem datam a non sacerdote. 47. *b*. Et vide ABSOLVENS SACRAMENTALITER NON SACERDOS.

IRRITATIO actus ob non servatam formam, an, & quando intelligatur ligare, etiam in foro conscientiæ. 302. *b*. An sit pœna, & an obliget ante declaratoriam. 41. *a*. & *seq.* An liget ignorantes. 42. *a*, & *b*. Et an extra territorium, *ibid. a*. Ab hac excusat quælibet causa rationabilis. *ibid.* Quando non sit per modum pœnæ, sed definitiva, *ibid.* Quomodo nullitas inde orta sanetur, vel reparetur, *ibid. b*. & 42. *a*. Et ibi de decreto irritante.

IRRITUS actus qualiter, & a quo sanari possit. 41. *b*. An inducat pœnas latas pro tali actu. 50. *b*.

ITALIA an comprehendat insulas adjacentes. 57. *a*. An in odiosis sub ejus nomine veniat Corsica, & Sardinia. 201. *b*.

ITERATIO BAPTISMI, vide BAPTISMUM.

ITERATUM non dicitur, quod ambigitur esse factum. 267. *b*.

JUBILÆI generalis vigore, qui non possint absolvi. 18e. b. * *Propositio proscripta circa hoc. ibid.*

JUDÆI non continentur in lege ecclesiastica, nisi exprimantur. 314. a. * *Gaudent immunitate locali*. 154. b.

JUDEX omittens sine justa causa condemnare reum, an teneatur restituere Fisco pœnas illi applicandas. 84. a. Pœna munera accipientis, & ad quid teneatur. 206. a, & b. * *Propositiones proscripta circa Judices, ibid.* Non supremus, an possit minuere pœnas latæ sententiæ. 11. b. * *Nequit exigere a reo principali juramentum de veritate dicenda, & sub qua pœna*. 171. a, & seq. Nequit judicare cum opinione minus probabili. 206. b. Item pœna gratia, vel muneribus justitiam corrumpentis, *ibid. Judex* an accedere possit mulieris domum causa examinis. 302. a. Non dans examplum sententiæ excommunicationis, quam pœnam incurrat. 86. a, & b. JUDEX ECCLESIASTICUS pretio, vel gratia corruptus, sive ordinarius, sive delegatus. 206. b. Illius decreta exequi impedientis pœna. 176. a. JUDICIS LAICI contra Judicem ecclesiasticum decernentis pœna. 67. b. Item eum adeuntis contra illius sententiam. 174. a. Item ad eum ecclesiasticos trahentis. *ibid.* & b. Item ad eum causas ecclesiasticas avocantis. 173. a, & b. Item clerici judicis munus exercentis. 169. b. 170. a. *Judex laicus* requisitus, brachium *Judici ecclesiastico* non præbens, quam pœnam incurrat. 169. a, & b. Item exercens jurisdictionem in ecclesiasticos in causa civili, & criminali. 174. a, & seq. In quibus causis possit, *ibid.* b. Pœna ad quos extendatur, *ibid.* a. Quas pœnas incurret, procedendo ad eorum capturam, vel pœnas temporales. 175. a. Item compellendo partes actrices ad revocationem decretorum, sententiarum, ac litterarum judicis ecclesiastici. 175. a, & b. In quibus causis sit competens inter *ecclesiasticos judices*, seu contra illos de jure vel privilegio. 174. b. *Judex* ferens censuram sine monitione, vide MONITIO.

JUDICIA secularia in loco sacro exercere quis, & sub qua pœna prohibita. 269. a.

JURAMENTUM fidelitatis omittentis pœna, & qui ad illud teneantur. 131. b. Illud exigentis, vel præstantis de observandis iniquis statutis, & consuetudinibus pœna. 170. a, & b. * *Item illud exigentis a reo principali in causa criminali*, 171. a, & seq. Quando illud præstare liceat tam laicis, quam ecclesiasticis. 170. b. Quando est illicitum, & vinculum iniquitatis. 170. a. Illius violatio quale sit peccatum, *ibid.* & 240. b, & seq. * *Propositiones proscripta circa juramentum*. 172. a, & b. Quando rescindi possit, etiam elicitum cum promissione. 241. a. Illud dari consuetum de parendo mandatis Ecclesiæ, vel satisfaciendo, an sit exigendum in omni absolutione a censuris, etiam pro foro conscientiæ. 19. b. 20. a. * *Illud præstare debent Abbates de visitandis Apostolorum liminibus sub quibus pœnis, & in cujus manibus*. 183. b. Illud præstitum, seu votum, a Religioso de non acceptanda dignitate extra suum Ordinem, est reservatum Papæ. 250. b. Illud Rotæ Auditorum violantium pœna. 272. a, & b.

JURISDICTIO laicalis contentiosa exerceri nequit in loco sacro sub pœna sacrilegii, & acta sunt nulla, secus voluntaria. 269. a. *Jurisdictio* quando suppleatur, & quando non ob titulum coloratum cum errore communi. 3. a. Territorio adhæret, illudque non excedit. 16. a. 29. a, & seq. Illa Regularium non præscribitur territorio. 30. a. *Jurisdictio* voluntaria exerceri potest extra territorium; secus contentiosa, & quando talis sit. 16. a. An etiam in Curia Romana ab Episcopo, *ibid.* b. Illam externi fori non habet parochus. 21. b. *Jurisdictionis* voluntariæ actus an sit dispensatio, & absolutio. 16. a. *Jurisdictionem* Ecclesiæ Romanæ usurpantium pœna. 266. a. Item *jurisdictionem* ecclesiasticorum sequestrantium. 276. b, 277. a. Item illam Ecclesiarum, vel piorum locorum usurpantium. 317. a, & b. Item judicis laici illam exercentis contra libertatem ecclesiasticam, & etiam id procurantis. 170. b. Item turbantium illam Ordinariorum ecclesiasticorum, *ibid.* Item *jurisdictione* laica gratias, & Litteras Apostolicas impedientis impetrari, vel pro negotiis ad Curiam accedi. 175. b. Item *jurisdictione* ecclesiastica, vel laica impedientis earumdem litterarum executionem, ac etiam decretorum aliorum judicum ecclesiasticorum. 176. a, & b. Item *jurisdictionem* ecclesiasticam, vel laicam ad ecclesiasticos, aut loca pia pertinentem usurpantis, & huic usurpationi consentientis. 177. a. Item illam usurpantis in exemptos a *jurisdictione* ordinaria, & ipsorum exemptorum consentientium, *ibid. Jurisdictionem* laicam clerici valida, sed illicite exercent. 169. b. *Jurisdictionem* exercens, quam non habet, an dicatur falsum committere. 317. a, & b. An illam exercere possit Episcopus in territorio exempto, vel in aliena diœcesi. 127. a, & seq. *Jurisdictionem* episcopalem intra fines alienæ diœcesis an præscribere possit Abbas, vel Prælatus. 128. b. *Jurisdictione* quacunque, vel privata potestate causarum ecclesiasticarum cursum impedientis, vel ad laicum judicem avocantis pœna. 173. a, & b. Item *jurisdictionem* ecclesiasticam partium conventarum impedientium, seu forum ecclesiasticum eludere procurantium per recursum ad laicum judicem, procurando Inhibitiones, seu mandata, & judicia ea decernentis, & cujuscunque ad id cooperantis. 173. b, 174. a. Item *jurisdictione* laica compellentis partes actrices ad revocationem decretorum, sententiarum, seu litterarum judicis ecclesiastici, vel ad absolutionem a censuris, & pœnis. 175. a, & b. Item cogentis ad revocationem censurarum, vel ad absolutionem, aut impedientis earumdem absolutionem. *ibid.* b. Item illam exercentis in ecclesiasticos, eos trahendo ad suum tribunal, & partis id procurantis. 174. a, & b. Item in illos exercentis per capturam, & pœnas corporales, & ad id cooperantis. 175. a. Item pœna usurpantis, vel impedientis *jurisdictionem* in causis S. Officii. 177. a. Et superiorum Regularium hoc committentium, *ibid.* Item eam per violentiam impedientis, *ibid.*

JURISDICTIONALIA loca Ecclesiarum, vel piorum locorum alienantis pœna. 57. a. Item loca Ecclesiæ Romanæ, *ibid.*

JURIS communis correctio qualiter evitanda, & quando censeatur sufficienter juri communi derogatum. 208. a. JURIS CIVILIS studium sub qua pœna clericis, & religiosis prohibitum. 296. b, & seq. JURIS IGNORANTIA an, & quando excuset. 222. b. Juris privatio in re, & ad rem quando non sit pœna. 1. a. JUS QUÆSITUM alterius non censetur Papa abstulisse. 209. b. JURIS SEPELIENDI possessio, vel quasi possessio, quomodo acquiratur, & a quo acquiri possit. 273. b. Illius privatio. 140. a.

JUSPATRONATUS qualiter possit transferri. 285. b. Illius venditio simoniaca, *ibid.* Illius usurpatio sub qua pœna prohibita. 303. a, & b.

L

LACERATIO litterarum S. Pœnitentiariæ, vide S. PŒNITENTIARIÆ litterarum.

LÆSÆ majestatis crimen, vide MAJESTATIS læsæ.

LAICÆ potestatis abusu beneficium recipientis, vel conferentis pœna. 80. b, 81. a.

* LAICUS *intra septa presbyterii sedem, scamna, aut genuflexoria sub qua pœna retinere prohibeatur*. 243. a.

LAICUS religiosus admissus ad novitiatum pro *laicis*, nequit ad statum clericorum transferri, etiam durante novitiatu, neque ad Ordines promoveri. 224. a. & b. Et pœnæ illos conferentis, ac recipientis, *ibid.* * *Laici* fidei disputationem assumentis pœna. 133. a.

LAICUS JUDEX, vide JUDEX LAICUS.

LAMINÆ Granatenses sub qua pœna prohibitæ. 182. b.

LARGITIO munerum sub qua pœna Regularibus, ac illa recipientibus prohibita. 207. b, & seq.

LATÆ SENTENTIÆ pœna, vide PŒNA LATÆ SENTENTIÆ.

LATERANENSE CONCILIUM, vide CONCILIUM.

LATINI sacerdotes quoad ritum græcum in celebratione Missarum, & Divinorum Officiorum. 265. a.

LATRONIS publici nomine qui veniat. 154. a. *Latrones* recipientes, vide BANNITOS.

LATRUNCULI MARITIMI, vide PIRATÆ.

LEGATA, & restitutiones religiosis impedientes, vel sibi in præjudicium aliarum Ecclesiarum procurantes, quando, & quas pœnas incurrant. 252. a, & b.

LEGATUS de latere an habeat jurisdictionem, & qualem. 177. b, 278. a. An teneatur ostendere litteras. 177. b. Illos impedientium, vel offendentium pœnæ, *ibid.* & 163. b. Et quid veniat nomine offensæ. 177. b. An absolvere possit a censuris Papæ reservatis. 25. a. *Legatus* ambiens, vide — AMBITUS NUNCIORUM.

LEGENDA a Regularibus in publica mensa, vel capitulo quæ decreta, & Constitutiones Apostolicæ, & sub qua pœna. 143. b. 178. a. 241. b.

LEGITIMATIO canonica, quæ, & quot modis fiat. 148. b, & seq. Quos effectus producat, *ibid.*

LEGITIMATI per dispensationem in radice matrimonii, succedunt. 148. b.

LEGUM studia quibus prohibita. 296. b, & seq.

LENITATIS defectus, irregularitas est ex delicto in clerico. 169. b.

LENOCINIUM quid constituat. 180. a. Illius pœnæ. 179. b, & seq. * *Item eidem cooperantium, & qui hi sint. ibid.*

LENONIS clerici pœna. 180. a.

LEX semel promulgata, semper præsumitur esse in observantia. 213. b. Nova recipit interpretationem ab antiqua, & intelligenda est, ut minus corrigat. 209. a. *Legis* novæ pœna an abroget pœnam antiquæ, & quando ambæ concurrent. 9. a. *Lex* an ad præterita extendatur. 254. b. Illius est optima interpres consuetudo. 74. a. *Lex* ecclesiastica generalis non continet judæos, nisi exprimat. 314. a. Declaratoria non publicata, an obliget. 95. a. Non publicata in se, satis publicatur in alia lege, eam innovante, publicata. 271. b. Fundata in falsa præsumptione, quando dicenda sit, & an obliget, cessante fine in particulari. 101. a, & b. *Lex*, formam statuens actui, an liget subditos extra territorium contrahentes. 40. a. *Legis* ecclesiasticæ interpretatio sub qua pœna prohibita. 166. a, & b. *Legis* interpretatione punita, an intelligatur de practica, vel speculativa. 96. b. *Lex* canonica circa praxim judiciorum, an procedat etiam in foro civili. 30c. a. *Lex* pœnalis quando sit perpetua, quando non. 31. b. *Lex* humana, præsertim ecclesiastica, potest ferre pœnas latæ sententiæ pro actu interno, quatenus ad externum refertur, 3. b. 4. a. Potest etiam punire actum externum ratione malæ intentionis, aut ratione defectus actus interni, quando id fiat per modum legis. 4. a. *Leges*, & statuta, vel ordinationes contra ecclesiasticam libertatem facientis, & cooperantis pœna. 178. b, & seq. Item *Legum*, & consuetudinum iniquarum observationem jurantis, aut jurari facientis. 170. a, & b.

LIBELLOS famosos edens, retinens, vel publicans, quam pœnam incurrat. 180. b. 181. a. Item illos edens &c. contra Ordines Prædicatorum, & Minorum S. Francisci. 180. b. Num eamdem pœnam incurrat eosdem edens &c. contra alios Ordines regulares. 181. a.

LIBERI Muratori sectæ, vide SECTÆ ad libidinem.

LIBERTAS ecclesiastica quando dicatur violari. 178. b. 179. a. Et pœnæ illam violantium, *ibid.* Matrimonii libertatem auferens, vide MATRIMONII LIBERTATEM.

LIBIDINIS alienæ exercendæ cooperantium pœnæ. 179. b, & seq.

LIBRI, & laminæ granatenses sub qua pœna prohibitæ. 182. b.

LIBROS Regularium sine suorum superiorum licentia edentium pœna. 18e. a. Item *libros* Astrologiæ judiciariæ, vel aliarum divinationum legentium, & retinentium. 299. a. Item *libros* hæreticorum, hæresim continentes, vel de religione tractantes sine licentia Papæ scienter legentium, retinentium, imprimentium, & defendentium. 181. a. Item illos hæreticorum quoscumque, vel etiam Catholicorum, ob hæresim aliquam in eis insertam, aut falsi dogmatis suspicionem damnatos, & prohibitos legentium, vel retinentium, donec fuerint expurgati, & permissi, *ibid.* b. *Libros*, aut scripta imprimentis, vel imprimi facientis pœna sine licentia superiorum, ad quos spectat. *ibid.* Et ad quos *libros* pœna se extendat. 182. a. Et quid, si Romæ conscripti sint, & extra impressi. *ibid.* Item manuscriptos ante approbationem vulgantis. *ibid.* Item *libros* de rebus sacris sine nomine auctoris, aut sine examine, & approbatione imprimentis, imprimi facientis, vendentis, scripto communicantis, aut vulgantis. *ibid.* Item *libros*, aut scripta de conceptione B. Virginis scribentis, aut dictantis. 200. a. Item *libros*, & tractatus imprimi facientis de confessione sacramentali inter absentes pœna. 260. b. Item *libros* manuscriptos ante approbationem vulgantis pœna. 182. a. * *Libros*, aut scripturas Cameræ Apostolicæ occultans, vel non revelans, an hodie incurrat excommunicationem. 84. b. 85. a. * *Libros e Bibliothecis Regularium extrahentis pœna*. 82. b. Item *libros* de divinis auxiliis sine expressa licentia Pontificis edentis, retinentis, legentis, vel imprimentis pœna. 82. b. * *Item libros de missionibus, vel de rebus ad ipsam spectantibus, edentis sine licentia S. Congregationis de Propaganda Fide*. 183. a. * *Librorum*

Gentilium lectio ubi prohibita, & sub qua pœna, ibid. * *Propositio proscripta circa libros prohibitos.* 181. *b*.

LICENTIA illegitima an excuset subditum. 234. *a*. Requisite a jure in scriptis, an sufficiat oretenus concessa in foro conscientiæ. 96. *b*. *Licentia* probatur ex scientia, & taciturnitate. 149. *b*.

LIMINA Apostolorum statutis temporibus Episcopi non visitantis pœna. 183. *a*, & *seq*. Et qualiter fieri debeat ista visitatio, *ibid*. * *Item Abbatum, aliorumque jurisdictionem quasi episcopalem habentium*. 183. *b*. 184. *a*. *An ad hanc teneatur Episcopus titularis, seu annularis*, *ibid*. *Limina* Apostolorum plures accedentes simul offendens, tot incurrit excommunicationes, quot sunt offensi. 7. *a*, & *b*.

LIQUIDATIO fructuum, vel interesse, habet latitudinem, & ejus error admittit parvitatem materiæ, etiam in beneficialibus. 278. *b*.

LITTERARUM Apostolicarum, & Ordinariorum falsatio, vide verbo FALSANTES. *Litteræ Apostolicæ* de cujus manu recipi debeant. 231. *a*. An requirantur ad valorem provisionis Apostolicæ, vel Ordinariorum. 133. *b*, & *seq*. & 136. *a*. *Litteras* gratuitas impetrans ob subreptionem ingestam. 136. *b*, & *seq*. Earum impetrationem, & executionem impedientis pœna. 175. *b*, & *seq*. * *Item S. Pœnitentiariæ*. 176. *b*. Item *litteris* non expeditis, Ecclesiæ, vel monasterii administrationem assumentis. 134. *a*, & *b*. Quas personas hæc pœna comprehendat, *ibid*. Quando excusentur, *ib*. Item, iis non expeditis, sisdem utentis, *ibid*. Item, iis non expeditis, beneficii possessionem capientis. 135. *a*, & *b*. Et ad quas personas se extendat, *ibid*. Et intra quod tempus expediri debeant in Curia. 135. *a*. Item, iis non expeditis, retinentis beneficium post promotionem ad Episcopatum, aut aliam dignitatem. *ibid*. *b*. Item, iis non expeditis, utentis pensione. 136. *a*. Quando eas teneatur expedire. *ibid*. Item *litteras* expeditas beneficii exequentis sine legitimo executore. 135. *b*. *Litterarum S. Pœnitentiariæ* lacerstio, & earum executores, ac illas falsantes, vide S. PŒNITENTIARIA. *Litteras* commissionis an teneatur ostendere delegatus Papæ. 177. *b*. *Litteras* mittens contra legem pœnalem, non incurrit pœnam, nisi *litteræ* pervenerint. 301. *b*.

LITTERAS Papæ nondum coronati impugnantis pœna. 237. *b*.

LITTERATURA ad ordines recipiendos quæ requiratur. 201. *a*, & *b*.

LOCATIO bonorum ecclesiasticorum ultra triennium sub qua pœna prohibita. 55. *a*. Ad modicum tempus ad quot annos se extendat. 58. *b*. Facta ultra triennium, an sustineatur quoad triennium. 55. *a*.

LOCORUM Piorum bona, vel proventus occupantes, vel impedientes, vide USURPATIO *bonorum*. *Locorum* jurisdictionalium Ecclesiæ Romanæ, vide ALIENATIO.

LOCUS *exemptus* quis dicatur, & quid in eo facere possit Episcopus. 228. *a*, & *b*. *Locus sacer* quando efficitur talis. 273. *b*. *Loci* mutatione, an delinquens liberetur a pœna commissa, vel committenda. 28. *b*, & *seq*. *Loci* sui dignitate, seu honore privetur — depositionem significat. 59. *b*. Loca sancta visitantes offendentis pœna. 240. *b*.

LONGUM tempus quod dicatur. 317. *a*.

LUCRUM per superstitionem acquisitum, cui restituendum. 299. *b*.

LUDOS agitationis taurorum, aut ferarum agentium, vel spectantium pœna. 184. *a*, & *b*. Item *ludos torneamentorum* agentium, 184. *b*. 185. *a*. *Ludus* aleæ cui, & sub qua pœna prohibitus. 185. *a*, & *seq*. An victori detur actio, *ibid*. *Luseres* recipientium pœna, *ibid*.

LUDICRAS artes, aut ignominiosas exercentis, & ludos publice agentis pœna. 72. *a*, & *b*.

M

MACHINATIO in mortem conjugis, quam pœnam inducat. 147. *a*.

MAGISTRATUS auxilium denegans pro reparanda clausura monialium, quam pœnam incurrat. 99. *b*. Item non adjuvans Inquisitores contra hæreticam pravitatem, aut illos impediens, aut cognoscens de causis ad eosdem spectantibus. 163. *b*. *Magistratus* assertioni, quod habuerit commissionem a Principe, an sit credendum. 235. *b*.

MAJESTATIS LÆSÆ reus quas pœnas incurrat, & quas, si est clericus. 186. *a*, & *b*. Solus conatus sufficit ad incurrendas pœnas. 6. *a*. Illius pœnæ ipso jure illatæ per extensionem ad aliquod delictum, an intelligantur de spiritualibus tantum, an de temporalibus. 118. *a*. Bannitus ob hoc crimen, etiam extra territorium occidi potest. 43. *a*. Hoc crimen committitur contra Principem suum naturalem. 186. *a*. Item offendendo in persona Summum Pontificem, vel Cardinalem, etiam cooperando. 186. *b*, 187. *a*. Item hostili invasione in bona ipsius Pontificis, & Cardinalium. 187. *b*. Item inquisitione per viam superstitionis de vita, & morte Papæ, vel ejus consanguineorum, vel contra Rempublicam christianam, *ibid*. Item offendendo officiales Papæ, vel Cardinalis, *ibid*. *Majestatis læsæ* rei filius est infamis, & irregularis quoad ordines recipiendos tantum, sed hæc pœna cessat, patre restituto. 74. *a*.

MAJOR quoad pœnam blasphemiæ quis dicatur. 83. *a*.

MALEDICTIONIS æternæ, vel indignationis Dei, & SS. Apostolorum, vel pontificiæ pœna quid importet. 44. *a*, & *b*. Et quibus hæc pœna privet, *ibid*. Quando pœna indignationis tollatur, *ibid*. *b*. Quando irroget infamiam, *ibid*.

MALEFICIUM quid sit. 299. *b*.

MANDANS percussionem, non occisionem, secuta morte, fit irregularis. 144. *b*.

MANIFESTUS usurarius quis sit. 314. *b*, & *seq*.

MANUS appositio Papæ quando non liget *manus* Ordinariorum. 3. *a*. 16. *b*. *Manus injuriosas* injicient in clericum, vel monachum, vel in se ipsum, vide PERCUSSIO clerici.

MANUSCRIPTI libri, vide LIBRI.

* MARCHIÆ Præsides, & officiales offendentis pœna. 188. *b*.

MARINI latrunculi, vide PIRATÆ.

MARITI uxorem prostituentis pœna. 179. *b*.

MATERIÆ parvitas, vide MODICUM.

MATRIMONIUM clerici in sacris contrahentis pœna. 64. *b*, 65. *a*. 190. *b*. 191. *a*. Item Religiosi. 63. *b*. Item monialis, *ibid*. & 190. *b*. 203. *a*. Item illud contrahentis contra votum castitatis, vel Religionis, vel contra statum clericalem. 190. *b*. 191. *a*. Item pœna contrahentis secundum, vivente primo conjuge. 190. *a*, & *b*. Et est reus criminis mixti fori, *ibid*. * *Item pœna falsis testibus suæ status libertatem coram judice probantis*, *ibid*. Item in gradu prohibito. 159. *a*, & *seq*. Item cum impedimento ligaminis. 190. *a*, & *b*. Item pœna *matrimonium* incestuosum contrahentis. 192. *a*, & *seq*. *Matrimonium contractum* cum impedimento irritante, ut incestu, an præsumatur in dubio per ignorantiam contractum. 159. *a*. Ex *matrimonio* nullo filii an censeantur semper illegitimi. 191. *b*. *Matrimonii* impedimentum ex adulterio. 54. *a*. ET vide MATRIMONII impedimenta. *Matrimonii* impedimentum ex homicidio, vide HOMICIDIUM. *Matrimonium* secundum contrahens, soluto primo, ad quæ reddatur incapax. 190. *a*, & *b*. Et vide BIGAMUS. *Matrimonium* bigami benedicentis pœna. 189. *b*. *Matrimonium* solemnizantes clerici, vel Religiosi sine licentia parochi, quam pœnam incurrant. 188. *b*, 189. *a*. *Matrimonium* ratum per cujus Religionis ingressum dirimatur. 190. *a*. Metu contractum, quando sit nullum. 193. *a*. & *b*. Qualis debeat esse, *ibid*. * *Quando liceat ad illud per censuras virum compellere*. *ibid*. *Non liceat tamen mulierem*, *ibid*. Quibus casibus dissolvatur, viventibus iisdem conjugibus. 190. *a*. *Matrimonii* libertatem auferentis pœna. 193. *a*, & *seq*. Et quot modis dicatur auferri. *ibid*. Contractum cum raptus impedimento, est nullum. 245. *b*. 246. *a*. *Matrimonii* solutio fieri potest per professionem religiosam. 190. *a*. Item per conversionem ad fidem alterius conjugis, & quando, *ibid*. Item per dispensationem Papæ, si est tantum ratum, *ibid*. Illud infidelium quando solvibile, *ibid*. *Matrimonium* religiosi militaris quando licitum. 191. *a*. * *Matrimonii impedimenta dirimentia quando dispensari possint ab Episcopo*. 191. *b*. 192. *a* *Matrimonium quando est nullum ob aliquod impedimentum, occultum tamen, si est jam contractum in facie Ecclesiæ, coram nempe parocho, & testibus, non opus est, ut consensus iterum coram ipsis renovetur, sed satis est, ut clam renovetur inter ipsos contrahentes, secus, si impedimentum est publicum*. 330. *b*. 331. *a*. *Matrimonium* clandestinum quod dicatur, & pœnæ illud contrahentis. 192. *a*, & *b*. * *Secundum contrahentis, constante primo, sui status libertatem per falsos testes probantis pœna*. 190. *b*. Contractum sine parocho, & testibus, ubi Tridentinum non est receptum, quando validum. 190. *a*, & *b*. * *Et ubi validum, si est receptum*. 192. *b*. 193. *a*. *Matrimonium hæretici cum catholica in terris hæreticorum, vel hæretici cum hæretica, quando validum*. *ibid*. *Matrimonii* denunciationes omissæ, illud non invalidant. 191. *a*. * *Parochi pœna illas omittentis*, *ibid*. *b*. *Illius nullitas quomodo hodie probanda*. 193. *b*, & *seq*. *Illius defensor qualis, & a quo debeat deputari*, *ibid*.

MATRIMONII dispensatio super impedimento data in foro conscientiæ tantum, nequit rata haberi ab Episcopo, sed constito de illo, debet cogere ad separationem, donec obtineatur a Dataria. 59. *a*. Nunquam danda est testimonium hujus secretæ dispensationis, *ibid*. Raro, & non nisi ex justa causa, ac gratis est expedienda in Curia, & Commissarii etiam gratis exequi eam debent, alias est nulla. 288. *a*. Et quæ pœna contrafacientium. *ibid*. Quando super hac liceant compositiones. *ibid*. * *Et pecunia in pia opera est eroganda*. 324. *b*. *Compositio in qua summa fieri solvat*, *ibid*. & 325. *a*. *Dispensatio num exequatur, si incestus fuerit materialis*. 325. *b*. *Ad petendam dispensationem secretam quomodo efformandus sit libellus supplex, ne reddatur subreptitius, & quomodo confessarius litteras dispensationis a S. Pœnitentiaria obtentas exequi debeat*. 326. *a*, & *b*. 332. *a*. *Executio fieri debet in confessione sacramentali*. 327. *a*. *Et pœnitentia injungenda, & adimplenda*, *ibid*. *Clausula in litteris dispensationis apponi solita — Aliunde non obstet — aperitur, quod dispensatio irrita sit, si aliud impedimentum silentio omissum fuerit*. 329. *b*. *Altera clausula — præsentibus laceratis, aut laniatis — imponat obligationem lacerandi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, non tamen reservatæ*. 239. *b*. 329. *b*. *Dispensatio pro impedimento secreto obtenta, quomodo executioni mandari debeat, si tale impedimentum detegatur, inito jam matrimonio, notum uni tantum ex conjugibus*. 310. *a*, & *seq*. *Post obtentam dispensationem in tali casu quomodo sit renovandus consensus*. 331. *b*. 330. *a*. *Clausula in hoc casu apposita in litteris dispensationis — dicta muliere de nullitate certiorata, sed ita caute, ut Oratoris delictum nunquam detegatur — non est instructio, sed vera conditio, & quomodo adimplenda sit*. 331. *a*, & *b*. *Dispensatio obtenta pro matrimonio incestuoso, retenta proximiori gradu, quando valida, & quid postea agendum*. 191. *b*. *Pro obtinenda in Dataria, explicanda est copula prohibita, ac etiam quo pacto & consilio facta*. 324. *a*.

* MATRIMONII *impedimenta impedientia quot sint*. 323. *a*. *Impedimenta dirimentia, an, & quando dispensari possint ab Episcopo*. 191. *b*. 192. *a*. 325. *b*. *Publica non pertinent ad S. Pœnitentiariam*. 325. *b*. *Quando censenda sint publica, vel occulta*. 327. *b*. *Impedimentum affinitatis oritur tantum ex copula perfecta*. 325. *b*. *Et incestus quando sit materialis, vel formalis*. *ibid*. *Impedimentum* ex incestu quando inducatur. 159. *b*. 160. *a*. In quibus gradibus, & quomodo dispensetur, ac quando dispensatio sit nulla, *ibid*.

MEDIATORES an contineantur nomine facientium, aut committentium. 578. *b*.

MEDICI non monentis infirmum de confessione facienda, vide INFIRMORUM.

MEDICINÆ studia Religiosis, & clericis secularibus sub qua pœna prohibita. 196. *b*.

MEMBRORUM debilitatio, & mutilatio, vide MUTILATIO: sed debilitatio tantum non reddit irregularem. 240. *a*.

MENDICANTIBUS regularibus eleemosynæ collectionem impedientis pœna. 125. *b*. Item illis onera imponentium. 157. *a*, & *b*.

METROPOLITANÆ erectio ad Papam pertinet. 559. *a*.

* METROPOLITANI *Synodum provincialem celebrare negligentis pœna*. 300 *a*. *Metropolitanum eligere Episcopi sub qua pœna teneantur*. 196. *a*, & *b*. *Hoc onus ad quos alios extendatur*, *ibid*. *Qui Episcopi eximantur*, *ibid*. *Metropolitanus* suffraganeos Episcopos non residentes Papæ non denuncians, quas pœnas incurrat. 257. *b*.

METUS an, & quando excuset a pœnis tam latæ, quam ferendæ sententiæ ob delictum cum eo commissum. 13. *b*. & *seq*. An, & quando excuset a culpa, & a censura, *ibid*. Et an a reservatione. 14. *a*. *Metu* compulsus, quando possit absolvi ab inferiori, *ibid*. *Metus* reverentialis quando dicatur gravis. 200. *a*. *Metu* matrimonium contrahens. 193. *a*, & *seq*. Item ordines suscipiens. 250. *a*, & *b*. Item professionem religiosam emittens. 200. *a*, & *b*. Item violans censuram. 92. *b*. *Metu* violari censuram cogentis pœna, *ibid*. *a*, & *b*.

MILES, militiam deserens, quando fit infamis infamia juris. 76. *b*. Sicut & a militia ignominiæ causa dimissus, *ibid*. & 40. *a*. In bello justo tenetur mortem subire, defendendo. 76. *b*.

MILITARI cingulo qui priventur. 147. *a*.

MILITARIS religiosus quando perdat cingulum militiæ. 147. *a*.

Quando

Quando ei matrimonium liceat. 192. a.

MILITES S. Joannis Hierosolymitani delinquenten extra eorum claustra, puniri possunt a locorum Ordinariis. 252. a. Vide verbo S. JOANNIS.

MILITIÆ Clerici se immiscentes, peccant. 76. a, & b. Et quas poenas incurrant, ibid. b. Quando excusentur, ibid. a. Militiæ privatio quid sit, & quæ incommoda inferat. 40. a.

MIMI, & histrionis poena. 66. a. 72. a.

MINISTRANS solemniter in ordine, quem non habet, quam poenam incurrat. 236. b, & seq.

MINOR qui dicatur. 13. a. An incurrat poenam latæ sententiæ, & censuram, ibid. In delictis poenam mortis merentibus, puniendus est mitiori poena. ibid. b. * Excipitur casus abreptionis, asportationis, & retentionis Hostiarum, & Particularum consecratarum, ac auditio sacramentalis confessionis, & celebratio Missæ, facta a non sacerdote. ibid. Minores xxv. annis quando poenis subjaceant, ibid. & 237. a.

MINORES Ordines exercens in suspensione, non fit irregularis, nisi suspensus sit ob simoniam. 91. b.

MIRACULA falsa prædicantis poena. 342. b.

MISSAM celebrantis, & Sacramentum non sumentis poena. 199. a. An illius sumptio spectet ad essentiam sacrificii, ibid. Item illam non perficientis. ibid. * Explicantur Canones circa hoc, ibid. b. Item eam celebrantis sine stola, aliisque ornamentis, & extra eam communionem sumentis, ibid. Item plures missas celebrantis eodem die. 200. a, & b. * Quando ex hoc fiat irregularis. ibid. Item celebrantis horis non debitis, 201. a. Item celebrantis in Ecclesia polluta. 269. b. 270. a. * Item missam celebrantis non promotus ad presbyteratum. 237. a, & b. Degradandus est, & tradendus brachio seculari, si xx. annum attigerit. 13. b. 237. a. Illius auditioni non satisfit, si duæ ejus partes, & plures simul audiantur a diversis celebrantibus, & contraria sententia est proscripta. 199. a. Missæ celebratio latino, vel græco ritu. 265. a.

* MISSÆ eleemosynæ pars retinere nequit sub poena peccati mortalis, committendo alteri celebrationem, & facienda est restitutio non danti, sed sacerdoti, qui illam celebravit. 198. b. Item, si hoc fiat, si recepta est major solito, ibid. Missas colligentis cum majori, vel consueta eleemosyna, si eas alibi celebrari faciant minori stipendio, parte sibi retenta, laici incurrunt ipso facto excommunicationem, clerici suspensionem, quæ poenæ sunt Papæ reservatæ. ibid. * Propositiones proscriptæ circa Missarum applicationem, ibid. * Missarum omissarum compositio, vide FABRICA S. PETRI.

MISSARUM onera perpetuarum recipientium poena contra formam præscriptam a Constitutionibus Apostolicis. 196. b, & seq. * Referuntur decreta circa hoc, ibid. Pecunia pro iisdem relicta, sub qua poena reinvestiri debeat, ib. Poena illam alienantium. ibid. Quid, si illorum bona consumpta, vel deperdita fuerint absque colpa, ibid. * Assignatur modus describendi dicta onera. 197. b. 198. a. Poena non procurantium executionem decretorum circa dicta onera. 198. a, & b. Propositiones proscriptæ circa eadem onera. ibid. b. Illarum reductio reservata est Sedi Apostolicæ. 197. a, & b. Causa reductionis quæ, ibid. Fieri tamen potest ab ipsomet testatore, seu benefactore, ib. * Qua conditione concedi potest a R. Fabrica S. Petri. ibid. b.

MISSARUM onera monialium recipi nequeunt, nisi intra modicum tempus celebrari possint ante recepta, & sub qua poena. 197. b. * Hoc modicum tempus se extendit ad unum dumtaxat mensem. ibid. Assignatur modus describendi dicta onera. ibid. & 198. a.

MITIUS agitur cum lege, quam cum homine. 10. a.

MIXTI fore causæ, vel crimina referuntur. 9. a. 66. a. 76. a. 150. a. 162. a. 185. a. 190. b. 219. a. 241. b. 242. a. 268. a. 301. b. 312. a.

MODERAMEN inculpatæ tutelæ in homicidio, vide HOMICIDIUM.

MODICA RES alienata quæ dicatur. 55. b. Item modica quantitas extracta. 62. b. Modica res si deficiat, non dicitur facta integralis restitutio. 303. b. Modica quantitas in ludo quæ dicatur. 185. a. Modica poculenta, & esculenta quæ. 206. b. 207. b. Modica poena an obliget in conscientia ante declaratoriam. 81. a.

MODICE distans, moraliter est præsens, & quæ sit parva distantia. 238. b.

* MODICUM tempus pro adimplendis missarum oneribus se extendit ad unum mensem. 197. b. Modicum tempus quando non excuset. 71. a. Modicum an contineatur, si lex utitur dictione: Aliquid. 84. a. Modicum non admittitur in simonia. 278. b. 283. a.

MOLLITIES, vide CARNIS PECCATA.

MONACHORUM nomine qui veniant. 69. b. Poena arma tenentium intra septa Monasterii, ibid. Armorum nomine quæ veniant, ib. & 71. b. Quando ea ferentes, fiant irregulares. 72. b.

MONASTERIUM in odiosis non venit nomine Ecclesiæ. 247. a. * Quæ monasteria subjecta sint jurisdictioni Episcoporum, ibid. b. In Monasterium detrusio, vide DETRUSIO.

MONASTERIUM ingredi mulierem cogentis poena. 301. b. Quando hoc liceat. 302. a.

MONASTERII, vel Conventus novi fundatio Regularibus prohibita est sine licentia Sedis Apostolicæ. 246. a, & seq. * Num ea opus sit pro fundatione extra Italiam. * 247. b. Requisita ad eam faciendam. 246. b, & seq. * Num pro fundatione Monasterii monialium requiratur licentia Sedis Apostolicæ. 247. b. 248. a. Scholarum Piarum fundatio fieri potest sine consensu præexistentium Regularium. 248. a. Etiam non servata distantia, ib. Monasterii dimissio fieri nequit a Regularibus absque facultate. 246. a, & seq.

MONETAM Regis Galliæ falsantium poena. 130. b. * Item in locis S. Romanæ Ecclesiæ, ibid. Item monetam auream, vel argenteam fundentium, aut falsantium. 221. a, & b. Rei non gaudent asylo sacro. ibid. b. Quid, si sint Regulares, ibid. Item eam expendentium poena, ibid.

* MONIALIS nomine quando veniat etiam Abbatissa. 304. a.

MONIALEM fieri cogentis poena. 221. b. Monialis corrupta non potest recipere velum. 203. a. Poena tam recipientis, quam illud conferentis, ibid. Quando excusentur. 203. a, & b. An dispensari possit ab Episcopo, ibid. b. An possit esse Abbatissa, ibid. Monialis professa, si mutato sexu, fiat vir, an sit valide professa. 253. b. 254. a. Monialis expulsæ dos cui debeatur, ib. b. Monialis matrimonium contrahentis poena. 203. a. * Moniales sub qua poena prohibeantur propriis sumptibus sua Officia exercere, & poena superiorissæ id permittentis. 204. b. Illas, earumque Abbatissam alloquentes Regulares sine licentia, quam poenam incurrant. 203. b. 204. a. * Affertur decretum id prohibens, ibid. Quos Regulares comprehendat, ibid. Poena extenditur etiam ad allocutionem cum quibuscunque aliis, intra clausuram degentibus, ibid. Illas alloqui prohibere possunt ab Episcopo etiam Clerici, & laici per censuras, aliasque poenas. 204. a. Quid, si agatur de Episcopis alienæ diœcesis, Vicelegatis, & Præsulibus, & Gubernatoribus cum iisdem alloquentibus, ibid. b. Moniales sorores quando priventur voce in Capitulo. 310. a, & b. Monialium clausuram frangentes moniales, exeundo, vel in illam alios quoscunque introducendo, vide CLAUSURA. Monialium confessarius ordinarius, & extraordinarius, vide CONFESSARIUS MONIALIUM. Monialium monasterii fundatio, vide MONASTERIUM. Monialium Abbatissæ electio, vide ABBATISSA. Monialium visitatio, vide VISITATIO MONIALIUM. Monialium Abbatissa non monens Episcopum de imminenti tempore professionis novitiæ, vide ABBATISSA.

MONITIO canonica quæ dicatur. 85. b. 169. a, & b. Est necessaria ad ferendas censuras ab homine. 85. a. Quando una sufficiat. 173. a. Qualis debeat esse. 85. b. Si non præmittatur, sententia est injusta, ibid. Si præmittatur una tantum, valida est, ibid. Quando non requiratur, ibid. Quæ poena, quando, & a quo incurratur, si non præmittatur. 85. a, & b. Quando non reddit censuram a jure latam, reservatam monenti. 169. b.

MONITORIA ad revelandum, & restituendum quando ligent extra territorium. 30. b.

MONOPOLIUM committentis poena. 65. b. Monopolio annonam onerantium poena. ibid.

MONTES PIETATIS, ut sint liciti, quid requiratur. 205. a. An mutuantes Monti, possint lucrum accipere. ibid. Illos impugnantis poena. ibid. Illorum pecuniam præter usus destinatos expendere præsumentium poena, ib. b. Item illorum bona usurpantium, & impedientium. ibid. * Item illorum cedulas falsantium. 201. b.

MORÆ purgatio non tollit, neque minuit poenas latæ sententiæ. 9. b. An habeat locum, si creditor dedit dilationem, ubi requiritur declaratio illius. 18. b. Et vide CADUCITAS.

MORTIS in articulo, vel periculo qualiter quis, & a quo absolvi possit a censuris. 24. b. 25. a.

MORTUOS spoliantis poena. 274. a. Mortuus a quo absolvi possit a censures, * Et ad quem effectum. 15. a.

MULCTAM Curiæ debitam defraudantis poena. 84. a, & b. Ipsa jure inflicta, an obliget ante declaratoriam. 41. a, & b.

MULIEREM ad vovendum impedientis poena. 301. b. 222. a. Item cogentis ad ingrediendum monasterium, vel ad emittendam professionem. 301. b. Mulier invita personaliter ad judicia trahi non debet extra casus a jure expressos. 302. a. Illius testimonium ubi recipiendum, ibid. Mulier incendiaria a Papa tantum potest absolvi. 158. a. Percutiens clericum, a quo possit absolvi, & quid in aliis censuris reservatis. 24. a.

MULTIPLICATIO actuum, seu transgressionum quando multiplicet poenas latæ sententiæ, etiam pro eodem delicto. 6. b. 9. a.

* MUNERA S. Inquisitionis Officialium recipientium poena. 165. b. Item Officialium S. Poenitentiariæ. 205. b. 206. a. Item Visitatorum, illorumque familiarium. 308. a, & b. Item Commissariorum pro dispensatione matrimoniali concedenda. 306. a. Item judicis pro justitia, vel injustitia; & ad quid hic tunc teneatur. ibid. Et quid de judice ecclesiastico, sive ordinario, sive delegato, ibid. b. Propositio proscripta circa Judices, ibid. Item poena Gubernatorum, & Officialium Status ecclesiastici. 207. b. Item munera facientium, vel recipientium de bonis Communitatum. 307. a. Munerum largitio sub qua poena Regularibus prohibita. 207. b, & seq. Quæ munera sint eis permissa. 208. a. Poena illa ab eis recipientium, & quando ac quomodo absolvi possint, ib. Et cui restituenda, ibid. * Munera dantes, vel promittentes pro obtinenda gratia, vel justitia in Curia Romana, quas poenas incurrant tam dantes, quam recipientes. 238. b, & seq. Ad quas res, & ad quos se extendant poenæ, ibid. Cui restituenda jam data, ibid. Afferuntur casus particulares, ibid. Munera prohibitas accipere, an possit accipere esculenta, & poculenta, ibid. Et vide POCULENTA. Munera an dari possint concubinæ. 105. a, & b.

MUNERA, seu onera ecclesiasticis imponentium poena. 154. b, & seq. Item in munerum localium fraudem Ordines recipientium. 229. b.

MUTATIO LOCI, vide LOCUS.

MUTATIO sexus in moniali, vel religioso. 253. b. 254. a.

MUTILATIO membrorum quando inducat excommunicationem. 195. b. Propria etiam mutilantis poena, ibid. & seq. Quorum membrorum debeat esse, ibid. Quænam poena illa debilitantis. 196. a. Dubius de mutilatione, an sit irregularis. 12. a. 196. a. Quis, & quando ab irregularitate ob mutilationem dispensare possit, ibid. Mutilatio inducit irregularitatem, etiam in ipsam ignorante, si det operam rei illicitæ. 21. a. * Mutilantis nomine in Ecclesia qui veniat. 154. a, & b. Mutilans se ipsum Clericus. 188. a, & b.

N

NAUFRAGANTIUM bona injuste capientis, vel detinentis poena. 220. a. An incurrantur, si naufragium factum sit in flumine, ibid.

NEAPOLITANI Episcopi qua forma, & conditione Ordines conferre debent, & poena tam ipsorum contrafacientium, quam ordinatorum. 221. b. 234. b. 318. b.

NEGATIVA ante verbum — Potest — aufert omnem potestatem. 224. b.

* NEGOTIATIO sub qua poena clericis, & Religiosis prohibita, etiam per interpositam personam. 66. b. 210. a, & seq. 317. b. & seq. Quando ob eam clerici priventur privilegio fori, & canonis. 66. a, & b. Negotiationis nomine quid veniat. 211. a. 317. b. * Bona ex ea acquisita cui cedant. 211. b. 318. a. Negotiationis species est cambium activum. 210. a, & b. 317. b.

NEGOTIIS secularibus enormibus, vel non enormibus se immiscentes clerici tam seculares, quam regulares, quas poenas incurrant. 63. a, & seq. 252. a, & b.

NEPOS illegitimi patris quoad beneficia. 130. b.

NOMEN verbale significat exercitium, seu frequentiam. 315. a.

NOMINATIM, & expresse sunt synonima. 70. b. Nominatim denunciatus, quando quis dicatur. 86. b. 87. a.

NOMINATIO indigni ad Ecclesiam quam pœnam inducat. 121. a, & seq. *Nominationis* ad Ecclesiam, vel beneficia denegatæ causa nominantem vexantis pœna. 123. b. Ad Ecclesias, dignitates, & beneficia, qui nominari non possint. 121. a, & seq.

NOTARIORUM taxa pro Ordinum collatione. 286. b. *Notariorum Cameræ Apostolicæ officiis vendendis se immiscent, quam pœnam incurrat.* 210. b.

NOTORIETAS facti supplet sententiam judicis. 267. b. Et declarationem. 159. a.

NOTORIUS facti, & juris quando dicatur. 27. a. 315. a. *Notorie* vitandus quis sit. 86. b. 87. a, *Notorie* vitandus in uno loco, an sit vitandus in alio, ubi nescitur, esse vitandum. 6. a.

NOVERIT se excommunicationis mucrone perculsum — est canon latæ sententiæ. 163. b. Item — *Noverit* se communione privatum. 169. a.

NOVITIATUS in locis non deputatis factus, est nullus. 211. b. & seq. Eum ea ad illum admittentium pœna, *ibid.* *Novitiatus* annus, vide PROFESSIO religiosa.

NOVITIUS quando valide renunciare potest suis bonis. 287. b. Nihil donare potest monasterio, nisi de licentia Episcopi intra duos menses ante professionem, *ibid.* Et donata, sunt restituenda, & ad id superiores compelli possunt ab Episcopo per censuras, *ibid.* Testari tamen, vel donare potest causa mortis, etiam sine licentia Episcopi, *ibid.* Impedimenta reticens in admissione ad professionem, vide PROFESSIO religiosa, impedimento reticito. *Novitio* neque Ordines minores, neque Prima Tonsura ab Abbatibus conferri possunt. 232. a.

NULLATENUS absolvatur — aufert jurisdictionem. 146. b. 258. b. 214. a. — *Nullatenus* admittantur — an sit canon latæ sententiæ, *ibid.*

NULLITAS actorum qualiter fiat, & reparetur. 41. b. Sanari potest a Papa, & a Principe quoad defectus juris positivi, non naturales, 42. a. Nec quoad actus dependentes a consensu partium, nisi remoto impedimento, *ibid.* An in hujusmodi sanatione debeat iterari forma, & solemnitas, *ibid.* *Nullitas* ex decreto irritante nunquam præscribit, *ibid.* Vide IRRITATIO. *Nullitas sententiæ* censuræ quando probetur, & quid faciendum ab eo, qui prætendit, eam esse nullam, vel dubiam. 20. a, & b. *Nullitas matrimonii*, vide MATRIMONII nullitas.

NULLIUS DIŒCESIS locus qui dicatur, & quam jurisdictionem in eo Episcopus exercere possit. 128. a. & b. *Nullius diœcesis* Prælati, existentes intra fines alicujus diœcesis quoad dimissorias concedendas, & Ordines conferendos. 231. a, & seq.

NUMERUS actuum malorum eodem impetu positorum, est explicandus in confessione. 6. b, & seq. * *Numerus religiosorum* pro novorum conventuum fundatione. 246. a. & seq. Illum semel taxatum augentium pœna. 248. a.

NUNCIANS infidelibus, vel hæreticis aliquid in præjudicium Religionis, & Reipublicæ christianæ, illisque ad id cooperans, quas pœnas incurrat. 213. a. Item *nunciantibus* provisiones Ecclesiarum in Curia Romana factas donans aliquid, vel promittens, *ibid.* & b.

NUNCIOS Sedis Apostolicæ impedientis, vel offendentis pœnæ. 163. a, & b. 177. b. Et quid veniat nomine offensæ. 163. a. Vide LEGATUS.

NUNCIUM mittens contra legem pœnalem, non incurrit pœnas, nisi *nuncius* pervenerit. col. b.]

NUPTIÆ SECUNDÆ, soluto primo matrimonio, licitæ sunt. 184. b. Illas benedicentis pœna. 189. b. Vide BENEDICTIO secundarum nuptiarum.

O

OBEDIENTIÆ religiosæ præceptum ad quæ se extendat. 250. b. 251. a. *Obedientia* quando excusat religiosum. 234. a.

OBLATIONUM nomine quæ veniant. 213. b. & seq. Quando continentur nomine divinorum, *ibid.* & 214. b. *Oblationum* Ecclesiarum laici recipere non possunt. 213. b. Illas ab usurariis manifestis recipientes clerici, quas pœnas incurrant. 214. a. Item ab excommunicato, vel interdicto, *ibid.* Et quid, si privatim recipiantur, *ibid.* & b. Et quid, si recipiatur eleemosyna pro Missis, *ibid.* b. Item a raptoribus. *ibid.* a. Item illas ad Ecclesias, vel loca pia spectantes usurpans. 213. b.

OBLIGANS, seu ære alieno gravans Ecclesiam sibi commissam, seu beneficium, quas pœnas incurrat. 214. b.

OBLIGATI ad ratiocinia, vel ære alieno gravati, quando admitti possint ad clericatum, & religionem. 215. a, & b. Eorum pœnæ. *ibid.*

OBLIGATI ad residentiam, vide RESIDENTIAM.

OBREPTIO, vide SUBREPTIO.

OCCIDENS se ipsum, quas pœnas incurrat, & quando. 188. a, & b. Vide HOMICIDIUM.

OCCULTANS, vel alienans bona post incursam pœnam confiscationis, an peccet. 42. a.

OCCULTUM quando dicatur. 27. a. *Occultus* actus an puniri possit. 4. a. *Occultum* crimen quando judicetur. 27. a, & b. *Occultus excommunicatus* non tenetur se prodere. 89. a. *Occultus casus* quando dicatur. 18. a. 327. b, & seq. A quibus *occultis* casibus papalibus absolvere possit Episcopus. 27. a. 21. a, & seq.

OCCUPATIO bonorum, & fructuum vacantis beneficii quam pœnam inducat. 303. a, & seq. Item Ecclesiarum, & piorum locorum, *ibid.*

ODOARDUS caput, vide BENEFICIUM cap. ODOARDUS.

OFFENDENTIUM Prælatos Ecclesiæ pœnæ. 163. a, & b.

OFFICIUM Beatæ Mariæ Virginis quis pensionarius recitare teneatur, & quam pœnam incurrat, illud omittens. 148. a. Quando excusetur, *ibid.* Vide HORAS canonicas.

OFFICII nomine quæ veniant. 33. b. 281. a. *Officii* privatio quando inducatur. 33. b. A quo possit dispensari, & ad illam rehabilitare. 34. b. Ad quæ *Officia* eligi nequeat privatus voce passiva. *ibid.* & 35. a. *Officiorum* incapacitas in materia favorabili, de quibus officiis intelligatur. 250. a. *Officium* publicum an licite vendi, vel emi possit. 59. a. Illius venditio facta a Principe, quomodo regulanda, *ibid.* An illud emens, possit augere taxam, diminuto lucro, *ibid.*

OFFICIORUM divinorum celebratio latino, vel græco ritu. 265. a.

* OFFICIIS *Cameræ Apostolicæ venditis, vel vendendis se intromittentium, aut notarios ea ementes vexantium, quæ sit pœna.* 210. b.

OFFICIUM judicis criminalis assumens, an fiat irregularis. 169. b. 170. a.

S. OFFICII secreta revelantis pœna. 165. a. Reliqua ad S. *Officium* spectantia, vide INQUISITORES.

OFFICIALES Inquisitionis, vide INQUISITIONIS officiales.

OFFICIALES Montis Pietatis, vide MONTES PIETATIS.

OFFICIALES S. Pœnitentiariæ, vide S. PŒNITENTIARIÆ officiales.

OFFICIALES Status ecclesiastici munera accipientes, quas pœnas incurrant. 207. b.

OMNINO — dictio hæc, etiam juncta verbo futuri temporis, est latæ sententiæ. 195. a.

* ONERA *quæ deducenda a beneficio, ad cujus titulum quis ordinatur.* 229. a. Quæ deducenda a beneficiato. 197. a.

ONERA ecclesiasticis non imponenda, vide IMMUNITATEM personalem, & realem. Et quæ veniant *onerum* nomine. 555. a.

ONERA Missarum, vide MISSARUM perpetuarum onera, & Missarum onerum perpetuorum reductio.

OPERAM dans rei illicitæ. 144. a, & b. Et vide HOMICIDIUM.

OPINIONE minus probabili non est judicandum. 206. b. * *Propositio proscripta circa hoc*, *ibid.* Probabilis favore matrimonii contracti est admittenda. 220. b. *Circa jurisdictionem in confessario non sustinetur.* 48. b. 49. a. *Propositiones proscriptæ circa opinionum probabilitatem.* *ibid.*

ORACULA vivæ vocis quæ invocata intelligantur. 133. b. 134. a.

ORDINANDORUM litteratura qualis debeat esse. 221. a, & b. Vide ORDINES.

* ORDINARIUS *quoad Ordinum receptionem quis sit.* 218. b. & seq. Illius provisio an valeat, litteris non expeditis. 133. b. *Ordinarius* jurisdictionem in exemptos usurpans, & huic usurpationi consentiens, quas pœnas incurrat. 177. a, & b.

ORDINUM nomine in odiosis an veniat prima tonsura. 218. a. 230. a. 233. b. 286. b. Illos iterans, tam conferens, quam recipiens peccat peccato sacrilegii, & puniri debet arbitrio superioris. 236. a. *Ordinum* recipiendorum ætas. 215. b, & seq. Et pœna, illos ante ætatem tam conferentis, quam recipientis. 215. b, & seq. Ante septennium autem, seu ante usum rationis collati, imprimunt characterem, & ordinatus fruitur privilegio canonis, & fori. 226. b. Ordinatus vero in sacris non tenetur ad illorum onera, nisi pubes effectus, ratam habeat ordinationem. *ib.* Et quid, si collati sint invito, & pœna injuste ad eos recipiendos compellentis. 220. a, & b. Non conferendi, nisi pro utilitate, & necessitate Ecclesiæ. 222. a. 261. b. 262. a. Et nisi ordinatus adscribatur alicui Ecclesiæ a proprio Episcopo, *ibid.* Item sacri non conferendi sine sufficienti titulo, & pœnæ sine eo ordinantis, & ordinati. 227. b. & seq. Et vide TITULUS ordinandorum in sacris. Item neque extra tempora, & pœna tam recipientis, quam conferentis. 225. a, & seq. Ad quos *Ordines* hæc prohibitio extendatur, *ibid.* Quæ tempora sacris conferendis. 225. b. Et quid de minoribus, *ibid.* * *Qui Regulares illos recipere possint extra tempora.* 226. a. *Illorum privilegia non arctant Episcopos*, *ibid.* Item neque conferendi, non servatis interstitiis, *ibid.* Et vide INTERSTITIA. *Ordines* quicunque conferre nequeunt sine dimissoriis, aut licentia proprii Ordinarii, vide DIMISSORIÆ. Quando ob contemptum proprii Episcopi *Ordines* recipi possint sine illius licentia ab alieno Episcopo. 228. a. Neque sine commendatitiis, & respectu quorum ordinandorum, vide COMMENDATITIÆ. *Ordines* in fraudem recipientis pœna. 219. b. Item collectarum, seu munerum laicalium, tam recipientis, quam conferentis in fraudem fori secularis. 218. b, & seq. Item illos furtive recipientis. 219. b, 220. a. Et quid sit, eos furtive recipere, *ibid.* Et num hujusmodi ordinatio valida sit, & quando. 220. a. Item pœna eos recipientis per saltum. 224. b. 225. a. Et vide PER SALTUM ORDINES. *Ordines* bigamo conferentis pœna. 217. a. Item tam conferentis censuris ligato, quam recipientis. 218. a, & b. Item conjugato. 217. a, & b. Ac recipientis, *ibid.* Item criminoso. 218. b. 219. a. Item Clerico exercenti officium judicis criminalis. 169. b. 170. a. Item illegitimis sine dispensatione, illosque recipientis. 248. b. & seq. Item illiterato. 221. a. & b. Ac recipientis, *ibid.* Item irregulari. 222. b. Ac recipientis, *ibid.* Item laico converso religioso. 224. a, & b. Ac recipientis, *ibid.* Item obligatis ad ratiocinia, seu alieno ære gravatis. 215. a, & b. Item publico pœnitenti. 217. a. Ac recipientis, *ibid.* Item alieno subdito sine proprii Ordinarii dimissoriis. 217. a, & seq. Ac recipientis, *ibid.* Item pœna simoniace *Ordines* conferentis, & recipientis. 285. b, & seq. Et pretium acceptum restituendum est danti. 286. a. * *Item pœna illos conferentis externo prætenso subdito, prætextu beneficii mox conferendi, vel ad titulum impari beneficii.* 222. b. *Ordines* collati ab Abbatibus, vide ABBATES ORDINES MINORES. Et quid de Abbate, qui renunciavit dignitati. 232. b. *Ordines* conferens Abbas nullius diœcesis, quam pœnam incurrat. 231. a, & b. *Ordines* recipiens sine legitimis dimissoriis, an, & quando privetur privilegiis clericalibus. 228. a, & b. 230. b. Item illos recipiens cum dimissoriis subreptitiis, an censeatur ordinatus sine dimissoriis. 228. b. *Ordines* collati alieno servo, vide SERVUS ALIENUS. *Ordines* ab Episcopo non tolerato recipientis, & conferentis pœna. 232. b. 233. a. Item a schismatico. 271. b. Item ab Episcopo, qui renunciavit episcopatui. 232. a. Item ab Episcopo titulari sine licentia proprii Ordinarii. 230. a. *Ordines*, Sede vacante, intra annum cum dimissoriis capituli, seu vicarii capitularis recipientis pœna. 230. b. Quando excusetur, *ibid.* Nullam pœnam incurrit, ubi Tridentinum non est receptum, *ibid.* Nec, si est arctatus ratione beneficii, *ibid.* *Ordines* conferentis pœna Ultramontano, seu extero in Italia sine dimissoriis in forma debita, vel sine speciali licentia Papæ. 229. b. 230. a. Item illos recipientis, *ibid.* * *Item illos conferentis, & recipientis in Regno Neapolitano, non servata forma, & Concordatis inter S. Sedem, & Regem Neapoli, aliisque præscriptis.* 221. b. 234. b. 318. b. *Ordines* græco ritu latinus, nec latino græcus recipere potest, & pœna contrafacientium. 265. a, & b. * *Ordinibus latino ritu receptis, quando quis promoveri possit ad alteriores ritu græco*, *ibid.* *Ordines* Romæ recipientis pœna sine licentia Cardinalis Vicarii. 235. & seq. * *Præscribitur regula pro illis recipiendis, & afferuntur decreta*, *ibid.* *Ordines* ab exteris Romæ recipiendi. *ibid.* Illos Romæ commorans, recipiens extra. *ibid.* * *Ordines seu Cardinalium suburbicariorum subditi recipere nequeunt Romæ absque licentia Cardinalis Vicarii.* 127. b. *Et contraria moderna opinio reprobata est*, *ibid.* *Quid insuper dicti subditi præstare debeant.* 235. b. *Ordines* religiosos recipiens, sine licentia sui superioris, quas pœnas incurrat. 233. b, & seq. A quo Episcopo recipere debeat, *ibid.* Quando possit eos recipere a

quocunque Episcopo, *ibid.* * *Qui Regulares gaudeant tali privilegia.* 234. *b*. *Ordines* exercens censura ligatus, quas pœnas incurret. 89. & *seq.* Sacros exercens in suspensione, fit irregularis. 91. *b*. Secus exercens minores, dummodo non sit suspensus ob simoniam, *ibid. Ordines* sacros exercens irregularis, non incurrit novam irregularitatem. 169. *a*. *Ordines* sacros quis teneatur recipere. 77. *b*, & *seq.* Pœnæ exercentis *Ordinem*, quem non habet. 236. *b*, & *seq. Ordinum* in actuali receptione incurrens in censuram, concelebrando Ordinanti, an fiat irregularis. 218. *a*, & *b*. * *Ordines recepti contra interminationem, seu contra intentionem Ordinantis, seu cum illius protestatione, se nolle ordinare accedentes, sine debitis requisitis, an sint valide collati.* 239. *b*, 220. *a*. *Ordines* suscipiens, non prius recepto sacramento confirmationis, an pœnam aliquam incurret. 225. *a*. *Ordines* recepti vigore dimissoriarum concessarum a Prælato, existente intra fines alicujus diœcesis, vel a Capitulo, vel Collegio. 231. *a*. *Ordines* conferens Episcopus proprio subdito in aliena diœcesi, sine illius licentia, quas pœnas incurrat tam ipse, quam ordinatus. 227. *b*. * *Ordines, & etiam primam Tonsuram recipiens a Papa, non potest sine licentia Papæ promoveri ad ulteriores a suo Episcopo.* 229. *b*. *Nullam tamen pœnam incurreret tam ordinans, quam Ordinatus, ibid. Non eximitur per hoc a jurisdictione Ordinarii, ibid. Sed si esset suspendendus, vel deponendus ob ordines a Papa collato, requireretur licentia Papæ, ibid. Ordinem* ecclesiasticum deserens, vide APOSTASIA.

ORDINIS sui damnum patiatur — an sit pœna depositionis latæ sententiæ. 159. *a*.

* ORIGINALE PECCATUM *Propositiones proscriptæ respicientes*. 200. *b*.

ORIS apertio qualiter a *Papa* fieri possit ad impugnandam gratiam. 237. *a*.

ORNAMENTA, vel lapides Ecclesiarum Urbis Romæ auferentium pœna. 269. *a*, & *b*.

P

PACTUM de eligendo, vel conferendo beneficio, vel ad illud præsentando, sive ante, sive tempore vacationis, sunt nulla. 59. *a*.

PACTUM cum diabolo. 299. *b*.

* PALATII APOSTOLICI *jocalia, aliaque mobilia ad usum Pontificis detinens, ac detinentem non revelans, an hodie incurrat excommunicationem.* 85. *a*.

PAPÆ electio facta ante decem dies post ingressum in conclave ex consensu duarum partium Cardinalium, est valida. 101. *a*. Post factos dies elapsos, etiamsi unus esset tantum Cardinalis, hic posset eligere alium, non autem se ipsum. *ibid.* Illius electionis formam non servantium pœnæ. 102. *a*, & *seq.* Et quæ hæc forma, *ibid.* Formam accidentalem non servantes, quam pœnam incurrent. 103. *a*. Conclave durante, ibi degentium, sive etiam *Papæ* electi bona diripientium pœna. 103. *b*, 104. *a*. Et vide CONCLAVE. *Papa* electionem, ejusque litteras ante coronationem impugnantis pœna. 237. *b*. Ejus electio simoniace facta, an valida. 284. *b*. 285. *a*. De ejusdem vita, morte, vel electione sponsiones sub qua pœna prohibitæ. 295. *a*. *Papa* est Judex ordinarius in toto orbe. 27. *a*. Quæ possit definire de fide. 205. *a*. *Papam*, ejusque familiares lædentium pœnæ. 187. *b*.

PAPATUS ambitus, vide AMBITUS.

PARASITI officium exercentes clerici, privantur ipso jure omni privilegio clericali, & post emendationem dispensari possunt ab Episcopo. 72. *b*.

* PAGANI *gaudent asylo, seu immunitate locali.* 254. *b*.

PAROCHI ætas quæ esse debeat. 77. *b*. Intra quod tempus debeat ad sacerdotium promoveri, si non est sacerdos, *ibid.* * *An eligi possit prima tantum Tonsura initiatus.* 78. *a*. Non habet jurisdictionem fori externi: ideo nequit absolvere a censuris. 22. *b*. 267. *a*. * *Delegatus a proprio Episcopo pro absolvendo suo parochiano a censuris, eum potest absolvere etiam extra territorium.* 86. *b*. *In aliena diœcesi audire potest confessiones suorum subditorum, non autem aliorum, etiamsi vocatus sit a parocho, ibid.* Habet in suos parochianos ordinariam jurisdictionem. *ibid.* * *Non potest dare facultatem confessario approbato in aliena diœcesi, ut confessiones audiat in sua parœcia, ibid.* & 48. *a*. *Neque sibi eligere in confessarium simplicem sacerdotem.* 50. *a*. An absolvere possit a censuris non reservatis extra Sacramentum pœnitentiæ, & an etiam, si adhuc non sit sacerdos. 22. *b*. *Parochi* præsentia, & testium pro matrimonio contrahendo qualis debeat esse. 192. *a*, & *seq.* * Pœna omittentis matrimonii denunciationes, *ibid.* Qualis *parochus* debeat esse, *ibid.* * *Quando sine eo, & testibus, matrimonium sit validum, ibid. Quid, si contingat in partibus hæreticorum, ubi parochus haberi nequit.* 192. *b*. 193. *a*. Potest dare alteri sacerdoti licentiam assistendi matrimonio; & pœna sacerdotis sine ea assistentis. 188. *b*. 189. *a*. *Parochi* residentia, & absentia, vide RESIDENTIA PAROCHI. * *Hodie nequit de licentia Episcopi abesse potest studiorum causa.* 209. *b*. *Parochum* occidens, vel mutilans, quam pœnam incurrat. 246. *a*. * *Et quomodo absolvatur.* 362. *b*. *Parochi* Germaniæ non servantes concordiam inter se, & Regulares statutam, quam pœnam incurrent. 238. *a*. *Parochi* nomine venit etiam Episcopus. 289. *a*.

PAROCHIÆ nomine non venit cura cum dignitate. 78. *a*. *Parochiæ* resignatio, vide RESIGNATIO PAROCHIÆ.

PAROCHIALIA jura usurpantium pœnæ. 237. *b*. 238. *a*. *Parochiale* beneficium obtinens sine intentione se ad sacerdotium promovendi — quas pœnas incurrat 77. *b*. Quas itidem, si intra annum non promoveatur. *ibid.*

PAROCHIANIS alienis sacramenta ministrans, vide SACRAMENTA alienis parochianis.

PARRICIDIUM est crimen publicum. 238. *a*. *Parricidii* pœnæ, *ibid.* * *Propositiones proscriptæ circa Parricidium, ibid. b.*

PARTIALITATES, vide CONSPIRATIO.

PARTICIPANS cum excommunicato, vide COMMUNICANS cum excommunicato.

* PARTICULAS *consecratas surripiens*, vide HOSTIAS *consecratas*.

* PARVITAS *materiæ non datur in datis, & promissis pro obtinenda gratia, vel justitia in Curia Romana.* 278. *b*. 289. *b*. Nec in simonia. 278. *b*. *Neque in materia venerea; & pœna in eam dari afferentem.* 307. *a*. Et vide MODICUM.

PATER baptizans proprium filium, vide BAPTISMUM. *Patris*, & filii nomine venit etiam avus, & nepos. 75. *a*. *Pater* fornicationi exponens filias, quas pœnas incurrat. 279. *b*. & *seq.* * *Et quid de pravi circa pœnas in Urbe, ib. Pater legitimus illegitimi filii, & patris legitimati filius legitimat quoad beneficia.* 250. *b*. *Item patris legitimi nepos, ibid.*

PATRIMONIUM ordinati in sacris nequit sine licentia alienari, neque fidejussioni subjici. 253. *b*. 254. *a*. Eo ficto, vel fiduciario, aut falso ordinati, qui sint perpetuo suspensi absque spe dispensationis. 224. *a*. Et vide ORDINES, & TITULUS ordinandorum.

PATRINI in baptismo in quibus fiot coadjutores parentum. 75. *a*.

PATRONUS beneficii quas conditiones possit apponere in illius fundatione. 80. *a*, & *b*. Cum consensu Episcopi tunc potest sibi reservare aliquod jus super fructuum beneficii perceptione, vel administratione, vel aliquod servitium. 317. *a*. Non potest transferre jus patronatum in laicum, etiam gratis, sine consensu Episcopi, & pœna contrafacientis. 285. *a*, & *b*. Non potest nominare alium ad beneficium ante liberam resignationem, factam in manibus Ordinarii ab illud possidente, & pœna contrafacientis. 263. *b*. Ad illius resignationem requiritur consensus patroni, 264. *a*. *Patrono laico* non præjudicat reus procurantis in Curia Romana beneficium, subjiciendo se examini fraudulenter pro eo obtinendo. 77. *a*. *Patronus laicus* præsentans indignum ad beneficium, an privetur pro illa vice jure præsentandi. 122. *b*. 139. *a*. Et Ecclesiasticus quam pœnam incurrat, *ibid.* * *Quæ notanda circa præsentationem ad parochialem Ecclesiam a patrono ecclesiastico, ibid. Quomodo admittenda appellatio post præsentationem indigni. ibid. Patronus* se ipsum ad beneficium præsentare nequit. 61. *a*. Potest tamen illud acceptare, si præsentetur a compatronis, *ibid.* Quos præsentare non possit. 122. *b*. *Patroni* simoniace præsentantis, & præsentati pœnæ. 279. *a*, & *seq.* Et quot modis contingere possit, *ibid.* & 283. *b*. & *seq.* 285, *a* & *b*. Et quid, si *Patronus* vendat carius universitatem bonorum, quibus annexum est jus *patronatus*. 285. *b*. Item pœnæ occupantis bona vacantis beneficii. 304. *a*, & *b*. Item pœna usurpantis fructus beneficii vacantis. 317. *a*, & *b*. *Patronus*, privatus jure patronatus ipso jure, non tenetur in foro conscientiæ abstinere a præsentatione ante declaratoriam, etiam in casu occulto. 316. *a*.

PASCHALIS communio, vide COMMUNIONEM annuam.

PAUPERES qui sint. 24. *a*. *Pauperum* bona dicuntur bona ecclesiastica. 157. *b*.

PECCATI mortalis vitandi causa, Episcopus procedere potest contra quoscunque. 269. *a*. *Peccata* carnis, vide CARNIS peccata. * *Peccata venialia*, & mortalia, alias confessa, nequeunt absolvi a sacerdote non approbato. 23. *a*. 48. *a*. 87. *b*. * *Peccatum originale propositiones proscriptæ respicientes.* 200. *b*.

PECCATOR potest cogi ad acceptandam pœnitentiam. 2. *a*. Publicus cogi potest per censuras ab Episcopo ad pœnitentiam publicam. *ibid. b*. Publicus quando sit tradendus sepulturæ. 205. *a*. 267. *b*.

PECUNIÆ nomine quid contineatur. 205. *b*. *Pecunia* reperta post mortem apud religiosum proprietarium, quomodo eroganda. 252. *b*.

PECUNIARIAS pœnas ad Cameram Apostolicam pertinentes defraudens, vide CAMERA Apostolica.

PEDAGIA nova imponentis, vel augentis pœna. 306. *a*, & *b*. Item illa imponentis ecclesiasticis. 155. *b*, & *seq.*

PENITUS denegetur — an sit canon latæ sententiæ. 258. *b*.

PENSIO quando veniat nomine beneficii. 36. *b*. An sit materia simoniæ. 190. *a*, & *seq.* Illa utentis pœna, litteris non expeditis. 136. *a*. Quando teneatur eas expedire, *ibid.* Quo tempore, & sub qua pœna solvenda. 240. *a*. Pœna illam irritam exigentis, vel solventis. 306. *a*. *Pensionis* titulum revalidare quis possit, & an revalidetur regula triennali. 36. *b*. 37. *a*. Illius privatio qualiter obliget, & a quo dispensetur, & quid de pœna inhabilitatis ad illam. 36. *a*. Illius fructus in casu privationis, cui restituendi. 37. *b*.

PENSIONARIUS quoad recitationem Officii B. Virginis, vide OFFICIUM B. Virginis.

PERCUSSIO *clerici*, vel *monachi*, sive vivi, sive mortui, inducit excommunicationem Papæ reservatam. 161. *b*. & *seq.* Qui veniant nomine *clerici*, & *monachi*, *ibid.* Eam incurrit, etiam se ipsum percutiens. 162. *a*. Alia est enormis, alia levis, *ibid.* A levi potest absolvere Episcopus, & Prælatus, habens quasi episcopalem jurisdictionem, *ibid.* Num etiam Vicarius generalis, *ibid.* * *Pro absolutione ab enormi non amplius requiritur accessus ad Sedem Apostolicam, nisi in certis casibus, qui referuntur.* 162. *b*. Quando Episcopus absolvere possit ab enormi, *ibid. a*, & *b*. Quando, & ubi a confessariis privilegiatis, *ibid. b*. Quomodo judex laicus procedere possit contra *percussorem*. *ibid. a*. *Percussor* Episcopi quas pœnas incurret. *ibid. b*, & 163. *a*. Qui alii actus injuriosi veniant nomine *percussionis*, *ibid.* Quomodo absolvantur delinquentes, *ibid.* *Percussionem* fieri mandans, prohibendo occisionem, secuta morte, fit irregularis. 144. *b*. *Percussio clerici* uno impetu repetita, unam causat excommunicationem. 7. *a*. Si plures sint *clerici* uno ictu percussi, plures sunt excommunicationes. *ibid. b*. *Percussio* Episcopi non inducit duplicem excommunicationem, ex quo est etiam *clericus*, *ibid.*

PERCUSSOR publicus clerici, est vitandus absque alia declaratione. 6. *a*.

PERDANT causam — an sit canon latæ sententiæ. 224. *a*.

PEREGRINATIO ad Sepulchrum Domini Nostri sine licentia Papæ, interdicta est sub pœna excommunicationis. 240. *b*. *Peregrinationis* perpetuæ pœna pro quo delicto olim imposita, & quid importet. 208. *a*, & *b*.

PEREGRINI religiosi sine litteris patentibus, non sunt recipiendi neque a suis religiosis. 251. *a*. *Peregrinos* ad loca sancta devotionis causa euntes in persona, vel rebus offendentis pœna. 240. *b*.

PERJURIUM est crimen mixti fori. 240. *b*. 241. *a*. Illius pœna, *ibid.* Non inducit ipso facto privationem beneficii ecclesiastici. 88. *a*.

PERMUTATIO beneficii fieri nequit a dispensato super inhabilitate ad illud. 36. *a*, & *b*.

PERPETUUM dicitur, quod fit vita durante. 57. *b*. 197. *a*.

PERSONÆ nomen an contineat Universitates in odiosis. 204. *a*. *Persona* ficta an contineatur nomine personæ, *ibid.*

PERTINERE intelligitur non solum ratione dominii, sed etiam possessionis, custodiæ, vel administrationis. 213. *b*.

S. PETRI Fabrica qua conditione concedere potest compositionem pro missarum celebrandarum omissione. 197. *b*.

PIIS LOCIS onera imponentis, vel exigentis pœna. 157. *a*, & *b*. Eorum bona, vel proventus occupantes, vide USURPATIO bonorum

&c. Eadem sequestrantium pœna. 276. *b*, 277. *a*.

PIRATÆ qui sint. 241. *b*. Quas pœnas incurrant, *ibid.* Item ipsis inservientes, *ibid.* Et quid de christianis metu coactis, in eorum navibus navigantibus, *ibid.*

PLAGII crimen est publicum. 277. *b*. Quando committatur, *ibid.* Ejus pœna, *ibid.*

PLURALITAS beneficiorum, vide BENEFICIA.

PLURALITAS delictorum simul, quam pœnam inducat. 72. *a*.

POCULENTA, & esculenta a quibus, & quando recipi possint. 206. *b*. 207. *b*. 289. *b*.

POCULUM amatorium præbentis pœnæ. 241. *b*. 242. *a*. Quando hoc crimen spectet ad S. Officium, *ibid.* Est mixti fori, *ibid.* Item præbentis *poculum* sterilitatis, & veneficum. *ibid.* Item *poculum* ad abortum. 46. *a*, & *b*.

PŒNA canonica quid, & quotupliciter accipiatur. 1. *a*. In quo differat a legali, *ib.* In quo differat a pœnitentia. 2. *a*. Quotuplex sit. 1. *a*. Sub ejus nomine non venit irregularitas, neque suspensio ad certum tempus, vel perpetuum; neque inhabilitas, & privatio officiorum, ac vocis activæ, & passivæ, neque pœna pecuniaria. *ibid. b*. *Pœna* ecclesiastica temporalis quotuplex, *ibid.* *Pœna* spiritualis indirecte, & per accidens privat interdum bonis temporalibus. 1. *a*.

PŒNÆ diversi fori pro eodem delicto concurrunt simul, & constituunt forum mixtum. 9. *a*. *Pœna fori* interni non tollit impositam a foro externo, *ibid.* Non multiplicatur pro eodem delicto, licet sit a diversis legibus imposita. 9. *a*, & *b*. Lata a jure, est perpetua, ac mortuo, aut mortuo legislatore, secus lata ab homine. 31. *b*.

PŒNA *ferendæ sententiæ* extendi potest de casu ad casum. 8. *a*. Extenditur etiam ad cooperantes delicto, *ibid.* Quando remittatur per pœnitentiam. 9. *a*. Quibus verbis concipiatur. 3. *b*. Quando sequatur personam extra territorium. 29. *a*, & *b*.

PŒNA *latæ sententiæ* quid, & quomodo cognoscatur. 3. *a*, & *b*. An illius præceptum obliget sub mortali ad *suum* præceptum, *ibid. b*. Quando inferri possit pro actu mere interno. 3. *b*. 4. *a*. Quando est privativa, non requirens factum hominis, obligat in conscientia ante omnem declaratoriam, etiam in occultis. 4. *a*. Censuræ, & irregularitates pariter obligant absque declaratoria. *ibid. b*. Quando, & in quibus casibus *pœna* post declaratoriam retrotrahatur. *ibid.* Qui casus excipiantur, 5. *a*. Quando possit, & debeat quis eam exequi ante declaratoriam. 5. *b*. Requirit actum consummatum, & qui casus excipiantur. 6. *a*, & *b*. Quando multiplicetur multiplicatione actuum, vel transgressionum, *ibid.* & *seq.* *Pœna latæ sententiæ* est strictissimæ interpretationis, ideoque non extenditur de casu ad casum, etiam ex identitate rationis. 8. *a*, & *b*. Lata contra committentes, *non* extenditur ad cooperantes, *ibid. a*, & *b*. Et in quibus casibus extendatur, *ibid.* Commissa ante declaratoriam, an transeat ad hæredes delinquentis. 8. *b*. 9. *a*. *Pœna latæ sententiæ* legis antiquæ quando cesset, & quando non, per pœnam legis novæ, aut an ambæ concurrant. 9. *a*. An tollatur, vel minuatur purgatione moræ, pœnitentia spontanea, confessione, vel deprecatione. *ibid. b*. An incurratur ante finem termini ab eo, qui se culpabiliter impotentem reddidit ad implendum præceptum intra eundem terminum. 10. *a*. * *Et quid quantum ad peccatum*, *ibid.* Ab illa an excuset ignorantia juris, & facti, vide IGNORANTIA. An excuset dubium juris, & facti, vide DUBIUM JURIS, & facti. An minui possit a judice non supremo. 11. *b*. A quo dispensari possit. 20. *b*, & *seq.* Quando, & quot modis suspendatur. 27. *a*, & *seq.* Quando cesset cursu temporis, mutatione loci, vel fori, aut superioris, & an pro ejus cessatione requiratur declaratio. 28. *b*, & *seq.* Et quid de *pœnis* lata ex jure pontificio. 29. *a*. *Pœna latæ sententiæ*, privans re corporali jam possessa, non obligat ad executionem, nisi post declaratoriam accedat executio facta a judice. 4. *a*. Mere privativa, si sit valde gravis, an obliget in foro conscientiæ ante declaratoriam, *ibid.* Obligat in censuris, & irregularitate. *ibid. b*. *Pœna conventionalis* privativa juris quæsiti commissa, ligat statim ante monitionem. *ibid.* Testamentaria ligat in foro conscientiæ ante omnem sententiam, *ibid.* *Pœna* non pure privativa, si moderata, & non valde gravis sit, an obliget ipso jure ante declaratoriam, *ibid.* *Pœna unius fori* non derogat pœnæ alterius fori. 9. *a*. An multiplicetur, multiplicatis actibus, a lege punitis in continenti. 7. *a*, & *seq.* Sub *pœna* excommunicationis — hæc clausula non est latæ sententiæ, nisi addita sit alia — ipso facto, vel ipso jure incurrendæ. 3. *b*.

PŒNA *pecuniaria* ipso jure lata, an, & qualiter obliget ante declaratoriam. 42. *a*. In quibus casibus reus ad eam teneatur, *ibid.* Quando, & in quibus casibus teneatur pro foro conscientiæ eam ex se exequi. *ibid. b*. An ad pœnam legalem solvendam eum obligare teneatur confessarius, *ibid.* Illam Cameræ Apostolicæ applicandam defraudantis pœnæ. 84. *a*, & *b*.

PŒNITENS publicus Ordines recipiens, illique conferens, quam pœnam incurrat. 217. *a*.

PŒNITENTIA quando tollat pœnam latæ sententiæ. 9. *b*. Et an etiam ferendæ, *ibid.* In quo differat a pœna. 2. *a*. Imposita a Papa pro casu non reservato, potest mutari ab Inferiore. 2. *b*. Imposita a confessario, debet sub mortali acceptari, sed cum limitatione. 2. *a*. * *Propositio proscripta circa hoc*, *ibid. b*. *Pœnitentia* publica a jure statuta, potest commutari ab Episcopo in secretam. *ibid.* Publica non solemnis, non obligat in foro conscientiæ, sed cum limitatione. *ibid.* Publica solemnis hodie abrogata est. *ibid.* Nec olim imponebatur clericis, *ibid.* Nec hodie S. Pœnitentiaria imponit publicam ignominiosam, *ibid.* *Pœnitentiæ* omnes etiam a jure canonico statutæ hodie sunt arbitrariæ. *ibid.* *Pœnitentia* diuturna, est saltem trium annorum. 187. *a*. *Pœnitentia* parte peracta, quid importet. 237. *a*. *Pœnitentia* peracta quando prærequiratur ad dispensationem obtinendam. 180. *a*. 218. *a*. 219. *b*. 237. *a*. Et ad absolutionem in casu duelli. 120. *a*, & *b*. Et ad dispensationem matrimonialem. 160. *a*. *Pœnitentiæ* signa a moriente edita, quæ dicantur. 105. *a*.

PŒNITENTIA a Dataria imposita pro dispensatione matrimoniali, concessa in forma commissaria, potest ab Episcopo commutari. 3. *a*. Secus illa, quæ præcedere debet actum dispensationis, *ibid.* An injuncta per commutationem pro votis Papæ reservatis, in materiam non reservatam commutari possit a quolibet confessario. *ibid.*

PŒNITENTIÆ Sacramentum inter absentes perfici nequit, & pœna in id asserentes. 266. *b*. * *Propositiones proscriptæ circa hoc sacramentum*. 108. *b*. 109. *a*.

S. PŒNITENTIARIÆ officialium nomine qui veniant. 239. *a*. Eorumdem munera accipientium pœna. 105. *b*. 106. *a*. 239. *a*. 326. *a*, & *b*. Item se intromittentium in expeditionibus prohibitis. 239. *a*. Item secretum revelantium. *ibid. b*.

S. PŒNITENTIARIÆ litterarum executionem impedientes, incurrit excommunicationem Papæ reservatam. 276. *b*. Illarum executores quando teneantur servare secretum. 239. *b*. Illarum laceratio eis præcipitur sub pœna excommunicationis non reservatæ, *ibid.* & 329. *b*. Easdem, ipsarumque sigilla falsantium pœnæ. 239. *b*, 240. *a*. Et vide verbo EXECUTORES.

S. PŒNITENTIARIA imponere potest pro publicis, & scandalosis delictis pœnitentiam publicam. 2. *b*. Non autem imponit clericis publicam ignominiosam. *ibid.* * Illius praxis quoad accessum ad Sedem Apostolicam pro obtinenda absolutione in casibus, hunc accessum exigentibus. 162. *b*. Item stylus circa beneficia simoniace obtenta. 280. *a*. Item circa dispensationem super irregularitate ex homicidio, vel mutilatione. 15. *a*. 18. *a*. 19. *a*. 320. *a*. Item circa litteras a se expeditas, clausas, vel apertas pro absolutione danda. 239. *b*. 329. *b*, & *seq.* Item circa litteras cum clausula — in forma Ecclesiæ consueta — & quomodo hæc intelligenda. 19. *a*. Item circa absolutionem a censuris, præstito, vel non, juramento de non contraveniendo. 20. *a*. Item circa absolutionem a censuris ad reincidentiam. 27. *a*, & *b*. 319. *a*, & *b*. Item circa absolutionem a censuris, parte satisfacta, vel non. 319. *b*. Item circa dispensationem super irregularitate ex abortu. 47. *b*. Item praxis circa expressionem causæ censuræ incursæ pro obtinenda absolutione. 89. *b*. Ipsius litterarum executio circa dispensationem in impedimentis matrimonii. 326. *b*, & *seq.* Item intelligentia clausularum, in ipsis contentarum circa talem dispensationem. 327. *a*, & *seq.* Reliqua vide verbo PŒNITENTIARIUS MAJOR.

PŒNITENTIARII in Cathedralibus plures deputari possunt ab Episcopo, etiam Regulares. 3. *a*. *Pœnitentiarii* S. Petri ex speciali privilegio possunt commutare pœnitentiam impositam pro casu reservato ab alio Pœnitentiario, non vero impositam a Pœnitentiario Majori. *ibid.*

PŒNITENTIARIUS Major est omnium ordinarius *in toto* Orbe. 42. *a*. 319. *a*. Potest committere absolutionem, & dispensationem etiam extra forum sacramentale. 19. *b*. Ejus commissiones quandiu durent, vel expirent. 322. *a*, & *b*. Ejus facultas, sede papali vacante, 332. *b*. Ejus facultas quoad dispensationem super impedimentis matrimonii, tam contracti, quam contrahendi. 321. *b*, & *seq.* Cum expositione causæ, & circumstantiarum. 325. *a*. Quoad dispensationem super irregularitate exercentis Ordinem Sacrum, quem non habet, vel male promoti. 237. *a*. 320. *a*, & *b*. Quoad publicam pœnitentiam injungendam. 2. *b*. 3. *a*. Quoad dispensationem super consecratione Episcopi, differentis consecrationem ultra tempora a jure permissa. 127. *a*. Quoad revalidationem gratiæ subreptitiæ, vel obreptitiæ. 137. *a*. Item ejus facultas quoad condonationem fructus beneficii, amissi ex incessu in habitu laicali. 139. *b*. Item quoad pœnas impositas, vel imponendas contra laicos, publice occidentes presbyterum. 146. *b*. Item quoad jurisdictionem in foro externo. *ibid.* Item quoad receptionem novitiorum. 222. *a*. Item quoad dispensationem petendi debitum conjugale, & pœnam ob incestum injunctam. 159. *b*. 160. *a*. 322. *a*. Item quoad excommunicationem contra impedientes executionem litterarum S. Pœnitentiariæ. 276. *b*. Item quoad absolutionem censuræ incursæ per acceptione munerum a Regularibus, & compositionem super iisdem. 209 *a*, & *b*. 320. *b*. Item quoad absolutionem ab excommunicatione contra accedentes ad Sepulchrum Domini sine licentia Papæ. 240. *b*. Item a censuris contra prædicantes, seu asserentes Sacramentum Pœnitentiæ posse ministrari absentibus. 266. *b*. * *Item absolvendi a censura contra revelantes secretum S. Congreg. Rituum*. 272. *b*. 273. *a*. Quoad absolutionem a censura ob ambitum in electione ad papatum, vivente Pontifice. 59. *b*. 285. *a*. 320. *a*. Item a censura ob extractionem annonæ a Statu ecclesiastico, & quando imponat restitutionem. 62. *b*. Item a censura ob hæresim, vel apostasiam. 319. *b*. 320. *a*. 321. *a*. Item a censura ob violationem clausuræ. 95. *a*, & *b*. 321. *b*. Item a censura ob mutationem formæ accidentalis in electione Papæ. 109. *a*. Item a censura ob duellum, & cooperationem ipsius. 118. *a*. * *Item quoad absolutionem religiosi promoti ad ecclesiasticam dignitatem extra suum Ordinem, secum asportantis res, suo usui concessas a Religione*. 253. *b*. Item quoad absolutionem a censura contra astrologos, & superstitiosos. 299. *b*. 320. *a*. Item a censura publici violantis libertatem ecclesiasticam, vel immunitatem. 320. *a*. Item a censura ob furtum rei, cujus domini incerti sunt, vel casus occulti. 320. *b*. Item a suspensione furtive ordinati, & super dispensatione irregularitatis ab eo contractæ. 210. *a*, 320. *a*. Item a censura tam ordinantis ultramontanum sine licentia Papæ, quam ordinati. 230. *a*. Item facultas quoad ordinatum ab Episcopo non tolerato. 233. *a*. Item facultas quoad absolutionem intra, vel extra confessionem. 19. *b*. Item quoad absolutionem absentis, vel præsentis, 19. *b*. Item a censuris pro consequendis Indulgentiis in Urbe. 319. *b*. * *Item a censura mortui, ad effectum sepeliendi cadaver in loco sacro*. 25. *a*. Item a censura lata ab homine. 25. *b*. 26. *a*. Item ejusdem facultas dispensandi religiosum fugitivum. 250. *a*. * *Item dispensandi puellas, non virgines super retentione subsidiorum dotalium, honestis tantum virginibus distribuendorum*. 320. *b*. Item quoad relaxationem juramenti. 321. *b*. Item facultas dispensandi super delicto publico, vel occulto. 17. *a*. 18. *a*, & *b*. Item facultas circa irregularitatem, & convalidationem tituli beneficii, & pensionis. 36. *a*. 37. *a*. 81. *a*. 320. *b*. Item quoad concedendam compositionem super distributionibus male perceptis. 73. *b*. 320. *b*. Item quoad commissionem absolutionis, & dispensationis confessariis approbatis, vel non approbatis ab Ordinario. 49. *a*. * *Item quoad deputationem confessarii monialium, tam Ordinariis, quam Regularibus subjectarum*. 99. *a*. Item facultas quoad dispensationem a votis simplicibus. 321. *a*. Quoad recitationem horarum canonicarum. 321. *a*. Quoad dispensandos Regulares ab irregularitate ex quocunque delicto. 321. *a*. * *Quoad facultatem concedendam Pœnitentiariis Basilicarum Urbis*. 321. *a*. Ejus facultas in concedendis Indulgentiis. 322. *b*. Item circa transitum religiosorum, vel monialium de una ad aliam Religionem. 321. *a*, & *b*. Item circa Apostatas a fide, secundum actum externum tantum. 63. *a*. Quando adeundus ipse est pro absolutione a censuris. 24. *b*. *Item ejus facultas quoad declarationem dubiorum in foro pœnitentiali*. 322. *a*. Reliqua vide verbo PŒNITENTIARIA.

PŒNITENTIATI a S. Officio, vel abjurantes, ad quæ remaneant inhabiles. 143. *a*. *Pœnitentiatorum* pœnitentia solemni ordinantis pœna. 217. *a*.

FOL-

POLLUTIO Ecclesiæ, & ex quot capitibus contingat. 269. b. 170. a. Ut polluatur ex causa homicidii, vel sanguinis effusione, quid requiratur. 269. b. Non polluitur per sepulturam concubinarii notorii. 305. a. Quæ officia celebrari prohibeantur. 229. a. In ea sepultus, quando exhumari debeat, 270. a. In ea celebrant, non fit irregularis. 94. a. Quando reconcilietur. 270. a. Non reconciliatur per celebrationem Missæ, bona fide factam, ibid. Ea polluta, quando censeatur pollutum & cœmeterium, ibid.

PONTIFICALI dignitate privatur civitas aliquando ipso jure. 43. b.

PONTIFICALIA quæ dicantur, & quot actus comprehendant. 127. b. Illa in aliena Ecclesia exercentis pœna, ibid. Item exercentis in propria diœcesi, sed in non subditum, ibid. Item celebrantis post suspensionem ob illorum exercitio. 91. b. Item Abbatis, illa exercentis ultra quam a jure ei concessum est. 128. a. Ab eorum munere suspensio quomodo intelligatur. 97. b.

POPULUS, non recipiens legem a principe promulgatam, peccat. 5. b. Eique non parens, ibid. Quando non teneatur parere. ibid. & 6. a.

POSSESSIO beneficii est recipienda de manu executoris. 135. b. Per intrusionem capta, quas pœnas inducat. 167. a, & seq.

POSTULATIO ad prælaturas de quo fieri possit. 121. b. Postulantium indignum pœna, ibid. Item postulationis denegatæ causa vexantium. 123. b. Item postulationem postulata non præsentantium tempore legitimo. ibid.

PRÆBENDAM habent in cathedrali, vel collegiata, non promotus ad ordinem illi annexum, quas pœnas incurrat. 78. a. Quando excusetur, ibid. b. Ea non privatur ipso jure, ibid.

PRÆBENDATI non residentes, vide RESIDENTIAM.

PRÆCEPTORIA S. Joannis Hierosolymitani an veniat nomine beneficii, & an pacta de ea conferenda sint simoniaca. 281. b. 282. b.

PRÆCEPTUM superioris regularis factum subdito de re, illum eximente ob ejus obedientia, vel quæ est contra, præter, vel supra regulam, non tenet. 250. b. Voto, vel juramento religioso obstricto de non acceptanda dignitate extra Ordinem, nisi accedat præceptum superioris, hoc fieri non potest a superiori regulari, ibid. Præceptum quando censeatur sub mortali obligare. 3. b. Expirat morte præcipientis: excipe, si per illud lata sit censura. 32. b. Illud implendi impossibilitas physica, vel moralis, a culpa, & a censuris excusat. 14. b. * Ad illud implendum se culpabiliter impotentem reddens, an peccet. 10. a.

PRÆDICATIO VERBI DEI, vide VERBI DEI PRÆDICATIO. Prædicantium dogmata, vel miracula falsa, aut falsas revelationes pœna. 222. b.

PRÆDICATORES, decimas impugnantes, quas pœnas incurrant. 216. a. Item impugnantes Montes Pietatis. 205. a. * Prædicantes S. Scripturam contra sensum, ab Ecclesia approbatum, incurrunt ipso facto excommunicationem Papæ reservatam. 272. a.

PRÆLATI nomine an veniat Episcopus in odiosis. 264. a. Prælati inferiores an contineantur nomine Episcopi. 317. a. Prælatus, habens episcopalem jurisdictionem, an uti possit facultate tributa Episcopo a cap. 6. sess. 24. Tridentini. 22. a Prælati nullius diœcesis quoad dimissorias concedendas. 231. a. Item quoad Ordines conferendos, ibid. a, & b. Prælatus potest delegare facultatem ad secum dispensandum, vel absolvendum. 22. b. Prælatos Ecclesiæ offendentium pœnæ. 161. b, & seq.

PRÆSCRIPTIO in beneficio an revalidet titulum. 38. a. Et an decennalis. 36. a. Præscribi non potest beneficium ecclesiasticum. 167. a. An præscriptione revalidetur actus ab initio nullus. 42. a. Præscriptio immemorabilis, seu centenaria quantam vim habeat. 273. b, & seq. Præscriptio non prævalet contra decretum irritans. 42. a. Non tollit obligationem restituendi fructus beneficii male perceptos. 38. a. Præscriptio exemptionis quando detur. 177. b.

PRÆSENTATI simoniace a patrono pœnæ. 285. a, & b.

PRÆSENTATIO indigni quam pœnam inducat. 122. b. Præsentationis denegatæ causa præsentantem vexantis pœna. 123. b. An præsentare se ipsum liceat. 61. a. Præsentandi pactum an valeat. 60. b. Præsentatio nova patroni an requiratur ad revalidationem tituli. 36. a. Præsentari qui non possint ad Ecclesias, & vide PATRONUS.

PRÆSENTIA parochi in matrimonio, vide PAROCHI PRÆSENTIA.

PRÆSUMPTIO juris quando sufficiat ad puniendum. 45. b. Præsumens an dicatur, qui metu gravi, vel levi, vel ignorantia crassa delinquit. 12. a. 55. a. 88. b. 89. a. Præsumptio violenta de copula adultera, quando detur. 227. a. Et quando conjugalis. 189. b. Præsumptio importat dolum malum. 146. b.

PRÆVARICATIONIS crimen. 53. a. Prævaricare quis dicatur. ibid.

PRÆVENTIO in judicio quando detur. 9. a.

PRESBYTERATUM quis teneatur recipere. 77. b, & seq. Ad illum non promoti, missam celebrantis, & absolventis pœna. 237. a, & b.

* PRESBYTERII intra septa manere, absque stemma habere sub qua pœna laicis interdictum. 243. a.

PRESBYTERICIDÆ pœnæ. 146. a, & seq.

PRETIUM SIMONIACUM in beneficio cui potius restituendum. 279. b. In Ordine restituendum est danti. 286. a. Item in receptione ad habitum, & professionem religiosam. 278. b. 287. a. Receptum ex superstitione cui restituendum. 279. b.

PRIMA TONSURA, vide TONSURA.

PRINCEPS christianus quando possit uti auxilio infidelium, & hæreticorum. 71. a. Ad Principes sæculares curiam religiosi recurrentis pœna. 114. b. 115. a. Principi obedientiam subditi quando denegare non possint. 5. b. Princeps magnus in ordine ad dispensationes concedendas, qui dicatur. 22. a. Principis nomine qui veniat. 76. a. Principem lædens, vide MAJESTATIS LÆSÆ.

PRIORATUS S. Joannis Hierosolymitani, vide S. JOANNIS.

PRIORES S. Joannis, vide ibid.

PRIVATIO beneficii nequit imponi ab Episcopo, nisi in casibus a jure expressis. 32. a. Privatio beneficii, & inhabilitas ad illud quando, & qualiter obliget, & a quo dispensetur. 35. a, & seq. An illo privatus, ante declaratoriam retinere possit. 34. a. Privatio injusta pro foro conscientiæ, sed justa pro foro externo, an liget. 20. a. An se extendat extra territorium. 30. a. Si sonat in censuram, non obligat ante declaratoriam. 102. a. Privatio officiorum, et vocis activæ, & passivæ non venit nomine pœnæ ecclesiasticæ. 3. b. Privatio officiorum, graduum, & dignitatum quid sit. 33. b, & seq. An liget ante declaratoriam, & a quo dispensari possit. ibid. Et an officio privatus, teneatur illud dimittere ante declaratoriam. 34. a. Privatio juris in re, & ad rem, quando non sit pœna. 1. a. Privatio distributionum, vide DISTRIBUTIONUM privatio. Privatio vocis in capitulo, vide VOCIS PRIVATIO. Privatio bonorum temporalium, vide CONFISCATIO. Privatio dignitatis episcopalis, vide CIVITAS, ET PONTIFICALI dignitate. Privatio sepulturæ, vide SEPULTURA.

PRIVATUS SIT — an sit canon latæ sententiæ. 325. b. Privatus existat omni honore, gradu, officio, & beneficio — quid importet, & an sit suspensio, vel irregularitas, & an obliget ante declaratoriam. 101. b. 102. a.

PRIVILEGIA clericalia quando, & quot modis amittantur. 64. b. 65. a, & seq. Quæ requirantur pro illorum fruitione. 65. b. Privilegio canonis tantum quando clericus privetur. 66. a. Et quando fori tantum. 66. a, & b. 72. b. 76. b. * Privilegio fori gaudet clericus, serviens alteri Ecclesiæ, quam designata ab Episcopo. 65 b. Privilegio clericali privatus, qualiter sit declarandus ab Ordinario, & an instante fisco laico. 219. a. Privilegia clausa in corpore juris communis nunquam censetur derogatum per clausulas generales. 208. a. Privilegiis a Conc. Trident. revocatis nequeunt uti Regulares, * & affertur Propositio proscripta. 160 b.

PRIVILEGIATI confessarii a quibus censuris possint absolvere. 25. a. 50. b.

PROBABILITAS opinionum, vide OPINIO probabilis.

PROBATIONIS annus, vide PROFESSIO religiosa.

* PROCESSUS criminalis confectus cum exactione juramenti a reo principali, est nullus in totum. 271. a, & seq.

PROCLAMATIONES, sive promulgationes, quæ fieri debent ante matrimonium, dispensari possunt ab Episcopo. 325. b. Pœna parochi eas omittentis. 102. b.

PROCURANS delicta perpetrare, quas pœnas incurrat. 243. a, & b.

PROCURATIO visitationis, vide VISITATIONIS Procuratio.

PROCURATOR prævaricans, quis dicatur, & quam pœnam incurrat. 53. a. Procurator ad resignandum, non potest sibi resignare. 61. a. Constitutus ad eligendum, si servet formam mandati in scriptis, sed faciat contra intentionem mandantis, sibi oretenus significatam, valet electio. 125. a.

PRODITIO in Principem, aut patriam, quando sit crimen læsæ majestatis. 243 b. Illius pœnæ, ibid. Illum quilibet denunciare tenetur, etiam filius parentes, & e contra, ibid.

PRODITORIUM homicidium, quando sit tale, & ejus pœna, 243. b.

PROFESSIO religiosa quando nulla. 211. b, & seq. * Quomodo probanda nullitas, & rerum quæ ordine sunt instituendum. 212. a, & seq. Facta in locis non destinatis, vide NOVITIATUS in locis. Ante annum novitiatus, est nulla. 233. b. 244. a. Annus quomodo computandus, ibid. Non convalidatur quinquennali præscriptione, ibid. Quid, si emittetur in articulo mortis, ibid. An, si tunc illam emittens, convalescat, debeat iterum profiteri, ib. Si post annum completum discedet novitius, non exigitur novus annus novitiatus. ibid. Quando dicatur interruptus, ibid. & b. Emissa ante xvi. annum, est nulla. 244. b. Potest ratificari, & quomodo, ibid. Nullitas ex hoc capite, si nos & ex metu, agenda est coram Ordinario, & suo superiore ante quinquennium, postea vero coram S. Sede, ibid. Facta ex metu gravi, etiam reverentiali, est nulla, & an convalescat post quinquennium sine novo consensu, & an, illo elapso, licitum sit reclamare. 201. a, & b. Ad illam emittendam mulierem cogentis pœna. 201. b. * An eam incurrat, si rogat virum, ibid. Emissa, impedimento reticito a novitio, quando sit valida, quando non. 244. b, & seq. Professio monialis non est facienda, nisi antea monito Episcopo. 102. b. Professio monialis, quæ, mutato sexu, facta est vir, an sit valida, & an possit promoveri ad Ordines. 253. b. 254. a. Professio criminosi. 111. a, & seq. Item facta in fraudem fori laicalis, ibid. Professio per simoniam admisse. 287. a, & b. Et cui pretium restituendum, ibid. Professio nulla, an resolvatur in votum simplex. 248. a.

PROFESSIO Fidei, vide FIDEI professio.

PROLES pro legitima habetur, nata ex matrimonio contracto cum impedimento, quod non innotuerit, & alter conjugum putat, matrimonium coram parocho rite esse contractum. 332. b.

PROMOTIO Cardinalium. vide SPONSIONES. Promotionis totius spem amittant — inducit irregularitatem. 297. a.

PROMULGATORIA sententia differt in multis a declaratoria. 85. b. 86. a. Promulgatoria censura quomodo ferenda. ibid. Quando possit ab ea appellari, ibid.

* PROPOSITIONES ab Ecclesia proscriptæ. Quoad ABORTUM. 47. b. Quoad ABSOLUTIONEM A RESERVATIS. 50. a. Quoad AMOREM ERGA DEUM. 73. b. Et ERGA PROXIMUM, ibid. Quoad ATTRITIONEM, ibid. Quoad AUXILIORUM DIVINORUM tractatur. 182. b. Quoad BAPTISMUM. 76. a. Quoad BENEFICIA. 81. b. Quoad CALUMNIAM. 53. a. Quoad CHARITATIS PRÆCEPTUM. 73. b. Quoad COMPENSATIONEM. 133. b. Quoad COMMUNIONEM ANNUAM, & ILLIUS RECEPTIONEM. 267. a. Quoad CONCUBINATUM. 106. a. Quoad CONFESSIONEM. 109. a. 267. a. Quoad CONSUETUDINARIOS. 109. a. Quoad DEFENSIONEM OCCISIVAM. 145. b. 146. a. Quoad DENUNCIATIONEM FACIENDAM. 116. b. 117. a. 245. b. Quoad DETRACTIONEM. 53. a. Quoad DUELLUM. 119. b. Quoad ELEEMOSYNAM. 73. b. Quoad FALSI CRIMINIS IMPOSITIONEM. 53. a. Quoad FIDEI PRÆCEPTUM. 132. b. 133. a. Quoad FORNICATIONEM. 106. a. Quoad FURTUM. 133. b. Quoad GRATIÆ DIVINÆ EFFICACIAM, & GRATIAM SUFFICIENTEM. 138. a. Quoad HOMICIDIUM. 145. b. 146. a. Quoad HORARUM CANONICARUM recitationem. 248. a. Quoad JEJUNIUM ECCLESIASTICUM. ibid. b. Quoad INFIDELITATEM. 132. b. Quoad JUDICES. 206. b. Quoad JURAMENTUM. 172. a, & b. Quoad MISSÆ APPLICATIONEM. 198. b. Et illius ELEEMOSYNAM, ib. Ac illius LEGATA, ibid. Quoad illius AUDITIONEM. 199. a. Quoad MOLLITIEM. 106. a. Quoad OCCASIONEM PECCANDI. 109. a. Quoad OPINIONUM PROBABILITATEM. 49. a. Quoad PECCATA CARNIS. 106. b. Quoad PECCATUM ORIGINALE. 100. b. Quoad PŒNITENTIAS SATISFACTO-

RIAS

RIAS PRO PECCATIS. 50. a. *Quoad* PURIFICATIONEM B. MARIÆ VIRGINIS. 100. a. *Quoad* RESERVATORUM CASUUM ABSOLUTIONEM. 50. a. *Quoad* RESTITUTIONEM. 133. b. 148. a. *Quoad* RESTRICTIONEM MENTALEM. 172. a, & b. *Quoad* SIMONIAM. 270. a. *Quoad* SOLICITATIONEM. 299. a. *Quoad* VIRTUTUM THEOLOGICARUM ACTUS. 132. b. 133. a.

* PROPOSITIONES *easdem prescriptas docentium, defendentium, edentium, aut de eisdem, etiam disputative, publice, aut privatim tractantium, nisi forsan impugnantium; illasque ad pravum reducentium pœna. 208. b. Et alibi, ubi Propositiones hujusmodi referuntur. Illas asserentes quando sint denunciandi.* 216. b. 217. a. 243. b.

PROPRIETARIUS religiosus qui sit. 252. b. 253. a. Quas pœnas incurrat, *ibid.* Quæ materiæ quantitas requiratur, *ibid.* Quas actiones *proprietas* comprehendat, *ibid.* Comprehendit etiam alienationem, *ibid.* *Proprietarius* decedens, ubi sepeliendus, *ibid.* Bona ipsi donata, cui cedant, *ibid.* Pecunia apud illum reperta, quomodo eroganda. *ibid.*

PROROGATIO termini facta a creditore, quando suspendat censuras. 28. a, & b.

PRORSUS amittit ... an sit canon latæ sententiæ. 146. a.

PROTECTIO Sedis Apostolicæ circa recurrentes ad Curiam. 113. a.

PROTECTOR Regularium, vide CARDINALES.

PROTESTATIO de nullitate sententiæ censuræ, an possit fieri a reo adversus sententiæ latorem. 20. a, & b. *Protestatio* de futuro dissensu circa professionem emittendam, vel matrimonium, an irritet. 245. a. * *Protestatio Episcopi de dissensu circa Ordines conferendos, an irritet ordinationem.* 220. a. Item circa illos recipiendos, *ibid.* a, & b.

PROVENTUS continet etiam oblationes. 213. b.

PROVISIO beneficiorum, vide BENEFICIORUM provisio.

PROXENETA, seu mediator, quando incurrat pœnas latæ sententiæ. 8. b.

PSALMOS non cantans cum aliis, choro addictus, vide HORAS CANONICAS.

PUBERES qui dicantur. 53. a, & b.

PUBLICUM, vel occultum, quando dicatur. 17. a, & b. 357. b, & *seq.* *Publicum* famosum quid. 17. b. Quando dici possit occultum quoad dispensationem. 18. a. An *publicum* in uno loco, dicatur & in alio, *ibid.* b. Quando reputetur occultum, *ibid.* & 357. b, & *seq.*

PUBLICUS excommunicatus, vide EXCOMMUNICATUS.

PUERI, & minores, an excusentur a pœnis. 13. a, & b.

PURGATIO moræ, vide MORÆ purgatio.

PYROMANTIA, vide SUPERSTITIONIS pœnæ.

Q

QUÆSTUATIONEM *Regularibus Mendicantibus prohibentis pœna.* 125. b. *An ad eam requiratur licentia Episcopi. ibid.*

QUANTITAS parva, vide MODICA RES.

QUANTUMCUNQUE — dictio, an fiet ampliative, vel restrictive. 88. b.

QUINDENNIA Cameræ Apostolicæ non solventes, vide ANNATAS.

QUINQUENNII lapsus quoad professionem religiosam. 244. a. Et vide PROFESSIO religiosa.

R

RAPIENTIUM bona Papæ, vel Cardinalium occasione conclavis, vel extra, pœnæ. 103. b. 104. a. Item bona naufragantium. 210. a.

RAPINÆ, & furti pœna. 133. a, & b.

RAPTORUM pœnæ, ac clericorum eos admittentium ad Sacramenta, vel ab iisdem oblationes, aut eleemosynas recipientium. 158. a, & b. 268. a, & *seq.* Quomodo absolvendi. 158. b.

RAPTUS, & raptoris mulieris pœna. 245. b. 246. a. Est impedimentum pro contrahendo matrimonio, *ibid.*

RATIHABITIO delicti, non dicitur cooperatio. 8 b. *Ratihabitio* homicidii non inducit irregularitatem. *ib.* In quibus delictis inducat infamiam, *ibid.*

RATIOCINIIS obstricti, non sunt admittendi ad clericatum, neque Religionem. 205. a, & b.

REBAPTIZATIO, vide BAPTISMUM.

REBELLIO civitatis non inducit illius destructionem ante declaratoriam. 44. a.

RECLAMARE contra professionem, vide PROFESSIO religiosa.

RECLAMATIONEM contra actus nullitatem an possit Princeps prohibere. 42. a.

RECURSUM ad Curiam Romanam impedientis pœna. 112. b, & *seq.* Item recursum facientis ab ecclesiastica ad curiam secularem. 214. a, & b. 173. a, & *seq.* 176. b.

REDITUM beneficii Romæ obtinendi non exprimentis pœna. 308. a. *Reditus* novorum monasteriorum quantus debeat esse. 246. b, & *seq.*

REDUCTIO missarum, vide MISSARUM onerum reductio.

REGRESSUS beneficiorum sub qua pœna prohibitus. 281. b, & *seq.*

REGULARES quando veniant nomine clericorum. 88. a. Illorum officialium electio debet fieri per secreta suffragia. 124. b. 125. a. Aliter facta, quando valida, *ibid.* Qui veniant officialium nomine, *ibid.* * *Suffragia nequeunt suppleri, neque a Cardinali Protectore, neque per Procuratorem, ibid.* Electio per Procuratorem facta, quando valeat, *ib.* An fieri possit per compromissum, *ibid.* *Regulares* superiores, cognoscentes hæresis causas suorum subditorum, quam pœnam incurrant. 143. b. Ad quos hæc se extendat, *ib.* Item impedientes suos religiosos ad S. Officium recurrere, *ibid.* *Regulares* denuntiare tenentur tam superiores, quam conlatres, etiam leviter suspectos de hæresi, *ibid.* * *Superiores nequeunt dispensare suos religiosos homicidas super irregularitate, etiamsi sint participantes in privilegiis aliorum Ordinum, hujusmodi privilegium in recto habentium.* 147. b. Quæ decreta, & Constitutiones Apostolicas legere teneantur in publica mensa, vel capitulo, vide LEGENDA a Regularibus. * *Superiores sub qua pœna in visitatione teneantur invigilare super adimplemento onerum missarum.* 197. b, & *seq.* Augentes numerum taxatum religiosorum, quas pœnas incurrant. 248. a. Nequeunt præcipere suo subdito id, per quod hic eximatur ab illorum obedientia, neque quod est contra, præter, vel supra regulam. 250. b. Nec præcipere habenti votum, vel juramentum de non acceptanda dignitate extra Religionem, licet votum, vel juramentum munitum sit clausula — *nisi coactus sim ab eo, qui mihi præcipere potest.* 251. a. Illorum jurisdictio non præscribitur territorio. 30. a. *Regulares* alienantes, vide ALIENATIO. *Regulares* superiores, ferentes censuram, vide CENSURAM ferens. Tenentur servare cessationem a divinis, ab Ordinario indictam. 93. b. Admittentes ad habitum, & professionem criminosos, vide CRIMINOSOS ad habitum. *Regularibus Mendicantibus* quæstuationem impediens; vide QUÆSTUATIONEM. Iidem Mendicantes quoad electionem ad prælaturam extra suum Ordinem. 122. b. *Regulares* illegitimi, vide ILLEGITIMUS. *Regulares* quoad prædicationem verbi Dei, tam in alienis, quam in propriis Ecclesiis, Oratoriis, & ad crates monialium sibi subjectarum. 242. b. 247. a. *Regulares* quoad receptionem Ordinum extra tempora, vide EXTRA tempora. Ipsorum hospitium erigi potest cum sola licentia Episcopi. 246. a, & *seq.* *Regulares* quoad monasteriorum fundationes, vide CONVENTUUM fundationes. Eorum confessarii audire possunt infirmorum confessiones sine licentia parochi. 206. b. An absolvi possint ab Episcopo diœcesano a censuris. 24. b. * *Et an ipsorum superiores casus sibi reservare possint, & quos.* 26. a, & b. Reliqua, vide verbo RELIGIO, & RELIGIOSUS.

REINCIDENTALIS absolutio a quo dari possit. 27. a, & b.

REINCIDENTIA *in censuras* quando contingat, & quid operetur, & a quo dari possit *absolutio cum reincidentia*. 27. a, & *seq.* Quando detur. 23. a, & b. 25. a. 27. a, & *seq.* Ad *reincidentiam absolutus*, an possit se præsentare per procuratorem, vel per se ipsum. 27. a. *Reincidentia* in idem crimen reticita, an reddat dispensationem, & absolutionem subreptitiam. 16. a.

REIPUBLICÆ christianæ præjudicium inferentis pœna, nunciando aliquid infidelibus, & hæreticis. 213. a.

RELEGATIO ad tempus, an inducat infamiam, 40. a. Non ligat extra territorium. 30. a.

RELIGIONEM non approbatam profitentis, & ad illam admittentis pœna. 248. a, & b. Ad *Religionis* habitum criminosos admittentes, vide CRIMINOSOS. Illius habitus assumptio, sine debita facultate. 248. b. * *Religio non tenetur dare alimenta ejecto.* 254. b. 255. a. *In Religionem ingressum impedientis pœna, & in quam.* 255. a, & b.

RELIGIONI catholicæ præjudicium inferentis pœna, aliquid contra ipsam nunciando infidelibus, & hæreticis. 213. a.

RELIGIOSI militares an proprie dicantur religiosi, & qui. 191. a. Pœna habitum proprium dimittentium. 138. a. An puniri possint ab Ordinario. 250. a. An matrimonium ratum dirimatur per professionem in Religione militari. 191. a. Quibus militaribus matrimonium sit licitum, & quando, *ibid.*

RELIGIOSUS quando privetur voce in capitulo. 310. a. Qui, & quando appellare prohibeatur. 67. b. *Religiosi* usurpantes, vel impedientes decimas. 115. b. Electioni de se factæ extra suum Ordinem consentientes absque licentia sui superioris, quam pœnam incurrant. 124. a, & b. Quis hic veniat nomine superioris, *ibid.* a. Translatus de uno ad alium Ordinem, ut ibi eligi possit Prælatus, debet ibidem denuo profiteri. *ibid.* b. Habitum dimittentium pœna, & profanum gestantium. 138. a. & *seq.* Quando excusentur, *ibid.* * *Delinquentes, gaudent immunitate locali, sive asyli jure, confugientes ad Ecclesias, sive sui, sive alterius Ordinis, in casibus non exceptis.* 154. b. *Item confugientes ad monasteria aliena, ibid.* Indulgentiam plenariam concedentes, quas pœnas incurrant. 160. b. *Religiosorum* numerus pro novorum conventuum fundatione. 246. a, & *seq.* Illorum numerum taxatum augentium pœna. 248. a. *Religiosi* nequit præcipi a suo superiore, ut episcopatum acceptet. 250. b. Itinerans sine litteris commendatitiis sui superioris, puniri potest ab Ordinariis locorum, etiam pœna carceris, donec certa de eo notitia habeatur. 251. a. Eum recipientium pœna, *ibid.* Item pœna Romam accedentis sine licentia. 255. b. Quis eam concedere possit, *ibid.* Et puniri potest a locorum Ordinariis, *ibid.* Quando id ei liceat, *ibid.* Extra claustra delinquentes, quando, & quomodo puniri possint ab Ordinariis. *ibid.* Eos superiorum non punientium pœnæ, *ibid.* *Religiosi* exempti, an possint se subjicere Episcopo 24. b. Ab iisdem Ordinariis puniri possunt, etiam *Religiosi militares S. Joannis Hierosolymitani.* 252. a. Extra claustra vivere, qui dicantur. *ibid.* In grangiis viventes, non dicuntur vivere extra claustra, *ibid.* *Religiosorum* fugitivorum, & superiorum, eos non recuperantium pœna. 251. a. Apostatantium pœnæ. 63. a, & *seq.* Non possunt ad Ordines promoveri, durante apostasia. 224 a, & b. Nec invalide professi. 255. b. 223. a. Nec laici conversi. 224. a, & b. Enormitatibus se immiscentium pœnæ 250. a. Item restitutiones, vel legata impedientium, *ibid.* *Religiosus proprietarius*, vide PROPRIETARIUS. *Religiosi* ejecti, vide EJECTIO. *Religiosi* ad cardinalatum, vel episcopatum promoti bona, vide BONA religiosorum. * *Sub qua pœna debeant deferre habitum suæ Religionis.* 255. b. *Qui ad hoc non obligentur, ibid. Quando teneantur redire ad claustra.* 256. a. *Religiosum* fieri impedientium pœna, & cujus Ordinis. 255. a, & b. * *Religiosi se transferentis ad partes transmarinas pœna.* 256. a. *Item se transferentis ex Insulis Philippinis, aut ab Indiarum Occidentalium provinciis, sine licentia. ibid. Religiosi, & Parochi Germaniæ, non servantes concordiam inter se statutam, quam pœnam incurrant.* 238. a.

RELIQUIAS Sanctorum a loculis, sine licentia extrahentium, vel distrahentium, aut de iisdem testimonium facientium pœna. 256. a, & b. Eas tangere cum laicis prohibitum, *ibid.* b. Iisdem, & etiam clericis in minoribus eas in processionibus deferre pariter prohibitum, *ibid.* Eas furto abripientium pœna, *ibid.* Et quid, si cum fractione loci sacri. 257. a. Item illas vendentium, ementium, aut alienantium pœna. 256. b. Quando liceat eas pretio redimere, *ibid.* Illarum authenticum testimonium quis dare possit, *ibid.*

* REMIGES *christiani in Turcarum triremibus contra Christianos, an peccent.* 72. a.

RENUNCIATIO Prælaturæ a regulari qualiter possit fieri. 125. b. Renunciatio status clericalis. 64. b, & *seq.*

REPETUNDARUM crimen quid, & ejus pœna. 206. a, & b.

REPRÆSALIÆ sunt species belli, & a quo concedi possint. 257. a. Eas inferens, diffidatione non præcedente, *ibid.* Quando injustæ, *ibid.* Illas passus, quam actionem habeat, *ibid.* b. Iis contra Ecclesiasticos abutentium pœnæ, *ibid.* a. Quando sint licitæ, & quis easdem concedere possit, *ibid.*

RE-

REPUDIATIO legati, vel hæreditatis Ecclesiæ dalatæ, quas pœnas induceat. 316. a.

REPULSUM se noverit — est canon latæ sententiæ. 199. a.

RESERVATIO casuum non est pœna, & incurritur etiam ab ignorante. 15. a. Si non agatur de censura, *ib. Reservatio casuum* contentorum in Bulla Cœnæ, vide BULLA CŒNÆ. In dubio facti, exceptis casibus in dicta Bulla contentis, non cadit reservatio. 29. b. Sed vide limitationem præcipue pag. 26. b. *Quos casus reservare sibi possint superiores regulares*. 26. a, & b. Quando eorum confessarii ab iisdem absolvere possint, *ibid.* Ab iis nequeunt absolvere superiores locales, *ibid. Reservati* Papæ, sed occulti, quando absolvi possint ab Episcopo. 57. a. *Reservati Papæ post Tridentinum, etiam occulti, nequeunt ab ipso absolvi.* 21. b. *A Reservatis* ante Concilium, etiam non occultis, quando Episcopus absolvere possit. 23. a, *& seq.* Et an etiam alii Prælati. 24. a. An Vicarius Episcopi. *ibid. b.* Quinam casus excipiantur, a quibus nequit Episcopus absolvere, *ib.* A quibus *casibus* suos subditos absolvere potest, potest & ipse absolvi a confessario, a se deputato. *ibid.* A *casibus* Papæ reservatis sine facultate absolventis pœna. 50. b. 51. a. * *Ibique enumerantur casus contenti in decreto Clem. VIII. a quibus neque privilegiati, ibid. Hi in Urbe a quibus absolvere nequeant, ibid. Item absolventis pœna a casibus Episcopo reservatis sine facultate.* 50. b. 51. a. *Ab illis nequis absolvere etiam habens facultatem absolvendi a casibus papalibus.* 51. b. *Neque in aliena diœcesi, si in fraudem ad illam pœnitentes accedant, ibid. In quotuplici classe sint casus Episcopo reservati.* 51. a, & b. *Propositiones proscriptæ circa hanc materiam, & pœnæ in eas docentes, ibid. b. Reservatio* casuum tollitur, si delinquenti fuerit concessa purgatio moræ, vel remissio pœnarum. 187. a. & b. *Reservatio casuum* an procedat etiam in delicto, metu commisso. 54. a, & b. * *Superiores regulares quos casus sibi reservare possint*. 26. a, *& seq.* Et ibi enumerantur.

RESIDENTIAM Episcopi non facientis pœna, & Coepiscoporum eum non denunciantium Papæ. 257. b, *& seq.* Quando non dicatur residere, *ibid.* Ad eam tenentur etiam Episcopi Cardinales, *ib.* * *Per trimestre potest esse absens, & quomodo. ibid.* An requiratur justa causa. 258. a. * *Post ejus promotionem in Curia, intra quod tempus teneatur ad residentiam se conferre, ibid. a, & b. Id tempus quomodo hodie recensum sit, ibid.* Tempus residendi incipit a die recepti episcopalis habitus, seu promotionis, non a die consecrationis. 258. b. Quando non residens, excusetur a pœnis, *ibid.* * *Non residens ultra sex menses, quas alias pœnas incurrat, præter amissas, ibid.* Pro visitatione liminum Apostolorum per quot menses abesse possit, *ibid.* a. Cardinales Episcopi possunt Romæ morari per duos menses post coronationem Papæ. *ibid.* Quot fructus retinere possit Episcopus non residens. *ibid. Residentiam Cardinales* Romæ non facientes, quas pœnas incurrant. 262. a. Et quas olim, non residentes in titulis, *ibid. Residentiam parochi*, alteriusque, curam animarum habentis, non facientis pœna. 259. a, & b. Quod modicum tempus illum ab ea excuset, *ibid. a.* * *Non potest abesse, etiam per bimestre sine licentia Episcopi, ib.* Quam fructuum partem retinere possit absens, *ibid.* Ab ea non excusatur, etiamsi inserviat Episcopo. *ibid. b.* * *Neque excusatur etiam cum dicta licentia causa studiorum, ibid.* RESIDENTIAM CANONICI, *& præbendati* in loco suæ Ecclesiæ non facientis pœna. 259. b, *& seq.* Ex quibus causis, & quando excusetur, *ibid.* * *Quomodo, & quando uti possit trimestri absentia.* 260. b. *An ad illam requiratur licentia Episcopi, ibid. Residentiam coadjutoris* non facientis, nec choro interessentis pœna. 261. b. * *Nequit loco sui alium substituere ad recitandas horas in Choro.* 148. a. Coadjutus sub qua pœna teneatur *residere* in loco beneficii. 261. b. *Residentiam* non faciens clericus in Ecclesia, cui in sua ordinatione adscriptus est ab Episcopo. *ibid. & 65. b. Residentia* in canonicatu simplici potest dispensari a patrono in limine fundationis. 80. a.

RESIGNATIO beneficii quando illicita. 77. a. Sub qua pœna fieri nequeat sine justa causa, & debita forma. 262. b. *& seq.* Quæ sint justæ causæ *ibid.* Illam, non servata forma a S. Pio V. præscripta, admittentium pœna, *ibid.* Quæ hæc sit, *ib.* * *Resignatam beneficium mentis consortis consanguineis, affinibus, vel familiaribus tam resignantis, quam resignationem admittentis, licet consecendum esset per consensum.* 262. b. Hæc prohibitio in cujus beneficii resignatione locum habeat. 261. b. 263. a. *Resignationem* beneficii per injustam beneficiati carcerationem procurantis pœna. 264. a. *Resignationem*, & provisionem beneficii intra præfinitum terminum non publicantis pœna. *ibid. & seq.* Quomodo admitti debeant *resignationes*. 264. b. *Resignare* sibi beneficium non potest Procurator, constitutus ad illum *resignandum*. 61. a. *Resignatio* beneficii cum pensione nequit fieri ab eo, qui dispensatus fuit super inhabilitate ad illud. 36. b. *Resignatio* parochiæ obtentæ in Curia Romana cum juramento de residendo, & per se eam exercendo, sub qua pœna prohibita. 262. a. & b. * *Neque admittitur, nisi provisus per triennium illam possederit.* 262. b. *Resignatio* an possit fieri ad favorem in manibus Ordinarii. 263. b. Metu extorta, quando sit valida, quando nulla. 264. a.

RESTITUTIONES, vel legata religiosa impedientes, vel sibi procurantes in præjudicium aliarum Ecclesiarum, quas pœnas incurrant. 252. a, & b. *Restitutio*, an dicatur integraliter facta, si deficiat etiam in re minima. 303. b. Et an sufficiat condonatio, vel cautio, *ibid. Restitutio* de bonis incertorum potest pro libito cuilibet pauperum fieri a debitore. 252. b. *Restitutio* fructuum beneficii, vide FRUCTUS BENEFICII. *Restitutio* in integrum adversus lapsum quinquennii, vide PROFESSIO religiosa. *Restitutio* in integrum adversus sententiam, quæ transivit in rem judicatam, quando licite procurari potest. 273. b. *Restitutionis* obligatio fructuum beneficii male perceptorum non tollitur vi regulæ de triennali. 38. a.

* RESTRICTIO *mentalis in juramento prohibita est sub pœna perjurii, & afferatur Propositio proscripta*. 172. a, & b.

* RETICENTIA *gradus consanguinitatis in dispensatione matrimonii contracti, vel contrahendi, quando illud invalidet, quando non, & quando declaratoria opus sit*. 591. b. *Reticentia* reincidentiæ in idem crimen, an reddat subreptitiam dispensationem, vel absolutionem. 16. a.

RETROTRACTIO quando detur. 35. b. *Retrotrahitur* effectus pœnæ incursæ per declaratoriam. 4. b.

REVALIDATIO *electionis* nulla qualiter fieri possit. 524. b. *Revalidatio tituli* beneficii a quo fieri possit. 36. a. Item tituli pensionis. *ibid. b. Revalidatio actus* qualiter, & a quo fieri possit. 41. b.

REVELATIO simoniæ in beneficio, an hodie obliget. 280. b. Item an super datis, & promissis pro obtinenda gratia, vel justitia in Curia Romana. 289. a. Facienda est de offendentibus Summum Pontificem, & Cardinales. 187. a. *Revelationem* falsam prædicantium pœna. 242. b.

REI JUDICATÆ sententia quando dicatur. 20. b.

REVOCATIO sententiæ, quæ transivit in rem judicatam, quando liceat. 273. b.

REUS legitime interrogatus a judice super delicto, & negans, obligatur ad pœnam in foro conscientiæ. 4. b. Per pœnam latæ sententiæ non ligantem ante declaratoriam, a momento criminis amittit dominium directum, non utile, *ibid.* Convictus, negans crimen, & absolutus, an evitet pœnam in foro conscientiæ. 33. a. *Reus*, si dimissus est cum cautione de se repræsentando, tunc casus dicitur publicus. 18. a. Secus, si absolutus interlocutorie tantum, *ibid.* Si tortura purgavit indicia, & absolutus est definitive, idem est ac si indicia nulla fuissent. *ibid.* Etiam post declaratoriam non tenetur pœnam pecuniariam fisco ultro dare. 42. a. * *Reo principali in criminalibus nequit dari juramentum de veritate dicenda sub pœna nullitatis actorum in totum.* 171. a, *& seq. Rei* ultimi supplicii bona, vide CONFISCATIO BONORUM. *Rei* spontanea confessio, vide SPONTANEA CONFESSIO.

RITUS ecclesiastici mutatio in sacramentorum administratione sub qua pœna prohibita. 265. a. *Ritum* latini in sua ordinatione mutantes, quas pœnas incurrant. 265. a, & b. Item græci, *ibid.* Item *Ritum* Breviarii mutantes. 266. a.

* RITUUM *S. Congregationis secretum revelantium pœna*. 272. b. 273. a. *Ad quos se extendat, ibid. Quæ limitationes dentur, ibid.*

ROMAM religiosi sine licentia accedentis pœna. 251. b. Quando excusetur, *ibid.* Quis dari possit licentiam, *ibid. Romæ* an exerceri possit in subditum jurisdictio voluntaria a Prælato. 16. b.

ROMANÆ Ecclesiæ statum invadentis pœna. 266. a. Quæ loca veniant nomine hujus status. 207. a. Item illius jurisdictionem usurpantis pœnæ. 266. a.

ROMANAM ad Curiam recurrentes offendentis, vel impedientis pœna. 112. b, *& seq.*

ROMANI IMPERII Vicarii nomen assumentis pœna. 157. b. * *Et quis hodie hic sit, ibid.*

ROMIPETAS, seu Romam accedentes devotionis causa, offendentis pœna. 240. b.

ROTÆ secretum revelantis pœna, 272. a, & b. In quibus circumstantiis non incurratur, *ibid.*

S

SACRO in loco exercere jurisdictionem laicalem contentiosam, est sacrilegium, & acta sunt nulla. 269. a. Secus voluntariam, *ibid.*

SACER LOCUS quando effectus. 273. b. * SACERDOS *simplex, non approbatus ad confessiones, non potest absolvere a peccatis venialibus, aut mortalibus, alias confessis, neque ab excommunicatione minori.* 23. a. 48. a. 87. b. Potest tamen absolvere a quibuscunque peccatis, & censuris in in articulo, vel periculo mortis, & quomodo. 25. a. *Sacerdos latinus, & græcus* quoad ritum in celebratione Missarum, & divinorum officiorum. 265. a. *Sacerdotis* matrimonium contrahentis pœna. 190. b. 191. a.

SACERDOTIUM eodem die cum Episcopatu collatum, vide INTERSTITIA. *Ad sacerdotium* non promoti, missam celebrantis, & absolventis pœna. 237. a, & b. *Sacerdotium* quis teneatur recipere. 77. b, *& seq.*

SACRAMENTALEM formam, vel benedictionem super eadem materia iterantis pœna. 267. b.

SACRAMENTALIA an valide conferantur ab eo, qui in talibus circumstantiis non habet legitimam facultatem. 74. b. An illorum formam valeat Episcopus alterare. 203. b. Num eorumdem nullitatem possit Papa solo verbo supplere. 267. b.

SACRAMENTI formam iterantis pœna. 267. b. Quando possit, & debeat iterari, *ibid.* Item illius administrationem simulantis. 268. a. * *Propositio circa hoc proscripta, ibid.* Item *Sacramenta* alienis parochianis ministrantis, *ibid.* Quando excusetur, *ibid. Sacramentum* Pœnitentiæ inter absentes, vide PŒNITENTIÆ SACRAMENTUM INTER ABSENTES. *Sacramentum* Baptismi temere reiterantis pœna. 74. a, & b. Item *Sacramentum* confessionis, vel communionis annuæ omittentia. 267. a, & b. * *Propositiones proscriptæ circa hoc, ibid.* a.

SACRIFICII essentia, an etiam sita sit in sumptione specierum, seu Sacramenti, & ista sumptio sub qua pœna præcepta. 599. a.

SACRIFICIO Missæ ad sortilegia sacerdotes abutentes, vide SUPERSTITIONIS PŒNÆ, ET SOLICITATIO.

SACRILEGIUM quid, & quotuplex, & quid veniat sacrilegii nomine. 268. a, & b. Illius reus quando, & quas pœnas incurrat, *ibid.* Est crimen mixti fori, *ibid. b.* Committitur, exercendo jurisdictionem laicalem contentiosam in loco sacro. 269. a. Spoliando Ecclesias cum effractione. *ibid.* Auferendo ornamenta, vel lapides Ecclesiarum Urbis *ibid.* a, & b. Celebrando in Ecclesia polluta, *ibid. b.*

SAL EXTERUM emens, olim incurrebat excommunicationem, secus hodie. 270. b. Illud tamen emere prohibitum est, *ibid.*

SALARIUM effectum insufficiens, an admittat compensationem, quando conventio inita fuit cum Principe. 59. a.

PER SALTUM ORDINES recipientis pœna. 224. b. 225. a. Quid sit ordinari per *saltum*, *ibid.* Quando eum dispenset S. Pœnitentiaria. *ibid.*

SALUTATIO Principis tollit pœnam ipsius indignationis in subditum. 44. b. Secus salutatio Papæ quoad absolutionem ab excommunicatione, nisi hoc declaret, *ibid.*

SANCTORUM Reliquias auferentium, vel alienantium pœna. 273. b. Item illorum sepulcra violantium. *ibid.*

SANCTUM OFFICIUM, vide S. INQUISITIONIS OFFICIUM.

SANGUINIS sententia quando reddat irregularem. 269. b.

* SARACENIS *arma deferentis, gubernationemque in eorum navibus exercentis pœna*. 70. a. Item eisdem alia, ad dispendium Terræ Sanctæ deferentis, *ibid.*

SARDINIA, & Corsica in odiosis venit nomine Italiæ. 208. b. Et vide *pag.* 57. a.

SATISFACTIO, si est prærequisita ad absolutionem, sufficit cautio idonea, vel juratoria, ut reus impotens in articulo mortis absolvi possit. 276. a.

SCHISMA quid sit, & quotuplicis generis, ac quot modis committi

tur. 270. *b*, *& seq.* *Schismaticorum*, eorumque fautorum, & sectatorum pœnæ, *ibid.* Sunt suspecti de hæresi. 271. *b*. Qui sint tolerati, *ibid.* Quando liceat eorum bona auferre, *ibid. a*, *& b*. *Schisma* quomodo contingat in electione Papæ. 270. *b*, *& seq.* Ab iis ordinati, sunt suspensi, & irregulares. 271. *b*. Item collatio beneficii ab iisdem facta, est nulla, *ibid.*

* SCHOLARUM *Piarum religiosus quando prohibeatur appellare a suis superioribus, & sub quibus pœnis.* 67. *b*. Ipsarum fundationes fieri possunt sine consensu præexistentium Regularium, etiam non servata distantia. 248. *a*.

SACRAM SCRIPTURAM contra sensum, ab Ecclesia approbatum, prædicantium, & explicantium pœna. 272. *a*.

SCRIPTURAS CAMERÆ APOSTOLICÆ, vide CAMERÆ APOSTOLICÆ LIBROS.

SCRIPTURA in provisionibus beneficiorum, & gratiarum quando necessaria. 133. *b*, *& seq.*

SCIENTIA ordinandorum qualis requiretur. 221. *a*, *& b*. Scientia æquiparatur ignorantiæ juris. 167. *b*.

SCIENTER operanti pœna imposita, procedis etiam contra operantem ex ignorantia juris. 50. *b*. 55. *a*. 167. *b*.

SECRETUM quod dicatur. 165. *a*. *Secretum* Consistorii revelantia pœna. 110. *b*. 151. *a*. Item *Secreta* fidei in perniciem Christianæ Reipublicæ. 213. *a*. Item *secretum* S. Officii. 165. *a*. Item *secretum* S. Pœnitentiariæ. 239. *b*. * *Item Secretum Sacr. Congr. Rituum.* 272. *b*. 273. *a*. *Ad quos se extendat*, *ibid.* *Quæ limitationes dentur*, *ibid.* Item *secretum* Sacræ Rotæ. 272. *a*, *& b*. Item advocati illud revelantis parti adversæ. 53. *a*. *Secretum* confessionis, vide SIGILLUM.

SECTÆ ad libidinem, & falsam Religionem damnatæ. 111. *b*. * *Item vulgo de Libert Muratori*, *ibid.* Et vide CONSPIRATIO.

SECUNDÆ nuptiæ licitæ sunt, soluto primo matrimonio. 194. *b*. Illarum benedictio, vide NUPTIAS SECUNDAS.

SEDE VACANTE, dimissorias obtinens, vide DIMISSORIAS, SEDE VACANTE.

SEDIS APOSTOLICÆ de statu per media superstitiosa inquirentis pœna. 299. *a*, *& b*. Item illius Legatos, aut Nuncios impedientis, vel offendentis. 177. *b*.

* SENATORIS *Urbis electio hodie ad quem spectet.* 273. *b*.

SENES, qui dicantur. 262. *b*. * *Et quando eximantur a jejunio.* 23. *b*.

SENTENTIA declaratoria, vel promulgatoria, vide DECLARATORIA. SENTENTIA censuræ numquam transit in rem judicatam. 200. *b*. Quando nulla. 20. *a*. Et quid tunc pro foro conscientiæ, *ibidem*. Quid, si nulla in foro conscientiæ, & valida in foro externo, *ibid.* Lata sine monitione, vide MONITIO, ET CENSURA. *Sententia* contumacialis non facit notorium juris. 17. *a*. Lata a judice laico contra clericum, est nulla, *ibid. b*. Quando transeat in rem judicatam. 20. *b*.

SEPULCHRUM Domini Nostri JESU causa devotionis visitans sine licentia Papæ, incurrit excommunicationem, eidem reservatam, si pervenerit Hierosolymam, aut ad Terram Sanctam. 240. *b*. *Sepulchra Sanctorum* violantium pœna. 273. *b*. *Sepulchri* violatio. vide SEPULTURÆ VIOLATIO.

SEPULTURÆ usurarium manifestum tradentis pœna. 275. *b*. 276. *a*. 318. *b*. Item hæreticos, eorumque fautores. 275. *a*. Item excommunicatos. 275. *b*. 276. *a*. Item interdictum, & ad quos pœna se extendat. 90. *a*. Item *sepulturæ* tradentis quemcunque tempore interdicti, *ibid.* *Sepultura* privatur, moriens in duello, etiam extra conflictum, licet pœnitens, & absolutus decesserit. 319. *b*. Sicut & moriens in agitatione taurorum. 184. *b*. Item ille, cujus cadaver comminutum fuit, ut alio transferretur, 274. *a*. Item incendiarius, ejusque cooperatores, sed cum limitatione. 158. *a*. Ea quando privandus, confessionem, & communionem annuam omittens. 267. *a*, *& b*. Peccator quando *sepulturæ* tradendus, si moriens dedit signa pœnitentiæ. 105. *a*. 267. *b*. *Sepulturæ* privatio quot modis reperiatur inflicta. 44. *a*. An ad hanc privationem incurrendam requiratur declaratoria, *ibid.* Et ista privatio qualiter obliget. *ibid.* An ipso jure ea privatus, ab eadem arcendus sit a parocho, non monito Episcopo. 267. *a*. Catechumeno dari potest *sepultura*. 276. *b*. Et quid de puero mortuo in utero matris, *ibid.* An illa careant ultimo supplicio damnati. 238. *a*. *Sepulturæ* dantes, ea privatos, quando censuram incurrant. 44. *a*. Dans simul *sepulturæ* manifestum usurarium, publicum excommunicatum, nominatim interdictum, incurrit quatuor excommunicationes. 76. *a*. *Sepultura* concubinarii notorii non polluitur Ecclesia vel cœmeterium. 105. *a*. Quorum *sepulturæ* assistere Clerici prohibeantur. 158. *b*. *Sepulturæ* dari nequeunt fideles in Ecclesia polluta. 270. *a*. Et si sepulti fuerint, quando exhumandi, *ibid.* In *sepultura* mariti non est sepelienda uxor, ab eo occisa. 238. *b*. *Sepulturæ* jure privatus locus, in quo *sepultus* est hæreticus. 140. *a*. Illius juris possessio, vel quasi possessio quomodo acquiratur. 273. *b*. A quo acquiri possit, *ibid.* Illius translatio quando liceat. 274. *a*, *& b*. Illius transferendæ causa cadaver comminuentis pœna, *ibid. a*. *Sepulturam* eligi inter vivos in suis Ecclesiis, vel non mutari procurantis pœna. 274. *b*. Ad quas personas procurantes se extendat, *ibid.* Quando pœna locum habeat, *ibid.* Qualis inductio requiratur, *ibid.*

SEPULTURÆ violatio, est sacrilegium. 273. *b*. 274. *a*. Pœnæ illam violantis, *ibid.* Quot modis possit violari, *ibid.*

SEPULTUM cadaver nequit exhumari sine licentia Episcopi. 274. *b*. Quando exhumandum. 270. *a*. 276. *a*, *& b*.

SEQUESTRATIO fructuum, & proventuum Ecclesiarum, vel piorum locorum quas pœnas inducat. 276. *b*, *& seq.* Item jurisdictionis ecclesiasticæ, *ibid.* Item depositorum Ecclesiarum. 117. *a*, *& b*. *Sequestrari* possunt ab Ordinario, lite pendente, fructus beneficiorum, etiam S. Sedi reservatorum, vel affectorum, & ordinaria, aut alia auctoritate collatorum. 277. *a*, *& b*. *Sequestrationem* beneficiorum, vel illorum fructuum fieri ab Ordinario impedientis, vel factam violantis pœna, *ibid. a*.

* SERVITIA laicis præstari a clericis prohibitum est. 318. *b*.

* SERVITIUM Ecclesiæ sibi designatæ ab Episcopo deserens clericus, quo privilegio privetur, & qua pœna puniendus. 65. *b*.

SERVITUTI christianum subjicientis, vel in illa detinentis, aut ipsum spoliantis pœna. 277. *b*.

SERVUS alienus ordinari nequit, quandiu *servitus* durat. 277. *b*. 278. *a*. Ordinatus, quando efficiatur liber, *ibid.* Pœna illum ordinantis, *ibid.* Quando ipse *servus* pœnas incurrat, *ibid.* Quando privetur privilegio clericali, *ibid.* An eo privari possit, *ibid.* Quando repeti potest a Domino, *ibid.*

SEU -- dictio, inter duas pœnas, an sit copulativa, vel alternativa. 84. *b*. 96. *b*.

SEXUS mutatio in moniali, vel religioso, an irritet professionem. 253. *b*, 254. *a*.

SIGILLUM confessionis violans, quas pœnas incurrat. 108. *a*, *& b*. Illius cognitio ad quem spectet, *ibid.* * *Propositio proscripta circa illius fractionem*, *ibid.* SIGILLUM S. PŒNITENTIARIÆ falsantis pœna. 239. *b*. 240. *a*.

SIGNA contritionis, quæ dicantur sufficientia in moriente. 105. a.

SIMONIA in quacunque re spirituali committi potest. 278. *a*, *& b*. Ejus pœnæ, *ibid.* An purgetur per Papæ dispensationem, seu licentiam. 281. *b*. Non admittit parvitatem materiæ. 278. *b*. Non committitur per pactum juri conforme, *ibid.* Si non est juri conforme, est ipso jure nullum in quacunque materia, *ib. &* 279. *a*. Quæ pacta gratuita sint licita, *ibid. &* 281. *b*. *Simonia beneficialis* contracta, quas pœnas inducat. 279. *a*, *& seq.* Quando sit realis contracta. 281. *a*. An inducat pœnas, si quis beneficium adeptus est de facto, non de jure, idest sine titulo colorato. 279. *a*, *& seq.* Nomine beneficii, quæ alia veniant. 279. *a*. 280. *b*. 281. *a*. An in Abbatissatu committi possit simonia, *ibid.* An in præceptoriis collatis a Magno Magistro Ordinis S. Joannis Hierosolymitani, cum onere pensionis. 281. *b*. 282. *b*. Ecclesiæ, & beneficia *simoniace* acquisita, sunt dimittenda ante declaratoriam, nec excusat ignorantia facti, vel juris invincibilis, seu bona fides, sicut & pretium receptum. 279. *a*. Et quid post triennalem possessionem, *ibid.* Quando contingere possit bona fides, *ibid.* Fructus bona fide percepti, quando restituendi, *ibid. b*. *Simoniacum* pretium, cui potius restituendum, *ibid.* Datum pro Ordine conferendo, restituendum est danti. 286. *a*. *Simoniace* provisi pœnæ, complicum, & mediatorum. 279. *b*. Quis dispensare possit super retentione, tam beneficii, quam fructuum. 280. *b*. Item super iis pœnis, inhabilitate, & irregularitate, *ibid.* An hodie revelandus sit simoniacus super beneficio, & sub qua pœna, *ibid.* *Simonia confidentialis* in beneficiis quando committatur. 281. *b*, *& seq.* In quibus beneficiis locum habeat. 282. *a*. Pœnæ eam committentium. 281. *b*. 282. *a*. Ad quos se extendant, *ibid.* Beneficium receptum in confidentiam, quando, & cui reservetur. 282. *b*. An dimitti possit in manus illius, a quo receptum est, *ibid.* *Simonia confidentialis* quando evadat *conventionalis*. 283. *a*. Quas pœnas inducat conventionalis, *ibid.*

SIMONIA *in examine* ad parochias. 283. *a*. In Ordine conferendo, & recipiendo. 285. *b*, *& seq.* Committi potest etiam in collatione primæ Tonsuræ. 286. *b*. Sic ordinati, a quo dispensari possint, *ibid.* An comprehendat notarios, *ibid.* *Simonia in jure patronatus*, & præsentatione. 285. *a*, *& b*. Pretium receptum, cui restituendum, *ibid. b*. In electione Papæ, & an eam invalidam reddat. 284. *b*. 285. *a*. Super jurisdictione spirituali. 291. *b*. Super religionis ingressu, & admissione ad habitum. 287. *a*, *& b*. Pœnæ tam recipientis, quam recepti, *ibid.* Pretium receptum, cui restituendum, *ibid.* Quæ licite recipi possint, *ibid.* Quid de receptione monialium, *ibid.* *Simoniace* professus, est valide professus. *ibid.* Quibus tamen privetur, *ibid.* *Simonia super Indulgentiarum concessione*, vel publicatione, *ibid.* Super absolvendi facultate a reservatis, *ibid.* Super privilegio celebrandi missam tempore interdicti, *ibid.* Super tuorum lucris in beneficiis quomodo committatur. 283. *b*, *& seq.* Lucra dantium, vel recipientium pœna. *ibid.* Quæ permissa sint. 284. *a*. Ad quæ beneficia prohibitio se extendat, *ibid.* *Simonia* procurantium pro alio beneficia in Curia Romana, quomodo committatur, illorumque pœna. 285. *b*. *Simonia* super privilegio assumendi duos, vel plures compatres in baptismo. 287. *b*. Super dispensatione matrimoniali. 288. *a*. * *Simonia super datis, & promissis pro obtinenda gratia, vel justitia in Curia Romana.* 238. *b*, *& seq.* *Quando committatur*, *ibid.* *Pœna aliquid dantium, & recipientium*, *ib.* *Quando gratia invalidetur.* 289. *b*. SUPER PENSIONIBUS quando committatur. 290. *a*, *& seq.* Quando incurrantur pœnæ, & quæ, *ibid.* * *Pacta cassationis ejusdem contemporanea resignationi sunt simoniaca.* 291. *a*. *Simonia* officialium S. Pœnitentiariæ. 205. *b*. 206. *a*. *Simoniacum* super beneficio non revelans, an hodie incurrat excommunicationem. 280. *b*. *Simoniacum* pretium, vide PRETIUM SIMONIACUM.

SIMULANS Sacramentorum administrationem, seu formam. 268. *a*.

SI QUIS SUADENTE DIABOLO canon, vide PERCUSSIO clerici.

SIT INFAMIS -- an hæc clausula sit latæ sententiæ. 195. *a*. *Sit ligatus* -- est canon latæ sententiæ. 164. *a*. *Sit suspensus*. 199. *a*. Item hæc dictio -- *Sit* -- juncta participio præterito, *ibid.* *&* 213. *b*.

SOCIETATIS JESU Institutum impugnantium, vel mutari procurantium pœna. 291. *b*. * *Item pœna ab ea discedentium sine licentia*, *ibid.* *Ab eadem ejectis non debentur alimenta.* 292. *a*.

SOCIETATES ILLICITÆ, vide CONVENTICULA.

SODOMIÆ, & SODOMITÆ pœnæ. 292. *a*.

* SOLICITATIO *in sacramentali confessione quas pœnas inducat.* 292. *b*, *& seq.* *Ad quos se extendant*, *ibid.* *In quibus casibus committatur*, *ib.* *Eam non denunciantium pœna*, *ibid.* *Propositiones proscriptæ circa illam.* 296. *a*. *Item pœna confessarii, non monentis solicitatum de onere denunciandi.* 107. *a*. *De ea falso accusans confessarium, vel per alium, non absolvitur, nisi a Papa.* 53. *a*.

SOLUTIO matrimonii, vide MATRIMONII solutio.

SORTES in electione prohibentur. 121. *a*. Et vide ELECTIO ecclesiastica.

SORTILEGIUM, vide SUPERSTITIONIS pœnæ.

SPECIERUM sacramentalium sumptio, an sit de essentia sacrificii, & sub qua pœna præcepta. 199. *a*.

SPE FACILIORIS dispensationis matrimonium incestuosum contrahens, tenetur explicare spem, seu intentionem. 192. *b*.

SPOLIATIO Ecclesiarum, seu rerum ad eas spectantium, quando committatur. 269. *a*. Pœna eas spoliantium, *ibid.* Quid veniat appellatione spoliationis. *ibid.*

SPOLIUM Cameræ Apostolicæ debitum occupantis pœna. 295. *a*, *& seq.* Ad quæ, & quorum bona se extendat, *ibid. &* 64. *a*. *& b*.

SPONSALIA secunda, primis legitime non dissolutis, contrahentis pœna. 295. *a*.

* SPONSIONES super vita, vel morte, vel electione Papæ sub qua pœna prohibitæ. 296. *a*, *& b*. Item super promotione Cardinalium, *ibid.*

SPON.

SPONTANEA confessio rei non excusat a pœna, sed minuit. 9. *b*. * *Non sic in delictis, ad S. Officium spectantibus, quando reus ad illius tribunal jam deductus est*, *ibid.* Et vide addita a CLEMENTE XIII. *feliciter regnante*, pag. 268. *b*.

SPORTULAS, esculenta, & poculenta excipere potest judex delegatus. 206. *a*.

SPURIUS an retinere possit bona sibi relicta. 151. *a*, & *b*.

STATUM Sedis Apostolicæ per media superstitiosa inquirantis pœna. 299. *a*, & *b*. Illum invadentis pœna. 266. *a*. Quæ loca veniant nomine hujus *Status*. 207. *a*.

STATUS clericalis desertio, seu renuntiatio, vide APOSTATA ab Ordine.

* STATUS libertatem pro secundo matrimonio, constante primo, coram judice per falsos testes probantis pœna. 290. *a*, & *b*.

STATUTA, vel consuetudines iniquas jurans observare, vel jurari faciens, quas pœnas incurrat. 170. *a*, & *b*. Item ea faciens, vel observans contra libertatem ecclesiasticam. 278. *b*, & *seq*.

STELLIONATUS pœna ligatur, qui usurpat officium publicum, seu jurisdictionem, quam non habet. 49. *b*.

STERILITATIS poculum præbentis pœna. 242. *a*.

STOLAM quando, & sub qua pœna gerere debeat sacerdos. 199. *b*.

STUDIIS vacare religiosis extra claustra sub qua pœna prohibitum. 296. *b*. Item *studiis* legis civilis, & medicinæ. *ibid.* & 297. *a*. Et quid, si ad ea accedat, & recipiatur, habitu dimisso. 297. *b*. *Studio* legis civilis, & medicinæ vacare quibus clericis secularibus, & quando, & sub qua pœna prohibitum. 297. *a*, & *b*. * *Studiorum causa parochus non potest abesse a residentia, etiam cum licentia Episcopi* 259. *b*.

STUPRATORIS pœna, & onus respectu *stupratæ*. 298. *a*. * *Quæ praxis circa hoc Romæ*. *ibid.* *a*, & *b*.

STUPRI pœnæ. 298. *a*.

STYLUS Curiæ interpretativus Constitutionum Papæ, ubique servandus est. 95. *a*.

SUBDIACONATUS cum minoribus eodem die collatus, vide INTERSTITIA.

SUBDIACONI matrimonium contrahentis pœna. 190. *b*.

* SUBDITUS *ratione beneficii pro Ordinibus sacris suscipiendis*. 228. *b*, & *seq*. *Ratione originis*. 229. *a*. *Ratione domicilii*, *ibid.* *a*, & *b*. *Ratione familiaritatis*, *ibid.* *Subditum alienum ordinantis pœna*. 227. *b*, & *seq*. *Subditi*, an possint se retrahere ab obedientia sui Prælati ante declaratoriam privationis prælaturæ. 5. *b*. 6. *a*. * *Propositio proscripta circa obedientiam præstandam Principi a subditis*. 5. *b*. *Subditus* qualis esse quis debeat quoad absolutionem, vel dispensationem obtinendam. 25. *b*. 26. *a*. 21. *b*. *Subditi* nullius diœcesis quoad dimissorias. 232. *a*.

SUBJACEAT -- quando sit versum latæ sententiæ, quando non. 90. *b*. 161. *b*. 169. *b*. 199. *b*. Sed regulariter est latæ sententiæ. 161. *b*.

SUBJICIT -- est verbum latæ sententiæ. 201. *b*. 202. *a*.

SUBORNATIO in electionis sub qua pœna prohibita. 59. *a*. 60. *b*.

SUB pœna excommunicationis -- est clausula ferendæ sententiæ. 3. *b*.

SUBREPTIO quando detur. 137. *a*, & *b*. An dicatur falsitas, *ibid.* Quas pœnas inducat. 136. *b*, & *seq*. In provisione facta a Papa, quando vitiet gratiam. 136. *b*. An vitiet, etiam in provisione Ordinariorum, *ibid.* An vitiet in foro conscientiæ, si adsit clausula in provisione, ut non possit dari de *subreptione*. 137. *a*. Quomodo sanetur, *ibid.*

* SUBSIDIA *dotalia virginibus distribuenda, ab ipsis retineri nequeunt, si non sint virgines*. 301. *b*.

* SUBSTITUERE *non prohibetur canonicus alium loco sui ad recitandas horas canonicas in choro, sed cum limitatione*. 148. *a*.

SUBTRAHATUR -- an sit verbum latæ sententiæ. 78. *b*.

SUBURBICARII Episcopi Cardinales, vide CARDINALES SEX EPISCOPI.

SUFFRAGANEOS Episcopos non residentes Metropolitanus non denuncians Papæ, quas pœnas incurret. 257. *b*.

SUFFRAGIUM in capitulo, vide PRIVATIO vocis in capitulo, & REGULARIUM officialium electio.

SUORUM, vel conjunctorum nomine, qui contineantur. 95. *b*.

SUPELLECTILIS sacræ benedictio, vide CONSECRATIO.

* SUPERIOR *regularis, an casus sibi reservare possit, & quos*. 26. *a*, & *b*.

SUPERSTITIONIS pœnæ. 298. *b*. Ad quas actiones se extendant, *ibid.* *Superstitionis* causarum cognitio cui reservata Romæ, & extra. 299. *b*. *Superstitione* lucrum acquisitum, an, & cui restituendum. *ibid.*

SUPPLICII ultimi rei bona, vide CONFISCATIO bonorum.

SUSCEPTORES aleatorum, quas pœnas incurrant. 285. *b*.

SUSPECTUS de hæresi, vide DE HÆRESI suspecti.

SUSPENSIO perpetua, aut diuturna nequit imponi ab Episcopo sine consensu capituli. 35. *a*. *Suspensio ad tempus*, vel in perpetuum, non continetur nomine pœnæ. 1. *b*. *Suspensio pœnarum latæ sententiæ* quando, & quot modis detur. 27. *a*, & *seq*. Sequitur personam, etiam extra territorium. 29. *a*, & *b*. *Suspensio perpetua* differt a depositione ab officio. 32. *b*. *A suspensione latæ sententiæ* quis dispensare possit. 20. *b*, & *seq*. Et quis ab ea absolvere. 232. *a*, & *seq*. *Suspensionem ab officio* violans, celebrando, vel coram se celebrari faciens, quam pœnam incurrat. 91. *b*. *Suspensus* ab Ordinibus minoribus, illos exercens, non fit irregularis. *ibid.* Nisi sit *suspensus* ob simoniam in Ordine, *ibid.* *Suspensionem a potestate providendi de beneficiis* violans, quando incurrat excommunicationem, Papæ reservatam. *ibid.* *Suspensus* a beneficio, in eo se ingerens, quando, & quas pœnas incurrat. 92. *a*. Num his pœnis ligetur Episcopus, *ibid.* *Suspensio* ab officio episcopali non impedit exercitium jurisdictionis, nec possessionis adeptionem. 226. *b*. *Suspensus* ab officio, non potest obtinere beneficium, *ibid.* *Suspensus* a beneficiis, an intelligatur *suspensus* ab omnibus. 134. *b*. *Suspensio* absolute lata, an censeatur ab officio tantum, vel etiam a beneficio. 113. *b*. 315. *a*. *Suspensio ab officio*, an sit ab officio Ordinis tantum, vel jurisdictionis. 110. *a*. *Suspensionem ad tempus* latam incursam violans, irregularitatem incurrit. 56. *b*. 86. *a*. *Suspensionis* nomen quandoque excommunicationem denotat. 100. *b*. 199. *a*. *Suspensionis* censura an ferri possit in laicum, vel Abbatissam. 103. *a*. *Suspensio* Abbatissæ ab officio, an statim obliget in conscientia, *ibid.* *Suspensio* pœnarum, seu censurarum ecclesiasticarum quotuplex sit. 27. *a*, & *seq*. *Suspendendus* est ad tempus, qui dispensatur super irregularitate incursa ob usurpationem Ordinis, vel violationem censuræ. 236. *b*, & *seq*. SUSPENSUS SIT -- est canon latæ sententiæ. 199. *a*. 201. *b*. 203. *a*. *Suspensio* a SS. Corpore, & Sanguine Christi -- quænam sit censura. 199. *b*.

SYNODUM diœcesanam, vel provincialem celebrare negligentium pœna. 300. *a*. Item diœcesanæ non intervenientium, vel ab ea, non completa, discedentium. *ibid.* *b*.

T

TABACI *sumpti ante S. Communionem, & in Ecclesia, ubi, & sub qua pœna prohibita*. 300. *b*. *Hodie non expedit eam prohibere, & potissimum sub pœna aliqua*, *ibid.*

TALEAS clericis, bonisque ecclesiasticis imponentium pœna. 256. *b*.

TAURORUM, aliarumque ferarum agitatio sub qua pœna prohibita. 184. *a*, & *b*. Pœna ecclesiasticorum eam spectantium, *ibid.*

TAXA beneficii, vide BENEFICIUM pro recipiendis SS. Ordinibus.

TEMERITAS non dicit dolum, sed fatuitatem, & imprudentiam. 286. *a*.

TEMPORIS cursu an cesset pœna incursa. 28. *b*. 29. *a*. Assignatum pro forma, an currat impedito. 264. *b*. *Tempus longum* quodnam dicatur. 317. *b*. *Tempus breve* quando intelligatur trium dierum 207. *b*. * *Tempus modicum* pro adimplendis missarum oneribus, se extendit ad unum mensem dumtaxat 197. *b*.

TEMPUS Ordinationum. 225. *a*, & *b*.

TENEATUR reddere -- importat obligationem, etiam in foro conscientiæ ante declaratoriam. 207. *b*.

TERGIVERSATIONIS crimen. 53. *b*. *Tergiversator* quis dicatur, *ibid.* Quæ olim illius pœna, *ibid.*

TERMINO affixo pœnæ, an hæc cesset ipso jure. 58. *b*, & *seq*. Illius prorogatio an suspendat censuram. 28. *a*, & *b*. *Terminus* an debeat expectari ad incurrendam pœnam, si quis ita se arctavit, ut jam non possit parere. 10. *a*.

TERRA alicujus, vel sua, qualiter dicatur. 163. *a*. *Terras*, & loca Ecclesiæ Romanæ occupantis pœna. 266. *a*.

TERRITORIUM Papæ, est totus mundus quoad pœnas ecclesiasticas. 29. *a*. In *territorio* pœna incursa quænam, & quando obliget delinquentem extra illud, *ibid.* *a*, & *b*. Extra illud delinquens, quando puniri possit. 30. *a*, & *b*. Extra illud dari potest dispensatio, quando non est legitimus contradictor. 26. *a*. Non tamen absolutio a censuris a delegato, etsi sit parochus proprius, *ibid.*

TERTIARIOS S. Francisci interdictos ad divina admittentis pœna. 91. *a*.

TESTAMENTUM novitii. 287. *b*.

TESTAMENTUM exequi negligentis pœna. 302. *a*, & *b*. Qui criminosi sint *intestabiles*, tam active, quam passive. 43. *a*, & *b*. Illius nullitas ob inhabilitatem personæ quomodo sanetur, *ibid.* Factum ab eo, qui est intestabilis, an sit nullum in foro conscientiæ, *ibid.* *Testamentum* usurarii, vide USURARII TESTAMENTUM.

TESTANDI facultate qui clerici gaudeant 305. *b*.

TESTIMONII causam fingens, ob quam judex mulieris examinandæ domum accedat, quam pœnam incurrat. 302. *a*. *Testimonium* mulieris ubi recipiendum. *ibid.*

TESTIS falsus an teneatur restituere fisco pœnam pecuniariam, quam reus ob illius falsitatem evasit. 42. *b*. Excommunicatus quando sit repellendus a testimonio ferendo. 87. *a*. Repertus falsus in uno articulo, in totum repellitur. 130. *a*. * Testes falsos pro matrimonio contrahendo, constante primo, inducentis pœna. 190. *b*.

TESTIUM præsentia in matrimonio, vide PAROCHI præsentia, ET MATRIMONIUM clandestinum.

* THALMUD, *aliaque hebræorum scripta legentium, & retinentium pœna*. 302. *a*.

TITULUS beneficii per intrusionem nunquam potest præscribi. 167. *a*. Est probandus, inquirente Ordinario. 165. *a*. Et pœna non probantis, *ibid.* Illum revalidare quis possit. 35. *b*. 36. *a*. Quando revalidatur per regulam de Triennali. 36. *a*. 167. *a*. Non convalidatur in foro interno per regulam de annali. 36. *a*.

TITULUS pensionis non revalidatur per regulam de triennali. 37. *a*. A quo possit dispensari, & revalidari. 36. *a*.

TITULUS coloratus cum errore communi, tribuit jurisdictionem fori sacramentalis. 48. *b*. * *Dummodo adsit bona fides in acquirente*, *ibid.* & 49. *a*. *Secus, si ab omnibus confessarius reputatus legitimus, & pœnitens sciat, etiam privatim, defectum occultum jurisdictionis ipsius* *ibid.* Non supplet defectum juris naturalis, vel divini. 5. *a*. 34. *a*. Cessat ob notorietatem privationis officii, *ibid.* Si privatio est occulta, acta cum eo sunt valida, *ibid.* & 5. *a*. Quando non sustinet actum collationis. 5. *a*.

TITULUS ordinandorum in sacris quotuplex. 221. *b*, & *seq*. 229. *a*. Pactiones circa illum, quas pœnas inducant. 223. *a*, & *b*. * Explicantur canones circa has pœnas. 222. *a*, & *b*. *Titulo* reputato valido, Ordines recipiens, non incurrit pœnas. 222. *b*. Cum pacto fiduciario de eo retrovendendo illicitus est. 223. *a*. Et sub qua pœna, *ibid.* Nequit alienari, neque resignari sine licentia, *ibid.* & 224. a. Neque fidejussioni subjici, *ibid.* *Titulo* ficto Ordines sacros recipientis pœna. 222. *a*, & *b*. * *Affertur declaratio Cong. Conc. ibid.* & 223. *b*. *Titulo* ficto, vel fiduciario, vel falso patrimonii Ultramontani, & exteri Ordines recipientes in Italia, sunt perpetuo suspensi, absque spe dispensationis. 224. *a*.

TITULUS Cardinalium hodie non obligat ad ibi residendum. 262. *a*.

TITULARES EPISCOPI, vide EPISCOPI TITULARES, ET LIMINA APOSTOLORUM.

TOLOSANÆ Ecclesiæ statuta turbantium pœna. 302. *a*

TONDENTIUM monetam pœna. 201. *a* & *b*.

TONSURA non est Ordo. 228. *a*. Num veniat nomine Ordinis in odiosis. 218. *a*. 228. *a*. 213. *b*. 286. *b*. In ea conferenda committi potest etiam simonia, quamvis non sit Ordo, *ibid.* Illam conferens alieno subdito sine licentia, suspenditur per annum ab illius collatione. 228. *a*. Nequit conferri novitio a suo Abbate. 232. *a*. * *Neque subditis alienis, tam secularibus, quam regularibus, etiam de consensu Ordinariorum, & superiorum*. 231. *b*.

TORNEAMENTA quæ dicantur. 284. *b*. Illa agentium pœna. *ib.* In iis decedens, etiamsi absolutus fuerit, non est sepeliendus in sacro. *ib.*

TRACTATUS deliberativi, & pactionales in electione sunt illiciti. 59. *a*, & *seq*.

TRADITIO Apostolica an relaxari possit a Papa per dispensationem. 168. *a*. Aliquæ ex traditionibus non fuerunt universaliter ubique positæ, *ibid.*

TRANSACTIO facta pro crimine commisso, quando non liberat ab infamia. 39. *b*.

TRANSGRESSIONE multiplicata, quando multiplicentur pœnæ latæ sententiæ. 6. *a*. & *seq*.

TRANSITUS religiosi ad aliam Religionem quomodo regulandus. 249. *a*, & *seq*. *Transeuntis*, & receptantis sine facultate pœna, *ibid.* Quando, & a quo concedi possit facultas, *ibid.* Quibus Regularibus in-

tus.

Religiosus, *ibid.* Quid de Mendicantibus *transeuntibus*, etiam cum licentia Sedis Apostolicæ. *ibid.*

TRANSLATIO sepulturæ quando licita. 274. *a.* & *b.*

* TRANSLATUS religiosus de uno ad alium Ordinem, non potest fugi Prælatus, nisi ibi de novo professionem emittat. 126. *b.*

TRASMARINAM peregrinationem sine licentia Papæ assumentis pœna. 240. *b.* * *Transmarinas ad partes se transferentes religiosi sine licentia, quas pœnas incurrant.* 238. *a.*

TREGUA qualiter a pace differat. 70. *a.*

TRIBUNAL seculare adeuntis contra sententias judicis ecclesiastici pœna. 113. *b.* Item ad illud recurrentes pro impedienda executione Litterarum Apostolicarum, aut decretorum Judicum ecclesiasticorum. 576. *a*, & *b*.

TRIDENTINUM Concilium glossantis pœna. 266. *b.* * *Capiti vero Ejusdem, sess. 24. de reform. derogatum est a Bulla Cœnæ quoad absolutionem hæresis occultæ, dandam ab Episcopo.* 21. *b.* *Nec vi dicti capitis potest Episcopus absolvere a casibus, Papæ reservatis post idem Concilium, ibid. Neque dispensare super irregularitate ad beneficia, & officia, ac privationis contractam.* 22. *a.* 35. *b.* An facultas a d. capite tributa Episcopo, ei suffragetur, ut deputare possit alterum, a quo ipse dispensetur, vel absolvatur. 22. *b.*

TRIENNALIS regula. 279. *a.* * Cancellariæ quibus suffragetur 167. *a.* Et non juvatur intrusus in beneficio, *ibid.* Nec simoniace scienter provisus. 36. *a.* 279. *a.* Nec possidens, etiam bona *fide*, duo beneficia incompatibilia. 80. *b.* Nec emittens professionem fidei, ut fructus beneficii faciat suos. 131. *b.* Quando convalidet titulum beneficii, quando non. 35. *b.* 36. *a.* Non convalidat titulum pensionis. 36. *b.* Non tollit obligationem restituendi fructus male perceptos. 38. *a.* Eam tamen tollit triennalis usucapio. *ibid.*

TRIMESTRALI absentia a Concil. Tridentino indulta, quando uti possit obligatus ad residentiam. 237. *b.*

* TRIREMIUM pœna hodie successit in locum deportationis, seu damnationis ad opus publicum. 40. *a.* *Ad triremes damnatus, an, & quando remaneat infamis, & irregularis.* 40. *a*, 200. *b.* Non perdit ea, quæ sunt juris gentium, nisi facta fuerit bonorum ipsius confiscatio. 42. *a.*

TURCIS arma, aliaque res christiani deferentes pro instruendis eorum bellicis navibus, quando, & quomodo excusentur. 70. *b.* Item remigantes in eorumdem navibus. 71. *a.*

TURNORUM lucra, vide SIMONIA ob turnorum lucra in beneficiis.

TUTELÆ, vel curæ munus est clericis prohibitum. 302. *a*, & *seq.*

TUTOR, vel curator, an fieri possit clericus, vel religiosus. 302. *b* 303. *a.*

V

VACANTIUM beneficiorum bona, & fructus occupantis pœnæ. 303. *a*, & *seq.* Item occupantis eorumdem fructus, ad Cameram Apostolicam pertinentes. 305. *a*, & *seq.*

VACANTIUM Ecclesiarum bona occupare præsumentes per usurpationem juripatronatus. 303. *a*, & *b*. Item *vacantium Ecclesiarum* secularium, & Regularium bona clerici occupantis pœnæ, *ibid. b.*

VACATIO beneficiorum, vide BENEFICIA vacant. & BENEFICIA reservata S. Sedi.

VAGI, quando, & in quibus sortiantur forum Episcopi, in ordine ad absolutionem obtinendam. 15. *b.* 56. *a.*

VALETUDINARII qui sint. 23. *b.*

VALOREM verum beneficiorum, Romæ obtinendorum, non exprimentis pœna. 105. *a.* *Valoris* modici nomine, quæ quantitas veniat. 55. *b.*

VANA OBSERVANTIA, vide SUPERSTITIO.

VASALLUS qualiter incurrat caducitatem. 9. *a.* Et qualiter excusetur. *ibid. b.*

VASA SACRA, vide CONSECRATIO.

VATICINIUM, vide SUPERSTITIO.

VECTIGALIA nova imponentis, vel augentis pœna. 174. *b.* 306. *a*, & *b*. Item ea imponentis clerici. 155. *b*, & *seq.* Item clerici ad ea consensum præstantis, *ibid.*

VEL dictio, apposita inter pœnas diversas, an intelligatur copulative, vel disjunctive. 84. *a.* Apposita post genus, an sit conjunctiva, vel alternativa. 70. *b.* 96. *a.*

VELUM CONSECRATIONIS, vide MONIALIS CORRUPTA.

VENATIO quotuplex sit, & sub qua pœna clericis prohibita. 306. *a.* 307. *a.*

VENDITIO jurisdictionis spiritualis sub qua pœna prohibita. 291. *b.*

VENEFICII pœnæ. 242. *a.*

VENENUM præbentis pœna. 241. *a.*

* VENEREAM *delectationem, materiæ parvitatem admittere asserentis pœna.* 307. *a*, & *b*. *Propositio circa eam proscripta. ibid. b.*

* VENIALIA *peccata ne vivat absolvi a simplici sacerdote.* 87. *b.* *Possum Paschate confiteri consultum est, licet pœnitens nullum tantum sit conscius.* 267. *a.*

VERBA in dubio intelligenda sunt, esse dumtaxat sententiæ ferendæ. 3. *a.* *Verba* intelligi debent cum effectu. 302. *b.* *Verbum* ambiguum accipi debet in mitiorem partem. 298. *b.* *Verborum* geminatio quandoque facit, esse canonem latæ sententiæ. 221. *a.*

* VERBI *Dei prædicatio interdicta est laicis.* 242. *b.* *Item clericis secularibus, & regularibus, sine licentia Ordinarii, etiam ad crates monialium, etiam januis clausis. ibid.* & 243. *a.* Illud per falsa dogmata, & miracula, aut falsas revelationes prædicantium pœna. 242. *b.*

VESTES pro missæ celebratione nondum benedictæ, non remanent benedictæ per celebrationem. 270. *a.*

VICARIUS Apostolicus, sede vacante, dare potest dimissorias, tam intra, quam ultra annum, nisi ei fuerit præscripta facultas in litteris commissionis. 230. *b.*

VICARIUS capitularis, sede vacante, quoad dimissorias, vide DIMISSORIAS sede vacante.

VICARIUS generalis an veniat nomine Episcopi. 24. *b.* Quando sit necessario deputandus. 127. *a.* *Vicariatum* exercens in aliena diœcesi sine licentia, quas pœnas incurrat, *ibid.* Non potest concedere dimissorias sine speciali mandato Episcopi, nisi hic in remotis degat. 227. *b.* *Vicarius generalis, & capitularis*, an uti possit facultate tributa Episcopo *cap. 6. sess. 24. Tridentini.* 22. *a.* An absolvere possit a lege percussione clerici. 162. *a.* Vide alio verbo DISPENSATIO.

VICARIUS Papæ, vide CARDINALIS Vicarius.

VICTUALIA ad Urbem, vel ad Curiam Romanam deferri prohibentis pœna. 61. *b.* Item eam de Statu ecclesiastico extrahentis. 62. *a.* Item eam ad inimicos Fidei deferentis. 69. *b.* & *seq.*

VIOLATORIS Ecclesiarum pœnæ. 157. *b.* & *seq.* Item eos absolventis pœna, non servata juris forma. 158. *b.*

VIRGINIS MARIÆ CONCEPTIONIS opiniones impugnans, vide CONCEPTIONIS BEATÆ VIRGINIS MARIÆ.

VIRGINIS SACRÆ violatio. 203. *a*, & *b*.

VIRGINITAS quando non amittatur per materialem veli *virginalis* fractionem. 203. *b.*

VIRGINITATIS velum, vide VELUM.

VIRGO communiter reputata, an pro virgine se gerere possit. 203. *a*, & *b*.

VIS publica, vel privata, quale sit crimen. 71. *b.*

VISITATIO monialium a quibus, & qualiter fieri debeat. 307. *b.* 308. *a.* Eam impedientis pœna, *ibid.* Item qualiter fieri debeat illa monialium, Regularibus subjectarum. 98. *a.* Quid visitatoribus prohibitum, *ib.*

VISITATIO liminum Apostolorum a quibus, quando, & sub qua pœna facienda. 183. *a*, & *seq.* Vide LIMINA Apostolorum.

VISITATIONIS procuratio in qua specie accipi possit. 308. *a*, & *seq.* Eam a non visitatis accipientis pœna. *ibid. a*, & *b*.

VISITATORIBUS munera accipere sub qua pœna interdictum. 308. *a*, & *b*. *Visitatores* regulares sub qua pœna teneantur invigilare super adimplemento onerum missarum. 108. *a.*

VITA durante relictum, dicitur perpetuum. 57. *b.* 297. *a.*

VITANDUS excommunicatus, quis sit. 86. *b.* An *vitandus* in uno loco, sit *vitandus* ubique. 6. *a.*

VIVÆ vocis oracula, quæ revocata intelligantur. 133. *b.* 134. *a.*

VIVENTIS beneficium si conferatur, collatio, vel procuratio est nulla. 60. *b.*

ULTIMAS voluntates exequi negligentis pœna. 301. *a*, & *b*.

ULTRAMONTANI prima Tonsura initiari, & qualiter ordinari possint in Italia. 229. *b.* 230. *a.* Ordines sacros recipientes ficto, vel fiduciario, aut falso patrimonii titulo, *perpetuo* remanent suspensi, absque spe dispensationis. 234. *a.*

UNIO beneficii secularis, etiam loco religioso, quando ab Episcopo fieri possit, quando non. 56. *a.*

UNIVERSITATIS bonorum alienatio, vel obligatio. 58. *a*, & *seq.* *Universitas* est persona ficta, & in odiosis non venit nomine personæ. 544. *a.* Qualiter dicatur delinquere. 43. *b*, & *seq.* Potest indirecte suspendi, sed non excommunicari. 45. *a.* Et lata excommunicatio, est nulla. *ibid.* Quomodo ferenda, quando constat, aliquos, vel omnes de ea deliquisse, *ibid. a*, & *b*. Quomodo constare possit, si deliquerunt per secreta suffragia, *ibid. a.* Contra delinquentes factis præsumptio juris; sed semper sequatur prævia citatio, *ibid.* Si non contradicant in statutorum editione contra libertatem ecclesiasticam, incurrunt censuras, tamquam cooperantes, *ibid.* Item, licet contradicant, si non dimittant officium, si dimittio crederetur profutura, *ibid.*

VOLUNTATES ultimas exequi negligentis pœna. 301. *a*, & *b*.

VOTA annexa conditioni, non censentur absoluta. 250. *b.*

VOTA Papæ reservata quot. 250. *b.* 308. *b.* 309. *a.* Ea commutantium pœnæ. *ibid.*

VOTO castitatis ligati matrimonium contrahentis pœna. 190. *b.* 191. *a.*

VOTUM, vel juramentum religiosi de non acceptanda dignitate extra suum Ordinem, neque dispensari a superiore seculari, sive in eodem Ordine maneat, sive ad alium sit translatus, licet votum, vel juramentum emissum sit cum clausula. — *Nisi sim coactus præcepto ejus, qui mihi præcipere potest.* — 270. *b.*

VOTUM Religionis intrandæ quando quis exequi non teneatur. 215. *a.* *Votum religionis*, mulier ne emittat, impedientis pœna. 201. *b.* 202. *a.*

VOCIS activæ, & passivæ privatio latæ sententiæ, quatenus pœna est, quando obliget in conscientia ante declarationem. 34. *b.* *Vocis passivæ* privatio ad quæ officia se extendat. 35. *a.* Quis ab ea dispensare possit. 20. *b*, & *seq.* 78. *b.* Utraque privatus est, celebrans contra interdictum. 91. *a.* Quando utraque priventur superiores regulares in electione. 125. *a.* 198. *a.* * *Vocis privatio in capitulo non ex delicto, ex quot capitibus oriatur.* 309. *b*, & *seq.*

USURÆ pœnæ. 310. *b*, & *seq.* Quando committatur, affertur declaratio Benedicti XIV. 312. *b.* * *Propositiones circa eam proscriptæ.* 313. *a.* Ejus restitutio cui facienda. 312. *a*, & *seq.* Ejus causa quando sit mixti fori. 312. *a*, & *b*. Illam approbantium, vel adjuvantium pœnæ. 312. *b*, & *seq.*

USURARIORUM pœnæ. 310. *b*, & *seq.* Quando dicantur manifesti. 315. *a.* Quando sepeliri possint in sacro. 311. *a*, & *b*. Eorum hæredes, & complices quando sint irregulares. 312. *a.* Eos ad communionem Altaris, Sacramentum pœnitentiæ, & oblationes admittentium pœnæ. 214. *a.* 313. *a.* Item eos in loco sacro sepelientium. 275. *b.* 276. *a.* 313. *b.* Item eis locum dantium ad usuram exercendam. 314. *b*, & *seq.*

USUCAPIO triennalis tollit obligationem restituendi fructus beneficii, bona fide male perceptos. 38. *a.*

USURPATIO proprie dicta, quæ dicatur. 315. *b.* An dicatur *usurpare*, qui turbatur, *ibid.* & 555. *b.* *Usurpatio* bonorum, vel proventuum ecclesiasticorum, aut locorum piorum, quas pœnas inducat. 315. *b*, & *seq.* Item illorum occupatio, & impedimentum, ne percipiantur ab iis, ad quos spectant, *ibid.* Item pœnæ clericorum consentientium, *ibid.* Item *Usurpatio* jurispatronatus, vel dominii directi, facta a laicis in bonis ecclesiasticis. 315. *b.* 317. *a.* Item *Usurpatio* jurisdictionis Ecclesiarum, & piorum locorum. 177. *a.* 307. *a*, & *b*. Item jurisdictionis in exemptis. 177. *a.* Pœnæ exemptorum huic *usurpationi* consentientium, *ib.* Item *Usurpatio* oblationum Ecclesiarum, vel piorum locorum. 213. *b.* Item *Usurpatio* jurisdictionis Ecclesiæ Romanæ. 200. *a.* Item jurispatronatus. 303. *a*, & *b*. Item jurium parochialium. 237. *b.* 238. *a.* Item *Usurpatio* actus Ordinis, quem quis non habet. 236. *b*, & *seq.*

VULNUS sibi inferens, quando punibilis. 188. *a*, & *b*. Si est clericus, quando incidat in excommunicationem, *ibid.* Illud ecclesiastico inferentis pœna. 161. *b.*

UXOR quando non sepelienda in sepultura mariti. 238. *b.*

UXORICIDÆ pœna. 547. *a*, & *b*.

F I N I S.